
13
19 F
34

R. P. D.

CAROLI MALLETI

DE HIERARCHIA, ET IVRE

ECCLESIÆ MILITANTIS.

DE
HIERARCHIA
ET IVRE
ECCLESIÆ MILITANTIS
LIBRI OCTO,

In quibus de Ecclesiæ Maiestate, Fide, Iurisdictione, Dignitate Personarum tàm Ecclesiasticarum, quàm Sæcularium, Beneficijs, Gradibus, Officijs, &c. Ecclesiasticis, & Sęcularibus, De iudicijs, &c. summa breuitate, & plenissimè agitur.

Opus Posthumum, non modò Theologis, & Canonistis; sed etiam Iurisperitis vtile, ac necessarium.

AVTORE

R. P. D. CAROLO MALLETTO, MONACHO CISTERCIENSI
E Congregatione Reformata D. Bernardi, Patritio Taurinensi, Sereniss. Celsitudinis Ludouicæ Mariæ Christinæ Principis Primogenitæ à Sabaudia Confessario, Examinatore Synodali, ac Sancti Officij Consultore.

REGIÆ CELSITVDINI
CAROLI-EMANVELIS II.
SABAVDIÆ DVCIS, PEDEM.VM PRINCIPIS, CYPRI REGIS, &c.

DICATVS.

Bibliot. Accessit Index Rerum, & Verborum copiosissimus. Soc.

Coll. Rom.

Soc. Iesu



AVGVSTÆ TAVRINORVM; M.DC.LX.
EX TYPOGRAPHIA BARTHOLOMÆI ZAPATÆ.
Superiorum authoritate.



REGIÆ CELSITVDINI
CAROLI-EMANVELIS II.
SABAVDIÆ DVCIS,
ET PEDEMONTIVM PRINCIPIS,
CYPRI REGIS, &c.

Carolus-Felix Mallettus, ex DD. Droxij. F.



IN Cœlesti Hierarchia Beati Spiritus, iuxtà Ordinum superioritatem, Diuinæ pulchritudinis magis participes fiunt, & ad Dei similitudinem, pro Diuinę pulchritudinis participatione, sublimiùs euehuntur. Et quemadmodum esset impium dicere, quòd Summus Pontifex non sit visibile, & secundarium Christianorum Caput, cum Christus Petro dixerit, *Pasce oues meas*, perinde Militantis Ecclesiæ Hierarchiam; quæ Cœlestis imago est, & Diuinis afflatibus instructa, Christianę Iurisdictionis clauum sanctissim è gubernat; nemo poterit inficiari. Inter Ecclesiæ militantis Hierarchas non modò cooptantur Antistites, qui duntaxat spiritalibus præsunt, sed etiam Principes illi, qui sæcularium nomine indigitantur, sacrum hunc Dominatum, pro suis quisque partibus, absoluunt. Regum proinde alij, Dei vices elatiùs gerentes, perfectius illius simulacrum referunt, & sese propiùs ad Augustissimam eiusdem speciem, pro maiori virtutum exercitatione, componunt. Quàm altè, & quàm latè fulgeat Sabaudi Diadematis Apex, & quem locum in Ecclesiastica obtineat Hierarchia, tantùm non septingentis ab hinc annis toto orbe percrebruit. Quot Principes emanarunt ab Regio hoc stipite, qui, Rempublicam benè gerendo, immortalem cucurrerunt ad gloriam? quot sacratioris & scientiæ, & actionis Deum præceptorem habentes, apud eundem sanctimoniæ locum sibi vendicarunt? Quot, & quoties, vt truces Ecclesiasticæ Hierarchiæ hostes opprimerent, periculosas in expeditiones validos eduxerunt exercitus? Quot, ne Christianæ fidei candorem, vel ipsa labis suspicione inficerent, amplissima posthabuerunt Regna? Quot, vt Romani

ni Pontificis Maiestatem sustinerent, latissimis ditionibus passi sunt exui? Quot omnes omnium diuitias, & dignitates cum integra Ecclesiæ sospitate non contulerunt? Superuacaneum est apud non ignarum gentilia facta memorare. Præterea non est hic locus effari. Redundant scriptorum paginæ, & aurea Famæ tuba fermè nihil aliud personat. His Patribus genitus es, quorum virtus ad patrios, auitosque animos te non cessat impellere. Iam verò, si animum ad maternum genus aduerto, Magnificentiæ, Iustitię, Fortitudinis, Pietatis, omnium denique Virtutum panditur Regia. Gallia non Regum progeniem, sed Semideorum Theatrum aperit, ita vt nullus orbis terrarum angulus aureorum Liliorum fulgore non perstringatur, veneratione non exhorrescat. Tot, & tantorum Heroum clarissimam vtrinque stirpem concessit tibi natura propitia. O quàm amplè Augusta vtriusque propaginis decora inter Ecclesiæ militantis Hierarchas te reddidere conspicuum! Sed feliciori fato contigit tibi Christinam Matrem habere. Regia hęc Tutrix, ingenij acumine supra mulierem erecta; cui satis haud dixerim plus ornamenti afferat pietas, an digna virili sexu prudentia; sicuti puero tibi, armorum fulminibus, **Regnum** fortissimè propugnauit, te paritèr Iuuenem Regijs artibus diligentissimè educauit ad **Regnum**. Cæterùm nihil in te ad rationem venustissimi corporis prætermisit Natura. Vultus suauis, & alacer; oculorum acies inter iubentem, & mulcentem; totius corporis gestus liberalis, & firmus, qualis in Principe fortioris sexus exigitur. Viuax indoles artibus belli, & pacis, venustissimo corpori non imparibus, auspicatissimis item moribus excolitur. Amplectuntur animo Clientes tui iuuenilem solertiam, & seculum de ferreo in aureum mutatum iri sub tuo ominantur imperio. Eiusmodi sunt corporis, & animi dotes, vt te non humanitùs genitum, sed è Cœlo delapsum ætas nostra suspiciat. Tibi igitur inter Hierarchas non postremo, concinnatum *de Hierarchia, & Iure Ecclesiæ militantis* Opus sacrare decreuerat D. Carolus Mallettus, Patruus meus. Pręstitisset vtique, si per longius vitę curriculum licuisset. Alij ex terrestribus Numini dicari non poterat, nisi inconsultò, & iniuria. Illiberalitatis reus essem, si paterer ad alium Patronum diuertere, si optimum defuncti Authoris consilium, & demandatam mihi Prouinciam eluderem. Venerabundus manibus tuis depono, rogans, vt posthumum Commentarium vnà cum toto latore suscipias. Ab æterno Hierarcharum Hierarcha incolumitatem tuam, lucidissime militantium Hierarcharum Iubar, votis omnibus expeto, vt Orthodoxæ Reipublicæ, & Ditioni potissimùm tuæ, quàm diutissimè elucescas.

D. Franciscus à S. Nicolao Congregationis Reformatæ Monachorum S. Bernardi, Ordinis Cisterciensis Superior Generalis.


Vm liber, cui titulus est *De Hierarchia, & Iure Ecclesiastico Libri octo*, &c. à Reu. D. Carolo Malletto nostræ Congregationis Monacho compositus, nihil, nisi copiosam Sacrorum Canonum Doctrinam, ac multiplici eruditionis ornamento, & ingenij acumine refertam rem, contineat; facultatem eidem D. Carolo concedimus, vt præuia eorum ad quos pertinet approbatione, Typis mandare possit, In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, ac Officij nostri sigillo munitas dedimus. In nostro Beatæ Mariæ Consolatricis Taurinensis Monasterio, die prima Aprilis 1657.

D. Franciscus à S. Nicolao Super. Gen. vt sup.

D. Io. Baptista à S. Phillippo, Secret.


Errena Malletti Hierarchia, cœlesti Areopagitæ Hierarchiæ si comparetur, non vltima iudiciosi ingenij laus erit. Ecclesiasticum opus hoc cum de mandato Reuerendissimi Domini olim Inquisitoris attentè perlegerim, dignissimumque ob doctrinæ excellentiam, vt in lucem prodeat, censuerim, si videbitur ità Reuerendissimo Domino Inquisitori Camoto, hoc scripto approbaui. In fidem manu propria. Taurini, die prima anni sexagesimi.

Ego D. Valerianus Abbas Benedictinus S. Officij Consultor.


Go infrascriptus, Præpositus Collegij S. Dalmatij Clericorum Regularium S. Pauli Taurini, & Consultor Reuerendissimi Patris Inquisitoris, de mandato eiusdem Reuerendissimi Patris Inquisitoris, attentè perlegi librum, cui titulus est *R. P. D. Caroli Malleti de Hierarchia, & Iure Ecclesia Militantis*, atque in eo non modo Catholicæ fidei, & bonis moribus consona omnia adinueni, sed ea tàm doctè, diluicidè, & elegantèr explicata, vt cœlestem eam Hierarchiam omnium oculis, cordibusque contemplandam iamque perfruendam alter hic Dionysius Areopagita exhibeat. Quare in lucem quamprimùm exeat locaturus cœlo ante mortales quàm morientur, suauissimaque sua lectione pugnantes adhuc translaturus in triumphantes. Dat. Taurini in Collegio S. Dalmatij, Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo-octauo, Mense Aprilis, die decimaquinta.

Don Ioannes Pastoris Præpositus Collegij S. Dalmatij, & Consultor Reuerendissimi Patris Inquisitoris.


Doctissimus Pater D. Carolus Mallettus, Monachus Cisterciensis è Congregatione Reformata D. Bernardi bipartitum, *De Hierarchia, & Iure Ecclesia Militantis* opus concinnauit egregiè. Ego, Reuerendissimi Patris Inquisitoris Taurinensis mandata prosequens, euolui sedulò. Nihil non absolutum, nihil non iucundum, nihil non altum, nihil ad materiæ magnitudinem non accommodatum. Aperiunt omnia amplissimam eruditionis segetem, omnia ad rectam Christianæ Reipublicæ administrationem apposita, omnia ad sanctissimam Orthodoxæ fidei regulam adornata. Firmissimum Ecclesiæ columen; eiusmodi, vt ab omnibus suspiciatur, ideoque super publica Typorum basi collocandum censeo. In fidem manu propria. Taurini die 5. Februarij 1660.

P. Marcus-Aurelius Rorengus, ex Comitibus Lucernæ, Consultor S. Officij.

Imprimatur.
Fr. Thomas, Inquisitor Taurini.



Andante Illustrissimo, ac Excellentissimo Domino meo Magno Sabaudiæ Cancellario, perlegi librum inscriptum, *De Hierarchia, & Iure Ecclesiæ Militantis*, quem Religiosissimus simul, ac eruditissimus eius Autor vix perfectioni, & sic non Typis potuit viuens demandare: & qua maiore potui sedulitate, mihi demandatum eius scrutinium compleui, totumque ipsius contentum Regiæ Celsitudini Ducis nostri pietati consonum, in nihilo supremæ ipsius autoritati absonum, totum Reipublicæ proficuum agnoui; nec quidquam inueni, quod præfatum Excellentissimum Dominum meum retrahere posse credam à concessione petitæ facultatis imprimendi. Tanta de cætero se mihi exhibuit in lectione huius, & alterius duplicis voluminis præexhibiti libri *Aurum Moralis Theologiæ* præseferentis eruditionis copia, tantaque sedulitatis, studij, acuminis, ingenij, pietatis, ac veritatis oraculi perfectio, vt prematuram ipsius Autoris mortem, profusis lacrymis deplorandam cogerer profiteri; nisi ęgrè ferre videri vererer fęlicem eiusdem ex mortalitate ad immortalitatem, ex terrestri ad cœlestem habitationem, & ex tenebris ad lucem traductionem: Iuxtà illud Sapient. 4. *Iustus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. Fœlix ergo etiam apud homines sit mors eius, cuius vita nedum humanis, sed & Deo grata fuit, & fœlicissima penès nos memoria illius, cuius vtilissimum Christianæ Reipublicæ hoc postremum opus, operâ, & expensis D. Caroli-Felicis Malleti, ex Dominis Droxij, ipsius ex fratre nepotis doctissimi in ætate immatura Aduocati, lucem posthumam sortietur.

Io. Baptista Nouarina, Sacræ Religionis, SS. Mauritij, & Lazari Consiliarius, & Aduocatus Patrimonialis, Generalis.

Imprimatur.
Morotius.

Peril-

Perillustris, & Adm. Reu.[di] Domini,

D. IOANNIS-BAPTISTÆ BONINI BRAIDENSIS,

In Taurinensi Fulminalium Academia primi Assessoris, & Sacræ Theologiæ Doctoris,

PIIS MANIBVS

R. P. D. CAROLI MALLETTI PARENTALIA.

Turbantibus quietem suam
Etiam-nùm se subducens strepitibus,
Hoc secessit in laribulum
Demosthenes Subalpinus.
Plutarch. in Vit. Demosth.
Siste, Viator, gradum, & sile.
Quam diù docuerat viuus in libris Pœnitentiam MALLETTVS,
Profitetur hîc mortuus in Cineribus.
Cœlestia in omnibus redolentem,
Compactum è Terrâ nemo poterat suspicari,
Nisi solueb atur in puluerem.
Erubuit diù
Vel suo in pallore Mors ipsa
Fatali telo incessere tantum Virum:
Attritos nouerat sub hoc MALLEO
In Æternitatis incúde
Ferreos Temporis dentes, fractam ceruicem:
Quidni & ipsa fero in Agóne
Talem sibi ruinam formidaret?
Distulit tamen Proterua,
Non penitùs sustulit ictum suum:
Laborantes sub mole Virtutum
Effœtas iam senio vires
(Quæ est apud Mortem calliditas) expectauit.
Occasionem hinc nacta Victoriæ,
Quem sola desperabat aggredi,
Graui oppressum pondere meritorum,
Ætatis suffragio subégit.
Inuídit Iniqua
Ferreo Sæculo Aureum Virum:
Quem propterea non sperauit posse emere,
Raptum (Crudelis!) perémit.
Cœca illa vt sit,
Vidit (ah nimium!) vidit
Aureæ pretium Animæ;
Qualem tamen vel si aliundè non nosset;
Abundè poterat ex moribus suspicari.

Nonnisi

Nonnisi Thesaurum se furatam sentiens,
Vndè AVREÆ tot BRACTEÆ prodijssent;
Furti rea nè vel à Terræ oculis proderetur,
Cœcâ abdidit in Cauernâ.
Et nè pretiosum (Vafra!)
Quis Depositum suspicaretur,
Rudi conditum sub saxo dissimulauit.
Adeò, nedùm *mortalia pectora*, Mortem ipsam
Auri lancinat *sacra fames.*
Ingluuiem saginatura pleniùs suam,
Mense Maio, 1658. Decussit Vernos inter Flores tantum Fructum,
Quem indè suo depasceret in Sarcophago.
Pleniorem illius
Desperans haberi posse maturitatem,
Non expectauit Autumnum.
Tanti Fructûs ruinam miserata Tellus,
Multiplici Florum vsurâ pensauit.
Festiuos soluta in risus Prata,
Gratulari Syderibus visa sunt tantum lucrum:
Gratulata itidem Natura
Triumphanti in Cœlum Animæ
Partam, fracto carcere, libertatem;
Nouum sylvis apparatum,
Auibus Epinicion indixit.
Arrisit nouo Indigeri Cœlum ipsum;
Temeratam tristi Funere diem
Sereniori luce compensans.
In tanto Naturæ, Cœlique risu,
Parce & Tu, Viator,
Quantis gloriam Animæ tuis fletibus incestare.
Eius nihil misereri in morte possis,
Cuius in vitâ, omnia debeas inuidere:
Perit Vitæ, non Gloriæ,
Qui soli ereptus Tempori, seruatur Æternitati.
Iustitiæ Theoricam,
Quam in Libris docuerat, exercens & Ipse in praxi,
Nè more deprehenderetur vt Reus,
Supremum Fatis Debitum soluit.
Dare vtique vitam libenter debuit,
Qui cum caducæ dispendio,
Lucraretur æternam;
Futurus, siuè apud Superos in Cœlis,
Siuè apud homines in Libris,
Immortalis.

Pijs Amici Defuncti Cineribus posuit

Ioannes-Baptista Boninus Braidensis,
Sacræ Theologiæ Doctor.

DE HIERARCHIA, ET IVRE ECCLESIÆ MILITANTIS

Opus,

Ab Admodum Reu. Patre,

D. CAROLO MALLETTO

Concinnatum,

Post mortem Auctoris imprimitur.

HEXASTICHON.

Quàm latè pateat, quàm fulgeat Aula Tonantis
Inclyta, Romulei Numine recta Iouis;

Militiâ exactâ, qua ducit in Orbe Triumphos
Sidereo; Caroli Biblia docta notant.

Ne pereat Codex, sublati fata Parentis
Atratis lacrymis posthuma charta gemit.

Antonius Valzania.

ELEN-

ELENCHVS LIBRORVM,

Et eorum, de quibus in toto Opere agitur.

SERIES LIBRORUM, ET TITULORUM, &c.

Qui in his Libris continentur.

LIBER PRIMUS.

De origine, & prærogatiuis Ecclesiæ, continet Titulos viginti.

1 Titulus primus, de Ecclesia Dei.
2 De fide Ecclesiæ Militantis.
3 De primario articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm de Summa Trinitate.
4 De secundario articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm de Incarnatione Christi.
5 De tertio articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm de Passione, & Morte Christi.
6 De quarto articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm da Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi.
7 De quinto articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm de Ascensione, & Sessione Christi ad dexteram Patris.
8 De sexto articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm de Resurrectione Corporum.
9 De septimo articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm de Iudicio Vniuersali.
10 De octauo articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm de quatuor animarum receptaculis.
11 De nono articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm de reali præsentia Corporis Christi, &c. in Sacramento Eucharistiæ.
12 De spe Ecclesiæ Militantis.
13 De Charitate Ecclesiæ Militantis.
14 De virtutibus moralibus Ecclesiæ Militantis.
15 De Religione Ecclesiæ Militantis.
16 De actu interiori Religionis, qui est deuotio, & oratio, &c.
17 De primario actu exteriori Religionis, idest de perfecta adoratione Dei, & Sanctorum Ecclesiæ Militantis.
18 De secundo actu exteriori Religionis, nimirùm de Sacrificio Ecclesiæ Militantis.
19 De tertio actu exteriori Religionis, nimirùm de Voto.
20 De actu exteriori Religionis, qui est iusiurandum.

LIBER SECUNDUS.

De Legibus, Constitutionibus, & iure Canonico, &c. Ecclesiæ Militantis, qui continet Titulos tres.

1 Titulus primus, an in Ecclesia Dei sit potestas condendi leges.
2 De rescriptis Ecclesiasticis, seù procedentibus ab Ecclesia Militante.
Textus Sacrorum Canonũ, de rescriptis.
3 De Lege non scripta Ecclesiæ Militantis, idest de Consuetudine.
Textus Sacrorum Canonum, de Consuetudine.
Decreta Summorum Pontificum, ac Sacræ Congregationis, de Consuetudine.

LIBER TERTIUS.

Diuiditur in duas Partes.

PARS PRIMA.

De personis Ecclesiasticis, & iure personarum Ecclesiasticarum, & continet Titulos 68.

TITULUS I.

De Summo Pontifice Ecclesiæ Militantis.

1 Decreta Summorum Pontificum, de Summo Pontifice.
2 De Cardinalibus Ecclesiæ Militantis.
Decreta Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis, de Cardinalibus.
3 De Legatis Pontificis, seù Ecclesiæ Militantis.
Textus Sacrorum Canonum, de officio Legati.
4 De Patriarchis Ecclesiæ Militantis.
5 De Archiepiscopis Ecclesiæ Militantis.
Decreta Summorum Pontificum, de Archiepiscopis.
6 De Episcopis Ecclesiæ Militantis.
Textus Sacrorum Canonum, de officio Iudicis ordinarij, nimirùm Episcopi.
Decreta Summorum Pontificum, ac Sacræ Congregationis, de Episcopis.
7 De Vicario Generali Episcopi.
Textus Sacrorum Canonum, de officio Vicarij.
8 De Vicario Capitulari, Sede vacante.
9 De Vicario foraneo Episcopi.
Decreta Summorum Pontificum, de Vicario Generali Capitulari, &c.

Index Librorum.

62 De

PARS SECVNDA.

LIBRI TERTII,

Qui continet Titulos octo.

De Principibus, & alijs dignitatibus Sæcularibus Ecclesiæ Militantis.

LIBER QVARTVS.

De rerum diuisione, siuè de rebus Ecclesiæ Militantis.

Diuiditur in quatuor Partes.

PARS PRIMA.

De Sacramentis in genere continet Titulos 16.

Tex-

LIBER SEXTVS.

De Hierarchia, & iure Ecclesiæ Milit.

De delictis Militantium in Eccles. Dei.

Continet Titulos 46.

LIBER OCTAVVS.

De Regulis iuris Canonici.

Continet iste Liber Regulas 88.

LIBER OCTAVVS.

De Priuilegijs.

Continet Titulos 15.

ELENCVS CAPITVLORVM.

De Rescriptis,

De Rescriptis in 6.

De Consuetudine.

De Consuetudine in 6.

De officio Iudicis ordinarij, siuè Episcopi.

De officio Iudicis ordinarij in 6.

De officio Vicarij.

De officio Vicarij in 6.

De Electione.

cap. Pu-

De

De Permutatione Beneficiorum.

Cap. Si Princeps 1.
cap. Vt commutationes 2.
cap. Mancipia 3.
cap. Iniustum 4.
cap. Quæsitum 5.
cap. Ad quæstiones 6.
cap. Cum olim 7.
cap. Cum vniuersorum 8.
cap. Exhibita 9.

De Permutatione in 6.

Cap. Licèt vnic.

De officio Archidiaconi.

Cap. Vt Archidiaconus 1.
cap. Officium 2.
cap. Ea quæ 3.
cap. Cum satis 4.
cap. Archidiaconus 5.
cap. Mandamus 6.
cap. Ad hæc 7.
cap. Significasti 8.
cap Vt nostrum 9.
cap. Dilecto 10.

De offic. Archipresbyteri.

Cap. Vt Archipresbyter 1.
cap. Ministerium 2.
cap. Officium 3.
cap. Vt singulum 4.

Ne Sede vacante, &c.

Cap. Nouit ille 1.
cap. Illa 2.
cap. Constitutis 3.

De his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capit.

Cap. Irrita 1.
cap. Continebatur 2.
cap. Cum nos 3.
cap. Nouit 4.
cap. Quantò sic 5.
cap. Ea noscitur 6.
cap. Cum Apostolica 7.
cap. Tuam nuper 8.
cap. Pastoralis 9.
cap. Et si membra 10.

De ijs, quæ fiunt à maiore parte Capituli.

Cap. Cum in cunctis 1.
cap. Quæsiuit 2.
cap. Ex ore 3.
cap. Ex parte 4.

De Parochijs.

Cap. Si Episcopus 1.
cap. Vt dominicis 2.
cap. Nullus 3.
cap. Super eo 4.
cap. Significauit 5.

De maioritate, & obed.

Cap. Certum 1.
cap. Si quis 2.
cap. Legebatur 3.
cap. Omnes 4.
cap. Illud Dominus 5.
cap. Solitæ 6.
cap. Per tuas 7.
cap. Inter quatuor 8.
cap. Quod super ijs 9.
cap. Cum in Ecclesijs 10.
cap. His quæ 11.
cap. Dilecta 12.
cap. Dilecte fili 13.
cap. Cum olim 14.
cap. Statuimus 15.
caq Cum inferior 16.
cap. Humilis 17.

De maioritate, & obedientia in 6.

Cap. Episcopali vnic.

De vita, & honestate Clericorum.

Cap. Vt Laici 1.
cap. Clerici 2.
cap. Vt quisque 3.
cap. Si quis 4.
cap. Clericus 1. 5.
cap. Clericus 2. 6.
cap. Clerici 7.
cap. Monasteria 8.
cap. Quoniam 9.
cap. Cum ab omni 10.
cap. Deus qui 11.
cap. Cum decorem 12.
cap. Vt Clericorum 13.
cap. A crapula 14.
cap. Clerici 2. 15.
cap. Ex litteris 16.

De cohabit. Clericorum.

Cap. Inhibendum 1.
cap. Si quisquam 2.
cap. Clericos 3.
cap. Sicut 4.
cap. Super eo 5.
cap. Vestra 7.
cap. Tua nos 8.
cap. A nobis 9.
cap. Quæsitum 10.

De Clericis coniugatis.

Cap. Si qui 1.
cap Sanè 2.
cap. Quod ad te 3.
cap. Sanè 2. 4.
cap. Diuersis 5.
cap. Cum olim 6.
cap. Ioannes 7
cap. Cum decorem 8.
cap. Ex parte 9.
cap. Consultationi 10.

De tempore ordinat.

Cap. Subdiaconus 1.
cap. Sanè 2.
cap. De eo 3.
cap. Ex tenore 4.
cap. Ad aures 5.
cap. Archiepiscopus 6.
cap Cum quidam 8.
cap. Cum secundum 9.
cap. Ex parte 10.
cap. Qui ad translationem 11.
cap. Cum in distribuendis 12.
cap. Litteras 13.
cap. Vel non est compos 14.
cap. Dilectus 15.
cap. Quæsitum 16.

De temp. ordinat. in 6.

Cap. Sæpè 1.
cap. Eos qui 2.
cap. Cum nullus 3.
cap. Nullus 4.

De ordinatis ab Episc. &c.

Cap. Requisiuit 1.
cap. Cum Clericus 2.

De ætate, & qualitate.

Cap. Vt Abbates 1.
cap. Ex ratione 2.
cap. In decorem 3.
cap. Eam te 4.
cap. Præterea 5.
cap. Quæris à nobis 6.
cap. Ad aures 7.
cap. Cum bonæ memoriæ 8.
cap. Multis 9.
cap. Tuam in Domino 10.
cap. Cum contingat 11.
cap. Intelleximus 12.
cap. Accipimus 13.
cap. Cum sit ars artium 14.
cap. Quamuis 15.

De seruis non ordinandis.

Cap. Instituendi 1.
cap. De seruorum 2.
cap. De famulis 3.
cap. Nullus 4.
cap. Consuluit 5.
cap. Eò libentiùs 6.
cap. Miramur 7.

De

Capitulorum.

cap. Si-

De

De testibus, & attestationibus in 6.

De testibus cogendis.

De fide instrumrntorum.

De Præsumptionibus.

De Iure-iurando.

De iure-iurando in 6.

De Exceptionibus.

De exceptionibus in 6.

De Præscriptionibus.

De Præscriptionibus in 6.

Dà sententia, & re iudicata.

cap. Cum

De sententia, & re iudicata in 6.

De Appellationib. Recusationib. & Relationib.

De Appellationibus in 6.

De Confirmatione vtili, vel inutili.

De Accusationib. Inquisitionibus, &c.

De Accusationibus in 6.

De Calumniatoribus.

De Simonia.

cap. In

De Sententia excommunicationis in 6.

De Purgatione Canonica.

De Purgatione vulgari.

De Iniurijs, & damno dato.

De Iniurijs, & damno dato in 6.

De verborũ significatione.

De Verborum significatione in 6.

De Clericis non residentib.

De Priuilegijs.

cap. Quia

Decreta Summorum Pontificum, ac Sacræ Congregationis.

NOMINA AVCTORVM,

Quorum Nomina in his Libris citantur.

A.

S. Ambrosius.
S. Antoninus.
S. Augustinus.
S. Athanasius.
Adamus Tannerus.
Ægidius Coninkus.
Albanus Cardinalis.
Albertus Gassaneus.
Albertus Bolognerius.
Alexander de Necco.
Alexander Carerius.
Alexander Peregrinus.
Alexander de Imola.
Alexander Pesantius.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Ambrosinus.
Alexander Alensis.
Alexander Turrianus.
Alphonsus Villaldus.
Alphonsus à Castro.
Alphonsus de Leone.
Alphonsus Tostatus.
Alphonsus de Leone.
Alphonsus à Reuelio.
Alphonsus à Mendoza.
Alphonsus Narbona.
Alphonsus De la Cruz.
Andreas Aluarus.
Andreas Molphesius.
Andreas Tiraquellus.
Andreas Castaldus.
Andreas Victorellus.
Angelus de Clauassio.
Antoninus Diana.
Antonius de Butrio.
Antoninus Fernandez.
Antonius Naldus.
Antoninus Thesaurus.
Antonius de Escobar.
Antonius Gabrielius.
Antonius Lazarius.
Antonius de Souza.
Antonius Corsettus.
Antonius de Rosellis.
Antonius Corduba.
Antonius Faber.
Antonius Roscius.
Aluarus Pallagius.
Aluarus Valascus.
Archidiaconus.
Armendarius.
Arnoldus Alberinus.
Arnoldus Coruinus.
Aufredus.
Augustinus de Ancona.
Augustinus de Augubinis.
Augustinus Lopez.

B.

S. Benedictus Abbas.
S. Bonauentura.
S. Bernardinus.
Baldus.
Bartolus.
Barbatius.
Baldessar Ayada.
Basilius Pontius.
Beda Venerabilis.
Bartholomæus à S. Fausto.

Nomina Auctorum,

Bartholomæus Cartagena.
Bartholomęus de Ledesma.
Bartholomæus Cepolla.
Bartholomæus Cassaneus.
Bartholomæus Salonius.
Bartholomæus Medina.
Bartholomæus Salicetus.
Bartholomæus de Saxoferrato.
Bartholomæus Soccinus.
Bartholomæus de Vechis.
Bartholomæus Vgoninus.
Bartholomæus Gomez.
Bartholomæus ab Angelo.
Bartholomæus Giprius.
Bartholomæus Fumus Armilla
Bartholomæus Bellensinus.
Bartholomæus Quartus.
Benedictus Fernandez.
Benedictus Pererius.
Bernardus Diaz.
Bernardus Comensis.
Bernardus Iustinianus.
Bernardinus de Busto.
Bernardinus de Brito.
Bernardus de Landriano.
Butrius.
Boëtius.
Burlatus.
Budæus.
Burgensis.

C.

Cardonus.
Cardinalis.
Camillus de Curt.
Carolus Sigonius.
Carolus de Grassis.
Castro-Palaus.
Campanilius.
Cęsar Baronius Cardinalis.
Cæsar Angelus.
Cæsar Bottonus.
Christophorus Anguianus.
Christophorus Marcellus.
Christophorus de Pace.
Claudius Solercius.
Claudius Seycellius.
Clemens VIII.
Clito Veus.
S. Ciprianus.
Concilium Romanum.
Concilium Carthaginiense.
Concilium Toletanum.
Concilium Lateranense.
Concilium Calcedonense.
Concilium Florentinum.
Concilium Tridentinum.
Cordua.
Cornelius Iansenius.
Cornelius Benincasius.
Coriolanus.
Cosmus Philiarcus.
Crotos.
Curtius.

D.

S. Dauid Rex.
Didacus Couarruuias.
Didacus Perez.
Didacus Cantera.
Didacus de Castillo.
Didacus Lopez.
S. Dionysius Areopagita.
Dionysius Carthusianus.
Dionysius Cassius.
Dionysius Alexandrinus.
Dominicus Sotus.
Dominicus Bannez.
Dominicus Nugnus.
Dominicus Grauina.
Dominicus Tuscus.
Domitius Camerotta.
Durandus.

E.

Eligius Bassęus.
Eliodorus.
Emanuel Rodriquez.
Emanuel Sà.
Emanuel Aluarus.
Emanuel Suarez.
Eudoxius Locatellus.
Eustachius à S. Paulo.
Erasmus à Cochier.

F.

Flaminius Parisius.
Ferdinandus Rebellus.
Felinus.
Ferentilius.
Franciscus Toletus Card.
Franciscus de Lugo.
Franciscus Curtius.
Franciscus à Victoria.
Franciscus Maior.
Franciscus Pegna.
Franciscus Ripa.
Franciscus Molina.
Franciscus Suarez.
Franciscus Siluest.
Franciscus Coriolanus.
Franciscus Bursattus.
Franciscus Echeranus.
Franciscus Gaietus.
Franciscus Ghislerius.
Franciscus Loogus.
Franciscus Penia.
Franciscus Zabarella.
Franciscus de Parigianis.
Franciscus Titelmanus.
Franciscus Turrianus.
Franciscus Cespedes.
Franciscus Ortiz.
Franciscus de Auila.
Franciscus Pelizarius.
Franciscus Pinellus.

G.

Gabriel Vasquez.
Gabriel Paleottus.
Gabriel Pereyra.
Gabriel Braccolus.
Galenus.
Gaspar Perusinus.
Gaspar Sanctius.
Gaspar-Anton. Thesaurus.
Geminus.
Genebraldus.
Genuinus.
Georgius Merulus.
Georgius Natta.
Gofredus
Gondizalez.
S. Gregorius Magnus.
Gregorius Garzias.
Gregorius Sayrus.
Gregorius de Valentia.
Gregorius Lopez.
Gulielmus Speculator.
Gulielmus Benedictus.
Gulielmus Budęus.
Gulielmus Cassiodorus.
Gulielmus Redouanus.

H.

Henricus Henriquez.
Henricus Gandauensis.
Henricus Hostiensis.
Henricus Canisius.
Henricus Kirchnerius.
Hermannus Busembau.
Hercules Marescottus.
S. Hieronymus.
Hieronymus Gratianus.
Hieronymus à Sorbo.
Hieronymus Genodo.
Hieronymus Fernandez.
Hieronymus Gabriel.
Hieronymus Gigas.
Hieronymus Gonzalez.
Hieronymus Gratus.
Hieronymus Magonius.
Hieronymus Lyamas.
Hieronymus Onuphrius.
Hieronymus Rodericus.
Homobonus de Bonis.
Hugo Cardinalis.
Hugo de S. Victore.
Hurtadus.
Hipolytus Bonacosa.
Horatius Mendoza.

I.

Iacobus de Grassis.
Iacobus Faber.
Iacobus Bennius.
Iacobus Menochius.
Iacobus Simanca.
Iacobus Sbroz.
Iacobus Puteus.
Iauellus.
Ioannes Andreas.
Ioachin Misinger.
Ioannes Magnus.
Ioannes de Friburgo.
Ioannes Lupus.
Ioannes Blectus.
Ioannes de Lugo Card.
Ioannes Duns Scotus.
Ioannes Gutierez.
Iannes Medina.
Ioannes Tabiensis.

Ioan.

Quorum nomina in his libris citantur.

Ioannes Baptista Corradus.
Ioannes Turrecremata.
Ioannes Salas.
Ioannes Viguerius.
Ioannes Capreolus.
Ioannes Maior.
Ioannes Azorius.
Ioannes Almaynus.
Ioannes Brunellus.
Ioannes Burfattus.
Ioannes Calderinus.
Ioannes-Baptista Caccia-lupus.
Ioannes Campegius.
Ioannes de Capistrano.
Ioannes Cochier.
Ioannes Costa.
Ioannes de-la-Cruz.
Ioannes Damascenus.
Ioannes Silua.
Ioannes-Petrus Surdus.
Ioannes Vuaierius.
Ioannes Baptista Viuianus.
Ioannes Driedo.
Ioannes Faber.
Ioannes Geminianus.
Ioannes de Grassis.
Ioannes de Indagine.
Ioannes-Paulus Lancellottus.
Ioannes Lodinus.
Ioannes Malderus.
Ioannes-Franciscus Leo.
Ioan. Antonius Massobrius.
Ioannes Picus Mirandula.
Iacobus Menochius.
Ioannes Narbona.
Ioannes Pineda.
Ioannes-Franciscus Purpuratus.
Ioannes Aloysius Riccius.
Ioannes Roias.
Ioannes-Antonius Rubeus.
Ioannes Sanctius.
Ioannes-Petrus Barchi.
Ioannes Possenuinus.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes-Petrus Moneta.
Ioannes Præpositus.
Ioannes-Baptista Scortia.
Ioannes à Lapide.
Ioannes-Franciscus Suarez.
Ioannes Caramuel.
Iosephus Hebræus.
Iosephus Scaliger.
Iosephus Sesse.
S. Isidorus.
Iulius-Camillus Ferretus.
Iulius Clarus.
Iulius Lauorius.
Iulius-Cæsar Madius.
Iustus Lipsius.

L.

Lactantius Firmianus.
Laertius Cherubinus.
Lambertinus.
Lancellottus Conradus.
Lapus.
Laurentius de Peyrinis.
Laurentius Portel.
Laurentius de Palacio.
Leo Papa.
Leonardus Lessius.
Leonardus Duardus.
Lelius Zechius.
Luca Florinus.
Luca Pistellus.
Lucius Flores.
Ludouicus Lopez.
Ludouicus Gomez.
Ludouicus Beya.
Ludouicus Molina Theol.
Ludouicus Molina I.C.
Ludouicus Miranda.
Ludouicus Barbosa.
Ludouicus Montesinus.
Ludouicus Paramas.
Ludouicus Carrocius.
Ludouicus Messia.
Ludouicus Romanus.
Ludouicus Velasq.

M.

Maiolus.
Marcus Antonius Cuchus.
Marcus Antonius Maceratensis.
Marcus Vidalis.
Marescottus.
Margarita Confessorum.
Marianus Socinus.
Marius Alterius.
Martinus Nauarra.
Marta.
Martinus del Rio.
Martinus Laudensis.
Marcellus Megala.
Martinus Fornarius.
Martinus Viualdus.
Martinus Beccanus.
Martinus Garzia.
Martinus Bonacina.
Martinus Vasquez.
Marcus Anton. Marsilius.
Marcus Antonius Natta.
Marcus-Anton. Peregrinus.
Marcus-Anton. Genuensis.
Marcus-Anton. Marsilius.
Matthæus Brunus.
Matthæus de Afflictis.
Melchior Canus.
Melchior Lotterius.
Melchior Zambranus.
Menantius.
Michael Salon.
Michael Medina.
Michael de Placio.
Michael Zanardus.
Moyses.
Molanus.
Monaldus.

N.

Nicolaus Eymerius.
Nicolaus Garzia.
Nicolaus de Lira.

O.

Octauianus Cacheranus.
Ckam.
Oldradus.
Onuphrius Panuinius.
Olaschus.

P.

Pax Iordanus.
Patritius.
Paulus de Essed.
Paulus Layman.
Paulus Fraxinellus.
Paulus Praecedus.
Paulus Squillan.
Petrus Nauarrus.
Petrus Binsfeldus.
Petrus Aureolus.
Petrus Damianus.
Petrus Rebuffus.
Petrus Ochagauia.
Petrus de Ledesma.
Petrus Paludanus.
Petrus de Aragona.
Petrus Comitolus.
Petrus de Castro.
Petrus Tholosanus.
Petrus Cenedo.
Petrus de Cabura.
Petrus Ancharanus.
Petrus Philippus.
Petrus Henriquez.
Petrus Follerius.
Petrus de Lorca.
Petrus à S. Ioseph.
Petrus Lombardus.
Petrus-Paulus Parisius.
Petrus Sanchez.
Petrus Soto.
Petrus de Vbaldis.
Picus Mirandulanus.
Pisanella.
Plato.
Policratius.
Pomponius.
Pontanus.
Porta.

Q.

Quintus Curtius.

R.

S. Raymundus.
Raphael Fulgosus.
Richardus de S. Victore.
Richardus de Mediauilla.
Repertor Inquisit.
Robertus Bellarminus Cardinalis.
Rolandus.
Rosella.
Rota Romana.
Ruinus.
Rutilius Benzonius.

Scipio

S.

Scipio de Rubeis.
Sebastianus Sapia.
Sebastianus Ximenes.
Sebastianus Gomez.
Sebastianus Acosta.
Seraphinus de Seraphinis.
Sixtus Quintus.
Sixtus Quartus.
Syluester.
Simeon Maiolus.
Stephanus Gratianus.
Stephanus Quaranta.
Stephanus Facundez.
Stephanus de Auila.
Sigismundus Scaccia.
Syluester.
Summa Pisanella
Summa Corona.
Summa Rosella.

T.

Tabiena.
Teophilatus.
Tertullianus.
S. Thomas Aquinas.
Thomas de Vico Caietanus.
Thomas Sanchez.
Thomas Zerola.
Thomas de Mercato.
Thomas Vualdensis.
Thomas Valascus.
Thomas Ælius.
Thomas Triuisanus.
Thomas Boninsignius.
Tiberius Decianus.

V.

Valerius Maximus.
Valerius Reginaldus
Vantius.
Vegetius.
Vgo Cardinalis.
Virgilius.
Viguerius.
Vincentius de Franch.
Vincentius Filliuccius.
Virginius Boccaccius.
Vmbertus Locatus.
Vuisembec.

DE HIERARCHIA ET IVRE *ECCLESIÆ MILITANTIS*

LIBER PRIMVS.

De Ecclesia, & prærogatiuis eiusdem.

TITVLVS I.

De origine Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia quotupliciter sumatur.*
2 *Quando sumpsit exordium.*
3 *Eius caput est Christus.*
† *Est vna, sancta, &c.*
4 *Cur dicatur sancta.*
5 *Catholica.*
6 *Apostolica.*
7 *Visibilis.*
8 *Habet plenitudinem potestatis.*
9 *Vicarius Christi est Petrus.*
10 *Est firmamentum veritatis.*
11 *Ad similitudinem triumphantis, habet plures hierarchias.*

1 ECclesia varijs modis sumitur. Primò, pro omni congregatione existentium in gloria Sanctorum, quæ Ecclesia triumphans appellatur *iuxta illud Psalmi 2.* Erit laus mea in Ecclesia magna. Secundò, pro vniuersitate alicuius regionis, vt ait *Apost. ad Rom. c. 21.* Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia. Tertiò, pro potentioribus, & maioribus Ecclesiæ *Apost. ad Ephes. cap. 3.* Vt innotescat principatibus, & potestatibus cœlestibus pro Ecclesia. Quartò, sumitur pro personis Ecclesię additis extrà gradum prælationis *Actu. cap. 15.* Placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia eligere vos ex eis. Quintò, pro maiori parte Clericorum, vt in capite *Apostolica dist. 66.* Sextò, pro solis Clericis, aut pro Canonicis Ecclesiæ Cathedralis. *cap. cum Clerici de verb. significat.* Vltimò, pro vnione fidelium facta in fide catholica, cuius caput est Christus; cæteri verò Christiani, membra, quæ Ecclesia militans dicitur.

2 Hæc Ecclesia militans post primi hominis lapsum, vt declarat Gregorius *in Math.* ab Abel iusto sumpsit exordium his verbis, Qui habet vnicam, vniuersalem, scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi venturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit.

3 Huius Ecclesiæ fundamentũ, & caput est Christus, qui huius fũdator est, & Rector, quatenùs Deus & homo. Ecclesia autem est vna, sancta, Catholica, Apostolica, & visibilis Ecclesia: Dicitur vna, quia in ea est vna fides, vna spes, vna charitas, & vna expectatio patriæ cœlestis. Ità *Ag. psalm. 85.* re vera vnitas Ecclesię consistit in professione vnius, & eiusdem fidei, Baptismi, & Sacramentorum sub vno visibili capite, videlicèt Romano Pontifice. Vnde qui sunt intrà Ecclesiam, eisdem legibus, & pręceptis communibus tenentur, quia Ecclesia est vna collectio credentiũ in Christo sub Euangelio.

4 Dicitur enim Ecclesia sancta à sanctitate fidei, & doctrinæ sacrificiorũ, & sacramẽtorum; dicitur sancta, quia diuinitùs vocata ad vitæ sanctitatem, tùm etiam quia est firma, & stabilis Deo consecrata. Itẽ dicitur sancta, quia extrà ipsam nullus saluatur, & in ipsa viuentes salui fiunt; vltimò, quia in ea nunquã defutura sit diuinę gratię sãctitas, & quãuis in Ecclesia sint multi peccatores; sãcta, nihilominùs dicit Ecclesia à potiori, nobiliori, & digniori parte.

5 Ecclesia dicitur catholica, quia est vniuersalis in toto orbe, vnde Isid. *lib. 1. de offic.* ita dicit, Catholica verò dicitur, quia per vniuersum orbem est constituta: item dicitur vniuersalis, quoniam in omni gente, natione, populo, sexu, conditione, &c. longè, lateque patet. Vnde August. *lib. 8. cap. 86. contra Crescentium*, Nec eos audiamus, qui sanctam Ecclesiam, quæ vna catholica est, negant per orbem esse diffusam.

6 Similiter Ecclesia, Apostolica dicitur, quia est fundata in sanguine Apostolorum, & eorum doctrina sit imbuta, quoniam legitima est successio Episcoporum à temporibus Apostolorum, ad hæc vsque tempora deducta, & quia Apostolorum fidem, & doctrinam continet. Vndè Apostoli fundamenta Ecclesiæ, Magistri, Patres, & Pastores dicuntur.

7 Visibilis dicitur Ecclesia, quia vnius fidei professione militat sub vno visibili capite, videlicèt Summo Pontifice, qui est Petri successor, super quem Christus ædificauit Ecclesiam.

8 Habet ista Ecclesia plenitudinem potestatis, vndè qui ei in aliquo derogat, est hæreticus: habet certitudinem in definiēdis rebus fidei, in scripturis sacris cognoscendis, & earum sensibus tradendis.

9 Christus ascensurus ad Patrem, Petrū in Ecclesia Vicarium reliquit, qui vice sua in terris sustineret, quando repetitis verbis, hęc illi dixit: *Simon Ioannis diligis me?* & ille respondit, *Etiam Domine tu scis, quia amo te*; & quia hæc verba soli Petro dixit: Idcircò ostenditur, Petrum super omnes Apostolos habere primatum, & potestatem, immediatè à Christo, & iurisdictionē. Cæteros verò Apostolos, mediatè à Christo, & immediatè à Petro, & ideò Papatus est de iure diuino à Christo in personam Petri institutus, sicut & potestas eidem ab eodem Christo data est: Apostolis successerunt Episcopi, & in potestate data Petro successerunt Episcopi: Quam habeant potestatem in Ecclesia Pontifices, & Episcopi infrà dicetur suo loco.

10 Ecclesia catholica vocatur ab Apostolo columna, & firmamentum veritatis, eò quòd ab ipso Domino Iesu Christo, ac Spiritu sancto condita illi omnem veritatem in dies suggerente, & retinuit, & ad finem sæculi conseruabit; aduersùs quam portæ inferi non præualebunt. Promisit Christus Apostolis, & in illis toti Ecclesię, Spiritum sanctum affuturum, qui doceret omnem veritatem, & ideò dixit Petro, *Ego rogaui pro te, vt nō deficiat fides tua*, rogans enim pro Petro, pro omnibus rogare dignoscitur, & idcircò vera, & catholica Dei fides nunquam in Ecclesias defectura, sed in veritate vsque in finē mundi permansura, quia non habet nec maculam, nec rugam, nec eam habere potest. Ratio est, quia doctrina Apostolica, siuè scripto, siuè voce tradita, sine vlla interruptione, ad hæc vsq; tēpora seruatur.

11 Sicut Ecclesia triumphans tres habet Hierarchias, quarum prima est Angelorum, qui in Dei vestibulo collocantur, in qua sunt tres chori, qui immediatè à Deo recipiunt illuminationes, & reuelationes diuinorum mysteriorum. Secunda Hierarchia est aliorum Angelorum, qui sub prima Hierarchia sunt, & à Deo, illis mediantibus, recipiunt reuelationes, &c. Et isti easdem infundūt ad tertiā Hierarchiā inferiorem, à qua homines illuminantur, & isti mittuntur nuncij ad homines: Ad istius similitudinem facta est Ecclesia militans, in qua fideles Dei suis legibus militant, qui pariter tres Ordinum gradus habet; primus est maiorum Prælatorum, Cardinalium scilicet, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum: secundus, minorum Prælatorum, & aliorum Sacerdotum: tertius ordo est omniū fidelium, qui in tres alios gradus diuiduntur, Virginum, Continentium, & Coniugatorum, de quibus suo loco.

TITVLVS II.

De Fide Ecclesiæ Militantis.

SVMMARIVM.

1 *Fides quid sit.*
2 *Duplex.*
3 *Præceptum Fidei duplex.*
4 *Fideles tenentur scire præcepta contenta in symbolo.*
5 *Præceptum Fidei partim est naturale, & partim Ecclesiasticum.*
6 *Fidelis quando teneatur elicere actum Fidei.*
7 *Aliquando tenetur Fidem exterius confiteri.*
8 *Tenetur ex præcepto negatiuo abstinere à dictis &c. contrà Fidem.*
9 *Interrogatus de Fide, quando teneatur respondere.*

1 PRima prærogatiua Ecclesiæ Militantis est Fides. Fides est Virtus Theologica à Deo infusa, per quam firmiter assentimur ob Dei auctoritatem, ijs, quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita, vt à nobis credantur, cuius obiectum est duplex, vnum materiale, & alterum formale; obiectum materiale sūt omnia, quæ proponūntur credenda ab Ecclesia tamquàm à Deo reuelata; Obiectum formale est Deus quatenùs verax.

2 Fides est duplex, vna explicita, & altera implicita. Fides explicita, est quando aliquid creditur in particulari, & in se ipso. Implicita quando aliquid creditur non in particulari, & in se ipso, sed in aliquo alio. Fides accepta pro actu credendi explicitè aliquod supernaturale obiectū, omnibus rationis vsum habētibus, ad cōsequendam salutem est necessaria necessitate medij, cùm sine Fide, impossibile sit aliquem iustificari. *Concil. Triden. Sess. 6. cap. 8.* Fides actualis non modò est necessaria necessitate medij, sed etiam præcepti cùm quilibet teneatur assumere medium necessarium sibi ad salutem.

3 Præceptum Fidei est duplex, vnum affirmatiuum, & alterum negatiuum: præceptum affirmatiuum est, quo præcipitur aliquid

quid

quid credere: præceptum negatiuum est, quo præcipitur, vt non dissentiamus ei rebus Fidei: præceptum affirmatiuū obligat solùm in aliquo determinato tempore; præceptum negatiuum obligat semper, & & ad semper.

4 Omnes fideles tenentur scire, & credere præcepta contenta in symbolo secundùm substantiam, Pastores verò tenentur ea scire, & secundùm substantiam, & secundùm significationem vocis: tenentur etiam fideles scire postquam ad vsum rationis peruenerint, substantiam Sacramētorum, quæ recipere tenentur Ban. 2. 2. *quæst. 2. artic.* 8. Val. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *p.* 5. *& alij.*

5 Præceptum credendi res Fidei partim est naturale, quatenus refertur ad ea obiecta, quorum Fides est necessaria necessitate medij, partim est Diuinum positiuum respectu obiectorum, quorum Fides est tantùm necessaria ex præcepto Dei, partim est etiam Ecclesiasticum respectu obligationis, qua homines tenentur scire Symbolum Apostolicum, & Præcepta Ecclesiæ, Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *quæst.* 2. Bana. 2. *quæst.* 2. *Articul.* 8. *& alij.*

6 Tenentur fideles elicere actum Fidei, quando aliquis articulus ei sufficienter proponitur, quia tūc præceptum obligat; Infantes verò, quando peruenerunt ad vsum rationis, tenentur elicere actum Fidei, quando mysteria ipsius audiunt; Item tenetur fidelis elicere actum Fidei quando tenetur se ad eum conuertere, & gratiam recuperare. Item, quando periculum est incidendi in aliquod peccatum. Tenetur etiam elicere actum Fidei quando Fides exteriùs tenetur confiteri, quam non potest confiteri absque interno actu Fidei. Item tenetur in articulo mortis quatenus homo tenetur se ad Deum conuertere per actum contritionis. Val. 2. 2. *Dis.* 1. *quæst.* 2. *p.* 5. Azor. *loco cit. quæst.* 6. Laim. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. *& alij.*

7 Tenetur fidelis, ex præcepto affirmatiuo aliquandò fidem exteriùs confiteri. Primò, quando quis in odium Fidei interrogatur, tunc tenetur eidem Fidem confiteri etiamsi adsit periculum vitæ. Secundò, quando ex confessione Fidei probabiliter creditur futura cōuersio infidelium. Tertiò, quando ex silentio subtraheretur honor Deo debitus, & fides infirmorum periclitaretur, vel nos ipsi, versaremur in periculo negandi fidem. Ita Val. *tom.* 3. *Disp.* 1. *quæst.* 3. *p.* 2. Ban. 2. 2. *quæst.* 2. *Art.* 8. Sil. *verb. Fides num.* 8. *& alij.*

8 Ex præcepto negatiuo tenetur quilibet abstinere à dictis, & factis, quibus vera Fides negatur, vnde qui diceret, se non esse Christianum, vel esse Turcam, peccaret contra Fidem. Item, qui vritur versibus, aut signis protestatiuis alicuius falsæ Religionis. Secùs verò dicendum si non essent protestatiua falsæ Religionis, sed essent indifferētia. Item qui interiunt Ceremonijs, & Hæreticorum animo confutandi, vel notandi ipsorum ceremonias, non faciunt contra præceptum negatiuū, quia ille accessus est indifferens, & non est signum protestatiuum religionis. Item non facit contrà præceptum negatiuum Fidei, qui metu mortis comedit carnes feria sexta, aut Sabbato, quia esus carnium non est signum protestatiuum hæresis, & infidelitatis, sed res indifferens, Azor. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 3. Fil. *tract.* 22. *cap.* 3. *nu.* 34. *& alij*; nec facit contra præceptum negatiuum, qui Clericū, vel Sacerdotem negat se esse: Ratio, quia licèt neget statū Clericalem, &c. Non tamen negat religionem. Secus verò si negaret se esse Papistam, &c.

9 Interrogatus de fide à priuata persona non tenetur ex præcepto affirmatiuo respondere, se esse Christianum, vel Catholicum, sed potest reticere, etiamsi ex alia reticētia astantes conijciant nō esse Christianum; ratio, quia quando interrogatio fit à priuata persona, non censetur subtrahi honor Deo debitus. Azor. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 1. Sanchez *in Sum. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Secùs dicendum, si ex silentio fides periclitaretur, aut proximus pateretur scandalum.

PARAG. I.

Decreta Summorum Pontificum.

De Fide.

1 Ad fidei Professionē tenentur promoti ad Cathedrales, & de quibuscunque Canonicatibus, & Beneficijs Ecclesiasticis prouisi, & ad gradus Doctoratus, Lecturas, &c. & est inserenda de verbo ad verbum in Instrumēto, ac Litteris Doctoratus. Plus IIII. *in Const.* 88. *incip. in Sacrosancta, Idus Nouembris* 1564.

2 Fidei Professionem tenentur facere prouisi de Monasterijs, Conuentibus, &c. quorumcumque Ordinum etiam Militarium, Pius III. *Const.* 89. *incip. iniunctum, Idib. Nouembris* 1564.

TITVLVS III.

De Primario Articulo Fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm.

De Summa Trinitate.

SVMMARIVM.

1 *Primarius articulus Fidei, est credere, Deum esse Trinum, &c.*

1 Primarius articulus est credere, Deum esse Trinum, & Vnum, est substantia Trinitatis articuli, Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & hos non esse tres Deos, sed vnum. De qua Trinitate nihil aliud dico, nisi illud, quod Diuus Athanasius proponit Christifidelibus credendum his verbis. *Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur; Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia enim*

enim est persona Patris. Alia Filij, & Alia Spiritus Sancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna est Diuinitas, aequalis Gloria, coaeterna Maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, Increatus Filius, Increatus Spiritus Sanctus. Immensus Pater, Immensus Filius, Immensus Spiritus Sanctus. Æternus Pater, Æternus Filius, Æternus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Æterni, sed vnus Æternus. Sicut non tres Increati, nec tres Immensi, sed vnus Increatus, & vnus Immensus; & reliqua quæ dicuntur in Symbolo, ad Trinitatem spectantia.

P A R A G. I.

Textus Sacrorum Canonum.

De Sancta Trinitate.

S V M M A R I V M.

1 *Explicantur articuli Trinitatis.*
2 *Damnatur Doctrina Ioachimi Abbatis.*
† *Recipitur Doctrina Petri Lombardi.*
† *Damnatur Doctrina Almarici.*

1 EXplicantur Articuli eiusdem Trinitatis, nimirùm, quòd Deus sit vnus in essentia, Omnipotens, Æternus, & Creator omnium rerum corporalium, & & incorporalium; sit Trinus in personis, ita vt Pater à nullo sit, sed semper generans, & spirans; Filius à solo Patre sit genitus, sed semper spirans; & Spiritus Sanctus ab vtroque procedens. Et quod Filius à tota Trinitate Incarnatus; & Spiritus Sancti cooperatione ex Beatissima Virgine Maria conceptus, ex eaque natus secundùm carnem passibilis, inpassibilis secundùm Diuinitatem pro nostra, omniumque salute mortuus sit &c. *Ex Cap. Firmiter, de Sancta Trinitate.*

2 Damnatur Doctrina Ioachini Abbatis existimantis vnitatem Trinitatis non esse veram, nec propriam, sed collectiuam, & † similitudinariam. Recipitur in eodem capite Doctrina Petri Lombardi asserentis, Quod quędam summa res, idest natura est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa res, idest natura non est generans, genita, vel procedens, sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, & quamuis alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; Non tamen aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus. Sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus; † Item omninò doctrina Almarici tamquam hæretica, & insana damnatur in eodem capite *Damnamus*.

P A R A G. II.

S V M M A R I V M.

1 *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio aeternaliter procedit.*

1 SPiritus Sanctus æternaliter à Patre, & Filio tanquā ab vno principio, & vnica inspiratione procedit, & præsumentes contrarium dicere damnat, Gregorius X. *in Consil. Lugd.* vt colligitur ex *cap. fideli vnic. De Summ. Trin. in 6.*

T I T V L V S IIII.

De Secundario Articulo Fidei Ecclesiæ Militantis nimirùm.

De Incarnatione Christi.

S V M M A R I V M.

1 *Secundus articulus Fidei est credere, quod Verbum Dei factum sit Caro.*
2 *Persona Christi est composita ex Diuinitate, & Humanitate.*
3 *Incarnatio Christi non fuit simpliciter necessaria ad salutem.*
4 *Per Vnionem hypostaticam nullus fuit productus modus substantialis.*
5 *Humanitas Christi existit per existentiam Verbi.*
6 *Vnio duarum naturarum quomodo fuit facta per gratiam.*
7 *Humanitas Christi non meruit de condigno vnionem hypostaticam, &c.*
8 *Verbum Diuinum assumpsit veram Animam humanam, &c.*
9 *In assumptione Humanitatis, licèt nulla intercesserit mora, tamen inter partes fuit seruatus ordo naturæ.*

1 SEcundarius articulus Fidei Ecclesiæ Militantis, est credere, Verbum Dei Carnem factum esse: idest quod Filius Dei per Incarnationem assumpserit humanam naturam, quæ vnio, siue assumptio nō fuit facta in natura Diuina, sed in persona Christi; & per consequens de Fide esse, Christum constare duabus naturis, Diuina scilicet, & humana in eadem persona Verbi vnitis, propositio habetur definita in *Consil. Calcedonensi act. 5.* Vbi sic dicitur. Sequentes Sanctos Patres confitemur eundem Dominum nostrum Iesum Christum perfectum in Deitate, eundem perfectum in Humanitate, Deum verè, & Hominem verè. Quod etiam cōstat ex pluribus alijs Consilijs, & Sanctis Patribus. Quod verò vnio fuerit facta personæ, & Hypostasi Christi, patet, quia cum non fuerit facta in natura Diuina, vt fuit dictum necesse, sequitur quod fuit facta in persona, quia si non fuisset facta in persona, nullo modo vniretur Verbo.

2 Persona Christi post Incarnationem verè, & propriè est composita ex duabus naturis, scilicet ex Humanitate, & Diuinitate, & sic asseritur in Sacris Consilijs, & Decretis Summorum Pontificum, *& S. Aug. 3 de Trinit. cap.* 1. dicit, Ex duabus substantijs facta fuit vna Persona. Item Persona Christi est composita ex humanitate, & Verbi supposito; & per consequens, persona Christi est verè composita ex personalitate, & humanitate Verbi, & patet, quia ex personalitate Verbi, & humanitate vnitis resultat vnum per se, nempè Christus, sicut ex humanitate, verbi gratia, Petri, & eius personalitate resultat vnus homo nimirùm Petrus verum

rũ esse propositiones, Filius Dei est compositus; Verbum Diuinum est persona composita, non sunt simpliciter concedendæ, sed cum addito, scilicet, Filius Dei, quatenus homo, est persona composita, *Ita Medina in 3.*

3 Incarnationem Christi non fuisse simpliciter necessariam ad reparationem humani generis, quia Deus per suam omnipotentem Virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare, vt gratis dimittendo debitum, aut acceptando satisfactionem puri hominis. Ad melius esse, & conuenientius reparandam humanam naturã, necessarium fuit, Verbum Incarnari, quia per mysterium Incarnationis magis promouetur homo in bonum Fidei, Spei, & Charitatis Diuinę, quę per Incarnationẽ Verbi maximè excitantur: tùm etiã quia per Verbi Incarnationem pertingit homo ad plenã participationẽ Diuinitatis, quæ vera est hominis beatitudo, & finis humanæ vitæ, quia vt dicit D. Aug. *Serm. Non. de Natiuit. Domini*, factus est Deus Homo, vt Homo fieret Deus.

4 Per Incarnationem, siuè vnionem hypostaticam nullus fuit productus modus substantialis ab ea natura rei distinctus, sed natura humana, & Verbum se ipsis vniuntur, absque eo, quod interueniat prædictus modus substantialis, vel aliquid aliud creatum per quod actualiter, & formaliter coniungãtur: Ratio, quia ille modus substantialis, qui in Humanitate Christi constituitur, non pertinet ad essentiam eiusdem Humanitatis, vel ad propriam eius subsistentiam, vel existentiam, nec etiam est idem entitatiuè cum eadem essentia, subsistentia, existentia, ergo &c. Antecedens probatur, nam essentiæ, vel quãtitates rerum non dependent ex tempore, vel ex aliqua causa efficiente, ergò non pertinet ad essentiam humanæ naturæ, cũ ille modus depẽdeat ab exactione Diuina tanquàm ex causa efficiente. Quod autèm non pertineat ad propriam eius subsistentiam, aut existentiam, nec idem sit entitatiuè cum illa, probatur; Nam secundùm Fidem Catholicam, Humanitas Christi non habet propriam subsistentiam; sed immediatè subsistit per subsistẽtiam Verbi. Item non habet propriam existentiam creatam, per quam existat extrà suas causas, sed immediatè existit per existentiam Verbi. Relinquitur ergò, quòd si ille modus substantialis sit idem entitatiuè cum altero extremo, idem efficitur entitatiuè cum persona Verbi, quod est impossibile, quia nullus modus substantialis potest realiter identificari cum substantia, & insistentia increata, ergò &c.

5 Humanitas Christi de facto existit immediatè per existentiam Verbi absque propria, & connaturali existentia, quam opinionem sequuntur ferè omnes Thomistæ. Ratio est, quia vnio humanitatis ad Verbum non est accidentalis, sed verè, & propriè, est substantialis, Ergò in persona Christi composita, quæ ex hac opinione resultat, repellitur dumtaxat vnum esse substantiale. Nam ex duobus entibus in actu non potest resultare vnum per se. Item per potentiam Dei absolutè fieri nõ poterit, vt Verbum Diuinum assumeret, humanitatem existentem propria existentia creata. Ratio, quia suppositum est vnicum, & immediatum subiectum susceptiuũ existentiæ, ergò vt humanitas recipiat existentiam, & existat, necesse est, vt prius subsistat personalitate propria, vel Diuina, sed humanitas cum propria personalitate non est assumptibilis à Verbo, ergò, & humanitas existens priùs propria existentia, non erit assumptibilis à Verbo.

6 Vnio duarum naturarum in Christo fuit facta per gratiam, si gratia sumatur pro gratuita Dei voluntate, si verò nomine gratiæ, intelligatur gratia habitualis, vnio duarum naturarum non fuit facta per gratiam. Ita *D. Thom. p. p. quæs. 12. Artic. 5.* Et licet verum sit, quod potentia, quę eleuatur ad actum superioris ordinis, necesse sit, quod disponatur dispositione, quæ excedat suã naturam; & ideò Intellectum creatum indigere Lumine Gloriæ, quo disponatur, vt Essentia Diuina in ratione speciei Intelligibilis vniatur illi, quę tamẽ dispositio non requiritur in exaltatione humanæ naturæ ad esse personale Verbi cum sit exaltatio, ad esse simpliciter, quod non præsupponitur ante exaltationem. Subleuatio verò intellectus ad Visionem Beatificam non est eleuatio ad esse simpliciter, sed solùm ad tale esse, & ad operationem supernaturalem, quæ est actus vitalis à potentia vitali ordinis supernaturalis producta, vndè ante esse Beatificum, & operationem Beatificam præintelligitur esse simpliciter in potentia, quæ debet exponi, vt in ratione speciei intelligibilis habeat vnitam sibi Essentiam Diuinam, sine qua Deus clarè videri non potest, & & ex alia parte Intellectus sine Lumine Gloriæ non habet rationem potentiæ proximè in ordine ad visionem Beatificã. Vndè nisi disponatur, & constituatur in ordine occasionis proximę per Lumen Gloriæ, impossibile est, vt Essentia Diuina in ratione speciei intelligibilis vniatur illi, sicut species visibilis in ratione speciei nõ potest vniri cũ lapide, quia nõ habet potentiã in ordine ad actũ visionis.

7 Humanitas Christi non meruit de condigno per bona opera, etiam ordine naturæ tantùm antecedentia vnionem hypostaticam cum Verbo. Ratio quia mysterium Incarnationis est simpliciter gratia, & donum gratuitum; & per consequẽs censetur donata absque alijs præcedentibus meritis: Quia vt ait Apostolus, *Rom. 11.* Si ex operibus iam gratia non est gratia, nec etiam de congruo, meruit Humanitas Christi vnionem hypostaticam cum Verbo: Ratio, quia omnis operatio etiam de congruo meritoria alicuius pręmij necessario præsupponit in facto esse, in causa efficiente, sed Humanitas Christi non habuit esse subsistentiæ, vel existẽtię prius

natura quam vniretur Verbo, ergo nullã habuit actionem meritoriam etiam de congruo suæ vnionis cum Verbo; Nam de facto vt causa efficiens operetur debet habere non solùm existentiam; sed etiam subsistentiam, quia actiones sunt suppositorum. Vt ait Damas. *Lib. de Fid. Ortod. cap. 11*, sed secundum Fidem Catholicam Humanitas Christi prius natura, quam vniretur Verbo nullam habet subsistentiam cum solum subsistat per subsistentiam Verbi, Ergo &c.

8 Verbum Diuinum non solùm assumpsit veram Animam humanam, & rationalẽ, vero etiam corpus ex carne, & ossibus cõstans, itemque sanguinem, & alios humores, Quod assumpserit corpus; & animam est de Fide; & ita habetur in Sacris Concilijs, Quod etiam assumpserit Sanguinem, & humores corporis; patet etiam, quia spectãt ad integritatem corporis, & Christus assumpsit corpus perfectè.

9 In assumptione humanitatis nulla incessit temporis duratio, aliquis tamen ordo naturæ inter partes assumptas seruatus fuit, quia anima rationalis prius natura fuit assumpta à Verbo, quam caro. Secus tamen dicendum de ordine executionis nam assumptio animæ supponit illius creationem, & animæ creatio supponit corpus, cui infundatur, & organis distinctum, & per consequens &c. Ita D. Petrus à S. Ioseph. *Id. Theolo. speculatiuæ lib. 2. cap. 12. resol. 4.* Tùm etiam quia nec anima, nec corpus prius existit, quam fuerit animæ vnitum, & nec prius extiterunt, quam Verbo vnirentur; & ideò nulla intercessit temporis duratio in assumptione Humanitatis cum in instanti formationis animæ, & corporis sint vnita Verbo.

TITVLVS V.

De Tertio Articulo Fidei Ecclesiæ Militantis nimirum.

De Passione, & Morte Christi.

SVMMARIVM.

1 *Tertius Articulus Fidei.*
† *Quomodo fuerit necessaria.*
2 *Ratione præscientia fuit necessaria.*
† *Fuit iste modus conuenientior cæteris.*
3 *Anima Christi tota secundum Essentiam passa est.*
† *Secundum potentias interiores patiebatur, &c.*
4 *Christus passus est ex obedientia.*
† *Voluntariè passus est.*
5 *Per suam Passionem meruit salutem omnium.*
6 *Passio Christi fuit superabundans.*
7 *Christus operatus est salutem per modum satisfacty.*
8 *Christus verè dicitur Redemptor.*
9 *Nos redemit per suam Passionem.*
† *Nos liberauit a pœna debita pro peccatis.*
10 *Diuinitas per Passionem non fuit separata ab Anima, &c.*
11 *Christus post Mortem descendit ad Inferos, &c.*
† *Sanctos Patres liberauit, absoluẽdo eos à reatu pœnæ.*

1 TErtius Articulus Fidei Ecclesiæ Militantis est credere Christum Incarnatum pro salute humana, multa opprobria fuisse passum sub Principibus Sacerdotum, sub Herode, & sub Pontio Pilato Iudeæ Præside, non modo fuisse passum opprobria &c. verum etiam morte, Vero non fuit necessarium absolutè, & necessitate coactionis, sed solum ex suppositione Voluntatis Diuinæ Christum pati. Ratio primæ partis est, quia tàm ex parte Dei; quàm ex parte hominis possibile fuit aliter se habere, & aliter humanam naturam restaurari. Ratio secundæ partis est, quia Deus qui definiuit Christũ pati non potest cogi, & ipse Christus voluntariè passus est, oblatus est enim quia ipse voluit, fuit tamen necessarium Christum pati pro salute humana necessitate suppositionis, & hac necessitate Christus dicit oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis, &c.

2 Licet Passio, & Mors Christi non fuerit absolutè necessaria pro reparatione vitæ humanæ cum aliter potuerit humanam naturam reparare, supposita tamen præscientia, & præfinitione Dei Passio, & Mors Christi fuit necessaria, cum impossibile sit præfinitionem, & præscientiam
† Dei falli, tum etiam quia isto modus censetur conuenientior; Cæteris autem modis possibilibus. Primo, quia isto modo cognoscitur quanto Deus diligat hominem, & per hunc prouocatur ad eum diligendum. Secundò, quia isto modo Deus nobis dedit exemplum obedientiæ, humilitatis, & aliarum virtutum. Tertiò, quia Christus per Passionem suam non solum hominem à peccato liberauit, sed etiam gratiam viuificantem, & gloriam Beatitudinis ei promeruit; & ideo conuenientissimum fuit Christum pati in Cruce; Primo propter exemplum virtutis. Secũdò quia hoc genus mortis, maximè conueniens erat satisfactioni pro peccato primi Parentis; Item propter alias rationes relatas à Sancto Thoma *parte 3. quæst. 66. Artic. 4.*

3 Anima Christi tota secundum Essentiã passa est. Ratio quia tota Essentia animæ coniungitur corpori; & per consequens patiente corpore tota anima patiebatur;
† Item Anima Christi in Cruce secundum omnes potentias interiores patiebatur passionibus proprijs illarum potentiarũ, & ideo quia suppositũ Christi passum fuit non ratione Diuinæ Naturæ, sed Humanæ; idcirco passio pertinet ad suppositum non ratione Diuinæ Naturæ, sed Humanæ.

4 Christus passus, & mortuus est in Cruce ex obedientia, iuxta illud Diui Pauli factus est obediens Patri vsque ad mortem,
† & ideò passus est non coactè, sed voluntariè ex obediẽtia Patris. Primo ex eo quod Pater secundum suam voluntatem æternam præordinauit Passionem Christi ad humani generis liberationem. Secundò, in quanto inspirauit ei voluntatem patiẽdi pro nobis; Tertio non protegendo eum à passione, sed exponendo persequẽtibus,

tibus, iuxta illud Psalmi *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me*.

5 Christus per suam passionem non solũ sibi meruit, sed etiam omnibus suis membris salutem. Ratio quia Christo fuit data gratia non solum vt singulari personæ, sed etiam vt capiti Ecclesiæ, ergo Christus per suam passionem non solum meruit sibi, sed etiam omnibus suis membris, Sal.

6 Passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis, quia Christus patiendo magis exhibuit, quam exigerit offensa humani generis, & ideo non solum sufficiens fuit, sed etiam superabundans, antecedens patet, & magnitudine Charitatis ex qua patiebatur. Secundò ex dignitate vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat; quæ erat vita Dei, & hominis. Tertiò ex generalitate passionum, & magnitudine doloris assumpti.

7 Christum esse operatum salutem per modum Sacrificij; & ideò Passio Christi fuit verè, & propriè Sacrificium, iuxta D. Paulum *Ephes.* 5. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in honorem suauitatis; tum etiam quia omne tempus, quod agitur vt Charitatẽ inhæreamus Deo relatum ad ipsum Deũ, est vnum Sacrificium, sed Christus sustinendo passionem voluntariè egit opus acceptissimum, ergo &c. Maior patet ex D. Augustino.

8 Christum verè dici Redemptorẽ humanæ naturæ, quia Sanguine suo tanquam pretio redemit ipsam; & ideò ad *Gall.* 3. Paulus dicit Christus nos redemit de maledicto Legis, & quia Christus nos redemit suo Sanguine, idcirco dicitur Redemptor immediatus, Pater verò qui dedit ipsum, Redemptor mediatus.

9 Per Passionem, & Mortem suam Christus nos redemit, & lauit nos à peccatis Sanguine suo. Item liberauit nos à potestate Diaboli, iuxta illud *Ioan.* 12. Nunc Princeps huiusmodi eiicietur foras, & egò si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Item nos liberauit à pœna debita pro peccatis, iuxta illud *Is.* 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, quia passio Christi fuit superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis. Item passio Christi est causa nostræ reconciliationis ad Deum. Ideò Apos. *ad Rom.* 6. Reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius; aperuit etiam nobis Ianuam Cœli, quia abstulit omne peccatum prohibens homines ab ingressu; ideò conuenientissimum fuit Christum mori in Cruce ad satisfaciendum pro humano generi, quod erat morte adiudicatum propter peccatum. Item ad ostendendum veritatem naturæ assumptæ; & vt moriendo nos à timore mortis liberaret; & vt à mortuis resurgẽdo, & virtutem suam ostẽderet, qua mortem superauit, & nobis resurgendi spem à mortuis daret.

10 Licet ad mortem fuerit Anima Christi separata à Corpore, non tamen fuit Diuinitas separata ab Anima Corpore, & Sanguine, iuxta illud Damasceni, quod semel assumpsit nunquam dimisit, & quia Anima fuit separata à Corpore, idcirco verè fuit mortuus, & in triduo suæ sepulturæ non fuit simpliciter Homo, sed Cadauer, & est Articulus Fidei; Non tamen in Sepulcro fuit corruptum, iuxta illud *Psalmo* 15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, & quia putrefactio procedit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non potest amplius corpus cõtinere in vnum; & ideò Christus ne mors eius infirmitati inscriberetur, noluit corpus suum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque resolui, sed ad ostensionẽ Virtutis Diuinæ voluit corpus illud incorruptum permanere.

11 Christus post mortem ad infernum descendit, quia sicut conueniens fuit eũ mori, vt nos à morte liberaret, ita conueniẽs fuit eum ad infernum descendere, vt nos à descensu ad inferos liberaret, non tamen descendit ad inferos damnatorum, quia nulla est conuentio lucis ad tenebras, & cum Christus sit lux ad infernum damnatorum non descendit. Descendens Christus ad inferos Sanctos Patres liberauit absoluendo eos à reatu pœnæ, iuxta illud *Zacha.* 9. Tu verò in Sanguine testamenti tui eduxisti eunctos de lacu, in quo non erat aqua. Non tamen liberauit pueros, qui cum solo peccato originali decesserunt, Ratio quia descensus Christi ad inferos, solum effectum habuit liberationis in solis illis, qui per fidem, & charitatem coniuncti erant passione Christi; sed pueri habentes peccatum originale non erant sic coniuncti Christo, ergo Christus eos non liberauit, quia non poterant admitti ad Gloriam.

TITVLVS VI.

De quarto Articulo Fidei Ecclesiæ Militantis nimirum.

De Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi.

SVMMARIVM.

1 *Necessarium fuit Christum resurgere propter quinque.*
2 *Necessaria fuit mora inter Mortem, & Resurrectionem, vt fides Resurrectionis confirmaretur.*
3 *Corpus Christi in sua Resurrectione fuit gloriosum propter quinque.*
4 *Quare Anima Christi reassumpserit corpus cum cicatricibus.*
5 *Resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis.*

1 NEcessarium fuit Christum resurgere propter quinque. Primò, ad commendationem Diuinæ Iustitiæ ad quem pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant. Secundò ad fidei nostræ instructionem, quia per eius resurrectionem confirmata est fides nostra ci-

tra

tra Diuinitatem Christi. Tertiò ad subleuationem nostræ spei, Quia dùm videmus Christum resurgere, quia est caput nostrum speramus, & nos resurrecturos. Quartò ad informationem vitæ fidelium. Quintò ad complementum nostræ salutis, quia sicut moriendo mala sustinuit, vt nos a malis liberaret. Ita glorificatus est resurgendo, vt nos promoueret ad bona.

2 Necessaria fuit mora inter mortem, & resurrectionem, vt confirmaretur fides de veritate humanitatis; & mortis eius. Si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset quòd eius mors non fuerit; & per consequens nec resurrectio vera; & ideò satis fuit ad veritatem mortis manifestandam, quòd eius resurrectio ad tertiam diem differretur; & quia Diuinitas non fuit separata à Corpore; & ab Anima, Virtute illius Diuinitatis, Corpus reassumpsit Animam, & anima reassumpsit corpus, & sic Christus propria virtute resurrexit, vnde corpus ab anima reassumptum est idem numero corpus, quod in Cruce mortuum est cum suis ossibus, qui in Cruce &c. effusus fuit.

3 Corpus Christi in sua resurrectione fuit gloriosum. Primò quia resurrectio Christi est exemplar nostræ resurrectionis. Secundò quia per humilitatem passionis meruit gloriam resurrectionis. Tertiò quia in resurrectione anima transfudit in corpus gloriam, quam habebat à principio suæ Conceptionis.

4 Anima Christi reassumpsit corpus cum suis cicatricibus propter gloriam ipsius Christi. Secundò ad confirmanda corda Discipulorum. Tertiò vt patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro hominibus pertulerit, semper ostēdat. Quartò vt sua morte Redemptis, quam misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indicijs denunciet. Vltimò in iudicio quam iustè damnentur, ibidem denunciet.

5 Resurrectio Christi est causa resurrectionis corporis, & animæ; & ideò Sanctus Paulus *Rom.* 4. dicit: Resurrexit propter iustificationem nostram; & ideò resurrectionem Christi habere instrumentaliter virtutem effectiuam, non solum respectu resurrectionis corporis, sed etiā animarum, similiter etiam habere rationem exemplaritatis, respectu resurrectionis animarum, quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari.

TITVLVS VII.

De quinto Articulo fidei Ecclesiæ Militantis, nimirum.

De Ascensione, & sessione Christi ad dexteram Patris.

SVMMARIVM:

1 *Est de fide, Christum ascendisse ad Cœlum.*
2 *Eius corpus fuit collocatum super omnes spiritus.*
3 *Collocatum fuit ad dexteram Patris.*
† *Data fuit potestas iudiciaria.*
4 *Quomodo iudicium pertineat ad Christum.*

1 QVintus articulus fidei est credere, Christum ascendisse in Cœlum, & esse ad dexteram Patris, quia Christus post resurrectionem, vitam immortalem, & incorruptibilem inchoauit; locus autē huius mundi est locus generationis, & compositionis, & locus cœlestis est locus incorruptionis, & ideò non fuit conueniens, quod Christus post resurrectionem remaneret in terris; sed conueniens fuit, quod ascenderet in cœlum, & ideò secundùm humanitatem ascendit in cœlum virtute diuinitatis, & non virtute humanæ naturæ.

2 Per ascensionem, corpus Christi est collocatum super omnes creaturas spirituales iuxtà illud, quod dicitur *Ephes.* 1. constituit illum supra omnem principatum, & potestatem, & supra omne nomen, siue in hoc sæculo, siue in futuro.

3 Collocatus fuit Christus ad dexterā patris, quia cū ipso corēgnat, & ab eo habet

† iudiciariā potestatem, & ideò Aug. *in sermone de symb.* Ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit ille homo susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus. Hoc autem cōtingit filio Dei secundū quod Deus, vndè Christus sedet ad dexteram Dei, secundū quod Deus, & secundùm quod homo, vt humana natura est vnita cum supposito.

4 Iudiciaria potestas est tribuenda Christo sedenti ad dexteram Dei, iuxtà illud, quod dicitur *Act.* 10. Hic est constitutus à Deo Iudex viuorum, & mortuorum: quæ potestas conuenit illi, secundùm quod homo est iuxta *Ioan.* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, non quidèm propter conditionem naturæ, sed hoc pertinet ad gratiam capitis, quam Christus in humana natura accepit, cum sit caput Ecclesiæ, & habeat plenitudinem gratiæ, & ex merito constitutus à Deo Iudex, qui pro Dei iustitia pugnauit, vicit, & iniustè iudicatus est.

5 Christus consideratus secundùm naturam, habet omne iudicium, quod pertinet ad Patrem, quia sicut pater facit omnia verbo suo; ita & omnia videt verbo suo. Consideratus secūdum humanā naturam, omnes res humanæ eius iudicio subduntur, cūi committitur principale, ità & accessorium committitur. Omnes res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna, ad quem homines admittuntur, vel etiam repelluntur in iudicio Christi, & ideò ad potestatem iudiciariam Christo pertinent omnes res humanæ.



TITV-

TITVLVS VIII.

De sexto fidei Articulo Ecclesiæ Militantis, nimirùm

De resurrectione corporum.

SVMMARIVM.

1 *Sextus articulus fidei.*
2 *Omnes resurgent tàm boni, quàm mali.*
3 *Resurrectio Christi est causa nostra resurrectionis.*
4 *Ad resurrectionem Angeli cooperabuntur.*
† *Diem resurrectionis nemo scit.*
5 *Resurrectio incipiet à cineribus, &c.*
6 *Corpora resurgent cum omnibus membris.*
7 *Resurgent omnes in ætate iuuenili.*
8 *Corpora post resurrectionem erunt impassibilia, subtilia, &c.*
† *Duo corpora gloriosa non possunt esse simul in eodem loco.*
9 *Corpora gloriosa sunt palpabilia.*
10 *Lucida.*
11 *Resurgent cum suis perfectionibus naturalibus.*
† *Incorruptibilia.*

1 SExtus articulus fidei est credere, resurrectionem mortuorum, & sicut Christus resurrexit; ità omnes homines, qui sunt eius membra resurgere debere, quia membra debent esse capiti conformia, & sicut caput viuit in æternum: Ita homines, qui sunt eius membra, debēt etiā semper viuere in corpore, & anima; & sic oportet carnis resurrectionem esse.

2 Omnes tàm mali, quàm boni resurgent in iudicio, quia resurrectio est necessaria, vt resurgant, & recipiant pro meritis pœnam, vel præmium; sed omnibus debetur pœna, vel præmium: ergò omnes resurgent tàm boni, quàm mali, vt recipiant præmium, vel pœnam.

3 Resurrectionem Christi esse causam nostræ resurrectionis, & ideò Paulus *ad Rom.* 4. Resurrexit propter iustificationem nostram; ergò resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis, quia resurrectio Christi virtute Diuinitatis agit ad nostrā resurrectionem. Vnde *Rom.* 8. Resuscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificauit corpora, & ideò Diuinitas, quæ resurrexit Christum à mortuis, erit causa nostræ resurrectionis, & per consequēs resurrectio Christi erit causa nostræ resurrectionis.

4 Ad resurrectionem Angeli cooperabūtur, colligendo cineres sparsos, &c. anima verò independenter ab Angelis, corpori † suo vnietur. Dies autem resurrectionis nō modò hominibus est ignotus, sed etiam Angelis, & ideò *Math.* 24. Christus dicit de die illo, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorū, & Apostolis quærentibus de tali die Christus respondit, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Vnde Aug. 18. *de Ciuit.* Quod enim Apostolis quærentibus noluit indicare, nec aliis reuelauit.

5 Et quia iuxtà sententiam Dei, omnes in cineres reuertētur, Cinis es, & in cinerem reuerteris: Idcircò resurrectio hominum erit à cineribus, nisi ex priuilegio Diuino alicui concessum sit, eius corpus incorruptum permanere, & quia ministerio Angelorum corpus denuò formatur ex propriis cineribus; idcircò anima vnitur eidem corpori, quod viuendo informabat. Vnde *Iob.* 19. In carne mea videbo Deum saluatorem meum. Item, in nouissimo die de terra surrecturus sum, ergò idem numero corpus resurget, & quia in resurrectione fit denuò vnio eiusdem animæ cum eodem corpore; idcircò idem numero homo, qui viuebat, resurgit. *Iob.* 19. Quem visurus sum ego ipse, & non alius; ergò idem numero homo resurget.

6 Corpora in die iudicij resurgent cum omnibus membris, quæ habebant, sicut cōuiuebant, quia si à corpore hominis aliquid subtrahatur, quod est de veritate humanæ naturæ, non erit corpus hominis perfectum, sed omnis imperfectio hominis tolletur in resurrectione; ergò quidquid fuit de veritate humanæ naturæ resurget nobile, & per consequens resurget homo cum omnibus suis membris, & perfectionibus.

7 Resurgent omnes in ætate iuuenili, quia omnes resurgent in perfectione naturæ. Sed natura humana perfectissimum statum habet in ætate iuuenili, ergò, &c. Non tamen resurgent omnes eiusdem staturæ, quia in resurrectione non variabitur statura indiuidui. Sed non est eadem quantitas omnium, ergo non omnes resurgent in eadem statura, nec eiusdem sexus, sed vnusquisque in proprio sexu.

8 Corpora Sanctorum post resurrectionem erunt impassibilia, quia erunt incorruptibilia iuxtà illud *Corinth.* 15. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, ergò erunt impassibilia, erunt tamen in Beatis aliqui sēsus. Quidam solùm in actu primo. Quidam verò in actu primo, & secundo, vt odoratus, & auditus. Ita corpora Sanctorum erunt subtilia, quia cum sint nobilissima, erunt etiam subtilissima corpora, quantò sunt nobiliora, tantò † sunt subtiliora. Et licèt corpora sint gloriosa, & subtilia: tamen duo corpora gloriosa non possunt esse simul in eodem loco. Ratio, quia subtilitas à corpore glorioso dimensionem non aufert, & proinde non aufert necessitati distinctionē situs ab alio corpore; & ideò corpus gloriosū ratione suæ subtilitatis nō habebit, quod possit esse simul cum alio corpore; & ideò corpus gloriosum ratione suæ subtilitatis non habebit, quod possit esse simul cum alio corpore: virtute Diuina, potest esse, quòd duo corpora sint in eodem loco, & ideò Dominus ad Discipulos intrauit ianuis clausis. *Ioan.* 20.

9 Corpora gloriosa esse palpabilia; ideò Dominus dicit, Palpate, & videte, *Luc. vlt. tom.* Ergò corpora gloriosa erunt palpabilia, Item erunt agilia, iuxtà illud *Isa.* 40. Current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient, & *Sap.* 3. Tanquàm scintillæ in arundineto discurrent, licèt non

non moueatur, nisi per transitum de loco ad locum.

10 Corpora Sanctorũ erũt lucida post resurrectionẽ, vt patet ex D. Paulo *Ad Cor.* 15. 4. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, & comparat corpora resurgentium claritati stellarum, & sicut vna differt in claritate, quæ claritas non modò potest videri à glorificatis, verùm à non glorificatis oculis, sicut etiam corpus gloriosũ à non glorioso videri potest, secundùm tamen voluntatem animæ.

11 Corpora damnatorum resurgent etiam cum suis perfectionibus naturalibus, idest sine diminutione membrorum; eorũ corpora resurgẽt etiam incorruptibilia, quia ibunt in supplicium æternum, quod non posset esse, si eorũ corpora essent corruptibilia. Non tamen eorum corpora resurgent impassibilia, quia damnatorum corpora puniẽntur, quod non esset, si impassibilia forent.

12 Resurrecti omnes, siue boni, siue mali, omnes cognoscent opera bona, vel peccata ab ipsis facta, vndè conscientiæ singulorum erunt quasi quidam libri continentes res gestas ex quibus iudicium procedet, & vnus poterit in conscientia, tamquàm in libro, legere bona, vel mala opera alterius; & ideò Glossa interlinearis super illud 1. *Corinth.* 4. Illuminabit abscondita tenebrarum dicit recta, & cogitata bona, vel mala, tunc aperta erunt omnibus, & nota.

TITVLVS IX.

De septimo Articulo Fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm.

De Iudicio Vniuersali.

SVMMARIVM.

1 *Christus Iudicaturus est vniuersos, &c.*
2 *Iudicium fiet non vocaliter, sed mentaliter.*
† *Fiet in Valle Iosaphat.*
3 *Christus Index Iudicij.*
4 *In forma humana apparebit.*

1 Septimus Articulus Fidei Ecclesiæ Militantis est credere, Christum iudicaturum fore vniuersos homines resuscitatos, in quo fiet separatio bonorum à malis, dando bonis Paradisum, iuxtà illud, Venite, Benedicti Patris mei possidete, &c.: malis verò proferẽdo sententiam damnationis. Ite maledicti ad ignem æternum.

2 Iudicium autem fiet non vocaliter, sed mentaliter, tàm quòad discussionem, & accusationem malorum, & commendationem bonorũ, quàm quoad sententiam de vtrisque Quia si vocaliter singulorum facta narrarentur, inæstimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur; & ita D. Tho. *part.* 3. *quæst.* 18. *actio.* 2. Dies autem, quo fiet Iudicium, est penitùs ignotus, vnde Christus *Marc.* 13. De isto die, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neq; Filius,

† nisi Pater: Fiet autem Iudiciũ in Valle Iosaphat, Vndè *Ioel.* 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi, & *Act.* 1. dicitur, Quo modo vidistis eum ascendentem in Cęlum, ita veniet: sed ipse ascẽdit in Cęlum de Monte Oliueti, qui præminet Valli Iosaphat ergo, & circa loca illa ad iudicandum veniet.

3 Christus huius Iudicij erit Iudex, quia Deus debet illi omnem auctoritatem necessariam ad iudicandum. Accessoriè verò plures Sancti, & Apostoli iudicabunt cum Christo. Nam Angeli erunt in Iudicio isto, vt Ministri Iudicij, vt dicit Christus *Matth.* 13. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno suo omnia scandala, ergò erunt Ministri, & in isto Iudicio iudicabũtur tàm boni, quã mali, cùm Christus sit constitutus Iudex viuorum, & mortuorum; Angeli vero tàm boni, quàm mali non iudicabuntur iudicio discussionis.

4 Christus in forma humana, gloriosa in Iudicio apparebit, sicut dicitur *Luc.* 2. Tũc videbunt Filium hominis venientem in nube cum Potestate magna, & Maiestate: Maiestas, & Potestas ad gloriam pertinẽt, ergò in forma gloriosa apparebit.

TITVLVS X.

De octauo Articulo Fidei Ecclesiæ Militantis, nimirùm.

De quatuor animarum receptaculis.

SVMMARIVM.

1 *De fide est dari Purgatorium.*
2 *Anima in Purgatorio duplicem patiuntur pœnam.*
† *Non torquentur æqualiter.*
† *Illa citius liberatur pro qua plura suffragia offeruntur.*
† *Animæ non torquentur à Dæmonibus.*

1 De Fide Catholica est, dari Purgatorium, in quo animę fidelium ex hac vita migrantes à sordibus, quas in corpore contraxerunt, purgantur, antequàm ad Cęlestem Patriam, in qua nihil inquinatum intrabit recipiantur; & ideò *Psal.* 65. dicitur, Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, quo loco per ignem intelligitur Purgatorium, & ita communiter docent Sancti Patres Theologi, Qui locus constituitur in visceribus terræ propè Infernum.

2 Animæ in Purgatorio duplicem patiũtur pœnam, Damni, quæ consistit in carẽtia Visionis Beatificæ; Sensus, quæ est illa, quam animę patiuntur ab igne, quæ maxima est, & excedit omnem pœnam, quæ in hac vita pati possit. Quòd etiam dicendũ est de pęna damni, quia affectus quo desideratur summum bonum, intensior est quàm aliquis affectus rei temporalis in ista vita, ideòque carentia eius molestiùs toleratur. Licèt anima sit spiritualis, ignis vt possit ipsam torqueri eleuatur à Deo ad

† ad torquendum ipsas. Non tamen animæ torquentur æqualiter, sed diuersimodè iuxtà grauitatem, & quantitatem peccatorum, & ideò vna anima citiùs liberatur, quàm alia, quia illa quæ grauiùs Deum offendit, vel diutiùs in peccato permansit, punitur pœna acerbiori, dilationeque
† patriæ longiori. Item illa, pro qua fiunt plura suffragia, citiùs à pœnis Purgatorij liberatur, quàm alia, pro qua non fiunt, etiamsi æqualia peccata fecerunt, & regulariter animæ à pœnis liberantur, quando sunt purgatæ, & euolant in Cœlum, Quod patet ex pluribus Concilijs, & dictis San-
† ctorum Patrum. Et licèt plures dicant, animas in Purgatorio à Dæmonibus affligi; tamen probabilior est sententia eorū, qui dicunt, ministerio Dæmonum nō pati, cùm nō deceat, quod animæ quæ in hac vita de Dæmonibus triumpharūt, in Purgatorio à victis torqueantur.

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Secundum receptaculum est Limbus.*
† *Non erit ibi pœna.*
2 *Tertium receptaculum est Limbus puerorum.*
† *Patiuntur solam pœnam damni.*

1 SEcundum receptaculum est Limbus Sanctorum Patrum, qui ante mortem Christi, dicebatur sinus Abrahæ: in hoc Limbo erant tenebræ, quantùm ad carentiam Diuinæ Visionis, & ideò *Isai.* dicitur, Populus qui ambulabat in tenebris videt lucem magnam non tantum
† ad carentiam gratiæ, aut scientiæ nō erat ibi pœna sensibilis, quam homines patiūtur pro actuali peccato, sed erat ibi quies, & refrigerium. In hoc loco mansit Anima Christi ab hora mortis suæ, vsque ad horam Resurrectionis, quo die eos extraxit de Lacu, & secum ad Cœlum deduxit; Locus autem istius Limbi est in parte superiori Inferni.

2 Tertium receptaculum est Limbus puerorum decedentium ex hac vita cum peccato originali, qui locus est propè In-
† fernū sub Purgatorio: Animæ puerorum patiuntur solummodò pœnam damni, quę consistit in carentia Visionis Beatificæ, sine tamen aliquo cruciatu sensūs. Ita D. Thomas *in addit. ad tertiam partem quæst. 67. art. 6.* In Limbo istæ animæ speculātur naturalia, vndè ex principijs naturalibus multa cognoscunt de Deo, & de alijs, propter quod dici potest quod sit naturaliter beata.

P A R A G. II.

S V M M A R I V M.

1 *Est de fide, esse Infernum.*
2 *Pœna Inferni quæ.*
3 *In Inferno est summus calor, & sūma frigiditas, &c.*
† *Torquentur in qualibet parte corporis.*
4 *Damnati patiuntur pœnam sensus, & damni.*
5 *Damnati non æqualiter torquentur pœna sensus.*
6 *Pœna damnatorum est maior pœna Dæmonum.*
7 *Animæ Defunctorum an possint egredi a loco, in quo sunt.*

1 EST de fide, adesse Infernum, in quo animæ illorum, qui ex hac vita decesserūt in peccato mortali, cruciabūtur; quia sicur bonum non remanet irremuneratū, Ita nec malum impunitum: Infernus est politus in centro terræ, & ideò *Psal.* 14. Descendant in infernum viuentes.

2 Prima pęna Inferni est ignis inextinguibilis, verus, & corporeus, creatus à Deo in principio: distinguitur ab igne Purgatorij solùm quod ille sit purgatiuus, Ignis inferni exterminatiuus, qui ignis cruciatur animas damnatorum modò, quo dictum fuit supra.

3 Non modò in inferno datur summus calor crucians animas damnatorum, Sed etiam summa frigiditas. Vnde *Iob.* 18. dicitur, Ab aquis niuium trāsient ad calorem nimium. Item erit fames feruentissima, & quantò quis in hac vita gloriosior extitit intolerabiliori fame cruciabitur in Inferno: Item erit sitis, qua cruciabuntur maximè potatores: Erit etiam vermis, idest remorsus conscientiæ, fætor intollerabilis, quo odoratus damnatorū amarissimè affligitur. Sunt item tenebræ palpabiles, tùm exteriores, tùm etiam interiores. Vndè dicitur 2. *Reg. cap.* 2. Impij in tenebris cōticescent, & *Matth.* 22. Mittite eū
† in tenebras exteriores. Affliguntur etiam damnati in qualibet parte corporis, & in quolibet sensu; Quæ omnes pœnæ sunt æternæ, quæ æternitas super omnia affligit, & torquet damnatos.

4 Præter pęnam sensus, patiuntur etiam damnati pęnam damni, quia nunquàm sunt visuri Deum, quod maximè eos affligit. Videbunt tamen in confuso vsque ad diem Iudicij Animas Beatorum, de qua visione summoperè tristantur, tùm propter inuidiam alienæ felicitatis, tùm propter carentiam propriæ Beatitudinis, quam perdiderunt; Et ideò videntes turbabuntur timore horribili: At post Iudicium hac visione priuabuntur.

5 Damnati pœna sensus non æqualiter torquentur, sed secundùm quod plùs, vel minùs peccauerunt; puniuntur tamē omnes pęna æterna, quia si in ęternum viuerent, in æternum peccarent. Et ideò ob voluntatem semper peccandi, in æternum puniuntur. Tùm etiam, quia peccatum est contrà ęternum bonum, etiam in ęternum puniuntur, Et licèt Deus totum peccatum damnatorum puniat, non tamen totaliter, cum de eius pęna multum relaxet, nimirum de intensione, licèt non de duratione.

6 Pęnas damnatorum esse maiores pęnæ Dęmonū, quia Deus pro Dęmonibus non est mortuus, sicut pro hominibus; & ideò homines, ratione maioris ingratitudinis, plus quàm Dęmones puniuntur, tum etiā quia Dęmones semel tantùm à Deo auersi sunt; at verò homines pluriès à Deo se auertunt.

7 Animæ Defunctorum regulariter è locis,

eis,in quibus sunt, non possunt egredi:ex peculiari Dei permissione, possunt,præter quàm ex Limbo puerorum, quod constat ex pluribus exemplis a Doctoribus allatis.

PARAGR. III.

SVMMARIVM.

1 *Datur etiam Cœlum empyreum, vbi est sedes Sanctissima Trinitatis.*
2 *Quanam sit prima fruitio beatifica.*
3 *Sancti videntes Deum, von omnia vident in essentia,&c*
4 *Beati vident pœnas damnatorum.*
5 *Beati habebunt in Cœlo suas aureolas.*
† *Differentia inter auream,aureolam,& palmam.*
6 *Christo aureola non debetur.*
† *Quibus debeatur aureola.*
7 *Aureolis quomodo diuersè fruentur.*

1 PRæter supradicta receptacula,est etiã alius locus, qui est Cęlum Empyreũ, idest igneum, non à calore, sed à splendore, quia claritas Dei illud illuminat, & dicitur Paradisus propter suam amęnitatem,de quo dicit Baruch. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius,magnus,& non habens finem*,hic est sedes Sanctissimæ Trinitatis,quæ suam gloriam,vel seipsam videndam, ac possidendam omnibus Beatis exhibet.

2 Prima fruitio Beatorum est visio beatifica,quia Beati in cęlo videbunt essentiam Dei,& ideò *Corinth.1.13.* Videmus nunc per speculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem. Vnde D. Bernardus; Videre Deum in sua essentia,merces tàm grandis est, quòd non potest metiri, tàm multa, quòd non valet dinumerari,tàm copiosa, & diuturna,quòd nequit finiri.Nō tamen oculis corporeis videbunt essentiam Dei, sed mentalibus, quia, vt dicit Diuus Ambrosius, nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur.

3 Sancti videntes Deum, non omnia vident in essentia, quæ Deus videt, quia nec Angeli videndo essentiam,vident in ipsa, quæ Deus videt.Anima autem non perfectiùs videt Deum, quam Angelus, ergò, &c. Quia enim non possint comprehendere Deum,ita nec etiam videre omnia,quæ sunt in Deo, & ideò vnusquisque tantò plura in essentia respicit, quantò clariùs ipsam essentiam videt.

4 Beati vident pęnas damnatorum. Vnde *Isaia vlt.* Egredientes videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me, sed tamen eorum miserijs non compatientur. Ratio est, quia qui compatitur alieni, fit particeps miseriæ illius; Beati autem nullius miseriæ possunt esse participes, ergò, &c. Imò gaudent de pęnis damnatorum; non quidem per se, seu quatenùs sunt quoddam malum afflictiuum,sed per accidens, considerando in eis Diuinam iustitiam,&suam ab eis liberationem,quę duo per se erunt causa gaudij Beatorum; pęnę autem per accidens damnatorũ,iuxtà illud *Psalm.57. Lætabitur iustus,cum viderit vindictam.*

5 Beati in Cęlum habebunt suas aureolas, † Sed est differentia inter auream, aureolam,& palmam.Aurea est gaudium essentiale consistens in clara visione, & fruitione Dei, & dicitur per similitudinem, Corona Aureola est gaudiũ accidentale, quod datur pro aliquo facto insigni cōtrà hostes,scilicet martyrio, virginitate; &c. Palma verò est præmium, seu gaudium accidentale,quod non operi,sed voluntati debetur, vt v. g. si aliquis Sanctus martyrium concupiuit,ei palma debetur.

6 Beati in Cęlo vltrà coronam auream, quæ est præmium essentiale consistens in clara visione, & fruitione Dei, habebunt etiam aureolam, quæ est gaudium accidentale, quod datur pro aliquo opere excellenti. Verùm Christo aureola non debetur, quia aureola importat aliquid participatiuè, & non secundùm sui plenitudinem possidetur; in Christo autem non inuenitur participatio, sed plena ratio perfectæ victoriæ,per cuius victoriam omnes alij victores constituuntur. Angelis nec debetur aureola, quia cum non † habeāt carnem, nō est eis licita;Virginibus verò,ratione virginitatis,debetur aureola,quia cum per virginitatem,singularem victoriam obtineant de carne,eis debetur aureola. Item debetur Martyribus, quia corona debetur certanti,sed in Martyribus est specialis difficultas pugnę,ergò eis debetur aureola:debetur etiam aureola Doctoribus. Ratio, quia Doctores per doctrinam, & prædicationem expellunt Dæmonē, non solùm à se,sed etiã ab alijs. Ideòq; prædicationi, & doctrinæ debetur aureola,sicut virginitati, & martyrio.

7 Diuersificantur aureolæ secundùm diuersitatem meritorum, vndè aureola potest esse maior, vel minor iuxta intensionem,& remissionem meritorum. Præminentia aureolæ ad aureolam dupliciter potest considerari. Primò,ratione pugnæ, & hac ratione aureola Martyrum eminentior est alijs.Secundò,ex parte eorum, de quibus est pugna,& sic aureola Doctorum inter omnes est potior, quia huiusmodi pugna versatur circa intelligibilia; alię verò pugnę, circa sensibiles passiones.

TITVLVS XI.

De nono Articulo fidei Ecclesiæ militantis, nimirùm

De reali præsentia corporis Christi, &c. in Sacramento Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

1 *Per verba consecrationis quomodo Christus sit sub speciebus panis,&c.*
2 *Christus,&c.existit sub qualibet specie,&c.*
3 *Quomodo existat.*
† *Duplex munus quantitatis.*

1 DE fide certum est, & indubitatum, per verba consecrationis,Christum verũ Deum,

Deũ, & hominẽ ſub ſpeciebus panis, & vini conſtitui, ita definitur *in Trident. ſeſſ. 13. c. 1. & Can. 1.* & ita communiter Doctores. Ratio deſumitur ex verbis, quibus fit conſecratio; *Hoc eſt enim corpus, &c. Hic eſt enim, &c.* quæ non poſſunt alitèr explicari.

2 Christus verus Deus, & Homo totus quòad ſubſtãtiam exiſtit ſub qualibet ſpecie, quæ veritas patet ex *Concil. Tridenc. ſeſſ. 13. can. 3.* Florent. *in decret. Eugenij. Conſtantienſi ſeſſ. 13. & ex verb. Ioan. Qui manducat me, & ipſe viuet propter me; Ego ſum panis viuus, &c.* & ita communitèr Theologi.

3 Christus quoad ſubſtantiam, & accidentia non ſolùm exiſtit ſub qualibet ſpecie, ſed etiã ſub qualibet parte ſpecierum: Ratio, quia Christus ſuccedit in locum pa-
† nis. Cum autem panis priùs exiſteret ſub qualibet parte ſpeciei; ità etiam Christus exiſtit ſub qualibet parte hoſtiæ, ſub qua erat panis; & ita in *Concil. Trident. loco cit.* & communitèr docent Theologi, non tamẽ exiſtit modo quantitatiuo, ſeù per extenſionem partium ad partes, ſed modo quodam ineffabili, & ſpirituali. Cum duplex ſit munus quantitatis, primum eſt diſtinguere partes à partibus, & hoc modo Christus eſt ſub ſpeciebus: ſecundum ſuam ſubſtantiam, & quantitatem; quatenùs partes corporis inuicẽ nõ confunduntur, ſed vnaquęque pars habet ſuũ ordinem, & diſtinctionem ab alijs: ſecundùm officium quantitatis eſt extendere ſubſtantiam, & corporis partes per ordinem ad locum, ità vt vna pars non ſit in eo loco, in quo eſt alia, ſed vnaquæque ſit in diuerſis locis, & hoc modo Christus non exiſtit ſub ſpeciebus, & quia de hac præſentia, & exiſtentia locuti ſumus in libro de Sacramẽtis, idcircò ad ea remitto Lectorem.

TITVLVS XII.
De ſpe Eccleſiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Spes quid ſit.*
† *Dupliciter conſideratur.*
2 *Præceptum ſpei affirmatiuum quomodo obliget, & quando.*
3 *Præceptum negatiuum ſpei obligat ſemper, & ad ſemper.*
4 *Præcepto ſpei opponitur deſperatio.*
5 *Certus de ſua damnatione, &c. an peccet contra præceptum ſpei, ſi deſperet.*

1 SEcunda prærogatiua Eccleſiæ militantis eſt ſpes: Spes eſt virtus diuinitùs infuſa, per quam certò expectamus futuram beatitudinem per merita ex diuina gratia prouenientia, qui habitus dupliciter conſideratur. Primò, adæquatè in ordine ad omnes actus ab ipſo procedentes, ſi pro obiecto materiali habet omne bonum, quod ſupernaturali lumine nobis diuinitùs prouenire cognoſcimus, einſmodi in primis eſt ipſemet Deus, tamquã ſupernaturalis finis, & beatitudo noſtra, tùm verò media ſupernaturalia ad hunc finem conducentia, ac deniquè bona naturalia, ſeù tẽporalia. Secundò, conſiderari poteſt in ordine ad vnum tantùm eius primarium actum, qui eſt expectatio certa beatitudinis æternæ per media diuinitùs ordinata, & ſic communitèr Theologi.

2 Præceptum ſpei affirmatiuum per ſe obligat, quando quis grauiter tentatur vexationibus contra ſpem, & exiſtit in periculo deſperationis, niſi ſe ſumat actibus ſpei, quia quilibet tenetur ex præcepto ſpei adhibere ea media, quæ neceſſaria ſunt ad non deſperandum: obligat etiam tale pręceptum ſaltèm per accidens, quando tenetur ſe ad Deum conuertere, & pęnitentiã ſuorum peccatorum agere, cum non poſſit pęnitentiam agere, niſi ſperando veniã peccatorum, &c.

3 Præceptum negatiuum ſpei obligat ſemper, & ad ſemper, quia nunquã eſt deſperãdum, vel præſumendum, Sanchez *in opere morali lib. 2. cap. 23. num. 3.* Reginal. *lib. 17. num. 78.* & alij.

4 Præcepto ſpei opponitur deſperatio, cum quis deſperat, ſe remiſſionem peccatorum, & gloriam æternam conſecuturum eſſe, quæ quidem aliquando eſt pura, ideſt ſine aliquo errore intellectus circà fidem; aliquandò mixta cum aliquo errore; eſt etiam alia mentalis, & alia verbalis; item alia veniæ, & alia melioris vitæ.

5 Non peccat contrà præceptum ſpei, qui ex reuelatione certus de ſua damnatione deſperat, cum impoſſibile ſit ſperare, quod non eſt poſſibile conſequi, ſed poſita reuelatione damnationis, beatitudinis aſſecutio impoſſibilis eſt, ergò ipſam deſperando non peccat.

6 Habitus ſpei realitèr diſtinguitur ab habitu fidei: Ratio, quia differunt in ſua ratione formali. Ratio formalis habitus fidei eſt credere; & ratio formals ſpei eſt ſperare; credere, & ſperare formalitèr diſtinguuntur, ergò, &c. & ità nobiſcum ſentit, & cum communi Doctorum ſententia in Theolog moral. fundamentali doctiſſimus, & nunquàm ſatis laudatus Epiſcopus Ioannes Caramuel, his verbis; *Spem, & fidem realitèr diſtingui pronuncio.*

TITVLVS XIII.
De charitate Eccleſiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Caritas quid ſit.*
† *Deus dupliciter poteſt amari.*
2 *Obiectiuè magis tenemur diligere Deum, quam proximum.*
3 *Charitas inter omnes virtutes eſt excellentiſſima.*
4 *Charitas in hac vita quomodo augeatur.*
5 *Præceptum charitatis duplex, &c.*
6 *Non modo Deus, ſed etiam proximus eſt diligendus, &c.*
7 *Lege charitatis tenemur proximo remittere iniuriã.*
8 *Non tamen tenemur vitam exponere.*
9 *An poſſit quis ſinere ſe occidi.*
10 *Poſſumus magis diligere vnum, quàm alium.*
11 *An liceat optare malum alicui.*

1 TErtia Prærogatiua Ecclesiæ Militantis est Charitas; Charitas est virtus Theologica, seù supernaturalis, qua Deus super omnia diligitur. Deus dupliciter potest amari super omnia, appretiatiuè, & intensiuè: Appretiatiuè, quandò Deus magis æstimatur, quàm æstimentur cætera; Intensiuè, quandò actus amoris est intensior, vehementior, & feruentior omni alio amore: tenemur amare Deum super omniā appretiatiuè, non verò Intensiuè. Ratio prioris partis est, quia Deus est Summum Bonum; summum autem bonū super omnia est diligendum. Ratio posterioris partis, quia homo esset semper perplexus, quia nesciret, qua intẽtione diligere Deū.

2 Obiectiuè magis tenemur amare Deū, quā proximū simpliciter, & appretiatiuè. Ratio prioris est, quia longè sublimiora bona Deo debemus desiderare, quàm proximo, illi enim debemus infinitam Maiestatem, & omnem perfectionem possibilem. Ratio posterioris partis est, quia tenemur pluris æstimare Maiestatem Diuinam, quàm vllam omninò creaturam, cùm sit inter illas infinita distantia; similitèr lege charitatis tenemur Deum magis diligere, quā nos ipsos; tùm quia præceptū diligendi Deum est primum mandatū, tùm etiam quia Deus diligendus est tamquàm primum summum bonum, homo autem non sic potest seipsum diligere, sed solùm vt boni illius particeps fiat; ità Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 2. Syln. *ibidem*, Becan. 2.2. *de charitate cap.* 19. *quæst.* 1. & alij.

3 Charitas inter omnes virtutes est excellentissima, & forma reliquarum Virtutum: Ratio, quia est in nobiliori subiecto; tùm etiam quia modò excellentiori Deū possidet, tùm etiam quia nobilissimo modo Deum attingit, quò in hac vita attingi potest, diligens illum propter ipsum, sine vllo respectu ad proprium commodum: posterior pars probatur, quia in moralibus id vocatur forma, quod ordinatur ad finem, qui est actuum humanorum obiectum, & quasi forma; sed charitas dat actibus aliarum Virrnrum, ordinem ad finē; imò ipsos ordinat ad finem vltimum; ergò est ipsorum forma.

4 Charitas augetur in hac vita per actus, tàm elicitos, quàm imperatos, quia augetur per bona opera facta in gratia, siuè sint actus ipsius charitatis, qui dicuntur eliciti, siuè aliarum Virtutum, qui dicuntur imperati; Augetur etiàm per actus intensiores, & per æquales habitui, itē per remissiores, *Ex Concil. Trid. Sess.* 6. *cap.* 10.

5 Præceptum Charitatis est affirmatiuū, vel negatiuum: Præceptum affirmatiuum obligat ad eliciendum actum amoris: Negatiuum negat quidquid dilectionē euertit, vt sunt omnia peccara mortalia: Præceptum affirmatiuum diligendi Deum nō semper obligat, sed solùm aliquibus temporibus, vt quandò insurgunt tentationes incitantes ad odium Dei, & est periculum illis consentiendi, &c. Ita Sanch. *in Sum. lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 9. Quia quilibet tenetur ex præcepto assumere media necessaria, quæ conducunt ad non habendum odio Deum, tale autem medium, dùm insurgunt tentationes, est amor Dei, ergò, &c. Item obligat, dùm eliciendus est actus cōtritionis, item in articulo mortis; &c.

6 Non modò Deus, sed etiàm proximus est diligendus, vt patet ex præcepto Decalogi, siuè sit iustus, vel iniustus, amicus, aut inimicus; Item de necessitate Charitatis est, vt inimici diligantur in quantùm homines sunt capaces, scilicet æternæ Beatitudinis, iuxtà illud *Matth.* 5. *Diligite inimicos vestros, &c.* Licèt per se loquendo, non teneamur salutare Inimicum, cū nobis occurrit, tamen ratione scandali vitādi, &c. tenemur Inimicum salutare: Ratio, quia quilibet tenetur scandalū, & ruinā proximi euitare, quotiès id potest absque suo graui detrimento; qui verò inimicum salutantem non resalutat, mortaliter peccat; quotiès indè sequitur scandalum; dummodò obligatus ad resalutandum nō sit longè maioris conditionis, quia si erit longè superioris conditionis, non peccabit mortaliter nō resalutando, Malderus 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 9. Reginal. *lib.* 17. *nu.* 125. & alij.

7 Lege Charitatis tenemur proximo remittere iniuriam, maximè veniam petenti, licèt læsus nō tenetur actionem coràm Iudice intentatā remittere, quia licet vnicuique ius suum legitimè prosequi, & petere satisfactionē, vel restitutionē; Quandò verò duo sibi inuicē iniuriā intulerūt, ille priùs debet veniā petere, qui priùs iniuriam contulit; quia is, qui prius læsus fuit, acquisiuit ius petendæ satisfactionis.

8 Lege Charitatis non tenemur pro alterā vitam exponere, nisi in extrema necessitate, Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. Sylu. *ibidem*, & alij; Et tunc censetur esse in extrema necessitate, quandò sine nostro auxilio non potest saluari: Episcopi verò, & Parochi, quibus ex officio incumbit curam animarum, non tantùm in extrema, verùm etiàm in graui ouium suarum necessitate, tenentur exponere se periculo mortis, si aliter ouibus suis succurrere nō possint, iuxtà illud *Ioan.* 10. *Bonus Pastor animā suam dat pro ouibus suis*: Tenemur tamen lege charitatis subire aliquod incommodū, vt liberemus proximum à graui necessitate spirituali.

9 Ad impediendam damnationem æternam iniusti aggressoris potest quis sinere se occidi, & tolerare mortem, Caiet. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Pet. Nau. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 46. & alij; nisi fortè aggressus esset persona publica, & magis necessaria Reipublicæ, quàm vita aggressoris.

10 Possumus diligere magis vnum, quàm alium, non solùm quoad actum internū, sed etiàm quoad actum externum. Vndè magis diligendi sunt consanguinei, quàm extranei; Et primò loco diligendus est Pater, deindè Mater, &c. Licet aliquando iste ordo possit peruerti iusta causa, & primo loco diligenda sit Mater, &c.

11 Licet aliquandò optare malum alicui

ob

ob ipsius emendationem, quia hoc nõ est intrinsecè malum, sed potest esse medium opportunum ad maius malum euitãdum, cum id non fiat ex displicentia personæ, quia esset contrà dilectionem, & intrinsecè malum; non licet tamen desiderare alteri efficaciter mortem ob hæreditatem obtinendam, quia vita proximi debet præferri omnibus diuitijs; & ideò tale desiderium esset contrà charitatem. Docent tamen plures non esse malum inefficaciter desiderare alteri mortem ob hæreditatẽ obtinendam, ità Azor. *lib. 3. cap. 11. quæst. 2.* Em. Sà. *verbo Charitas num.* 8. Cast. Palaus *p. 1. tract. 6. de Charitate, disput. 4. p. 1.*

TITVLVS XIV.

De vitijs fugiendis à Christifidelibus oppositis Virtutibus Theologalibus.

SVMMARIVM.

1 *Vitia fugienda contrà fidem.*
† *Quæ vitia fugienda.*

1 Vitia fugienda contrà fidem hæc sũt; tria sunt omissionis, & tria com-
† missionis. Primum igitur omissionis, est contrà præceptum sciendi res necessarias, quod dicitur ignorantia, de qua dicetur sequentibus quæsitis. Secundũ commissionis, contrà præceptum negatiuum non iudicandi falsa ea, quæ à Deo reuelata sunt. Tertium omissionis, contrà præceptum affirmatiuum fidei, quod tunc fit, quando post sufficientem propositionem rerum fidei non creduntur, cùm tamẽ deberent credi. Quartum est commissionis, contrà negatiuum, nunquàm scilicèt negandi res fidei. Quintum est omissionis, contrà affirmatiuum confessionis fidei, quod omittitur eo tempore, quo obligat tale præceptum, quando scilicèt honor debitus rebus fidei requirit huiusmodi confessionem. Sextum erit commissionis; contrà negatiuum non profitendi fidem falsam, nec ritum aliquem proprium Sectæ Infidelis. Ex his autem de tertio, & quinto omissionis, nihil hoc loco dicendum est, nisi quod ea ratione, tunc quis dicitur peccare, quandò tenetur actus præceptos efficere, de qua re diximus cap. præcedenti. De sexto commissionis etiàm patet ex eodem præcedenti capite, vbi dictum est de actionibus vitandis, quibus falsam Sectam profiteri quis posset: Quarè superest tantùm dicendum de primò omissionis, & de secundo, & quarto commissionis, de quibus suo loco.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Vitia fugienda contrà spem.*
† *Quæ sint.*
2 *Præsumptio frequentiùs cõtingit ex infidelitate, &c.*
† *Aliquando est sine hæresi, &c.*
† *Aliquando cum hæresi coniuncta.*

1 Vitia fugienda contrà spem sunt quatuor.
† Primum est omissio actus spei eo tempore, quo faciendus est ex præcepto. Secundum, est omissio actus timoris eo tempore, quo haberi debet, iuxtà supradicta. Tertium consistit in commissione, contrà præceptum negatiuum non desperandi, quod dicitur desperatio, quæ nihil aliud est, quàm recessus voluntatis à Beatitudine consequenda; Qui quidẽ duplex esse potest; Aut enim est tantùm voluntarius non procurandi consecutionẽ Beatitudinis, & est peccatum, saltem in ijs quibus non est facta certa reuelatio suæ damnationis; In tali enim homine non esset peccatum omissio actus sperandi, & desperatio, vt est tantùm voluntas non procurandi Beatitudinem, vt Ban. & Arag. *q. 20. ar. 1.* & S. Tho. *quæst. 25. de verit. a. 8. ad 2.* Aut est detestatio, & fuga à Beatitudine propter difficultates, quæ apprehenduntur in eius consecutione; Vt enim spes erigit animum, & dilatat ad illam consequendam: ità desperatio deijcit, & constringit ad ea procuranda, & hæc etiã est peccatum non modò in ijs, quibus nõ est facta reuelatio suæ damnationis; verùm etiàm est in eo, cui certò reuelaretur sua damnatio: fuga enim à Beatitudine in omni casu est inhonesta. Ad hanc reducitur desiderium mortis propriæ, & impatientia laborum. Vniuersalitèr autem desperationem peccatum esse, & quidẽ mortale, probatur ex illo Ephæs. Vbi sicut vitium recensetur, *quòd desperantes tradiderint semetipsos impudicitiæ.* Quartum peccatũ cõmissionis, est præsumptio, spes scilicèt Beatitudinis comparandæ, non per media ad eum finem instituta à Deo, quę duplex esse potest, vel quandò quis sperat, se consecuturum gloriam proprijs meritis; & dicunt aliqui opponi Magnanimitati: vel cùm quis sperat, se obtenturum veniam sine pęnitentia, aut gloriam sine meritis; & hæc propterea opponitur spei, & est peccatum in Spiritum Sanctum: Vtràque præsumptio est peccatum: posterior tamen est grauius, ex S. Th. *q. 21. a. 1.* Vltimum vitium fugiendum, est temeritas, vt quandò quis fidens in Deo exponit se, vel alios euidenti periculo mortis; vt patet in exemplo allato in sua Theologia morali fundamento 47. ab Illustrissimo, & Doctissimo Caramuele, quòd est potiùs tentare Deum, quàm fidere Deo.

2 Præsumptio frequentiùs contingit ex infidelitate, & hæresi, quia scilicèt quis putet, non esse merita necessaria ad Beatitudinem, aut adiumenta gratiæ non
† requiri. Posset tamen aliquandò esse sine hæresi, hoc est, absque errore in intellectu: vt si quis modo dicto vellet Beatitudinem, ea tantùm de causa, quòd confidat, Deum, ità facturum secum. Idem acci-
† dit in desperatione; Potest enim etiã hæc esse coniuncta cum hæresi, vt si quis putaret, aut non esse Beatitudinem, aut Deum non remittere peccata, & similia. Et po-

rest etiàm esse sine illa: vt si quis desperet, quia putat, se nunquàm benè facturũ, vel Deum non remissurum sibi peccata.

PARAG. III.

SUMMARIUM.

1 *Contrà Charitatem peccata.*
2 *Peccatum omissionis contrà charitatem duplex.*
Quæ sint species peccati omissionis contrà charitatẽ.

1 CONtrà Charitatem Dei duo sunt precipua peccata; vnum omissionis, & aliud commissionis; contrà negatiuum præceptum, & dicitur odium Dei, quod tùnc est, quandò quis apprehendit Deum, vt sibi pęnam inflicturum, ac proptereà displicet eius persona, & optat, vt non sit, saltèm simplici affectu voluntatis, non autẽ efficaci, quo scilicèt aliquid eligat ad Deum auferendum de mũdo; hoc enim nemo non videt, fieri non posse. Tale peccatum est in Dęmonibus, & damnatis, de quo Caiet. 2. 2. *q.34. a.1.* Azor. *c.4. q.6.* qui soluit difficultates, quæ cõtrà fieri possent: & breuiter voluntas simplicis complacentiæ, etiàm impossibilium esse potest; Nàm ea cogitatione apprehendi potest, & placere, vt non mori, volare per aerem, cęlũ manu tangere, & similia. Prętereà Dęmones non tantùm odio habent Deum, tamquàm vindicem peccatorum; verùm etiàm absolutè, vt diximus.

2 Peccatum omissionis, contrà charitatẽ Dei distingui potest in species tres. Prima, quandò Deus non diligitur ea ratione, qua diligendus est, vt quia diligatur principalitèr ob Beatitudinem, vel euitandas inferni pęnas; vel propter aliquod bonũ creatum, quòd ab eo speratur; ità vt si aliquod horum deesset non diligeretur: tùnc enim, quia non diligeretur Deus, vt vltimus finis, & proptèr se, verũ nos ipsi potiùs, & creatura aliqua, ideò esset peccatum mortale ex indebito modò diligẽdi Deum. Azor. *c.4. q.5. in fine*, ex alijs Doctoribus. Secunda, quandò Deus non diligeretur ea quantitate, qua opus est: vt si non super omnia quoad appretiationem modo explicato, aut non amore supernaturali, quandò is obligat. Tertia, quandò non diligeretur tempore debito. Ab hac tamen tertia specie excusari quis posset. Primò, si putaret probabilitèr, non obligare in supradictis casibus, vt de quibus fdam probabile est, ob contrarias sententias. Secundò, si ex inaduertentia inculpabili tale tempus accidat, in eo, quo teneatur, & non aduertat. Tertiò, si ignoret inculpabilitèr aliquod ex ijs temporibus, & casibus. Quartò, si studeat quisque se exercere in huiusmodi actu diligendi Deum, etiàm quandò tenetur; Ità enim fiet, vt per antecedentem dilectionem paulò antè factam: vel per subsequentem impleat præceptum. Ex quibus paret, rem salutaris consilij esse, aliquandò in confessione se accusare sub dubio de omissione huius præcepti, & aliorum nempè fidei, & spei, de quibus non satis certò constat quàdò obligent, & quàdò violentur. Vide Caiet. 2. 2. *q.89. a.6* Nau. *c* 2. *de orat. nu.17.* Val. *q.19. cit. p.1.* aliosque Recentiores.

TITVLVS XV.

De Virtutibus Moralibus Ecclesiæ Militantis.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit virtus moralis.*
2 *Dupliciter distinguuntur.*
3 *Virtutes Cardinales sunt quatuor.*
† *Ad Iustitiam quæ reuocentur.*
4 *Item ad Fortitudinem.*
5 *Ad Temperantiam.*
6 *Ad Prudentiam.*

1 QVarta Prærogatiua Ecclesiæ Militantis sunt Virtutes. Virtus est habitus, quo possumus eligere bonum in mediocritate consistens, prout prudentiæ ratio præscribit; Ita colligitur ex Arist. 2. *Ethic.6.*, & recipitur communitèr à Theologis, siuè Virtus est dispositio, seù habitus, quo homo ipse bonus efficitur, ipsiusq; operatio bona, & excellens redditur; Cùm autem homo secundùm rationalem animam duplici operante facultate prædirus sit; Vna intelligẽdi, quę dicitur mens, siuè intellectus; altera volẽdi, quæ dicitur volũtas; Ideò virtutes aliæ mentis sunt, seù intellectuales perficientes hominem in cognitione veri, vt ars, scientia, &c. Aliæ verò virtutes sunt voluntatis, seù morales perficientes hominẽ in affectione ad bonum honestum, videlicèt, Iustitia, Fortitudo, Temperãtia, &c. sub quibus aliæ continentur, vel ad illas reuocantur.

2 Virtutes morales, seù voluntatis dupliciter distinguuntur, nàm quædam versantur circa operationes, in quibus bonum, & malum sumitur, secundùm, quòd mensuratur ad alterum, qualis est Iustitia, & aliæ, quæ sunt ad alterum, vt Religio ad Deum, pietas ad parentes, &c. Aliæ versantur circa passiones, in quibus bonum, & malum accipitur, secundùm quod commensuratur ad ipsum operantem, quales sunt Temperantia, & Fortitudo, &c.

3 Virtutes Cardinales sunt quatuor, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, & Prudentia: Ad iustitiam reuocãtur omnes eæ virtutes, quæ sunt ad alterum. Et primò, Religio, quæ Deo debitum cultum: Secundò, Pietas, quæ Parentibus, patriæ, & propinquis præstat honorem debitum. Tertiò, Obseruantia, quæ exhibetur circa cæteros homines pręstantes dignitate. Quartò, Obedientia, qua obtemperamus præceptis Superiorum. Quintò, Fidelitas, qua seruatur veritas in promissis, & factis. Sextò, Veritas, qua mendacia in omnibus vitamus. Septimò, Gratia, qua memorem animum gerimus erga benefactores. Octauò, Liberalitas, qua promptè, & gratis

res

res nostras cum alijs communicamus. Nonò, Benignitas, qua in alios beneficia conferimus. Decimò, Vindicatio, qua delicta puniuntur. Vndecimò, Clementia, qua in pœnis taxandis debitum modum seruamus. Duodecimò, Distributio, qua pro meritis cuiusque, honores, & præmia conferimus. Decimotertio, Misericordia, qua subleuamus indulgentiam aliorum. Decimoquartò, Hospitalitas, qua peregrinos, & aduenas benignè accipimus, & liberalitèr tractamus.

4 Ad Fortitudinem reuocantur eæ virtutes, quæ magnitudinem animi præstant, vel in aduersis malis subeundis, & sustinendis, vel in aggrediendis periculis, & arduis suscipiendis; quare eius species, & partes sunt. Primò, fiducia ad aggrediendum, & sustinendum. Secundo, Magnificentia in pecunijs abundanter expendendis. Tertiò, Magnanimitas in suscipiendis arduis, in quibus sunt honores, & dignitates. Quartò, Patientia in superandis difficultatibus, quæ solent obijci. Quintò, Perseuerantia in victoria curarum, & sollicitudinum, quæ exstingui solent temporis diuturnitate.

5 Ad temperantiam reducuntur illæ virtutes, quæ moderantur voluptates, & dolores, & mitigant iras, vt ex primo abstinentia in cibis: Secundò, sobrietas in potionibus: Tertiò, castitas in voluptatibus carnis: Quarto, pudicitia in tactibus, & amplexibus circà veneream voluptatem: Quintò, clementia in præscribendis pœnis: Sextò, mansuetudo ad mitigandam iram: Septimò, modestia, quæ moderatur corporis motus in gestibus, & in sexibus: Octauò, vrbanitas, quę constituit modum rectæ rationis in verbis, & sermonibus.

6 Ad prudentiam reuocantur tres ipsius partes, seu species. Prima, dicitur Monastica, qua quisque vtitur ad propriam vitam dirigendam: Secunda, æconomica ad rectam familiæ gubernationem: Tertia, politica ad Reipublicę administrationem, siue versetur in ferendis legibus, & Magistratibus constituendis, siue, &c.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit ius.*
2 *Quale æquum sit obiectum iustitiæ.*
3 *Ius naturale tripliciter diuiditur.*
4 *Ius naturale est immutabile.*
5 *Iustitia quid sit.*
6 *Diuiditur in distributiuam, & commutatiuam.*
7 *Iustitiæ commutatiuæ duplices sunt obligationes, &c.*

1 QVItra prærogatiua Ecclesiæ militantis est iustitia. Ius, quod est obiectum virtutis Cardinalis idem est, quod æquū: Æquum verò quatenùs ad mores ordinatur, duobus modis accipitur. Primò, generatim, vt idem sit quod legitimum, idest commensuratum legi tamquàm normæ, ac regulæ omnis operationis humanę. Secundò, accipitur speciatim, vt idem sit, quod æqualitas alteri debita, idque est ius particularis iustitiæ obiectum.

2 Licèt æquum, quod idem est, ac æqualitas, sit obiectum iustitiæ, non tamen omnis æqualitas, sed solùm æquum ortum, videlicèt habens ex aliqua obligatione voluntaria, siuè etiam inuoluntaria.

3 Ius tripliciter diuiditur; Primò, in ius naturale, & positiuū. Secundò, positiuū in diuinū, & humanū. Tertiò, humanum in Gētium, ciuile, & canonicū. Ius naturale illud dicitur, quod oritur ex natura rei, & nō ex arbitrio præcipientis. Ius verò positiuum est illud, quod oritur à præcepto, & voluntate præcipientis. Ius positiuum diuinum est illud, quod à Deo, vel Christo, quatenùs est simùl homo, & Deus, latū est, de his, quæ non spectant ad ius naturale. Humanum sunt reliqua præcepta, quę homines tulerunt, accepta à Deo potestate. Ius ciuile dicitur illud, quod cōditum est per sęculares potestates. Ius canonicū est id, quod per Ecclesiam, eiusque Ministros, quatenùs tales sunt, traditum est. Ius verò Gētium est ius humanum, quo ferè omnes gentes vtuntur, *cap. ius gentium distinct. 1.*

4 Ius naturale immutabile est, quia habet conformitatem perpetuam cum regula rationis; quæ verò sunt de iure positiuo, mutari possunt sola vacatione ipsius legis, si nimirùm abrogetur ea, vel in ea dispensetur. Ius gentium mutabile est, quia est ius humanū auctoritate plurium Gentium constitutum. Ideòque lege Principum, vel Reipublicæ, vel consuetudine mutari potest.

5 Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuens, cuius definitionis sensus est, iustitiā esse habitum, siue bonam affectionem voluntatis, quo firmiter, & constantèr inclinamur ad tribuendum alijs, quod iustum est, siuè debitum ad æqualitatem, ex qua definitione colliguntur, tria esse necessaria iustitiæ. Primò, quod sit ad alterum. Secundò, quod censetur circa debitum. Tertiò, vt reddat ad æquitatem.

6 Iustitiam diuidit in distributiuam, & commutatiuam S. Thom. *quæst. 61. art.* 1. Iustitia distributiua est iustitia particularis, quæ reddit alteri, quod ei debitum est, iuxtà proportionem geometricam. Commutatiua est iustitia particularis, quæ reddit alteri, quod suum est iuxtà proportionem arithmeticam, & ideò debet dari æqualitas inter quantitatem rei acceptæ, & rei datę.

7 Iustitiæ commutatiuæ duplices sunt cōmutationes, & indè ortæ obligationes, aliæ voluntariæ, quę mutuò paciscentium consensu constituuntur; aliæ inuoluntariæ, quæ oriuntur ex delictis, quibus alteri inultò damnum iniustè infertur, v. g. furto, detractione, &c. Iustitia verò distributiua versatur in distribuendis præmijs, muneribus, dignitatibus, officijs, beneficijs, &c. Iustitiæ commutatiuæ officium est restituere, quod cuique debetur, resarcire damnum illatum, compensare iniuriam illatam, soluere pretium rei emptæ, vel mercedem rei conductæ, &c.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Fortitudo duobus modis accipitur.*
† *Fortitudo quid sit.*
2 *Ad fortitudinem quæ reuocentur.*
3 *Temperantia quid sit.*
† *Temperantia tres sunt species.*
4 *Virginitas est perfectissima castitas,&c.*
5 *Duplex virginitas.*
6 *Oscula,& amplexus quomodo sint liciti.*
7 *Oscula, & amplexus inter sponsos de futuro non sunt peccaminosi,&c.*
† *Tactus turpes inter coniuges quomodo sint liciti.*
8 *Impudici tactus,&c. inter personas eiusdem sexus sunt grauiora peccata,&c.*
9 *Turpiloquium,&c. quomodo sint peccatum.*

1 SExta prærogatina Ecclesię militantis
est fortitudo,quę secunda virtus Car-
dinalis est, quę duobus modis accipitur.
Primò,pro animi firmitate, & constantia
adhærentis honestati virtutis, non ob-
stantibus quibuslibet contrarijs. Secun-
dò,accipitur fortitudo pro speciali virtu-
te moderante animi timorem, ac fidu-
ciam,& sub hac ratione definitur ab Ari-
stotele 3. *Ethic. c. 6.* Mediocritas circa timo-
res,& fiducias, & à Valentia *tom. 3. disput. 8.*
† *quæst. 1.* sic describitur, fortitudo est virtus
moralis, per quam animus ergà ea, quæ
acerba,& terribilia sunt,rectè se habet,vt
nec prauè timendo, nec temerè acceden-
do,ab officio desistat.
2 Ad fortitudinem, vt dictum fuit, reuo-
catur primò securitas, quæ est tranquilli-
tas animi eo benè fidentis. Secundò ma-
gnanimitas, quæ excelsa bona spectat, &
parua, & humilia contemnit. Tertiò ma-
gnificentia,quæ est promptitudo animi ad
faciendos magnos sumptus, vbi recta ra-
tio expedire iudicat. Quartò patientia,
quæ in rebus aduersis, animi mœrorem
temperat,ac mala præsentia æquanimiter
tolerat, nè quidquam contrà humilitatis
decorem agatur. Quintò perseuerantia,&
constantia, per quam, non obstante tem-
poris diuturnitate,superat difficultates.
3 Tertia virtus Cardinalis est Temperan-
tia, quæ versatur in moderandis volupta-
tibus corporis, ijs nempè,quibus gustus,&
tactus afficitur circà esculenta, poculen-
ta, venerea; atque huius tres sunt species,
† quarum prima est sobrietas,quę secūdùm
rationis regulam moderatur appetitum,
vsumque ciborum oblectantium. Secunda
est castitas, quę moderatur appetitum,
vsumque venereorum,quę duplex est,vna
perfecta,& simpliciter dicta, quę omnem
cupiditatem,vsumque venereorum firmo
proposito in perpetuum excludit. Alia im-
perfecta,& secundùm quid, quę ad certū
tēpus ab illicitis voluptatibus carnis, ho-
nestatis gratia, abstinet, vel in statu con-
iugij concessis voluptatibus moderatè se-
cundùm rationis præceptum vtitur, quæ
coniugalis castitas dici solet. Ità S. Augu-
stinus *lib. 1. de sanct. virginitate cap. 15.* Eadem
virtus interdùm pudicitia appellatur,qua-
tenùs se extendit ad cohibendos impudi-
cos aspectus,oscula,tactus,&c.
4 Virginitas est perfectissima castitas,cō-
tinens firmum propositum integritatis,ac
puritatis perpetuò conseruandæ, gratia
honestatis:differt à castitate, quòd illa in
coniugatis, etiam atque corruptis pœni-
tentibus locum habere possit; virginitas
non item,sed semèl amissa per consensum
voluntarium,irreparabilis est.
5 Duplex est autem virginitas,vna carnis,
ac veluti materialis; altera animi, ac pro-
positi,ideoque formalis. Quare virgo alia
est integra sola carne, alia integra sola
mente, alia integra tàm mente, quàm car-
ne. S. Thom. *in 4. distinct. 33 quæst. 3. art. 1.* Sil-
uest. *verbo Virginitas qu. 5.* Virgo integra ani-
mo, & proposito; violata autem per stu-
prum, virginitatis laudem, ac præmium
retinet. Virgo integra carne; violata antē
animo,vel proposito,virginitatis decorē,
ac meritum coram Deo omninò perdit.
6 Oscula, & amplexus,si fiant non causa
delectationis venereę, sed vt signa amici-
tię, beneuolentię secundùm patrię con-
suetudinem, culpa vacant;similiter si pla-
ceat tactus, aut visus corporis alicui
ob solam proportionem, seù connatura-
litatem cùm organo tactus, aut visus, per
se loquendo culpa non est. Sanch. *lib. 5. mo-
ral. cap. 6. num. 13.* Si oscula,& amplexus, &c.
procedant ex ioco,& animi leuitate, non
causa delectationis venereę culpam tan-
tùm, venialem habent per se loquendo.
Ità apud Rebell. *de obligat. iust. lib. 3. quæst. 19.
sect. 3.* Sanchez *loco citato num. 3. & 10.* Qui ta-
men rectè excipit,nisi tactus,vel etiam as-
pectus sit valdè impudicus, videlicèt par-
tium verendarum inter personas diuersi
sexus,quia per se,& ex obiecto magnā de-
formitatē habet, & graui periculo homi-
nem exponit, cùm suapte natura ad de-
lectationem verendarum tendat; aspectus
verò partium verendarum inter personas
eiusdem sexus faciliùs à peccato excusa-
tur,idemque censendum est de aspectu sui
ipsius ob solam curiositatem. Sanch. *num.
27. & 28.*
7 Oscula,& amplexus inter sponsos de fu-
turo nō sunt peccaminosi,dummodò fiāt
sine periculo pollutionis,aut consensus in
copulam,& nō sint per se, & ex suo obie-
cto turpes,& impudici. Ità Caiet. *in summa
† verb. spons.* Nau. *in manu. c. 14.* & alij. Tactus tur-
pes inter Cōiuges, si fiant, vt præparatio-
nes, & incitamenta ad copulam coniuga-
lem, vacant culpa, quia cui concessus est
finis, cōcessa sunt etiā media ordinata ad
finem. Sanch. *lib. 9. disput. 44.* Si verò fiant
solius voluptatis causa, culpabiles sunt,
sed non mortaliter, quia cùm huiusmodi
tactus inter coniuges secundùm se indif-
ferentes sint,& non prohibiti;ideò eorum
excessus,aut inordinatus vsus propter vo-
luptatem non excedit culpam venialem.
Caiet.& Armill. *verbo Impudentia.*
8 Impudici, seù venerei tactus, & am-
plexus inter personas eiusdem sexus,
grauiora peccata mortalia sunt, quàm
inter

inter personas solutas diuersi sexus; quia illa, suapte natura, tendunt ad peccatum mollitiei, quod grauius peccatum est, fornicatione simplici. Sanch. *disput* 44. *num.* 18.

9 Turpiloquiũ, turpis cantio, litterę amatorię, si venereę voluptatis causa instituantur inter personas omninò solutas, peccata mortalia sunt, Nauar. *in man. cap.* 16. *num.* 14. Armill. *verbo Impudicitia*: si verò ex animi leuitate, curiositate, &c., venialia tantùm sunt, per se loquendo: at verò ratione scandali, vel periculi labendi in mortale, frequentèr mortalia esse solent.

P A R A G R. III.

S V M M A R I V M.

1 *Prudentia est quarta virtus Cardinalis.*
2 *Prudentiæ tres sunt actus.*
3 *Prudentiæ diuisiones.*
4 *Iterum etiam subdiuiditur, &c.*

1 SEptima prærogatiua Ecclesię militantis est prudẽtia, quę quarta virtus Cardinalis est, licèt non sit moralium actionũ elicitiua, cùm non in voluntate, sed in intellectu consistat; Dicitur enim prudens, quasi procùl videns, quod opus intellectionis est, vt notauit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 1. Est tamen moralium actionum directiua; & ideò est Dux, & Regina omnium moralium virtutum, sine qua nulla earum consistere potest; siquidèm voluntas, quod honestum est, seù virtutis mediũ prosequi non potest, nisi ratio ostendat; hęc autem ratio ostendens, prudentia est.

2 Prudentię tres actus sunt, vt docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 8. Benè consultare, rectè iudicare, & pręcipere executionem: Bona consultatio est, quando mens, proposito honestatis fine, accuratè examinat secundùm omnes circũstantias; quę actiones ad finem illum, tãquàm media magis, minùsque seruiant. Rectum iudicium est mentis conclusio, siuè sententia de particulari opere agendo honesto, aut turpi fugiendo; sequitur bonam consultationẽ, & antecedit voluntatis electionem: pręcipuè executionem: pręcipuus Prudentię actus, est voluntatis exercitium, dirigens, per quem actum Intellectus à voluntate anteà motus, practicè iudicat, ac velùt imperat hic, & nùnc executioni mandandum esse, quod in consilio mentis decretum, & à voluntate acceptum fuerat.

3 Prudentia diuiditur in Monasticam, & gubernatiuam: Monastica est, qua quisque sibi prospicit, quid in actionibus singulis decens, ac honestum sit: Gubernatiuà subdiuiditur in Æconomicam, quę totius familię institutionem tuetur; ciuilem, seù Iuris-prudentiam, quę bonum commune Ciuitatis, seù Reipublicę spectat, quę etiã ex Aristotele 6. *Ethic. cap.* 8. duplex est, vna Architectonica, seù Principatum gerẽs, per quam leges cum auctoritate decernuntur ab ijs, qui Reipublicæ pręsunt; Altera ministerialis, quæ in particularibus negotijs, ac litibus publicis, quod rectum, & iustum est, ob Reipublicę commodum definit, estque propria eorum, qui Rempublicam administrant, quarè, & Administrans vocari solet.

4 Diuiditur etiam in perfectam, ac simplicitèr dictam, & in imperfectam, & secũdùm quid dictam, Ità D. Thomas 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 13. Perfecta, & simplicitèr dicta est, quę proposito vero fine totius vitę humanę, deliberat, iudicat, & pręcipit, quid ad eum finem accommodatè agẽdum sit, Prudentia imperfecta, & secundùm quid, est quæ, proposito fine speciali, contentaneè ad illum finem deliberat, iudicat, & pręcipit; quomodò dicitur prudens medicus; prudens nauta, prudens mercator, qui tamen potest esse malus homo; qui autem simplicitèr prudens, idem ac bonus homo est; est & alia Prudentia falsa, seù fucata, quæ duplex est, secundùm D. Thomam 2. 2. *quæst.* 55. *art.* 3. Vna quę, proposito fine falso, siuè fucato, conuenientia media ad talem finem requirit, ac decernit: Ab Apost. *ad Rom.* 8. appellatur hęc Prudentia carnis: Altera est, quę, proposito fine vero, aut apparente, excogitat, & decernit media non propriè instituta ad talem finem, sed fallacia, & fucata, diciturq; astutia ad decipiendum accommodata; Cuius veluti executio, siuè actus externus, est dolus, seù fraus: Differunt autem dolus, seù fraus, quòd dolus vniuersalitèr pertinet ad executionem astutiæ; siuè fiat per verba, siuè per facta; fraus autem propriè pertinet ad executionem astutiæ, secundùm quod fit per facta: Ità S. Thom. *art.* 5. *in corp.*

P A R A G. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Virtutes omnes sunt connexæ cum Prudentia.*
2 *Virtutes morales non sunt necessariò connexæ cum fide, &c.*
3 *Virtutes morales quomodo sunt inter se connexæ.*
4 *Virtutes morales an sint præstantior es intellectualis, & quomodo?*

1 VIrtutes omnes sunt cõnexæ cum Prudentia, sicuti etiam Prudentia connexa est cum virtutibus moralibus: Ratio, quia virtus moralis non eligit, nisi ex recto Prudentiæ præscripto: vt ergò actio virtutis moralis non potest esse, nisi etiam Prudentia fungatur suo munere; ità neq; habitus illius sine Prudentię habitu consistere potest; atque adeò omnes virtutes morales coniunctę sunt cum Prudentia: Quòd verò Prudentia coniuncta sit cum virtutibus moralibus, ex eo constat, quod nemo potest esse prudens, nisi benè affectus sit in rebus agendis; atque adeò virtute morali pręditus, quę efficit appetitum rectum.

2 Virtutes morales non necessariò sunt connexæ cum fide in ratione virtutis moralis: At in ratione merendi, & fructificandi, nedùm cum fide, sed etiam cum charitate cõnexionem requirunt. Primum probatur,

batur, quia ad virtutem moralem satis est, si bonum eligat, ex præscripto Prudentię, & si gratia honestatis operetur; at id sine fide esse potest, ergò, &c. Secundum verò ex eo probatur, quod ad merendum ęternum pręmium, & beatitudinem, requiritur gratia; Hæc autem, vel est idem cum charitate, vel non, & per consequens, &c.: neque etiam sunt connexæ necessario cum charitate, & ratione virtutis moralis; at in ratione perfectæ virtutis, & merendi vitam æternam, connexæ sunt cum charitate. Primum patet, quia si non sunt connexæ cum fide, neque etiam erunt cum charitate, quæ fidem supponit; posterior pars etiam patet, quia sine charitate, perfectæ virtutes esse non possunt, quia non diriguntur ad æternam vitam, nisi per charitatem: & quia tota vis merendi beatitudinem à charitate ortum habet, & sub hac ratione intelligitur dictum Sanctorum Patrum, cum dicunt in peccatore non esse veras virtutes, idest perfectas, & quòad vim merendi beatitudinem.

3 Virtutes morales non sunt inter se essentialitèr connexæ, sed participatione quadam, & quòad suam perfectionem. Ità ex DD.; quos refert Vasq. *disput*. 89. & alij: Ratio prioris est, quia vna virtus non habet speciem, & essentiam ex ordine ad aliã, sed solùm ad proprium obiectum directũ: Ratio posterioris partis, quia in quolibet actu virtutis est primò firmitas animi in operando, in quo participat de fortitudine: item rectitudo operationis, & æqualitas cum regula, in quo participat de Iustitia: tertiò moderatio quædam, in quo participat de temperantia; atque ità in quolibet actu virtutis est participatio trium principalium, sub quibus cęterę continentur: sunt etiam connexæ quòad suam perfectionem, quia virtutes omnes se mutuò iuuant, ad superanda contraria; Temperatus enim, si fortis non sit, metu mortis aget contrà temperantiam; si non sit iustus, spe pecuniæ, aut lucri cupiditate succumbet, & sic de alijs.

4 Si comparentur virtutes morales cum intellectiuis, vtilitate præstantiores sunt virtutes morales Intellectiuis, quia reddunt hominem simplicitèr bonum, & occupantur in vtili bono, iucundo, laudabili, & honorabili: quarè etiam erunt vtilitate ad rectè viuendum præstantiores, licèt ratione subiecti, & potentiæ, cui inhęrent, sint præstantiores virtutes intellectiuæ, ex eo, quod Intellectus, & ratio præstantior sit, quàm voluntas: si comparentur virtutes morales cum Prudentia, sunt vtilitate præstantiores Prudentia, quia ad rectè viuendum plùs conducunt virtutes morales, quàm Prudentia, quæ solùm consistit in cognitione: si comparentur virtutes morales inter se, Iustitia cęteris præstantior est, quia habet pro obiecto bonum alterius, vndè Iustitia, ratione obiecti, est præstantior cæteris virtutibus.

TITVLVS XVI.

De Religione Ecclesiæ Militantis.

SVMMARIVM.

1 *Nomen Religionis dupliciter accipitur &c.*
2 *Actiones humanæ sunt obiectum materiale Religionis.*
† *Obiectum formale quod sit?*
3 *Actus Religionis distinguuntur in duo genera.*
† *Item actus exteriores subdiuiduntur.*

1 OCtaua Prærogatiua Ecclesiæ Militãtis est Religio, licèt nomen Religionis duplicitèr accipiatur; Primò, vt significat Virtutem moralem, qua tribuitur Deo cultus debitus; Secundò, vt significat statum quemdam, & conditionẽ multorum hominum colentium Deum speciali regula, & sub hac ratione non sumitur hic Religio, sed priori modo, quæ hoc modo definitur, Est Virtus moralis, quæ debitum cultum Deo, tamquàm primo rerum omnium principio exhibet; & ità communitèr DD. 1 Et quià obiectum Religionis non est Deus, hinc est, quòd nõ sit virtus Theologica, sed moralis, quia habet pro obiecto cultum Dei, & non Deũ: Cultus autem Dei est res creata, & naturalis, quando exhibetur Deo Auctori naturæ, quando autem tribuitur illi, vt est finis supernaturalis, est etiam Virtus moralis, & creata res, sed infusa; habet enim pro obiecto cultum, & honorem Dei, nõ Deum ipsum immediatè, quod requiritur ad Virtutem Theologicam.

2 Actiones humanæ sunt obiectum materiale Religionis, quibus deferimus Deo honorem, & reuerentiam; & ideò omnis actus honestus humanus, quatenùs referri potest in honorem, & gloriam Dei, potest esse materia Religionis, Suar. *lib*. 1. *cap*.
† 7. Obiectum formale Religionis est reddere Deo cultum debitum, Sanct. Thom. *quæst*. 81. Ratio, quia munus Iustitiæ est reddere debitum, Religio autem est pars Iustitiæ.

3 Actus Religionis distinguuntur in duo genera, nimirùm in actus interiores, & exteriores. Actus interiores etiam duo sũt, Deuotio, quæ nihil aliud est, quàm promptus voluntatis affectus ad aliquid efficiẽdum, propter honorem Dei. Sanct. Thom. *quæst*. 82.; Et Oratio, quæ est actus, quo
† aliquid à Deo supplicitèr petimus: Exteriores tres sunt; Primus, quo Deo aliquid tribuimus, & offerimus, siuè ipsum venerando, certa aliqua corporis inclinatione, & dicitur Adoratio, siuè aliquid sacrificando in eius honorem, & dicitur Sacrificium: Secundus, quo aliquid Deo promittimus, & dicitur Votum: Tertius, quo rem aliquam Deo Sacram adhibemus ad aliquid faciendum, & dicitur Iusiurandum.

TI-

TITVLVS XVII.

De actu interiori Religionis, qui est Deuotio, & Oratio.

SVMMARIVM.

1 *Actus interior Religionis duplex.*
† *Oratio triplex.*
2 *Oratio mentalis diuiditur, &c.*
3 *Orationis fructus qui sint?*
4 *Orationis effectus, &c.*
5 *Oratio quomodo prosit homini?*
6 *Oratio quomodo sit necessaria ad salutem?*
7 *Oratio an cadat sub præcepto, & quando?*
8 *Præceptum Orationis quomodo obliget.*
9 *Quæ Oratio cadat sub præcepto?*

1 ACtus interior Religionis est Deuotio, & Oratio: Deuotio duplex est,
† vt infrà dicitur; Oratio verò triplex, mẽtalis, vocalis, & mixta: Mentalis dicitur illa, quæ mente tantùm fit; Oratio vocalis est, quæ fit verbis; Oratio verò mixta est, quæ simùl est vocalis, & mentalis, quæ etiam duplex est, vna publica, & altera priuata. Oratio publica est, quæ per Ministros Ecclesiæ pro salute Populi celebratur; Oratio verò priuata est illa, quam offert aliquis non vt Minister Ecclesiæ, sed vt priuata Persona pro se, vel pro alio.

2 Oratio mẽtalis diuiditur in meditationem, & contemplationem; Meditatio cõsistit in consideratione mediorum vitæ spiritualis; Contemplatio autem consistit in consideratione finis vitæ spiritualis. Diuiditur etiàm Oratio in obsecrationẽ, postulationem, & gratiarum actionem, vt constat ex Apost. 1. *ad Timoth.* 2. Cum ait, *Obsecro igitur, primùm fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Est etiam Oratio viua, & mortua: Oratio viua est, quæ fit in gratia; & idcircò dicitur viua, quia fructifera; Oratio mortua est, quæ fit in peccato mortali; & dicitur mortua, quia non est fructifera.

3 Primus Orationis fructus est augmentum Religionis; Oratione enim homo se vnit Deo, seipsum ei subijcit, Auctorem bonorum agnoscit, in omni necessitate vnicum esse refugium: Item est meritoria maioris gratiæ, & gloriæ; Est satisfactio pro peccatis; Vndè August. *in lib. de Oratione Dominica, Necessaria est,* inquit, *quotidiana Oratio, vt qui quotidiè delinquimus, assiduæ orationis satisfactione purgemur:* Est impetratio secundùm promissiones à Christo factas, *Matth.* 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo: & cap.* 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis;* & Luc. 11. *Petite, & dabitur vobis:* Item Ioan. 16. *Petite, & accipietis.*

4 Oratio ad amorem Dei inflammat, mẽtem illuminat, Animam ad Deum eleuat, cor hominis tranquillat, confortat, fiduciam accedendi ad Deum tribuit, humilitatem, Deique timorem conseruat, rerum terrenarum contemptum parit, gignit incredibilem animi voluptatem, gaudium delectationem, &c. cælestem Curiam delectat, vitam prolungat, infirmitates corporis sanat, & morbos spirituales, Dæmones fugat, cruciat, in bello corporali triũphat, item de hostibus spiritualibus; Oratio ab opprobrio liberat, etiam à mortis periculo, Cœlum aperit, & claudit, Deũ placat, ab ira Dei protegit, &c.

5 Oratio homini prodest, non quidẽ immutando Diuinam Voluntatem, nam hoc est impossibile, sed impetrando à Deo, quod ipse, media oratione, adimplendum esse ab æterno disposuit; multa enim disposuit Deus facere media oratione; sicut etiam alijs medijs secundis, vt ex varijs locis scripturæ colligitur, 3. *Reg.* 3. dixit Deus Salomoni, *Quia postulasti tibi Sapientiam, ecce dedi tibi cor sapiens, & intelligens;* & Isa. 38. dicitur, Deũ Ezechyæ, propter eius orationem, vitæ tempus prolungasse, & ex pluribus alijs locis.

6 Oratio est necessaria ad salutem: Ratio, quia, vt benè viuamus, non potest fieri sine auxilio Dei; at auxilio Dei per orationem necesse habemus, si benè viuere desideramus; ergò oratio est ad salutem necessaria, & simpliciter, siuè necessitate medij: Ratio, quia æquè censetur necessaria, ac sancta Vita; at bona, & sancta Vita est necessaria necessitate medij; ergò &c. Vndè D. August. *in lib. de Ecclesiast. dogmat. cap.* 56., *Nullum credimus ad salutem venire, nisi Deo inuitante, suam salutem operari nullum, nisi orantem, auxilium sibi promereri;* ergò nullus salutem consequitur sine oratione.

7 Cum oratio sit medium ad æternam salutem ordinatum, idcircò cadit sub præcepto Diuino, cùm media sint nobis Diuino iure præcepta: imò hoc præceptum non est Diuinum positiuum, sed Diuinũ naturale, ac proindè semper, & in omni lege obligauit: & licèt hoc præceptum non habeat determinatum tempus; tamẽ D. Thomas *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 1. Angel. *verbo oratio quæst.* 20. Medin. *C. de oratione quæst.* 1. Nauar. *de orat. cap.* 3. *num.* 14. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 30., assignant plures casus, in quibus homines tenentur pro se, & alijs orare: Primus est, quando homo tenetur se ad Deum conuertere debito modo, ad honestè, & sanctè viuendum: Ratio, quia istà conuersio, propter suam difficultatẽ, fieri non potest, sine speciali Dei auxilio, ad quod impetrandum est necessaria oratio. Secundus casus est, quando homo est in graui aliquo periculo corporis, vel animæ cõstitutus, vt cum quis sentit grauem, & periculosam tentationem, &c. Ratio est, quia graues tentationes vix, aut nunquàm vitari possunt sine diuino Dei auxilio, ad quod impetrandum oratio est necessaria, tamquàm medium ad id ordinatum; Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. Tertius casus est, quando proximus in graui aliquo periculo vel corporis, vel animæ versatur. Quartus casus est, quando

do ex præcepto tenemur audire Missam, quia tunc tenemur orare, idest orantibus assistere, vt eis mediantibus oremus. Quintus casus est, quotiès Peccator se ad gratiam præparare debet, vt quando ipse Sacramentum aliquod administrare, vel sumere vult; tunc, vt vitet, & expellat peccata, tenetur petere veniam peccatorum, & auxilium, vt Deo reconcilietur, præcipuè quando deest copia Confessarij. Vltimus, quotiès vult periculosum iter ingredi, aut aliud negotium magni ponderis, & momenti suscipere; in his enim casibus necessariò tenemur nos Deo commendare, & formalitèr, vel virtualitèr orare, & Dei gratiam, & fauorem petere;

8 Præceptum orationis obligat sub mortali, cùm sit de rè grauissima, & valdè necessaria ad salutem; & hoc præceptum non obligat determinatè ad orationem mentalem, aut vocalem, sed sub discretione, ad alterutrum, & quælibet oratio, tàm vocalis, quàm mentalis est per se sufficiēs ad obtinendum à Deo quidquid necessarium est ad salutem.

9 Etsi salutare sit, Dominicam orationē secundùm se, & ordine, quo tradita est, scire, & secundùm eorum ordinem, & formulam orare; non tamen id videtur positum sub præcepto Ecclesiæ, quia nullibi tale præceptum reperitur; sicut nec etiam positum est sub præcepto recitare salutationem Angelicam; licèt optimum sit, & salutare, vt omnes eam addiscant, & sæpiùs recitent.

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Ad orationem meritoriam, quæ requirantur?*
2 *Item ad orationem satisfactoriam, quæ requirantur?*
† *Ad orationem requiritur Charitas, &c.*
3 *Oratio debet esse de re bona, & honesta.*
† *Debet esse cum Perseuerantia, &c.*
4 *Oratio quomodo sit meritoria?*

1 AD orationem meritoriam requirūtur omnia ea, quæ in alijs operibus exiguntur, nimirùm, vt sit actio libera, & honesta supernaturalitèr, quòd adsit fides Dei remuneratoris, & potentis facere id, quod petitur, & benigni ad volendum facere, si non desint conditiones debitę: Itē requiritur bonum desiderium rei, quæ petitur in oratione, vt scilicèt ad orandum, moueatur bono fine: requiritur etiàm humilitas, qua quis iudicet, sibi non deberi res, quæ petitur, sed pendere ex Diuina liberalitate: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, Eccles. 35. Item non habere animùm offendendi Deum: Vndè necessarium est priùs veniam petere peccatorum.

2 Ad orationē satisfactoriam, prætet prędicta, requiritur etiam aliqua difficultas, & pęnalitas in oratione: Item ad hoc, vt sit meritoria, requiritur bonitas supernaturalis liberæ actionis; Et ad hoc, vt sit infallibiter meritoria, requiritur primò fides: Vndè Apost. *Ad Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Et quòd fides sit necessaria, colligitur ex pluribus locis scripturæ; sed satis illud Matth. 21. *Omnia quæcumq. petieritis in oratione credentes, accipietis:* Secundò requiritur spes, seù fiducia, qua Diuinæ Benignitati firmitèr innixi, certo confidamus, Deum concessurū esse, quod petimus, iuxtà illud Psal. 90. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum; Clamauit ad*
† *me, & Ego exaudiam eum.* Tertiò requiritur Charitas, qua benè affecti ad Deum, obsequamur eius mandatis: & licèt Deus libentiùs exaudiat Iustos, quàm Peccatores; tamen si Peccator petat bona conducibilia ad salutem, semper exauditur à Deo; dummodò aliqua ex conditionibus requisitis in oratione non deficiat: Ratio est, quià promissiones Christi generales sunt, & non limitatæ; ergò oratio sinè sit Iusti, siuè Iniusti, impetratoria est, quia orationis vis non fundatur in dignitate personæ, sed in misericordia Diuina, & Verbo eius, & per consequens indignitas peccatoris nō obstabit impetrationi, etiam infallibili, si alia necessaria concurrant; tùm etiam, quia Deus nunquā hortaretur peccatores ad petēdā sua dona, nisi illa esset petentibus concessurus; at tamen Christus dixit, *Petite, & dabitur vobis; Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur*, ergo, &c.

3 Quarta conditio est; vt oratio sit de re bona, & honesta, quia oratio est petitio decentium à Deo: Quintò requiritur, vt id, quod petitur, necessarium sit ad salutē, vel ad illam conducat, maiusq; animæ
† bonum non impediat. Sextò requiritur ad infallibilitèr impetrandum, perseuerantia; Et ideò Apost. *ad Rom. 12. Orationem instate*, & 1. *ad Thes. Sine intermissione orate*. Septimò requiritur, vt qui orat pro se oret, & non pro alio: & licèt D. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 15. & 16., quem communitèr sequuntur Scholastici, doceat, hanc conditionē esse absolutè necessariam, vt colligitur ex verbis Christi, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Ioan. 16. Et ex pluribus alijs locis, tamen existimo, hanc conditionem non esse simplicitèr necessariam, & promissionem Christi esse vniuersalem, sinè vnus pro se, siuè pro alijs oret, modò ex parte aliorum non adsit incapacitas, neque cęteræ conditiones desint. Ratio, quia, vbicumque fit promissio, est absoluta, & vniuersalis, vt patet ex verbis Ioan. *Orate pro inuicem, vt saluemini;* Ex quibus clarè patet, generalem esse promissionem, nō solùm pro nobis, sed etiam quandò pro alijs oramus. Octauò, requiritur in orante humilitas, quia non in suis meritis, sed in Dei benignitate confidat, iuxtà illud Daniel 9. *Neque in Iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis;* & ex pluribus alijs locis. Requiritur vltimò deuotio, idest, quòd oratio fiat cum attentione, & feruore debito, quæ deuotio oritur ex fide; Ijs igitur conditionibus concurrentibus, nulli debet esse dubium, quin eius oratio

à

à Deo exaudiatur, sitq; impetratoria; quãdoquidem Christus ad id sua se promissione obligauit: & quamuis non statim vota orantis Deus compleat, non propter hoc diffidendum est, quia nobis perseuerantibus adimplebit.

4 Oratio est meritoria ex fidelitate, non autem ex Iustitia: Ratio, quia peccatum nulla lege iustitiæ potest obligare Deum; tum etiam, quia ad rationem debiti ex Iustitia requiritur æqualitas ex parte operationis, Oratio autẽ remuneratur æqualitèr per augmentum gratiæ, & gloriæ; ergò res alia, quæ Iusto datur, est vltrà æqualitatem; & ideò non debetur ex Iustitia: Ratio autem, cùr Deus statim non concedat, quod petimus, est primò, vt crescat in nobis desiderium talis rei; secundò, vt meliùs custodiatur donatum, &c.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Bona, quæ à Deo petuntur, sunt in duplici differentia.*

2 *Non modò bona spiritualia, sed etiàm temporalia peti possunt.*

3 *A Deo non potest peti aliquid, quod sit peccatum Mortale, vel Veniale.*

1 BOna, quæ à Deo possunt peti, sunt in duplici differentia, nam quædam sunt, quæ per se, & absolutè sunt bona, & secundùm se appetibilia, qualia sunt peccatorũ venia, vita æterna, Virtutes Theologales, dona Spiritus Sancti, &c. Alia sũt bona ex quadam parte, qua homo potest benè, & malè vti, qualia sunt bona interna animi, aut bona corporis, aut sunt bona externa, vt sunt amicitiæ, opes, &c.; Quæ bona possunt à Deo licitè peti, sed cum hac differentia, quòd bona prioris generis determinatè, & absolutè possunt a Deo peti, cùm sint maximè Deo grata: Bona posterioris generis non sunt absolutè à Deo petenda, sed quatenùs necessaria sunt, vel vtilia, aut commentitia ad vitam æternam, seù quatenùs Deo placuerit, ea conferre, & proùt ipse viderit expedire.

2 Non modò bona spiritualia, sed etiam bona temporalia, possunt peti à Deo per Christum, quatenùs sunt adminicula virtutum: Ratio est, quia talia bona sub ea ratione considerata, spiritualia sunt; vndè sub merito cadere possunt; & ideò etiam Christus illa nobis promeruit; Imo possunt etiam peti à Deo per Christũ ob commoditatem naturæ rectà ratione gubernatam: Ratio est quia quidquid ipse Christus in oratione petere docuit, potest per ipsum postulari; at ipse docuit petere etiam subsidium temporale, dicens, *Panem nostrum, &c.* ergò &c.: Et hoc patet ex vsu Ecclesiæ, quæ semper per Christum petit, etiamsi interdùm temporalia petat, non facta mentione profectus spiritualis.

3 Qui aliquid à Deo petit, quod est peccatum mortale, peccat mortalitèr; Primò ob malam voluntatem, quam habet committendi illud peccatum: Secundò propter contumeliam, quam per talem petitionem Deo irrogat, faciendo eum auctorem peccati, etiamsi aliquis à Deo petat aliquid, quod sit solùm peccatum veniale, quia grauem ei iniuriam infert, quia quantùm in se est, destruit infinitam Dei bonitatem, quæ non patitur secum approbationem alicuius peccati, & est peccatum blasphemiæ petere aliquid à Deo, quod sit peccatum, siuè mortale, siuè veniale.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Cui natura conueniat orare?*

2 *Christo, inquantum Deus est, non conuenit orare, &c.*

3 *Deus est orandus.*

† *Pro omnibus orandum est.*

1 SOli naturæ rationali superiorẽ agnoscenti orare conuenit, à quo aliquid boni sibi, vel alteri expectare poterit: Vndè Deo non conuenit orare, cùm Superiorem non agnoscat, nec vni Personæ Diuinæ conuenit orare aliam: Ratio est, quia orare est actus inferioris ad Superiorem, & requirit distinctam voluntatem inter eum, qui orat, & ad quem orat; Personæ Diuinæ neque habent Superiorem extrà, vel intrà se, nec habent voluntates distinctas; Idcircò nequit vna alteram orare.

2 Christo, inquantũ Deus est, non conuenit oratio, quia nõ agnoscit Superiorem: inquantùm verus homo, cõuenit illi orare: Vndè manens in terra, sæpiùs orauit. Christus sedens in dextera Dei orat Patrem pro Ecclesia, ostendendo illi sua vulnera, cicatrices, &c. Et ideò Ecclesia orat Christum, non vt pro nobis intercedat, sed vt pro nobis opem ferat, & misereatur nostri. Item orare conuenit Angelis, Beatis, Viatoribus, & Defunctis, qui sunt in Purgatorio; Damnatis autem oratio propriè non competit.

3 Deus est orandus, quia ipse solus dat gratiam, & gloriam: item Sancti sunt inuocandi, non tamquàm primarij auctores vitæ, & salutis nostræ, sed tamquàm amici Dei carissimi, vt pro nobis orent, & opem

† ferant, &c. Per merita Christi pro omnibus orandum est, qui nondùm sunt in termino, etiam pro inimicis nostris, quia omnibus salutem desiderare, & quantùm cõmodè possumus, procurare debemus, cùm ex charitate, omnes diligere debeamus, sicut nos ipsos.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Intentio est de substantia orationis.*

2 *Satis est, quòd sit implicita.*

3 *Attentio quid sit.*

4 *Attentio est triplex.*

5 *Intentio interior quando impediat vocalem orationem.*

1 In-

1 INtentio, seù propositum orandi, seù petendi aliquid à Deo est de substantia orationis:Ratio,quia oratio,ex suo genere, est actus religionis; religio autem est virtus voluntaria, ergò vt oratio sit actus religionis, debet proficisci ex intentione, ex suo genere, pertinente ad religionem, quæ saltèm debet esse intentio orandi, & petendi aliquid à Deo.

2 Non est necesse, quòd huiusmodi intentio sit explicita, sed satis est, quòd sit implicita: Ratio, quia huiusmodi intentio sufficit ad quemcumque actum moralem; Et ideò ad satisfaciendum præcepto, sufficit voluntas, qua Clericus manu breuiarium capit, aut Ecclesiam petit, ibi recitaturus, quamuis posteà recitet, inuoluntariè distractus, Diuinum Officium: Ratio est, nam eo ipso, quo quis voluntariè aliquid istorum facit, animum habet persoluendi munus suum, ac proindè intentionem habet attendendi.

3 Attentio est intellectus aduertentia ad id, in quod voluntas tendit: vndè attendere nihil aliud est, quàm animum habere præsentem ad id, quod dicit; quæ duplex est, interna, & externa: interna est, qua quis attendit animo ad Deum, vel res diuinas, excitatque in se ergà Deum reuerentiam; externa verò est, quæ est circà externam pronunciationem.

4 Attentio est triplex, vna ad verba, quæ dicitur materialis: altera ad sensum litteralem verborum, quæ dicitur litteralis: tertia spiritualis, qua cogitatur ad Deum, & ad rem, pro qua oratur; quæcumque ex ijs attentionibus habeatur, satis erit.

5 Intentio interior aliquandò tanta est, vt impediat vocalem orationem, quia scilicèt impedit, vsum vocis; & ideò in oratione ex præcepto, necessaria est aliqua maior aduertentia, vt scilicèt verba integrè, & sine errore dicantur, adeòq; etiam certus sit moralitèr, se non errare; & ideò vt oratio sit deuota, debet cum intentione, & attentione fieri.

TITVLVS XVIII.

De primario actu exteriori Religionis, idest De perfecta adoratione Dei, & Sanctorum Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Adoratio quid sit.*
2 *Adoratio triplex.*
3 *Cultu Latriæ qua adoranda?*
4 *Eucharistia adoranda adoratione Latriæ!*
† *Quæ Christum tetigerunt, qua adoratione adoranda.*
5 *Angeli, &c. adorandi sunt adoratione Dulia.*
† *Adoratio Dulia quid sit.*
6 *Imagines Dei, & Sanctorum qua adoratione adoranda.*
7 *Beata Virgo adoranda adoratione Hyperdulia.*
† *Eius Imago.*
† *Eius etiam vestes.*
† *Nomen Iesus, & Mariæ debent adorari eadem adoratione.*

1 ADoratio est exhibitio reuerentiæ, propter reuerentiam illius, cui exhibetur; vel est actus, quo significatur submissio creaturæ in recognitionem ipsius excellentiæ: vndè tres actus experiuntur in adoratione externa; Primus est intellectus, quo cognoscimus excellentiam illius, qui adorandus est; secundus est voluntatis, quo nos ei subijcimus, & quodammodò interiùs flectimus; tertius externus, quo illam reuerentiam interiorem significamus, genuflectendo, &c. Primus actus nō est adoratio, nam etiam Dæmones cognoscunt, Deum esse supremum Principē, & tamen non adorant; secundus est propriè adoratio, sicuti etiam tertius, cùm sit consequens ad secundum.

2 Adoratio triplex est, vna propria Dei, quæ dicitur Latria; Secunda conueniens Sanctis, & dicitur Dulia; tertia Beatæ Virginis propria, quæ dicitur Hyperdulia. Adoratio Dei est actus externus Religionis, quo per conuenientem aliquem corporis gestum protestamur nostram subiectionem ergà Deum, vt ergà summū omnium Dominum, atque adeò tribuimus ei Diuinum honorem.

3 Cultu Latriæ adoranda est Sanctissima Trinitas, & singulæ personæ Sanctissimæ Trinitatis, quia quælibet diuina persona Deus est, atque adeò illi debitus, supremus cultus: Christus quatenùs Deus, seù hic homo Christus in diuina, & humana natura subsistens, adorandus est adoratione Latriæ, sicut tota Trinitas, & singulæ personæ adorantur: humanitas autem Christi, in quantùm est Diuinitati vnita, adoratione Latriæ adoranda est, ratione hypostasis verbi Dei, à qua, & in qua sustentatur: Si verò humanitas Christi per se precisè cōsideretur, præcisa diuini Verbi persona, qualis nec est, nec vnquàm erit, adoratione Hyperduliæ adoranda erit, propter excellentiam donorum, quibus adornata est: item sāguis Christi adorandus est adoratione Latriæ, quia ille sanguis non est à diuino verbo separatus, & proindè etiamsi separatus sit à corpore Christi, adorandus est adoratione Latriæ.

4 Eucharistiæ Sacramentum cùm verè, & realitèr contineat Christi corpus, adorandum est adoratione Latriæ: item adoratione Latriæ coli debent illa, quæ Christum Dominū re ipsa tetigerunt, vt Crux, claui, lancea, &c., non quidem secundùm se, sed per ordinem ad Christum, cum quo fuerunt aliquo modo coniuncta: res verò intelligentiæ, & rationis compotes, quæ Christum aliquo modo tetigerunt, non sunt propterea adoratione Latriæ colendæ, quia habent propriam adorationem conuenientem: quæ verò nefariè, nullum cultum merentur, sed potiùs execranda sunt: item Crux, quæ in similitudinem Crucis, in qua Christus pependit, formari solet, adoranda est adoratione Latriæ, quatenùs repræsentat Christū crucifixum: cetera verò instrumenta formata ad similitudinem eorum, quæ Christum tetigerūt,

non

non sunt adoranda adoratione Latriæ; quia nō sunt signa,& imagines, quę Christum repræsentent: imagines Christi Dei, vel Christi, quatenùs terminantur ad ipsum repræsentādum, sunt adorandę adoratione Latrię; Sanct. Thomas 3. *par. quæst.* 25.*art.*3.& communiter Doctores.

5 Angeli Beati in Cœlo regnantes ado-
† randi sunt adoratione Duliæ. Adoratio autem Dulię est actus externus Religionis,quo per gestum externum conuenientem protestamur nostram subiectionem ergà illos, vt præstantes,& excellentes in aliqua dignitate.Reliquiæ Sanctorum eadem adoratione adorandę sunt, qua Sancti, per habitudinem ad illos: vndè non per se,sed ratione illorum,adorandę sunt adoratione Duliæ: Imagines, Sanctos repræsentantes, eadem adoratione debent adorari,qua Sancti: Ratio est, quia imago in exemplari, & exemplar in imagine adoratur;& cultus, & honor imagini datus transit ad Prothotypum, & exemplar, quod refert imago. Ità Sancti Patres *in 7. Synodo,Act.7.quæ est Nicena 2.*

6 Imagines Dei, & Angelorum, qui sunt puri Spiritus,sunt licitę;& est de fide:& licèt imago non possit adhiberi ad repræsentandum Deum, & Angelos, vt in se sunt, secundùm propriam similitudinem; possunt tamen Deus, & Angeli repręsentari per quamdam metaphoram, vel vt aliàs apparuerunt.

7 Beata Virgo adoranda est cultu Hyperduliæ, propter eximiam eius dignitatem inter Sanctos, & cōiunctionem,quam ha-
† buit cum Christo.Item eius imago eadem
† adoratione adoranda est: eius etiam vestes per relationem, quam habent ad ipsam, eadem adoratione Hyperdulię ado-
† randę sunt. Nomen item Iesus, & Marię eadem adoratione, qua ipsi adorantur, adorandum est: Ratio colligitur per relationem, quam habent ad ipsos; & peccat contrà religionem, si quis istis nominibus exhibeat ignominiam.

TITVLVS XIX.

De secundo actu exterioris Religionis, nimirùm

De sacrificio Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit sacrificium.*
† *Christus Dominus,est Sacerdos,& hostia,&c.*
2 *Est etiam alius Sacerdos ministerialis,&c.*
3 *Sacrificij tres sunt partes essentiales.*
4 *Duplex oblatio in Missa.*
5 *Consumptio est de essentia sacrificij.*
6 *Sacrificium Missæ quomodo differat à sacrificio cruento,quod Christus obtulit.*
7 *Ex sacrificio duplex fructus oritur.*
8 *Sacrificium Missæ quomodo sit propitiatorium.*
9 *Sacrificium Missæ habet vim impetrandi varia dona,beneficia, &c.*
10 *Sacrificium Missę an habeat efficaciam infinitam?*
11 *An fructus Missæ minuantur ob malam dispositionem Ministri?*
12 *Sacrificium Missę est etiam satisfactorium pro peccatis.*

1 Sacrificium in Ecclesia militante est externa,& sensibilis actio,qua conficitur Christi corpus,quod in Missa offertur, & à Sacerdotibus sumitur per communionem,siuè sacrificium: est oblatio Deo facta per mutationem alicuius rei sensibilis in signum supremi Dominij super omnes,ex publica,& legitima institutione,in quo offerens est Christus Dominus; idem Sacerdos,& hostia offerens,& res oblata. Ità D.Thom.*quæst.*83.*art.*1.

2 Est etiam alter Sacerdos in isto sacrificio, qui dicitur ministerialis, qui Christi personā assumens,ac repręsentans,profert verba cōsecrationis,quibus nouę legis sacrificium essentialitèr perficitur: & ideò S.Cyprian.*lib.2 epist. 3. ad Cæcilium*, ait *Sacerdos in altari vice Christi fungitur, ac sacrificium verum,ac plenum Patri offert.*

3 Sacrificij Ecclesię militantis tres sunt partes essentiales,consecratio,oblatio, & consumptio; & cùm consecratio sit pars essentialis sacrificij, ideò non fit sacrificium, cum Sacerdos non consecrat, sed populo ostendit hostiam pridie consecratam,vt in feria sexta Parasceues, quia nō fit consecratio, ideò non fit sacrificium, Henriq.*lib.2.cap.9.num.2.*& alij.

4 Et quia in Missa fit duplex oblatio; Prima,quando panis offertur,vt fiat Corpus Christi; Secunda, quando post consecrationem offertur ipsum corpus Christi illis verbis, *Vndè, & memores nos, &c.* Prima oblatio non est de essentia sacrificij, Secunda verò est de essentia sacrificij:Ratio, quia non censetur sacrificium, donèc res offeratur;tùm etiam, quia si Sacerdos, factā consecratione, pereat, tenetur alius Sacerdos offerre, & sumere, vt integrum fiat sacrificium, ergò signum est, oblationem esse de essentia sacrificij.

5 Consumptio est de essentia sacrificij:Ratio est, quia de ratione huius sacrificij est, vt sit repręsentatio passionis Christi; non repręsentatur autem Passio Christi, nisi adsit consumptio,vt colligitur ex 1.*Corinth.* 11.*Quotiescumque manducabitis,&c.ergò,&c.*

6 Sacrificium Missæ solùm accidentalitèr differt à sacrificio cruento,quod Christus obtulit in Cœna: Ratio, quia differunt in re oblata; nam in Cœna fuit Christus mortalis; in Missa est immortalis: Secundò in offerente, quia in Cœna fuit Christus,in Missa est Sacerdos: Tertiò in effectu morali,quia tùnc fuit meritorium, & satisfactorium,vt fuit à Christo; nùnc autem non ità est, quia non est in statu merendi; est tamen instrumentum morale ad applicandum effectum meriti, & satisfactionis inchoatæ in illo sacrificio,& consumato in cruce: Quartò illud Cœnæ significabat mortem Christi futuram; hoc autem prętetitam: Quintò illud non fuit
† imago alterius incruenti;nostrum est imago illius.

7 ExSacrificio duplex fructus oritur, vnus ex opere operato, qui infallibilitèr habet suum effectum; alter effectus est ex opere operantis, seù ex dispositione, ac meritis de congruo tùm Ministri offerentis, tùm totius Ecclesię Sanctę, cuius ille Legatum agit.

8 Sacrificium Missæ verè propitiatorium est, ex opere operato conferens remissionem peccatorum, & est de fide, vt habetur *in Trid. Sess. 22. cap. 1. & 2., & Can. 3.* Et ità colligitur ex Sanctis Patribus; licèt hoc Sacrificium non conferat gratiam remissionis per se, & immediatè, sed solummodò mediatè, quatenùs scilicèt Deus, intuitu huius Sacrificij; mouet ad contritionem, qua remittitur peccatum mortale. Ita S. Thom. *in 4. distinct. 12. quæst. 2.* Suar. *disput. 79. sect. 3. conclus. 4.* Reginal. *lib. 29. nu. 151.*, & alij.

9 Sacrificium hoc incruentum habet etiã varia dona, & beneficia, tùm spiritualia, tùm temporalia à Deo impetrandi; idque in primis, quatenùs offertur in personam Christi Deo Patri acceptatissimi; Item quatenùs offertur nomine Ecclesię, in qua multi Iusti sunt, Deoq; grati ad impetrãdum idonei: Deindè quatenùs ipse Minister, seù proximus offerens peculiaris suæ petitionis effectum adiungit, & quò magis dispositus, Deoq; gratus est, eò maior hinc Virtus oritur impetrandi, quæ Sacerdos pro se, vel alijs postulat.

10 Licèt Sacrificium Missæ, ex natura sua, habeat infinitam dignitatem, & valorem impetrandi, & fructus satisfactionis applicandi, tùm ratione rei oblatæ, tùm ratione primarij offerentis, qui est Christus Dominus, propter vnionem hypostaticã infinitè dignus; attamen spectatum hoc Sacrificium secundùm valorem, quem habet ex Christi institutione, & voluntate, non habet efficaciam producendi effectũ infinitum, sed semper finitum, ac limitatũ, tàm intensiuè, quã extensiuè. Ita S. Thom. *in 4. dist. 45 quæst. 2. art. 4.* Tolet. *lib. 2. cap. 6.* Bellarmi. *lib. 2. de Missa, cap. 4* Nauar. *cap. 25. n. 92.* & alij. Quatenùs nomine Ecclesiæ offertur, habet quidem vim finitam impetrandi, eamdemq; independentèr à Sanctitate Ministri, tamen eò maiorem, quò sanctior Ecclesia est, siuè plures, siuè in ea iusti, Deoq; gratiores existunt; & ita communitèr DD.: Quatenùs verò Sacrificium offertur à persona priuata, habet vim aliquo modo infinitam, quatenùs fructus, qui per modum impetrationis prouenit, tùm ratione deuotionis, tùm ratione multitudinis offerentium, magis, ac magis crescere potest; Ita Suar. *disput. 79. sect. 11.* Coninch. *quæst. 83. art. 1.* Paul. Comitul. *lib. 1. Moral. quæst. 44. num. 21.* & alij.

11 Quatenùs Sacerdos orat nomine Ecclesiæ, non minuitur fructus impetrationis, ob malam dispositionem Ministri, nisi Minister sit excommunicatus vitandus, quia per hunc non vult Ecclesia, suas orationes ad Deum offerri; Secùs verò dicendũ de tolerato: Quatenùs Sacerdos orat, & offert, vt persona priuata, fructus impetrationis, &c. prouenit sibi, tùm alijs, quibus eum applicat, secundum dispositionẽ, & deuotionem eiusdem, ac proindè quò magis dispositus est, eo plus gratię, & gloriæ apud Deum sibi meretur; plus etiam tùm sibi, tum alijs impetrat, & pro peccatis satisfacit; At verò sit malè dispositus, & indignus offerat, infructuosa est eius oratio, etiam secundùm vim impetrandi; & ità *in cap. in gramb. 3. quæst. 7.*

12 Tertius effectus Sacrificij est satisfacere pro peccatis, & ob id dicitur satisfactiuum, quia prodest ad remittendam penã peccatis debitam; & ità S. Thom. *quæst. 79. art. 5.* Nug. *quæst. 85. art. 1. §. in 2. p. dub. 4.* Vasq. *3. p. disput. 228. cap. 4. num. 26.* & alij.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Pro quibus possit offerri Sacrificium, &c.*
2 *Potest offerri pro animabus, quæ sunt in Purgatorio.*
3 *Sacrificium quomodo possit offerri pro omnibus, &c.*
† *Aliquo modo prodest Cathecumenis.*
4 *Pro Infidelibus non excommunicatis potest offerri.*
5 *Pro Damnatis nullo modo.*
6 *Valor Missæ quomodo distinguatur.*
† *Dupliciter potest dici infinitus.*

1 Sacrificium Ecclesiæ Militantis non potest offerri pro Beatis, & Sanctis quatenùs esset satisfactorium: Ratio, quia non indigent satisfactione: vt est Sacrificium gratiarum actionis, & honorarium, potest pro ipsis offerri, quia id est ipsis gratum; optant enim, Deo gratias agi à nobis, etiam pro beneficijs in ipsos collatis: Vt est impetratorium gloriæ accidentalis, quæ est extrinseca ipsis Sanctis, & nobis intrinseca, quod nihil aliud est, quàm offerre Sacrificium pro nostra vtilitate, & commodo, vt scilicèt glorificemur Sanctos, ac Beatos, potest pro ipsis offerri: si verò sermo sit de gloria accidentali, quæ sit intrinseca ipsis Sanctis, & consistat in illuminationibus quibusdam, & gaudijs accidentalibus, &c. sic non est impetratorium directè, quia illa habet in singulis Beatis determinatam legem, quæ non pendet ab orationibus nostris; indirectè autem esse potest, quatenùs ex nostris actibus redundare potest honor aliquis accidentalis in ipsos Sanctos.

2 Sacrificium Ecclesiæ Militantis potest offerri pro animabus, quæ sunt in Purgatorio ad remissionem pœnæ. per modum Impetrationis, tùm etiam ex opere operato ipsis consequendam. Ità *Concil. Trid. Sess. 22. Can. 3.* & ita communiter DD.: Ratio, quia cum animæ in Purgatorio sint vera membra Ecclesiæ, atque capacia fructus Sacrificij propitiatorij, non est ratio, cur neque ipsis, atque hominibus viuis applicari possit, & quidem non solùm per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato, & infallibiliter, quandoquidèm vtroque modo fructus prouenire solet per solam intentionem, & applicationem extrinsecam.

3 Pro

3 Pro omnibus viuentibus tàm paruulis, quàm adultis Sacrificium offerri potest à Sacesdote, quatenùs is personam Christi gerit, quamuis non idem omnibus ex Sa-
† crificio fructus proueniat. Pro Cathecumenis aliquo modo potest offerri Sacrificium: & ita Henriq. *lib. 9. cap. 15. num.* 5. Suar. *disput.* 78. *sect.* 2. Azor. *lib.* 10. *cap.* 22. *quæst.* 2. & alij. Non tamen prodest illis ex opere operato, sicut nec Sacramēta eisdem prosunt, cùm ad Ecclesiam omninò non pertineant, cùm nec-dùm fidem per Baptismum professi sint: Prodest tamen illis, quò ad fructum impetrationis, vt scilicet Deus illis inspiret desiderium regenerationis, & conuersionis, & non quòad fructum satisfactionis ex opere operato, vt dictum fuit.

4 Pro Infidelibus non excommunicatis potest offerri Sacrificium, quatenùs est impetratorium: Ratio desumitur ex veteri lege, in qua offerebatur Sacrificium pro gentibus; tùm etiam ratione Sacrificij, quod fuit oblatum pro omnibus Infidelibus.

5 Pro Damnatis nullo modo potest offerri Sacrificium: & ità *Ex cap. Pro obeuntibus* 13. *quæst.* 2. *Cap. Placuit* 23. *quæst.* 5. Ratio, quia eorum desperata est oratio.

6 Valor Missæ distingui potest in generalissimum, specialissimum, & specialem: Generalissimus dicitur ille, quem intendit Ecclesia applicare pro Christianis tàm viuis, quàm defunctis, pro quibus Ecclesia intendit orare: Specialis Valor is dicitur, qui debetur illis, pro quibus Sacerdos specialitèr orat: Specialissimus est proprius ipsius Sacerdotis, cùm sit meritum, quod ipse acquirit, celebrando, quod non
† tenetur, nec potest alteri applicare. Item duplicitèr dicitur infinitus, intensiuè, & extensiuè: Extensiuè dicitur infinitus, qui non tot prodest, quin posset prodesse pluribus: Sacrificium Missæ, ratione deuotionis, aut multitudine offerentium, habet Valorem infinitum extensiuè, quia non tot prodest, quin posset prodesse pluribus: Valent. *tom. 4. dub. 6. quæst.* 11. *p.* 1. §. 4. Vasq. 3. *p. tom.* 3. *disput.* 210. *num.* 9. & alij.

PARAG. II.

SUMMARIVM.

1 *Sacerdos quando peccet, non celebrando.*
2 *Episcopo, &c. debent curare, vt in Ecclesijs Cathedralibus quotidiè saltem vna Missa celebretur.*
3 *Capellanus tenetur celebrare iuxtà Institutionem Capellæ.*
4 *Capellanus infirmus quomodo satisfacere debeat.*
5 *Qua hora sacrificandum.*
6 *Pluriès non est licitum sacrificare, nisi die Natalis.*
7 *Regularibus concessum est Priuilegium sacrificandi ante auroram, &c.*

1 Sacerdos mortalitèr peccat si absque iusta causa non celebret toto anno. Ità Azor. 1. *p. lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 1. Nau. *cap.* 25. *num.* 88. Reginal. *lib.* 29. *num.* 46. & alij. Sacerdos verò Curatus per se, vel per alium omnibus illis diebus celebrare obligatur, quibus plebs ipsi subdita, ex præcepto Ecclesiæ; Missam audire debet. Sot. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. Tol. *lib.* 2. *cap.* 3. & alij. Ratio, quia ideò accipiunt oblationes, & decimas à fidelibus, quia ipsis dispensare debent ea, quæ ad salutem necessaria sunt; Non tenetur tamen Missam pro illis applicare, nisi iuxtà consuetudinem, & institutionem beneficij, vel saltem iudicio Prudentis. Ità Bonac. *disput.* 4. *de Missa Sacrificio, quæst. vlt. p.* 7. & alij.

2 Episcopis, & Prælatis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, Conuentualium obligatio incumbit, vt in talibus Ecclesijs quotidiè saltem vnam Missam celebrare curent. Sot. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 2. Suar. *disput.* 80 *sect.* 2. Coninch. *quæst.* 83. *art.* 2. *dub.* 1. & alij. Et colligitur *ex cap. cum creatura de celebrat. Miss.* Hæc ideo obligatio non censetur de iure Diuino, sed solùm de iure Ecclesiastico.

3 Capellanus verò tenetur celebrare Sacrificium, iuxtà institutionem suæ Capellaniæ: Vndè si Capellania instituta est ad celebrandum quotidiè, tenetur quotidiè sub mortali celebrare, nisi id iusta de causa, vel impedimento prætermittat. Graf. *tom. 2. consil. lib. 3. diff* 4. *num.* 4. Reginal. *lib.* 24. *num.* 164. Azor. 1. *p. lib.* 10 *cap.* 22. *quæst.* 7. & alij. Si verò Capellania instituta sit propter alios fines, vt psalendi, &c. tùnc non est obligatus celebrare. Fill. *de Sacrif. Miss. cap* 6. *num* 173. & alij.

4 Capellanus, qui ob infirmitatem non celebrat, si infirmitas, aut impedimentum breui tempore duret, non tenetur Missas præteritas compensare, cùm præsumendū non sit, fundatorem velle ad id obligare: & ita Pet. Nau. *lib. 2. de restit. cap.* 2 *num.* 210. quia neq; etiam Herus ob breuem infirmitatem famuli detrahere solet de mercede eiusdem: Si autem ægritudo, vel aliud impedimentum diutiùs duret, tùnc Vicarius statuendus est, nè Ecclesia longo tempore, & fundator spirituali fructu priuentur.

5 Regularitèr sacrificandum est ab initio auroræ vsque ad meridiem; ante auroram communi iure non est licitum sacrificare. Ita S. Thom. *quæst.* 83. *art.* 2. & Doctores omnes: Mystica ratio est, quia Christus, qui in Sacrificio offertur, est candor Lucis æternæ; Moralis verò ratio est, quia nocturnum tempus non ita opportunum est, vt Populus cum tanta reuerentia, ac dispositione interesse possit, sicuti tempore diurno: Episcopi in casu particulari possunt dispensare, vt ante auroram, & post meridiem celebretur; Item Missa potest dici ante auroram, vel post meridiem, cum adest necessitas communicandi infirmum, vel ex alia iusta causa, vt ratione priuilegij, &c.

6 Excepto die Natalis, non est licitum Sacerdoti nocte, & in die bis sacrificare; in ipso verò die Natalis licitum est, ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ, tres Missas celebrare; Idq; ad significandam tri-

plicem Christi Natiuitatem, æternam ex Patre cælesti; temporalem ex Maria Virgine; & Spiritualem in hominum cordibus: vel ad significandos tres hominum status ante legem Moysis, sub lege Moysis, & post legem, qui est status gratiæ.

7 Regularibus est concessum priuilegiũ, vt possint vna hora ante auroram, & alia hora post meridiem celebrare; quod intelligendum est, vt sit concessum vna hora celebrare ante, vel post tempus illud, quo alijs sacrificare licet, quia verba priuilegij ita accipi debent, vt aliquid operentur vltrà ius commune: Vndè colligit Suar., esse licitum Regularibus Missã celebrare tribus horis ante Solis ortum, quia sine priuilegio licitum est celebrare duabus horis ante Solis ortum.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *In quo loco debeat fieri Sacrificium.*
2 *In Ecclesia polluta non licet sacrificare.*
3 *Ad Sacrificium requiritur Altare lapideum.*
† *Quando desinat esse consecratum.*
4 *Item Calix, & Patena quando amittant consecrationem.*

1 IVre communi, Sacrificium non debet fieri, nisi in loco consecrato, aut benedicto: & ità communitèr omnes: ex dispensatione, potest Sacrificium celebrari extrà Ecclesiam; & ideò Episcopus potest dare licentiam, vt Sacrificium fiat in priuato Oratorio, non consecrato, nec benedicto, tamẽ Diuino cultui destinato, quod permittitur etiam nouo iure Concilij Tridentini *Sess. 22. in Decreto de obseruandis in celebrat. Miss.* Et licét in Decreto videatur restringere auctoritatem Episcopis à iure concessam, Ea tamen restrictio intelligẽda est, extrà casum necessitatis; & ità Suar. *disput. 81. sect. 3.* In casu necessitatis, licet in quocumque loco Sacrificium offerre; & ita *ex cap. Concedimus;* in mari, vel flumine non licet, ob periculum effusionis: Item ex priuilegio concesso alicui Religioni, vel priuatæ personæ extrà Ecclesias Missam celebrandi.

2 In Ecclesia violata non licet celebrare, antequàm purificetur. Nau. *cap. 25. num. 83.;* Potest tamen de licentia Episcopi fieri Sacrum, antequàm purificetur, sed requiritur grauis causa: Non contrahitur tamen censura, si in ea sine licentia ante reconciliationem celebretur; Ita Sor. *in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 3.* Suar. *disput. 81. sect. 4.* Syluest. *verbo Consecratio*, & alij.

3 Ad offerendum Missæ Sacrificium necessariò requiritur Altare, quod lapideũ esse debet, atque ab Episcopo consecratũ; Per Altare autem intelligitur locus, in quo hostia consecranda immoletur, & dicitur Altare, quasi alta ara: Altare duplicitèr sumitur; Primò pro tota mensa, super quam integrè ministerium fit; Secũdò pro lapide, qui priori Altari supponitur, & dicitur propriissimè Mensa Altaris; & de hoc propriè est sermo; & tamdiù

† Consecratio durat, quamdiù lapis integer manet; & quidèm si Altare sit fixum, per remotionem ab alia structura Altaris, perit consecratio, *Cap. si motum*; si mobile, & portabile, non perit, nisi frangatur, nisi in ligno sigillum, seu loculus reliquiarum inclusus sit, quia tùnc per amotionem ligni à lapide, videtur execrari Altare portabile, Miran. *tom. 2.* Man. *quæst. 39. art. 2.* Commune est tùm fixo, tùm Altari mobili, vt consecrationem amittant fractione notabili, idest tanta, vt nulla integra parte Altaris, Calix cum Patena consistere possit, Abb. *in cap. Ligneis. num. 1. notabile 2.* Henriq. *lib. 9. cap. 28. num. 1.* Nau. *cap. 25. nu. 83.* & alij.

4 Simili ratione, Calicis, & Patenæ consecratio perditur per notabilem fractionem, aut destructionem eorum figuræ; Non tamen per solam separationem pedis à cupa in Calice tornatili: Armil. *verb. Calix. num. 2.* Suar. *disput. 81. sect. 3.* Henriq. *lib. 9. cap. 28. num. 2.* Em. Sà. *Verb. Calix.* & alij. Ratio, quia sola cupa in Calice tornatili per se consecratur; Secùs de Calicibus, qui non mobilem pedem habent: Neq; etiam amittitur Consecratio, & si interior deauratio, temporis diuturnitate, penitùs absumpta sit, quia non sola Inauratio, sed totus Calix, & Patena consecrata censentur. Ità Auctores citati. Verùm, si Calici, & Patenæ noua superficies auri addatur, iterùm consecranda sunt, quia consecratio intelligitur esse in superficie, consequentèr, si noua superficies addatur, noua consecratione opus esse videtur; Et qnia de Missa infrà loquuti sumus; Ideìcò ad ea remitto Lectorem.

TITVLVS XX.

De tertio actu exteriori Religionis, idest

De voto.

SVMMARIVM.

1 *Votum duplicitèr accipitur.*
† *Quomodo definiatur.*
2 *Conditiones Voti.*
3 *Votum quam obligationem inducat.*
4 *Quando obliget.*
5 *Obligatio votorum realium se extendit ad hæredum; personalium non item.*
6 *Votum conditionale quando pariat obligationem.*

1 LIcèt de Voto infrà simus loquuti, tamẽ hic, vt ordinem seruemus, etiam pauca attingemus; Et primò votũ duplicitèr accipitur, interdùm pro desiderio, siuè prece, vt Prouerb. 31. *Quid dilecti votorũ meorũ*, idest desideriorũ, & in *Can. Miss. Tibi reddunt vota sua*, idest pia desideria, ac preces: Secundò accipitur magis propriè pro promissione Deo facta, & hoc modo sic defini-

† tur, promissio Deo deliberatè facta de re meliori; & ideircò de natura voti est, vt vouens habeat animum se obligandi, quẽ si quis vouendo non habuerit, votum non tenet:

tenet: verùm si habeat animum se obligãdi, sed non adimplendi, votum tenet; & ità communitèr Doctores.: Item requiritur, quòd votum sit factum cum maxima deliberatione, iudicio, & aduertẽtiá; & ideò validum non est votum, quod fit ex subitaneo motu, vel animi passione, iudicium, ac deliberatione perturbante: Item votum editum ex ignorantia, siuè errore tollente voluntarium, non est validum, dummodò error sit circà substantialia, quia secùs, si circà accidentalia. Ità Vasq. *1.2. disputat. 30. cap. 4. num. 24.* Suar. *lib. 1. cap. 12. num. 3.* Sanch. *lib. 4. cap. 3. num. 6.*

2 Triplex conditio ad materiam voti requiritur: Prima, vt posita sit in potestate vouentis; ex qua sequitur, votum, quod sit de re non possibili, sed impossibili, innalidum esse: Secunda conditio, vt materia voti sit opus moralitèr bonum; vndè opus diuina, vel humana lege prohibitum, non potest esse materia voti, cùm illud agere, sit homini illicitum. Toler. *lib. 4. cap. 17. num. 15.* sicut etiam est irritum votum faciendi opus moralitèr bonum ob finem prauum; ità Caiet. *verb. Votum.* Nau. *cap. 12. nu. 20.* Sylu. *verb. Votum 2. quæst. 2* Sanch. *cap. 6. num. 13.* & alij. Item res indifferens non potest esse materia voti, nisi bono, & congruo fine honestetur, S. Thom. *2.2. quæst. 88. art. 2.* Ratio, quia tale opus in indiuiduo, hoc ipso malum est, quia otiosum est: Tertia conditio voti est, vt eius materia sit melior, quàm oppositum. Et ità communitèr DD.

3 Votum inducit obligationem prçstandi id, quod voto promissum est, quç quidem obligatio est ex virtute religionis, quç est potentialis pars iustitiç, S. Thom. *loco citato.* Habet tamen in se perfectam rationem debiti, licèt non ad çqualitatem, cum Cultus, vel gratiarum actio Deo in recognitionem dominij, ac beneficiorum voto promissa, vel prçstita, minimè respondeat, siuè æquetur, atque etiam tota in ipsius hominis vtilitatem cedat.

4 Quando dies, vel tempus prçfinitum est ad exequendum votum, eo elapso, vouens continuò est in culpa, nisi aliqua iusta caussa excuset; si verò nullum tempus sit præscriptum, debet illud votum, cùm primùm commodè poterit exequi. S. Thom. *art. 3.* & alij. Si votum sit reale, potest vouens per alium illud exequi; Sylu. *verb. Votum 2. quæst. 6.* Nau. *cap. 12. num. 55.* Suar. *lib. 4. cap. 10.* & alij: si verò sit personale, nó potest per alium illud exequi; ità Auctores cit: Ratio, quia actus non se extendit vltrà intentionem vouentis.

5 Obligatio votorum realium se extendit ad hęredem: Ratio, quia hęres non modò subit commoda, sed etiam onera, & obligationes reales defuncti; non tamen tenetur ea exequi, virtute religionis, vt tenebatur defunctus, sed iustitię, ratione acceptatę hęreditatis. Persolutio votorum prçferenda est omnibus legatis etiam pijs: Ratio, quia est prior obligatio votorum, quç defunctum astringebant; non ità obligatio legatorum, debita verò iustitiæ, votorum executioni præferenda sunt; Ratio, quia vota soluenda sunt ex bonis defuncti; bona autem sunt, quç supersunt, deducto ære alieno, vt communitèr docent DD.; personalia vero vota non transeunt ad hæredem, quia hæres succedit defuncto tantùm in realibus, siuè commodis, siuè oneribus, iuribus, &c. *l. Hæredes ff. de reg. iuris.*

6 Vota verò mixta tenetur implere sub ea ratione, qua, realia sunt; non autem personalia: licèt votum conditionale non pariat statim obligationem perfectam; parit tamen imperfectam, & suspensam, quæ eueniente conditione, perficitur, & absoluitur, & ideò vouens debet expectare conditionis euentum.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Qui possint vouere.*
2 *Pater, &c. possunt irritare vota impuberis, &c.*
3 *Maritus, quæ vota vxoris irritare possit.*
† *Et vxor quæ vota mariti.*
4 *Votum quomodo extinguatur.*
5 *Vouens quomodo possit commutare sua vota.*

1 Omnis homo viator, tàm pubes, quàm impubes, postquam ad vsum rationis peruenit sufficientem, ad voti naturam cognoscendam, validè vouere potest, nisi aliundè sit impeditus; ità S. Thom. *2.2. quæst. 88. art. 9.* Vota Religiosorum, cuiuscumque generis sint, includunt hanc tacitam conditionem, *nisi Prælatus, re cognita contradixerit:* Ratio, quia Prælatus potestatem habet omnia vota infirma, siuè irrita reddendi. Ità S. Thom. *loco cit.* Sot. *lib. 7. de iust. quæst. 3.* Nau. *cap. 12. num. 65.* & alij. Excipiuntur tamen vota, quorum obligationes potestati gubernatiuæ Prælatorum subiecta non sunt, vt est votum Religionis strictioris ingrediendç, &c. Nau. *lib. 3. consil. cap. 4. num. 2. de voto.* Suar. *lib. 3. de voto cap. 7. num 33.* Sanch. *lib. 4. cap. 33. num. 2.* & alij; quia professio religiosa intelligitur, nisi ea meliùs mutare placuerit.

2 Pater, sicut, & Tutor omnia vota impuberis simplicitèr, & directè irritare potest. S. Thom. *quæst. 88. art 9* Sylu. *verb. Votum quæst. 5.* Nau. *cap. 12. num. 64.* & alij. Item vota ab impubere edita, etiam post adeptam pubertatem, à Patre possunt rescindi, si pubes factus, ea non confirmauit; Caiet. *2.2. quæst. 89. art. 5.* Sanch. *lib. 4. cap. 30. num. 14.* Suar. *lib. 6. cap. 6. num. 9.* & alij.

3 Maritus solum potest ea vota vxoris irritare, quæ repugnant iuri suo, quod habet ad coniugij vsum, & familiæ gubernationi prçiudicium aliquod afferre possũt. Syluest. *loco cit. quæst. 1.* Nau. *cap. 12. num. 64. & 65.* Valent. *tom. 3. disput. 6. quæst. 6. par. 6.* & alij. Ratio, quia mulier est solùm subiecta viro, quatenùs vinculum matrimoniale exigit.
† Ità etiam vxor potest irritare vota mariti; quæ iuri suo derogant, quod habet in corpus eius.

4 Extinguitur etiam votum, si tempus ela-

 pium

plum sit, quod vouens determinauit, causa obligationis restringendæ, finiendæ, &c. Cessante causa finali voti, cessat eius obligatio. Item si materia voti ex possibili, fiat impossibilis: Similitèr ob notabilem mutationem, vel inopinatum casum, vt præsumi possit, vouentis intentionem ad eiusmodi euentum, siuè casum specialem non se extendisse, sed exceptum iri, si in mentem venisset, vel de eo interrogatus fuisset. Syluest. *verb. Religio 2. quæst. 17.* Angel. *verb. Votum 3. num. 18.* Molin. *tom. 2. de iust. disput. 292.* & alij. Vltimò extinguitur votum per legitimam dispensationem, in qua tamen requiritur causa: quinque verò vota, quę, ex iure communi, vel consuetudine, dispensatione solius Summi Pontificis reseruantur, non veniunt in generali concessione dispensandi in votis, Suar. *lib. 6. de voto, cap. 18. num. 4.* & alij: & etiam euidentèr æquale: Ità Nau. *cap. 12. num. 75.* Henriq. *lib. 5. cap. 30. num. 5.* Clauis regia *lib. 6. cap. 12. num. 5.* Reginal. *lib. 18. num. 344.* Valent. *tom. 3. disput. 6. par. 7.* & alij. Ratio, quia commutando votum in melius, vel in æquale, nullam facit Deo iniuriam, cùm rem illi gratiorem, vel æquè gratam exhibeat; sed de hac materia meliùs, cum de voto, &c.

TITVLVS XXI.

De actu exteriori Religionis, qui est iusiurandum.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum quid sit.*
2 *Iuramentum est actus religionis.*
3 *Iuramenti diuisiones.*
4 *Iuramenti iudicialis species.*

1 IVramentum est inuocatio diuini nominis in testimonium alterius rei: Ità D. August. *de serm. Dom. in monte cap. 17.* Et idcircò iuramentum per solum verum Deũ fieri potest, cùm sit inuocatio diuini nominis; item ad veram rationem iuramenti non sufficiunt verba iuramenti significantia, materialitèr tantùm prolata, nisi simùl adsit animus, siuè voluntas iurandi, verumque Deum in testem vocandi; alioqui non erit verum, sed fictum, & dolosum iuramentum, Cou. *cap. Quamuis pactum par. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 1. cap. 2. quæst. 4.* Suar. *lib. 1. de iuram. cap. 1. num. 4.* Sanch. *lib. 3. cap. 1. num. 2.* & alij. Inuocatio diuini nominis non modò directè, sed etiam indirectè fieri potest, vt quando fit per Sancta Euangelia, in quibus infallibilitèr Dei veritas continetur. Item per creaturam, in qua specialitèr refulget Dei bonitas, vel per gratiam, vel per naturam, & tantò decentius est iuramentum per creaturam, quantò ea sanctior, seù excellentior est, & ideò iocosum esset iuramentum, si quis afferret ignobilem creaturam in testimonium sui dicti; Nau. *cap. 12. num. 5.* & alij.

2 Iuramentum est actus religionis: & ità communitèr DD. Verùm, vt sit actus bonus religionis, tres conditiones requirit, veritatem, iustitiam, & iudicium, iuxtà illud Hierem. *cap. 4. Iurabis: viuit Dominus in veritate, iustitia, & iudicio.* Veritas in eo consistit, vt testimonium diuini nominis non adducatur in testimonium falsi, aut mendacij; iustitia, vt diuinum nomen non adducatur in testimonium dicti iniqui, aut peccato obnoxij; iudicij discretio in eo est, vt cum prudente intellectus consideratione, pia, ac reuerenti voluntatis affectione, non sine necessitate, aut magna vtilitate iuretur.

3 Multæ sunt iuramenti diuisiones; aliud enim fit per simplicem cõtestationem, qua Deus in testem adducitur; aliud fit per execrationem, seù imprecationẽ, vt quando aliquis affirmat, vel negat, adducendo non solùm Deum in testem, sed etiam in iudicem vindicem, & punitorem, si falsum sit, quod iurat. Item iuramentum aliud est iudiciale, quod diuiditur in iudiciarium, quod à iudice parti defertur; & voluntarium, quod à parte defertur ad litis decisionem: aliud verò est iuramentum extraiudiciale, idest extrà iudicium delatum, ac susceptum: Item iuramentum, aliud est verbale, quod tantùm fit per verba; aliud reale, quod aliqua actione, v. g. tactu Euangeliorum libri, vel digitorum eleuatione, &c. fit; aliud mixtum, quod præter verba, corporalem actionem continet; v. g. tactum Euangelij. Item iuramentum aliud est simplex, quod non fit cum aliqua iuris formula; aliud solenne, quod fit cum aliqua iuris formula: Item iuramentum aliud est assertorium, aliud promissorium: assertorium est, quo confirmatur dictum de præsenti, vel præterito; promissorium, quo confirmatur dictum de opere futuro. Ità S. Thom. *quæst. 88 art. 1. & 7.*

4 Iuramenti iudicialis variæ sunt species; Primum est iuramentum calumniæ, quod principio litis, vel posteà, alterutra parte exigente, iudex necessariò deferre debet; actori quidem, vt iuret, nõ animo calumniandi, se litem mouisse, sed existimando, se bonam causam habere; Reo verò, vt iuret, quod putet, se bona instantia vti ad reluctandum, idest resistere actori; quod quidem habet locum etiam in causis spiritualibus, *cap. 1. de iur. calum. in 6.*: alterum est iuramentum, quod dicitur in litem, idque triplex: Primum dicitur iuramentum veritatis, seù affirmationis, quod defertur ad intelligentiam veram rei; Secundum dicitur iuramentum affectionis; si enim dolo, vel culpa alterius, res tua remissa sit, quæ tibi valdè chara erat, ob singularem vtilitatem, hinc permittitur tibi eius pretium, secundùm priuatam affectionem, & vtilitatem, iurando in litem æstimare, &c. Tertia species iuramẽti iudicialis est, quod dicitur litis decisiuum, quod vel est necessarium, aut voluntarium, de quibus dictum fuit suprà.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum factum de re prohibita per legem, quomodo sit irritum.*
2 *Iuramentum factum contrà prius iuramentum, &c. non obligat.*
3 *Violatio iuramenti assertorij est peccatum mortale.*
4 *Qui admittantur ad iuramentum.*
5 *Iuramentum, iusta causa, potest exigi ab eo, qui est, peieraturus.*
6 *Iusta causa, potest quis vti æquiuocatione.*
7 *Æquiuocatio quot modis fiat.*

1 IVramentum factum de re prohibita per legem ciuilem, quæ primariò dirigitur ad bonum publicum, non obligat, quia lex, quæ immediatè dirigitur ad bonum publicum, obligat ad culpam; Iuramentum autem non obligat ad aliquid faciendum, quod sit culpabile; Secùs dicendum de iuramento facto contrà legē, quæ primariò, & immediatè respicit bonum priuatæ personæ; hoc enim obligat, modò non vergat in præiudicium Tertij, quia hæc lex immediatè fertur in fauorē personæ priuatæ; quælibet autem persona priuata potest cedere iuri suo, absque præiudicio tertij, ergò si cedat iuri suo cum iuramento, validum erit, & obligatorium iuramentum. Bonac. *de iuram. num. 1. & 2.* Sanch. *lib. 3. mor. cap. 9. num. 22.* Filliuc. *tract. 25. cap. 7. quæst. 6.* & alij.

2 Promissio, aut Iuramentum factum cōtrà priùs iuramentum, aut contrà Votū, aut contrà promissionem priùs factam, non obligat, quia secunda promissio, vel secundum iuramentum est de re, quæ sine peccato seruari non potest: Et iuramentum debet esse de re licita, & possibili.

3 In omni materia etiam leui violare iuramentum assertorium, est peccatū mortale, quotiès iurans non credit esse verum quod asserit: Ratio, quia intrinsecè malū est adducere Deū in testem mendacij: Itē mortalitèr peccat, qui rem dubiam iurat vt certam; vel rem certam iurat vt dubiā.

4 Masculus, & Fœmina ante pubertatis annos completos non admittuntur ad iuramentum solenne in iudicio, in causis ciuilibus, quia non censentur habere sufficientem vsum rationis; In criminalibus non admittitur minor 25. annis: si verò se sponte offerant ad iurādum, quidam Doctores putant, posse admitti, si sint doli capaces, & in eis sufficiens iudicium vigeat. Ità Sot., Sylu., Laym.; cōmunitèr tamē alij DD. docent, non esse admittendos, quia præsumuntur non habere sufficiens iudicium ad iurandum in iudicio.

5 Quando subest iusta causa iurandi, licitè potest exigi iuramētum ab eo, qui creditur peieraturus, quia nō petitur, neq; intenditur periuriū, sed iuramentū, quod alter licitè potest emittere absque mēdacio.

6 Posita iusta causa, potest quis vti æquiuocatione in iuramento, quando verba duplicem habent sensum: plures autem sunt causæ vtendi æquiuocatione, de quibus suo loco.

7 Æquiuocatio autem pluribus modis contingere potest: Primò, quādo verba proferuntur sub vno sensu, & non sub illò, qui intenditur ab illo, qui exigit iuramentum; Secundò, quādo verba prolata faciunt vnum sensum ex additione in mente proferētis retenta; Tertiò, quando verba prolata restringuntur iuxtà aliquam restrictionem in mente retentam, de quibus meliùs suo loco.

De Cœteris Prærogatiuis Ecclesiæ Militantis, in sequentibus Libris dicetur.

TITVLVS XXII.

De falso Cultu vitando à Christifidelibus in Virtute Religionis.

SVMMARIVM.

1 *Superstitio quid, & quotuplex.*
2 *Idololatria quid.*
3 *Ad Idololatriam qui actus concurrant?*
4 *Diuinatio quid.*
5 *Diuinatio quotuplex, & quomodo contingat.*
6 *Dæmonum cognitio de futuris.*
7 *Diuinatores an, & quomodo à Dæmonibus doceantur?*
8 *Astrologia species diuinationis, & quando prohibita?*
9 *Physiognomia alia species diuinationis: & de somnijs.*
10 *Diuinatio per sortes quotuplex, & quando licita?*
11 *Alia species Superstitionis, vana obseruatio.*
12 *Vana obseruatio quotupliciter contingat?*
13 *Vana obseruantia species quot, & quæ?*
14 *Maleficium superstitionis species, quid?*
15 *Maleficium quotuplex.*

1 FAlsus Cultus, qui est vitandus in Religione, idest in adoratione Dei, & Sāctorum, est Superstitio; est autem Superstitio falsa Religiò, seù Cultus vitiosus, quo indebitus cultus Deo exhibetur, colendo Deum modo indebito, vel creaturā cultu Diuino: & ideò duplex est superstitio; vna indebiti cultus Diuini, ratione modi indebiti colendi Deum; & altera, ratione rei cultæ, quatenùs creatura colitur cultu Dei: Primi generis superstitio est, cum quis Deum honorat falsis, & friuolis cæremonijs non approbatis auctoritate Sanctorum, & Sanctæ Ecclesiæ; posterioris generis sunt hæ superstitiones, quibus Diuinus cultus rei creatæ offertur, qualis est Idololatria, & hæ superstitiones, quibus aliquis curat aliquid cognoscendum, &c. quod solus Deus dare, sine, &c. potest, qualis est Diuina, & vana obseruatio.

2 Idololatria dicitur ab Idolo, quod est effigies, siuè Simulacrum alicuius falsi Numinis, siuè rei nō existentis fictitia species.

3 Ad Idololatriam tres cōcurrunt actus; Primus, est existimatio Diuinitatis; Secūdus, affectus reuerētiæ, quo tanquā supremo Numini Idololatra se submittit Idolis: Tertius, est externū signū, quo significatur interior opinio, & submissio; & ideò mortalitèr peccat in Religionem veram, qui falso Numini tribuit cultum Diuinū.

4 Diuinatio est quasi Diuinitatis æmulatio,

tio, seù ostentatio, quia per eam homo futura contingentia, & alia occulta, ab occulta cognitione remotà, & Diuinæ Sciētiæ propria cognoscere affectat: quatē Isaiæ 41. dicitur, *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos:* Est autē Diuinatio, prædictio inordinata eorum, quæ ad solū Deū spectant; idque indebitis modis, à Diuina Prouidētia nō Institutis.

5 Diuinatio, de qua loquimur, quæ fit arte Dæmonis, duplex est, Vna quæ fit cum expressa Dæmonis inuocatione; Altera, quæ fit per tacitam Dæmonis inuocationem: Prior fit pacto expresso; Secunda pacto implicito, quæ contingit; etiamsi ille, qui vanis signis vtitur, non intendat Dæmonem inuocare, cùm satis sit, quòd vtatur his signis ad inquirendam veritatem occultam, significatam per illa, & illā credat: Diuinatio cum expressa Dæmonis inuocatione multis modis contingit; Primò per apparitionem fictam in figuris, vel assumptis corporibus; Secundò per signa apparētia in corporib. terrestribus; Tertiò per Necromantiā; Quartò per animalia; Quintò per Aerem; Sextò per ignē; Septimò per aquam; Octauò per somnia.

6 Dæmones quamuis certò non cognoscant futura contingentia, quæ non habēt causam determinatam; longè tamen plurā de rebus futuris, alijsque occultis cognoscere possunt, quā homines: cognoscunt nostras affectiones, & inclinationes, causas naturales, & virtutes earum: habēt rerum longam experientiam; scripturas melius intelligunt, quàm homines: sciunt quod ipsi, & alij Dæmones sint facturi.

7 Diuinatores docentur à Dæmone aliquando, quia sumpta visibili forma, illos alloquitur; aut quia format in aere vocem; aut quia tradit scripturā, in qua continetur res prænunciāda, aut quia in somnijs, aut etiam in vigilijs disponit eorum phātasmata, iuxtà phantasmatum dispositionē. Sanchez *in opere morali lib. 2. cap 38. n 8.*

8 Secunda species Diuinationis est Astrologia, quæ duplex est, vna naturalis, cuius munus est cognoscere naturam, & proprietates Stellarum, &c. Altera Astrologia Iudiciaria est, & Diuinatoria, quæ aliquandò prohibita est, & aliquandò non; vt v. g. Si per eam prædicentur res naturales, vel contingentes in specie, non est prohibita; Si verò in particulari, est prohibita; quia cùm tales effectus pendeant ab hominis arbitrio liberò, non possunt ex aspectu Cœlorum cognosci: alioquin liberum hominis arbitrium tolleretur.

9 Præter Astrologiam, altera species Diuinationis est Physiognomia, cuius species sunt Metoposcopia, Chiromantia; Tertia species Diuinationis est per somnia; est autem somniorum triplex genus, nam pleraque naturalitèr proueniunt; Alia à Deo immittuntur; Alia verò à Dęmone, quibus non licet præstare fidem.

10 Tertia species Diuinationis est per sortes: est autem triplex genus Sortium, diuisorium, consultorium, & Diuinatorium: Sortes diuisoriæ per se malæ non sunt, sed sæpē bonæ, atq; vtiles: Vt sors diuisoria licita sit, infrascriptæ conditiones requiruntur: Prima, vt fiat in hisce casibus, in quibus non prohibetur; Secunda, vt non violetur Iustitia; Tertia, vt non fiat cum irreuerentia rerum sacrarum; Quarta, vt non expectemus, ab astris, aut arte Dęmonis rem fęlicitèr euenturam; Quinta, vt non fiat in electionibus sacris.

11 Tertia species superstitionis est vana obseruatio, quæ contingit, quando ex cōsideratione alicuius euētus casualis conijcitur aliquid prosperi, vel aduersi: & ideò vana obseruatio est superstitio, qua medijs inutilibus, à Diuina prouidētia minimè constitutis, procurantur cōmoditates, &c. Ita Valentia 2. 2 *disput. 6. quæst. 13. p. 2.*

12 Vana obseruatio quadruplicitèr distinguitur: Prima, vt sit quando commodum expectatur in rebus externis; Secunda, quando expectatur bonum corporis; Tertia quando expectatur bonum naturale animæ; Quarta quando expectantur bona supernaturalia, vt certa remissio peccatorum omnium, de quibus nulla habetur Diuina promissio.

13 Tres sunt species vanæ obseruantiæ; Ars notoria; Obseruatio Sanitatum; Obseruatio euentuum: Ars notoria est superstitio, qua quis credit se consequuturū Scientiam absque labore per quædam ieiunia, &c. Obseruatio Sanitatum est Superstitio, qua adhibentur aliqua inania, & inutilia media ad sanādos morbos hominum, vel animalium, &c. vt quando ad curandos morbos adhibētur verba, signa, vel etiam res naturales, quæ non habent virtutem ad producendum effectum Sanitatis; & ideò signum est, habere pactum initum cum Dęmone: Obseruatio euentuum est genus superstitionis, quo ex cōsideratione alicuius euentus, conijcitur quid sit futurum, vt si quis ex eo, quod casu aliquid euēnit, aliquid sibi prosperi, vel aduersi promittat.

14 Quarta species superstitionis est maleficium: Est autem maleficium, Ars nocendi alijs, ope Dęmonis. Ita Valentia s. 2. *disput. 6. quæst. 13. p. 4.* cuius quinque sunt genera; Primum est, quando fit aliquid ad inuestigandum quod latet; Secundum est eorum, quæ fiunt ad mala inferēda in bonis fortunæ, vel etiam ad inferedos morbos; Tertium est eorum, quæ fiunt ad Sanitatem procurandam; Quartum eorum, quæ fiunt ad procurandos effectus impossibiles; Quintum eorum, quæ fiunt ad Magicas, & superstitiosas operationes.

15 Duplex est etiā Maleficiū, vnū amatoriū, & est, quo homines excitātur ad amorē, & maximè impudicū; Alterū verò maleficiū dicitur veneficiū, & est, quò opera Diaboli nocet quis alteri, in sua vel suorū persona, cuius species sūt suprà narrata genera.

Finis Primi Libri.

DE HIERARCHIA ET IVRE *ECCLESIÆ MILITANTIS*

LIBER SECVNDVS.

De legibus, constitutionibus, & iure Canonico.

TITVLVS I.
An in Ecclesia Dei sit potestas condendi leges?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia habet potestatem condendi leges obligantes in conscientia.*
2 *Christus dedit potestatem Petro condendi leges immediatè, cæteris verò Apostolis mediatè.*
3 *Papa solus, sine consilio Cardinalium, potest condere leges vniuersales obligantes totam Ecclesiam.*
4 *Cardinales possunt tamen condere leges in Ecclesiæ suorum titulorum.*
† *Neque Collegium Cardinalium potest condere leges, etiam Pontifice mortuo.*
5 *Legatus potest condere leges in sua Prouincia, quæ durent etiam finito legationis tempore, donèc reuocentur*
6 *Consilium generale potest condere leges.*
7 *Episcopus habet potestatem condendo leges in sua Diœcesi.*
8 *Concilia Nationalia, Prouincialia, & Diœcesana possunt condere leges proportionatas, & accommodatas suæ iurisdictioni.*
9 *Generales Religionum à Sancta Sede approbatarum possunt condere leges pro suis subditis.*
10 *Capitulum, Sede Archiepiscopali vacante, potest condere leges obligantes totam Diœcesim.*

1 Licèt plures hæretici dixerint, in Ecclesia non esse facultatem condendi leges, vt VValdenses, teste D. Antonin. 4 *par. tit. 11. cap* 7. §. 2. & Luterani, & Caluinistæ, tamen secundùm Catholicam veritatem dicendum est, à Christo relictam esse Ecclesiæ potestatem condendi veras leges Ecclesiasticas obligantes in consciētia. Ità Card. Bellarm. *lib. 4. de Rom. Pontif. cap.* 16. Vasq. 1. 2. *disput.* 152. *cap.* 2. Valent. *disput.* 7. *quæst.* 5. *par* 2. *&* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. & alij: Ratio, quia Ecclesia est vna, tamquàm vnum Christi corpus mysticū, & est à Deo rectè constituta, iuxtà illud *ad Rom.* 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: non autem rectè esset constituta, nisi haberet potestatem, qua regeretur, & gubernaretur, ergò est in Ecclesia spiritualis Principatus; & per consequens etiam in ea potestas præcipiendi, ac leges ferendi, quod etiam colligitur ex verbis Christi, *Math.* 16., *Tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris, &c.*; quod intelligitur de ligatione per leges, & præcepta, quæ est propriissimè ligatio. Clauium autem nomine, Principatus significatur; sic *Is.* 22. *Dabo claues domus Dauid super humerum eius*: & *Apoc.* 1. *Habeo claues mortis, & Inferni, &c.* Promittere claues Petro, fuit promittere Principatum in Ecclesia ratione cuius posset legibus, & præceptis ligare.

2 Christus immediatè Petro dedit potestatem iurisdictionis condendi leges; mediatè verò eam cæteris Apostolis dedit: sic Turrecremata *lib.* 2. *summ. Eccles. cap.* 77. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell.* & alij. Et ideò hæc est differentia inter potestatem datam Petro, & cæteris Apostolis, quia potestas data Petro est independens ab altero; potestas verò data cæteris Apostolis, fuit illis data dependentér à Petro: item potestas data Petro, est perpetua, quia per successionem durat; cæteris verò Apostolis data fuit per modum cuiusdam personalis muneris finiendi cum vita eorum; & ideò poterat Petrus suis legibus obligare cæteros Apostolos; illi autem non poterant ipsum obligare. Item Petrus poterat leges aliorum Apostolorum restringere, & reuocare: Ratio, quia Petrus à Christo erat con-

consti-

constitutus Pastor omnium, & per consequens etiam aliorum Apostolorum, & Apostolos Petro fuisse subditos; & ideò cum Christus dederit Petro potestatem legislatiuam in vniuersam Ecclesiam, non pro se tantùm, sed vt per continuam successionem duraret in Ecclesia; Idcircò dicendum est, in Ecclesia esse potestatem legislatiuam condendi leges.

3 Papa solus sine consilio Cardinalium potest condere leges vniuersales obligantes totam Ecclesiam. Ità Turre-cremata *in can. 2. dist. 22.* Pan. *in c. 2. de Clerico non residente n. 4.* Felin. *in rubr. de constit. nu. 2.* & alij: Ratio, quia talis est potestas Ecclesiæ, qualis fuit data Petro, sed in Petro fuit absoluta, vt posset leges condere etiam sine consilio Apostolorũ, ergò talis erit ẽt in Põtifice, vt sine consilio, vel cõsensu Cardinalium possit leges condere; maior patet ex supradictis; minor etiam patet, quia potestas communicata Petro à Christo eadem remanet per successionem in cæteris Pontificibus, & per consequens non potest limitari, aut minui ab hominibus.

4 Cardinales solùm possunt condere leges, & statuta in Ecclesijs suorum titulorum: Ratio, quia in illis tantùm habent iurisdictionem, *ex cap. His quæ de maior. & obe 1.* neq; Collegium Cardinalium potest con-
† dere leges viuente Pontifice, neq; eo mortuo. Ità Panorm. *in cap. Cum te num. 12.* & alij Canonistæ.

5 Legatus à Latere missus, & notus potest in sua Prouincia condere leges, quæ durent etiam finito legationis tempore, donec reuocentur à Papa, vel ab habente æqualem potestatem. Ità habetur in *cap. vlt. de offic. legat.* Panormit. & alij: Ratio, quia hoc munus ita institutum est à Summo Pontifice; & quia illi Legati habent iurisdictionem ordinariam, & plùs quàm Episcopalem.

6 Concilium generale, quod personalitèr habet Summum Pontificem præsentem, potest leges condere; quia si solus Papa potest leges condere, à fortiori, poterit simùl cum Concilio generali. Item potest condere iura, si à Papa confirmata sint, & ante confirmationem Papæ non obligant; ità Turre-cremata *lib. 2 summ. cap. 71.* Caiet. *opusc. de comparatione Papæ concily*, Nauar. *lib. 1. concil. lib. de constit. concis 1. nu. 4.* Suar. *lib. 4. de leg. num. 2.* & alij: Ratio, quia Concilium congregatum sub obedientia Pontificis non habet immediatè, & iure Diuino, iurisdictionem super vniuersam Ecclesiam, quia nullibi concessa reperitur, sed tantùm Petro, vt probat Bellar. *lib. 2. de concil. auctor. cap. 16.* Ergò tantùm iurisdictionis habet, quantum illi à Papa conceditur; sed Papa non dat auctoritatem Concilio ad ferendas leges obligantes, antequàm ab ipso confirmentur, ergò, &c. Concilium verò generale, in quo Papa, nec per se, nec per Legatos adest, non potest leges condere Ecclesiam obligantes, quia non esset verũ Concilium generale, cum sine Pontificis auctoritate esset congregatũ: si verò contingat, Concilium generale cõgregari deficiente Pontifice propter exortum Schysma, tùnc dicendum est, tale Concilium habere eam potestatem, quę necessaria est ad defensionem Ecclesiæ, & ad pacificandam illam, eligendo Summum Pontificem; & ideò posse solum ea præcipere, quæ necessaria sunt ad hunc finem; non verò leges perpetuas.

7 Episcopi habent potestatem condendi leges in suis Diœcesibus: Ratio, quia Episcopi sunt Pastores ordinarij, & Principes Ecclesiæ post Summum Põtificem; & ideò ex vi sui muneris, egent potestate condendi leges suis subditis conuenientes, at potestas, quæ conuenit alicui ex vi sui muneris; est ordinaria; ergò, &c. Et idem dicendum est de Patriarchis, & Archiepiscopis, & Abbatibus sæcularibus, habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem in suis territorijs, seù quasi Diœcesi. Neque Episcopus, &c. in condendis legibus pendet à consensu sui Capituli, vel Cleri: Ratio, quia non habet ab illis hanc potestatem, sed à Papa, & nullo iure probari potest, hanc iurisdictionẽ fuisse illi limitatã: vndè necessarius solùm est consensus Capituli in casibus in iure expressis, vel qui necessitatem præseferunt, vt v. g. non potest festum statuere absque consensu Capituli, vt habetur in cap. *vlt. de fest.*: item exemplum posterioris partis est, si leges Episcopi disponant de rebus, quæ possunt cedere in præiudicium Capituli, vel Cleri. Ità Felin. in *cap. Cum omnes num. 11. de constit.* Archid. *can. 2. de consecr dist. 1.* Suar. *lib. 4. de leg. cap. 5. num. 2.* Salas *de leg. disp. 8. sess. 7.* & alij.

8 Concilia Nationalia, Prouincialia, Diœcesana, possunt leges condere, proportionatas tamen, & accommodatas iurisdictioni, tàm quòad territorium, quàm quòad materiam legum. Et ità communitèr Canonistæ: & ideò. Concil. Trid. *sess. 24. cap. 2. de reformat.* præcipit, Concilia Prouincialia sæpissimè fieri, quod frustrà esset, nisi possent condere statuta pro reformatione suæ Diœcesis solius, quia pro tota Ecclesia non possunt condere leges, cùm non habeant iurisdictionem vniuersalem.

9 Generales Religionum à Sancta Sede approbatarum possunt condere leges, pro suis subditis; quam potestatem habent à Summo Pontifice, vt constat ex priuilegijs Religionum, quæ leges obligant Religiosos in conscientia, dummodò tamen iuri communi non sint contrariæ: item Capitulum generale Religionum, sede vacante, potest condere leges: Ratio, quia illud Capitulum, sede vacante, habet supremam iurisdictionem in religionem immediatè à Principe.

10 Capitulum, Sede Archiepiscopali vacante, potest condere leges obligantes totam Diœcesim; Ità Federic. de Sen. *consil. 16.* Panorm. *in cap. Cum olim de maiorit. & obed. nu. 24.* Felin. *in cap. Cum omnes num. 10. de constit.* Syluest. *verb. Capituli quæst. 6.* & alij: Ratio, quia Capitulum succedit in iurisdictione

Episco-

Episcopi quoad totã iurisdictionẽ in spiritualibus, & tẽporalibus, vt apertè colligitur ex cap. *Cum olim de maior. & obed. cap. Si Episcopus, cap. vlt. de supplenda negligentia Prælatorum in 6.* ; ergò potest Capitulum, sede vacante, quidquid potest Episcopus, quod non sit illi specialitèr prohibitum; sed cõdere leges, seù statuta est de potestate Episcopi, & non reperitur in iure prohibitum Capitulo, ergo non est illi denegandum; & ideò potest leges nouas condere, leges præcedentis Episcopi reuocare, & contrarias statuere.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Potestas condendi leges est delegabilis.*
2 *Prælatus inferior Papa non potest delegare, nisi Clericum.*
† *Summus Pontifex potest delegare Laicum.*
† *Fœmina an possit delegari?*
3 *Potestas condendi leges à quo pendeat?*
† *Papa hæreticus an desinat esse Papa?*
4 *Actus merè interni non possunt præcipi ab Ecclesia.*
5 *Ecclesia potest prohibere actus internos, vt coniunctos cum actu externo.*

1 Potestas condendi leges Ecclesiasticas est delegabilis: Ratio; quia est pars quędam iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ delegabilis est; Suar. *lib. 4. de leg. cap. 6.* ait, delegationem respectu vnius, vel alterius Prouinciæ, facilè fieri posse; respectu verò totius Ecclesiæ, quoad absolutam legislationem, per quam accipiat vim obligandi totam Ecclesiam absque speciali approbatione Pontificis, talem potestatem nõ posse delegari, neque vllo modo alteri committi: Ratio est, quia leges Canonicæ obligantes totam Ecclesiam, proficisci à potestate debent, quæ in rebus ad mores pertinentibus errari non possit; hæc autem potestas, cùm pendeat à speciali directione Spiritus-sancti Põtifici promissa, delegabilis non est; sicut nec potestas definiendi res fidei; & ideò nec potestas legislatiua pro tota Ecclesia est delegabilis, vel saltèm non est deleganda, nè tota Ecclesia periculo alicuius erroris, in re tàm graui, exponatur.

2 Prælati non possunt in iurisdictione spirituali delegare nisi Clericum: Clerici verò coniugati non possunt in re Ecclesiastica delegari, quia habentur tamquàm Laici, ac proindè incapaces delegationis, vt constat ex *cap. vnic. de cler. coniug.* Summus verò Pontifex delegare potest etiam Laicum, dummodo sit baptizatus, vt colligigitur ex Gloss. *in can. prat. dist. 32.* Dubium est tamen, an possit fœminam delegare: opiniones sunt hinc, & indè; probabilior tamen sententia est, posse Pontificem delegare fœminæ potestatem ferendi leges. Ità Palud. *in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 1.* Vgon. *de censuris tab. 1. cap. 2. §. 7. num. 5.* Suar. *tom. 5. in 3. par. disput. 2. sect. 3.* Henriq. *lib. 13. de sacram. cap. 34. num 1.* & alij: Ratio, quia nullo iure diuino est prohibitum, nè Papa pro sua suprema potestate possit mulieri delegare facultatem ferendi leges Ecclesiasticas, ergò, &c.

3 Potestas condendi leges Ecclesiasticas non pendet ex fide habentis illam, sed eam retinet etiam, si fidem is amittat, donèc ab Ecclesia illà priuetur. Ità Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 1. de potestate Papa, cap. 19.* Can. *lib. 4. de locis theologicis, cap. vlt.* Bellarm. *lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 30.* Suar. *lib. 4. de leg. cap. 7. num. 6.* Sot. *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1.* ; & ideò hæreticus mentalis, seù occultus non amittit potestatem ferendi leges Ecclesiasticas: Ratio prioris partis est, quia aliòqui gubernatio esset satis incerta, si potestas hæc penderet ex internis culpis: Ratio posterioris partis est, quia non reperitur ius diuinum imponens talem pœnam, nec etiam Ecclesiasticum, ita vt incurratur, ipso facto, ante Iudicis sententiam. Prælati inferiores Summo Pontifice, per hæresim publicam, & externam amittunt omnem iurisdictionem, ratione excommunicationis, quam ipso facto incurrunt, & ideò non possunt validè leges ferre: & licèt Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 30.* doceat, Papam hæreticum publicum statim desinere esse Papam, & caput Ecclesiæ, & consequentèr non posse validè leges Ecclesiasticas condere, tamen probabilius est, Papam hæreticum etiam publicum non statim cadere à dignitate Pontificia, cùm circà hoc nullum sit speciale ius diuinum: neque etiam ex vi censurarum maneat dispositus, cùm non sit capax censurę, quamdiù Pontifex est, quia nulli subijcitur, quoad potestatem coactiuam. Ità Caiet. *in tract. Pap. concil. cap. 20.* Suar. *tract. de fid. disp. 10. sect. 6. num. 5.* Salas *de leg. disp. 8. sect. 20. num. 103.* & alij.

4 Lex Ecclesiastica non potest præcipere actus merè internos. Ità D. Thom. *1. 2. quæst. 91. art. 4.* Caiet. *ibid.* Valent. *disp. 7. quæst. 3. pun. 2.* Palud. *in 4. dist. 10. quæst. 5. art. 2.* Caramuel. *in Theolog. fundamẽtali cap. 4. fundam. 24. de actibus internis secretis*, & alij: Ratio, quia humana iurisdictio nõ potest ferre legẽ de actibus, de quibus non potest iudicare, nec punire, sed potestas Ecclesiastica non potest iudicare de actibus merè internis, neque illos punire, ergò neque potest de illis legem ferre, vt dictum fuit in lib. de præceptis Decalogi *Malleat. 1. Bract. 3.*

5 Ecclesiastica lex potest pręcipere, & prohibere actum internum, vt coniunctum cũ externo, tãquàm necessarium ad aliquod esse moràle externi actus: & ità Suar *lib. 4. de leg. cap. 13. num 6.* Em. Sà *verbo Horæ canonicæ num. 19.* Sayrus *de censuris lib. 3. cap. 4. num 22.* Aragon. *2. 2. quæst. 83. art. 13.* Azor *tom. 1. lib. 10. cap. 12. quæst. 6.* & alij: Ratio, quia Ecclesia potest præcipere actum moralem perfectum, sed hoc falsum esset, nisi etiam possit præcipere actum internum, cùm vt plurimum actus internus sit perfectio actus externi, ergò, &c. Quandò verò actus internus nullo modo est necessarius adesse physicum, vel morale exterioris actus, sed solùm potest coniungi ex arbitrio, seù libertate

tate operantis, tùnc nullo modo potest per legem Ecclesiasticam præcipi, vel prohiberi, vndè Ecclesia non potest præcipere, vt ieiunium, vel oratio fiat cum hac, vel illa intentione; & patet, quia Ecclesia non solet præcipere talem interiorem actum, non necessarium ad substantiam moralium actuum; tùm etiam, quia per talem actum internum solùm additur externo bonitas quædam accidentalis, per extrinsecam relationem ab actu interiori omninò distincto, ergò non potest illa bonitas præcipi ex vi præcepti actus externi, sed oportet vt distincto præcepto directè per se præcipiatur, quod esset præcipere directè actum internum, quod fieri nõ potest, vt supra dictum est, ergò, &c. Ità Val. 1.2. *disp.* 160. *cap.* 3. *nu.* 14. Castr. *lib.* 2. *de iust. ter. hæret. punit. cap.* 18. Valent. 1.2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *par.* 7. Sayrus *in claui regia lib.* 3. *cap.* 6. *num. vlt.* Azor. *lib.* 5. *cap.* 10. Suar. *de legib. lib.* 4. *cap.* 13. *nu.* 14. & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Vt lex obliget, quæ promulgatio requiratur?*
2 *Leges Pontificiæ Romæ publicatæ quomodò obligent?*
3 *Pontifex potest obligare Ecclesiam ad acceptandas leges à se latas.*
4 *Lex iusta obligat ad ipsam acceptandam.*
5 *Lex per consuetudinem non acceptata, non obligat. Talis consuetudo quas conditiones debeat habere?*
6 *Lex Ecclesiastica obligat in conscientia.*
7 *Leges Pontificiæ obligant omnes adultos.*
8 *Religiosi quomodo obligentur seruare leges Synodales?*

1 VT Leges Ecclesiasticæ, seù Canonicæ habeant vim obligandi, sufficit vna promulgatio Romæ facta. Ita Sylu. *verbo lex*. Rosel. *eodem verbo num.* 4. Armil. *num.* 11. Suar. *lib.* 4. *de legib. cap.* 15. *nu.* 2. Valent. 1.2. *disput.* 7. *quæst.* 5. *p.* 5. Vasq. 1.2. *disput.* 156. *cap.* 2. *num.* 12., Azorius *lib.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 3. Reginal. *lib.* 13. *num.* 155. & alij. Ratio, quia sufficit ex natura rei vna promulgatio Romæ facta, nisi Ecclesia aliud statuerit, quod tamen non est statutum; Nam in Curia Romana totius orbis lites definiuntur, iuxtà Pontificias leges Romæ publicatas, etiamsi alibi promulgatæ non sint, quòd nõ esset iustum, si in alijs Prouincijs illæ leges non obligarent absque speciali promulgatione in eis facta, vt docet Nauar. *cons.* 1. *de condit. num.* 19., tùm etiam, quia multa sunt rescripta Pontificum, vel Bullæ, vel motus-proprij, qui nunquàm fuerunt publicati in singulis Prouincijs, nec qui sunt inserti in corpore iuris canonici, & nihilominùs censentur obligare per solam publicationem Romæ factam: Quod etiã in Bulla Cœnæ videre licet; Vniuersalitèr enim obligat, cùm tamen rarò in singulis Episcopatibus publicetur.

2 Leges Pontificiæ Romæ publicatæ statim incipiunt obligare, non tamen simùl, & eodem momento obligant in toto territorio, pro quo fertur, sed successiuè, & intrà tempus morale sufficiens, vt notitia legis, & promulgationis eius per totũ territorium diffundatur. Ita D. Thom. 1.2. *quæst.* 90. *art.* 4. *& ibi* Caiet. & Medin. Dian. *p.* 3. *resolut. moralium tract.* 8. *resolut.* 75. & alij. Ratio, quia ad actualem obligationem legis per se est necessaria notitia eius, ergò vt possit obligare, necessarium saltem est, vt, per se loquendo, possit ad notitiam peruenire, sed fieri non potest, vt facta Romæ promulgatione, lex statim sciatur ab omnibus, Ergo impossibile est, vt lex statim obliget, neq; ante lapsum tempus sufficiens, iuxtà quod legis notitia possibilis sit. Ita Suar. *lib.* 4. *de leg. cap.* 15. *num.* 25., & cum eo plures citati.

3 Pontifex potest obligare Ecclesiam ad acceptandas leges canonicas à se latas, & sufficientèr promulgatas; & ità Castr. *lib.* 1. *de leg. pœnal.* Suar. *lib.* 4. *de legib. cap.* 26. *nu.* 2. & alij. Ratio, quia Pontifex habet à Christo auctoritatem condendi leges, & non ab Ecclesia; Et ideò potest obligare Ecclesiam ad acceptandas leges à se latas.

4 Supposita Iustitia legis Ecclesiasticæ, oritur ex illa obligatio ad illam acceptãdam, ita vt non careat culpa, qui incipit illam non obseruare, post sufficientem promulgationem: Dixi, supposita Iustitia, quia lex canonica iniusta, non obligat.

5 Lex canonica, si per consuetudinem toleratam non accepteтur à fidelibus, non obligat, etiamsi fortasse à principio culpabilitèr non fuerit obseruata. Et Ità cõmunitèr omnes; & colligitur *ex capite vltimo de consuetudine*, vbi dicitur, legem receptam posse ità à consuetudine abrogari, vt non obliget, ergò multò magis poterit impediri, nè obliget, cùm ante acceptationem, minorem firmitatem habeat; oportet autem vt consuetudo illa rationabilem causam habeat; deindè necesse est, & sufficit, vt à maiore parte Populi non obseruetur, Nam si maior pars legem seruet, quamuis alij eam non acceptent, suam vim retinet, quia id requiritur ad consuetudinem. Item necessarium est tempus decem annorum, vt consuetudo præscribat. Ità Azor. *lib.* 5. *cap.* 4. *q.* 4. Cou. *lib.* 2. *var. cap.* 16. *num.* 6. Salas *disput* 13. *sect.* 2. *num.* 15. & alij. Ratio, quia hoc tempus longum est, vt dicatur consuetudo, seù præscriptio longi temporis: vt autem lex censeatur non acceptata, & derogata, sufficit longitudo longi temporis. Verùm lex non obseruata propter solam ignorantiam, non aufertur, seù abrogatur, sed solùm pro tùnc non obligat, propter ignorantiam: Quapropter, si posteà tollatur ignorãtia, manebit lex, respectu talis Populi in eo statu, in quo esset, si tùnc fuisset primò edita, & promulgata; & ideò hinc incipiet obligare: Ratio, quia vt consuetudo legi contraria abroget legem, requiritur vt actus facti contrà legem, sint voluntarij, idest non metu, vel ignorantia facti contrà legem, quia actus agentium non operantur vltrà intentionem eorum; & qui ignorantes legem illam transgrediuntur, non propter hoc intendunt eam tollere,

quia

quia voluntas non fertur in incognitum.

6 Lex Ecclesiastica obligat in conscientia, & sub reatu culpæ etiàm mortalis, si absolutè feratur. Ità D.Thom. 1.2. *quæst.* 96. *art.* 4. Sotus *lib.* 1. *de Iust. quæst.* 6. *art.* 4. Nauar. *in Summa cap.* 23. *num.* 48. Valent. *tom.* 2. *disput.* 7. *quæst.* 5. *p.* 6. Suar. *lib.* 4. *de leg. cap.* 7. *num.* 4.

7 Leges Pontificiæ obligant omnes adultos Baptizatos vbiq; terrarum degentes, & cuiusuis status, & conditionis existant. Ratio est, quia potestas Pontificis est vniuersalissima suprà totam Ecclesiam, sed Ecclesia per totum Vniuersum Orbem diffunditur, ergò & potestas Pontificis, & leges ab eo procedentes. Leges verò Synodales Episcoporum obligant tantùm intrà Territorium, seù Diœcesim homines cuiuscumq; status.

8 Religiosi exempti tenētur etiā obseruare leges Synodales, nō immediatè per se, & ex vi sua, sed solùm per accidens ad euitandum scandalum; illo autem secluso, non peccant, eas non seruando, nisi vbi vsu, & consuetudine illas acceptauerint, & suo iuri cesserint. Ità Suar. *lib.* 4. *de leg. cap.* 20. *num.* 10. Pontius. *de matrim. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 31. Diana *tract. de leg. resol.* 11. Azorius *lib.* 7. *cap.* 10. *quæst.* 2. & alij. Sunt tamen plures casus, in quibus Religiosi tenentur seruare leges Episcoporum, de quibus fuit dictum alibi.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Leges pœnales obligant etiam in conscientia.*
2 *Delinquens contrà legem imponentem pœnam ipso facto, quomodo teneatur eam subire?*
3 *Lex sub conditione lata, obligat ante Sententiam Iudicis.*
4 *Leges fundata in præsumptione, quomodo obligent in conscientia.*
5 *Præsumptio duplex.*
6 *Acta contrà legem irritantem, sunt inualida.*
† *Acta contrà legem prohibentem non sunt ipso iure irrita.*
7 *Lex quando censeatur irritare actum.*
8 *Leges Canonicæ irritantes habent locum in vtroque foro.*
9 *Lex odiosa strictè interpretanda;*
† *Fauorabilis largè.*
10 *Lex pœnalis non est extendenda.*

1 NON modò leges præceptiuæ Ecclesiasticæ, seù Canonicæ obligant in conscientia, sed etiam leges pœnales, idest quibus aliquid præcipitur, adiecta transgressoribus pœna, obligant sub mortali, seu veniali, iuxtà grauitatem, aut leuitatē materiæ, nisi aliundè constet, Legislatorē nolle ad culpam obligare. Et ita Suar. *lib.* 5. *cap.* 26. Tolet. *lib. de* 7. *peccatis cap.* 20. *dub. vlt.* Clauis Regia *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 25. Azorius *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 3. Salas *de legib. disput.* 10. *sectione* 5. & alij. Ratio, quia lex continens præceptum obligat in conscientia, sed lex pœnalis continet præceptum, Ergò lex pœnalis obligat in conscientia.

2 Delinquens contrà legem pœnalem inferentem pœnam ipso iure latam, non tenetur eam soluere ante Iudicis sententiā declaratoriam, si pœna non potest mandari executioni absque actione hominis, nisi manifestè appareat, talem esse intentionem Legislatoris, vt velit, delinquentem pœnam subire ante Iudicis sententiā. Ita Cou. *de matrim. p.* 2. *cap.* 6. §. 8. Less. *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 67. Azorius *lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 4. Suar. *lib.* 5. *de leg. cap.* 8. *num.* 5. & alij; etiamsi delictum sit ita notum, vt nulla tergiuersatione celari possit: non tenetur delinquens soluere pœnam ante Iudicis Sententiam declaratoriam. Ratio est, quia par est, vt pœna, quæ fuit auctoritate Iudicis inchoata, auctoritate etiam ipsius perficiatur, idest per sententiam ipsius. Pœnas verò, quæ ad sui executionem nullam requirunt actionem hominis, tenetur delinquens soluere ante Iudicis Sententiam, qualis est pœna incapacitatis bonorum, inhabilitatis ad matrimonium, vel ad petendum debitum in matrimonio, &c., Ineligibilitatis ad officium, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, &c.; Quas illicò incurrit delinquens. Ità Azorius *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 4. Suar. *lib.* 5. *de leg. cap.* 8. & 9. *num.* 2. & 4. Reginal. *lib.* 13. *num.* 279. & alij. Verùm circā pœnas priuationis officiorum, vel vocis actiuæ, vel passiuæ, non tenetur delinquēs priuare se officio, aut voce actiua, vel passiua, &c., quotiès hoc nequit facere sine infamia, &c., etiamsi in lege habeatur, delinquentem debere se ab officio abdicare, non expectata vlla Sententia. Ratio est, quia ius ad propriam famā cōseruandam præponderat iuri humano indicenti priuationem officiorum, &c.; Et lex non videtur cum tanto præiudicio obligare.

3 Lex conditionalis, seù pœna sub conditione posita, obligat ante sententiam Iudicis. Ratio, quia hæc non est lex propria pœnalis priuans alterum re acquisita, sed priuans iure acquirendo, seù conferens ius sub conditione; lex autem pœnalis, quę obligat ante sententiam, est illa, qua quis priuatur iure acquisito, Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disput.* 21. *num.* 77. Sotus. 1. *de iust. q.* 6. *art.* 6. Reginal. *lib* 13. *num.* 276. Valent. *disput.* 7. *p.* 6. §. 3. Clauis Regia *lib.* 3. *cap.* 9. & alij.

4 Leges humanæ tàm Ciuiles, quàm Canonicæ in præsumptione fundatæ; non obligant in conscientia, quando præsumptio falsa est, & de opposita veritate constat. Ita Canonistæ *in cap.* 1. *de constit.* vbi Panormit. *num.* 10. Decius *in* 1. *lect. nu.* 80. Felin. *num.* 4. Bald. *in l. cum quis Cod. de iur. & fact. ignorantia,* Angel. *verbo lex num.* 4. Tab. *num.* 28. *quæst.* 21. Cou. *cap. Cum esses de testamen. nu.* 9. Azorius *lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 4. Sayrus *in Clauis Regia lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 8. & alij.

5 Duplex est genus præsumptionis, Primū est, quo Legislator in quouis casu singulari aliquid præsumit, & ratione illius, legem constituit, quia in singulis casibus ità præsumit; secundum genus præsumptionis est, quo Legislator non præsumit fraudem in singulis casibus, sed quia prudentèr iudicat, in re aliqua, nō rarò frau-

des contingere, legem vniuersalem constituit, quà fraudes, & incommoda, quò fieri potest, impediantur: siuè, vt alij loquuntur, duplex est præsumptio, vna periculi, seù potentiæ, quæ vt plurimùm ad actum reuocatur; altera facti, quando lex fundatur solùm in præsumptione periculi, seù potentiæ; obligatio legis non ideò cessat, quòd factum in particulari cesset, vt patet in exemplo professionis; quæ irritatur à iure ante legitimam ætatem; nō quia in casu particulari desit sufficiens iudiciū, sed propter periculum defectus iudicij; Quando lex fundatur in præsumptione facti, seù quando dicitur diffinitiua facti, obligatio legis cessat, si veritas facti sit in contrarium. Ratio, quia intentio Legislatoris, quæ in præsumptione fundatur, non creditur extendi ad casum, in quo veritas non subsistat, Salas *disput. 10. de legib, sect. 4. num. 19.* Cou. *1. var. p. 4. cap. 4. §. 1. num. 4.* Sanch. *in opere moral. lib. 4. cap. 15. num. 37.* & alij.

6 Acta, quæ fiunt contrà legem canonicā irritantem, inualida sunt, non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. Ratio patet *ex reg. iuris 64.* vbi dicitur, *Quæ contrà ius fiunt debent pro infectis haberi:* Hoc autèm maximè habet locum in ijs, quæ fiunt contrà legem irritantem, tùm etiam, quia penès Legislatorem residet potestas irritandi actus factos contrà legem. Et ità plures apud Bonacinam *disput. 1. q. 1. p. 7. §. 5. num. 2.*:

† Acta verò solùm contrà legem prohibentem, non sunt ipso iure irrita, nisi ex alijs verbis adiunctis constet de tali effectu. Ratio, quia irritatio non declaratur sufficientèr per verba prohibentia, cùm lex prohibens actum non reddat ipsum irritum ex natura rei, cùm aliud sit irritare, & aliud prohibere; tùm etiam, quia multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent.

7 Quotiès lex aliquid præcipit pro forma actus, vel contractus, irritat ipsum alitèr factum, etiamsi clausulam irritantem nō addat, dummodò ea forma substantialis sit, & non accidentalis: Ratio, quia forma substantialis est illa, quæ dat esse rei, non autem accidentalis, Ergò omissio formæ substantialis tollit substantiam actus, non autem accidentalis; tunc autem forma censetur substantialis, quando opposita est cum clausula irritante alitèr factum. Secundò, quando Legislator, qui præscribit formam, seù solennitatem in aliquo actu, dat etiam potestatem ad efficiendum actum, seruata tali forma; Tùnc talis forma est de substantia actus: quando verò supponitur potestas, & additur noua solennitas, seù forma, tùnc censetur non esse substantialis, nisi per specialem clausulam declaretur.

8 Leges Canonicæ irritantes aliquem actum non modò irritant ipsum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ. Ita Suar. *lib. 5. de legib. cap. 33. num. 6.* & alij; vt patet in solennitate substantiali requisita ad contractum matrimonij, *Ex Concil. Trid.*, & similitèr in alienationibus, quæ si absque præscripto modo fiant, contractus sunt irriti.

9 Lex Canonica odiosa strictè interpretanda est, & extendenda, quatenùs important verba secundùm eorum proprietatē naturalem. In materia verò fauorabili, largè est interpretanda, & extendenda nō solùm iuxta proprietatem verborum naturalem, sed etiam ciuilem; Ita Em. Sà, *verb. interpretatio nu. 1. 3.*, Salas *de legib. disput. 21. sect. 3.* & alij. Verùm leges tàm fauorabiles, quàm odiosæ non sunt extendendæ vltra eorum significationem naturalem, vel ciuilem. In dubijs verò lex est interpretanda secundùm benigniorem significationem, seruata tamen verborum proprietate, Ita Azorius *to. 5. cap. 16.* Em. Sà *loco citato*, & alij: Quandò verò verba legis duplicem habent sensum, vnum proprium, alterum improprium, nec constat, quo sensu Legislator legem protulerit, accipi debent verba iuxtà propriam significationem, *l. non aliter ff. Delegat.* Quod si verba legis plures habeāt sēsus proprios, tùnc verba sunt accipienda secūdùm sensum, qui videtur magis conuenire rei, de qua agitur; Si verò vterque sensus æquè conueniat rei, nec constet de intentione Legislatoris, si Legislator commodè adiri potest, vel eius successor pro legis interpretatione, adeundus est; alioquin verba sunt accipienda secundùm benigniorem significationem, iuxtà regulam iuris, *Odia restringi, & fauores conuenit ampliari.* Ita Clauis Regia *lib. 3. cap. 8.* Salas *loco citato, sect. 3.* & alij.

10 Lex pœnalis non est extendenda de vno casu ad alium, nec de vno crimine ad aliud crimen, ob paritatem rationis, nec de vna persona ad aliam personam. Ita plures apud Clauem Regiam *lib. 3. cap. 8.* apud Rebell. *de oblig. iust. lib. 1. p. 2. q. 6. num. 10.*: Quod tamen intelligendum est, modò vnus casus, seù vnum crimen non ponatur loco exempli, quia tùnc, si lex est generalis, generalitèr debet intelligi de omnibus casibus, ad quos verba legis extendi possunt, iuxtà sensum, & proprietatem verborum; & licèt vnius personæ sit solùm facta mentio, non propterea reliquæ censentur exclusæ. Neq; etiam in lege fauorabili facienda est extensio ad similes casus, nisi ad ipsos extendantur verba legis, iuxtà proprietatem verborum naturalem, vel ciuilem.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 Lex cessat ob cessationem causæ.

2 Lex quomodo per Epicheiam cesset.

3 Casus, in quibus nullo modo secundùm verba legis est iudicandum.

4 Quando lex cessat, subditus non peccat, eam non seruando.

5 Lex desinit obligare, quando facta est iniqua, vel contraria præcepto, &c.

6 Item lex non obligat, quando quis habet opinionem probabilem, legislatorem illum casum in particulari

ticulari noluisse comprehendere.

7 *Lex cessat per posteriorem legem, priorem reuocantem.*

1 LEx cessat ob cessationem causæ finalis eiusdem in totum. Ità communitèr omnes: Ratio, quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, *de reg. iur. in 6.*, sed obseruatio legis inducitur ob talē causam, ergò cessante tali causa in totum, cessat eius obligatio; tùm quia legislator non intendit obligare, cessante in totum causa legis.

2 Lex cessat obligare in his casibus, qui per Epichęiam non censentur comprehēsi in lege, etiamsi verba legis illos casus comprehendere videantur. Epiehęia est, quando agitur cōtrà verba legis, eo, quòd bonum commune, vel ratio virtutis id postulet, eùm enim leges vniuersales proponantur, & regulæ vniuersales multas patiantur exceptiones, sæpè casus incidunt, in quibus malum esset verba legis sequi, & hac ratione, hæc virtus est directiua, & correctiua legum, quando ob suam vniuersalem expressionem deficiunt à recto, quia inclinat, vt contrà verba legis agatur, idque ob altiorem quamdam considerationem. Ità D. Thom. 2.2. *quæst.* 120. Caier. *ibidem num.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 63. *&* 64.

3 Afferuntur à Doctoribus plures casus, in quibus nullo modo secundùm verba legis est iudicandum: Primus, quando casus ob aliquam circumstantiam superuenientem fit illicitus, lex enim non obligat ad rem turpem; Secundus, quando in aliquo casu particulari verborum legis obseruatio cedit in boni communis detrimentum; Tertius, quando superuenit casus difficilis, & separans potestatem legislatoris: Ratio, quia ad impossibile nemo tenetur: Quartus, quando occurrit casus aliquis, qui à legislatore non iudicatur intentus, & quem legislator excepisset, si eum præuidisset.

4 Quando certò constat, legem in tali casu non obligare, etiamsi possit sine peccato seruari, subditus potest propria auctoritate illam non seruare: Ratio, est clara, quia si certum est, legem non obligare, consequentèr certum est etiam, excusari à peccato subditum, non seruando illam: si verò subditus dubitet, an possit lex sine peccato seruari, tùnc pro ratione dubij iudicandum est: nàm si dubium sit tantùm formidinis, & probabilitèr iudicet, non esse peccatum legem seruare, seù conformari verbis legis, liberè poterit id facere, si velit, quia iudicium probabile practicū, quale est hoc, sufficiens est ad rectā operationem, tollit enim practicè dubium: si verò dubium sit proprium, & negatiuum, tenebitur subditus partem securiorē sequi, & abstinere ab opere, licèt videatur conforme legis verbis, vt inquit Suar. *lib* 6. *de legib. cap.* 8. *num.* 2., quia tùnc nullum habet principium, quo expellat dubium practicum, nàm tùnc ille est certus, se non peccare non obseruando legem, cùm supponatur certus, quod illa non obliget; ergò tenetur illam viam certam sequi, & relinquere dubiam.

5 Quando constat certò, materiam legis ex accidenti, vel ex circumstantia non obligare, & factam esse iniquam, seù contrariam alteri præcepto, aut virtute magis obliganti, tùnc cessat obligatio legis, & propria auctoritate potest remitti sine recursu. Ità D. Thom. 2.2. *quæst.* 120. *art.* 1. Vbi ait, in manifestis non esse opus interpretatione, sed excusatione: Ratio est, quia in hoc casu, superioris auctoritas nullum effectum habere potest.

6 Quando quis habet opinionem probabilem, legislatorem non potuisse, aut noluisse comprehendere casum aliquem in lege, potest excusari ab obligatione legis, & poterit licitè in eo casu non seruare legem: Ratio est, quia vnusquisque potest licitè operari secundùm opinionem probabilem, etiamsi formidinem habeat de opposito. Si verò quis habeat opinionē probabilem, legislatorem nō potuisse, vel noluisse comprehendere casum aliquem; & item opinionem probabilē habeat de opposito, iuxtà opinionem Suar. *de legib. cap.* 8. *num.* 3 excusatur ab obligatione legis: Ratio, quia vnusquisque potest sequi, & operari secundùm opinionem probabilem, quamuis opposita sit æquè probabilis; secundùm verò alios, non excusatur ab obligatione legis, quia in pari causa, melior est conditio possidentis, & per consequēs, stante opinione probabili, de vtraque parte contradictionis, præferenda sunt verba legis, quæ possident, & secundùm illam iudicandum est de voluntate legislatoris. Ità Merol. *disput.* 4 *de leg. & constit. cap.* 8. *diff.* 2. *num.* 55.

7 Lex anteà recepta vim suam amittit per posteriorem legem contrariam, seù per reuocationem, seù per restrictionem præcedentis legis, iuxtà restrictionis, seù correctionis æqualitatem. Ita Syluest. *verb. Lex quæst.* 26. Suar. *de legib lib.* 6. *cap.* 27. Azor. *par.* 1. *lib.* 5 *cap* 20 *&* 21. & alij communitèr: Ratio, quia posterior voluntas legislatoris præfertur priori, & lex in tantùm obligat, in quantùm intendit obligare.

PARAGR. V.

SVMMARIVM.

1 *Lex desinit obligare per dispensationem.*
† *Dispensatio quid sit?*
2 *Superior potest dispensare cum subdito.*
† *Item potest dispensare in legibus ab inferiori Superiore latis.*
3 *Superior potest secum dispensare.*
4 *Inferior quando possit dispensare in lege Superioris.*
5 *Dispensatio concessa à legislatore sine causa, valida est, non licita: concessa verò ab inferiori in lege superioris, inualida est.*
† *Dispensatio an sit valida, quando causa est dubia?*
6 *Episcopus quando possit dispensare cum eo, qui Pontificem adiuit, &c.*
7 *Episcopus an possit dispensare cum eo, cui Pontifex negauit dispensare ob defectum causæ?*

8 *Causa requisita ad dispensandum.*

9 *Prælatus admittens aliquem inhabilem ad officium, censetur cum eo dispensare.*

10 *Prælatus videns aliquem inhabilem exercere officium interdictum tacēs, an censeatur cum eo dispensare?*

1 LEx iam recepta amittit suam vim, ità vt desinat obligare per dispensationem: dispensatio autem est actus iurisdictionis, quo quis eximitur ab obligatione legis, aut quo legis obligatio suspenditur ad aliquod tempus: si obligatio in totum aufertur, dicitur dispensatio totalis; si tantùm in partem, dicitur dispensatio partialis. Ad valorem dispensationis requiritur actus internus superioris legitimè dispensantis; consequentèr ipsius consensus requiritur; ideò inualida est dispensatio, quã Superior ficté concessit absque consensu, nàm actus agentium non operantur vltrà intentionem eorum *l. Non omnis ff. si certum petatur.*

2 Legitimus Superior cum Inferiore subdito in lege, & ipsum eximere ab obligatione eiusdem potest, perseuerante adhùc lege, respectu aliorum. Ità Sot. *lib. 1. de iust. quæst. 8. art. 3.* Suar. *de leg. lib. 6. cap. 10. num. 2.* Azor. *1 par. lib. 5. cap. 15.* & alij: Ratio, quia obligatio legis humanę inducitur per voluntatem legitimi Superioris præcipiētis, ergò etiam per ipsius voluntatem potest auferri, iuxtà illud, *Res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur*; nisi aliud obstet: Potest item Superior Superioris, qui legem tulit in legibus ab ipso Superiore inferiore latis dispensare; nàm est legitimus Superior, & potestas non confertur priuatiuè inferiori respectu Superioris, sed accumulatiuè: item æqualis in iurisdictione potest dispensare in legibus latis ab eo, cui in iurisdictione successit, eadem enim potestate gaudet; vnde Papa potest dispensare in legibus Canonicis, siuè latæ sint à Pontificibus, siuè à Concilijs; nàm Papa est legitimus Superior, & est æqualis in iurisdictione, cum alijs Pontificibus, & ideò in eorum legibus dispensare potest.

3 Dispensare potest secum legislator in suis legibus. Ità S. Thom *2. 2. quæst. 185. art. 8.* Suar. *lib. 6. cap. 15. num. 8.* Nauar. *cap. 25. num. 74* Sanch. *lib. 8. disp. 3. 17 & 33.* Cordub. *quæst. 31.* & alij: Ratio, quia dispensatio est actus iurisdictionis voluntariæ; actus autem huiusmodi iurisdictionis potest in seipsum exerceri; tùm etiam quia non est deterioris conditionis alijs: actus verò iurisdictionis inuoluntariæ non potest in seipsum exercere, sed requirit distinctionem personarum, qua requirit coactionem, vel sententiam, qua dicitur ius inter partes.

4 Inferior non potest dispensare in lege Superioris, quoties superior reseruauit sibi dispēsationem, aut inferiori prohibuit dispensandi facultatem: Ratio, quia inferior non habet potestatem suprà Superiorem, sed potestas Inferioris dependet à Superiori, & Superior potest potestatem inferioris impedire, illique facultatem dispensandi in propria lege adimere: potest tamen Episcopus dispensare in lege Pontificis, quando adest magna necessitas, & est periculū in mora, & impotētia adeundi Pontificem, quia tùnc ex rationabili interpretatione censetur Episcopus habere potestatē dispensandi etiam in expressè reseruatis Pontifici, vt in censuris, votis, impedimentis matrimonij, &c. Ità Panormit *in cap. At si Clerici §. de adulter. num 9.* & ibi Decius *num. 10.* Felin. *num. 5.* qui plures refert Azor. *1. par. lib 5 cap. 15. quæst. 7.* Vasq. *1. 2. disp. 178. cap. 2.* Henriq. *lib. 12. de matrim. cap 2.* & alij.

5 Licèt regularitèr ad dispensationem requiratur causa, tamen si dispensatio concedatur à legislatore, vel ab alio habente facultatem dispensandi, valida est, & non licita. Ità Sanch *lib. 8. disp. 18.* Valent. *1. 2. disp. 7. quæst. 8.* Henriq. *lib. 11. cap. 3 num. 6.* Azor. *lib. 5. cap. 15. quæst. 2.* & alij: Ratio est, quia cum dispensatio dependeat à voluntate legislatoris, poterit, si velit, aliquem eximere ab obligatione legis, etiam sine causa: Dispensatio verò concessa ab inferiori in lege Superioris absque causa, inualida, & irrita est: Ratio, quia tùnc Inferior dispensat in alienis bonis, & aliena voluntate Superioris, & ideò vt validè fiat, requiritur iusta causa, nàm ea deficiente, Superior non cēsetur consentire, nec iustè pręsumi eam potestatem; neq; cōsonat rationi, velle Superiorem concedere; sic docent communitèr Theologi *in 4. dist. 38.* cum D. Thom. *2. 2. quæst. 88. art. 12.* & omnes Canonistæ *cum gloss. cap. Non est verbo adimplere de voto.* Neque censetur valida dispensatio facta ab eo, qui bona fide credebat, causam esse iustam, & sufficientem, cum, re vera, non esset, licèt dispēsatus sit tutus in conscientia, donèc sibi de insufficientia causę certo constet: cognita verò insufficientia causæ, non est tutus in conscientia, si tali dispensatione vti velit: Ratio; quia sicut bona fides petenti dispensationē sine causa sufficienti, non efficit dispensationem validam; ità neque illam reddit validam bona fides concedētis. Ita Bonac. *de leg. disp. 1. quæst. 2. par. 3. nu. 8.* Basil. Pont. *de matrim. lib. 8. cap. 14. num. 8.* Ferd. Castr. *tom. 1 tract. 3. disput 6. par. 8. §. 2. nu. 5* & alij. Sunt tamen plures, qui tenent opinionem contrariam.

6 Quando Episcopus potest iure ordinario in aliqua re dispensare, quamuis obtenta sit à Pontifice commissio facta Ordinario, vel Confessario, vt dispenset, potest qui obtinuit eam ei renūciare, & adire Episcopum, vt potestate sua ordinariâ dispenset: Ratio, quia commissio cum sit in gratiam, & fauorem petentis concessa, non debet in eius damnum retorqueri, iuxtà regulam iuris *in 6 quod ob gratiam, &c.*

7 Quando Pontifex solitus est alijs denegare dispensationem reputàndo, causas non esse iustas, poterit adhùc Episcopus cum aliquo, qui Pontificem non adit, dispensare, iudicans, eas causas esse iustas. Ità Sanch *disput. 14. num 5.* & alij. Ratio est, quia cum iure ordinario sibi ea dispensatio competat, non distinguitur ad dispen-

sandum

sandum ex solis causis, quibus existentibus, Pontifex vult dispensare: Neque Pôtificem denegasse alijs ex ea causa dispensationem, ligat ordinariam Episcopi facultatem, nè valeat dispensare cum hoc, cui Pontifex non denegauit: quando verò petijt Pontificem, petendo ab eo dispensationem, si Pontifex denegauit credens, causam non esse iustam, Episcopus tùnc non potest dispensare, nisi noua causa ei proponatur. Ita Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 14. *num.* 5. Guttier. *cap.* 123. *num.* 18. Sed dicendum est contrarium, posse Episcopum dispensare. Itâ Suar. *lib.* 6. *de legib. cap* 22 *nu.* 4. Salas *de leg. disput.* 20. *sect.* 13. Bonacin. *de legib. disput.* 1. *q.* 2. *p* 7. *num.* 5. Portel. *dub regul. verbo dispensare num.* 19. Ratio, quia ex eo; quòd Pontifex denegauit, non aufertur ius inferioris dispensandi, nisi noua causa proposita: Ratio, quia denegatio dispensationis potest prouenire ex particulari iudicio, quod talis causa nō sufficiat ad iustam dispensationem, sed Episcopus non tenetur conformari Pontifici in hoc casu, ergò neque in eo casu tenetur præsumere, fuisse mentem Pontificis, in eo casu sibi auferri potestatem dispensandi; Imò potest præsumi voluisse se exonerare tacitè, subditum ad suum Superiorem remittendo.

8 Ad dispensandum multæ sunt causæ. Prima est vtilitas communis, vel etiam priuata. Secunda est necessitas communis, vel priuata. Tertia est pietas. Verùm posita vna ex his causis, non semper tenetur Superior dispensare; tenetur tamen ad dispensandum, quando necessaria est dispensatio, ad euitandum damnum publicum, vel etiam priuatum animæ, vel corporis, &c.; vel ad euitandum scandalum, vt quando v. g. Vir paratus est ad ducendam Mulierem, quam deflorauit, & periculum est nè illum pœniteat eum ipsa contrahere, tùnc Superior potest dispensare in impedimento matrimonij, etiamsi Papæ sit reseruatum. Ita Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disput.* 10. *num.* 3. Salas *disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 70. & alij.

9 Quando Prælatus aliquem inhabilem ad aliquod officium promouet, censetur cum eo dispensare, si impedimentum sit iuris humani, vt v. g. Si Pontifex admittat Irregularem ad ordines, &c. censetur cū eo dispensare: Ratio, quia ad dispensationem non requiritur causæ cognitio, sed solùm voluntas dispensandi, de qua in præsenti casu satis constat, si inhabilem scientèr promoueat; Dixi, quando impedimentum est iuris humani, quia in iis, quæ sunt de iure diuino, non censetur dispensare, cùm ad talem dispensationem requiratur causæ cognitio.

10 Taciturnitas Prælati videntis aliquem iure impeditum exercere actum sibi interdictum, est tacita dispensationis signum; & inducit dispensationem. Ita Palud. *in* 4. *distinct.* 36. *q.* 4. *art.* 4. Azor. *lib* 5. *cap.* 15. *quæst. vlt.*, Salas *de legib. disput.* 20. *sect.* 9. *num.* 81. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disput.* 4. & alij. Ratio, quia illa taciturnitas est ratihabitio de præsenti, quę sufficit ad concedendam Iurisdictionem, & sufficit ad audiendas confessiones, ergò multò magis sufficiet ad concedendam Iurisdictionem.

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Taciturnitas qualitatis, &c. reddit gratiam subreptitiam.*
2 *Taciturnitas circà causam finalem, vitiat dispensationem.*
3 *Error nominis non vitiat dispensationem.*
† *Nec error personæ.*
4 *Quando duæ sunt causæ dispensationis, existente vera causa finali, dispensatio est valida.*
† *Cùm disiunctiuè narrantur duæ causæ, sufficit alteram esse veram.*
5 *Subreptio in vna parte rescripti vitiat ipsam partem.*
6 *Valida est dispensatio, etiam si non exprimat petens, se illam iam petijsse.*
7 *Quando de vna re duæ dispensationes petuntur, prima limitata, & secunda magis ampla, in secunda facienda est mentio prioris, &c.*
† *Secus verò si Dispensationes cadat super res diuersas.*
8 *Dispensatio Episcopi non valet extrà territoriū, &c.*
9 *Dispensatio per metum obtenta, est valida.*

1 Taciturnitas qualitatis, quam iura volunt exprimi, reddit gratiam subreptitiam, quamuis constet fore, vt ea expressa, superior eadem facultate concessisset: Ratio, quia pro forma, exigunt iura talium qualitatum expressionem; at forma est semper obseruanda, ergò &c. Idem dicendum ex qualitate, quæ ex stylo Curiæ, semper est exprimenda; talis enim est necessariò explicanda in impetratione dispensationis, nè reddatur subreptitia, quamuis constet, ea expressa, à superiore adhùc gratiam fore concededam: Ratio, quia cum stylus Curiæ faciat ius, *cap. Quàm graui de crim. falsi.*, ab eo non est recedendū. Ita Suar. *tom.* 2. *de Relig. tract. de Voto lib.* 6. *cap. vlt. num.* 5. Sanch. *lib.* 8 *de matrim. disput* 21. *nu.* 26. Guttier. *quæst. Can. lib* 2. *cap.* 15 *nu.* 51. & alij.

2 Quando nec ius, nec stylus Curiæ, neq; consuetudo specialitèr præscribunt aliquid in dispensatione exprimendum, tùc dispensatio vitiatur ex taciturnitate qualitatis, quando taciturnitas est circà causam finalem dispensationis, seù circà qualitates intrinsecas dispensationi; & illis expressis, Prælatus non concedit dispensationem, aut in eodem modo, quo concessit, sed cum aliquibus moderationibus; Secùs verò, si sit circà qualitates dispensationi extrinsecas, quia tùnc valebit dispēsatio, quamuis constet, Superiorem, eis cognitis, negaturum esse dispensationem, Ità Suar. *loco citato*, Sanch. *loco citato num.* 17. Bonac. *de leg. disput.* 1. *q* 2. *p.* 4. *num.* 3. Salas *de legib. disput.* 20. *sect.* 15. *num.* 115. & alij.

3 Dispensatio non vitiatur ex eo, quòd erretur in nomine proprio eius, cui impetratur dispensatio. Ratio, quia error nominis proprij, quando constat de corpore, non vitiat rescriptum, Et ità Pontius de

de matrim. lib. 8. *cap.* 15. §. *vlt. num.* 43. Salas *de legib. disput.* 20. *sect.* 20. *num.* 123. Guttier. *de matrim. cap.* 89. *num.* 8. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disput.* 21. *num.* 37. & cum eo plures citati. Item valida est dispensatio, quando erratur in Diœcesi: Ratio, quia legitima Mens Pontificis est committere vero Ordinario impetrantis; & per consequens Ordinarius poterit dispensare; & cùm constet de corpore, non obstare videtur error Diœcesis; Et ità Salas *de legib. disput.* 20. *sect.* 16. *nu.* 123. Santarel. *var. resol p.* 1. *quæst.* 63. Bonac. *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *p.* 4. *nu.* 6., Diana *de legib. resolut.* 33. & alij.

4 Quotiès in precibus duæ narrãtur causæ copulatiuæ, quarum altera est vera, & altera falsa, spectanda est causa finalis, atque ea existente vera, non obstat alterius falsitas; Ratio, quia, quando plura copulatiuè narrantur, quæ de iure non sunt omnia necessaria, resoluitur copulatiua illa in disjunctiuam, vt docent Panorm. & alij, quos refert, & sequitur Mascard. *de probat. conclus.* 325. *nu.* 3. At cũ disiunctiuè narrantur causæ, sufficit, alteram esse veram, nè rescriptum subreptitium sit, vt habetur expressè *in capite Inter cæteros de rescriptis*: & ità Mascard. *de probat. concl.* 325. *num.* 8. Guttier. *quæst. Can. lib.* 2. Menoch. *consil.* 385. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disput.* 21 *num.* 42. & alij; Si verò narretur vna tantum causa, & ea sit falsa, inualida est dispensatio, quia tacetur aliquid quod prudentem habet connexionem cum materia dispensationis.

5 Si subreptio, tacendo verum, vel exprimendo falsum, cõtingat in vna parte rescripti, vitiat, & irritat rescriptum, quòad eam partem, in qua est subreptio; non vero quòad reliquas: Ratio prioris partis est, quia quæ ratio est totius ad totum, ea est partis ad partem: Ratio secundæ partis est, quia vtile per inutile vitiari nõ debet, modò partes, in quibus nõ contingit subreptio, separabiles sint, quòad valorem, à parte, in qua non fuit subreptio; Nam si separabiles non sint, sed tamquàm accessoria se habeant, rescriptum corruit quòad omnes partes; Nam accessorium corruit, destructo principali; Ita Panorm. *cap.* 16. *num.* 4. *de rescript.* Felin. *ibid. num.* 2., & alij, apud Sanch. *lib.* 8. *disput.* 21. *num.* 61. & 63.

6 Valida est dispensatio, quam quis obtinet, etiamsi non exprimat, se illam iam petijsse, & non obtinuisse: Ratio, quia nullo iure probatur, inualidam esse talem dispensationem; tùm quia illa dispensatio valida est, quæ obtinetur à Superiore, qui potest; & vult illam concedere; sed Superior in proposito casu potest, & vult eã concedere, ergò &c.

7 Quando de vna, & eadem re duplex dispensatio petitur, & prima fuit limitata, & secunda magis ampla, per se loquẽdo, facienda est mentio prioris limitatæ; alioquin secunda inualida videtur, nisi secunda, ex causa noua, petatur; aut nisi prima fuerit concessa cum limitatione, quæ juxtà stylum opponi soleat. Ita plures apud Bonac. *disput.* 1. *quæst.* 2. *p.* 8. *num.* 1.: Si verò dispensationes cadant super res diuersas, non est necesse in posteriori facere mentionem prioris, quia id ex nullo textu colligitur: Dixi, nisi petatur ex noua causa, quia si petatur ex noua causa, non videtur necesse facere mentionem prioris dispensationis, quia Superior, posita noua causa, præsumitur ampliatione dispensationis concedere. Ita Mol. *tom.* 3. *disput.* 650. *nu.* 4. Sanch. *lib.* 7. *disput.* 22. *num.* 12. & alij: Dixi secundò, aut nisi prima concessa fuerit cum limitatione, quæ juxtà stylum Curiæ apponi soleat, quia tùnc censeo, validam esse dispensationem obtentam sine limitatione, si limitatio opponi soleat ex stylo Curiæ, cuius est conscius Pontifex; & signum est, Summum Pontificem velle secundam absolutè concedere absque limitatione, quamuis non recordetur, se tali personæ aliam concessisse cum limitatione: Item in secunda dispensatione non est necesse mentionem facere prioris inualidæ: Ratio, quia secunda dispensatio non dicitur peti ad ampliationem primæ, cùm prima sit omninò inualida, & non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. Ita Suar. *lib.* 6. *cap.* 23. *nu.* 17. Sanch. *disput.* 22. *num.* 15. & 21.

8 Dispensatio data ab vno Episcopo, dispensando in aliquo speciali iure sui territorij, non potest valere ad operandum in alieno territorio aliquid in eo prohibitum per simile speciale statutum ipsius loci. Ita Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 26 *num.* 7. Salas *de legib. disput.* 17. *sect.* 10. *nu.* 54. Ferd. Castr. *in opere morali p.* 1. *tract.* 3. *disput.* 4. *p.* 6. *num.* 6. & alij: Ex quibus colligitur, quòd peregrini, & aduenæ tenentur seruare statuta illius loci, in quo versantur, quando sunt communia toti Populo illius conditionis; quod tamen intelligendum est, si aderit scandalum, nisi id fiat; Quando verò actus est prohibitus iure communi, & nõ particulari statuto alicuius territorij, dispensatus à suo Episcopo circà talem actũ, potest licitè vti tali dispensatione extrà territorium, nisi fortè ex speciali ratione, contingat, dispensationem illam ad locum limitari.

9 Dispensatio obtenta per metum incussum ad ipsam obtinendam, valida est. Ita Sanch. *lib.* 3. *disput.* 39. *num.* 13. Suar. *de legib. lib.* 6. *cap.* 21. *num.* 5. & 6. & alij. Ratio, quia gesta per metum valida sunt, exceptis casibus in iure expressis. Dispensatio verò obtenta per dolum, & mendacia, inualida est, quotiès dolus, & mendacia versantur circà causam finalem, & motiuam: Ratio, quia dispensatio vim habet à voluntate dispensantis; dispensans autem non habet voluntatem dispensandi, quotiès dolus, & mendacia versantur circà causam, & motiua; Secus verò si dolus, & mendacia versentur circà causam solùm impulsiuam. Et ita plures apud Bonac. *disput.* 1. *de legib. quæst.* 2. *p.* 6. *num.* 2.

PA-

PARAG. VII.

SVMMARIVM.

1 *Gratia quomodo experet morte concedentis?*
2 *Dispensatio reuocata ante effectum, amittit suam vim.*
3 *Renunciatio dispensationis inualidat ipsam.*
4 *Renuncians potest vti dispensatione, antequam sit acceptata à Superiore.*
5 *Gratia concessa ad determinatum tempus, expirat morte concedentis.*
6 *Gratia concessa simpliciter ad beneplacitum, censetur concessa ad beneplacitum personæ.*
7 *Commissio facta Vicario sub nomine dignitatis, transit ad Successorem.*
8 *Vicarius quid debeat facere, quando per rescriptum Pontificis ei delegatur facultas, &c.*
9 *Quando industria personæ censeatur electa?*
10 *Dispensatio cessat, cessante causa finali.*

1 GRatia absolutè coocessa non expirat morte concedcoris; & ita communiter DD., etiam re integra; si verò est gratia facienda, expirar morte cooceden-tis, re integra; Secùs verò, si res oon sit integra. Ita *ex capite si cui nulla, de prab. in 6.*; Vbi deciditur, facultatem alicui concessam confereodi beneficia, noo expirare morte concedentis, etiam re integra; Secùs si detur potestas cõferendi beneficia, certis personis, non in fauorem, & gratiã collata, sed in gratiam eorum, quibus beneficia conferenda sunt: Ratio, quia in primo casu hæc gratia facta, erat omninò perfecta, & nullios executionis indigens, respectu illius, in cujus fauorem cõcessa est, nempè respectu collaturi beneficia; at io posteriore casu, non erat gratia facta, sed facienda respectu eorum, in quorum fauorem data est, quia iodigebat fauore alterius.

2 Dispensatio amittit suam vim, si reuocetur, autequàm adimpleatur effectus, ad quem fuerat concessa. Ità Sanch. *disput. 33.* Suar. *de leg. lib. 6. cap. 30. nu. 6.* Salas *de legib. sect. 18.* & alij: Ratio, quia dispensatio habet suam vim à voluotate concedentis; si autem concedens per reuocationem nolit, eam ampliùs vim habere, dicendum est, dispẽsationem vim suam amittere per reuocationem concedeotis: si verò effectus, per quem conceditur dispensatio, habuerit suum effectum, tùnc dispensatio non potest ampliùs reuocari. Suar *lib. 6. cap. 20. num. 6.* Sanch. *lib. 8 disput. 33.* & alij.

3 Renunciatio dispensationis facit inualidam dispensationem, quæ nondùm executioni demandata est, si renunciatio acceptetur à dispensante: Ratio, quia per renuociationem dispensationis acceptatam à concedente, subditus iterùm subijcitur legi, à qua fuerat per dispensationem exẽptus, & per coosequens dispeosatio, per quam fuerat exemptus, vim suam amittit per renunciationem acceptatam à concedente. Ità Suar. *lib. 6. cap. 20. num. 6.* & alij.

4 Impetrans dispensationem, si illi renunciet, potest etiam ea vti, quamdiù Superior non acceptauerit illam dispensationis renunciationem: Ratio, quia subditus per renunciationem noodùm acceptatam à Superiore, non abdicauit se à iure dispẽsationis: & ità Sanch. *lib. 8. de matrim. disput. 22. num. 2.* Suar. *lib. 6. de legib. cap. 20. num. 8.* Salas *disput. 20. sect. 19. num. 128.* & alij.

5 Quando gratia concessa est ad determinatum tempus, noo expirat morte concedentis, si ante fioitum tempus moriatur concedens: & ità cõmmuniter DD.: quando verò gratia conceditur ad beneplacitum, tùnc expirat morte cõcedentis; secus si concedatur ad beneplacitum Sedis, seù dignitatis, tùoc enim est perpetua, donèc à successore, vel eodem reuoceotur: Ratio, quia voluntas persooæ morte perijt, ac proindè peribit gratia concessa; at verò digoitas est perpetua, & eadem reputatur io successore, & per consequens idem erit de gratia ad illius dignitatis beneplacitum concessa.

6 Gratia verò concessa ad beneplacitum absque alio addito, censetur concessa ad beneplacitum personæ coocedeotis. Dispẽsatiooes, & aliæ gratiarum litteræ non expiraot morte coocedentis ante litterarum expeditionem, ac proindè ad sui valorem scriptura oon iodigent. Ità *Gloss. in Clemẽt. dudum de sepult.*, quia gratia est donatio, constat autem, donationem statim ac fit, esse perfectam, antequàm instrumẽtum donationis conficiatur, licèt dispensatio, litteris noo expeditis, non suffragetur pro foro exteroo, at eo semèl, quo expediuntur litteræ, suffragantur à puncto gratiæ concessæ, & noo solùm à puncto expeditionis litterarum, etiamsi mortuo Papa, qui eam cootulit, expediantur nomine sequentis Pontificis in forma, *Quia ratione cõgruit*; vndè si ante finitum iudicium, litteræ quocumque tempore expediantur, gratia, & dispensatio suffragantur, quamuis in priocipio iudicij solo verbo concessa loueniantur; quia regulæ Cancellariæ pertẽtes litterarum expeditiooem, vt dispensatio suffragetur in foro externo, non petuot, à principio iudicij litteras expeditas esse. Ità Bert. Soc. *consil. 41. num. 3. vol. 4.* Lud. Gomes *reg. de non iudicando iuxta formam supplicationis quæst. 6. num. 1.* Molin. *de primogeneis lib. 2. cap. 7. num. 56.*: litteræ verò iurisdictionem concernentes judicibus, qui per eam deputantur, requirunt necessariò, ante iudicij initium eas expeditas esse, ità vt si iudicium inchoetur, concessa supplicatione, nondùm tameo litteris expeditis, & inthimatis, est omninò nullum, nec valorem obtinebit, eò quòd in iudicij progressu litteræ expediantur, & præseotentur: Ratio, quia cùm iurisdictionis exercitium non acquiratur ante litterarum expeditionẽ, vt tenet Molina *de primogeneis cap. 7. num. 56. & 57.* quidquid ante gestum est, corruit, defectu iurisdictionis in iudice. Ità Molina *de iust. tom. 3. disput. 599. num. 2.* Saoch. *disp. 29. num. 10.* & alij.

7 Commissio facta Vicario sub nomine dignitatis, seù officij, eo mortuo, transit ad successorem in Vicariatu. Ità Panorm.

in

in cap. Quoniam, Sanch. *lib. 8. de matrim. disput. 27. num.* 10. Salas *de legib. disp.* 20. *sect. 27. num.* 124. Guttier. *de matrim. cap.* 125. *num.* 2. & alij.

8 Quando Vicario Episcopi delegatur facultas per rescriptionem Pontificis, vt dispenset in impedimentis matrimonij, vel, &c., si preces veritate nitantur, potest Vicarius receptionem testium, ac informationem alteri committere, non autem ipsam dispensationem. Et ita habet praxis: Ratio est, quia vbi nudum ministerium, vnà cum iurisdictione aliqua committitur à Principe, non potest nudum ministerium subdelegare, benè tamen iurisdictionem illam: & ità Innoc. *in cap. Quoniam Apostolus, de officio Delegati num.* 5. & ibi Panormit. §. *vlt. num.* 6.; sed in his rescriptis committitur Vicario iurisdictio veritatis precum examinandæ, & nudum ministerium exequendæ dispensationis à Pontifice concessæ, ergò Vicarius poterit illam delegare, non autem hoc. Et ita Sanch. *de matrim. disput. 27. num.* 43. Guttier. *de matrim. cap.* 125. *nu.* 20. Nauar. *consil. 6. de officio Delegati*, Bonacin. *de legib. disput. 1. quæst. 3. punct.* 8 §. 1. & alij.

9 In subsequentibus casibus censetur electa industria personæ: Primus est, quando aliquid, ratione confidentiæ, alteri committitur: Secundus, quando grauia, & ardua negotia mandantur: Tertius, quando dictum esset, *Tu, vel per te cognoscas, aut per teipsum*, quia propter geminationem intelligitur electa industria personæ, & ità non potest delegari: Quartus est, quando alicui non committitur iurisdictio, sed nudum ministerium, v.g. vt excommunicet, absoluat, &c.; tùnc enim non poterit alteri subdelegare, nisi is, cui facta est commissio, esset Legatus: habetur expresse *in cap. fin. §. vlt. de officio Delegati*: Quintus est, quando Princeps committeret ea, quæ sibi sunt reseruata, in signũ supremæ potestatis; tùnc enim non potest fieri subdelegatio: Ratio est, quia ex grauitate negotij, præsumitur electa industria personæ: Sextus, quando causa commissa est per verbum *Mandamus*, vel *Præcipimus, &c.* nàm cùm talia verba necessitatem inferant, non poterit fieri subdelegatio: Gloss. *in l. sæpè audiui, Cæsarem ff. de officio prætoris*: referuntur etiam ab alijs alij modi.

10 Cessante causa finali dispensationis, cessat etiam ipsa dispensatio, si causa esset, antequàm ipsa dispensatio sit executioni mãdata, vel antequàm sortiatur suũ effectũ, vel si cœpit sortiri, effectus est etiam diuisibilis: & ità plures apud Bonacinam *disput. 1. quæst. 21 par. 10. num.* 5. Dispensatio autem semel concessa, & executioni mandata non cessat, nec reuocari potest, cessante causa, ob quam fuerat concessa. Ità apud Bonac. *loco cit. num.* 11.

PARAG. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Ius Canonicum quid sit?*
2 *Ius Canonicum quotuplex.*
3 *Concilia generalia quæ sint.*
† *Item Concilia Prouincialia, &c.*
4 *Decreta Pontificum, quæ?*
5 *Canones ligant omnes, excepto Papa.*
† *Græci, &c. tenentur seruare Canones Ecclesiæ Latinæ.*
6 *Statutorum verba quomodo intelligenda?*
7 *Constitutio Episcopi non ligat ignorantes.*
8 *Ignorantia quotuplex.*
9 *ignorantia item subdiuiditur.*
10 *Ignorantia vincibilis subdiuisiones.*
11 *Ignorantia est aliquando antecedens, &c.*
12 *Ignorantia quomodo excuset à culpa.*
13 *Quando pœna ipso iure inflígitur extrà territorium, non obligat.*
14 *Episcopus potest condere statuta.*

1 IVs Canonicum est illud, quod fertur Ecclesiastica potestate, vt à Papa, Concilio, &c. Dicitur ius, quia iustum, canonicum, à nomine Græco, Canon, quod Latinè, Regula, interpretatur, eò, quod normam rectè, benèque viuendi præbeat: dicitur etiam Pontificium, quòd Pontificem Romanum auctorem habeat *cap 2. dist. 3.*

2 Ius canonicum, vel est diuinum, vel est humanum; Ius diuinum est, quod in lege continetur, & in Euangelio, *dist. 1. in sum.* Ius canonicum humanũ sunt, vel statuta Conciliorum tàm generalium, quàm Prouincialiũ, vel Episcopalium *cap. 3. dist.* 5 vel decreta Pontificum, vel dicta Sanctorum *cap. 2. §. Porrò distinct. 3.* †

3 Concilia generalia sunt, quæ Episcopi ex vniuerso orbe, auctoritate Sedis Apostolicæ in vnum conuenientes, condiderunt *cap. 1. distinct. 15.* eorum statuta propriè canones dicuntur, & ab omnibus per omnia seruari debẽt: Concilia Prouincialia sunt, quæ celebrantur mandato Metropolitani ab Episcopis vnius Prouinciæ *cap. Propterea 4. distinct. 15.* Episcopalia, quæ Episcopus in sua Diœcesi, conuocatis Abbatibus, Presbyteris celebrat: eorum statuta non propriè canones, sed constitutiones dicuntur; & tantùm obligãt subditos Prouinciæ, seù Diœcesis *cap. 1. distinct.* 18 Felin. *in cap 3. num. 5. de iureiur.* quæ aliquando Sedis Apostolicæ confirmatione indigent *cap. Cùm accessissent 8. de constit.* si confirmata subditos obligant *cap. 1. distinct. 20.*

4 Decreta Pontificum sunt constitutiones Ecclesiasticæ à Summo Pontifice, vel solo, vel Cardinalium, & Episcoporum cõsilio adhibito factæ *cap. 1. de constit. cap gen. 25. quæst. 1.* quæ si generalia sunt, omnes obligant, *cap. 1. de constit.*; si verò specialia ijs, quibus concessæ sunt, solùm legem imponunt.

5 Canones ligant omnes: excepto Papa: ligant in primò Cardinales, etiamsi decreta fuerint condita de consilio ipsorum Cardinalium. Verùm Cardinales non tenentur constitutione generali edita contrà Clericos, vel contrà beneficiarios, vel cõtrà eos, qui dignitates vocantur, quoniam & si Cardinales sint Clerici, beneficiarij, dignitates, habent tamen aliquid singulare, & eximium, in quo præcedunt; vndè vt comprehendantur, solet addi, *Clerici beneficiarij*

marij, cum se non per statum, & conditionis, & dignitatis sint. Item si constitutio edatur contrà Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, non ligantur ea Cardinales, etiamsi sint Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ. Præterea si lex feratur de materia aliqua, in qua Cardinales specialibus gaudent priuilegijs, non tenentur ea lege vniuersè lata; quoniam lex generalis non abrogat priuilegium peculiariter alicui cõcessum. Azor. *tom. 1. lib 5. quæst. 5.* Dixi, excepto Papa, cæteri omnes ligantur. Menoc. *de arbitr.*
† *casu* 380. Etiam Clerici Orientales, Græci tenentur seruare Canones editos in Ecclesia Latina, cùm solùm Ecclesia Latina possit ferre leges vniuersales pro Ecclesia, Canonibus latis ab Ecclesia Latina tempore, quo Græci, & Orientales Clerici nondum erant ab Ecclesia Latina separati, debent vti Græci, & Orientales; nam ex accidenti fieri potest, vt Græci, & Orientales soluti sint ab obseruatione eorum Canonum, quoniam apud ipsos vsu, & cõsuetudine multi Canones sunt vsu abrogati, cum tamen Latini modo, & vsu eos retineãt; tùm etiam, quia apud ipsos multa sunt, vel vsu recepta, vel etiam iure antiquo communi introducta, longè contraria ijs, quæ apud Latinos iure, vel vsu antiquo reseruãtur: vnde ex ijs, qui sunt matrimonij vinculo astricti, aliqui ad ordines promouentur.

6 Statutorum verba, secundùm iuris dispositionem intelligi debent Vallat. *consil.* 42. *num.* 7. & si aliquid contrà ipsum ius disponant intelligi debent, vt minùs quàm fieri possit, illud lædant Tiraqu. *de retract. lign. §. 9 gloss. 2. num.* 55.

7 Constitutiones Episcopi non ligant ignorantes, nisi ignorantia fuerit crassa, & supina: nec ligat subditos extrà Diœcesim, dummodò tamen ignorantia crassa non fuerit, quia talia ignorantia non excusat: Ratio primæ partis est, quia constitutio, seù lex non obligat, nisi scientes: Ratio secundę partis, quia ignorãtia crassa neminem excusat.

8 Ignorantia alia est iuris, alia facti, & alia pœnæ. Ignorantia iuris cõtingit, quãdo nescitur præceptum; ignorantia facti contingit, quando adest scientia, sed ignoratur factum, quod prohibetur in dicta lege. Item ignorantia alia est iuris communis, quæ contingit, quando ignoratur ius, seù lex vniuersalis, & alia iuris particularis, quæ contingit, quando ignoratur ius obligans solùm particulares aliquas personas, vel tantùm in aliquo particulari territorio.

9 Ignorantia, siuè sit iuris, siuè sit facti, subdiuiditur in probabilem, quæ dicitur inuincibilis, & in improbabilem, quæ vincibilis, & culpabilis appellatur: vincibilis est, quæ vinci potuit, sed ignorans non adhibuit diligentiam ad illam vincendam: ignorãtia probabilis dicitur illa, quæ vinci non potuit, cũ nihil vnquàm dubitauerit, & si dubitauit, vsus est diligentia ad assequendam veritatem, quã non cognouit;

10 Ignorantia vincibilis subdiuiditur in affectatam, crassam, & supinam. Ignorantia affectata contingit, quando quis eligit nescire preceptum, vt liberiùs peccet: ignorantia crassa, & supina dicitur illa, quæ procedit ex lata culpa ignorantis; vt quãdo quis nullam, vel modicam adhibuit diligentiam ad cognoscendum id, quod scire tenetur, postquàm de illo habuit cognitionem, vel dubium. Ità Henriq *in sum. lib. 13. cap. 23. §. 2.* Auila *de censuris par. 2. cap. 5. disput. 5. dubio* 8. Sanch. *de matrim. disput. 32. num.* 33. licèt Suar. *disput. 4. sect.* 8. *num.* 5. dicat, ignorantiam crassam, & affectatam non distingui à vincibili; sed oppositum est verius.

11 Ignorantia aliquando appellatur antecedens, & est illa, qua non posita, actus malus non fieret; aliquando comitans, & est illa, quæ si non esset, actus nihilominùs fieret.

12 Ignorantia vincibilis, & culpabilis facti, vel iuris, quæ crassa est, non excusat à culpa mortali, nec ab incurrendis censuris; Molina *de iust. tom. 4. disput. 53. num* 4. Sanchez *disput. 32. num.* 31. Auila *loco citato*, Salas *de legib. disput. 5. sect. 9. num. tit.*

13 Quando pœna ipso iure infligitur, ea nõ imponitur delinquenti extrà territorium. Tambur *de iur. Abb. tom. 2. disput. 16. quæst. 1. num.* 7. Ratio, quia iurisdictio adhæret territorio Paris. *consl.* 16.

14 Episcopus vt suprà dictum fuit, potest facere statuta. Azor. *par. 1. lib. 3. cap. 47. quæst. vlt.*; & huiusmodi statuta auctoritate Papę confirmata debẽt potiùs obseruari, quàm ius commune. Guttier. *canon. quæst. cap. 33. num.* 33. Mantic. *de tacit. & ambig. conuent. tom. 1. lib. 3. tit. 8. num.* 1.

TITVLVS II.

De Rescriptis Ecclesiasticis, seù procedentibus ab Ecclesia Militante.

SVMMARIVM.

1 *Rescriptum Ecclesiasticum quid sit.*
† *Eius tria sunt genera.*
2 *Rescriptum est mandatum Apostolicum, &c.*
† *Mandatum quatuor modis fit.*
3 *Quæ beneficia comprehendantur in mandatis Apostolicis?*
4 *Mandatum Apostolicum quomodo definiat?*
5 *Rescripta gratiæ ab excommunicato impetrata, sunt valida.*
† *Excipiuntur aliqui casus.*
6 *Rescriptum Delegatorium, &c. ab excommunicato impetratum, an sit nullum?*
7 *Mandatum speciale derogat generali.*
8 *Ex pluribus Mandatarijs concurrentibus, quis præferri debeat?*
9 *Casus, in quibus secundus Mandatarius præfertur priori.*
10 *Mandatum subreptitium quomodo vitietur?*

1 RESCRIPTUM Ecclesiasticum, seù procedens ab Ecclesia Militante, est species quædam Constitutionis Apostolicę, in hoc differens à cęteris, quòd sit personale, tantùmq; pertineat ad eos, ad quos

mittitur;

mittitur; cùm cęteræ Apostolicæ Constitutiones generales sint, Iusque commune contineant, cuius tria sunt genera. Primum est eorum, quæ dantur contrà ius commune, & propriè vocãtur priuilegia. Secundum est eorum, quæ dantur in ordine ad lites, & vocantur rescripta Iustitiæ: Tertium est eorum, quæ vocantur rescripta gratiæ, eò, quod Papa aliquid per illa præter ius concedat.

2 Omne rescriptum est mandatum Apostolicum, quo Papa mandat, vel præcipit, beneficium alicui conferri, *capite Mandatũ, de rescriptis*; Quod quatuor modis expeditur. Primus dicitur *In forma pauperum*, quia datur à Papa, iuxtà eam formulam ob quam, pauperum causa, solet ad Ordinarios scribere: Secundus dicitur, *In forma dignitatis*, & sunt litterę, quas Papa scribit ad locorum Ordinarios, vel Executores à se constitutos, quibus præcipit, vt Clerico ob generis nobilitatem, &c. conferatur beneficium: Tertius dicitur, *Ratione congruitatis*, quia ita incipiunt, & dari solẽt: Quartus dicitur, *Litterę si neutri, si nulla sit alteri*; Si enim mota sit lis inter duos de aliquo beneficio, & tertius à Papa impetret, hac lege, vt si neutri litigantium ius concessum sit, ipsi beneficium detur, dicitur impetrasse litteras *Si neutri*; Si alter litigantium impetret à Papa, vt sibi beneficium conferatur, ea conditione conceditur, si alteri litiganti ius in beneficiũ quęsitum non est, & dicuntur eæ litteræ *Si alteri*; Si denique tres de beneficio litigent, & alius contrà, litteras impetret ea conditione, vt si nulli litigantium ius in beneficio acquisitum sit, ipsi conferatur, dicuntur litteræ *Si nulli*.

3 Beneficia comprehensa in mandatis Apostolicis sunt omnia, quæ in mandatis iure non inueniuntur excepta, *cap. Mandatum de rescriptis*, nisi expressa fiat de illis mentio: excipiũtur primò dignitates electiuæ, *ex capite Cum iuris, de prebendis*: Secundò, Beneficia curata: Tertiò, Beneficia, quæ sunt iurispatronatus Laicorum, *cap. Dilectus de Iurepatronatus*: Quartò, Beneficia creata post datam eorumdem rescriptorum, *Ex Clem. fin. de rescrip.* Quintò, Beneficium legitimè sublatum de Ecclesia, seù suppressum, *ex capite Cùm accessissent de Constit.* Sextò, Beneficia, quæ ad Mensam Prælati pertinent, vel alterius Prælati, *ex Clement. vac. §. quidam etiam, de excessibus Prælatorum*: Septimò, Beneficia, quæ fuerint reseruata Papæ: Octauò, Beneficia annexa alteri beneficio ante litteras datas à Papa: Nonò, Beneficia Monocola, quæ sola pertinent ad alicuius Ordinarij collationem.

4 Mandata Apostolica desinunt. Primò, si is, qui litteras dedit, eas reuocauit. Secundò, si successor mandata ab Antecessoribus data rescindat. Tertiò, si gratiæ Apostolicæ Mandatarius expresè cesserit, aut tacitè, si Vxorem duxerit, &c. Nõ distinguuntur obitu mandantis, si mortuo Pontifice, res adhùc remaneat integra; Ita vt tractari non cęperit, *capite Si super gratia, de officio Delegati*.

5 Rescripta gratiæ ab excommunicato impetrata, sunt inualida; licèt nunc temporis, quia in litteris Apostolicis includi solet absolutio ab omnibus censuris ad hunc effectum, vt rescripta valeãt, excepto casu excommunicationis ob hæresim; Item excepto etiam casu, quo quis per annum sordescit in excommunicatione ob suspicionem hæresis, censentur valida: persistens verò per annum in excommunicatione ob aliquam causam excusabilẽ, videtur absolutione frui, quia vbi cessat culpa, ibi etiam cessat pęna. Suar. *disput. 17. sect. 1.* Couar. *cap. Alma Mater, prima parte §. 7.* Nau. *cap. quorumdam de Iudæis*, Filliuc. *tract. 12. cap. 9. num. 211.* & alij.

6 Rescriptum delegatorium quòad lites forenses impetratum ab excommunicato, & processus indè sequutus, sunt ipso iure nulla, nisi in causa excommunicationis, vel appellationis, siuè excommunicatus sit publicus, siuè non; siuè impetret per se ipsum, siuè per Procuratorẽ, etiãsi pars consentiat impetrationi, Quia habilitare impetrantẽ dependet à Papa, dummodò non procedat in rescriptis, quę nũc à Sede Apostolica emanant propter causam supra latam: Secundus in casibus, in quibus excommunicatus potest sistere in iudicio, Quia in illis potest impetrare rescriptum, aut quando excommunicatio procedit ex dolo, & industria excommunicantis. Socin. *in cap. Sacris*; aut in rescripto, per quod impetratur, vt causa committatur in Rota, respectu processus vsque ad sententiam: Item in excommunicato post appellationem legitimam, Nã pendente appellatione, potest impetrare rescriptum: similitèr in excommunicato sub conditione, quia pendente conditione, potest impetrare rescriptum, aut in excommunicato excommunicatione minori, cùm textus loquatur de excommunicatione simplicitèr, quo casu intelligitur de maiori, Ricciul. *cap. 38. num. 56.*

7 Mandatum speciale derogat generali, etiamsi de generali nulla fiat mentio. Menoch. *de arbitr. casu 97. à num. 2.* Valasc. *consult. 72. num. 2.* Mantic. *de coniecturis lib. 9. tit. 6. num. 22.* Quæ tamen Regula non habet locum in priuilegijs, quia priuilegiũ speciale non derogat generali, nisi de illo expresè fiat mentio, quia quando duo sunt priuilegia, prius est præferendum, nisi reperiantur inclusa in corpore iuris, quia tunc secundum derogat priori. Bartol. Perretus *in Comment. ad extrauagantem ambitiosè de rebus Ecclesiæ non alienand. nn. 3. & 4.*

8 Ex pluribus mandatarijs concurrentibus, is præferri debet, qui priùs impetrauit Apostolicum mandatum, *cap. Eum cui, & cap. Quia sępè, de prebendis in 6. cap. Tibi, qui, & cap. duobus*: Quòd si omnes impetrauerunt eodem die, præferri debet is, qui per testes probatur, aut ex litteris impetrationis cognoscitur impetrasse priori hora, *ex Gloss. in præd. cap. de duobus, per reg. Iuris in 6.*, qui

si prior est tempore, potior est iure: quòd si de hora non constet, sed solùm de die, melior est conditio possidentis, *cap. Si à Sede ... præbend. in 6.* Si verò neuter possideat, ille præfertur, cui gratia facta est à collatore maiorem prærogatiuam habente.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus secundus mandatarius priori præfertur. Primus est, cum in litteris secundi Mandatarij Papa dicit, vt anteferatur quibuscunque alijs. Secundus est, cum duo Pontifices dant mandatum, præfertur enim illud, quod est à viuente, iuxtà caput *de anti. de conceß. preb.* Tertius, quando prior non est capax beneficij primò vacantis, v. g. qui habet annexum ordinem Sacerdotalem, quem quia per ætatem non potest capere, præfertur posterior, qui id potest, *ex cap. Ex cui de prebend. in 6.* Vltimus, quando prius impetranti notabilis negligentia imputari potest, tùnc enim præfertur posterior, *ex cap. Tibi, qui.*

Mandatum, seù Rescriptum, si obtineatur subreptione, tacendo verum, vel exprimendo falsum, si id contingat in vna parte rescripti vitiat ipsum quòad ipsam partem, non verò quòad reliquas, quia vtile per inutile vitiari non debet, iuxtà *reg. vtile in 6.* Quod tamen intelligendum est, dummodò vna pars rescripti ab altera separari possit, cum hæc regula habeat solùm locum in separabilibus, non autem in inseparabilibus: Item modò subreptio in vna rescripti parte non contigerit dolo: Nam quotiès per dolum, vel malitiam impetrantis cum ingenti temeritate contingit subreptio, licèt rescriptum quòad eam partem, in quo non fit subreptio, non sit irritum ipso iure in foro consciētiæ; tamen est declarandum irritum in totum per Iudicis sententiam, vt patet ex *cap. super Litteris*; quod non sit irritum, ipso iure, patet, quia nullo iure colligitur esse irritum.

P A R A G. I.

Textus Sacrorum Canonum, De Rescriptis.

S V M M A R I V M.

Quando primum rescriptum, & non secundum valeat?

2 Quæ requirantur ad validitatem secundi rescripti?

3 Papę rescripto est parendum, nisi detur iusta, & rationabilis causa non parendi.

4 Cistercienses sunt priuilegiati; vt rescripta contrà eorum priuilegia obtenta non valeant, nisi priuilegiorum fiat mentio.

5 Sede vacante, si scribatur Capitulo, vt prebenda alicui conferatur, quid faciendum?

† Litteræ impetratæ ad beneficia non valent, nisi de dignitatibus, &c. fiat mentio.

6 Laicitas falsa vitiat Rescriptum.

7 Contrà secundum Rescriptum obtentum quid possit opponi?

† Quomodo debeat intelligi rescriptum Papæ directum pluribus Iudicibus, &c.

† Litteræ secundæ impetratæ super eodem negotio, non valent, si non reuocant primas, &c.

8 In Rescriptis de Beneficio obtinendo, quæ requirantur?

9 Quomodo interpretandum Rescriptum?

1 PRimæ litteræ commissionis ab vno litigantium obtentæ, attenduntur, si in secundis ab altero obtentis, non sit de illis facta mentio; si verò primæ de cōsensu partium sint obtentæ, & deinde vna pars, inscia altera, tacens conuentionem, secundas obtinet, alteri Iudici causam cōmittens, hæc gratia est nulla. Ita *ex cap. Cæterum 3. de Rescriptis*; Ratio est, quia sic impetrans suppressit verum, quod tenebatur dicere, scilicèt Rescriptum prius, quia si id fuisset expressum, verisimile est, Superiorem secundas non fuisse concessurum, ob præiudicium, quod fertur: & hæc regula procedit, etiamsi res sit integra, & lis non sit inchoata, *ex Text. in cap. Tibi*, licèt hodie attendenda sit præsentatio Litterarum, vt posteriores, licet priorum mentionem non faciant; & ità subreptitiæ præualeant, si ante priores fuerint præsentatæ Iudicibus, & per easdem prior citatio facta sit, Nauar. *in cap. Cum contingat.* †

2 Non sufficit, vt secundum Rescriptum obtentum sit validum, quòd in eo prioris mentionem fiat, sed requiritur vt in posteriori mentio fiat omnium clausularum notabilium, quæ in eo continentur. Ita *cap. Cum dilecta 22.* Felin. *hic num. 5.* Menoch. *de arbit. casu 202. à num. 69.* Molina *de primogenitis lib. 4. cap. 3. num. 31.* Ideò si prius rescriptum de communi consensu partiū fuit obtentum, id in secundo debet exprimi, sicut etiam mentio fieri debet de lite inchoata, ac de processu, nè secundum rescriptū sit subreptitium, *cap. Inter Monast. de re iudicata.*

3 Papæ Rescripto debet parere is, ad quē dirigitur, nisi causam rationabilem assignet, cur non pareat. Ità *ex cap. 5. de Rescriptis*, Differens autem executionem rescripti iusta causa; & deindè causam scribat ad Superiorem, non incurrit aliquam pœnam, quia scribendo causam, procedit legis auctoritate, *ex cap. Cum teneamur.* Et licèt non exequatur, dicitur tamen obtemperare, rescribendo. Perez *lib. 1. tit. 12. lib. 3.*

4 Cistercienses ita sunt priuilegiati, vt rescripta contrà eorum priuilegia obtenta non teneant, si de illis non faciant mētionem, *ex cap. Cum Ordinem de Rescriptis.* Ratio, quia Rescriptum impetratum contrà exemptum non valet in præiudicium ipsius, si de ipsa in rescripto non fiat mentio. Felin. *in cap. 1. num. 14.* Abbas *in cap. ex parte 1. num. 2.* Nec præiudicat causæ priuilegiatæ, nisi de ea fiat mentio: Ratio, quia præsumitur Principis rescriptum noluisse auferre Ius Tertij, Mascard. *de probat. conclus. 1003. num. 22.* Non habet locum hæc regula, quando Monachi conueniuntur super rebus, quæ illorum ordini à Sede Apostolica specialitèr indulta non sunt, quia in his nullum conceditur priuilegiū,

vt

vt constat ex verbis cõditionalibus, *si contrà vos super decimis, &c.* Et si fuerint citati, debent venire suum priuilegium allegaturi; An citatus ad forum incompetens teneatur venire, Respondeo vocatum ad forum notoriè incompetens in illis, quæ notoriè ad vocantis officium non spectat, minimè teneri venire; Secùs verò, quando notoriè est competens, vel res est hinc indè æqualiter dubia, Sotus *de Iust. lib. 5. quæst. 7. art* 8. Menoch. *remed. 9. recup. num.* 8. Con. *var. lib* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Fr. Em. *quæst. reg. tom.* 2. *quæst.* 59. *art.* 5.; Vndè regularis notoriè exemptus citatus ab Ordinario, vt compareat in iudicio, non tenetur comparere. Ita Fr. Em. *tom.* 2 *quæst.* 63. *art.* 7.

5 . Rescriptum Papæ continens, quòd sede vacante, Capitulum prouideat alicui de præbenda, si aliquis de præbenda deindè fiat Episcopus, tenetur dare præbendam. Ita *ex cap. Eam te 7. de Rescriptis.* Item litteræ impetratæ ad Beneficia, non valent, nisi de impetrandis dignitatibus, quas impetrans habebat, faciat mentionem, *Ex cap.*
† *ad aures* 8. *de restit.* Litteræ impetratæ, quòd aliquis possit eligere incertos Iudices ad quascũque causas, nõ valent *ex cap. Si autẽ* 9.

6 Latinitas falsa vitiat rescriptum *cap. Ad audientiam* 11. & hic textus habet locum in omnibus litteris tàm gratiæ, quàm iustitiæ ab Apostolica Sede obtentis, & etiam in litteris Imperatorum, Regum, &c. Quia eorum litteræ transeunt per Cancellariã, in qua sunt viri docti, Abbas *hic in fine;* quæ litteræ vitiantur in totũ, & ità *DD. in textu.*

7 Litteræ secundæ, quando impetrantur, non facta mẽtione de primis, si primus appellat, nulla facta mẽtione de primis litteris, quia dolo, & negligẽtia sunt nullæ, te-
† netur ad expẽsas, *ex cap. ex p. s.* 15. Rescriptũ Papæ pluribus Iudicibus directum, quòd vnus, vel plures iudicent, si aliquis adesse nequiuerit, intelligitur tàm de impotẽtia
† iuris, quàm facti, *ex cap. Sis citatus* 13. Litteras diuersas super eodem negotio ad diuersos Iudices impetrans, si vltimæ non reuocant, vel citant primas, omnium commodum perdit, *ex cap. ex tenore* 16. & ad incurrendam pœnam sufficit sola impetratio diuersarum commissionum, licèt impetrans ijsdẽ non vtatur, Host. & Panorm. *in cap. vlt. de rescript.*; quamuis probabilior sit, quando impetrans diuersa rescripta, ijsdem vtitur, Felin. *in textu num.* 1.

8 In litteris pro beneficio obtinẽdo, semper debet fieri mentio de alio beneficio, si quod habet ille, qui impetrat, & debet sẽper dici, *si dignus est*, quod si non dicatur, semper intelligitur, aliàs non valet. Ità *ex cap. Cùm adeò* 17. Etiamsi beneficium esset tenue, etiamsi impetrans beneficium re ipsa primum consecutum non fuisset, nisi impetrans de facto ignoraret habere alia beneficia, *per tex. in cap. Gratia*: Similiter debet fieri mentio de pensione imposita super beneficio. Flam. *de resignat. lib.* 2. *quæst.* 15. *num.* 5. Azor. *par.* 1. *lib.* 6. *cap.* 33. *quæst.* 8. Garz. *de benefic. par.* 1 *cap.* 5. *à num.* 75 Item debet facere mentionem de præstimonijs, quando ipsa dantur in titulum perpetuum, & habent annexum aliquod obsequium spirituale. Menoch. *casu* 201. *à num.* 55. quia talia præstimonia dicuntur beneficia. Sot. *de iust. lib.* 10. *quæst.* 3 *num.* 3. Nauar. *in man. cap.* 25. *num.* 122. Petrus Ledes. *in sum. par.* 2. *tract.* 9. *cap.* 4. *concl.* 6. *diffin.* 1. Fr. Em. *in sum. par.* 1. *cap.* 140. Azor. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 1. Suar. *tom.* 5. *disput.* 33. *sect.* 1. *num.* 7. Tenetur etiam facere mentionem de patrimonio in litteris iustitiæ, secùs tamẽ in litteris gratiæ. Azor. *lib.* 6. *cap.* 33. *quæst.* 8. Garz. *de benef. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 191.; tenetur etiam facere mentionem beneficij manualis in impetratione secundi. Garz. *par.* 1. *cap* 5. *num.* 80. Quia habens vnum beneficiũ, ipso iure nõ dignus est ad alterum. Azor. *lib.* 6. *cap.* 10.

9 Rescriptum debet interpretari secũdùm ius commune. Ità Cald. *cõs.* 25. Card. Tusch. *tom.* 6. *littera P. concl.* 211. Aloys. Riccius *in praxi aurea, resolut.* 92. Mantic. *decis.* 218. *num.* 2. Gyrond. *de priuilegijs, seu exemptionibus*, explicat *num.* 575. vbi dicit, quòd verba rescriptorũ generalium restringuntur secundùm ius commune, & rescriptum ad lites strictè interpretari debet, vt ad ius commune reducatur. Paris. *cons.* 108.: si verò aliquid disponatur contrà ius commune, intelligi debet, vt minùs quàm potest, lædatur ius cõmune. Menoch. *remed.* 15. Recup. *num.* 278. Surd. *de alimentis tit.* 8. *priuileg.* 90. *num.* 4. Item debet interpretari secundùm verisimilem mentem concedentis, quia in eis magis attenditur mens, quàm verba, Anton. Monach. Lucens. *decis.* 65. *num.* 20.

PARAGR. II.

Continuatio Textus de rescriptis.

SVMMARIVM.

1 *Litteræ subreptitiæ sunt nulla.*
2 *Subreptio, & obreptio quomodo committantur?*
3 *Subreptio dolosa an vitiet rescriptum?*
4 *Littera subreptitia, &c. vitiantur, sicut & aliæ contrà formam rescripti.*
5 *Ordinarius, quando recipit litteras à Delegato quid facere debeat.*
6 *Quid debeat probare impetrans, quando plura narrantur in litteris, & ponitur, si ita est.*
† *Rescriptum non valet super restitutione beneficij, in quo non fit mentio de causa excommunicationis.*
7 *An per litteras Apostolicas possit quis trahi vltrà duas dietas extrà suam Diœcesim.*
8 *Quando sunt duo rescripta, vnum super causa principali, & aliud super accessorium quis cognoscere, & iudicare valeat.*
† *Quando duo impetrant beneficium, primus præfertur posteriori.*
9 *Litteras Papæ habens, si eis propter annuam pensionem renunciat, non valent littera impetrata, hoc tacito.*
† *Receptus in aliqua Ecclesia per litteras Papæ non potest in alia recipi.*
† *Littera impetrata pro homine vnius Diœcesis non*
† *Ciuitatis homines non comprehendũtur in rescripto impetrato contrà hominem alterius Diœcesis. extenduntur ad eum, si est alterius Diœcesis.*
10 *Conueniendus per clausulam, si moriatur, vt integra, successor conueniri non potest.*

† *Litte-*

† *Litteræ executoriæ, in quibus impetrans falsò dicit, monitorias præcessisse, non valent.*

† *Papa in litteris beneficialibus non intendit aliquem grauare, &c.*

† *Quando vnus Papa dat monitorias, & secundus executorias, primus grauat, non secundus.*

11 *Episcopus non potest cogere Abbatē, vt prouideat, &c.*

† *Impetratio beneficij non valet, si impetrans, cùm sit beneficiatus, id taceat.*

† *Abutentes rescripto obtento priuantur commodo rescripti.*

1 Litteræ per subreptionē impetratæ, sunt irritæ, & Delegatus in causa procedere non potest: qui verò per simplicitatem, vel ignorātiam, veritatem tacent, aut falsitatem exponunt, si talis est fallitas, vel veritas, vt si fuisset cognita, aut explicata Papæ, Papa adhuc litteras dedisset in forma cōmuni, tunc Delegatus, litterarū forma relicta, procedere potest in causa secūdùm ordinem iuris: si vero Papa litteras non dedisset, tunc Iudex procedere non valet, nisi ad conuocandas partes, vt cognoscat de qualitate precum, an aliàs monuisset delegantem. Ità *ex cap. Super litteris* 20.

2 Obreptio committitur per narrationem falsi; subreptio verò per taciturnitatem, seu per confusam, ac perplexam expositionem, vel narrationem veri. Viuianus *tom. 1. comm. opin. lib. 4. tit. 1. num.* 191. Fraus, & malitia, qua quis falsitatem expressit, vel veritatem suppressit, non præsumitur, sed necessario probanda est per eum, qui allegat, illam interuenisse *ex reg. l. quoties* 2. hinc fit, quod rescripta gratiæ per subreptionem obtenta, sunt ipso Iure nulla. Menoch. *de arbitr. casu* 201. *num.* 3. Flam. *de resig. lib.* 4. *quæst.* 2. *num.* 43. & 44. Item priuilegium subreptitium est ipso iure nullum, Sanch. *disp.* 21. *num.* 64. vndè subreptitia redditur gratia ex taciturnitate eius, quod si concedēs, sciuisset, vel non concessisset, vel difficultèr. Socin *cons.* 260. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 21. *num.* 11. & 17.

3 Subreptitia non dolosa siuè in tacendo, siuè in exprimendo falsum, non vitiat rescriptum, si Papa aliàs esset concessurus. Garz. *de benef. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 102. Quod intelligendum est de rescriptis ad lites, quia secus in gratiosis, in quibus subreptio quoquo modo accidat, vitiat contractum. Item rescriptum impetratum, per quod quis impetrauit Iudicem, lite pendente, non facta mentione de illa, non valet. Flam. *de sign. lib.* 2. *quæst.* 3. *num.* 60.

4 Litteræ subreptitiæ, & processus exinde factus irritatur, & actūm contrà formam rescripti *ex cap. Cum dilecta* 22. Ratio, quia forma rescripti ad vnguem seruari debet, & non per æquipollens, ità vt in contrarium acta sint nulla ipso iure. Impetrans litteras, & habens copiam Iudicum, si ex malitia, & negligentia infrà annum eis nō vtatur, secundæ litteræ ab aduersario impetratæ, nulla facta mentione primarum, valent *ex cap. Plerumque* 23. Quod intelligendum est de rescriptis iustitiæ, & non gratiæ, Perez *l.* 6. *tit.* 12. *lib.* 3. *ordin.*

5 Ordinarius, quando à Delegato primas litteras recipit, si ei non innotescit, esse differentiam de Iurisdictione inter partes contrarias habentes diuersas litteras, exequi debet primum mandatum: si verò ei innotescit differentia, ab vtroque Delegato petat copiam litterarum, & si ex tenore euidentèr sine hesitatione cognoscat, quod vltimæ litteræ reuocant primas, exequatur secundas; è contrà, secundæ non exequantur, si non reuocant primas; si res est dubia, non procedat, donèc dubietas sopiatur *ex cap. Cum contingat* 24.

6 Quando plura narrantur in litteris, quæ diuersos effectus respiciunt, & ponitur, *si ità est*, non sufficit impetranti probare, aliquid horum esse verum, sed omnia, ad hoc vt litteræ habeant effectum *ex cap. Olim* 25.

† Rescriptum impetratum super restitutione beneficij, in quo nihil fit mentio de causa excommunicationis, non valet *ex cap. Dilectus* 26. & ideò notant DD., excommunicatum excommunicatione maiori non posse impetrare rescriptum, ità vt valeat impetratio; in qua excommunicationis mentio habita non est, Felin. *in cap. vlt. de except.* Menoch. *de arbitr. casu* 201. *num.* 38. Licèt de iure nouo anulletur rescriptum; quia inhabilis efficitur ad impetrandum rescriptum.

7 Nemo per litteras Apostolicas potest trahi ad iudicium extrà Diœcesim vltrà duas dietas, nisi de consensu partium impetrentur litteræ, vel nisi expressam mentionem faceret de hac constitutione. Ità *ex cap. Nonnullis* 28. qui textus non habet locum in causis in Romana Curia cōmissis, siuè agatur actione personali, siuè reali; licet quidem in neutra potest reus vltra duas dietas trahi, sed nunc correctus est hic textus per caput *Statutum* 3. vbi subrogatā est vna dieta sola, loco duarum, & ideò hodie vltrà vnam dietam non potest trahi; & hic textus non habet locum in Episcopis, vel Ordinarijs, quia in quocumque loco suæ Diœcesis possunt causas ad Ecclesiasticum forum pertinentes per seipsos, vel suos Delegatos audire, *cap. Cum Episcopus de officio Ordinarij.*

8 Rescripta duo si fierēt, vnum super causa principali ad vnum Iudicem, secundum per appellationem ad alterum; secundus Iudex debet cognoscere de validitate appellationis, & non Iudex principalis *ex cap. Dilectus* 29.

† Quando duo impetrant litteras Apostolicas pro beneficio habendo, in eadem Ecclesia, qui primò præsentauit litteras Capitulo, est prouidendus, non secundus, qui non facit mentionem de primis litteris, *ex cap. Capitulum* 30., vt rescriptum prius in data præualeat secundo, & posteriori, attenditur tempus datæ, non signatæ supplicationis, quam data facit, vt gratia dicatur in rerum natura, cum rescriptum ante datam possit laccerari: quod sit tēpus datæ inspiciendum, Ità Felin. *in cap. Eam te num.* 18. Abbas *num.* 5. Imol. *num.* 18. non obstat, quod ex sola signatura dicatur perfecta gratia, quoniam simul stant, quod gratia

tia recipiat perfectionem à signatura Papæ, & quod tamen hæc perfectio incipiat à die datæ; Puteus *decis. 94.* vbi inquit, quod supplicatio præsumitur signata tempore datæ, & quod non admittitur probatio in contrarium. Grat. *discept. forens. cap. 191. num. 1.*

9 Quando quis impetrat litteras pro habẽdo beneficio in aliqua Ecclesia, & deindè, accepta pensione, vel alio beneficio, renunciat fauori litterarum, & posteà alias litteras obtinet de prouisione, non facta mentione de alijs, vel de pensione, carere debet commodo illarum, & quidquid per eas tentatum fuerit, irritum est; Ità *ex cap. Ad audientiam 31.* Receptus in aliqua Ecclesia per litteras Apostolicas, non potest obtinere alias litteras, vt recipiatur in alia Ecclesia, si non faciat mentionem de sua prima receptione *ex cap. In nostra 32.* Litteræ impetratæ à Papa contra aliquem vnius Diœcesis, si est alterius, non valent, *ex cap.*
† *Significante 34.* Homines Ciuitatis non comprehenduntur in rescripto impetrato cõtra hominem alicuius Diœcesis *ex cap. Rodulphus 35.* Appellatione Diœcesis comprehenditur Ciuitas in materia fauorabili; in odiosa minimè. Choc. *de iurisd. ordinarij in exemptos par. 4. quæst. 74.* Mendos. *reg. 16. quæst. 42. num. 7.* Nicol. Garz. *par. 1. cap. vlt. num. 36.*

10 Obtinens litteras Apostolicas ad conueniendum aliquos, si conueniendus moritur, re integra, successor non potest conueniri *ex cap. Significante 36.* Successores regni hæreditarij tenentur ad debita, & omnes conuentiones prædecessorum. Molina *de primog. lib. 1. cap. 19. num. 30.* Rebell. *par. 2. lib. 7. quæst. 9. num. 1. & 3.* Mol. *tract. 2. disput. 641. num. 7.* Litteræ executoriæ mentionem facientes de monitorijs, si non præcesserunt monitoriæ, non valent *ex cap. Ex insinuatione 37.* Papa quando iubet, vt vni prouideatur de tali beneficio, si alij fuit prouisum per mandatum Papæ, non tenetur collator prouidere secundo, *ex cap. Mandatum 38.* Papa vnus quando dat litteras monitorias alicui Ecclesiæ, & secundus Papa dat litteras executorias, primus grauat; & non secundus *ex cap. Litteris 39.*

11 Papa quando mandat, v. g. Abbati, vt prouideatur Caio de aliqua Ecclesia sui Monasterij; deindè scribit Episcopo per litteras generales, vt prouideat Sempronio, vel faciat prouidere de aliqua Ecclesia in sua Diœcesi, non potest Episcopus Abbatem cogere ad prouidendum, quia iam fuit grauatus *ex cap. Abbatem 40.* Rescriptum ad beneficium non valet, si illud impetrans dicit, se non esse beneficiatum, cũ tamen habeat beneficium, licèt exiguum, *ex cap. Si proponente 42.* Litteris Apostolicis abutentes, priuantur commodo rescripti, & condemnantur ad expensas; abuti autem illis dicuntur, qui dant suas litteras alteri eiusdem nominis, &c. *ex cap. Quia nonnulli 43.*

PARAGR. III.

Continuatio eiusdem materiæ de rescriptis.

SVMMARIVM.

1 *Rescriptum delegatorium impetratum ab excommunicato, est nullum.*
† *Clausula* Quidam alij, *In rescripto delegatorio quomodo intelligenda?*
2 *Litteræ impetrata ab actore, vel reo super pluribus quæstionibus an sint nullæ?*
3 *Receptus in Canonicum supernumerarium auctoritate Papæ quando dicatur auctoritate Canonicorum receptus.*
4 *Rescriptum Papæ, quo conceditur facultas, &c. exspirat morte ipsius.*
† *Vacatio per mortem, & per renunciationem sunt diuersa, & ideò in litteris vno expresso, non venit aliud.*
† *Si duo impetrant beneficium, vnus vt vacans per resignationem, &c. Alter per mortem, primus præfertur, &c.*
5 *Collatio beneficij facta absenti quando sit valida?*
† *Priuatus expectatiua, si restituatur, nõ antefertur, &c.*
† *Litteræ quando dantur, vt alicui prouideatur de beneficio, si tempore data non habet ætatem requisitam, non sunt validæ.*
6 *Concessio facta Episcopo, vt fructus beneficiorum vacantium percipiat, quomodo intelligatur?*
† *Causæ Apostolicæ, quibus committi debeant?*
7 *Impetrans prius admissus in canonicum, &c. est præferendus secundo impetranti.*
8 *Secundus quando præferatur priori.*
† *Duobus quando Papa mandat prouideri, quis debeat anteponi?*

1 Rescriptum delegatorium impetratum ab excommunicato, & processus indè sequutus, sũt ipso iure nulla, nisi in causa excommunicationis, vel appellationis
† *ex cap. Ipso iure 1. in 6.* Clausula, *Quidam alij*, nõ intelligitur vltrà tres, vel quatuor, quos impetrans in actis, vel in primo citatorio debent omnes nominare, aliàs citatio est nulla, *ex cap. Cum in multis 2. de rescript. in 6.*

2 Actor si contrà Reũ super pluribus quæstionibus personalibus litteras impetrat ad diuersos Iudices, non valent litteræ, nec processus earum, & reus condemnabitur in expensis; similitèr si reus contrà actorem litteras impetrat de reconuentione in eodem iudicio, vel de conuentione ad eosdem Iudices, easdem pœnas incurrit, nisi eos suspectos recuset *ex cap. Dispendia 3.*

3 Receptus in Canonicum supernumerarium per litteras Apostolicas, si receptio aliàs pertinebat ad Canonicos, tùnc dicitur auctoritate Canonicorum receptus, nisi in litteris expressè dicatur, auctoritate Papali verò receptio non spectabat ad eos, sed virtute litterarum recipitur, tùnc est receptus auctoritate Apostolica *ex cap. Cum aliquibus 4.*

4 Rescriptum Papæ, quo conceditur pro moto retentio beneficiorum vsque ad beneplacitum Papæ, expirat mortuo Papa, *ex cap. Si gratiosè sint*; secùs si dicatur, vsque ad

ad beneplacitum Sedis, quia Sedes non † moritur. Papa quando mandat alicui, vt prouideat, v.g. Titio de beneficio resignato per obitum, non potest de illo prouidere, nisi Papa explicauerit de bene- † ficio vacãte quocumque modo. Item si duo impetrant vnum beneficium, vnus vt vacans per resignationem, vel adeptionem alterius; alter per mortem, primus præfertur, si beneficium vacabit sessione *ex cap. Susceptum 6.*; quod intelligendum est, vt non se extendat ad personam non expressam; secundò vt non capiat beneficium, quod vacauerit de futuro, sed de præsẽti, Fiam. *lib. 8. quæst. 7. num. 143*

5 Beneficium, quando confertur absenti, & ipse nesciens, aliud impetrat, non facta mentione primi, gratia est valida, sed si beneficia sunt incompatibilia, eligere po- † test, quod magis vult, *ex cap. Gratia* 7. Priuatus expectatiua, quam ad primum beneficium vacaturum, incerta Ecclesia, obtinebat, si ad cãdem expectatiuam restituatur, non debet anteferri illi, qui ante restitutionem, similem expectatiuam obtinuit, † *ex cap. Quamuis* 8. Litteræ quando dantur, vt prouideatur alicui de beneficio cum cura, vel sine cura, & tempore datæ non habet ætatem pro cura, si deindè peruenit ad ætatem, non potest prouideri de Curato, potest tamen prouideri de beneficio sine cura, quia tempore datæ, erat in ætate *ex cap. Si eo tempore 9.*

6 Si Episcopo, de gratia speciali concessum sit, vt fructus primi anni beneficiorũ vacãtium in sua Diœcesi, possit per quinquennium percipere, non obstantibus, &c. talis concessio non derogat particulari statuto, quòd huiusmodi fructus fabricæ Ecclesiæ, vel alterius personæ debeantur, nisi hoc fuerit expressum *cap. Si propter 10.* † Causæ litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum eiusdem committi debent habentibus dignitatem, vel Canonicatum in Cathedrali nec tractari debent, nisi in Ciuitatibus, vel locis insignibus *ex cap. Statutum 11.*

7 Impetrans priùs admitti in Canonicum, & præbendam primò vacaturam, est præferendus secundo impetranti; licèt secundus priùs præsentauerit, & fuerit receptus in Canonicum, dummodò antequàm vacet præbenda, prior præsentet, quia erat prior in data; imò etiam si prior præsentet, postquàm præbenda prior nondum collata est secundo, si executor primi fecerit processum, imò ante processum executo- † ris, etiamsi præbenda vacans secundo fuerit collata, primo debetur, si in primis litteris fuit positum decretum irritans quidquid in præiudicium primæ gratiæ fiat, dummodò in his non possit imputari dolus, vel notabilis negligentia primo, *ex cap. Tibi, qui 12.*

8 Primo quando prouideri mandatur sub conditione, si assentiatur Episcopus, & secundus simpliciter impetrat, si ante adimpletam conditionem primi, secundus obtineat Canonicatum in assecutione præbendæ; primo præfertur, licèt interim conditio primi fuerit adimpleta *ex cap. Si pro te 13.*

† Duobus Papa concedens, vt prouideatur de Canonicatu, & præbenda, qui habet datam priorem, saltem in vna hora præfertur alteri: si sint æquales, & vnus habeat Canonicatum à Papa; alter remittatur ad Episcopum, præfertur ille, qui habet Canonicatum à Papa; licèt alter priùs præsentauerit litteras: si vterquè habet à Papa, præfertur qui priùs præsentat: si vterque simùl præsentet, tùnc Capitulum, vel maior pars eliget quem vult; alter verò non electus careat impetratis, nisi litteris appareat, quòd vtrique mandauerit prouideri, v.g. dicendo, *nonobstante, quod pro alys scripserimus. Ex cap. Duobus* 14.

TITVLVS III.

De Lege non scripta Ecclesiæ Militantis, idest

De Consuetudine.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo quomodo definiatur.*
† *Duplex est.*
2 *Item est triplex.*
† *Diuiditur etiam in &c.*
3 *Consuetudini plurima attribuuntur.*
4 *Actus ad consuetudinem, quomodo requirantur?*
5 *Consuetudo nondum completa, interrumpitur per vnum actum contrarium.*
6 *Lex potest consuetudinem tollere.*
7 *Noua Consuetudo potest antiquam abrogare.*

1 CONsuetudo definitur Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex; & ideo Consuetudo dicitur Ius Canonicum non Scriptum, Suar. *de legib. lib. 7. cap. 1. num. 5.* Quæ consuetudo duplex est, vna facti, & altera iuris. Ita D. Thomas *in 3. distinct. 23. quæst. 1. art. 4.* Consuetudo facti est frequentia operandi liberè eodem modo: Consuetudo iuris est quasi altera lex, parem obligandi potestatem obtinens. Consuetudo, quatenùs pro iure accipitur, ortum habet à Consuetudine facti, quatenùs idẽ est, quod actus publicè frequentatus, Sylvest. *Verb. Consuetudo, num. 1,* Vatq. *parte 2. disput. 118. cap. 1.* Becan. *tract. 3. cap. 7. quæst. 1.*

2 Consuetudo item est triplex, contrà legem, præter legem, & secundum legem; Prima consistit in actibus frequentatis contrà legem, & vim habet abrogandi legem: Secunda consistit in frequentatione actuum, qui nulla lege vetantur: Tertia declarat, seù interpretatur legem, & consistit in frequentatione actuum secundùm legem, & per hanc consuetudinem lex firmatur, Azor. *p. 1. lib. 5. cap. 17.* Salas *de legib. disput. 19. sect. 2. num. 12.* Consuetudo est etiam duplex; rationabilis, & irrationabilis. Consuetudo rationabilis est, quæ non repugnat legi naturali, vel Diui-

næ: irrationabilis, quæ directè, aut indirectè repugnat legi naturali, vel Diuinæ; Nau. *in Coment. de Spolys num.* 14. Diuiditur etiam Consuetudo in reprobatam à Iure, & permissam. Consuetudo reprobata est, quę expressè est abrogata in iure: permissa est, quæ non est abrogata. Item diuiditur in præscriptam, & non præscriptam: Præscripta est, quæ habet determinatum numerum annorum; Non præscripta, quæ talem determinatum numerum non habet.

3 Consuetudini plurima attribuuntur, Primum quòd vim legis obtineat, & vt lex obliget; Secundum quòd sit optima legum interpres, *ex cap. Dilectus de Consuetudine*; Tertium quòd leges humanas abrogare possit, *cap. Cum tanto de Consuetudine.*

4 Vt Consuetudo vim legis habeat, quatuor requirit; Primò, vt nascatur ex pluribus actibus liberè frequentatis, cùm Cõsuetudo non possit vim legis habere; nisi per actus liberos, & voluntarios: Secundò requiritur temporis Diuturnitas, sicuti habetur *in l.35. ff. de legib.*: Tertiò requiritur scientia, & consensus potentis legẽ condere; Nam in hoc differunt Lex, & Consuetudo, quòd in illa expressus consensus, in hac tacitus interueniat: Quartò, vt actus à Populo, vel à maiori parte frequententur, quasi ex obligatione, seù animo introducendæ obligationis. Et ita Suar. *lib.7.de legib.cap.14. num* 5. Molina *tom. 5. tract. 2. disput.* 77. Em. Sà. *verb. Consuetudo, num* 3. Syluest. *verb. Consuetudo, quæst.* 1. Quando dubitatur, an Consuetudo fuerit introducta animo se obligandi, an verò animo deuotionis, præsumendum est, nõ esse inductam animo se obligãdi, sed animo deuotionis, quia in dubijs, fauorabilior pars est tenenda, & nemo præsumitur velle sibi onus imponere, nisi constet de ipsius voluntate: Quintò requiritur, vt id, quod introducitur per consuetudinẽ, possit esse materia legis; & ideò contrà Ius Diuinum non potest Consuetudo introduci, quia materia huius Consuetudinis esset intrinsecè mala; & ideò Consuetudo, vt vim legis habeat, debet constare ex actibus, qui sint liciti, Ità *per legem Consuetudinis, C. quæ sit longa consuetudo.*

5 Quando Consuetudo nondùm est completa, & effecta, interrumpitur per vnum actum contrarium; ita vt sit necesse de nouo incipere: Ratio, quia ad præscriptionem, præter bonam fidem, requiritur longitudo temporis continuata; & ideò si interrumpatur ante completam per actum contrarium, necesse erit denuò incipere, nam vsus legis per se non introducit consuetudinem, nisi talis sit, vt in se habeat actum, vsumuè, contrà eiusdem legis ordinationem.

6 Sicut Consuetudo potest legem abrogare; ita etiam lex potest vi sua, & absque alia clausula, præcedentem consuetudinẽ abrogare, modò lex habeat omnimodam contrarietatem, & repugnantiam cum Consuetudine. Per legem vniuersalem non abrogantur Consuetudines speciales locorum, aut statuta specialia, non continentia solum ius commune, aut priuilegia, nisi eorum fiat mentio in lege, aut nisi saltem in genere reuocẽtur expressè qualescumque contrariæ consuetudines, aut statuta, aut priuilegia, Em. Sà. *verb. lex ex cap.* 1. *de Constit. in* 6. Consuetudo particularis per legem particularem abrogatur, etiamsi non sit facta illius mentio, Suar. *lib.2.cap.2.num.*7. Salas *disput.* 19. *sect.*13. *nu.*98. & alij.

7 Noua Consuetudo potest antiquam abrogare in eo loco, in quo contraria Consuetudo introducitur; Inter Consuetudinem, & præscriptionẽ est discrimen, quia Consuetudo est quid Iuris, & Præscriptio quid facti. Consuetudo requirit consensum, & vsum Populi; ad præscriptionem verò sufficit factum, Cou. *reg. possessor p.* 2. §.3. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.*2.*cap.*13.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum, De Consuetudine, &c.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo, quæ Ecclesias aggrauat, debet tolli.*

† *Consuetudo, per quam Ecclesia acquirit dominium sine solennitate, valet.*

2 *Consuetudo, in qua Populus dat sententiam in Ecclesiasticis causis, est inualida.*

† *Item non valet, vt simplex Sacerdos conferat Sacramenta, quæ spectant ad Episcopum.*

† *Consuetudo per quam statutum Ecclesiæ violatur, est inualida.*

3 *Quando Dignitas erigitur in Episcopatum, debet fieri sine præiudicio.*

† *Consuetudinis prætextu non potest quis dimittere dignitatem, &c.*

† *Consuetudine potest introduci, quòd vna Ecclesia eligat sibi Prælatum.*

4 *Capitulum sine participatione Episcopi, non potest condere iura.*

† *Consuetudo non valet, quòd Vir, &c. possit expendere bona Vxoris.*

† *Consuetudo contrà ius naturale non valet.*

5 *In vna Ecclesia non potest quis habere duas dignitates.*

† *Non valet Consuetudo, quòd appelletur ab Officiali Episcopi ad Episcopum.*

6 *Quomodo sit valida Consuetudo, quòd Episcopus in corrigendo, &c. teneatur requirere consensum Capituli.*

† *Seruanda est Consuetudo, vt antiquiores possint optare dignitates.*

† *Quomodo extendatur.*

1 CОnsuetudo quæ infert grauamen Ecclesiæ, debet auctoritate Iudicis tolli, *Ex cap. Consuetudinis* 1. *de Consuetudine.* Con-
† suetudo, per quam Ecclesia acquirit dominium sine solennitate legali, valet, *Ex cap. ex Litteris* 2. *de Consuetudine*: Et quia ex potestate Principis potest dari vera, & propria possessio absque actu aliquo corporeo, seù vera, & interpretatiua detentione,

tione, vt docet Textus *in cap. Contingit*, vbi missus in possessionem ex primo decreto, elapso anno, statim ex legis imperio verus constituitur possessor, *l. quis, quis, C. de donat.* & ita Gonz. *ad reg. Cancellariæ num.* 87. Molina *de iust. tom.3. disput.636 num.3.* Peregr. *lib.4. var. num.48.*; ex quo infertur, Lege, & Consuetudine introduci posse, vt possessio sit sine corporali apprehensione. Menoch. *de success. lib.3. ad leg. Si quando à num.30.*; Item Lege, vel Consuetudine introduci potest, vt Maioratus absque vllo actu naturali apprehensionis, in successorẽ transferatur. Cou. *lib.3. var. cap.5. num.6. de primog. lib.3. cap.12.* Molina *de Instit. tom.3. disput.636.*: Ratio, quia lex absque actu corporeo potest effectus suos ciuiles communicare ei, quem possessorem facit.

2 Consuetudo, in qua Populus fert sententiam in causis Ecclesiasticis, est inualida, cùm tale officium spectet ad Iudicem Ecclesiasticum, *Ex cap. Ad nostram.* 3. Item † non valet Consuetudo, vt simplex Sacerdos conferat ea Sacramenta, quæ spectãt ad Episcopum, *Ex cap. Quanto* 4. Consue- † tudo, per quam interdicti sententia violatur, est inualida, vel quæ est contrà statutum Ecclesiæ, *Ex cap. Cùm inter* 5.

3 Quando dignitas aliqua erigitur in Episcopatũ, debet fieri sine præiudicio aliorum, & saluis approbatis consuetudinibus Ecclesiæ, & talis dignitas debet habere honorem, quem similes in illis locis ha- † bent, *Ex cap. Cùm olim* 6. Consuetudinis prætextu, non potest quis dimittere dignitatem, etiamsi velit ad alia, sine Superioris licentia transire; Nam Consuetudo inimica Canonibus est corruptela, *Ex cap.* † *Cùm Venerabilis.* 7. Consuetudine potest introduci, quod vna Ecclesia teneatur sibi eligere Prælatum de alia Ecclesia, & consuetudo est optima legum interpres, *Ex cap. Cùm Dilectus* 8.

4 Capitulum sine participatione Episcopi, non potest condere Iura, nec mutare Constitutiones, & Consuetudines approbatas, *Ex cap. Cùm Consuetudinis* 9. Verùm, Sede Episcopali vacãte, poterit Capitulũ ea statuere, quæ ad statum Ecclesiæ pertinent, quæq; durare debeãt tempore Episcoporum succedentium, Felin. *in cap. Cùm omnes num.* 10. Pauin. *de potestate capituli, sede* † *vacante.* Consuetudo non valet vt vir, qui dissipauit bona sua, possit expendere bona Vxoris, nec vt Vxor adultera, si dimittatur, habeat partem bonorum Viri, *cap. Ex* † *parte* 10. Consuetudo nulla valet contrà Ius naturale, neq; etiam contrà Ius positiuum, nisi sit rationabilis, & legitimè prescripta, *Ex cap. Cum tanto* 11.

5 In vna Ecclesia non potest quis habere duas dignitates, &c. & ideò consuetudo, qua quis in eadem Ecclesia duas dignitates, vel personatus habeat, est inualida, etiamsi talis consuetudo esset immemorabilis, & iurata, quia iuramẽtum non debet esse vinculum iniquitatis, *Ex cap. Consuetudinem* 1. *de Consuetudine in* 6.; Item Consuetudo, quòd appelletur ab Officiali Episcopi ad Episcopum, est inualida, *Ex cap. Nõ putamus* 2.; quod intelligendum est de sententia definitiua, quia à sententia interlocutoria potest dari appellatio: Item Episcopus, licèt à sententia definitiua nõ detur appellatio, tamen de nullitate sententiæ cognoscere potest; Vant. *de nullit. Sententiæ sit, coram quo nullitas proponi possit nu.* 20. Sbroz. *lib.3. quæst.* 10. *num* 1.; quæ prohibitio non habet locum in Vicario foraneo, Cou. *practicarum cap.4. num.*8. Sbroz. *lib.* 2. *quæst.*62. *num.*6., quia solummodo à Vicario generali ad Episcopum appellari non potest; Sanchez. *lib.3. disput.29. num.9. & 11.* Ille censetur Vicarius generalis, qui deputatus est ad omnes causas. Garz. *cap.* 8. *num.* 27. *&* 33. Id tamen intelligendum est in causis, in quibus ex generali commissione, & in quibus tamquàm Iudex ordinarius se ingerere potest, quia secùs in illis, quas ex delegatione habet. Sbroz. *lib.* 2. *quæst.*65. *num.*16. Sanch. *lib.3. disput.29. nu.6.* Nicol. Gars. *cap.* 8. *num.* 40. Rota *decisione* 7. *de officio Vicarij in antiquis, nunc decisione* 371.

6 Consuetudo præscripta, quòd Episcopus in inquirendo, puniendo, & corrigendo subditos, teneatur requirere consensum sui capituli, valida est, ita *ex cap. Non est* 3. Vicarius verò non potest inquirere, corrigere, aut punire subditos, nisi specialiter ei ab Episcopo committatur, Bero. *in Rubrica de off. Vicarij num.* 2. Cuch. *in instit. maior. tit.* 8. *de Vicario num.* 17. Rebuff. *in addit. ad reg.* 13. *Cancell. verbo, aut Vicarios,* Vgolin. *de off. & potest. Episcopi cap.* 4. §.7. *nu.* † 2. Rescriptum si fiat à Papa, vt quis prouideatur de Præbenda primò vacatura in tali Ecclesia, & in illa est consuetudo, vt antiquiores possint optare antiquiores præbendas, huiusmodi consuetudo valet, & seruanda est viginti dies, & quæ remanet est, pro prouidendo, nisi vacauerit in Curia, quia tunc non valet consuetudo, *ex cap. Cùm in tua* 4. Si Canonicus antiquior differt optare intrà legitimum tempus, ita vt sit periculum nè illud labatur ad damnum Iuniorum, poterit Iunior sequens optare præbendam, quam ille optare debebat, & tenebit optio Iunioris in euentum, quo antiquior intrà tempus statutum non optauerit, Zerol. *in praxi Episcoporum Verbo Canoni à* §. 7. *concl.* 4. Gonz. *gloss.* 34. *num.* 76. Vbi autem præbenda habet annexum aliquod perpetuum officium, v.g. Pœnitentiarij, non potest qui eam habet, alteram optare, Nauar. *cons.*14. *de rebus Ecclesiæ non alienand.* Item Optio non habet locum in beneficijs reseruatis siuè generalitèr, siuè specialitèr. Rota *decis.* 1. *de rer. permut.* Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 26. *quæst.* 13. Item non habet locum in Mensibus Apostolicis *reg.*8. *Cancell. de alternatiua*: Habet tamen locum optio in ijs præbendis, quæ deuoluuntur ad Papam per negligentiam inferiorum, non conferendo intrà sex menses à die notitiæ vacationis. Azor. *loco citato, quæsit.* 13. Regularitèr optio debet fieri intrà viginti dies. Gonz. *gloss.* 34. *num.* 75., Minui tamen potest tempus per Capitulũ.

Zerol. *in praxi Episcoporum*, *Verbo Canonia*; Nomine antiqnioris Canonlei, intelligitur non ætate, sed tempore receptionis. Azor. *p.2.lib.6.cap.26.quæsit.13.* Gonz. *ad reg. 8. Cancell.* §. 3.

PARAG. II.

Decreta ex Sacta Congregatione Rit., De Consuetudine.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo laudabilis, &c. non tollitur.*
2 *Consuetudo eadem in Ecclesia quando non amplius militet?*
3 *Consuetudo circà Processiones, seruanda.*
4 *Consuetudo vacationis à seruitio Ecclesiæ, potest, &c.*
5 *Consuetudo non genuflectendi in Processionibus, abusus.*
6 *Consuetudo Ecclesiæ circà vocem, &c. seruanda.*
7 *Consuetudo Canonicorum assistendi Episcopo, seruanda.*
8 *Vetus Consuetudo recitandi in Choro, &c. potest seruari.*
9 *Consuetudo offerendi Cruci, &c. seruanda.*
10 *Consuetudo præferendi, &c., abusus.*
11 *Consuetudo loci inter Canonicos obtinendi, seruanda, quando, &c.*
12 *Laicorum Confraternitates Clericis præcedere, abusus.*
13 *Vetus Consuetudo, vt Capellanus, &c. Canonico assistat, seruanda.*
14 *Consuetudo ministrādi, &c. detecto capite, seruāda.*
15 *Consuetudo celebrādi die Natiuitatis, &c. seruāda.*
16 *Consuetudo recitandi Matutinum, &c. approbatur.*
17 *Consuetudo dandi Benedictionem, &c. in Missa Defunctorum, abusus.*
18 *Consuetudo pulsandi Horas Matut. &c. seruanda.*
19 *Consuetudines Laudabiles, &c. retinendæ.*
20 *Consuetudo Conformis Iuri, &c. seruanda.*
21 *Consuetudo in fauorem, &c. seruanda.*
22 *Consuetudo, vt quilibet Presbyter, &c. possit Baptizare, seruanda, nisi, &c.*
23 *Consuetudo circà functiones, absente Episcopo.*
24 *Consuetudo circà functiones spectantes ad secundam Dignitatem.*
25 *Consuetudo, vt Archipresbyter, &c. assistat Episcopo, an tollat, &c.*
26 *Consuetudo vetus circa ritus, &c. seruanda.*
27 *Consuetudo circà assistentiam Dignitatum, &c.*
28 *Consuetudo accendendi Cereum, &c. seruanda.*
29 *Consuetudo circà Pluuiale capiendum, &c.*
30 *Consuetudo circa Officium paruum B. Virginis.*
31 *Consuetudo thurificandi Vicarium, &c. seruanda.*
32 *Consuetudo circà locum Vicarij.*
33 *Vetus Consuetudo circà assistentiam Ministrorum, &c. seruanda.*
34 *Consuetudo non celebrandi, &c. feria 5. Parasc. seruanda.*
35 *Consuetudo non pulsandi campanas Sabb. Sancto, donec, &c. seruanda.*
36 *Consuetudo circà Vesperas canendas.*
37 *Cōsuetudo de Passione canenda in Dom. Palm. &c.*
38 *Consuetudo benedicendi nubentes, &c., valida.*
39 *Consuetudo tenendi Beneficium cum Capellania, &c., sublata.*
40 *Consuetudo circà Ecclesiam Astensem.*

1 Consuetudines laudabiles, & immemorabiles non tolluntur per Cæremoniale, in Brundusina, 17. Septembris 1611.

2 Consuetudo, quæ militabat in Ecclesia antequàm esset in Cathedralem erecta, non militat, postquàm est erecta in Cathedralem In Ripan. 18. Aprilis 1607.

3 Consuetudo solita circà ordinem procedendi in Processionibus, quæ fiunt per annum, seruanda est. Camerinen. 30. Augusti 1602.

4 Consuetudo longioris vacationis à seruitio Ecclesiæ, potest ab Episcopo reduci ad tempus præscriptum à Conc. Trid. In Agitanien. 23. Nouembris 1601.

5 Consuetudo, vt non genuflectatur ante Sanctissimum Sacramentum, dùm fiunt Processiones, declaratur abusus, in Paeen. 14. Decembris 1602.

6 Consuetudo, Ecclesiæ seruanda est circà vocem, & locum in Capitulo inter Dignitates, & Canonicos Præbendatos, & non præbendatos, in Agitanien. 23. Maij 1603.

7 Consuetudo, vt duo Canonici Ecclesię Cathedralis assistant Episcopo, & ei ministrent in eadem Ecclesia Missam planam pro sua deuotione celebranti, seruanda est. Tifernaten. 5. Iulij 1603., in Lamacen. 28. Aprilis 1607.

8 Consuetudo antiqua, & inueterata recitandi in Choro tempore Quadragesimę post Completorium, Psalmos, Graduales feria 3. & Psalmos Pœnitentiales feria 5., potest tuta conscientia continuari. Lauden. 2. Augusti 1603.

9 Consuetudo, vt oblationes, quæ offeruntur Cruci feria 6. in Parasceue, dentur Magistris Cęremoniarum, seruanda est. Beneuentan. 19. Nouembris 1603.

10 Consuetudo, vt Canonici Diaconales, & Subdiaconales præferantur Canonicis Presbyteralibus posteriùs receptis, abusus declaratur. In Saonen. 11. Aprilis 1601.

11 Consuetudo Ecclesiæ, vt Canonici obtineant locum secundùm tempus admissionis, licèt præbendæ sint distinctæ in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, quando omnes sunt actu Presbyteri, & seruiunt in celebrandis Missis, &c., seruanda est. In Saonen. 10. Ianuarij 1604.

12 Consuetudo non est, sed abusus, vt Cōfraternitas Laicorum præcedat Clericis. In Eluen. 10. Ianuar. 1604. in 6. dub.

13 Consuetudo immemorabilis, vt præter Diaconum, & Subdiaconum, Canonico celebranti assistat vnus Capellanus cum Pluuiali, seruanda est. Mantuan. 19. Iunij 1602.

14 Consuetudo, vt Capellani ministrent Canonicis Cappas, seù Pluuialia, capite detecto, seruanda est. In Burgen. 19. Iunij 1604.

15 Consuetudo seruanda est in celebratione Missarum in die Natiuitatis, & Resurrectionis Domini. In Tarentin. Cryptęliatum 3 Septembris 1605.

16 Consuetudo recitandi Matutinum sequentis

quentis diei post Completorium, ex causa, approbatur in Brixien. 24. Septembris 1605.

17 Consuetudo dandi Benedictionem in fine Missæ Defunctorum, & celebrandi commemorationem omnium Defunctorum in die Dominico, abusum esse declaratur. In Augusten. 24. Septembris 1605. nisi consuetudo sit immemorabilis, quia tunc seruanda esset. Eadem 7. Octobris 1606. & 19. Maij 1607.

18 Consuetudo pulsandi Matutinas horas nocturno tempore, retinenda est. In Mazarien. 20. Decembris 1601.

19 Consuetudines laudabiles, & in honorem Dei, & Ministrorum eius introductæ, sunt seruandæ, & tuendæ. In Narnien. 16. Iul. 1605.

20 Consuetudo iuri, & ceremoniali libro conformis, seruanda est. In Pisaurien. 23. Maij 1603. in Giauaten. 10. Maij 1608.

21 Consuetudo ad fauorem alicuius introducta, & legitimè probata, seruanda est. In Tarentin. 28. Septembr. 1602. Et licèt prætendatur abusus, non est tollenda, parte non audita. In Eluen. ead. die 28. Septembris 1602.

22 Consuetudo vt Infantes possint Baptizari à quibuscunque Presbyteris, vel Canonicis Ciuitatis, seruanda est, dummodò id fiat de licentia Ordinarij, & sine præiudicio iurium, & emolumentorum Archipresbyteri, siue Curati. In Nerltonen. 9. Maij 1606.

23 Cõsuetudo, vt functiones, absente Episcopo, fiant à Canonico hebdomadario, non tamen à prima Dignitate, seruanda est. In Hydruntina 30. Ianuarij 1616.; Quę tamen debet priùs legitimè probari. Ead. 30. Aprilis 1616.

24 Consuetudo laudabilis, vt functiones, quas facere non potest prima Dignitas in Ecclesia Collegiata, ad secundam pertineant, & non ad Canonicum hebdomadarium, seruanda est. In Mediolanen. 28. Aprilis 1607.

25 Consuetudo, vt Archipresbyter, etiamsi non sit prima dignitas, assistat Episcopo celebranti, & functiones faciat, eo absente, nõ tollitur per Ceremoniale. In Asten. 25. Ianuarij 1602. & in Montis-Regalis 28. Aprilis 1607.

26 Consuetudo laudabilis, & antiqua circà ritus, & ceremonias, quæ seruãtur in Prouincia in Ecclesijs Collegiatis, vniuersalitèr, seruanda est ab Ecclesia Collegiata, eiusdem Prouinciæ. Mediolanen. 28. Aprilis 1607.

27 Consuetudo, vt duæ dignitates assistant loco Cannnicorum Diaconorũ, vbi præbendæ non sunt distinctæ, seruanda est. Placentin. in 2. dub. 18. Maij 1607.

28 Consuetudo, quòd durante tempore Paschali, cereus accendatur in omnibus solennitatibus, & horis, seruanda est. In eadem Placent dub. 13.

29 Consuetudo, vt Pluuiale capiatur ab Hebdomadario faciente officium ad Capitulum, & non à principio Vesperarum, seruanda est. In Theatinorum 1. Septemb. 1607.

30 Consuetudo laudabilis recitandi Officium paruum B. Mariæ in Choro singulis diebus, exceptis tantùm festis duplicibus, seruanda est, licèt in alijs Ecclesijs in festis semiduplicibus non recitetur. Troian. 1. Septembris 1607.

31 Consuetudo, vt Vicarius thurificetur ante Canonicos, seruãda est, siuè qui thurificat sit Canonicus, siuè Acolytus. In Alexandr. in 1. dub. 15. Mart. 1608.

32 Consuetudo seruanda est circà locum, in quo sedere debet Vicarius, & nullo modo alteranda. In eadem dub. 3.

33 Consuetudo immemorabilis Ecclesiæ circà assistentiam Ministrorum faciẽdam Episcopo, Dignitatibus, & Canonicis, tàm in Missis, quam in Vesperis, seruanda est. In Licerin. 14. Ianuarij 1608. & 9. Maij 1619.

34 Consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, quòd Presbyteri omnes fer. v. in Cœna Domini non celebrent, sed communionem sumãt de manu Episcopi, vel Celebrantis, seruanda est. In Ciuitaten. 27. Septembr. 1608.

35 Consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, quòd Campanæ Sabbato Sancto non pulsentur, antequàm sint pulsatæ in Ecclesia Cathedrali, seruanda est. In Marlicen, 21. Martij 1609.

36 Consuetudo, vt secundas Vesperas cantet, non qui cantauit primas, sed Hebdomadarius, vel Subcantor, seruanda est. In Cusentina 27. Iul. 1609.

37 Consuetudo, quòd Passio Domini in Dominica Palmarum, & Feria 6. in Parasceue decantetur à Canonicis, debet seruari, non obstante Ceremoniali, quo disponitur, eam à Cantoribus decantandam esse. In Viterbien. 7. Iulij 1612.

38 Consuetudo legitimè pręscripta cum scientia Papę, vt transeuntes ad secundas nuptias, benedicantur à Parocho, valida est. 2. Octobris 1593. Decreta à Sacrę Congregat. Concilio.

39 Consuetudo retinendi Beneficium curatum, vel simplex simùl cum Capellania in eadem Ecclesia est sublata per Concil. *Sess. 24. cap. 17. de Reformat.*

40 Consuetudo Ecclesię Asten., quòd fructus spectent ad Capitulum, donèc Beneficiatus sit Sacerdos, est obseruanda, quia intentio Conc. fuit, nè ratione collationis, aliquid reciperetur à Capitulo. In Asten. 6. Maij 1617.

Finis Libri Secundi.

DE HIERARCHIA ET IVRE *ECCLESIÆ MILITANTIS* LIBER TERTIVS.

PARS PRIMA.

De personis Ecclesiasticis, earumque iure.

PErsonę, quæ hoc libro considerantur, sunt Ecclesiasticę personę, tā propriè quàm impropriè dictæ. *Cap. Duo genera sunt Christianorum:* Ecclesiasticæ personæ impropriè dictæ sunt Laici, seù Sęculares, *cap. Duo genera,* quibus licet tēporalia possidere, causas agere, vxorem ducere, inter virum, & virum iudicare; dicuntur Ecclesiastici, qui diuino Baptismi munere admissi, & in Christianorum albo ascripti: Ecclesiasticæ personæ propriè dictæ sunt Clerici, qui Diuinis Officijs mancipati, & quos ab omni strepitu cessare conuenit. De primis non est sermo in hac prima parte, sed erit in secunda, sed solùm de ijs, qui diuino seruitio sunt ascripti, quorum sunt duo genera; Primum est Regularium, siuè Religiosorum, qui tria vota solennia vouentes, in Monasterijs manent sub obedientia Superiorum: Secundum est Clericorum sæcularium, quorum alij sunt Sacerdotes, ex quibus sunt in altiori gradu quidam positi, idest in dignitate, & alij in inferiori gradu: ex his quidam sunt in sacris; alij non. In Sacerdotio, & altiori ordine sunt Episcopi, Archiepiscopi, Archidiaconi. Inter Episcopos primum locum obtinet Papa, qui dicitur Pater Patrum; deindè sunt Patriarchæ, quales sunt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, Antiochenus: appellantur autē Patriarchę, quia summo honore funguntur, quasi Patrum Principes: deindè est Archiepiscopus, qui est Princeps, seù primarius Episcoporum, & qui omnibus suæ Prouinciæ Episcopis præest. Post Archiepiscopos, sunt Episcopi, quasi speculatores ex eo, quod eorum officium est gregis sibi commissi mores, & vitam explorare, & eorum saluti prospicere. *cap. Cleros distinct.* 21 *cap. Qui Episcopatum* 8. *quæst.* 1.; deindè sunt Archidiaconi, Archiepiscopi.

TITVLVS I.
De Summo Pontifice Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Papa primum locum in Ecclesia militante obtinet.*
† *Cur dicatur Papa?*
2 *Requisita in Summo Pontifice.*
3 *Papatus est de iure diuino institutus à Christo in persona Petri.*
4 *Papa dupliciter consideratur.*
† *An possit errare?*
5 *Concilium generale non est supra Papam.*
6 *Non posse Summum Pontificem abrogare, quæ sunt Iuris Diuini.*
† *Potest tamen ipsum declarare.*
7 *Summus Pontifex non potest abrogare ea, quæ iure naturali præcipiuntur.*
8 *An possit abrogare, &c. ea, quæ sunt de iure positiuo?*
9 *Supra mortuos directè Papa non habet potestatem.*
10 *Christus est auctor potestatis Ecclesiasticæ.*
11 *Potestas fuit primum collata Petro, &c.*
12 *Papa non potest derogare priuilegio fori Clericorum, etiamsi consuetudo sit contraria.*
13 *Quòad aliquas causas particulares, &c. potest.*

1 Primum

1 PRimum locum in Ecclesiastica Hierarchia obtinet Summus Pontifex. Bellarm. *tom. 1. lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 9. & 10.* cuius institutio fuit ad salutem comparandam necessaria. Dicitur Pontifex, quia est supremus, & super omnes dignitates Alex. † *cons. 72.* Dicitur etiam Papa, quo pariter amoris signum ostenderetur; Papa Græca vox est, & quasi balbutientis pueri, qui Patrem Papam appellant, vel dicitur Papa, quia est Pater Patrum, Gloss. *verbo Papa in proem. clement.* Azor. *par. 2. lib. 4. cap. 4. quæst. 1.*; Secundum alios, dicitur Papa, quia omnibus est maior in administratione, & auctoritate: dicitur etiam Episcopus vniuersalis Ecclesiæ, & totius orbis; & ideo dicitur habere pro Diœcesi totum orbem. Felin. *in cap. Gratia num. 2.* Gom. *ad reg. 8. cancell. §. 1. proem. num. 8.* Vocatur etiam Episcopus Episcoporum, Ordinarius Ordinariorum, Vicarius Christi, Pater Patrum, Pastor ouilis Domini, Rector domus Dei, Custos vineæ Dei, Sponsus Ecclesiæ, Præsul Apostolicæ Sedis, &c.

2 Plures qualitates requiruntur in Summo Pontifice, Charitas, idest pius affectus erga Deum, & proximum; Scientia, tàm theorica, quàm practica, ideò Gregorius XIII. dicere solebat, nullum magis decere plura scire, quàm Romanum Pontificem: Pius etiam II., illud frequens in ore habuit, *In plebeio homine scientia, argento; in nobili, auro; in Rege, vel in Papa gemmis comparatur*; iustitia, qua bonos præmijs, malos autem pœnis afficiat; vltima est animi humilitas, vt se tanta dignitate indignum existimet, omniumque ouium infimum seruum; vt scripto profert: meminerit, momentaneam esse humanam fœlicitatem, quod stuppæ combustione, dùm ipse consecratur, palàm ostenditur.

3 Papatus est de iure diuino à Christo in persona Petri institutus, sicut & potestas eidem ab eodem Christo data: & quia Petrus habuit primatum, & principatum, ex Christi institutione, super Apostolos, idcircò etiam Papa habet primatum super omnes Episcopos. Et licèt omnes Apostoli à Christo immediatè acceperint Apostolatum, & potestatē hominis, & iurisdictionis, vt docent Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 2. cap. 2.* Sot. *in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 2.* Bannes *2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 4.* & alij; tamen potestas fuit data Petro, vt ex ea Sacerdotalis ordo emanaret in cæteros, & in hoc elucet Primatus Petri.

4 Papa considerari potest, vt vniuersalis Pastor, vel vt persona priuata: si primo modo consideratur, in definiendis rebus fidei minimè potest errare; & itâ S. Thom. *2. 2. quæst. 1. art. 10.* Caiet. *in apol. de potestate Papæ par. 2. cap. 13.* Turre-cremata *lib. 2. cap. 19.* Bellarm. *lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 3.* Ratio colligitur ex verbis Christi *Luc. 22.* vbi ad Petrum inquit, *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, quibus verbis ostenditur, Christum impetrasse Petro stabilitatem in fide, & nō modò Petro, sed etiam omnibus successoribus, & per consequens, Pontificem nullo modo posse errare tamquàm vniuersalem pastorem Ecclesiæ, & in hæresim labi. Neque etiam errare potest in decretis eorū, quæ spectant ad statum totius Ecclesiæ, quia, vt Summus Pontifex, habet assistentiam Spiritus-Sancti in condendis decretis necessarijs, ad spiritualem salutem suarum ouium: in decretis verò, quæ non totius Ecclesiæ statum, sed certas personas, vel certam Ecclesiam respiciunt, dubium est, an possit Papa errare? Quidam affirmant, posse errare; alij verò distinguunt, sic, vel agimus de iudicio rerum gestarū, quando scilicèt Pontifex definit quæstionem aliquam inter duas Ecclesias, & in isto casu potest errare, quia iudicium nititur probationibus, quæ incertæ sunt; vel agimus de decretis Pontificijs circà mores alicuius Prouinciæ, vel Ecclesiæ, condendo scilicèt legem, & præscribendo præcepta, quibus subditi regantur, & viuant, & sic errare non potest, quia nulla potest assignari ratio differentiæ inter Decreta pro Ecclesia vniuersali, vel particulari; cùm autem non possit errare circà decreta pro Ecclesia vniuersali, nec etiam potest errare circà decreta pro Ecclesia particulari; & ita Bann. *2. 2. art. 10. dub. 6.* Non tamen potest errare in canonizatione Sanctorū; licèt deprehendat ex probationibus, & ex multis alijs, quę in facto consistunt; Ratio, quia cum canonizatio spectet ad vniuersalem statum Ecclesiæ, referenda est potiùs ad Spiritum-Sanctum, quàm ad contractus humanos. Ità Cou. *lib. 1. var. cap. 1. num. 13.* Caiet. *de Indulgentijs cap 8.* Aragon. *2. 2. quæst. 1. art. 10.* Viuald. *in candelabro aureo par. 3. cap. 17. num. 15.* Bellarm. *tom. 1. controu. 7. lib. 1. cap. 9.* Valentia *2. 2. quæst. 1. art. 10.* Similitèr non potest errare in approbādis religionibus; licèt huiusmodi approbatio fiat præcedētibus approbationibus circà virtutes, & merita: Neque potest errare in cōfirmanda religione in ijs, quæ pertinent ad veritatem doctrinæ, & instituti, aut legum, & constitutionū; licèt aliquando possit errare in approbando plures religiones, quàm expediebat populo Christiano, ex falsis informationibus. Quatenùs homo, & particularis Doctor potest errare, respondēdo: Ratio, quia Papa quatenùs homo, est erroribus, ignorātiæ, & humanis infirmitatibus obnoxius. Et ità Turre-cremata *lib. 2. cap. 116.* Cou. *lib. 1. var. resolut. cap. 10. num. 12.* Caiet. *de auctoritate Papæ cap. 9.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* Cord. *lib. 4. quæst. 3.* Can. *lib. 6. cap. 8. num. 11.*

5 Concilium generale non est suprà Papā, sed Papa est suprà Concilium, Ità D. Antonin. *3. par. tit. 22. cap. 10. §. 4.* Caiet. *in tract. de comparat. Papæ, & Concilij cap. 7.* Turre-cremata *in sum. de Eccles. libertate cap. 93.* Sayrus *in clauiregia cap. 3. num. 6.* Bellarm. *lib. 2. de Concilij auctoritate.* Tusch. *practicar. concl. litt. E. conclus. 552.* Corduben. *lib. 4. in tract. de potestat. Papæ quæst. 4.* & alij; & per consequens Cōcilium generale, auctoritate Papæ congregādum est, & non habet immediatè à Deo suam auctoritatem, sed ipsam habet per Romanum

num Pontificem: nec Concilium generale obligationem inducere, nisi Romani Pontificis auctoritate sit confirmatum. Caiet. *in apolog. par. 2. cap. 21.* Turre-cremata *lib. 3. cap. 32.* Bellarm. *lib. 2. de conf. auct. cap. 11.*

6 Supremus Pontifex non modò habet primatum, sed etiam facultatem super omnes Episcopos, licèt ab ipso plures desciuerint. Ità colligitur ex verbis Scripturæ, *Pasce oues meas, &c. Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Summus Pontifex non potest abrogare ea, quæ sunt Iuris Diuini, Cou. *de matrim. par. 2. cap. 6. §. 9. num. 4.* S. Thom. *1. 2. quæst. 100. art. 8.* & alij Canonistæ docent, posse Romanum Pontificem Ius Diuinum declarare, interpretari, restringere, remittere, applicare, augere, & mutare; licèt inter se conciliari possint, quia secundùm Canonistas, contingit declarari, &c. Ius, cum aliquid obscurum explicatur; & Pōtifex Romanus habet potestatem declarandi, quæ sunt obscura, vel ambigua, in ipsis sacris litteris, vel regulis fidei, quia Ius diuinum latiùs accipitur à Canonistis, quàm à Theologis, quia apud illos Ius diuinum appellatur, quidquid in veteri testamento scriptum inuenitur, & quidquid in nouo testamento traditur, & decernitur: Theologi verò strictiùs Ius diuinum accipiunt, videlicèt id, quod Deus, siuè Christus Dominus fieri iussit, aut prohibuit: propterea docent, illud à Romano Pontifice non mutari posse, quia inferior in Superiorem auctoritatem non habet, licèt aliqui Theologi teneant, Papam posse dispensare in voto, iuramento, &c., quę sunt Iuris diuini; & ità Suar. *de relig. tom. 2. tract. de voto lib. 6. cap. 9. num. 15.* Less. *de iust. lib. 2. cap. 46. dub. 12. num. 98.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 6. num. 2.* & alij.

7 Summus Pontifex non potest abrogare ea, vel mutare, quæ iure naturali præcipiuntur, vel prohibentur: Ratio est, quoniam ea, quæ sunt per se bona, vel mala, abrogare, vel mutare nequit; cuiusmodi sunt, quæ iure naturali imperantur, aut vetantur.

8 Papa in ijs, quæ sunt de Iure positiuo bona, vel mala, non potest mutare, vel aliquid abrogare; ea verò, quæ sunt bona, vel mala, quia tantùm aduersantur Iuri ciuili, & non Iuri diuino, vel naturali, potest mutare, vel abrogare, posita iusta causa: si verò repugnent iuri diuino, vel naturali, non potest relaxare, vel mutare. In Iure Canonico Papa ex causa dispensare potest. Ità *ex cap. Proposuit,* Cou. *lib. 3. var. resol. cap. 6. num. 1.* Clauis-regia *lib. 3. cap. 10. num. 6.* Paris. *de confid. quæst. 3. num. 25.*

9 Papa suprà mortuos directè non habet auctoritatē, cùm sint extrà iurisdictionem Ecclesiæ. Et ità Sot. *in 4. dist. 22. q. 2. art. 2.* Syluest. *verbo excommun. 2. §. 8.* Nauar. *in man. cap. 27. num. 71.* Cou. *in cap. Alma mater de sent. excommun.* Potest tamen mortuis indulgentiam applicare per modum suffragij.

10 Auctorem, & fundamentum potestatis spiritualis Christum fuisse, affirmant omnes DD., nam Apost. *ad Corinth. cap. 3.* inquit *Fundamentum aliud non potest poni, nisi illud, quod est Christus.* Ità *in cap. Fundamenta, de elect. in 6. cap. Veniens de presbyter. non baptizat.*: est enim Deus omnium principiorum principium, & fundamentū *cap. Damnamus de Summa Trinitate; cap. 1. dist. 22.* vbi dicitur, quòd omnes dignitates Ecclesiasticę potestatem à Romana Ecclesia acceperūt; ipsa autem est fundamentum supra petram fidei mox nascentis per ipsum Christum, qui Petro æternæ vitæ clauigero, terreni, & cœlestis Imperij Iura commisit. *cap. Sacrosanct. dist. 22.* & ideò spirituales Monarchię fundamentum fuit Christus.

11 Quæ potestas primùm fuit collata Petro in illis verbis *Math. 16. Tibi dabo claues, &c.* In quibus verbis Christus ascensurus ad Patrem, Petrum sibi Vicarium constituit, qui vices suas in terris visibilitèr sustineret: & ideò circà Ecclesiam commisit illi auctoritatem, quam habebat tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus; ideòque Petrus, & eius successores habent à Deo immediatè potestatem. Nauar. *in cap. Nouit num. 3.* Potestas verò Episcoporum est immediatè à Petro, & à successoribus eius, & mediatè à Deo. Turre-cremata *De Eccles. lib. 2. cap. 54.* D. Thom. *Contra gentes lib. 4. cap. 76.* Potestas collata Petro super Ecclesiam Christi non fuit tantùm perfectè vniuersalis, sed etiam ordinaria, & perpetuò duratura; id enim significant illa verba, *Super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā, &c.:* sicut enim visibilis Ecclesia Christi, perpetuò duratura est; ità, & eius fundamentū, atq; Pastor; quòd cùm in persona Petri fieri nō possit, in eius successoribus fieri debet, sicuti benè expressit Leo I. *Ser. 2. de assūpt. sua ad Epis. sicut permanet, quòd in Christo Petrus credidit; ita permanet, quòd Petro Christus instituit;* & ideo Sedes Romanorū Pontificū Apostolica appellatur, nō tantùm quia in ea Principi Apostolorum succeditur, sed etiam quia cum simili auctoritate vniuersalis gubernationis succeditur, quod nulli alteri Episcoporum concessum est, ij enim Apostolis successerunt in Episcopatu Ecclesiæ particularis, sed non in Apostolatu, seù vniuersali iurisdictione ergà fideles omnes.

12 Papa non potest derogare priuilegio fori, Clericis concesso, cùm sit de Iure diuino. Ità *cap. Quæsitum 11. quæst. 3.* Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ num. 6. & in cap. Si diligenti num. 17.* etiamsi consuetudo videretur esse procedendi contrà Clericum in criminibus exceptis, quia huiusmodi consuetudo nō potest exemptionem Clericorum tollere. Felin. *cap. cit.* Soc. *in cap. Si quis Clericus,* etiamsi consuetudo sit immemorabilis, quia talis consuetudo est contrà libertatem Ecclesiæ, & est contrà Ius diuinum: consuetudo autem, quæ est contrà ius diuinum non valet. Ità *cap. fin. de consuetudine, & cap. Clericis* & contrà Canonica instituta non valet, *cap. Ad nostram, cap. Ad audientiam de consuetudine, cap. Cùm satis de officio Archid.*, & ex pluribus alijs iuribus: Ratio, quia huiusmodi consuetudo infert graue damnum tranquillitati, & quieti Ministrorum Dei, qui

debent

debent vacare orationibus: & licèt Papa de tali consuetudine sit conscius, non suffragatur huiusmodi consuetudo. Dec. *in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 9 num. 18.* Farin. *in praxi criminali tom. 1 par. 1. tit. de inquisit. quæst. 8. n. 3.*; nàm licèt Papa sciat, tamē voluntariè nō tolerat, sed tolerat ad euitandum scandalum. *cap. Denique 4. dist. cap. Quaesiuit 1. quæst. 2. cap. Ordinationis 1. quæst. 1.*

23 Licèt Papa generalitèr non possit derogare exemptioni Clericorum totalitèr, & quòad omnes causas; quòad aliquas causas particulares potest derogare, & illos committere Iudicibus sæcularibus, *cap. Nos etsi 2. quæst. 7. cap. Illud 10. quæst. 3. cap. Verùm 22. dist.* Imò Papa potest etiam committere fœminæ, vt Clericum iudicet, *cap. Mennam gloss penult. in cap. Peruenit 7. quæst. 1.*: cùm Laico possit concedere capacitatem spiritualiū, *cap. Adrianus* ex priuilegio Apostolico, potest etiam fœmina habere ius conferendi beneficia, *cap. Dilecto vbi Abbas num* 2. Felin. *num.* 1. & alij, & habere curam animarum, quam per Vicarium exercebit. Rot. *decis. 21. num.* 3. Item Papa ex causa publica potest dispensare in ijs, quæ pertinent ad vniuersalem statum Ecclesiæ, *cap. Quanto de consuetudine*, quia concurrente causa publica, Ius diuinum recipit declarationem à naturali ratione. Et licèt Ius diuinum in totum tolli non possit, potest tamen Papa illud interpretari, mutare, declarare, restringere, remittere, & amplificare. Verùm quando Iudex Laicus cognoscit causas Clericorum, non cognoscit iure proprio, sed auctoritate delegantis, in cuius personā fundatur iurisdictio *l. 1. §. qui mandatum ff. de off. eius*, Innoc. *in cap. Quod sicut, & ibi* Hostien. Felin. *in cap. 2. de maior. & obed.*, Episcopus tamen Clericorum causas delegare non potest, *cap. Decernimus* Host. *num. 1.* Abbas *num. 4. & 5.* & alij.

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Romanus Pontifex quam Iurisdictionem habeat in Mundo?*

2 *Christus Dominus, &c. habet supremum dominium in Mundo.*

3 *Papa non potest eligere sibi successorem.*

4 *Pontifex debet eligi ex gremio Cardinalium.*

5 *Ad quem spectet electio Summi Pontificis, si omnes Cardinales sint mortui?*

6 *Cardinales non dant potestatem Pontificiam electo Papæ.*

7 *Non licet Cardinalibus, viuente Summo Pontifice, tractare de eius successore.*

8 *Papa in hæresim lapsus, non est ipso iure priuatus Dignitate.*

9 *Papa solùm ob hæresim, potest à Dignitate remoueri.*

10 *Depositio &c. ab Episcopatu spectat ad solum Papam.*

11 *Patriarcha non potest transferre Archiepiscopum ad Episcopatum.*

12 *Papa potest transferre Episcopum de Ecclesia ad Ecclesiam.*

13 *Ratio cur Papa possit transferre Episcopum, &c.*

1 ROmanus Pontifex habet Iurisdictionem Spiritualem, & Temporalem super Vniuersum Mundum; Spiritualem quidem per se, ac per cęteros Ecclesiarum Antistites immediatè administrandam; Temporalem non quidem proximè per se, aut per aliarum Ecclesiarum Prælatos exercendam, sed ministerio, & opera Imperatorum, & aliorum Principum: Sic Innoc. III. *in cap. Per Venerabilem qui filij sint legitimi*, ait, *Tàm ex vetere, quàm ex nouo Testamēto trahentes, quòd non solùm in Ecclesiæ Patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem; verùm etiam in alijs Regionibus, certis causis inspectis, temporalem Iurisdictionem casualitèr exercemus.* Theologi solùm dicunt, simplicitèr habere potestatem in gubernatione Spiritualium; in Temporalium verò administratione, simplicitèr non habere, sed solùm ex conditione, videlicèt quatenùs opus est ad bonam Spiritualium administrationem. Ita *Vict. de potest. Ecclesiæ, quæst.* 5. Sot. *lib. 4. de Iust. quæst. 4. art. 1.* & alij.

2 Christus Dominus fuit, & est, quatenùs homo, Supremus Dominus totius Mundi, & Ius temporale habuit in ipso. Et ità Gloss. inter Canonici iuris Interpretes recepta. S. Thom. *lib. de reg. Principatu, cap. 12.* S. Antonin. *p. 3. tit. 3. cap. 2.* Turre-cremata *in Sum. lib. 2. cap. 116.* Nau. *in cap. Nouit, de Iudicijs. num.* 8., & alij. Ratio, quia non est Christo denegandum, quod eius Dignitati cōuenit; at maximè eius Dignitatē decebat, vt esset Supremus Dominus, ergò &c.: vt Deus, quia Mundum ex nihilo finxit, supremū habet in Mundo Dominatum; Sic quia Christus lapsum Mundum erexit, & captiuum redemit, est Mundi Dominus; Idcircò non iure hæreditario, non iure electionis humanæ, sed eo ipso, quod est Mundi Redemptor effectus, dominium super vniuerso Mundo accepit: Idcircò Paulus *ad Hebr.* 2. ait, Christo esse omnia subiecta: & ipse Christus, Matth. vlt. *Data est mihi potestas in Cælo, & in Terra.*

3 Summus Pontifex non potest sibi eligere successorem. Ita Gloss. *Verb. Beatus in cap. Apost. §. his omnibus 8. quæst. 1., & in cap. si transitus, dist. 39.* Turre-cremat. *de auct. Papæ, & Concilij, tract. 1. cap. 13. & tract. 2 cap. 21.* Caiet. *eod. tract. cap. 22.* Azor. *p. 2. lib. 4. cap. 5. quæst. 3.* & alij. Ratio, quia Papa, & Episcopus se habent ad Ecclesiam, sicut Vir ad Vxorē, *cap. Sicut Vir 8. quæst. 1.*, sed Vir non potest Vxori suæ alium Virum relinquere, quia eo mortuo, ab illius lege est soluta, ergò, &c.; tùm etiam, quia si id, esset licitum, aliud non esset, quàm immutare statum antiquissimum Ecclesiæ, secundùm quem à Christi Aduentu, ad hæc vsque tempora Pontifex creatur per electionem; tùm etiam, quia si successio Summi Pontificis in libero Papę viuentis esset arbitrio, iure Sanguinis, non ratione morum, & vitę, successor eligeretur; ex quo multa in Ecclesia incommoda nascerentur: & ideò dicendum, Papam non posse sibi eligere Successorem.

4 Pontifex debet eligi ex gremio Cardi-

nalium;

nalium: Ratio, quia in Cardinalium numerum non adsciscuntur, & cooptantur, nisi Viri morum, & vitę integritate, & doctrinę splendore clarissimi; ideòq; ex illis electio debet fieri in Pontificem, Ità habetur *in cap. oportet, dist. 79* ex Stephano III. *in Concil. habito in Basilica Constantiniana*, vbi dicitur; *Oportebat, vt hæc Sacrosancta Domina nostra Romana Ecclesia, iuxtà quòd à Beato Petro, & eius Successoribus institutum est, rite ordinaretur; & in Apostolatus Culmen vnus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis consecraretur: & in cap. Nullus, eadem dist.* ex eodem Stephano dicitur, *Nullus vnquam Laicorum, neque ex alio ordine præsumat, nisi per distinctos gradus ascendens Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit ad Sacri Pontificatus honorem promoueri*, Sot. *lib. 4. de iust. quæst. 6. art. 5.*, tenet opinionem contrariam, nimirùm, posse eligi qui non sit assumptus in numero Cardinalium.

5 Variæ sunt opiniones, ad quem spectaret electio Summi Pontificis, si omnes Cardinales mortui essent, ita vt nullus extaret; Quidam dicunt, spectare ad Canonicos Lateranenses, quorum Ecclesia est propria Sedes Pontificis. Ita S. Antonin. *p. 3. Sum. tit. 22. §. 2. num. 4.* Decius *in cap. licet de elect. sub num. 51.* & alij. Alij affirmãt, spectare ad Concilium generale, Ita Hostien. *in cap. licet*, August. Ancona *in Sum. quæst 3. art. 3.*, Alij spectare ad Patriarchas, &c.

6 Cardinales potestatem Pontificiam nõ dant Pontifici à se electo, sed Pontificem nominant tantùm, designant, & deligunt: nominatus verò, designatus, & delectus ab ipsis Pontifex, à Christo Domino potestatem accipit; Christus enim eo ipso, quo Petrum, & successorem eius suum Vicarium in terra constituit, promisit, se daturum potestatem ei, quem ipsa Ecclesia, vel aliqui, ipsius Ecclesiæ nomine, in Pontificem delegissent.

7 Non licet Cardinalibus, viuente Summo Pontifice, tractare de eius Successore. Ratio, quia committit peccatum læsæ Maiestatis, qui absque Principis consensu, de eius Successore tractat. Bald. *in l. Quoniam liberi, C. de test.*, eo quòd inde nascitur occasio optandæ, & captandæ mortis; tũ etiam, quia inter Ecclesiam, & Præsulem spirituale coniugium contrahitur, pęnæq; grauissimæ sunt constitutæ, qui matrimonio constante, de alio coniugio incundo tractaret: tùm etiam, quia extat Constitutio Pij IV., quæ incipit, *Cum Secũdum Apostolum, &c.* contrà eos, qui viuente Romano Pontifice, & eo inscio, de alio Pontifice agunt eligendo; vbi Pontifex sic ait; *Omnes, & singuli tam Clerici, quam Laici, seu Viri, seu Fœmina, qui per se, vel per alios, nobis viuentibus, & inconsultis, verbis, aut scripturis, cum aliquo de futuro Pontifice eligendo, &c. ipso iure, & absque vlla sententia ferenda, sint excommunicati, à qua excommunicatione per alium, quàm per Romanum Pontificem, prætorquàm in mortis articulo, absolui non possint, & incurrant priuationem cuiuscumque Dignitatis Ecclesiasticæ, &c.*

8 Papa in hæresim lapsus non est, ipso iure, sua Dignitate, & Iurisdictione amotus sed amouendus; Ita Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 1. à cap. 19. vsque ad cap. 27.* Sot. *in 4. dist. 22. quæst. 2.* Corduba *lib. 4. de locis Theologicis cap. vlt.* Ratio, quia cæteri Episcopi, ipso iure, à Pontificio munere, & Iurisdictione non censentur amoti, donèc sententia condemnati sint, aut saltem eorum crimen declaretur; interim valent, quæ agunt, ratione publici officij, quo funguntur, ergò nec Romanus Pontifex: tùm etiam, quia Papa per hæresim non amittit potestatem Ordinis, nec Iurisdictionis, ergò non est, ipso iure, à Pontificatu deiectus, sed deijciendus, si criminis condemnetur ab Ecclesia, aut auctoritate Concilij Generalis, *ex cap. Si Papa dist. 40.*, *& ex Epistola Adriani III.*; quæ publicè recitata fuit in Synodo octaua generali, vbi Pontifex ait, *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus; de eo verò, quemquam iudicasse non legimus.*

9 Papa ob solum crimen hæresis, potest ab officio remoueri. Ita Turre-crem. *in Sum. lib. 2. cap. 93.*, Aluar. Pelag. *de planctu Ecclesiæ lib. 1. cap. 4.* Palud. *de potest. Papæ.* S. Antonin. *p. 3. tit. 23. cap. 5.*, Caiet. *de auct. Papæ, & Concilij, cap. 26. & 27.* & alij. Ratio, quia Hęresis ab Ecclesia aliquem subtrahit, & separat; & per consequens decet, vt qui spõtè ab Ecclesia se subtraxit, à Pontificatu abrogetur: cętera verò delicta Auctorẽ suum ab Ecclesia non separant; tùm etiã, quia hæresis fidei, & doctrinæ aduersatur; Alia verò crimina solùm vitę, ac moribus aduersantur; Papa verò datur Ecclesiæ, vt Doctor, & Magister Fidei, & Veritatis.

10 Translatio, Depositio, Cassatio, ab Episcopatu spectat solùm ad solum Papam. Idem dicendum de electo, & confirmato, licèt non fuerit consecratus, non potest deijci ab Ecclesia per Metropolitanũ, nisi in casu, quo post sex menses suæ confirmationis, sua negligẽtia non fuerit cõsecratus; tùnc enim deijci potest à Metropolitano, non tamen ad aliam Ecclesiam transferri, quia primum est concessum à Papa Archiepiscopis; secundum verò, non: qui contrafaciunt, suspenduntur à consecratione, & confirmatione Pontificum; Episcopi ab executione Pontificalium: Deindè quia non ex malignitate, sed simplicitate peccatunt, datur eis venia, *ex cap. inter corporalia 2.*

11 Patriarcha non potest transferre Archiepiscopatum ad Episcopatum sub pęna suspensionis ab Episcoporum confirmatione; solus enim Papa potest, *ex cap. Cum ex illo 1. de Translat. Episc.*

12 Papa solus, qui vices Dei in terris gerit, potest auctoritate Diuina transferre Episcopũm ab Ecclesia ad Ecclesiam: Vndè si Episcopus auctoritate propria se transferat, priuatus est vtraque; & Canonici, qui illum recipiunt, priuantur electione pro illa vice, *ex cap. Quanto 3.*

13 Papa solus potest transferre Episcopos; & Episcopus, cui indulgetur, vt possit trãsferri ad maiorem Dignitatem, non potest

transire

transire ad æqualem, *ex cap. Licet intantum* 4. Ratio, quia Papa est Vicarius Christi, & ideò Concistorium, atque Tribunal Christi, & Pontificis, censetur vnum, & idem in specie, Hostien. *in cap. Quanto hoc eis.* Et ideò sentit hæresim, qui à sententia Papæ ad Christum appellat, quasi Papa non esset Christi Vicarius, & cum eo non habeat idem Tribunal.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Papa non potest se subijcere alterius potestati.*
2 *Non possunt in Ecclesia esse duo Summi Pontifices.*
3 *Papa potest Principes hereticos, &c. deponere.*
4 *Cuius ætatis debeat esse Papa?*
5 *Fœmina ad Pontificatum assumpta, inualida sunt gesta.*
6 *Papa non potest cogere Religiosos ad arctiorem vita regulam.*

1 PApa non potest alterius potestati se subijcere; Est communis Doctorum, & ita in specie Ioan. Andreas, & Abb. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constit.*, *& in cap. Significasti, de foro compet.* Archidiaconus *in cap. Si quis super ijs 7. quæst.* 1. Tut. crem. *lib. 2. Sum. cap.* 104 S. Thom. *in 4. dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 1. Ratio, quia sicut Vicarius Episcopi, aut Prætor à Rege, vel Imperatore creatus, absque ipsius Episcopi, vel Imperatoris assensu, se alterius Iurisdictioni iurè submittere non potest; ita multò minùs Romanus Pontifex, qui est Summus Christi Vicarius, absque eiusdem Domini consensu, alijs se subijcere non potest.

2 Non possunt in Ecclesia Dei simùl esse duo Summi Pontifices; & ita Magnus *de potestate Ecclesiæ*, & alij communiter. Ratio, quia, si essent, vno ex istis tribus modis gubernarent. Primò, vel summa potestas in duos diuideretur, quorū vnus in Oriēte; alter verò in Occidente Ecclesiam gubernaret: Secundò, vel ex æquo singuli summam potestatem in Ecclesia haberēt: Tertiò, vel ambo simùl primatum tenerent; At nullo ex prædictis modis possunt esse duo Pontifices, Nàm quacumq; ratione essent, cum Christi Institutione pugnarent, qui vnum tantùm instituit, ergò, &c.; tùm etiam, quia si duo, primo modo crearentur, summa potestas diuideretur; si secundo, vel tertio modo, sequeretur absurdum, quia neuter in vniuersas Christi Oues potestatem haberet.

3 Summus Pontifex potest Imperatorem, & alios Principes hereticos, ac Schysmaticos deponere, & subditos ab eorum obedientia liberare. Ita *cap. excommunicauimus*, & ibi Abb. *num.* 2. *e hereticis, cap. ad Apostolica*, vbi Ioan. And. *de sent. & re iud. in* 6., D. Thom. 2.2. *quæst.* 10. *art.* 6. *&* 10. D. Raymund. *in Sum. Tit. de hereticis*, §. 7. Host. *in Summa Tit. eodem* §. *sub qua pœna puniatur num.* 11. Turr. crem. *in Sum. de Eccles. cap.* 114. D. Bonau. *de Hierarchia Ecclesiæ* 2. *cap.* 1. D. Antonin. *in Sum. p.* 3. *tit.* 22. *cap.* 3. § 7. *& cap.* 5. §. 7. Sot. *in* 4. *distinct.* 25 *quæst.* 2. *art.* 1. Simanch. *de cath. instit. tit. de Papa num.* 26. Alphons. de Castro *de iusta hereticorum punitione lib.* 2. *cap.* 7. Si propter eorum grauissimas culpas turbaretur vniuersalis status Ecclesiæ.

4 Papa debet esse saltèm triginta annorum: Ratio, quia Papa est Episcopus totius Ecclesiæ; & cum trigesimum annum debeat iam expleuisse, qui debet esse Episcopus; requiritur non quidem de necessitate, sed de reuerentia, vt debeat esse triginta annorum: Dixi, non de necessitate, quia si minor eligatur, dummodò habeat vsum rationis, eius electio erit valida.

5 Non valent gesta per Pontificem, qui communi errore putatur masculus, cùm sit Fœmina: Ratio, quia fœmina, iure Diuino, est incapax Pontificatus, Merol. *tom.* 1. *disput.* 7. *cap.* 3.

6 Papa non potest cogere Religiosos ad arctiorem vitæ regulam seruandam, quā prima, & antiqua sui Instituti norma postulat: Ratio, quia obedientia, quam debent Religiosi Summo Pontifici, non se extendit vltrà regulam; & per consequēs non potest Papa obligare Religiosos ad austeriorem vitam. Ita Merol. *tom.* 2. *disp.* 4. *de legib. diff.* 9. *num.* 67. & alij.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Papa an possit concedere, vt in diuersis Prouincijs sint diuersa forma Sacramentorum.*
2 *Simplex Sacerdos à Papa potest delegari ad ministrandum Sacramentum Confirmationis.*
3 *Summus Pontifex non potest dispensare, vt Sacramentum Confirmationis ministretur sine balsamo.*
4 *Potest dispensare, vt simplex Sacerdos consecret oleum Infirmorum.*
5 *Item, quòd minores Ordines conferat.*
6 *Item delegare Diacono, vt Diaconum ordinet, &c.*
7 *An possit dissoluere matrimonium infidelium &c.?*
8 *Potest dispensare in primo gradu affinitatis.*
9 *Quando possit in primo gradu consanguinitatis?*
10 *Potest dispensare cum initiato Ordine Sacro, vt Vxorem ducat*
11 *Non potest dispensare cum fœmina, vt initietur prima Tonsura.*

1 POntifex nō potest instituere, vt diuersæ Prouinciæ in conferendis Sacramentis vtantur diuersis formis, quæ habeāt sensum distinctum essentialiter; possunt tamen in diuersis Prouincijs esse diuersæ formę conferendi Sacramenta, quę tamen significent eādem rem, vt sunt formæ, quibus vtuntur Latini, & Græci in Baptizando, quæ licèt differant in verbis, significant tamen eandem rem.

2 Ex commissione Summi Pontificis, potest simplex Sacerdos delegari ex iusta, & debita causa ad conferendum Sacramentum Confirmationis, & re vera, S. Gregorius, (vt constat *ex Epistola 9. & 36. li.* 3., & habetur *in cap. Peruenit, dist.* 95.) Id Presbyteris Sardiniæ concessit, absente Episcopo; licèt tale factum non sit facilè trahēdum in Exemplum, Cùm illud sequentes Pontifices sequuti non fuerint, nisi rarò,

& vrgenti causa: Vndè si sint aliquę Christianorum Prouinciæ, in quibus nulli sint Episcopi, neque commodè, & facilè creari possint, vel inueniri, tunc rationi consentaneum est, vt id Romanus Pontifex alicui certo Presbytero committat: & Pius V. & Gregorius XIII. id leguntur concessisse quibusdam Presbyteris, qui apud Indos conuersionem Paganorum ad fidem Christi procurabant, cùm apud eos Episcopi non essent, nisi in Prouincijs valdè remotis; & hanc sententiam tuentur plures apud Azor. *p. 2. lib. 5. cap. 1. quęst. 6.* & apud Dianam *p. 8. tract. 1. resol. 3.*

3 Cùm Balsamum non modo sit de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti in Chrismate, vt docet S. Thom. *3. p. quęst. 72. art. 3.* & affirmat à Basil. Pontio, *de Sacramento Confirmationis p. 2. cap. 2. num. 4.* Quod etiam docet Conciliũ Florentinum *in Decreto de Vnione Armenorum*, in quo assignans materiam huius Sacramenti, ait esse Chrisma confectũ ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & Balsamo, qui odorem significat bonæ famæ; Idem docet Concilium Trident. *Sess. 7. Can. 2. de Confirmatione*, in quo supponit, materiam huius Sacramenti esse Chrisma, quod est compositum ex Oleo, & Balsamo; & ideò Summum Pontificem non posse dispensare, vt Sacramentum Confirmationis ministretur cum solo oleo oliuarum; licèt Caiet. & plures alij sequãtur opinionem contrariam, nimirùm id posse Summum Pontificem: Non potest tamen Laicus, vel Diaconus, ex concessione Papæ, ministrare tale Sacramentum Confirmationis, & ita Azor. *loc. cit. quęst. 7.*

4 Potest Romanus Pontifex committere Sacerdoti, vt consecret oleum Infirmorũ, & Cathecumenorum, ita vt valeat Sacramentum administratum in oleo sacrato per simplicem Sacerdotem. Ita Sot. *in 4. distinct. 23. quęst. 1.* Ratio, quia potest Romanus Pontifex delegare Presbytero, vt Chrisma conficiat; imò vt Sacramentum Confirmationis conferat, ergò pari ratione, potest committere simplici Sacerdoti, vt consecret oleum Infirmorum; Ita Sot. *loco cit.*, supposita tamen iusta, & vrgentissima causa. Non potest tamen Romanus Pontifex concedere, vt Sacramentum extremæ Vnctionis conferatur in oleo non sacro, cùm oleum sacrum sit de substantia huius Sacramenti.

5 Ex commissione Summi Pontificis, potest simplex Sacerdos minores Ordines conferre: Et ita Ioan. Præposit. *in 3. p. quęst. vnic. de Sacram. Ordinis dub. 13. num. 122.*; & non modò minores, sed etiam maiores Ordines: Vndè Præposit. *loco cit.* sic ait, *Omninò ergò verius est, simplicem Sacerdotem posse ex concessione Summi Pontificis, non solùm minores, sed etiam maiores Ordines conferre, etiam in ratione Sacramenti: Quam potestatem potest concedere Pontifex, etiam nondum consecratus, quia hęc auctoritas non conuenit Pontifici ratione consecrationis Episcopalis, sed ratione summæ iurisdictionis, quã habet in Ecclesia, quam supremam potestatem obtinet, posita legitima electione, etiam ante consecrationem*, Ita ille.

6 Secundum Glossam, potest Romanus Pontifex delegare Diacono, vt Diaconũ ordinet; Presbytero, vt Presbyterum cõferret: Ratio, quia Diaconus à Papa ad tale officium delegatus, est alio Diacono superior, licèt in eodem Ordine conueniat; non enim ex vi sui Ordinis, sed ex potestate sibi commissa, tale munus exercet; tùm etiam ex Pontificis priuilegio, vnus Episcopus potest ab alio consecrari; licèt, ex Diuina Institutione, ad eius consecrationem, tres Episcopi requirantur. An possit Pontifex committere simplici Sacerdoti, vt consecret Episcopum, diuersæ sunt opiniones, vt videre est apud Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 30. quęst. 4.*

7 Non potest Papa dissoluere matrimonium Infidelium ad fidem conuersorum. Conin. *disput. 26. dub. 5. un. 60.* Pontius *lib. 9. cap. 4. num. 15.* & alij: Ratio, quia matrimonium solui non potest, nisi in casibus in iure expressis, at nullibi est expressum, matrimonium consumatum fidelium solui posse, ergò sequitur, matrimonium infidelium conuersorum, post conuersionem solui non posse, cùm verum sit matrimonium fidelium consumatum, Dian. *p. 9. tract. 7.* Miscel. *resol. 46.*

8 Posita iusta causa, Papa potest dispensare in primo gradu affinitatis, nimirùm, vt Vir accipiat Vxorem fratris, & è contrà, quòd fœmina nubat Viro suæ sororis mortuæ, Sanch. *lib. 9. disp. 66. num. 7.* Ratio, quia impedimentum affinitatis non est de iure naturæ, sed Ecclesiastico; at Papa potest dispensare in his, quæ sunt de iure Ecclesiastico, ergò &c.: Et de facto cum pluribus dispensauit; tùm etiam, quia in tali dispensatione non datur violatio iustitiæ, ergò, &c. Similitèr Papa potest dispensare, vt matrimonium ineatur inter Auum, & Nepiem, ob causam narratam; & quòd tale matrimonium non sit prohibitum iure naturæ, patet: Ratio, quia actus matrimonialis in isto casu non repugnat reuerentiæ debitæ, quia Auus respectu Neptis, non habet rationem Genitoris. Item Papa, posita iusta causa, potest dispensare, vt matrimoniũ ineatur inter Fratres, & Sorores: Ratio, quia, posita iusta causa, potest dispensare in ijs, quæ sunt de iure naturæ, præcipuè in ijs, quæ non sunt intrinsecè mala, sed quòd Frater ducat Sororem, non est semper intrinsecè malum; ergò posita iusta causa, potest in eo dispensare. Diana *loco citato resol. 7.*

9 Licèt regularitèr Papa non possit dispensare in primo gradu cõsanguinitatis, nimirùm, vt Pater sumat in Vxorem suã Filiam, cùm tale matrimonium contineat indecentiam notabilem; in casu extremæ necessitatis propagandi genus humanum, potest dispensare in primo gradu cõsanguinitatis lineæ rectæ, Nimirùm, vt Pater accipiat in Vxorem suam filiam, aut Mater suum filium: Ratio, quia in isto casu, irreuerẽtia, & turpitudo, quæ in actu matrimo-

trimoniali inuenitur, cohonestatur fine bono, nimirùm ob bonum publicum; & per consequens, supposito tali fine, irreuerētia desinit intrinsecè esse mala. Sāch. *lib. 7. disput. 31. num. 7.* Dian. *loco cit.* & plures ab eo citati.

10 Papa potest dispensare cum initiato ordine sacro, vt vxorem ducat. Et ità Diana *tract. 1. de potestate Pontificis, resol. 71.* Ratio, quia obligatio seruandi castitatem, non est de Iure diuino, sed Papa potest dispensare in ijs, quæ non sunt de Iure diuino, ergò, &c. Sanch. *lib. 7. disp. 27.* Becan. *de matrim. cap. 20. quæst. 10.* Sot. *lib. 4. quæst. 4. art. 2.* Item Papa potest dispensare cum Religioso professo ex iustà causa, vt vxorem ducat: Ratio patet à simili, quia sicut potest dispensare cum initiato ordine sacro; ità cum Religioso professo, cùm vota sint eodem modo solennia. Ità Caiet. 2. 2. *quæst. 88. art. 11.* Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 9. quæst. 7.* Nauar. *cap. 12. num. 71.* Conin. *de sacram. disp. 31. num. 6.* Sanch. *lib. 7. disp. 2.* Diana *tract. 1. de potestate Pontificis resol. 74.* & alij.

11 Papa non potest dispensare, vt fœmina initietur prima tonsura: Ratio, quia cùm sit incapax ordinis, sequitur etiam, esse incapacem primæ tonsuræ, quæ est dispositio ad ordines: Ratio, quia in fœmina non potest esse finis, per quem ordo institutus est; neque potest repræsentare personam Christi, vt repræsentat ordinatus. Diana *loco cit. resol. 39.*

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Ad Summum Pontificem pertinet definire res fidei.*
2 *Non potest errare definiendo res fidei.*
† *Quatenùs priuata persona, potest errare.*
3 *In decretis morum spectantibus ad bonum publicum Ecclesiæ, non potest errare.*
4 *Circà quæstiones facti, quæ ex probationibus dependent, potest errare.*
† *Non tamen in canonizatione Sanctorum.*
† *Neque in approbandis Religionibus, &c.*

1 AD Summum Pontificem pertinet definire ea, quę sunt fidei. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst. 1. art. 10.* Item ad eum pertinent maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones, & controuersiæ, quæ in causa fidei referũtur. *ex cap. Oppressus 2. quæst. 6.*, quia Christus Dominus dixit Petro, vt colligitur *Lucæ 22.*, quem constituit Summum Ponticem, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*; at Romanus Pontifex est Petri successor, ergò eius est definire, quæ sunt fidei. Insuper totius Ecclesiæ debet esse vna fides, iuxtà id, quod ait S. Paulus 1. *ad Corinth. Hoc ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schysmata*; quod fieri non posset, nisi quęstio, & cōtrouersia fidei exorta definiatur auctoritate eius, qui toti Ecclesiæ præest, vt eius sententiã vniuersa Ecclesia certo, & firmo sequatur assensu: vndè concludit S. Thom., Romani Pontificis esse, nouum fidei symbolum edere, interpretare, & declarare.

2 Summus Pontifex non potest errare, definiendo res fidei. Ità S. Thom. 2. 2. *qu. 1. art. 10.*: Ratio colligitur *ex loco cit. Lucę, Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, &c.*: tùm etiam, quia definitionem fidei Romani Pontificis auctoritate positam tota Ecclesia sequi debet, vt ait S. Thom. *loco cit.*; at si Romanus Pontifex definiendo res fidei, posset errare, posset etiam Ecclesia in credendo labi, & decipi; at Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, ergo, &c: vndè in Concilio Complutensi, Sixti IV. auctoritate confirmato, condemnatus est Petrus Oxoniensis, tamquàm hæreticus, eò, quòd asseruisset, Ecclesiam Vrbis Romę in fide errare posse; quem errorem tamquàm hęresim damnauit idem Sixtus IV.: & ideò Papa, quatenùs Ecclesiæ Pastor, nullo modo potest errare in definiēdis rebus fidei. Et ità communitèr omnes; quatenùs verò homo, & vt priuata persona, errare potest, cùm humanis infirmitatibus subiectus sit, sicuti omnes alij homines, docente Apostolo *ad Hebræos cap. 7.*, Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, & ideò errare potest, & in aliquod vitium labi, non tamen potest errare in condendis decretis, quæ tamquàm Pontifex edit, quia pro hoc orauit Christus, & non pro alijs.

3 In decretis morum, quæ ad statum totius Ecclesiæ spectant, errare minimè potest: Ratio, quia licèt Summus Pontifex quatenùs homo est, possit errare; in ijs tamen, quæ vt Summus Pastor decernit, & necessaria sunt ad spirituale suarum salutē ouiū infallibili Spiritus-Sancti assistēria gubernatur, in ijs decretis, quæ ad mores totius Ecclesiæ pertinent: tùm etiam, quia si Summus Pontifex in ijs erraret, talis error totius Ecclesiæ error esset, & in damnum Ecclesiæ redundaret. In decretis verò, quæ non totius Ecclesię statum, sed certas personas, vel certas Ecclesias respiciunt, dubium est inter Doctores, an Papa possit errare: quidam affirmant, & illorum ratio est, quia huiusmodi decreta respectu particularis Ecclesię, vel certę personæ, non nituntur certis principijs, sed probationibus incertis; & proindè falli poterit Pontifex. Bannes 2. 2. *art. 10 dub. 6.* Sic distinguit, vel agimus de iudicio rerũ gestarum, quando scilicèt Pontifex definit quæstionem aliquam sententialitèr inter suas Ecclesias, & tùnc verum est, posse errare, quia iudicium nititur probationibus, quæ incertæ sunt: vel agimus de decretis Pōtificijs circà mores alicuius Prouinciæ, vel Ecclesiæ, condendo scilicèt legem, & præscribendo præcepta, quibus subditi regantur, & viuant, & sic etiam errare non potest, quia nulla potest assignari congrua ratio differentię inter decreta pro Ecclesia vniuersali, nec etiam potest errare circà decreta pro Ecclesia particulari.

4 Licèt Pontifex possit circà quęstionem facti, quæ ex probationibus dependent, errare; non tamen potest errare in canonizatione alicuius Sancti, licet dependeat

ex probationibus miraculorum,&ex multis alijs, quæ in facto consistunt: Ratio, quia talis canonizatio, cùm sit quædam quasi professio,& protestatio fidei,ac pertineat ad vniuersalem totius Ecclesiæ Christianæ religionem, potiùs referenda est ad Spiritum-Sanctum, quem Christus Dominus Ecclesiæ suæ promisit, & eidem Ecclesiæ non defuturum in re grauissima, quoad contractus humanos. Et ità Couar. *lib.1.var.resol.cap.1.num.13.* Caiet. *de indulg.cap. 8.* Aragon. 2. 2. *quæst.1.art.10.* & alij. Neque etiam potest Pontifex errare in approbādis Religionibus, licèt fiat præcedentibus probationibus; licèt aliquando possit errare in approbando plures Religiones, quàm expediebat populo Christiano.

PARAG. V.
SVMMARIVM.

1 *Pontifex potest præcipere,vt filij hæreticorum instruātur in fide catholica.*
2 *Non tamen,vt filij hæreticorum baptizentur inuitis parentibus.*
3 *Potuisset præcipere confessionem,etiamsi Christus eam non præcepisset.*
4 *Etiam peccatorum venialium.*
5 *Non potest dispensare,vt fideles nunquam confiteātur,licèt possit differre tempus præscriptum.*
6 *Pontifex quomodo teneatur ad confessionem?*
7 *An possit dispensare, vt aqua vino non misceatur in consecratione?*
8 *Item an consecratio fiat sub vna tantùm specie?*
9 *An solo verbo possit creare Sacerdotes.*
10 *Quomodo possit irritare collationem ordinum?*
11 *Potest concedere licentiam, vt Eucharistia administretur infantibus.*
† *Potest præcipere,vt Sacramētū cōfirmationis sumatur.*
12 *Receptio talis Sacramenti quomodo obliget?*

1 POntifex potest præcipere,vt filij hæreticorum instruantur in fide catholica, inuitis parentibus. Ità Hurtadus *de Sacram. Baptismi,disp.3.diff. 4.* Præpositus *in 3. par. tom. quæst.68.art.10.*& alij. Ratio est,quia cùm parētes sint directè subiecti iurisdictioni Ecclesiæ, eorum filij,non solùm inuitis ipsis, possunt baptizari,sed etiā in fide Catholica instrui; cùm etiam Ecclesia possit ipsos parētes compellere, vt fidem Catholicam seruent,ergò à fortiori,potest præcipere, vt filij eorū à Catholicis baptizentur,& vt instruantur in fide Catholica, cùm suprà ipsos habeat directè potestatem coactiuam,& si opus fuerit,potest eos à parentibus separare; quod tamen nonnisi ex vrgentissima causa est faciendum. Idem dicendum est de filijs Schysmaticorum, & Apostatarum.

2 Pontifex non potest præcipere, vt filij Hebræorum,& aliorum infidelium subditorum Principibus Christianis baptizentur,inuitis ipsis,ante acquisitum vsum rationis. Ità S.Thom. *in 3.par.quæst.68.art.10.*& alij. Ratio patet, quia Ecclesia nunquàm procurauit, infantes infidelium subditorum Principibus Christianis hoc modo baptizari,quod est signum,Ecclesiam, nec in se, nec in Principibus Christianis hanc potestatem agnoscere, propter inconuenientia,quæ ex hoc sequerentur: cum necesse esset,eos à parentibus separare,vt in fide Christiana erudiantur, quod facere ante vsum rationis acquisitum, esset contrà ius naturæ,& gentium. Filijs verò infidelium mācipiorum Ecclesia potest præcipere,vt baptizentur,inuitis parentibus, vt docet Hurtad. *diff.3.* vbi plures citat: Ratio est,quia si non posset, esset, quia filij à parentibus non possunt separari, sed hæc ratio non militat, cùm Domini possint prehendere filios, inuitis parentibus, & possint, iure dominij, vendere parentes, & eos,vt sic, separare à filijs, ergò cùm non militet ratio,cur non possint separari, sequitur,Ecclesiam posse præcipere,vt inuitis parentibus,baptizentur.

3 Pontifex potuit præcipere confessionē, etiamsi non fuisset à Christo præcepta, sed solummodò instituta: Ratio, quia tale præceptum non excedit facultatem Ecclesiæ, ergò Ecclesia posset illud præcipere, cùm possit præcipere media necessaria ad salutem, & per consequens posset præcipere cōfessionem, cùm sit medium necessarium ad salutem: neque ex hoc sequeretur, Ecclesiam instituere Sacramenta non instituta à Christo, cùm tale Sacramentum iam esset institutum à Christo, licèt non præceptum.

4 Pontifex potest præcipere confessionem venialium, Hurtad. *de sacram. disp. 4.diff.8.* Vasq. *in 3.par.tom.4.quæst.90.art.2.dub.3.*, cùm talis confessio sit actus exterior, & valdè vtilis profectui spirituali; tùm etiam,quia de facto Monachis D.Benedicti præcepit,vt singulis mensibus confiteantur, & tamen regulariter contingit,eos non habere nisi peccata venialia, ergò signum est, Ecclesiam posse præcipere confessionem venialium.

5 Pontifex non potest dispensare, vt fideles nunquàm confiteantur. Ità Sot. *in 4. dist. 18. quæst. 1.art.5.* Vasq. *loco cit. quæst. 91.* & communitèr omnes: Ratio, quia tale præceptū in pluribus casibus est diuinum, ergò Ecclesia non potest dispensare, & per consequens, multo minùs abrogare; tùm etiam, quia confessio est pars Sacramenti pœnitentiæ essentialis; cùm autem Ecclesia non possit abrogare Sacramētum Pœnitentiæ, nec etiam potest abrogare essentialem partem illius: Potest tamen Ecclesia dispensare,differendo tēpus ipsius confessionis, ità vt non obliget pro singulis annis, sed semel in tribus, aut in duobus; sed ipsam in totum abrogare non potest, cùm ipsius abrogationis non possit dari rationabilis causa.

6 Pontifex non tenetur ad confessionem vi coactiua, sed tantùm vi directiua: Ratio est,quia ratio naturalis postulat,vt caput conformetur toti corpori suo: quòd non teneatur vi coactiua,patet,quia Princeps vi coactiua non tenetur seruare leges à se,vel à suis antecessoribus latas, cùm in ipsum non habeant vim cogendi,ergò solùm

lùm tenetur vi directiua, ob rationem allatam; & cùm Summus Pontifex in terra non habeat Superiorem, à quo accipiat facultatem eligendi Confessarium, Sacerdos electus à Papa accipit iurisdictionem à Christo Dño, sed mediante Sūmo Pontifice. Ità S. Thom. *in 4. dist. 19. qu. 1. art. 3. quæsit. 2.*

7 Pontificē non posse dispensare, vt aqua, vino consecrando non misceatur, docent qui affirmant, necessitatem miscendi aquā vino esse de Iure diuino, & non humano. Et ità Granad. *in 3. par. controu. 6. tract. 2. disp. 4. sect. 1.* Vbi plures citat: Qui verò affirmant, mixtionem non esse de Iure diuino, sed humano, docent, posse dispensare. Et ità Scot. *in 4. dist. 11. quæst. 6.* Sot. *dist. 9. quæst. 1. art. 6. §. Colligitur ergò*, & alij.

8 Cùm præceptum consecrandi sub vtraque specie sit diuinum, & non humanum, non potest Pontifex dispensare, vt consecratio Eucharistiæ fiat tantùm sub vna specie: Ità Vasq. *in 3. par. tom. 3. disp. 223. cap. 3.* Suar. *tom. 3. disp. 43. sect. 4.* Coninch. *de sacram. quæst 83 art. 1. dub. 5.* Nug. *in 3. par. quæst. 74. art. 1.* Sot. *in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 1.* Caiet. *in 3. par. quæst. 80. art. 12.* Marsil. *in 4. quæst. 6. art. 1. par. 1. dub. 3. & 4*: quod probatur in varijs locis scripturæ, prçcipuè ex hoc loco, *Hoc facite in meam commemorationem*, ex quibus Tridentinum deducit, Christum præcepisse consecrationem vtriusque speciei simùl, licèt probabilis sit etiam opinio contraria, nimirùm posse Pontificem dispensare, vt consecratio fiat tantùm sub vna specie, cùm hoc Sacramentum sit institutum ob salutem animarum, ergò in casu, quo defectu vini, non possit consecrari sub vtraque specie, dispensare potest, vt consecratio fiat sub vna specie tantùm, nè tot animæ priuarentur vtilitate huius Sacramenti. Item est probabile, quòd Pontifex potuerit præcipere tantùm consecrationem in pane. Ità Facund. *de præceptis Ecclesiæ precept. 3. lib. 3. cap. 4. num. 10.*; sed non decuisse, quia sub specie sanguinis adest corpus Christi.

9 Pontifex non potest solo verbo creare Sacerdotes: Ratio, quia Christus prçscripsit formam iis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Inferior autem non potest mutare Ius diuinum, nec alterare formas nobis à Christo determinatè relictas, cùm Inferior non habeat potestatem abrogandi legem Superioris; Philiarchus *de off. Sacerd. par. 2. lib. 1. cap. 24.*

10 Pontifex potest irritare collationem ordinum, qui non sunt Sacramenta, neque à Christo instituti; factam ab excommunicato. Ità Præpos. *in 3 par. de sacram. ord. quæst. vnica dub. 12. num. 114* Vasq. *disp. 243. cap. 1. & 2.* & alij. Et ideò qui affirmant omnes ordines esse Sacramenta, affirmant etiam eorū collationem Papam non posse irritare. Ità D. Thom. *in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1. quæst. 3* D. Bonauent. *art. 1. quæst. 1.* Richard. *art. 3. quæst. 3.* Valent. *disp. 9. quæst. 1. par. 4.* & alij: qui verò affirmant non esse Sacramenta, docent vt suprà Ità Magist. *in 4. dist. 24.* Sot. *quæst. 1. art. 4.* Grat. *in decreto dist. 21.* Vasq. *disp. 237. cap. 2.* Medin. *lib. 1. de continentia cap. 46.*

11 Pontifex potest dare licentiam, vt Eucharistia administretur Infantibus ante vsum rationis: Ratio, quia Infantes sunt capaces huius Sacramenti; imò in Græcia paruulis datur hoc Sacramētum: Ita potest concedere, vt Infantes ante vsum rationis confirmentur, cùm antiquitùs in Ecclesia mos fuisset, post Baptismum cōfirmare Infantes, vt docet Basil. Pontius *de Sacram. Confirmationis p. 5. cap. 1. num. 4.*; licèt posteà ob persequutionem Tyrannorum, in vsu esse desit confirmare Infantes statim post Baptismum: Et primo quidē à septimo die post Baptismum dilata fuit Confirmatio; quapropter tempore Caroli Magni, quando Adultorum Baptismus cessauit, quorum causa Confirmatio statim post Baptismum adhibebatur, *in cap. Vt secum de consecrat. dist. 5.* statuitur, (vt refert Gratianus) vt non confirmetur, nisi perfectæ ætatis, quod iudicatur anno duodecimo, quia ea cēsetur perfecta çtas: hodie ex Cathechismo Romano, ante septennium confirmari non debent, licèt ex iusta causa possit etiam in aliquo casu confirmari ante septennium, si videbitur Episcopo, ad quem spectabit ministrare Sacramentum. Ita Diana *de potestate Pontificis resol. 46.*

12 Quamuis non extet præceptum Diuinū, & positiuum sumendi Sacramentum Cōfirmationis, nihilominùs Pontifex potest præcipere sub peccato mortali, vt sumatur, sicuti re vera, præceptum fuit in Cōcilio Tridentino *Sess. 23. cap. de reformatione*, his verbis. *Prima Tonsura non initietur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperit*: quæ quidem verba cùm sint imperatiua, censentur lata per modum præcepti, cùm his verbis explicetur Imperium, & præcepta soleant talitèr fieri.

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *In quo casu Pontifex possit concedere, quòd Sacramenta administrentur cum materia dubia, &c.*
2. *An possit dispensare, vt aliquis non confiteatur ante sumptionem Eucharistiæ?*
3. *Pontifex an possit reseruare sibi venialia.*
4 *Et quid de peccatis internis?*
5 *An peccata omnia possit sibi reseruare?*
† *Simplex Sacerdos potest auferre potestatem absoluendi à venialibus.*
6 *Potest irritare matrimonia clandestina.*
7 *Potest dissoluere matrimonium ratum.*
8 *Non modò inter Principes, sed etiam inter alias personas.*
9 *Potest dispensare, vt matrimonium ineatur inter fidelem, & infidelem.*
10 *Potest eximere fideles habitantes in Prouincijs infidelium à statutis eorum circà matrimonium, &c.*
11 *Pontifex per Indulgentias remittit pœnas sacramentales.*
12 *Quomodo suppleat defectum iurisdictionis ministrātibus Sacramentum, &c.*

1 Pontifex in articulo mortis potest precipere, deficiente materia certa, vt admini-

ministrētur Sacramenta cum materia dubia. Ità Franciscus de Lugo *de sacram. cap.1. num.54.* Castr. Pal. *tom.1. tract.1. disp.2. par.5. nu. 6.* Villabos. *tom. 1. tract. 1. difficult. 13. num.1.* & alij. Ratio cur non liceat ministrare Sacramenta in materia dubia, est dubium, cui ministrans se exponit, faciendi Sacramentū irritū, sed tale periculū in articulo mortis honestatur fine bono rōne necessitatis; ergò, &c. Ità Layman. *lib.2. tract.1. cap. 5. n.5.* Salas *par.2. tract.8. disp.1. n. 98.* Et ideò infans in articulo mortis potest baptizari io parte dubia, cum materia dubia; imò in articulo mortis, absque dispensatione Pōtificis, in parte dubia, & cum materia dubia debent baptizari; & contrà facientes, peccarent contrà charitatem. Ità Franciscus de Lugo *in opusc. de sacram. cap.1. num.42.*; & suscipiens Sacramentum in tali casu, si superuixerit, denuò debet illud recipere sub conditione; neq; reiteratur, cùm reiterationem excludat apposita conditio. Ità S. Thom. *3. par. quæst 66. art.9.*

2 Pontifex non potest dispensare, vt aliquis non confiteatur ante sumptionē Eucharistiæ, & solùm eliciat actum contritionis: Ratio, quia præceptum præmittendæ confessionis, est diuinum, vt patet ex verbis Pauli, *Probet autem seipsum homo*; quod Concilium Tridentinum intelligit de cōfessionis præcepto; & ex traditiooe Ecclesiæ, quæ hoc semper intellexit, & conseruauit; & ex Patribus, qui docuerunt, ante sumptionem Eucharistiæ, præmittendam esse confessionem. Ità Cyprian. *lib.1. epistolarum*, August. *in Psalm.118.* Chrysost. *Homil.3. in Genesi*; & ratione, quia confessio cum dolore conuenienti habet effectum magis certum, quàm contritio, præcipuè, cùm de attrito possit fieri contritus.

3 Pontifex an possit reseruare sibi venialia;, dubium est inter Doctores. Reginal. *lib.1. num.126* Vasq. *in 3. par. tom.4. disp.91. art.2. dub. 2.*, & alij, negatiuam sententiam tenent, quia cùm peccata venialia non sint materia necessaria confessionis, non possunt etiam esse materia apta reseruationis, ac proindè non possunt reseruari. Auersa *de sacram. Pœnitentia quæst. 17. sect. 2.* Card de Lugo *de Pœnitentia disput. 20. sect. 2. num.12.* Coninch. *de sacram. disp.8. dub. 11. num. 80.* Hurtadus *de sacram. disp.12. de pœnitentia difficult. 4.*: affirmatiuam sententiam tuentur alij, nimirùm Pontificem posse peccata venialia sibi reseruare, sed sequor opinionem Reginal. Vasq. &c. Primò, ob rationē allatam; Secūdò, quia cùm peccata venialia necessariò nō subijciantur Sacramēto pœnitētiæ, non possunt reseruari, cùm reseruatio debeat esse de peccatis, quę necessariò subijciuntur Sacramento pœnitētię.

4 Neque etiam Pontifex potest sibi reseruare peccata interna. Ità Limas *par.2 cap 8. §.14.* Coriol. *de casu reseruato sess.1. art.5.* & alij: Ratio, quia reseruatio est actus iurisdictionis, quam Ecclesia nō habet circà peccata merè interna: & ideò Pontifex non potest ea sibi reseruare: tùm etiam, quia Ecclesia non potest prohibere sub censuris actus internos, ergò multò minùs potest ea sibi reseruare.

5 Pontifex non potest sibi reseruare omnia peccata: Ratio deducitur *ex Cōcilio Tridentino sess.14. cap. 7.* vbi dicit, quod Summi Pontifices pro suprema facultate in Ecclesia sibi tradita, possunt sibi reseruare aliquos casus; & cùm dicat, aliquos, signum est, quòd non potest sibi reseruare omnes; tùm etiam quia talis reseruatio esset potiùs in destructionem, quàm in ædificationem, cùm esset in præiudicium omnium fidelium, qui non possent alijs confiteri, nisi Summo Pōtifici, aut Delegato ab ipso habenti iurisdictionem; tùm etiam quia si id faceret, auferret facultatem Ordinarijs, & Delegatis ad audiendam confessionem, licèt Pontifex possit auferre simplicibus Sacerdotibus potestatem absoluēdi à peccatis venialib.: Ratio, quia iurisdictio, quæ est in simplice Sacerdote, non est ex iure diuino, sed est delegata ab Ecclesia, nimirū à Pōtifice, & ideò cū habeāt ab Ecclesia, seù Summo Pontifice, sequitur, Papam posse talem iurisdictionem auferre; & ità Coninch. *de sacramentis disp. 8. dub. 2. num. 11.* Suar. *in 3. par. tom.4. disp.26. sect.5.* Valentia *disp. 7. quæst.10. par. 2.* licèt plures sentiant, talem iurisdictionem non esse delegatam, sed ex iure diuino: & ità Capreol. *in 4. dist. 19. qu. 2. art. 3.* Sot. *dist. 18. quæst 4. ar.2.* Caiet. *in sum. verbo Absolutio*, Vasq. *in 3. par. tom. quæst. 93. art.2.* & alij, quorū opinio videtur valdè probabilis; & ideò Summū Pontificē non posse simplici Sacerdoti auferre talē potestatē.

6 Sūmus Pōt. potuit irritare matrimonia clandestina: Ratio, quia licèt iure naturæ matrimonium ex mutuo consensu cōtractum, sit validum, cùm habeat omnia requisita, & vnusquisque liber sit ad contrahendum, etiam clandestinè, tamen huic iuri derogauit Ecclesia ob bonum publicum, & ob bonum priuatorum. Similitèr potest Pōtifex, ex iusta causa, aliquos priuatos reddere inhabiles ad contrahēdum matrimonium. Ità Palud. *in 4. dist.32. quæst.1. art.2.* S. Antonin. *3 par. cap.16.* Sanch. *lib. 7. disp. 2. num.7.* & alij: Ratio, quia vt docet Sanch. *loco citato*, sicut Papa potest, ex iusta causa reddere inhabiles ad contrahendum omnes homines, vsque ad quartum gradum consanguinitatis; ità licitè potest reddere inhabiles personas priuatas, ex graui causa, vt v.g. ob paupertatem, ignobilitatem, &c. nè cum tali persona nubat, id postulante bono publico, alicuius familiæ, &c. Dixi, iusta causa, quia tali non existente, probabile est, matrimonium contrà eiusdem prohibitionē initum valere. Ità Hostien. *in sum. tit. de matrim. contracto contrà interdictum Ecclesiæ num.3* Ledesma *2. par. quæst.53. art. 4.* Sanch. *lib. 7. disp.2. num.6.* Ratio est, quia cùm matrimonium sit iuris naturalis, & diuini, non potest Pontifex, absque iusta causa, illud pro libito interdicere, nec eius contrahendi ius adimere.

7 Summus Pontifex ex iusta causa potest dissoluere matrimonium ratum, sed non consumatum. Ità Sanch. *lib.2. disp.14.* Les-

sius

sius *lib.2.cap.40.dub.* 19. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 8. *num.*11. & alij; Sicut de facto dissoluit matrimonium ratũ Paulus III. Pius IV. Gregorius XIII.: Ratio, quia matrimonium ratum non est, natura sua, indissolubile; & patet, quia dissoluitur per professionem: vndè in Concilio Tridentino *sess.24.can.* 6. dicitur, *Si quis dixerit, matrimonium ratum, sed nondùm consumatum, per solennem professionem alterius coniugis non dissolui, Anathema sit*; & ideò cùm dissoluatur per professionem, & Summi Pontifices de facto dissoluère, dicendũ est, Summum Pontificem ea posse dissoluere: quod facere solent, vel pro pace seruanda, vel pro odio, & inimicitijs euertendis, ortis post contractum matrimonium, vel propter lepram superuenientem, vel promouendùm virum ad Episcopatum, ratione maioris boni. Ità Henriq. *loco citato*: & ideò solus Pontifex potest id facere; nullus autẽ inferior potest, cùm nunquam fuerit auditum, in Ecclesia inferiorem Papa dispensasse in matrimonio rato.

8 Nõ modò potest Põtifex dissoluere matrimoniũ ratum inter Principes, sed etiam inter alias personas, quando in ijs dantur causæ, ob quas matrimonium potest dissolui, vt v.g. notabilis disparitas in qualitate, vel detur lepra superueniens, vel adsit timor scandali, ob disparitatem qualitatum, opum, &c.

9 Cùm matrimonium fidelis cum infideli non sit iure positiuo irritum, & neque iure diuino, aut naturali, sequitur, Summum Pontificem posse dispensare, vt matrimonium contrahatur inter fidelem, & infidelem; inter Catholicum, & hęreticum. Ità Rebell. *lib.3.quæst.9.num.*2. Præposit. *in 3. par. quæst.7.de impedim. matrim. disp.24.difficult.1. num.*2. Coninch *de sacram. disput.* 32. *num.*3. & alij communitèr.

10 Pontifex potest eximere fideles habitantes in Prouincijs Ethnicorum ab impedimentis ab ipsis Principibus statutis in causa matrimonij. Ità Layman. *lib.5.tract.10.par.4.cap.5.nu.3.*: Ratio, quia in ijs, quæ spectant ad Sacramenta, fidelis non censetur subditus Ethnico, licèt in alijs contractibus subdatur, & teneatur seruare formam ab ipsis Principibus præscriptam: lex autem Ecclesiastica circà Sacramenta, obligat fideles in quacumque parte mundi repetiãtur, & Christianus non censetur subditus legi à Principe latæ pro matrimonio.

11 Pontifex per Indulgentias remittit pœnitentias sacramentales à Confessario in Sacramento pœnitentiæ impositas, vt patet ex formula ipsarum Indulgentiarum, in quibus expressa mentio fit de pœnitentijs in Sacramento pœnitentiæ impositis. Ità Coninch. *de sacram. disput.* 12. *dub.* 3. Henriq. *lib.5.cap.22.num.*5. & alij: neque affertur præiudicium essentiæ Sacramenti pœnitentiæ: Ratio, quia tales pœnitentiæ non sunt de essentia, sed solùm de integritate Sacramenti, quæ Indulgentiæ non solùm extenduntur ad pœnam, pro qua, pœnitentia iniuncta est in Sacramento pœnitentiæ, sed etiam ad alias, pro quibus nulla pœnitentia est iniuncta. Suar. *in 3. par. tom.4. disput* 50. *de effectibus Indulgentiarum sect.*3. Coninch. *disput.* 12. *dub.*3. Fillnicius *tract.8. de causa fin. Indulg. c.7. quæst.1.*: Ratio, quia beneficium Principis est latissimè interpretandum, sed concessio Indulgentiæ est beneficium Principis, ergò latissimè est interpretandum.

12 Pontifex supplet defectum iurisdictionis ministrantibus Sacramẽtum cum opinione probabili: Ratio, quia tùnc ministrans censetur habere iurisdictionem ab Ecclesia, & per consequens, Pontifex censetur supplere defectum iurisdictionis: & ideò P. Francis. de Lugo *opus. de sacram. cap.*1. *quæst.4.num.* 49. Sic ait. *Quoties opinio probabilis versatur circà illa, quæ Summus Pontifex in Sacramentorum administratione determinat, vt in matrimonio, quod sic, & non alitèr contractum, valeat; in Sacramento pœnitentię circà iurisdictionem Sacerdotum ad absoluendum licitè, potest minister quamlibet probabilem opinionem ministrando sequi, cùm in qualibet iurisdictio detur, & matrimonium validetur ex præsumpta, vel iuridica voluntate Pontificis, qui sicuti supplet iurisdictionem habentis titulum coloratũ cum errore communi iuxtà legem* Barbar. ff. de off. prætoris, *sic etiã operantibus iuxtà opinionem probabilem, confert certam iurisdictionem, vt certum reddatur Sacramentum, non enim minus est potens sapientium opinio, quàm error vulgi ad iudicandam iurisdictionem.* Ità de Lugo: secùs verò dicẽdum, quando cum errore communi non adest titulus coloratus à legitimo Superiore, quia tunc Pontifex non supplet iurisdictionem eius, qui solùm errore communi, talis existimatur. Ità Card. de Lugo *de iust. tom.2. disp.*34.

P A R A G. VII.

Decreta Summorum Pontificum. De Summo Pontifice.

1 PApa est suprà Concilium, & absque illius auctoritate celebrari non debet, & habet plenum ius, & potestatem iudicandi, transferendi, & absoluendi Concilia. Leo X. *constit.20. incip. Pastor* 14. *Kalend. Ianuarij* 1516.

2 Papa solus generalia Concilia conuocare, & Episcopos deponere potest. Pelagius II. *constit.* 1. *incip. Manifesto Kalend. Martij* 1488.

3 Papa solus iudicat Cardinales. Eugenius IV. *constit.* 15. *incip. Non mediocri de anno* 1439.

4 Papa, attenta personarum, & locorum qualitate, dispensat, & vni Parochialis, & Canonicatus confertur, ti vtrique inseruire potest.

5 Papa potest dispensare in matrimonio rato, & non consumato ex causa publicam vtilitatem respiciente. *In Marsicana* 13. *Nouembris* 1627.

6 Papa auctoritate sibi diuinitùs tradita, Prælatos quoscumque, ac Principes deponit. Gregorius VII. *constit.* 3. *incip. Quoniam, Nonis Martij* 1080.

7 Papæ soli vniuersalis Ecclesiæ Episcopi nomen

nomen iure conuenit. Pelagius II. *Constit. 1. incip. Manifesto. Kal. Martij* 1488.

8 Papa Principes creare, eisque nouos titulos concedere potest. Pius V. *Constit. 88. incip. Romanus 6. Kalend. Septemb.* 1569.

TITULUS II.

De Cardinalibus Ecclesiæ Militantis.

SUMMARIUM.

1 *Nomen Cardinalis vndè desumatur?*
† *An Cardinales sint de iure Diuino?*
2 *Quando fuit origo Cardinalium.*
3 *A quibus duxerunt originem.*
4 *Papa solus potest creare Cardinales.*
† *Quando creentur.*
5 *Duplici officio funguntur Cardinales.*
† *Tres sunt Legatorum species.*
6 *Cardinales quarè dicantur Legati à Latere.*
7 *Cardinalium triplex est Ordo.*
8 *Cardinales antecedunt honore, & dignitate cæteros Præsules.*
9 *Cardinales in Concilijs quod ius habeant.*
10 *Apud Cardinales est potestas eligendi Summum Pontificem.*

1 Nomen Cardinalis à Cardine est dictum: Cardo est ferramentum, circà quod fores vertuntur; Et ideò Cardinales dicuntur quasi Cardines Sanctæ Ecclesiæ: Sunt qui dicunt, Institutionem eorum esse Iuris Diuini, quia Cardinales videntur successisse septuaginta-duobus Discipulis, qui fuerunt adiutores Apostolorum, sicut Cardinales sunt Papæ, & ita Panorm. *in cap. Per venerabilē, qui filij sint legitimi.* Turre-crem *in Sum. lib. 1. cap.* 80. & 83. August. Triumph. *in tract. de potestate Ecclesiæ, quæst.* 102. & alij. Alij verò negant, esse Diuino iure Institutos; & ita *Sot. in 4. dist. 24. quæst. 2. art.* 4., eo, quòd Romani Pontifices Cardinales crearunt, vt eorum Concilijs iuuarentur, eorumq; in Ecclesia gubernatione vterentur; tùm etiam, quia Hierarchia Ecclesiæ constat solùm Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & alijs Ministris; & hæc opinio censetur à multis probabilior.

2 De Origine Cardinalium Auctores varijs modis loquuntur; quidam enim affirmant, institutos esse tempore Apostolorum, & vt essent adiutores Petri, quia ratio postulabat, vt eo tempore, quo Christus Dominus Petrum caput Apostolorū, & Pastorem totius Ecclesiæ constituit, tūc pariter illi Consiliarios associaret, qui eidem assisterent, & consulerent, & in regimine adiuuarent, eo modo, quo Deus Consiliarios Moysi concessit, licèt ad minorem curam ille esset destinatus.

3 Alij dixerunt, Cardinales sumpsisse originem à Summis Pontificibus; & isti etiā variè loquuntur; Nam quidam dicunt, sumpsisse originem tempore Hygini Papæ, eo, quod cùm Euaristus Parochias, seu titulos in orbe diuisisset, nè in administratione Diuinorum, confusio inter administrantes oriretur, Ideò singulis titulis vnū Presbyterum posuit, à quibus Cardinalis nomen emanauit, vt ijs scilicèt esset Presbyter Cardinalis: Quidam, tempore Pôtiani, censerunt Cardinales incepisse, anno Domini 236.: Alij, tempore Marcelli, qui 25. Cardinales creauit: Alij, tempore Syluestri, anno 314., qui primum Cardinalium Collegium ad similitudinem procerum ordinauit; Nam sicuti seruabatur in Vrbe, vt cuilibet Regioni plures curatores deputarentur, ad perficiendum ea, quæ ad Ciuium incolumitatem pertinerent sub Præfecti potestate; ita Syluester Papa, vt indemnitati Ecclesiæ commodiùs consuleret, singulis Regionibus Vrbis singulos destinauerat Cardinales: Alij denique dixerunt, institutos esse tempore Gregorij I.

4 Papa solus, qui Caput est Ecclesiæ, potest creare veros Cardinales, & nemini alij competit. Ita *Glossa in cap. 2. de off. Archid., & in cap. Sacrosancta dist.* 22. Creantur Cardinales à Papa in publico Concistorio; tùm quia publicum est beneficium, ideò conferendum est à Principe, vti publica persona, & ad publicam vtilitatē, vt habeatur testimonium sinceræ fidei, & obseruātiæ; Ita ex Pale. *in p. 3. quæst. 1. de Sacro Concistorio:* Et sicuti inferiores dignitates in Cōcistorio creantur; ita multò magis est ibi Cardinalatus concedendus. Creandi sūt Cardinales, non vt familiæ illustrentur; sed vt consulatur loco, muneri, dignitati, † &c. Antiquitùs creabantur Cardinales in temporibus Natiuitatis Domini, & Sixtus V. antiquam consuetudinem restituit; & in quatuor Temporibus, Natiuitate Domini, &c. creandos esse ordinauit; tamen Papa in ijs vtitur arbitrio suo, & quocumque tempore sicuti libuerit, creat.

5 Tales itaque Cardinales duplici officio funguntur, vno quidem, Papa mortuo; altero, eo viuente: Vacante enim Sede, illū eligunt, vt *in cap. Vbi periculum de elect. in 6.*; Viuente autem, triplex eorum status considerarur, ex eo, Papæ assistunt, consulunt, & cooperantur; hinc Assistentes, Consiliarij, & Cooperatores sunt dicti; *Gloss. in cap. Ministerium de off. Archid. cap. Felices de pœnitentia in 6.* Abbas *in cap. Bonæ de postulatione Prælatorum in 6.*, Dùm Papæ assistunt, ardua negotia in Ecclesia tractant, & determinant, Iuraque non adorando, sed consulendo Cardinales assistunt. Abbas *in Clemens. nè Romani, & in Clementina Pastoral. de senten. & re iudicata.* Cooperatores etiam Papæ sunt; propterea illis specialia committuntur officia, sicut Camerarij, Vicecancellarij, Summi Penitentiarij, Præfecti Signaturæ, Gratiæ, Iustitiæ, &c.

6 Demandatur etiam Cardinalibus Legationis officium, & quia dicuntur pars corporis Papæ; Idcircò de Latere dicuntur, *cap. Ecclesia, Senatum habet 16. quæst.* 19. Abb. *in cap. 1. de off. delegat.* & *in cap. ad eminēt. de sent. excommunic.* Tres sunt Legatorum species; quidam sunt de Latere Pontificis; alij Legati particulares, vt Nuntij; quidam sunt Legati nati, vt quidam Episcopi. Præcedentia

dentia Cardinalium est in Curia Romana, dùm Ecclesias Episcopales non obtinent.

7 Cardinalium triplex est Ordo; alij sunt Episcopi; alij Presbyteri, & alij Diaconi: quam dignitatem, ex Constitutione Sixti V. prohibêtur habere, Primò filius vtriusque sexus etiam legitimus: Secundò Frater ex vno Parente germanus, vel Patruelis Consobrinus, aut Amitinus alicuius Cardinalis viuentis: Archiepiscopus poteft nunc temporis eligi in Cardinalem, licèt antiquitùs non poterat, cùm Episcopus obligetur ad residentiam, & Cardinales obligentur assistere Romano Pontifici, nec possint, sine licentia Summi Pôtificis, abesse a Curia Romana; Nùnc verò temporis, vt dictum fuit, potest eligi in Cardinalem: Ita Cardinales possunt habere beneficia Ecclesiastica, quæ residentiam non requirunt, & assumptus ad Cardinalitiam dignitatem potest retinere beneficia, quæ anteà possidebat, dummodò cum ipsa dignitate non habeant incompatibilitatem; Ita Albanus, *de Cardinalibus quæst. 42. priuileg.* 20. Martinus Lauden. *eodem tract. quæst.* 4. Azor. *p. 2. lib. 4. cap. 3. quæst.* 5. quod intelligitur de beneficijs non habentibus curam animarum.

8 Cardinales antecedunt honore, & dignitate cæteros Præsules Sanctæ Ecclesię, licèt Episcopi, potestate Ordinis, sint Presbytero Cardinale maiores. Item Presbyter est eadem potestate Diacono Cardinali Superior; Quoniam Episcopus in Sacramentis multa potest, quæ non potest Diaconus Cardinalis; & Presbyter potest Sacrosanctum Christi Corpus consecrare, &c. quæ non potest Diaconus Cardinalis; Administrationis auctoritate, Cardinales antecedunt Episcopos, cùm Cardinalium sit Romanum Pontificem eligere, & à Côcilijs esse &c.: Antiquitùs administrationis auctoritate, Episcopi præcedebât Cardinales, sed postquàm electio Papæ ad sola Cardinalium suffragia redacta est, ceperunt Cardinales paulatim Archiepiscopis, & Patriarchis anteponi.

9 Cardinales in Concilijs generalibus Ius habent subscribendi, definiendi, &c. de iure Ordinario; Ita Turre-cremat. *in Sum. lib. 3. cap.* 14. Ratio est, quia Ius definiêdi in Concilijs, & subscribendi, non est potestas Ordinis, sed Iurisdictionis; & per consequens, subscribentes, definiêtes, &c., se subscribunt, & definiunt iure ordinario Iurisdictionis: An Cardinales nondùm adepti Insignia Cardinalium, quæ Pontifex dare consueuit, habeant ius suffragij ferendi in creatione Summi Pontificis, quidam negant ex eo, quòd suffragium non sit proprietatis, sed possessionis fructus, Ergò Cardinalis nondùm consequutus possessionem, in Concilijs suffragium non habet: Alij affirmant, quia eo ipso, quòd est à Romano Pontifice electus, & creatus, omnem potestatem administrandi nanciscitur, si aliud iuris impedimentū non obstet; Ita Cardinal. Alban. *quæst.* 17.

10 Apud Cardinales solùm est ius, & potestas eligendi Summum Pontificem, quãdo Ecclesia, obitu Romani Pontificis, vel eius renunciatione, vacat, & non pertinet ad Concilium generale; & ita Cardinalis Albanus *de Cardinalibus quæst.* 35. & alij. Quę quæstio agitata fuit in Concilio Constantiensi.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Tituli Episcoporum Cardinalium olim qui fuerint?*
2 *Item Presbyterorum Cardinalium tituli olim quot fuerint.*
† *Diaconia, Cardinales tituli non dicebantur.*
† *Diaconia, quæ fuerint?*
3 *Cardinales in Ecclesijs suis quam potestatem habeant?*
† *Cardinales morari debent in Ecclesijs suorum titulorum.*
† *Debent residere in Ecclesijs, quarum sunt Episcopi.*
4 *Cardinales quibus legibus subiaceant?*
† *Iusta causa possunt habere plura beneficia.*
5 *Cardinalis Religiosus non potest testari, nisi de licentia Summi Pontificis.*
7 *Qualitates requisita in Cardinalibus.*
† *Item quæ ætas, Natalitia, &c.*
7 *Cardinales possunt sibi eligere Confessarium.*
8 *Cardinalium priuilegia.*

1 Tituli Episcoporum Cardinaliū olim fuere septem, vel octo, Hostiensis, Veliternus, Siluæ-candidæ, seù Sanctæ Ruffinæ, Portuēsis, Sabinus, Prænestinus, Tusculanus, & Albanus: Nunc verò sunt sex, ex eo, quòd Ecclesia Veliterna, Hostiensi, Eugenij III. auctoritate, adiuncta fuit; & Ecclesia Sanctæ Ruffinæ, Calysti II. tempore, cum Ecclesia Portuensi coniuncta est. Et ita Onuphrius *lib. de septem Vrbis Ecclesijs cap.* 1., in quibus, qui cæteris, ratione suæ ordinationis, prior, & antiquior erat, Decanus Collegij Cardinaliū dicebatur. Inter eos Episcopos Cardinales, Magno honore est habitus Episcopus Hostiensis, cuius est, ab antiquo tempore, Romanum Pontificem consecrare; proptereà ipse inter Episcopos pallio, quod est Archiepiscoporū insigne, vtitur, ex Martij Papæ instituto, vt Damasus testatur, & isti omnes Episcopi sunt Suffraganei Papæ.

2 Presbyterorum Cardinaliū tituli olim † erant vigintiocto Diaconiæ, quamuis essent ædes sacræ in honorem, & memoriā Sanctorum dicatæ, tamen tituli non dicebantur, quia Diaconi, qui earum custodes, & Præfecti erant, & qui in domibus iuxtà ea templa habitabât, animarum custodiam non habebant, nec Sacramenta conferebant, sed demandata sibi munia in sua regione faciebant, & Pontifici Romano sacra operanti præstò erant: Ecclesiæ thesauros custodiebant, pecunias plebi Inopia laboranti, iuxtà præscriptas sibi regiones, in suis regionibus dabant. Antiquitùs nominabantur sic, Petrus Diaconus primæ regionis; Ioannes Diaconus secundæ,

cundæ,vel tertiæ regionis,&c.: posteà dici cœperunt Petrus Diaconus Cardinalis S. † Adriani, &c. Adeò erant Diaconiæ à titulis distinctæ, vt nulla ratione, aut Presbyter Cardinalis Diaconiam, aut Diaconus Cardinalis titulum haberet. Quando accidebat, vt Diaconus Cardinalis, Presbyter fieret, is, relicta Diaconia sua, titulum accipiebat. Hunc posteà ordinem mutauit Sixtus IV.; vt ait Onuphrius: at Sixtus V.,sicut numerū Diaconorum Cardinalium certum constituit, ità etiam decreuit, nè Presbytero Diaconia, aut Diacono titulus in posterùm daretur. Numerus Cardinalium, Romanorum Pōtificum arbitrio augeri minimè solet, aut certè potest,cùm res ità postulauerit.

3 Cardinales in Ecclesijs, quorum titulos habent, non habent potestatem ordinis, sed iurisdictionis. Ità Abbas, Felinus, & Butr. *cap. 95, qua de maior. & obed.* ex quo fit, vt conferre queant omnia beneficia, Canonicatus, Præbendas, siuè quælibet alia officia, siuè curam animarum habentia, siuè nō habentia:nam Sixtus IV. amplissimum priuilegium illis concessit, vt testatur Fe- † lin. *in cap. cit.* Item Cardinales commorari debent in Ecclesijs suorum titulorum, vt habetur *in cap. Ex gestis de Clericis non residen-* † *tibus*. An Cardinales debeant residere in Ecclesijs,quarum sunt Episcopi, prima sētentia negat ob id,quòd Cardinales apud Pontificem residere debeant, vt sint illi adiutores, consiliarij, &c. Secunda affirmat, eos in proprijs Episcopatibus residere debere: & ità Panormit. *in cap. bone mem. de postula. & cap. Ex gestis de Clericis non residentibus, & cap. Ecclesia vestra 2. num. 10. de elect.* & ità declaratum fuit per Concilium Tridentinum *sess. 23 cap. 1. de reformat* his verbis, *Declarat Sancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesijs quibuscumque, quocumque nomine, & titulo Præfectos, etiàsi Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sint obligati ad personalem in sua Ecclesia residentiam, vbi iniuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse possint, nisi ex causis, &c*: vndè post Concilium Tridentinum, prima sententia, quamuis multorum iudicio confirmata, defendi non potest.

4 Cardinales subiacent legibus, quibus cautum est, ne quis plura beneficia simùl habeat, Abbas *in cap. bone mem. 1. de postulat. & cap. Ex gestis de Clericis non residentibus, cap. Ecclesia vestra de elect.*, nisi à Summo Pontifice priuilegium obtinuerint possidēdi, & obtinendi plura beneficia. Iusta causa possidendi plura beneficia est, si quis sit doctrina, forma, industria, & prudentia clarus, cuius opera, & diligentia maximè vtilis esse credatur; Ecclesia talibus viris indigere videtur, & ob id, ei multa posse concedi constat, quę cæteris meritò denegantur; Azor. *par. 2 lib. 4. cap. 3. quæst. 4.*

5 Cardinalis Religiosus professus nō potest testari, nisi de licentia Summi Pontificis: si verò non sit Religiosus, sed solutus, testari potest de bonis sui patrimonij, aut de bonis propria pecunia partis, aut suo labore, opera, & industria acquisitis, vt causa legationis, vel alterius muneris, &c. & ità *ex cap. Relatum 2. de testam. cap. Placuit 12. quæst. 2. cap. Cùm esses, de testam.* de bonis autem, quæ ratione dignitatis, vel Ecclesiæ, cuius est Cardinalis, Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, aut beneficiatus, testari non potest. Et ità communitèr omnes Canonistæ.

6 Eæ qualitates requiruntur in Cardinali, quæ requiruntur in Episcopo per Con- † cil. Trident. *sess. 24 de reformat.* Circà ætatem natalitia, scientiam, vitam, mores, requisita in eo, qui eà dignitate Cardinalitia decorandus extat constitutio Sixti V. quæ incipit, *Postquam verus, &c. sub datum, tertio nonas Decembris 1595.*

7 Cardinales Episcopi possunt sibi eligere Confessarium: Cardinales itidem causa legationis absentes, possunt etiam eligere Confessarium idoneum, iuxtà *cap. Nō pro dilatione*, quia Prælati sunt, & exempti: Cardinales non Episcopi, de iure, non possunt sibi eligere Confessarium, sed de consuetudine possunt. Ità Caiet. *in summ. verbo Absolutio a peccatis.*

8 Cardinales habent plura priuilegia: insigniora sunt: Primò, si damnatus ad patibulum duceretur, & Cardinali obuiam factus, ab eo veste, aut pileo tegeretur, liber euaderet; quod priuilegium ex cōsuetudine introductum est. Secundum, Cardinales in testamento condendo, militum priuilegium habent. Tertium, à sententia toto Cardinalium consensu lata minimè appellatur. Quartum, offendentes Cardinalem, puniuntur tamquam læsæ maiestatis rei. Quintum, Cardinali asserenti, se Rom. Pontificis Legatū esse extrà curiā, fides habetur. Sextū, Cardinali dicenti sibi aliquid viuę vocis oraculo demandatum, creditur: similitèr in causis commissis, ac demandatis, eius dicto fides habetur. Septimum, Cardinales Episcopos Romanus Pontifex Fratres appellat; Diaconos verò Cardinales, filios vocat, quia nō sunt Episcopi. Octauum, quamuis Pontificis Vicarius in orbe plena iurisdictione fungatur; attamen qui sunt Cardinalibus subiecti à suis Vicarijs iudicantur. Nonum, Cardinalibus Indigentibus debet Summus Pontifex subuenire; caput enim suis membris indigentibus succurrit. Decimum, soli Cardinales Legati nuncupātur extrà Curiam missi. Vndecimum, qui ad Cardinalis dignitatem euehitur, eo ipso ab omni patria potestate liberatur. Duodecimum, Cardinales sententia suspensionis, vel interdicti in Diplomate Pontificio, vel motu proprio mandato, vel constitutione generali lata, non afficiuntur, nisi specialis eorum mētio fiat. Decimumtertium, Cardinales dicuntur Ecclesiæ Senatores, ac proindè illustres personę censentur. Card. Alb. *quæst. 42.* Azor. *par. 2. lib. 4. cap 3. quæst. 10.* Nunc verò Eminentissimi vocantur.

PA-

PARAG. II.

Decreta Summorum Pontificum. De Cardinalibus, &c.

CArdinales Apostolorum personas repræsentant, & ex omni natione, & qui sunt doctrina, & moribus insignes, creandi sunt, & Diaconus Cardinalis creari non potest, nisi sit in anno 22. Absens creatur sub conditione, vt infrà annum se in Curia præsentet, & si bireto rubro decoratus, intrà annum ad Curiam non se contulerit, eo ipso priuatur dignitate, & non possunt duo fratres germani esse Cardinales. Sixtus V. *constit. 50. incip. Postquam 3. Non. Decembris 1586.*

Cardinales sunt in tres ordines distincti, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos: Absque testium multitudine condemnari non debent: eos offendentes, sunt rei criminis læsæ maiestatis; à Papa tantummodò iudicantur: sunt maiores Episcopis, licèt sint tantùm Presbyteri. Eugenius IV. *constit. 15. incip. Non mediocri, de anno 1439.*

Cardinales non tenentur obedire Papæ Simoniacè electo, & non complices electionis simoniacæ Papæ, alium possunt eligere; qui verò simoniacè Papam elegerunt, cadunt ipso facto ab omni dignitate. Iulius II. *constit. 3. incip. Cum tam diuino. Kalend. Februarij 1505.*

Cardinales sunt Ecclesiæ columnæ, ideòque in magno sunt honore habendi; visitare tenentur titulos suos, ac Clerum corrigere, Ecclesiam reparare, & dùm moriuntur, aliquid legare eidem. Ex decentia, in Romana Curia residere debent. Leo X. *constit. 7. incip. Supernæ 3. Non. May 1514.*

Cardinalibus, circà electionem Romani Pontificis, multa edixit Gregorius XV. *in constit. 13. incip. Æterni 17. Kalend. Decembris 1621.* Quoniam verò circà vsum, obseruatiam, & executionem huius Gregorianæ sanctionis multæ excitari poterant difficultates; ideò illic idem Pontifex, ad eas præcidend as, ac pro faciliori eiusdem constitutionis obseruantia edidit Ceremoniale, ritus huiusmodi electionis continens, seriò obseruandum, & nequaquam inmutandum, vt *in constit. 19. incip. Decet. 4. Id. Martij 1621.* quæ omnia approbauit, & confirmauit Vrbanus VIII. *constit. 45. incip. Ad Romanus 5. Kalend. Februar. 1625.*

Cardinales ingressi conclaue, non exeunt reuersuri: vtuntur vestibus croceis in conclaui: Non ordinari in concla ui excluduntur à suffragio feredo, nisi priuilegio muniti sint, habentes clausum os, possunt eligere. Gregorius XV. *in d. constit. 19. Ceremoniale tom. 4. Bullarij pag. 103.*

Cardinalium in Collegio saltèm quatuor magistri in Theologia ex quatuor Mendicantium Ordinibus sunt assumendi, & eorum vita cæteris exemplar esse, & ex eis Pontifex eligi debet; & Cardinalium Diaconorum Prior, aut sequens in quarta vacatione sex Ecclesiarum si sit in ætate, & præsens pro ea vice præfertur Presbytero antiquiori, & ad Ecclesiam vacantem promouetur. Sixtus V. *constit. 50. incip. Postquam 4. Non. Decembr. 1586.*

Cardinalium beneficia per promotionem vacant, non data per Papam retentione. Sixtus V. *constit. 79. incip. Sanctissimus 16. Martij 1588.*

Cardinalium titulos Presbyterales, & Diaconales certos, & inuariabiles designauit Sixtus V. *constit. 53. incip. Religiosa 14. Aprilis 1587.*

Cardinalium, & aliorum indultorum reuocatio, pensiones Ecclesiasticas imponendi, seù ad illas nominandi, nisi super iurepatronatus Laicorum, vel per instrumentum publicum constet de integrali solutione alicuius termini. Vrbanus VIII. *constit. 69. incip. Sanctissimus §. 2. publ. sub die 20. Iunij 1627.*

Cardinalis non potest disponere de beneficijs Ecclesiæ, cui cessit prætextu indulti, quod habet locum tantùm in illa, cui præest, excepto Episcopo Hostiensi, & alijs, & prætextu indulti etiam concedenti cum expressa facultate disponendi de beneficijs Ecclesiæ, cui cessit, non potest disponere. Vrbanus VIII. *constit. 60. incip. licèt publ. 10. Septembris 1626.*

Cardinales in aliena Diœcesi potestatem non habent consecrandi Ecclesias profanaras; nisi de indulgentia Papæ S. *Congreg. Conc. sessi Sell. à cap. 2. num. 18.*

Cardinales suis familiaribus triennalibus dimissorias ad ordines suscipiendos ex cōsuetudine concedere possunt, tametsi illis nec ante, nec statim posteà conferant beneficium, *S. Congr. Conc. sub die 22. Ianuary 1602.*

Cardinalibus extrà Palatium Apostolicum, & absente Papa, debetur à Clericis non Prælatis genuflexio. *Cærem. Pap. lib. 3. sect. 1. cap. 12.*

Cardinales etiam Commendatarij tenentur contribuere seminario pro Abatijs, & beneficijs eorum, iuxtà taxam ab Episcopo, & deputatis, factam. *S. Congr. Concil. in Adrien. 3. Decembris 1622.*

Cardinales Ecclesiarum Præsules indulto conferendi beneficia Ecclesiastica, ratione Ecclesiarum, quibus præsunt, vel quarum regimini vltimo loco cesserunt, duntaxàt vti possunt. Vrbanus VIII. *constit. 60. licèt nullus 10. Septembris 1626.*

Cardinalis Episcopus habens indultum, potest, non obstante decreto fel. mem. Clementis VIII., ante vacationem vnire Seminario beneficium, quod obtinet familiaris Papæ defuncti. *S. Congr. Conc. in Tridentina 15. Aprilis 1628.*

TITV-

TITVLVS III.

De Legatis Pontificis, seù Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Legatorum tres sunt species.*
2 *Quæ beneficia possit Legatus conferre?*
† *An possit derogare iuripatronatus?*
3 *Quando beneficij collatio sit subreptitia?*
† *Legatus potest conferre beneficium, quod iure vacat.*
4 *Item beneficium cum cura animarum, & cui.*
† *Non potest conferre beneficia Papæ reseruata.*
5 *Potest conferre beneficia cum clausula* Motu proprio.
6 *Potest confirmare eos, qui postulantur, nisi sint Episcopi.*
7 *Quæ beneficia possit sibi reseruare?*
8 *Potest commendare beneficia curata ad sex menses, non tamen regularia, &c.*
9 *Potest præstare auctoritatem permutationibus beneficiorum.*
10 *Potest item interesse matrimonio.*

1 APostolicæ Sedi deseruiunt non solùm Cardinales, sed etiam Legati, quos Nuncios Sancta Sedes appellat: & in præsenti sermo est de Legatis, qui mittuntur ad Reges, Principes, &c. Legatorum tres sunt species, alij sunt Legati de latere; alij missi; alij nati: *cap. 1 de officio legat. in 6.* Legati de latere sunt Cardinales, qui ex latere Summi Pontificis, & eius Senatu accipiuntur, & nomine Summi Pontificis, potestate accepta, in Prouincias mittuntur. Ij dùm legatione funguntur, Apostolicæ dignitatis insignibus vtuntur, *cap. Antiqua 23. de priuilegijs:* quæ insignia sunt vestis purpurea cum veste linea, siuè byssina superiori, Palafredus Albus, & Calcaria deaurata. *cap. Antiqua citat.* Gondisal. *in tract. de Legato à latere cap. 5. num. 3.*

2 Legatus à latere potest dare beneficia, quæ sunt in Prouincia sibi commissa *cap. 1. de officio legati.* † Potest conferendo, beneficium, derogare iuri patronatus Clericorum. *cap. Dilectus de officio Legati, & cap. Cum dilectus, de iure patronatus:* non potest tamen derogare iuri-patronatus Laicorum; quod conuenit illi ex fundatione, dotatione, ædificatione, reparatione, vel etiam amplificatione Ecclesiarum, quia hæc beneficia non potest conferre sine consensu Patroni: Si verò tale ius conueniat Laicis ex præscriptione, consuetudine, vel ex priuilegio Papæ, Legatus à latere potest illi præiudicare, conferendo tale beneficium. Butr. & alij, *in cap. Cum dilectus.* Item si iuspatronatus erit mixtum, idest Laicale, & Ecclesiasticum, Legatus à latere non potest illud conferre, Sel. *par. 2. quæst. 3. num. 39.* Azor. *par. 2. lib. 5. cap. 28. quæst. 2. & lib. 6. cap. 25. quæst. 7.*

3 Beneficij collatio facta à Legato ei, qui tacet se habere aliud beneficium, est subreptitia, & nulla; sicut illa, quæ ita Papa. *cap. Collatio vlt. de officio Legati in 6.* Cardinalis *in Clement. 2. de officio Ordinarij.* † Legatus potest conferre beneficia, quæ iure vacant, & non facto. *ex cap. Licet de præbend. in 6.*; sicut etiam potest cōferre Vicarias perpetuas, quia, re vera, sunt beneficia Ecclesiastica, & quæ Episcopi auctoritate conferuntur, & vniuntur.

4 Legatus potest conferre beneficium cū cura animarum ei, qui tantùm est in minoribus constitutus: Ratio, quia id etiam Episcopus potest facere. Innoc. *in cap. Dudum de electione:* item potest conferre beneficia, quæ vacant in sua Prouincia ad collationem Papæ deuoluta. Syluest. *in verbo Delegatus qu. 13.* Sel. *de beneficijs par. 2. quæst. 3. n. 17.* † Non potest tamen conferre beneficia reseruata Papæ. Ita colligitur *ex cap. Licet de præbend. in 6.*

5 Legatus potest conferre beneficia cum clausula, *motu proprio*, cum non sit inferioris conditionis Legatus, quàm Ordinarius; & constat, Ordinarios posse conferre beneficia cum clausula, *motu proprio*. Non potest Legatus conferre Ecclesias Cathedrales Regulares, Collegiatas, seù dignitates Ecclesiarum Cathedralium, quę electiuæ vocantur. *cap. Deliberatione §. 1. de officio Legati in 6.*, potest tamen ea conferre, si non sint electiua. Ità Archidiac. *in cap. Deliberatione.*

6 Legatus potest confirmare eos, qui postulantur, dummodò non sit postulatus Episcopus; is enim si postuletur, non nisi Papæ auctoritate confirmari potest, *cap. Postulationem de postulat. prælatorum*, dummodò etiam is, qui postulatur, non egeat beneficio dispensationis, quam Legatus concedere non possit. Item potest conferre beneficia, etiamsi sit extra Prouinciam, dummodò legatio duret, sicut etiā potest Episcopus, dum est extra Diœcesim. Innoc. *in cap. Quia diuersitatem de concess. præbendæ:* Ratio, quoniam beneficia conferre est voluntariæ iurisdictionis, non autem contentiosæ. Potest etiam Legatus conferre beneficia, quæ spectant ad Ordinarium, quia datur præuentioni locus, ità vt si Ordinarius loci priùs conferat, valeat, quod facit; si verò Legatus, vim quoque habeat beneficium collatum: secùs esset, si Ordinarius loci indultum haberet, vt nullus alius possit in mensibus sibi assignatis beneficium conferre.

7 Legatus potest reseruare sibi beneficia, quorum conferendorum ius, & potestatem habet; ità tamen vt pendente vna reseruatione in vna Ecclesia, non faciat aliam. *cap. Deliberatione, de officio Legati in 6.* Potest etiā beneficia vacatura pro certa persona reseruare, nō tamen ei, in cuius fauorem fuit facta reseruatio, acquiritur ius. Finita legatione, expirat etiam reseruatio per Legatum facta. Sclu. *de beneficijs par. 3. quæst. 66. num. 4.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 27. num. 11.:* Ratio, quia talis reseruatio non est gratiosa, sed odiosa, ac proindè finita legatione, veluti odiosa cessare debet, iuxtà regulam iuris, *Odia sunt restringenda, &c.*

8 Legatus potest commendare beneficia curata ad sex menses. Gambar. *de officio, & potestate Legati à latere lib. 4. num. 143.* Azor. *par. 2. lib. 5.*

2. *lib.5 cap.29. quæst. 6.* quia id potest Episcopus, & si finito semestri, adhuc duret eadē necessitas, vel vtilitas, poterunt eadem beneficia ad alios sex menses commendari, secundum Glossam *verbo Durare in cap. Nemo.* Non potest tamen in perpetuum beneficium curatum commendare, nisi id expressum sit in facultatibus. Azor. *lib.5 cap. 29. quæst. 13.* Non potest tamen commendare Clericis, etiam ad sex menses, beneficia regularia; at è contrà; potest commendare beneficia ad Papam deuoluta. Rebuff. *in praxi benefic. par.1. tit. de Commenda num 56.*

9 Legatus potest vnire beneficia suæ Prouinciæ, absque tamen præiudicio Episcopi: Ratio, quia potest in sua Prouincia quidquid potest Episcopus. Rebuff *in praxi tit. de vnionibus n.24.* Gamb. *de off. & potes. Legati à latere lib. 5.* Restringitur tamen talis potestas quoad Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, Regulares, vel dignitates, quæ sunt electiuæ. Azor *cap.29. quæst. 15.* Potest item vnire Ecclesiam sæcularem Monasterio, ità vt per Monachum regatur, ex causa magni momenti, & vocatis ijs, quorum interest; nam Episcopus hoc idem potest. Ità Felin. *in cap. In nostra de rescriptis*; huiusmodi autē vnio nihil debet derogare iuri Episcopi. Potest item vnire Ecclesiam vnius Diœcesis, Ecclesiæ alterius Diœcesis, si subsit aliqua debita causa, dummodò Episcopo Ecclesiæ vnitæ sua iura non adimantur.

10 Legatus potest præstare auctoritatem permutationibus beneficiorum. Azor. *par. 2. lib.5. cap. 29 quæst 4* Garz. *de benefic. par. 11. cap. 4. num. 61.*; dummodò fiat mentio de qualitatibus beneficij de iure exprimendis. In dispensationibus tantùm potest, quantùm Episcopus in sua Diœcesi. Henriq. *in sum. lib. 12.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 9. lib. 25.* Potest dispensare cum illegitimis, spurijs, &c. ad beneficia quæcumque sint, restituendo ipsum legitimis natalibus. Azor. *par 2. lib.5 cap.30.* Item ad Ordines sacros.

11 Potest Legatus interesse matrimonio, & alijs licentiam dare, vt intersint. Sanch. *de matrim. lib.3. disp.28. num.4.* Coninch. *de sacram. & censuris disp.29 num. 16.* Item habet auctoritatem confirmandi electiones Archiepiscoporum, &c. Quod alij Legatis non conceditur, nisi de tali facultate sit facta mentio.

P A R A G R. I.

S V M M A R I V M.

1 *Legatus à Latere habet potestatem in iudicialibus, & illam potest delegare.*
2 *Legatus à Latere potest facere statuta in perpetuum duratura.*
† *Potest absoluere ab excommunicatione Canonis.*
3 *Item potest concedere Indulgentias.*
4 *Potest absoluere ab excommunicatione, etiamsi percussio sit enormis.*
5 *Legatio quot modis finiatur?*
6 *Gesta à Legato post eius reuocationem quando sint valida?*
7 *Priuilegia Legatorum quæ sint?*
8 *Nuncij non de Latere quam facultatem habeant?*

1 LEgatus à Latere in iudicialibus non minimam habet potestatem, & illam potest alteri committere, & Delegatus ab eo iurisdictionem exercere, antequam sit Prouinciam delegatus ingressus, Gloss. *in cap. Neuter de offic. Legati.* Non potest tamen causam committere Canonico minori 25. annis, Gloss *in cap. Statuimus, 10. Verbo Canonici de rescript. in 6.* Hoc enim est priuilegium Papæ, *cap. Cum viginti de offic. Iudicis Delegati*; & nullus alius, nisi Princeps, potest iura immutare, Clement. Roman. *de elect.* Potest cognoscere de caussis contrà exemptos Legatos de Latere. Ita Gloss. *Verbo reseruata*, Em. Rodriquez *quæst. Regularium tom.2. quæst 62. art.1.* Ratio, quia Papa non eximit exemptos à potestate Ordinarij. Nauar. *de datis, & promiss. notabilo 4 num. 10.* Legatus autem natus non potest huiusmodi iurisdictionem exercere; Erasm. Coch. *p.2. qu.2.* & alij.

2 Legatus a Latere statuta facere potest in perpetuum duratura. Ita colligitur *ex cap. vlt. de offic. Legati*, circà omnia, quæ ad iurisdictionem pertinent ipsius. Item cōtrà statuta aliorum Legatorum, quæ statuta durant, durante ipsius Legatione, ipse solus potest interpretari: Legatione verò finita, eorum interpretatio deuoluitur ad Summum Pontificem. Gloss. *in c. ex*

† *p.3. de verb. signif.* Potest item Legatus à Latere absoluere ab excommunicatione Canonis: Item ab alijs excommunicationibus Papæ reseruatis. Felin. *in cap. ad Eminentiā.*

3 Legatus à Latere potest Indulgentias concedere in Prouincia sibi commissa, quia in ea Ordinarius est. Ita Gambar. *de offic. Legati lib. 8. tit. Quid possunt Legati circà Indulgentias.* Azor. *lib.5. cap 32 qu 7.* Et licèt de iure non possint concedere Indulgentias, nisi 40. dierum; de consuetudine tamen possunt concedere 100. dierum quæ durāt, etiam Legatione finita. Gloss. *Verbo statuta in c. vlt. de offic. Legati*, Angel. *Verbo Indulgentia, §. 6.* Syluest. *eod. Verbo, num. 16.* Præcipit Concilium Tridentinum *Sess. 24. de reformat.* omnibus Legatis, etiam à Latere, & Nuncijs, nè Episcopos in iurisdictione ad forū Ecclesiasticum spectante perturbent, neque contra Clericos, aut alias Ecclesiasticas personas, nisi Episcopo requisito, vel eo negligente, procedant.

4 Potest Legatus à Latere absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, etiamsi percussio sit enormis, &c.

5 Legatio finitur quattuor modis, Primò lapsu temporis præfiniti à Papa; Secundò Morte ipsius Legati; Tertiò, quando Papa Legatum reuocat; Quartò, quando Legatus è Prouincia sibi demandata egreditur, animo, & voluntate nunquam redeundi ad delegationem. Azor. *p.2. lib 5. cap 32. qu. 10.* Non censetur tamen Papa ex creatione vnius Legati, reuocare alium. Gambar. *de offic. & potestate Legati à Latere lib. 9. num. 15.* Azor. *loco citato qu 11.* Nec vacante Sede Pontificali, finitur Legatio Cardinalis à Latere, quando datus est Legatus

ad beneplacitum Sedis, quia Sedes nunquàm moritur: Secùs vero dicendum, si Legatus creatus esset ad beneplacitũ Papæ, *C. si gratiosè de rescript. in 6.*, Nam voluntas hominis morte finitur.

6 Gesta à Legato à Latere post eius reuocationem, valida sunt, si eius reuocatio ignoratur, Azor. *loc. cit. qu. 16.*

7 Priuilegia Legatorum sunt plura. Primum, ipsos perseqnentes, plures pœnas incurrunt à iure. Secundum, quando Cardinales sunt Legati, possunt conferre beneficia etiam ad Papam deuoluta. Tertiũ, Legati possunt absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici. Quartum, Legati Vrbe egressi, possũt vti Insignijs Apostolicæ Dignitatis. Quintum, Legati possunt dici Patritij. Sextum, Legati Cardinales censentur pars corporis Papæ. Septimum, cùm primùm creatus est, censetur solutus omni vinculo patriæ potestatis. Octauum, Cardinali asserenti, se esse Legatum Apostolicæ Sedis, creditur absque litteris, licèt plures contrariũ sentiant. Nonum, Legato Cardinali creditur absque litteris in ijs, quæ coràm eo acta sunt; Inpedientes Legatos, aut Nuncios Apostolicos nè recipiantur in Locis, Regnis, seu Prouincijs, ad quæ transmittuntur, siuè nè possint exercere suum officium, Sententiam excommunicationis incurrunt, ipso facto, & eorum Regna, & Prouinciæ, & Terræ Ecclesiastico subijciuntur Interdicto. *Extrauagantes super gentes, de Consuetudine.*

8 Nuncijs, qui licèt non sint de Latere, tamen conceditur potestas Legati à Latere, conceditur solùm facultas ad beneficia simplicia conferenda, quæ non excedunt valorem 24. ducatorum auri de Camera, computatis distributionibus.

PARAG. II.
Textus Sacrorum Canonum, De Officio Legati.

SVMMARIVM.

1 *Legatus Papæ quando adiri potest?*
2 *Non potest se ingerere in causa alteri à Papa delegata.*
3 *Legatus non potest transferre Episcopum de vna ad aliam Ecclesiam.*
† *Nec vnum Episcopatum alteri subijcere: Nec diuidere.*
4 *Legati iurisdictio quando expiret?*
5 *Potest conferre Beneficia Iuris-patronatus.*
6 *In quo loco possit exercere Ius?*
† *Minor Legatus, præsente maiore, non potest Ius dicere.*
7 *Legatus non de Latere non potest absoluere ab excommunicatione Canonis.*
8 *Legati statuta sunt perpetua.*

1 LEgatus Papæ non solùm per appellationem, sed etiam per simplicem querelam adiri potest, quia in sua Prouincia Vices gerit Papæ, *ex cap. Cùm non ignoratis 1. de offic. Legati.*

2 Legatus non potest se ingerere causæ alteri à Papa specialiter Delegatæ; nec potest impedire processum, vel sententiã Irritare; sed potest illam, si rationabilitèr est lata, confirmare, & executioni mandare, quia mandatum speciale derogat generali, *ex cap. Studuisti 2. de Offic. Legat.*

3 Legatus etiam Cardinalis non potest transferre Episcopum de vna Ecclesia ad aliam, *ex cap. Nisi specialis 3.* Item Legatus etiam Cardinalis nõ potest subijcere vnũ Episcopatum alteri, nec vnire duos Episcopatus; neq; vnum diuidere, quia Commissio generalis non extenditur ad ea, quę in signum priuilegij singularis, tantùm sũt reseruata Papę: Potest tamen absoluere excommunicatos, etiam ob violẽtam manuum iniectionem in Clericum, *ex cap. Quòd ad Translationem 4.*

4 Legatus, ex quo causam ad Papam trãsmisit examinandam, cessat eius iurisdictio, & desinit esse Iudex, & si quid faciat, est irritum, *ex cap. Licèt 5.*

5 Legatus Papæ potest conferre beneficia Iuris-patronatus Clericorum, *ex cap. Dilectus 6.* Legatus pro multis locis, potest in vno loco exercere suum Ius, circà causas pertinentes ad alia loca suę delegationis, *ex cap. Nouit 7.*

6 Legato de Latere præsente, minor Legatus, v.g. Prouincię, officium suum exercere non potest, *ex cap. Volentes 8.*

7 Legatus non de Latere non potest absoluere excommunicatos ob iniectionem manuum in Clericos, etiam in sua Prouincia, & circà sibi subditos, nisi ei specialis potestas concedatur à Papa, *ex cap. Excommunicatis 9.*

8 Statuta Legati Papæ sunt perpetua, & durant in sua Prouincia etiam post discessum, & finita Legatione: Item si delegauit causas, & ante discessum non precessit citatio, expirat Iurisdictio Delegati, si præcessit non expirat, *ex cap. Nemini 10.*

TITVLVS IV.
De Patriarchis Ecclesiæ Militantis.

SVMMARIVM.

1 *Patriarchæ primum locum obtinẽt post Cardinales.*
2 *Ecclesia Catholica quatuor habet Patriarchas.*
† *Ecclesia Romana habet præeminentiam super omnes alias Ecclesias.*
3 *In Vrbe fuerunt quinque Patriarchales Sedes.*
4 *Patriarcha quomodo differat ab alijs Prælatis.*
5 *Primæ Ecclesiæ Patriarchali septem sunt assignati Cardinales Episcopi.*
6 *Item septem Presbyteri Cardinales Basilicæ Sancti Petri.*
7 *Item septem Ecclesiæ Sancti Pauli.*
8 *Item septem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Maioris.*
9 *Item septem Ecclesiæ Sancti Laurentij.*
10 *Patriarcha quando debet consecrari.*
11 *Patriarcharum priuilegia.*

1 PAtriarchæ primum locum obtinent post Cardinales, qui sunt Archiepiscopis superiores iurisdictione: Ratio, quia sicut

sicut Episcopus vni tantum Ciuitati, Archiepiscopus vni Prouinciæ, quæ multas Ciuitates, quarum singuli sunt Episcopi, complectitur, pręsidet, sic Patriarcha multis Prouincijs præficitur, ac proinde non solùm in Episcopos, sed etiam in Archiepiscopos potestatem habet, & licèt in nomine differat à Primate, tamen in re idem est; ita in *cap. Cleros dist. 21. Et in cap. Vrbes distinct. 80. & cap. Prouincia dist. 91.*

2 Ecclesia Catholica quatuor hodie habet Patriarchas; in parte Orientis sunt, Constantinopolitanus, Alexādrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Prima Sedes cęlesti beneficio in Romana est Ecclesia, quam Petrus, & Paulus suo Sanguine consecrarunt. Secunda Sedes est apud Alexandriam, quæ Beati Petri nomine à Marco eius Discipulo, & Euangelista cōsecrata est; Tertia verò Sedes apud Antiochiam eiusdem Beati Petri nomine habetur honorabilis, quam illic priùs, quàm Romam veniret, habuit; & Ignatium Episcopum constituit: sed cùm Ecclesia Romana maior sit omnibus alijs, vti & aliarum caput præeminentiam habet super omnes alias Ecclesias; ideò non fuit conueniens, vt inter Patriarchales Sedes dinumeraretur.

3 In Vrbe quinque fuerunt Patriarchales Sedes ordinatæ, quarum prima est Ecclesia Lateranensis; Secunda Basilica Diui Petri; Tertia Sancti Pauli; Quarta Sanctæ Mariæ ad Præsepe; Quinta Sāčti Laurentij, extrà muros, quia Papa Summus Patriarcharum Princeps illi frequentiùs munus Sacerdotale exercere solcat; *Cap. Fundamenta de elect. in 6. cap. In nomine dist. 33.*

4 Differt Patriarcha ab alijs inferioribus Prælatis iurisdictione tantùm, & præeminentia, & non ordine, & consecratione, cùm in istis inter eos sit paritas, *cap. Per singulas Prouincias 9. quest. 3.* quia regulariter Patriarchæ habent maiorem iurisdictionem, quàm alij Primates, & ordinare possunt; vt in omni loco ante ipsos deferatur crux, pręterquàm in Vrbe, aut coram Summo Pontifice, vel eius Legato de Latere.

5 Primæ Ecclesiæ Patriarchali, scilicèt Ecclesię Lateranensi, in qua est Romani Pontificis Episcopalis Sedes, sunt assignati septem Cardinales Episcopi, scilicèt Episcopus Cardinalis Hostiensis, qui solus Pallio vtitur, Episcopus Cardinalis Albanensis, Episcopus Cardinalis Sabinensis, Episcopus Cardinalis Pręnestinus, Cardinalis Portuensis, Cardinalis Sanctę Ruffinę, & Cardinalis Tusculanus.

6 Basilicę Sancti Petri intitulatę sunt septem Presbyteri Cardinales, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctę Marię trans Tyberim, Presbyter Cardinalis Tituli S. Chrysogoni, Cardinalis Sanctę Cecilię, Cardinalis Sanctę Anastasię, Cardinalis Sancti Laurentij in Damaso, Cardinalis Sanctę Marię in Monte.

7 Presbyteri Cardinales intitulati in Ecclesia Sancti Pauli, qui debent in maiori Altari deseruire, sunt septem, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctę Sabinę, Card. Tit. S. Priscę, Card. Tit. S. Balbinę, Cardinalis SS. Nerei, & Aquilei, Cardinalis Sancti Sixti. Cardinalis S. Marcelli. Presbyter Card. Tit. S. Susannę.

8 Presbyteri Cardinales in Ecclesia Sanctę Marię Maioris sunt septem. Presbyter Cardinalis 12. Apostolorum. Card. Sancti Cyriaci in Thermis. Cardinalis S. Eusebij, Cardinalis Sanctę Potentianę. Cardinalis S. Vitalis, Cardinalis Sanctorum Marcelli, & Petri. Presbyter Cardinalis S. Clementis.

9 Presbyteri Cardinales ad Ecclesiam Sāčti Laurentij sunt septem. Presbyter Cardinalis Tit. Sanctę Praxedis, Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, Cardinalis Sancti Laurentij in Lucina, Cardinalis Sanctæ Crucis in Hierusalem, Cardinalis Sāčti Stephani in Celio Monte, Cardinalis Sanctorum Ioannis, & Pauli. Presbyter Cardinalis Tit. Sanctorum Quattuor Coronatorum.

11 Si Is, qui eligitur Patriarcha anteà erat Episcopus consecratus, nulla consecratio erit illi necessaria, sed tantum nominatio, designatio, postulatio, electio, & confirmatio; si non erat Episcopus consecratus, necessaria est præter electionem, & confirmationem consecratio, quia Patriarcha duplici est præditus potestate, videlicèt Ordinis, & Iurisdictionis, quarum prima datur, & accipitur per consecrationē; & secunda extra consecrationem confertur; ità D. Thomas 2. 2. *quæst. 39. art. 3.* Pallium est insigne Patriarcharum, quod illis datur sicut Archiepiscopis.

11 Plura sunt priuilegia Patriarcharum, quorum primum est, vt sedere, & incedere possint immediatè post Papam ante Cardinales, Abb. *in cap. antiqua,* licèt hunc temporis hoc priuilegium non sit in vsu, quia hodie Cardinales ex cōsuetudine eis pręsunt; Secundum, vt Metropolitanos, & Suffraganeos eorum ex causa deponere possint, *cap. Mos antiquus,* licèt hoc non sit amplius in vsu, quia solus Papa potest deponere Episcopos, vt dicitur in Concil. Trident. *Sess. 13. de reformat. cap. 8. & in Sess. 24. de reform. cap. 5.*; Tertium est, vt eis Romani Pontificis insignijs vti, fas sit; Quartum, vt æquiparentur Regibus, & Principibus superiorem non habentibus; Quintum, vt vbique Crucem claram præferre liberè possint, & pallio vtantur præterquàm in Vrbe Roma, aut vbicumque Romanus Pontifex præsens fuerit, vel eius Legatus à Latere, *cap. antiqua.*; Sextum, vt ipsi palliū Archiepiscopis Suffraganeis suis tradere possint, postquam illud ipsi à Romano Pontifice acceperunt, præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento; Septimum est, vt habeant ordinariam iurisdictionē super omnes Episcopos Metropolitanos totius Prouinciæ, & Regionis, vbi eorum extenditur iurisdictio; Octauum est, vt in Prouincijs omnibus eorumdem iurisdictioni subiectis, appelletur ad eos, cū opus

fuerit, etiam ommissis medijs, falsus appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humilitèr deferendum.

TITVLVS V.

De Archiepiscopis Ecclesiæ Militantis.

SVMMARIVM.

1 *Quis dicatur Archiepiscopus.*
2 *Auctoritas Archiepiscoporum quotupliciter consideretur.*
3 *Archiepiscopus ante receptionem pallij, quæ possit exercere.*
4 *Archiepiscoporum Insignia est Pallium.*
† *Pallium quid sit.*
5 *Archiepiscopus an possit deferre pallium extrà suã Ecclesiam.*
6 *Non potest pallium suum alteri accommodare.*
7 *Non potest absoluere excommunicatum à subdito sui Suffraganei.*
† *In aliquibus casibus potest.*
8 *Iurisdictio Archiepiscopi in Suffraganeos, & eorum Subditos multiplex.*
9 *Archiepiscopus non potest cum Suffraganeis dispensare in legib. &c.*
10 *Nec etiam cum subditis Suffraganeorum.*
† *In aliquo casu potest.*
11 *Archiepiscopus tempore Visitationis non habet à iure potestatem dispensandi in Votis, &c. Subditorũ.*
† *Quam potestatem habeat.*

1 ARchiepiscopus ille dicitur, qui est caput, & Princeps omnium Episcoporum suæ Prouinciæ; ita Isidorus *lib. 7. Ethimolog. cap. 12.*, quibus præcipere potest, quæ ad officium eorum spectant, atque ad executionem compellere etiam per cẽsuram. Archiepiscopus differt ab Episcopo in potestate Iurisdictionis, quia maior est Iurisdictio Archiepiscopi, quam Episcopi; Episcopus enim præest vni Ciuitati; Archiepiscopus præest Ciuitati, quæ est aliarum caput habentium Episcopos; Et ideò Episcopi Archiepiscopis in iure Canonico subiecti dicuntur: In ordinis verò potestate, Archiepiscopus non differt ab Episcopo.

2 Auctoritas Archiepiscoporum consideratur aut circà subditos, aut relatiuè ad Episcopos, aut circà suffraganeorum subditos: si consideretur in ordine ad Episcopos, in duobus casibus ab illis differunt: Primò, in consecratione, quia Metropolitanus à tribus Suffraganeis Episcopis cõsecrari debet: Secundò, quia licèt sit consecratus Archiepiscopus, non potest tamen se Archiepiscopum nominare, nisi postquàm pallium à suo Superiore acceperit, nec etiã obire munia, quę spectãt ad potestatẽ ordinis. Auctoritas Archiepiscopi circà Suffraganeos consideratur primò in confirmando electos: Secundò, in consecrando huiusmodi electos: Tertiò, in inuocatione suffraganeorum, in consecratione alterius Suffraganei: Quartò, in iniungendo illis, vt seruari faciant, quod seruatur in Metropolitana: Quintò, in conuocando eos ad Synodum: Sextò, in curando, vt apud Ecclesias suas resideant: Septimò, in compellendo eos, vt iustitiam subditis ministrent: Octauò, in suspendendo, interdicendo, & excommunicando: Nonò, in supplendo eorum negligentiam circà id, quod facere debent: Decimò, in cognoscendo eorum causas, cum videlicet ab aliquo ciuilitèr, vel criminalitèr conueniuntur: Vndecimò, in corrigendo, & confirmando eorum sententias in subditos suos Laicos: Duodecimò, in visitandis eorum Diœcesibus. Auctoritas Archiepiscopi circà subditos Suffraganeorũ consistit etiam in pluribus, quæ ei à iure communi specialitèr demandantur, aut per appellationem deuoluũtur ad ipsum, aut ei dum visitat, competere dignoscuntur; extrà quos casus nullam in subditos Suffraganeorum censetur habere iurisdictionem. Auctoritas Archiepiscopi, circà Synodum cõsistit in pluribus: Primò, quia Archiepiscopus vocat Episcopos suffraganeos ad Concilium Prouinciale: Secundò, si Clericus cum suo Episcopo ciuilem, aut criminalem causam habeat, Metropolitanus in Synodo Prouinciali cognoscit: Tertiò, si dubius aliquis, aut difficilis abusus extirpandus, vel grauis quæstio exoriatur circà Imagines, Reliquias Sanctorum, &c, Metropolitanus cum Synodo Prouinciali dijudicat, salua tamen Sedis Apostolicę auctoritate: Quartò, in eadem Synodo iudicat de licentia absentiæ Suffraganeorum, vt statuit Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* Vltimò, auctoritas Archiepiscopi consideratur, Episcopali Sede vacante Suffraganeorum, quia licèt Episcopo mortuo, administratio ad Capitulum Canonicorum pertineat. *cap. Non liceat alicui 12. quæst. 1. cap. 1.* in duobus tamen casibus potest Metropolitanus, & debet auctoritate ordinaria administrationi Ecclesiæ incumbere. Primus est, vbi Ecclesia idoneos ministros habere non probatur. *cap. Non liceat alicui*: Secundus, vbi qui existunt, fuerint negligentes, nam poterit in eo casu visitatorem, seù administratorem, aut Æconomum instituere, prout opportunũ videbitur, nisi a Romano Põtifice extrà prædictos casus, valeat deputare.

3 Archiepiscopus non potest exercere, postquàm electus est, & confirmatus, ante receptionẽ palij, actus iurisdictionis maioris, vt Concilium Prouinciale conuocare, aut Prouinciam visitare, neque Archiepiscopũ se appellare: alios verò actus iurisdictionis confirmatus potest exercere, cuiusmodi sunt, causas audire, &c. Clericos ordinare, Chrisma conficere, &c., exercere non potest ante receptionẽ pallij: Ratio, quia pallia non vt Episcopus, sed vt Archiepiscopus facit, cùm autem ante receptionem palij, non possit exercere munia Archiepiscopi, sequitur hos actus non posse exercere extrà Prouinciã. Inuitatus ab alio Episcopo, omnia Pontificalia exercere potest, etiamsi pallium non receperit.

4 In-

4 Insignia Archiepiscopi sũt palliũ, palliũ, autem est vestis candida ex lana aurea cõtexta, circulum habens, humeros constringentem, & duas lineas ab anteriori, & posteriori parte pendentes, & quatuor Crucis signis purpureis distinctam, quorum vnũ habet in pectore, alterum in humero sinistro, tertium in dextero, quartũ in scapulis, cuius vsus, & origo est antiquissima in Archiepiscopis: & ità auctor Rituum Ecclesiasticorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *lib. 1. tit. 10. cap. 5.* Qui auctor addit, pallium peti, hac verborum formula, *Ego, &c. electus Ecclesiæ, &c. instanter, instantiùs, instantissimè peto, mihi tradi, & assignari pallium de corpore Sancti Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officij:* & ideò *in cap. Significasti de elect.* dicitur pallium à corpore Beati Petri assumi, non quia super altare Beati Petri benedicendum sit, sed quia significat veluti particulam Ecclesiasticæ potestatis deriuatã ex plenitudine potestatis Pontificiæ, quæ in Beato Petro, & successoribus eius residet: formula verò, qua mittitur pallium Archiepiscopo, hæc est. *Ad honorem Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum D. Papæ, &c. Papæ Ecclesiæ Romanæ sibi commissæ tradimus tibi, &c. Pallium de corpore Beati Petri sumptum in plenitudine Pontificalis Dignitatis, vt vtaris eo intrà Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegijs Ecclesiæ concessis à Romano Pontifice.*

5 Archiepiscopus per priuilegium Sedis Apostolicæ, potest deferre pallium extrà suam Ecclesiam, dummodò Ordinarius illius Ecclesiæ consentiat, nec valet consuetudo etiam immemorabilis absque titulo, seù fama accepti priuilegij, vt Archiepiscopus extrà Ecclesiam, vel in Ecclesijs extrà Prouinciam suam pallio vtatur, quia consuetudo non potest præualere, si est contrà substantiam, seù formam substantialem rei. Forma traditi pallij est, *Vt eo intrà Ecclesiã tua Prouinciã vtaris.* Ergò nõ potest eius vsus extendi, nisi per aliam priuilegij concessionem, seù veram, seù præsumptam cum bona fide; & tempore diuturnitatis.

6 Archiepiscopus non potest suum palliũ alteri accommodare, quia talis gestio est priuilegium personale, quod conceditur personæ. *cap. De auctoritate, & vsu pallij*, cum ordine ad Ecclesiam suæ Prouinciæ. Quòd si Archiepiscopus ad aliam Ecclesiam transferatur, & alius in locum ipsius substituatur, vterque nouum pallium petere debet, quia palliũ, cũ personæ datum sit, non transit ad successorẽ, & personæ datur in ordine ad Ecclesias certas Diœcesis suæ Prouinciæ; ideò Archiepiscopus ad aliam Ecclesiam Metropolitanam transiens, pallium suum defert, non vt eo vtatur, sed vt cum eo sepeliatur.

7 Archiepiscopus non potest absoluere excommunicatos à subdito sui Suffraganei, v.g. ab Archidiacono, &c. cùm eorum non sit Iudex: potest tamen absoluere excommunicatum à Suffraganeis, vel ab eorum Officialibus, cùm ab eo fuerit appellatum. Ità colligitur *ex cap. Venerabilibus de sententia excommunicationis.* Vbi dicitur, quòd excommunicatus ob manifestam offensam, vel contumaciam etiam præsumptã, videlicèt quia citatus præfixo die, non cõparuit, tùnc enim non absoluitur, nisi exhibita satisfactione: Item dicitur, si fuerit appellatum ex legitima causa, vel probabili ad Archiepiscopum, vel eius Officialem, & post huiusmodi appellationem fuerit excommunicatus à Suffraganeis, non statim Episcopum debere pronunciare, excommunicationẽ fuisse irritã, sed ad cautelam relaxare potest, & incipiat causam audire. Item dicitur, si certò constiterit, excommunicationem esse iustã, tunc Archiepiscopus, vel eius Officialis excommunicatum ad excommunicantem remittere debet, nisi periculum sit in mora, nec potest eum absoluere, nisi excommunicator admonitus illum absoluere recuset: si verò cõstet, excommunicationem esse iniustam, tunc potest eum absoluere: si verò dubitetur, vtrùm sit iusta, an iniusta excommunicatio, tùnc Archiepiscopus, vel eius Officialis potest eam relaxare, quamuis honestius aget, si eum remiserit ad excommunicantem; valet tamen relaxatio, vel absolutio, quando Archiepiscopus est Iudex. Ità *in cap. Venerabilibus de sententia excommunicationis.*

8 Iurisdictio Archiepiscopi in Suffraganeos, & eorum subditos multiplex est, vt dictum fuit: Primò, Archiepiscopus debet interuenire in cõsecratione Suffraganei. Secundò, ad consecrationem Metropolitani debent omnes Episcopi Suffraganei interuenire. *cap. Quoniam aliquo. cap. Si Archiepiscopus.* Tertiò, quod Episcopus, qui in Metropolitana non fuit ordinatus, intrà duos, vel tres menses, tenetur accedere ad Metropolitanum, vel si non potest, ei scribere, vt ab eo monitis Ecclesiasticis instructus pleniùs, quæ obseruare debeat, recognoscat. *cap. Cũ longè 63. cap. Si quis dist. 63.* Quartò, iniungere potest Suffraganeis, vt seruare faciant, quæ in Metropolitana seruantur, *cap. Dilectus 2. de simonia.* Quintò, compellere potest Suffraganeos ad faciẽdum id, quod debent, Panormit. *in cap. Si quis contrà Clericum num. 4. de foro compet.* Sextò, posse Suffraganeos excommunicare, interdicere, &c. in casibus, in quibus illi tenentur obedire. *cap. Venerabilis, cap. 1. §. fin. de off. Ordinarij in 6.* Septimò, per negligentiam Episcopi Suffraganei, deuoluitur iurisdictio ad Archiepiscopum. *cap. Pastoralis de off. Ordinarij.* Octauò, licèt Ordinarius Iudex non sit Archiepiscopus subditorum Episcopi, nisi in causæ appellationis, nihilominùs potest exercere iurisdictionem in subditos Episcopi Suffraganei tollendo prauam consuetudinem, & punire poterit deuiantes à consuetudine Metropolitanæ.

† Nonò, Archiepiscopus, vel eius Officiales

possunt mittere quæstores eleemosynarũ per totam Prouinciam pro Ecclesia Metropolitana. Decimò, potest ante se deferre Crucem etiam in locis exemptis intrà Prouinciam. Ità *in Clement. Archiep. de priuilegys*. Vndecimò, intrà quamlibet Ecclesiam suæ Prouinciæ potest vti pallio, *cap. 1. de auctorit. & vsu pally*. Duodecimò, potest benedicere populo per totam Prouinciam, etiam in loco exempto. *Clementina citata*. Item potest concedere Indulgentias per totã Prouinciam *cap. Nostro de pœnit. & remiss.* Decimotertio, potest visitare Prouinciam, & procurationem exigere à subditis Suffraganeorum. *cap Cum Apostolus, cap. Super eo de censibus*. Decimoquartò, potest confirmare electum confirmato ab Episcopo Suffraganeo, si Ecclesia suffraganea vacat, & adsit consuetudo, *cap. Sicut tuis*. Decimoquintò, potest compellere Abbates, & alios Prælatos regulares, vt prædicatio fiat in Ecclesijs Parochialibus subiectis Monasterijs in nulla Diœcesi existentibus, iuxtà decretum *Concily Trident. sess. 24 cap. 16. de reform.* Decimosextò, potest deputare Vicarium in Ecclesia suffraganea, si infrà octo dies mortem Episcopi Capitulum non prouiderit, *Concil. Trident. sess. 24. cap. 16. de reformat.* Decimoseptimò, Archiepiscopus cognoscit in causa appellationis inter subditos Suffraganeorum, ità vt à sententia lata ab Episcopo appelletur ad Archiepiscopum. *cap. Pastoralis de officio Ordinary, cap. Cum causam, cap. Sollicitudinem, cap. Dilectus de appellat, cap. 1. de foro competenti in 6. & cap. Romani de appellat.*

9 Archiepiscopus non potest cum Suffraganeis dispensare in leg. &c. & ità Cast. Pal. *tom. 1. tract. 3. disp. 6 par. 8. §. 3. num. 2.* Pontius *lib. 8. cap. 5. num. 10.* Suar. *tom. 2. lib. 6. de voto cap. 11. num. 3.* Facund in Decalog. *tom. 1. lib. 2. cap 41. num. 14.* Ratio, quia hæc dispensatio non videtur necessaria, quia si dispensatio concedenda est, vel conceditur in legibus ipsius Archiepiscopi, & sic non est necessaria, quia iis non ligantur Episcopi; vel concedenda est legibus Pontificijs, & Cõcilij generalis, & sic nõ est necessaria, quia in illis casibus, in quibus Archiepiscopus potest cum suis subditis, potest etiam secũ dispensare, ergò in nullo casu hæc potestas necessaria est. Ità Palu *loco citato*. Licèt plures sequantur opinionem affirmatiuã: Ratio illorum est, quia Archiepiscopus habet iurisdictionem ordinariam in Suffraganeos, vt colligitur *ex cap. Suffraganeis de elect.* Panormit. *num. 1.* vndè potest illis præcipere, eosdemque negligentes ad officium compellere, & per consequens poterit eum illis dispensare, quia si Suffraganei subduntur Archiepiscopo in odiosis, multò magis in fauorabilibus. Et ita plures apud Merol. *tom. 2. disp. 4. num. 140.*

10 Archiepiscopus non potest dispensare cum subditis Suffraganeorum: Ratio, quia Archiepiscopus habet solùm iurisdictionem ordinariam in sua Diœcesi, & solùm est Iudex in causis Diœcesis suffraganeæ per appellationem ad eum deductis. *cap. 1. de off. Delegati, cap. Duo de officio Ordinary, cap. Pastoralis de eodem tit. & in cap. Nostro de elect.* Tamquàm quid speciale conceditur Archiepiscopo posse indulgentias concedere in Diœcesi suffraganea, & cùm hæc sit specialis concessio, signum est in alijs specialitèr non concessis non posse. Sanch. *lib. 4. Decalog. cap. 38. num. 11.* Syluest. *verbo Votum 4. quæst. 3.* Aragon. *2. 2. quæst. 88. art. 12.* & alij. Verùm si Episcopus Suffraganeus rogatus, dispensationem deneget, poterit Archiepiscopus per appellationem aditus dispẽsare, quia in hoc casu est legitimus Iudex subditorum Suffraganei: sicut etiam potest Archiepiscopus dispensare, quando Episcopus habet iustam causam dispensandi, sed non tenetur, aut nõ vult, quia in eo casu subditus potest adire Metropolitanũ, & ipse potest dispensare, licèt plures teneant opinionem contrariam, sed quod dicimus, tenendum est, vt probabilius, scilicèt non posse, nisi causa ità necessaria sit, vt malè faciat inferior dispẽsationem denegans, idque manifestum sit, quia alio modo negligens non potest reputari inferior, vt loco illius, Metropolitanus subrogetur, ità Cast. Pal. *tom. 1. tract. 3. disp. 6. par. 7. §. 3. num. 2.*

11 Archiepiscopus tempore visitationis nõ habet à iure potestatem dispẽsandi in votis, &c. Subditorum Episcopi Suffraganei, sed solùm habet potestatem audiendi cõfessiones, & absoluendi, &c. Ratio deducitur *ex cap. fin. de cens.* vbi Archiepiscopo tempore visitationis datur solùm potestas ad absoluendum à peccatis, & potestas dispensandi non est necessariò coniuncta cum potestate absoluendi: tùm etiam quia tempore visitationis non potest dimissorias concedere subditis Suffraganeorum, vt docet Franch. *in cap. cit.*, nec etiam dispensare in denunciationibus matrimonij, ergò nec etiam in alijs. Ità etiam Facund. *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 41. num. 8.* Licèt plures teneant opinionem contrariam, vt Auila *de censuris par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 10.* Henriq. *lib. 14. cap. 18. num. 3.* & alij: Ratio, quia Archiepiscopus, tempore visitationis, potest subditos Suffraganeorum absoluere à peccatis, ergò poterit eum ipsis dispensare: antecedens patet *ex cap. fin. de censibus in 6.*

PARAG. I.

Decreta Summorum Pontificum. De Archiepiscopis.

Archiepiscopi, antequàm consecrentur, iurant se limina Apostolorum visitaturos, &c. Sixtus V. *constit. 15. incip. Romanus 13. Kal. Ianuary 1585.*

Archiepiscopi, & Episcopi cuiuscumque Ordinis regularis professores ad suorum ordinum Claustra redeuntes ad eorum officia sumi nequeunt. Paulus IV. *constit. 21. incip. Inter 9. July 1559.*

Decre-

Decreta Sacrę Congregationis Rituum. De Archiepiscopis.

ARchiepiscopus potest ante se Crucem deferri facere, etiã per loca Monachorum Cassinensium suæ Diœcesis *In Theatina 13. Iulij 1613.*

Archiepiscopus translatus ad Episcopalem Ecclesiam potest retinere tantum nomen, siuè titulum Archiepiscopi, non autem vsum pallij, & Crucis. *In Maioric. n. 16. Octobris 1604.*

Archiepiscopus non sedet in Cathedra superiori coram Nuncio, sed inter Canonicos in eminentiori loco. *In Taurinen. 9. Martij 1593.*

Archiepiscopus non potest vti Cruce, nec Mozetta, pręsente Legato *In Ciuitate sub die 10. Decembris 1601.*

Archiepiscopus debet rogare Nuncium, vt populo benedicat, qui hoc remittat Archiepiscopo, vt populus cognoscat dignitatem Apostolicam. *In Taurinen. 9. Martij 1593.*

Decretum S. Congreg. Episc. & Regul. De Archiepiscopis.

ARchiepiscopus non potest iudicare causas vertentes inter Episcopos Suffraganeos S. Congr. Epicop. & Regul. *In Regien. 31. May 1588.*

Decretum Sacr. Congregat. Concil. De Archiepiscopis.

ARchiepiscopus non debet se ingerere in prima instantia causarum, quæ agitantur coram eius Suffraganeo S. Congreg. Conc. teste Zerol. *in praxi Episc. par. 1. verbo Appellatio, vers. Ad decimum.*

TITVLVS VI.

De Episcopis Ecclesiæ Militantis.

SVMMARIVM.

1 *Nomen Episcopi quot modis sumatur?*
2 *An sit Ordo distinctus à Presbyteratu?*
3 *Iure antiquo ad quem spectabat electio?*
† *Ante consecrationem non est propriè Episcopus.*
4 *Prohibitum est sibi eligere Successorem.*
5 *Quæ requirantur in eligendo ad Episcopatum?*

1 NOmen Episcopi est antiquissimum, quod nomen est Græcum, & Latinè perinde est, ac speculator, quia Episcopus, quasi speculator in Ecclesia est, cum mores, & populorum vitam, qui sibi subijciuntur, speculetur, & prospiciat, *cap. Clerus dist. 26. cap. Qui Episcopatum 8. quæst. 1.* Tridentinum, *Sess. 6. de reformat. cap. 1.* Antiquitus varijs nominibus Episcopus appellabatur, nimirum summus Sacerdos, Sanctissimus Papa, Pontifex, Antistes, Præsul, Pastor, Legatus, Angelus, Columna Ecclesiæ, Præco Dei, Thronus Dei, Diœcesanus, Ordinarius, Sal Terræ, Lucerna super candelabrum, Ciuitas suprà montem, animarum Medicus, Vicarius Christi, Particularis Pater pauperum, Procurator illorum generalis, Iudex corporũ, & animarum, Minister Dei, Pater spiritualis, Reuerendissimus, Religiosissimus, &c.

2 Cùm nomen Ordinis dupliciter sumatur, Primò, vt est nomen officij, gradus, dignitatis, administrationis, & potestatis in conferendis Sacramentis; Secundò, vt est nomen potestatis in Eucharistia consecranda, & offerenda, si Ordo primo modo sumatur, Episcopus altum Ordinem habet, quàm Sacerdos, cùm in superiori Dignitate, Officio, & Potestate sit constitutus; si posteriori modo, vera est opinio dicentium, Episcopum non habere ordinẽ à Presbyteratu distinctum, cum non habeat superiorem auctoritatem in consecranda Eucharistia Domini nostri Iesu Christi; & idcircò Characterem in Episcopatu non esse distinctum à Charactere Presbyteratus, nec in Episcopo imprimitur nouus Character, iuxtà D. Thom. *in 3. p. dist. 24.* Ratio, quia simplex Sacerdos habet duas potestates, Sanctissimum Corpus Domini Nostri Iesu Christi consecrandi, & illud pro viuis, & mortuis offerendi; & auditis Pœnitentium confessionibus, eos à peccatis absoluendis, ita & Episcopus.

3 Iure antiquo, electio Episcopi spectabat ad Clerum, seu Collegio Clericorum, quæ lex, Romanorum Pontificum auctoritate, est abrogata, & Ius nominandi, & designandi, offerendi, & præsentãdi Episcopos extat apud plures Principes, qui assensu Pontificis habent Ius præsentandi, nominandi, &c. ad Archiepiscopatus Episcopatus, illius Regionis, Electus in Episcopum prius, quàm consecretur, non est propriè Episcopus, sed tantùm potest dici electus in Episcopum.

4 Prohibitum est *in capite Episcopo 7. 2. & cap. Plerique, cap. Mores, cap. Apostolica 8. quæst. 1.* ne Episcopus possit sibi eligere successorem: Ratio, quia noluit Ecclesia, vt Dignitates Ecclesiasticæ in morem ciuilem transmitterentur.

5 In eo, qui eligitur Episcopus, Primò, requiritur integritas vitæ: Secundò scientia, & rerum peritia, quia præconis officium suscipit, qui ad Prælaturam accedit, *cap. Sit Rector dist. 43. cap. Inter cætera:* Tertiò requiritur fortitudo, atque animi magnitudo, & constantia, cùm aliquando oporteat Potentibus resistere, & Viros potentes castigare: Fortitudo, quæ requiritur in Episcopis, duas conditiones debet habere, Prima, vt nec precibus, nec timore animum à rectâ sui muneris executione deflectat, quamuis vitæ discrimen immineat; Altera in displicentia rerum humanarum, ita vt nihil aliud quàm Deum respiciat, ac habeat tolerantiam, tribulationum, aduersitatum, à quibus Dei servi impetuntur: Quartò Episcopus debet ingniri

gniri Prudentia: Vltimò requiritur, esse, iuxtà D. Paulum *in epist. 1. ad Timoth. cap. 3.* irreprehensibilē, vnius Vxoris Virum, sobriū, prudentē, ornatū, pudicū, hospitalē, Doctorem, non violentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, nō cupidum, &c. Et ideò Episcopus debet esse studiosus Christianæ perfectionis, & contemptor rerum mundanarum, &c. Debet amare suam Ecclesiam, tamquàm Sponsā, non transferēdo in aliam suum affectum; Regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo; debet studere ædificationi Populi, iuxtà illud Pauli *ad Corinth. cap. 2. Christi bonus odor sumus Deo, & ijs, qui salui fiunt, & ijs, qui pereunt:* Debet in Domo sua excipere non modò familiares, sed etiam peregrinos, Aduenas, atque pauperes: Debet administrare Verbum Dei, imbecillos fouere, &c.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Ad quem spectabat confirmatio, quando Episcopi eligebantur à Clero, &c.*
2 *Episcopus confirmatus, sed nondum consecratus habet ea, quæ sunt Iurisdictionis.*
3 *Licèt non possit exercere ea, quæ sunt Ordinis; potest tamen ad id delegare.*
4 *Episcopus electus, infrà quos menses debeat petere confirmationem.*
5 *In eadem Ciuitate an possint esse duo Episcopi?*
6 *Episcopus confirmatus contrahit cum sua Ecclesia vinculum matrimonij.*

1 QVando Episcopi eligebantur simùl à Populo, & Clero, vel quando eligebatur à Clero, & à Populo non nominabatur, tunc Archiepiscopi, siuè Metropolitani, aut Primates, vel Patriarchæ eos confirmabant, Ita *cap. Plebs: cap. Nosce. cap. Episcopus. cap. Litteras, dist. 63.* Item quando à Collegio Canonicorum eligebantur, à Metropolitano etiam confirmabantur, *cap. Quoniam dist. 10. cap. Nosti. cap. Transmissam, de elect. cap. Cum ex illo de Translatione.* Nunc verò, quamuis vetere more, & vsu retento, Canonicorum Collegia in aliquibus locis Episcopos eligant, Romanus tamen Pontifex electos confirmat: similiter etiā vbicumque Reges, & Principes nomināt Episcopos, designant, & offerunt; Romanus Pontifex eos instituit, atque ita post electionem Episcopi à Collegio Canonicorum factam, &c., requiritur confirmatio, quæ fit Romani Pontificis auctoritate: Nominationem verò, & præsentationem factam à Patrono, sequitur institutio, eiusdem Romani Pontificis auctoritate facta. Ad Romanum itaque Pontificem quatenùs est à Christo toti Ecclesiæ Præfectus, & vt Pastor, & vt ipsius Christi Vicarius, iure pertinet Episcopos creare, vel nominando, eligendo, vel constituendo, vel confirmando, vel simpliciter Ecclesijs præficiendo, & totam eorum curā, & administrationem conferendo: Potest tamen alijs concedere, vt Episcopos eligant, vel nominent, & designent; imò etiā vt nominatos, & designatos à Patronis instituant, electos à Collegijs Canonicorum confirment, & absolutè simpliciter creent.

2 Episcopus postquàm Canonica Institutione confirmatus, nondum tamen cōsecratus est, iure communi habet ea, quæ sunt Iurisdictionis, non quæ Ordinis; Vndè potest excommunicare, suspendere, & interdicere, visitare, corrigere, & punire, Synodum conuocare, beneficia conferre, Ecclesias minores coniungere, & diuidere, Voti, & Iurisiurandi vincula soluere, constitutiones ponere, causas audire, & cognoscere, quorumdam peccatorū absolutionē sibi reseruare, Nam *ex cap. Transmissam, & ex cap. Nosti, & cap. Qualiter. & cap. Nihil est de electione*, apertè colligitur, Episcopum Canonicè confirmatum, potestatem Iurisdictionis, non ordinis nancisci, quod, vt ait Panormit. *in cap. Inter corporalia, de Translat.*, locum habet in Episcopo electo, & confirmato, quamuis Sacerdos non sit, quia nihil impedit, quo minùs in eo, qui Presbyter non est, sit Episcopalis iurisdictionis potestas.

3 Episcopus electus, & cōfirmatus, quamuis non possit exercere ea, quæ sunt ordinis, sed solùm quæ sunt iurisdictionis; potest tamen id alteri Episcopo committere; & ita Abbas *in cap. Suffraganeis, de elect. in 6.*, & *in cap. Cum ex illo, de translat. Episcopi.* Vndè quāuis non possit Clericos suos ad Sac. Ordines promouere; potest tamē alteri Episcopo cōmittere, vt ei Sacros Ordines conferat; Similitèr tametsi Archiepiscopus nondùm consecratus suum Suffraganeum consecrare non possit; potest tamen alijs Episcopis facultatem concedere, vt eum consecrent, vt colligitur *ex cap. Suffraganeis, de elect.* Pari ratione, nequit Chrisma conficere, pueros Baptismate ablutos confirmare, templa, vasa, & altaria consecrare; tamen potest Episcopo consecrato facultatem date, vt hęc in sua Diœcesi faciat, Nam ipse non dat alijs Episcopis, cum hæc committit, potestatem Ordinis, quam re vera non habet; sed solùm tribuit facultatem, vt alij Episcopi in ijs, qui sunt ipsius potestati subiecti, ea, quæ sunt Ordinis, exequantur, atq; idcirò solùm alijs Episcopis Clericos, vel Laicos, vel Ecclesias suas subijcit.

4 Electus Episcopus, intrà tres menses debet petere confirmationem: Vndè *in cap. Quam sit de elect. in 6.* sic habetur, *Cæterum quamuis electus, intra tres menses post consensum electioni præstitum, confirmationem electionis ipsius petere non omittat:* Quòd si non petierit intrà tale tempus, si nullum iustum adsit impedimentum, electio penitùs erit inanis, etiamsi posteà consensum præstet electus: Sed cùm interdùm eueniat, vt aliquorum locorum vicinitas breuius tempus exposcat, *In cap. Cupientes, de elect. in 6.*, constitutum est, vt electus, cuius confirmatio ad Romanum Pontificem spectat, infrà mensem à die, quo electioni consensum, præstiterit,

titit, ad Sedem Apostolicam iter arripiat, & quò citiùs commodè poterit; coram Romano Pontifice se sistere conetur; confirmationem petiturus.

5 In eadem Ciuitate possūt esse duo Episcopi æquè pares, quamuis vnus possit esse Vicarius alterius, vel adiutor; quod tamē debet intelligi de iure communi: at quia Romani Pontificis potestas est iuris Canonici auctoritate Superior; potest in eadem Ciuitate duos Episcopos constituere, cùm hoc non repugnet iuri naturali, aut Diuino, cùm possint duo in eadem Ciuitate habere iurisdictionem æquè cōmunem: Quod si dicatur, inter Ecclesiā, & Præsulem, contrahi matrimonium; & per consequens vnius Sponsæ non possūt esse duo Viri, Azor. respondet, in hac parte nō esse idem iuris de coniugio Spirituali, quod de Corporali, quia Ius Diuinum, & naturale, quod præcipit, quod Vxor sit vnius Sponsi, non præcipit, vt vna Ecclesia vni tantùm Autistiti subijciatur, *p.2.lib.3.cap.29.quæst.13.*

6 Episcopus confirmatus contrahit cum sua Ecclesia vinculum matrimonij spiritualis; & ideò ad aliam Ecclesiam transferri non potest, nisi de licentia Summi Pontificis: Cęteri verò inferiores Prælati, quia non contrahunt vinculum matrimonij cum Ecclesia, idcircò ad aliam transferri possunt, Item Episcopus sine licentia Summi Pontificis, non potest renunciare suam Ecclesiam, quæ absque iusta causa concedi non solet: Item absque licentia, non potest profiteri Religionem: Similiter si Episcopus vtilis suæ Ecclesiæ Religionem ingressus, vel professionem voueat, vt propriæ saluti meliùs vacare possit, omninò irritum est Votum, cùm non sic de re meliori: Si verò ob infirmitatem, vel aliam causam, suæ Ecclesiæ parùm censeatur vtilis, eius cessio admitti potest, & Votum censetur validum, assignata illi congrua portione ex redditibus Ecclesiasticis. *Cap. Quamuis 14. causa 7. quæst. 1.* Sotus *lib. 10. de iust. quæst.2. art.4.* Valentia *tom.3.disput.* *quæst.3.p.4.*

P A R A G. II.

S V M M A R I V M.

1 Per quæ Crimina Episcopus debeat cedere Episcopatum?

† An per malitiam, seu inobedientiam plebis?

2 Episcopus, qui cessit Episcopatum, potest eligi ad alium.

3 Episcopus an possit eligi sine titulo?

4 Episcopus confirmatus potest concedere Indulgentias.

5 Episcopus electus infra quot menses debeat consecrari, & à quo?

6 Qua die debeat fieri consecratio?

7 Qui in die Sabbati Sacerdotium accepit, potest sequenti Dominica in Episcopum ordinari.

1 CRimina, per quæ Episcopus debet Episcopatui cedere, sunt Simonia, idest si fuerit Simoniacè electus: Item si quis in excommunicatione occulta, suspensione, vel irregularitate sit institutus, sublato impedimento, per eum, qui potestatem absoluendi, aut dispēsandi habet, eo ipso titulum inualidari, non improbabiliter, aliqui sentiunt apud Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 7. num. 12.*

† An Episcopus debeat Episcopatui cedere ob malitiam, seu inobedientiam plebis, Respondeo nōn ob quamlibet malitiam, seù culpam. *cap. Nisi quidem, §. propter malitiam, de renunciatione:* Sed si ità pertinacitèr se opponat, & à Pastore abhorreat; tunc cum licentia Summi Pontificis, potest Episcopatui cedere.

2 Episcopus, qui Episcopatui cedit, potest eligi ad aliam similem Cathedralem Ecclesiam, dummodò aliud Canonicum impedimentum non habeat: etiamsi factus fuerit Religiosus, potest eligi ad similem Cathedralem, vel ad eundem Episcopatū, quem deserit, *cap. Quod Translationem 11. de renunciatione;* Et multo magis potest consequi beneficium minoris dignitatis; etsi fuerit factus Religiosus, potest eligi in Abbatem Episcopum; nā qui in manibus Papæ renunciauit, præsumitur tantùm renunciasse regimini, & non Dignitati, quia Pontifex solet renunciationem acceptare, ita vt potestatem Ordinis derelinquat, nisi quis ob crimen renunciauerit, quia tùnc præsumptio est, Ordinis executione, seù dignitatem Episcopalem ipsi ablatam esse: Si verò quis sponte renunciauit, & dignitatem, & regimen, renunciasse censetur; licèt possit posteà conferre primam tonsuram, & Ordines minores, corporalia, & Vasa Sacra consecrare, &c.

3 Episcopus non potest constitui sine vllo certæ Ecclesiæ titulo; quia constat, *ex cap. Corporalia de Translatione*, inter Ecclesiā, & Episcopum, coniugium spirituale contrahi; Tum etiam; quia in Episcopo est potestas iurisdictionis, & Ordinis, quæ nō potest exerceri, nisi in subiectos, licèt plures sentiant, Episcopum id facere posse. Ità Hostien. & Abbas. *in cap. Inter corporalia*, quia Episcopus potest creari cum sola potestate Ordinis; Et sicut Episcopus, qui est electus, & confirmatus, habet potestatem iurisdictionis, & non Ordinis, nihil impedit, quò minùs ordinetur, & consecretur Episcopus, accepta tantùm ordinis potestate, & nò iurisdictionis, sicut is, qui iuri cedit, manet cum sola potestate Ordinis, sine iurisdictione.

4 Episcopus confirmatus, ante consecrationem potest concedere Indulgentias; Ità D. Thom. *in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 3.* Panorm. *in cap. Suffraganeis num. 3.* & Calderin. *in cap. Accedentibus, de excessibus Prælatorum*, quoniam hæc potestas non est Ordinis, sed iurisdictionis; & Episcopus confirmatus potest iure communi obire, quæ sunt iurisdictionis, antequàm sit possessionem adeptus. Ità Innocent. Hostien. & Io. Andreas, quos Panormit. refert *in cap. Transmissam de elect. num. 3.* Licet Anacharamus Archidiaconus, Dinus, & alij sentiāt contrarium, nimirùm, non posse Episcopum exequi, quæ sunt iurisdictionis, nisi possessionem sit consequutus; sed prior senten-

sententia est probabilior, & in praxi.

5 Episcopus electus, & confirmatus debet intrà tres menses à die electionis, consecrari, Ita *cap. Quoniam dist. 75.* nisi legitimũ subsit impedimentum; & si intrà tres alios menses id non compleuerit, Ecclesia Episcopus est ipso iure priuatus. Concilium Trident. *Sess. 7. de reformat. cap. 9.* Bertachinus *de Episcopis tract. 2. lib. 3. quæst. 1.* Grasfius *in aureis decis. p. 1. lib. 2. cap. 97.* Reginald *lib. 32. tract. 2. num. 58.* Campanil. *in diuersorio iur. Can. rubr. 6. cap. 6. num. 9.* Molph. *in Sum. Theol. moral. tract. 6. cap. 7. num. 47.* & alij. Consecratio debet fieri à Metropolitano Episcopi electi, cuius futurus est Suffraganeus, *cap. Episcop. dist. 24.*, & præsentibus alijs eiusdem Prouinciæ Suffraganeis, *cap. Ordinat. 2. dist. 64.* Sed si Metropolitanus fuerit impeditus, id alteri Episcopo committere potest, *Cap. Quod Sedem de offic. Ordinarij*; Et consecratus sic absente Metropolitano, debet eum intrà duos menses visitare. Nam si inconsulto Metropolitano, consecratio Episcoporum Suffraganeorum fiat, ipsi non reciperẽt executionem, *cap. Placet dist. 65.*; & ideò Episcopus nõ est ordinandus, sine consensu, & præsentia Metropolitani, & Comprouincialium etiam Episcoporum, qui si non possunt adesse, consensum suum saltem litteris exprimere debẽt. Ità Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 30. quæs. 3.* Comitol. *respons. mor. lib. 1. quæst. 48. num. 13.* Barbosa *de offic. & potestate Episcopi p. 1. num. 1. cap 5. num. 5.* & alij.

6 Die Dominico debet fieri consecratio Episcopi, *cap. Qui in aliquo dist. 55. Cap Ordinat. Cap Quo die Dominico dist. 75.* Layman. *in Theol. mor. lib. 5. tract. 9 cap. 8. num. 3.* licèt de licentia Summi Pontificis, alio die festiuo fieri possit; fieri tamen debet præuio ieiunio, & in Missa, in qua inter Epistolam, & Euãgelium consecratur, *cap. Quod sicut, §. de eloct.* Quæ Missa non de necessitate, sed solùm ad solennitatem, & reuerentiam fuit instituta. Henriq. *in Sum. lib. 10. cap. 34. §. 3.* & alij. Regulariter consecratio debet fieri à tribus Episcopis, licèt auctoritate Papæ possit fieri, iustis de causis, ab vno Episcopo, cùm non sit de iure Diuino, sed humano, vt cõsecretur à tribus Episcopis.

7 Qui in die Dominico Sacerdotium accepit, potest in sequẽti Dominica in Episcopum consecrari. Gloss. 1. *in cap. Quod à Patribus dist. 75.* Innocent. *in cap. Litteras,* Syluest. *in Sum. Verbo Ordo,* Angel. *eod. Verbo 6. num. 2.* Henriq. *in Sum. lib. 10. cap. 12. §. 2.* Layman. *lib. 5. tract. 9. cap. 8. num. 6.* & alij. Ratio, quia contrarium nullibi prohibitum inuenitur. Licèt aliqui dicant, non peccare mortalitèr Episcopum, si consecretur in peccato mortali, tamen probabilior est sententia dicentium, peccare mortalitèr: Ratio, quia per consecrationem, potestatem Ordinis suscipit; quæ est facultas quædam conferendi Sacramenta, & accipiendo cum peccato mortali consecrationem, facit contrà Sanctitatem Sacramento debitam: Ita Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 30. quæs. 1.*

PARAGR. III.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potestatem ordinis à quo habeat?*
† *Episcopatus an sit de Iure Diuino.*
2 *Officium Episcoporum in quibus consistat?*
3 *Quod nam sit officium Episcopi circà fidem?*
4 *Circà ea, quæ spectant ad diuinorum celebrationem?*
5 *Officium in pascendis ouibus, in quibus consistat?*
6 *Quædam competunt Episcopo ratione ordinis, quædam ratione iurisdictionis, & alia ratione dignitatis.*
7 *Episcopus non potest ferre irregularitatem.*
8 *In sua Diœcesi habet merum, & mixtum imperium.*
9 *Non potest ferre censuras contra subditos extrà territorium delinquentes.*
10 *Non potest suspendere effectum censurarum.*
11 *Potest per suum Vicarium absoluere à censuris Papæ reseruatis.*
12 *Potest absoluere subditum existentem in aliena Diœcesi.*
13 *Episcopus quando possit absoluere à casibus Papæ reseruatis?*
14 *Episcopus excommunicatus toleratus an possit dare facultatem alteri administrandi Sacramenta?*

1 EPiscopus potestatem ordinis immediatè accipit à Christo, qui eam dat per sacram ordinationem; est enim facultas quædam ad Sacramenta conferenda, quæ Presbyter ministrare non potest: Ecclesia verò sicut nec Sacramenta instituit; sic neque materiam, neque formam, neque ministros ordinarios eorum, ac proindè nec potestatem ea conferendi dare potest, quamuis ministerio Ecclesiæ ministri ordinentur, & consecrentur; in his enim cõsecrandis Christus est principalis auctor; Ecclesia verò administra Christi. Potestatem verò iurisdictionis Episcopus accepit à Pontifice, tamquàm à Vicario Christi, & Petri successore, & ideò tota iurisdictio, quæ est penes Ecclesiarum Antistites, & aliarum Ecclesiarum Præfectos à Romano Pontifice emanat, & pendet: verùm licèt iurisdictio Antistitum pendeat, & emanet à Papa, & per consequens sit de iure positiuo, iurisdictio tamen Papæ in totam Ecclesiam est iuris Diuini à Christo Domino instituta.

2 Officium Episcoporum consistit in duobus, in cultu Diuino, & in pascendis, & regendis ouibus sibi commissis. Officium Episcoporum circà cultum Diuinum, cõsistit in quatuor; Primò, ad ea, quæ fidem, & venerationem Dei concernunt: Secundò, ad Diuinorum Officiorum celebrationem: Tertiò, ad Sacramentorum administrationem: Quartò, ad ea, quę ad harum rerum ministros, & loca Ecclesiastica pertinent.

3 Officium Episcopi circà fidem est curare, vt omnes sibi subiecti suscipiant fidem Catholicam, & vt omnes sciant rudimenta fidei, & ea ritè doceantur: Secundò, vt verbum Dei populo prædicetur: Tertiò, nè verba, & sententię Sacræ Scripturæ ad superstitiones, & sortilegia adhibeantur: Quartò, diuinatores omnes, & sortilegos,

&

& magicam artem docentes, aut exercentes, & superstitionibus operam dantes, è Diœcesibus suis penitus eradicare, hæreticos, & hæreses extirpare: Quintò, noua miracula, reliquias, aut imagines approbare: Sextò, curare, vt vouentes, vota sua Domino reddant, & cum impotentibus dispensare, aut commutare; in quantùm eius facultas extenditur: Septimò, vt festa in Dei, & Sanctorum venerationem ritè, & debitè celebrentur; vt in illis diebus fideles Diuinis intersint, atque à seruilibus, & alijs illicitis operibus abstineant: Octauò, nè Prædicatores prædicent fabulas, aut falsas reuelationes. Barbos. *iur. vniu. Ecclesiastic. lib. 1. cap. 11. à num. 2. vsque ad 23.*

4 Circa ea, quæ spectant ad Diuinorum Officiorum celebrationem, curare debēt Episcopi, vt Officia, & Missæ suis horis celebrentur: Secundò, nè extra Ecclesiam, & locum sacrum Missa celebretur: Tertiò, nè vagis Missas celebrare permittant sine litteris commendatitijs sui Ordinarij. Quartò, curent, vt Parochi diebus Dominicis, & alijs festiuis diebus celebrent, & diebus determinatis sermonē ad populū habeāt. Item est officium Episcopi ministrare Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, & debet vti diligentia, vt reliqua Sacramenta à ministris deputatis cum honore ministrentur, nè aliquid pro administratione accipiatur, & eorum vis, virtus, & effectus a Parochis, suis populis exponantur, & declarentur. Debet Episcopus attendere, vt Clerici in habitu Clericali, & Tonsura incedant, & delinquentes corrigere, iuxtà Sacros Canones: non debet accipere in sua Diœcesi Clericos alterius sine litteris testimonialibus sui Ordinarij: item vacare, vt sanctimoniales saltèm in mense confessionem peccatorum faciant, ac Sacrosanctam Eucharistiam accipiāt, iuxtà Tridentinum *sess. 25. de regularibus.*

5 Officium Episcopi in pascendis ouibus consistit in prædicatione verbi Dei, & subditis docendis, eisque monitis salutis tradendis; & in corrigendis delinquentibus; in eligendo bonos, ac idoneos Rectores Ecclesiarum, & vt cunctis Sacramenta diligentèr, ac promptè, & liberalitèr ministrentur, præcipuè morientibus.

6 Episcopo quædam competunt ratione ordinis, seù consecrationis Episcopalis; quędam ratione iurisdictionis; & quędam alia ratione dignitatis: Primò, modo sunt Chrisma conficere; fontes Baptismatum Chrismate signare; Basilicas consecrare; Ordines Clericis conferre, &c. Secundò, Episcopus habet iurisdictionem ordinariam in tota sua Diœcesi, & in multis casibus delegatam: Ordinaria consistit in subiectione personarum, cuiuscumque sint gradus, & conditionis, &c. tàm in foro consciētiæ, quàm in foro fori, quoad causas, & delicta Ecclesiastica: in Ecclesiasticis verò etiam quoad ciuiles causas. Consistit etiam in dispensatione, & absolutione. Dispensatio, quæ ab Episcopo potest fieri, locum habet in irregularitate, inhabilitate ad officia, & beneficia consequenda, in facultate contrahendi matrimoniū contrà impedimenta canonica: in alijs verò rebus propriè non habet locum dispensatio, sed absolutio, vel commutatio, vt in voto, & iuramento.

7 Episcopus non potest ferre irregularitatem, cùm non possit ferre ius commune. Irregularitas nulla est, nisi sit in iure communi expressa. Solus Pontifex potest ferre irregularitatē, cū possit derogare iuri cō. Bonac. *de censuris disp. 7. qu. 1. par. 2. propos. 1. n. 2.*

8 Episcopus in sua Diœcesi habet merum, & mixtum imperium, & licèt directè in Laicos non habeat iurisdictionem; indirectè tamē, & relatiuè ad finem spiritualem, habet Episcopus iurisdictionem *can. 1. & 2. dist. 87. cap. Super quibusdam*, Aufred. *in tract. de potest. Ecclesiastica*: vnde Episcopus potest censuris cogere Laicos ad vendenda victualia tempore penuriæ: item curare, vt legata, etiamsi non sint ad pias causas, executioni mandentur. Ità Panorm. *in cap. Cum esses*, Hostien. *in cap. Ioannes*, & Couar. *in cap. Si heredes*, quia Episcopus debet subuenire omnibus oppressis, & miserabilibus, & destitutis personis, sed testator, qui fecit legata post mortem, est miserabilissima persona, ideò Episcopus eius legata curare debet, vt exequantur.

9 Non potest Episcopus ferre censuras contrà suos subditos delinquentes extrà territorium, quia extrà territorium ius-dicenti non paretur impunè. Filliucius *tract. 11. cap. 5.* Reginaldus *lib. 9. num. 146.*; licèt sententia possit ligare subditos existentes extrà territorium: Ratio diuersitatis est, quia statutum respicit territorium; sententia verò respicit personā; ideò transgrediens statutum Episcopi in locis exemptis, non incurrit excommunicationem latam per statutum, quia huiusmodi locus censetur extrà iurisdictionem Episcopi, cùm solùm dicatur esse in Diœcesi materialitèr, sed non formalitèr.

10 Non potest Episcopus suspendere effectum censurarum, cùm non possit dispensare in iure communi, nisi speciale priuilegium habeat, vel nisi consuetudo hoc permittat; ad solum enim Pontificem spectat suspendere effectum censurarum, cum sit suprà ius humanum.

11 Episcopus potest absoluere à censuris Papæ reseruatis, non modò per se, sed etiam per Vicarium ad id specialitèr deputatum. Ità Trident. *sess. 24. cap. 6.* & Capitulum, Sede vacante, & alij habentes propriam Diœcesim cum iurisdictione quasi Episcopali. Sanch. *in sum. lib. 2. cap. 11. num. 8.* Suar. *de censuris disp. 41. sect. 2.* Clauis Reg. *lib. 6. cap. 11. n. 33.* Auila *par. 7. disp. 10. dub. 6.* Henriq. *lib. 6. cap. 16.*: quæ absolutio habet solùm locum in foro conscientiæ, & in propria Diœcesi, vt *ex Trident. citato*, & docet Henriq. *lib. 14. cap. 20.* Auil. *par. 9. disput. 10. dub. 6.* Rodriq. *in sum. 2. par. cap. 68. num. 2.*

12 Episcopus existens in propria Diœcesi, potest absoluere suum subditum existentem in aliena Diœcesi, cùm absolutio à censu-

censuris possit absenti conferri, & Tridentinum nō requirat, vt subditus sit in Diœcesi. Sanch. *loco citato de Censuris num.17.* Coninch. *disp.14.num.149.* Delicta habentia annexam censuram Papæ reseruatam, debēt esse occulta, vt ab Episcopo absoluantur, quia si publica, & notoria, non poterit absoluere, nec si fuerint deducta ad forum contentiosum, etiamsi vno tantùm teste probentur. Tridentinum citatum, Henriq. *lib.4.cap.7.* Sanch. *lib.8.de matrim.disp.34 num.11.* Auila *2. par. cap.21.disp.1.dub.11.* Verùm si in judicio non fuerint probata, sed à Iudice fuerint absoluta, possūt absolui; quia perindè est, ac si non fuissent deducta, cùm non fuerint probata. Henriq. *lib 24. cap.7.* Molin. *tract 3.disp.79.* Sāch. *lib.2.de matr. disp.27.num 12.* Potest tamen absoluere eum, qui in loco, in quo commorabatur, commisit delictum Papę reseruatum, & posteà mutauit domicilium in loco, vbi delictum est occultum, quia re vera, in illa Diœcesi censetur occultum. Sanch. *lib.2.de matrim. disp.27.num.12.* Auil. *par.2.disp.2.num.7.*

13. Episcopus potest absoluere habentem impedimentum legitimum, propter quod Papam non potest adire, etiamsi possit recurrere ad Legatum. Henriq. *lib.6.cap.16. num.1.* Guttier. *de matrim.cap.19.num 8* Auila *loco citato*, Reginald. *lib.1. num 138.* Et licèt Pontifex possit absoluere per nutus, & signa, non tamen potest Episcopus eo modo absoluere. Sanch. *de matrim. lib.8 quæst. 4. num. 24.* Suàr. *disput. 7. sect. 9. num.13.* Filliuc. *cap.11 quæst.8.*

14. Episcopus excommunicatus toleratus validè potest concedere facultatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ: secùs vero, si sit excommunicatus vitandus: Ratio, quia concessio talis facultatis est actus iurisdictionis, quo non priuatur excommunicatus toleratus, sed solùm vitandus. Bonac. *de censuris disp.2.par.5.num.5.* quod etiam dicendum est de collatione beneficij. Bonacin. *loco citato.*

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest cognoscere de crimine sollicitationis.*
2 *Potest absoluere ab hæresi occulta in foro conscientiæ.*
3 *Non modò per Vicarium, sed etiam per alium specialitèr deputatum.*
4 *Non potest excommunicare Imperatorem, Reges, &c.*
5 *Quando possit absoluere ab excommunicatione publica Papæ reseruata?*
6 *Archiepiscopus non potest absoluere ab excommunicatione, &c subditos Episcoporum sua Prouincia.*

1 EPiscopi possunt cognoscere de crimine sollicitationis, post Bullam Gregorij XV., vt clarè apparet ex verbis Pontificis in ipsa Bulla, vbi ità dicitur, *Et prætereà omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, &c. in suis Diœcesibus, & territorijs per has nostras litteras, etiam priuatiuè quoad omnes alios specialitèr, ac perpetuò Iudices delegamus, &c.* Et hanc sententiam tuentur plures citati à Diana *par.1.tract.4.de renunciationibus resol.29.*

2 Episcopus, virtute Concilij Tridentini, potest absoluere hæreticum occultum in foro conscientiæ ab excommunicatione. Ratio est, quia in Bulla Cœnæ non fit expressa mentio Concilij Tridentini, quod est necessarium, vt illi censeatur derogatum. Ita plures citati apud Barbos. *de potestate Episcopi p.2 allegat 40.* Et apud Dianam *p 1. tract. 5. resol. 2.*, Neq; valet dicere, Pium V., & Gregorium XIII. cum Clemente VIII. contrarium declarasse, quia, vt docet Facund. *de præceptis Ecclesiasticis*, de illis declarationibus authenticè non constat.

3 Episcopus non modò per seipsum, & per suum Vicarium, sed etiam per alium Confessarium specialiter deputatum, ab hæresi occulta potest absoluere. Ita Henriq. *lib. 6 cap 14. num.7.* & alij, apud Sanch. *tom.1. lib.2.cap.11. num.23.* Et non modò potest Episcopus Sacramentalitèr absoluere, sed etiam extrà confessionem, quia in foro conscientiæ non intelligitur forum Sacramentale, audita Sacramentali confessione, sed tantùm denotatur, vt absolutio pro foro externo non prosit, si contingat, hæresim in iudicium deduci; Ita Homobonus, *de Examine Ecclesiast. p.2. tract. 5.cap.5.quæst.31.* & alij.

4 Episcopus non potest excommunicare Imperatorem, Reges, Principes, &c., non solùm propter reuerentiam, quę iis debetur, sed quia de Iure nouo, & priuilegio à Sſmo Pontifice, Imperator, Reges, Principes, &c., non possunt ab Episcopo excommunicari; & ita Layman. *in Theolog. morali lib. 4. tract 6.cap.16.num.4.* & alij. Verùm tale priuilegium non extenditur ad Consiliarios, quia est personale, Imperatoribus, Regibus, &c. concessum, propter eorum reuerentiam; quod motiuum concessionis in Consiliarijs non reperitur.

5 Episcopus non modò potest absoluere ab excommunicatione Papæ reseruata, quando delictum est occultum, virtute Concilij Tridentini *Sess 24.cap.6.*, sed etiam ab excommunicatione publica, & alia quacumque Papæ reseruata, quando excommunicatus laborat lōga infirmitate, etiam non periculosa, senectute, aut alio impedimento, quod iuxtà Viri prudentis arbitrium, existimetur legitimum: vel quando delinquēs est fœmina, vel impubes; in his enim casibus, non præsumitur, Summum Pontificem absolutionem reseruare cum tanto incommodo. Ita Henriq. *lib.6.cap.4. num.1.* Sanchez *de matrim lib. 8.disp.34. num.55.* Nauar. *cap.27.nu.99.* & alij: Imò Tanuer. *tom.4.disp.6.qu.10. dub.6.nu.122.* docet, si excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata, propter legitimum impedimentum, Papam, aut alium facultatem habentem adire non possit, Episcopum posse eum absoluere: Quòd si nec Episcopum possit adire, Parochus, eoq; deficiente, quiuis approbatus Confessarius: Idem dicendum putat de casibus Episcopalibus, quando ad ipsum non patet

ter recursus. Celestinus *in Compendio Theologiæ moral. tract. 1. cap. 23. num 5.* Ratio, quia par videtur ratio, quoad casus Episcopales; fieri enim potest, vt non minus sit difficilis aditus ad Episcopum, quam ad Pontificem, & adsit nihilominus necessitas celebrandi, vel communicandi.

6 Archiepiscopus non potest absoluere ab excommunicatione, vel aliis censuris Subditos Episcoporum suæ Prouinciæ, sed tantùm suæ Diœcesis, quia non habet in ipsos iurisdictionem. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus potest, quando scilicet sibi facta appellatio ad illum, & cognitum fuit de appellatione, vel quando Episcopus Suffraganeus malitiosè, aut negligenter differt absolutionem, vel quando visitat Diœcesim: In iis tribus casibus à iure, ratione officii, ordinariam habet facultatem ad absoluendum. Suar. *tom. 5. disp. 7. sect. 2.* Henriq. *lib. 13. cap. 22.* Sanch. *in Sum. lib. 2. cap. 12. num. 6.* & alii. Absolutus in articulo mortis ab eo, qui aliàs non poterat, remanet obligatus ad se præsentandū legitimo Superiori, si conualuerit, vt recipiat ipsius mandatum, & Confessarius antè absolutionem extorquere debet promissionem se præsentandi, sublato impedimento, coram Superiore: quod si pœnitens se non præsentauit, quam commodè potuerit, reincidit in aliam similem excommunicationem. Sanch. *in Sum. lib. 2. cap. 13. num. 11.*, imò secundùm alios, extorquendum est iuramentum, & cautio pignoratitia, vel fideiussoria, quando Pœnitens tenebatur ad satisfactionem pecuniariam, & decernitur *in cap. eos, qui de sent. excomm. in 6.*

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, & per se, & per alium potest absoluere ab excommunicatione ob percussionem Clerici, si percussio sit leuis.*

† *Item in aliquibus casibus, quando percussio est enormis.*

2 *Item ab excommunicatione contracta ob duellum, quando delictum est occultum.*

3 *Episcopus suspensus à Pontificalibus, à quibus censeatur suspensus?*

4 *Episcopus quomodo sit suspensus ordinans in aliena Diœcesi?*

† *Item ordinans coniugatum, illiteratum, &c.*

5 *Episcopus conferens ordinem Simoniacè, est suspensus, &c.*

6 *Episcopus qui tantùm renunciauit loco, potest conferre Ordines, &c.*

7 *Suis Subditis potest conferre Ordines.*

† *Qui censeatur Subditus?*

8 *Non potest ordinare habentem pensionem.*

† *Potest ordinare famulantem, &c.*

9 *Episcopus quomodo sit suspensus admittens resignationem contrà præscriptum Bullæ, &c.*

10 *Episcopus alienans bona Ecclesiastica absque debita licentia, est suspensus, &c.*

† *Item ingrediens Monasteria Monialium, &c.*

11 *Potest cohibere peccata Laicorum pœnis temporalibus.*

12 *Potest dispensare in irregularitate circà susceptionem Ordinum, quando delictum est occultum.*

13 *Quando possit absoluere suum Subditum à suspensione perpetua?*

† *Item ab Interdicto locali?*

† *Quando etiam ab Interdicto personali?*

14 *Potest dispensare cum illegitimo ad Ordines minores, &c.*

15 *Quando possit dispensare cum corpore vitiatis?*

16 *Ab irregularitate contractà ab excommunicato celebrando.*

17 *In foro conscientiæ potest dispensare in irregularitate contracta ob hæresim.*

18 *Non potest dispensare in irregularitate contracta causâ belli.*

19 *Quando possit dispensare in irregularitate contracta ex mutilatione, &c.*

† *Non potest dispensare in irregularitate contracta à Iudice causam sanguinis exercendo.*

20 *Potest dispensare cum eo, qui mandauit seruo, vt aliquem fustibus percuteret, sed ipsum occidit, &c.*

21 *Potest cum suis subditis dispensare in irregularitate, quando delictum est occultum.*

22 *Item in irregularitate, quæ oritur ex infamia facti.*

23 *Non potest dispensare in bigamia, &c.*

† *Quotuplex sit bigamia?*

24 *Potest dispensare in bigamia similitudinaria.*

† *Bigamia similitudinaria quæ nam sit?*

25 *Quomodo possit dispensare in irregularitate cum Religiosis?*

1 EPiscopus potest absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, quando percussio est leuis, & non modo per se, sed etiam per alium, *ita cap. Peruenit de sent. excomm.* : Ratio, quia talis potestas est ordinaria; Idcirco potest eam delegare; A percussione

† enormi, & medioeri in pluribus casibus potest; Primus de Clericis Collegialiter viuentibus, qui se mediocri, vel enormi percussione affecerunt, *cap. Quoniam de Vita, & honestate Clericorum, & cap. Peruenit de sent. excommunicationis*; Ita Syluest. *verbo absolutio.* Fillluc. *tract. 25 cap. 2. quæst. 8. num. 139.* Reginald. *lib. 6. num. 232.* Sayrus *cap. 28.* Molin. *disput. 62.* Secundus casus est de Ianitore, aut de Officiale Principis, qui causa sui officii, vel arcendæ turbæ, enormi, aut mediocri percussione, percussit Clericum; *cap. Si vero, de sent. excommunicationis*. Tertius est de habente legitimum impedimentum, propter quod non potest adire Summum Pontificem absque periculo vitæ, *cap. Cutato, de sent. excommunicationis*: Quod autem sit legitimum impedimentum, standum est arbitrio prudentis, cōsideratis circumstantiis personæ, &c., licèt per alium possit mittere, cùm ius non cogat ad eundum per seipsum, sed solùm ad mittendū. Nauar. *cap. 27. num. 90.* Quartus casus est, quando imminet periculum mortis. Quintus, Filii impuberes possunt absolui ab Episcopo, non modo ob percussionem leuem, sed etiam mediocrem, & enormem. Sextus, Mulieres cuiuscumq; gradus, & conditionis possunt absolui, *cap. Mulieres de sentent. excommunicat.* Septimus casus est de existēte

 sub

sub potestate alterius, qualis est Filius-familias, Seruus, &c. Octauus casus est, impotens ad conficiendum iter, vt sunt qui habent capitales inimicitias, senes, pauperes, cæci, &c. Qui habent perpetuũ impedimentum, absolutè possunt absolui; qui verò habent temporaneum impedimentum, debent absolui cum obligatione se præsentandi, eo sublato: quando verò delictum est occultum, potest Episcopus quoslibet absoluere, ex Concil. Trident. *Sess.* 24 *cap.* 6., & docet Reginal. *lib.* 3. *num.* 90. Suar. *de Censuris disp.* 44 *sect.* 2. *nu.* 4. Coninch. *tom.* 2 *disp.* 8. *dub.* 8.

2 Episcopus potest absoluere ab excommunicatione contracta ob duellum, quãdo delictum est occultum. Ita colligitur ex Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 6.; Quod, vt suprà dictum est, à Clemente VIII. nõ videtur abrogatum, cùm nullam faciat mentionem facultatis Episcoporum, aut Concilij Tridentini, cuius mentio necessaria est, vt decretum censeatur reuocatum. Bonacin. *de Censuris disp.* 2. *quæst.* 6. *p.* 2. *num.* 15. Item potest absoluere habentem iustum impedimentum, ob quod Papam non potest adire, cùm possit absoluere in alijs casibus, & non detur ratio, cur in isto non possit absoluere. Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 4. *num.* 2.

3 Episcopus suspensus à Pontificalibus, censetur solùm suspensus ab ijs, quæ concernunt vsum ordinis, qualia sunt confirmare, Ordines conferre, consecrare Ecclesias, &c. Non verò est suspensus ab ijs, quæ concernunt vsum Iurisdictionis, cuiusmodi sunt excommunicare, conferre beneficia, &c. Sicut neque intelligitur suspensus à celebratione Missæ. Et ità communitèr Doctores. Item Episcopus suspensus, excommunicatus, hæreticus, si ordinat, validè ordinat, cùm habeat characterem, quem supradicta non tollunt. Diana *p.* 8. *tract.* 2. *resol.* 2.

4 Episcopus, qui in aliena Diœcesi ordinat sine licentia illius Ordinarij; est suspensus à Pontificalibus, ex Concil. Tridẽt. *Sess.* 12. *cap.* 2. *&* *Sess.* 23. *cap.* 8. Item si ordinat coniugatũ, exceptis casibus in iure expressis. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 17. Item si ordinauit illiteratum, &c. est suspensus à collatione Ordinis Sacerdotalis. *cap. Si quis Episcopus*; Ita Sayrus *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 17. Suar. *disp.* 31. *sect.* 5. *num.* 2.; Licèt aliqui dicant, hanc suspensionem non esse à iure: Similitèr Episcopus conferens primam Tonsuram illiterato, est suspensus per annum à collatione Tonsuræ. *cap. fin. de temp. ordinat.* Sayrus *loco citato num.* 18. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 38. *num.* 3.; Licèt plures dicant, hanc suspensionem non esse in vsu. Illiteratus ad primam Tonsuram dicitur ille qui nescit scribere, & legere. Item si Episcopus conferat Tonsuram puero, qui nondum expleuit septennium, incurrit eandem suspensionem. Suar. *disp.* 21. *sect.* 5. Sayrus *lib.* 4. *cap.* 12. Filliuc. *cap.* 8. *quæst.* 2. *num.* 14.

5 Episcopus, qui confert primam Tonsuram, vel Ordines Simoniacè, est suspensus à collatione Ordinis per triennium; & ex Bulla Sixti V., ab ingressu Ecclesiæ, & à Pontificalibus, quæ in hac parte non fuit reuocata à Clemente VIII., vt ait Sayrus *lib.* 4. *cap.* 12. *nu.* 31. Filliuc. *tract.* 17 *cap.* 8. *quæst.* 4. *num.* 146. Suar. *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 25.

6 Episcopus qui tantùm renunciauit loco, & non dignitati, potest conferre Ordines, si rogetur ab alio Episcopo, quia re vera est Episcopus, licèt renunciauerit loco: Secus verò dicendum est, si renunciauit loco, & dignitati, cùm amplius non habeat executionem sui Ordinis: Minores verò Ordines potest conferre. Ita Magister Candidus *tom.* 4 *disp.* 4. *art* 3. *dub.* 5.

7 Episcopus potest tantùm conferre Ordines suis subditis, ex Concil. Trident. *Sess.* 23. *can.* 8. Subditus potest esse Episcopo quis tripliciter, Primò ratione originis, quia in eius Diœcesi est natus: Secundò ratione domicilij, quia in eius Diœcesi habet animum semper ibi manendi. Tertiò ratione beneficij, quod in eius Diœcesi obtinet: Vndè qui aliquo horum modorum est subditus Episcopi, potest ab eo ordinari. Verùm vt aliquis sit subditus, ratione originis, nõ satis est, quòd sit natus fortuitò in Diœcesi, sed requiritur, quòd sit natus ex Parentibus, qui habeant domicilium in eo loco, vbi natus est, quia si natus erit ex Parentibus ibi peregrinantibus, & aliò pergentibus, non contrahit subiectionem, ita vt possit ordinari; Ita Felin. *in cap. Rodolphus.* Sic natus ex Parentibus, qui versantur in certo loco, negotij causa, habentes alibi domicilium, non cõtrahit subiectionem originis, ita vt possit ordinari. Panormit. *in cap. Rodolph. de rescript.* Sanch. *de matrim. lib* 3. *disp.* 23. *num.* 3. Subiectio domicilij, vt possit quis ab Episcopo ordinari præsumitur, cùm quis in locum aliquem, maiorem partem bonorum transfert, quia ex hac translatione præsumitur velle semper ibi manere: Sola domus emptio, vel alicuius partis bonorũ, non facit domicilium. *l. libertas* §. *sola.* Armil. *verbo Domicilium.* Præsumitur etiam contrahere domicilium is, qui in aliquem locum accedit, intentione semper ibi manendi, (licèt bona non acquirat) quam exprimit signo aliquo externo, vt si protestetur velle semper ibi manere: Si verò intentionem non exprimat, ex decem annorum habitatione, præsumitur assumptũ domicilium. Accursius *in l. heres absens,* §. *proindè.* Bursat. *consil.* 36. *vol.* 1. nisi adsit aliquod indicium, ex quo appareret, illum non habere intentionem permanendi. Bartol. *in l. Quæsitum, ff. de l.* 3. Vnde Feudatarij possunt ordinari ab Episcopo, in cuius Diœcesi obtinent feudum, etiamsi non habitent ibi, & aubi retineant domiciliũ. Scholares verò non possunt ad Ordines promoueri, etiamsi per decennium in vna Diœcesi commorentur, si retineant animum redeundi in patriam: quando verò aliquis ordinatur ad titulum beneficij, illud debet esse perpetuum. Accugna *de Sacram. Ord.*, & satis est beneficiũ simplex; si

si verò quis ordinetur ob alium titulum, tunc sufficiens est beneficium manuale.

8 Episcopus non potest ordinare habentē pensionem, quia pensio non est beneficiū: potest tamen ordinare familiarem, qui per triennium fuit cum ipso commoratus, ex Concilio Trident. *Sess. 23. cap. 9. de reform.* dummodò beneficium illi statim conferat, & triennium seruitutis fuerit completum, & continuatum, etiamsi inceptum sit, antequàm esset Episcopus, & completum sit dùm erat Episcopus, dummodò familiaris non seruierit Episcopo in Regione longinqua, quia in tali casu Episcopus nō potuit intelligere eius mores: & per consequens non potest illum ordinare: potest tamen ordinare eum, qui seruit illi in Ciuitate extrà domum, quia potuit cognoscere eius mores, Diana *p. 8. tract. 2. resol. 31. & 32.*

9 Episcopus admittens resignationem cōtrà præscriptum Bullæ Pij V. suspensione ligatur, donèc à Summo Pontifice absoluatur. Filliuc. *tract. 17. cap. 8. quæst. 4. num. 151.* Potest tamen Episcopus recipere resignationes eorum, qui senio confecti sunt, aut valetudinarij, aut corpore impediti, aut citati, vel crimini obnoxij, censuris Ecclesię irretiti, aut non debeant Ecclesię inseruire, seù qui vnum aliud, vel plura Ecclesiastica beneficia obtinuerit, vel qui ad aliud contigerit promoueri: religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, vel ex alijs casibus, qui continentur in constitutione Innocentij III. *de dimittendis Cathedralibus Ecclesijs*: qui etiam ob capitales inimicitias non audent in loco beneficij residere securi; sed nec horum vllus sacro ordine mancipatus, nisi Religionem ingressurus, valeat vllo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliundè ei sit, vndè in vita possit commodè sustentari. Bonac. *de censuris disp. 3. par. 5. §. 2. num. 19.*

10 Episcopus alienans bona suæ Ecclesiæ, vel alterius loci pij absque licentia Summi Pontificis, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ; quòd si, lapsis sex mensibus, non resipuerit, est suspensus. Item ingrediens absque causa Monasterij Monialium, prima vice, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ; secunda vice, suspensionem à Diuinis; tertia ligatur excommunicatione, ex constitutione Gregorij XIII. Similitèr si per se, aut per alium, si sit impeditus, non visitauerit Limina Apostolorum, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, perceptione fructuum, &c. Episcopis Italis, & vicinis conceditur spatium trium annorum; Germanis, Gallis, Hispanis, & cæteris Europæ Episcopis conceduntur induciæ quatuor annorum: alijs verò longiùs distantibus, longius tempus conceditur, ex Sixto V. *in Bulla de visitandis Liminibus Apostolorum*, quam refert Sayrus *lib. 4. cap. 12. num. 33.*

11 Episcopus potest peccata cohibere pœnis temporalibus, modo tamen id non faciat ex auaritia, sed ex necessitate, & ob commodum rerum spiritualium: Ratio, quia in Episcopo, sicut in Summo Pontifice, residet potestas circà temporalia, in ordine ad spiritualia. Ità Molin. *de iust. tract. 2. disp. 29.*

12 Episcopus, quando delictum est occultum, potest dispensare irregularem circà susceptionem ordinum, quià in Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformat.*, generalitèr concessum est Episcopis priuilegium dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto. Neque huic priuilegio derogatur in Bulla Cœnæ, cùm in ea solùm fiat mentio de reuocatione facultatis absoluendi, quæ cadit suprà censuras; & ideò potest dispensare in irregularitate ex furtiua ordinum dispensatione proueniente, si delictum erit occultum, etiamsi materialitèr publicè fiat. Verùm quia nunc temporis, Episcopi solent imponere excommunicationem ijs, qui furtiuè se ordinationi ingerunt, consequentèr nunc ista irregularitas est Papæ reseruata. Item potest dispensare in Irregularitate contracta ab eo, qui eodem die suscepit duos Ordines Sacros, vel Accolytatum cum Subdiaconatu, ex Concilio Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 6.* Henriq. *lib. 14. cap. 6. §. 5.* Auila *de censuris par. 7. disp. 7 sect. 1. dub. 4* Sayrus *lib. 7. cap. 10. num. 36.* Vgolin. *de irregularitate cap. 39. §. 1.* Similitèr potest dispensare in irregularitate proueniente ob administrationem in Ordinibus malè susceptis, si sit occulta. Maiol. *de irregularit. lib. 1. cap. 30. num. 9.*, & alij apud Barbos. *iuris vniuersi Ecclesiastici lib. 1. num. 136.* Item potest dispensare cum irregulari, vt Ordines susceptos exerceat, & alios suscipiat, modò delictum sit occultum, ex Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat.* Bonac. *de censuris disp 7 quæst. 3. par. 6. num. 10.* Barbos. *loco citato num. 139.*; qui à si delictum erit publicum, solum Summus Pontifex potest dispensare, vt accedat ad vlteriores Ordines. Ità Sylu. *de irregular. 9. 8.* Vgolin. *cap. 37. nu. 14.* & alij. Vltimò, potest Episcopus dispensare in irregularitate cōtracta ab eo, qui Ordines susecpit ab Episcopo, qui renunciauit dignitati, modò delictum sit occultum, quia Episcopus, qui renunciauit dignitati, non habet executionem Ordinis, & per consequens nec alteri potest Ordinem conferre. Ità Toletus *lib. 1. cap. 66.* Filliuc. *tract. 20. cap. 7. num. 190.* Reginald. *lib. 30. tract. 2. num. 190.*, quod etiam intelligendum est de eo, qui Ordines suscepit ab Episcopo cēsura irretito, Schysmatico, hæretico, vel degradato.

13 Episcopus potest absoluere suum subditum à suspensione perpetua, etiam lata à Summo Pontifice, modò non sit deducta ad forum contentiosum, *ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat.* Potest etiam absoluere ab interdicto locali *ex cap. Nuper de sent. excomm.*, quia interdictum locale iuris non est reseruatum. Auil. *par. 5. disp. 4. dub. 1.* Reginald. *loco cit. num. 55.* Henriq. *lib. 13. disput. 88. num. 3.* Filliuc. *tract. 20. cap. 7. num. 111.* Ab interdicto personali non potest Episcopus absoluere, nisi delictum sit occultum, quia

tùnc ex priuilegio Tridentini, poteſt abſoluere, ſicut etiam in interdicto perſonali publico poſito à iure, quando non eſt Papæ reſeruatum, *ex cap. Nuper eſt.* Suar. *diſp.* 58 *ſect.* 2. *num.* 125. Si verò à Papa ſit poſitum, Epiſcopus non poteſt diſpenſare, cùm inferior non poſſit diſpenſare in lege Superioris.

14 Epiſcopus poteſt cum illegitimo diſpēſare ad Ordines minores, & ad beneficiū ſimplex; non autem ad maiores Ordines, aut ad beneficium curatum, *cap. Tale coniugio 1. quæſt. 7. cap. 1. De filijs Presbyterorum.* Vgolin. *cap.* 44. §. 2. Non poteſt tamen diſpenſare in tali irregularitate ex delicto occulto, in ordine ad maiores Ordines, &c. quia hæc irregularitas communitèr à Doctoribus connumeratur inter irregularitates ex defectu; tùm etiam, quia licèt delictum ſit parentum, tamen defectus illegitimationis ſe tenet ex parte filiorum, & per conſequens Epiſcopus non poteſt in ea diſpenſare.

15 Epiſcopus poteſt diſpenſare cum corpore vitiatis, ſi vitium ſit leue, cum cauſę cognitione; ſecùs autem, non, ſed pertinet ad Papam. Seraph. *deciſ.* 125. Riccius *in praxi reſol. par.* 2. *reſolut.* 271. Poteſt diſpenſare in habentibus membrum occultum nō ſua culpa abſciſſum; aut etiam manifeſtum, dummodò ipſum non reddat impotentem ad celebrandum. Mirand *in man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 8. *art.* 311. Ad Epiſcopum ſpectat iudicare, an defectus ſit grauis, vel leuis, & quæ notabilis deformitas, vt patet *ex cap.* 10. *De corpore vitiatis.*

16 Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate contracta ab excommunicato, celebrando, quando excommunicatio eſt occulta, licèt celebratio ſit manifeſta, ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* Mirand. *in man. Prælat. tom.* 5. *quæſt.* 8. *art.* 14. Homobonus *de bonis, de examine Eccleſiaſticorum tract.* 12. *cap.* 3. *quæſt.* 13. *reſolut.* 3., etiamſi actus ſit materialitèr publicus, & non formalitèr. Em. Sà *verbo Epiſcopus num.* 35. Sayrus *de cenſuris lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 13. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *diſput.* 34. *num.* 56. Margarit. & Summ. conſcientiæ, *verbo Delictum.* Ratio, quia tùnc delictum excommunicationis neſcitur; quando verò delictum violationis cenſuræ eſt publicum, ſolus Papa diſpenſat. *ex cap.* 1. *de ſent. excomm.*

17 Epiſcopus in foro conſcientiæ poteſt diſpenſare in irregularitate contracta ob hæreſim, ex Trident. *ut.*, & hæc auctoritas non fuit derogata per Bullam Cœnæ Domini. Barbot. *iuris vniuerſi Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 11. §. 7. *num.* 108. cùm in ea ſolùm fiat mentio de reuocatione facultatis abſoluendi; quæ cadit ſuprà cenſuras; non autem de diſpenſatione, quæ circà irregularitates exercetur. Suar. *diſput.* 43. *ſeſſ.* 1. *num.* 7. Sanch. *in opere morali lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 16. In foro fori diſpenſatio ſpectat ad Summum Pontificem. Bonacin. *de cenſuris diſput.* 79. *quæſt.* 3. *par.* 7. *num.* 12.

18 Epiſcopus non poteſt diſpenſare in irregularitate contracta cauſa belli: Ratio, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* tribuit Epiſcopis auctoritatem diſpenſandi in irregularitate, quæ contrahitur ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidij voluntarij. Irregularitas verò, quæ contrahitur ob homicidium cauſa belli factum, cenſetur ex homicidio voluntario, & per conſequens, Epiſcopus non poteſt in eo diſpenſare. Suar. *diſp.* 47. *ſect.* 6. *num.* 12. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 19. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 181. Poteſt tamen diſpenſare in irregularitate cōtracta ob homicidium caſuale, modò delictum ſit occultum: vndè in homicidio contracto ex rixa repentè orta, &c. poteſt diſpenſare, quia tale homicidium cēſetur caſuale, quia eſt factum ad defenſionem propriæ vitæ; niſi fortè tale homicidium, mutata voluntate, non ſit factum ad defenſionem propriæ vitæ, ſed directè per ſe volitum, & intentum in ordine ad vindictam, quia tùnc non reputabitur caſuale, ſed voluntarium.

19 Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate contracta ex mutilatione membri, modò ſit occulta: Ratio, quia Tridētinum concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitate diſpenſandi, quæ conſurgit ex delicto occulto, qualis eſt iſta. Ità Nauarr. *cap.* 27. *num.* 144. Molin. *diſput.* 70. *num.* 19. Eman. Sà *verbo Irregularitas*. Henriq. *in ſumm. lib.* 13. *cap.* 77. §. 1. Toletus *lib.* 1. *cap.* 49. Rodriq. *tom.* 4. *quæſt. Regul. quæſt.* 24. *art.* 10. Suar. *diſput.* 44. *ſect.* 4. *num.* 15. Non poteſt tamen diſpenſare in irregularitate, quam contraxit Iudex, cauſam ſanguinis exercendo: Ratio, quia huiuſmodi irregularitas prouenit ex homicidio voluntario iuſto, & per conſequens Epiſcopus non poteſt in ea diſpenſare.

20 Epiſcopus poteſt diſpenſare cum eo, qui mandauit Seruo, vt aliquem fuſtibus percuteret, ſed ipſum occidit, dummodò ſimùl mandaſſet, nè mutilaret, vel occideret: Ratio, quia homicidium in iſto caſu, reſpectu mandantis, non cenſetur voluntarium, ſed caſuale. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 3 *num.* 7.

21 Epiſcopus cum ſuis ſubditis poteſt diſpenſare in irregularitate proueniente ex delicto occulto. Sanch. *in ſumm. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 5. *num.* 26. Suar. *diſput.* 45. *ſect.* 2. *num.* 3. Secùs verò cum extraneis, vel cum ſubditis Epiſcoporum Suffraganeorum, niſi in caſu viſitationis, aut appellationis, in delicto deducto ad forū contentioſum, quando delinquens ſe purgauit, licèt falſis teſtibus, &c., Epiſcopus poteſt in eo diſpenſare: Ratio, quia tùnc ceſſat ratio deductionis ad forum contentioſum, cùm reducatur ad priorem ſtatū, tùm etiam, quia Concilium Tridentinum, cum excipit crimen deductum ad forum cōtentioſum, intelligendū eſt cum ſuo effectu. Ità Henriq. *lib.* 14. *cap.* 20. Sayrus *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 27. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 37. *num.* 12. Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *diſput.* 79. *num.* 8. Et ideò poſtquàm fuit punitus, non poteſt diſpenſare in irregularitate. Guttier. *lib.* 1. *qq. cap.* 3. Suar. *diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 5. Rodr. 2. *par. cap.* 108.

22 Episcopus potest dispensare in irregularitate, quæ oritur ex infamia facti, idest ex crimine aliquo notorio. Ità Nauar. *in man. cap. 27 num. 204.* Item potest dispensare in ea, quæ oritur ex delicto, in quo habet potestatem dispensandi, Vgolin. *de potestate Episcopi cap. 6. §. 5. num. 3.* Auila *de censuris disput. 4. dub. 6.* Infamia non impedit exercitium susceptorum ordinum, nisi crimen tale sit, vt inducat irregularitatem, quale est homicidium. Azor. *3. par. lib. 6. cap. 7 quæst. 3.* & alij.

23 Episcopus regularitèr non potest dispẽsare in bigamia vera, aut interpretatiua in ordine ad suscipiendos Ordines, vel ad vsum susceptorum, *cap. Super eo de bigamis* nec potest dispensare in ordine ad minores, primam tonsuram, & beneficium simplex, ex Concil. Trident. *sess. 23. cap. 11.* Vera bigamia est, quando quis duas vxores legitimè duxit, & eas carnalitèr cognouit, siue duxerit eas ante Baptismũ, siue post, *cap. Si quis*, Rebell. *lib 3. de matrim. quæst. 2. num. 4* Molin. *tom. 4. tract. 3. disput. 64. num. 4.* Tolet. *lib. 1. cap. 60.* Sayrus *lib. 6. cap. 3. num. 23.* Interpretatiua est, quando quis, re vera, non contraxit cum duabus, sed iuxtà interpretationem iuris, censetur cum duabus contraxisse, vt quando coniugatus denouo contrahit cum alia, & cum ea copulam habet; vel quando vnam legitimam quis duxit, & posteà cum alia inualidè contraxit, cum impedimẽto dirimente, & tunc si copula cõsummetur, fit bigamus, bigamia interpretatiua, quia præsumitur bis contraxisse matrimonium. *Cap. Nuper, de bigamis:* item est bigamus bigamia interpretatiua, qui cum duabus inualidè contraxit: Ratio, quia ad effectum iniit duo matrimonia: Ille etiam est bigamus, qui cum fœmina corrupta contraxit, & consũmauit matrimonium inualidum ob aliquod impedimentum, Rot. *decis. 5. de bigamis*. Contingit etiam bigamia interpretatiua, quando quis contraxit, vel cum Vidua, quæ consummauerat matrimoniũ cum priori viro, vel cum alia, quæ fuerat carnalitèr cognita. *cap. Marit. distinct. 32 & cap. Curand. dist. 34.* Si verò Vidua non fuerat cognita à priori viro, non est bigamus, sicut neque est bigamus ducens fœminam, quæ ab alio non fuit cognita, licèt ab ipso fuerit cognita ante matrimonium, quia tùnc caro non separatur, & matrimoniũ non retrotrahitur, & reputatur quasi factũ cùm illa ante primã copulam, atq; contraxit cõtractum cum Virgine. Ità apud Bonac. *de censuris disput. 7. quæst. 2. par. 5.* Contingit etiam bigamia interpretatiua, quando quis contraxit cum Virgine, eamque postquàm adulterata est cũ altero, siue volẽs, siue vi, aut metu, cognouit, *cap. Si enim, cap. si Laici dist. 34.*, cum tale matrimoniũ nõ significet vnionem Christi cum Ecclesia, quæ est vna, & non multiplex, quando non adest recursus ad Põtificem, & necessitas vrget. Episcopus potest dispẽsare in bigamia vera, vel interpretatiua, Henriq. *lib. 12. de matr. cap. 6. §. 11.* Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 86. n. 14.*

24 Episcopus potest dispensare in bigamia similitudinaria, cum eo, qui cõtraxit cum Virgine. Ità Text. *in cap. Sacerdotes, de Clericis coniugatis, & in cap. 1. Qui Clerici* Sanch. *loco citato disput. 86. num. 20.* Riccius *in praxi aurea resolut. 210.* Mirand. *in man. Prælat. tom. 2. quæst. 8. art. 2.* Bigamia similitudinaria contingit, quando quis post votum castitatis solenne, emissum in professione Religionis, vel in susceptione sacrorũ Ordinum, matrimonium contrahit cum aliqua Virgine, vel corrupta, eamque carnalitèr cognouit, *cap. Quotquot 27. quæst. 5. & cap. Nuper de bigamia:* Ratio, quia adstrictus voto solẽni censetur spirituali quodam matrimonio coniunctus cum Christo, & Ecclesia; & si velit celebrare cum altera matrimonium, censetur celebrare duo matrimonia, non quidem vera, sed similitudinaria.

25 Episcopus potest dispensare cum Religiosis in irregularitate, dummodò de licentia suorum Superiorum se illi subijciant. Henriq. *lib. 14. cap. 20.* Reginald. *lib. 30. num. 29.* Sine licentia Superiorum, dispensatio non est impendenda. Molin *disput. 61. num. 3.* Suar. *de Censuris disput. 41. sect. 2. num. 12.* Auila *de censuris 2. par. cap. 7. disput. 5. dub. 6.* Sanch. *lib. 4. cap. 19. num. 3.*

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus quomodo possit dispensare cum illegitimis, &c.*
2 *Non potest dispensare cum censura innodate scientèr recipiente ordines.*
3 *Nec etiam in impedimentis iuris naturæ, quæ impediunt matrimonium.*
† *Quomodo possit dispensare in impedimento dirimente.*
4 *Ex iusta causa, & per se, & per alium, quando possit dispensare.*
5 *Non potest dare licentiam, vt nupta ingrediatur Monasterium.*
6 *Potest Episcopus concedere licentiam, vt matrimonia domi contrahantur.*
† *Item, vt contrahantur ante pubertatem.*
† *Quæ sint causæ remittendi denunciationes.*

1 Episcopus dispensare potest cum illegitimis in beneficijs simplicibus, non autem curatis; nec in dignitatibus Ecclesiasticis, cum eo, qui recepit beneficium de manu Laici, vt valeat illud retinere. Hostien. *in cap. Quisquis de elect. cap. Nuper, de sent. excommunicat.* vt quis obtinens simplex beneficium, quod non sufficiat ad eius sustentationem, possit aliud simile tantùm obtinere, vel vnum curatum, & aliud simplex beneficium: item cum eo, qui propter beneficium, quod obtinet, tenetur infrà annum ordinari, si abesse velit causa studij, *cap. Cum ex eo de elect. in 6.* Rebuff *de priuileg. scholarum priuileg. 36.* Monera *de distributionibus quotidianis par. 2. quæst. 10. num 4.*

2 Episcopus non potest dispensare cum innodato aliqua cẽsura, scientèr Ordines recipiente, cùm solus Papa dispensare possit; *cap. 5. De ordinat. ab Episcopo:* Potest tamen dispensare cum promoto per saltum,

 quando

quando legitimè prætermissum Ordinem suscipit, vt ministret in susceptis, & ad superiores ascendat, quia Concil. Trident. solùm excipit, quando sic ordinatus ministrauit; ergò cessante tali conditione, poterit Episcopus dispensare. Verùm, quia per ordinationem incurritur suspensio; idcircò Episcopus non potest dispensare, sed solummodò Papa. Item dispensatus ad Sacerdotium, non censetur dispensatus ad beneficium curatum, & ad dignitates; Sayrus *de censuris lib. 6. cap. 11. num. 27. & 29.* Garz. *de benefic. par. 1. cap. 6. num. 3.* Campanil. *in diuersor iur. cans. rubr. 11. cap. 13. num. 101.* Similitèr dispensatus ad beneficium curatum, non censetur dispensatus ad dignitates obtinendas Petrus Greg *syntag. iur. lib. 11. cap. 6. num 26.* Azor. *par. 2. lib. 6. quæst. 7.* Item Episcopus non modò potest dispensare cum illegitimis ad ordines minores, sed etiam ad beneficium simplex. Ità apud Barbos. *de offic. Episcopi par. 2. allegat. 45. num. 14.* Item cum eis potest dispensare in Canonicatibus Ecclesiarum Collegiatarum. Barbos. *loco citato* : & cùm nunc temporis requiratur Ordo Sacer ad Canonicatum, ad quē non potest Episcopus dispensare; idcircò nec etiam dispensare potest ad obtinendum Canonicatum in Cathedrali. Ex Tridentino *sess. 14. de reformat. cap. 12.*

3 Episcopus, nec etiam Pontifex regularitèr potest dispensare in impedimētis, quæ iure naturæ impediunt matrimonium, ex eo, quòd multa sequerentur pericula fornicationis; & ideò Episcopus solùm habet facultatem dispensandi in impedimentis iure humano dirimentibus, cùm sit supra quodlibet Ius; & per consequens in eo dispensare potest. Episcopus post contractum matrimonium, potest dispēsare in impedimento dirimente, quando impedimentum est occultum; nec Coniuges possunt separari absque scandalo, neque ad Summum Pontificem patet recursus ob paupertatem, vel locorum distantiam, vel ob alia legitima impedimenta. Valentia *tom. 4. disp. 10.* Coninch. *de Sacram. disput. 33. dub. 3. num. 2.* Syluest. *Verbo dispensatio quæst. 9. v. 15.* Rebell. *quæst. 3. lib. 18. nu. 128* Fernand. *in examine Theolog. p. 3. cap 16. §. 8 num. 1.* Armil. *Verbo dispensatio num. 10.* Henriq. *lib. 22. cap 3. num. 2.* Rodriq. *in Sum. tom. 3. cap. 35. nu. 7.* Ratio, quia non est credibile, Summū Pontificem velle sibi seruare dispensationem in casu tantæ necessitatis; Vndè, per Epichæiam præsumitur Episcopis concessa facultas dispensandi in foro conscientiæ, dummodò fuerit contractum bona fide; si verò mala fide, præsumitur, Pontificem sibi reseruasse dispensationem, & nolle fauere iniquitati contrahentium.

4 Episcopus potest ex vrgentissima causa, & necessitate, dispensare in impedimētis dirimentibus, non solùm per se, sed etiam per Delegatum in foro conscientiæ, quando non dispensando, erit periculum alicuius infamiæ, vel scandali: Ratio, quia impedimentum vt supponitur, est de iure humano, in quo Episcopus, iusta causa, potest dispensare. Sanch. *lib. 8. disp. 12. num 7 & lib 2 disput. 40.* Villabos *in Sum. tom. 1. tract. 14. difficult. 15.* Bonac. *tract. de matrim. quæst 3 p. 5. num. 6.* & alij apud Dianā *tract. 16. Miscel resol. 11* Item potest dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem. Sanch. *lib. 8. disp. 12. num. 16.* Henriq. *lib 11. cap. 15.*

5 Episcopus, non potest dare licentiam, vt nupta ingrediatur Monasterium, cùm Monasteria instituta sint, vt Deo seruiatur; vel etiam vt filiæ in pietate educantur, non autem vt Mulieribus sint Asylum: & ità intelligitur ex quadam declaratione Cardinalium facta Episcopo Salmantino his verbis; *Non licet Episcopis permittere, vel licentiam concedere Mulieribus, vt ex causa litium matrim &c. ingredi Monasteria Monialium, securitatis gratia*; imò ingredientes incidere in excommunicationem à Concilio impositam: & hanc opinionem tuetur Portell. *Verbo clausura num. 2.* licèt Azor. *tom. 1. lib. 3. cap. 8. & 9.* contrarium sentiat.

6 Posita iusta causa, potest Episcopus cōcedere licentiam, vt matrimonia domi contrahantur. Ita Rebell. *p. 2. lib. 2 quæst. 7. num. 11* vbi refert declarationem Cardinalium. Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonia domi celebrentur, seruata Concilij forma, sed cùm maximè deceat, vt in Ecclesia celebrentur, id hor-
† tari debet, sed non præcipere. Item potest dare licentiam, vt matrimonia celebrentur ante pubertatem, ex vrgentissimâ tamen causa: Ratio, quia ius præsumitur concedere facultatem in tali casu. Hen-
† riq. *lib. 11. cap. 13. num. 12.* Item potest concedere licentiam, vt denunciationes remittantur ex iusta causa. Henriq. *cap. 5. num. 5.* Riccius *decis. 258.* etiam si sit Episcopus solùm vnius contrahentis, quia sicut vtrūque potest coniungere in matrimonium; ita cum vtroque potest dispensare, Sanch. *lib. 5. de matrim. disput. 7. num. 7.* Guttier. *de matrim. cap. 46. num. 10.* Reginal. *lib. 31. num. 232.* Quod tamen restringendum est ad Episcopum, in cuius Diœcesi celebrandum est matrimonium, quia cùm habeat iurisdictionem directam, in sibi subditum, indirectam censetur habere circà alium, qui in sua Diœcesi, & cum suo subdito vult contrahere matrimonium. Iustæ autem causæ remittendi denunciationes, sunt; Primò, quando creditur matrimonium impediendum iniustè: Secundò, quando non possunt fieri absque damno priuatorum, aut notabili incommodo: Tertiò, quando tempus, quo nuptię prohibentur, instat; ita vt omnes denunciationes non possint præmitti: Quartò, est notabilis Sponsorum commoditas, modò non timeatur periculum alicuius impedimenti: Quintò, quando Magnates contracturi sunt matrimonium, quia eorum matrimonia sunt valdè publica, & si esset aliquod impedimentum, detegeretur, etiam omissis denunciationibus. Sanch. *lib. 3. disput. 9.* Reginald. *lib. 31. num. 235.* Henriq. *lib. 11. cap. 26.*

cap.26. Riccius *decis.258* Guttier. *cap.37. nu. 3. 4. 5.* Coninch. *disp.27.num.75.*

PARAGR. VII.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare aliquando in legibus Pontificijs.*
2 *Quomodo possit directè secum dispensare?*
3 *Etiam si lex sit lata à Summo Pontifice.*
† *Item Delegatus ad dispensandum quomodo possit secum dispensare?*
4 *An tacendo, &c. censeatur tacitè dispensare?*
5 *Quomodo cum forensibus, & peregrinis possit dispensare?*
6 *Refertur opinio Castri-Palai, &c.*
7 *Potest facultatem dispensandi alijs delegare.*
8 *Non potest dispensare, vt matrimonium contrahatur sine Parocho, &c.*
9 *Potest dispensare in impedimento cognationis, &c.*
10 *In sua Diœcesi an possit impedimenta matrimonij statuere?*
11 *Potest ferre leges pro sua Diœcesi.*
12 *In quibus casibus possit dispensare in iure cõmuni?*
13 *Sine causa non potest dispensare in lege Pontificis.*
14 *An, non admonito Pontifice, possit dispensare.*
15 *In impedimento dirimente, quando non possit dispensare?*

1 EPiscopus potest dispensare in legibus Pontificijs in aliquibus casibus, etiãsi nõ habeat facultatem expressam: Primus est in rebus, quæ frequenter accidunt, vt sunt ieiunia, oratio, auditio Missæ, &c.: In istis potest Episcopus dispensare, quia foret intolerabile in his recurrere ad Papam; quarè est consensus tacitus Pontificis, vt Episcopus, sicut etiam Superior Regularis cum suis subditis dispenset: Secundus est, quando malitia est leuis propter rationem allatam. Tertius, quando materia legis non est communis, sed propria solùm subditorum; In isto casu possunt Prælati dispensare: Ratio, quia cum ea lex sit solùm tradita propter commoditatem subditorum, videtur Summus Pontifex tacitè relinquere relaxationem illius inferiori Prælato. Quartus cum recursus esset valdè difficilis, seù quando occurreret magna valdè necessitas, & periculũ esset in mora; tunc enim præsumpta voluntate Pontificis, posset Episcopus dispensare in lege illius; Item quando leges non sunt communes Prouincijs, sed propriç vnius. Ita Valentia *tom 2. disp. 7. quæst.5 p.9.* Azor. *lib 5. cap.15. quæs. 7.* Licet iste casus à Suar. & Castro-Palao nõ approbetur. Item si consuetudine præscribatur, inferior in lege superioris dispensat: Ratio, quia consuetudo legitimè præscripta, iurisdictionem concedit.

2 Episcopus, qui potest cum alijs dispensare, potest etiam immediatè, & directè secum dispensare: Ratio, quia dispensatio non est actus iurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, & gratiosæ, quæ non exigit distinctionem inter personam dispensantem, & eam, quæ dispensatur; & ideò Summus Pontifex potest secum dispensare in suis legibus. Ita Syluest. *verbo lex, quæst. 14.*, Suar. *lib.6. cap. 12.* Sanch. *lib. 8. de matrim. disp.3. num.6.* & alij. Item Prælati inferiores possunt secum dispensare in legibus, quas ipsi condiderunt: Ratio, quia sicut Summus Pontifex ob supremam potestatem validè potest se à legè eximere, etiam sine causa; Ita etiam Episcopi, & alij Prælati inferiores, cùm plenam potestatem habeant in legibus, quas ipsi condiderunt.

3 Si lex lata sit à Summo Pontifice, potest item Episcopus in ea secum dispensare eo ipso, quòd potest cum subditis. Ita
† Sanch. *loc.cit. num 91.*. Item qui habet potestatem delegatam ad dispensandum cũ omnibus personis alicuius Communitatis, cuius ipse est pars, potest secum dispẽsare directè, & immediatè, quia eadem est ratio illius, & eius, qui habet potestatem ordinariam: Secùs autem dicendum, si haberet potestatem ad dispensandum tãtùm cum aliquibus personis, quia potestas censeretur restricta ad illas, & non posset ad ipsum dispensantem extendi. Sanch. *loc. cit.*

4 Episcopus si videat aliquem, quem scit esse irregularem, celebrare, vel habentem impedimentum, in quo possit dispensare, nihil dicens, aut actui non contradicens, censetur cum eo dispensare. Ita Sotus *in 4.dist.18. quæst.4. art 3.* Henriq. *lib.6. de Excom. cap 3. num. 13.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 35. num. 20.* & alij. Ratio, quia cùm videat Superior agi contrà suam legem; & nihilominùs id tacens permittat, præsumitur, talem actum absque peccato velle permittere; & consequentèr præsumitur in ea lege velle dispensare.

5 Episcopus potest dispensare cum forensibus, & peregrinis, qui intentionem habent habitandi maiorem partem Anni in sua Diœcesi, in legibus iuris communis. Et ita Henriq. *lib.6. cap.14. num.8* Less. *lib.2. cap.40. dub.18. num.121.* Sanch. *lib.3. de matrim. disput. 23. num. 12.* Ratio, quia ratione huius diuturnæ habitationis, contrahit is quasi domicilium, & sortitur forum, vt possit ibi conueniri; & per consequens etiam in rebus spiritualibus sortitur forum, vt possit in iure communi dispensari.

6 Castrus-Pal. *tom.1. tract.3 disput.6 quæst.7. §. 2. num. 5.* loquitur cum tali distinctione, *Aliter de dispensat. in lege municipali, & communi; aliter de dispensatione Voti, iuramenti, &c.* Quia in dispensatione legis municipalis, & cõmunis, forensis potest dispensari ab Episcopo illius loci, sicuti potest quilibet alius subditus, quia ad Superiores illius loci pertinet, vt ibi commorantes legem obseruent, quia aliàs forensis esset peioris conditionis, quàm sibi subditus, cùm subditus possit dispensari, forensis verò non. De dispensatione verò Voti, & iuramenti, aut alterius impedimenti, nullo modo potest, ex habitatione transeunte, acquiri subiectio sufficiens, vt possit à Superiore illius loci dispensari, quia hæc iurisdictio multùm pendet ex consuetudine;

ne; At hæc consuetudo sufficienter declaratur à Congregatione Cardinalium, admittente absolutionem propter eius necessitatem, negante tamen dispensationẽ, quia ita necessaria non est; ergò non debet admitti, vt declarauit Congregatio Concilij *Sess. 24. Trid. cap. 6.* Quia regulariter deficit causa requisita ad dispensationem: Declarationes autem Cardinalium referuntur à Garz. *de benef. p.21.num. 139.*, & à Fatin. *loco citato Concily Trident.*

7 Episcopus potest facultatem alijs dispensandi delegare, cum facultas dispensandi sit ordinaria; & per consequens possit alteri delegari. Sanch *lib.3. disp.70. num.20.* Reginal. *lib.31. num.235.* Gutrier. *cap. 55. num.13.* Coninch. *disp.27. dub.6.num.55.* Itẽ Episcopus potest dispensare in impedimentis non dirimentibus: Ratio, quia consuetudine receptum est, vt talis dispensatio non obtineatur à Papa, sed ab Episcopo. Henriq. *in Sum lib.12. cap.2. §.2.*, Sanch. *de matrim. lib.3. disp.17.num.15.* Vgolin. de potestate Episcopi *cap. 20. §.3.* & alij.

8 Episcopus, etiam in casu magnæ necessitatis, non potest dispensare nè matrimonium cõtrahatur coram Parocho, &c.: Ratio, quia Concilium constituit formam substantialem in matrimonijs; & ponit directum irritans alitèr factum; tùm etiam, quia reddit inhabiles contrahentes ad alitèr contrahendum, Sanch. *de matrim. lib.3. disp. 17. num.6.* Quando matrimonium est contractum mala fide, etiamsi impedimentum sit occultum, non potest Episcopus dispensare, quia stante mala fide, non præsumitur Papa eam cõcedere, nè videatur fauere iniquitati; & idcircò Concilium Tridentinum hos mala fide contrahentes statuit spe dispensationis perpetuò carere; & Episcopum nullo modo posse dispensare. Sanch. *lib. 2. de matrim. disp.40.num.4.* Ille dicitur mala fide cõtrahere matrimonium, qui speculatiuè, & practicè putat, cum impedimento dirimente contrahere.

9 Episcopus potest dispensare in impedimento cognationis ortæ ex Baptismo, nõ solenniter collato, dummodò sit collatus tempore necessitatis, & in casu vrgenti. Sanch. *de matrim. lib.8. disp.6. nu.17.*. Non potest Episcopus dispensare, vt duo Viri, vel duæ Feminæ simùl suscipiant Infantem de Baptismo, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, nimirùm Concilij Tridentini, in quo lata est lex circà Patrinos; & ità etiam declarauit Sacra Congregatio Cardinaliũ, vt refert Sãch. *disp.57. num.7.* Reginald. *lib.31. num.157.*

10 Episcopus potest in sua Diœceſi impedimenta matrimonij statuere, si solùm spectemus ius Diuinum, aut humanum, cùm quidquid potest Papa in tota Ecclesia, possit Episcopus in sua Diœcesi: Verùm quia Papa sibi reseruauit statuere impedimenta, hinc est, quòd Episcopus non possit. Sanch. *lib.7. de matrim. disp. 1. nu. 9.*; licèt potiùs dicendum sit, esse reseruatum Papæ, ex consuetudine Ecclesiæ, quàm ex textu particulari.

11 Potest ferre leges pro sua Diœcesi, cùm habeat auctoritatem publicam, iurisdictionem, & vim cogendi; & ita communiter DD.; quod tamen limitandum est, nè in causis grauioribus aliquid statuant, inconsulto Pontifice: Secundò nè lex sit contrà ius commune, cùm Episcopus non possit condere legem contrà ius commune, neq; etiam contrà statuta suorum Prędecessorum confirmata à Papa, ipso inconsulto; licèt Episcopus in aliquo casu particulari cum Papa consuli. Nõ potest, ipso inconsulto, aliquid contrà ius commune statuere, cùm hic casus censeatur per Epichæiam exceptus.

12 Licèt regularitèr non possit Episcopus in lege Pontificis, siuè in iure communi dispensare; in aliquibus tamen casibus aliquando potest. Primò, quando in lege ipsius Pontificis, &c. hoc exprimitur. Secundò, quando Vir prudens interpretatur, hanc esse Pontificis voluntatem, vt Episcopus in aliquo casu dispenset, cùm sit licitum opinionem pruděris sequi, quę intentio Pontificis colligi potest primò, quando res leuis est; Secundò, quando præcipiuntur ea, quę superueniunt, & quę frequentet indigent dispẽsatione; Tertiò, quando grauis aliqua necessitas aduenit, vel vtilitas; ita vt Sedes Apostolica commodè adiri nequeat, quia tunc præsumitur tacitè concessio Papæ, qui rigorosam obligationem accedendi ad ipsum non præsumitur imponisse, nisi alitèr constet. Em. Sà. *verbo dispensatio*, Sanch. *lib.8. de matrim. disp.5. num.37.* Azor. *tom.1. lib.5. cap.15.* Syluest. *verbo dispensatio num. 7.* Salas *de legibus disput. 20. sect.3. num.23.* Nauarr. *cap. 21. num. 21.* Clauis Regia *lib 3. cap.10. num.9.*

13 Episcopus indiget causa, quando dispẽsat in lege Pontificis, Reginal. *lib.3. cap.19. num 194.* & alij. Ratio, quia inferior non potest dispẽsare in lege superioris absque causa. Non requiritur quòd habeat de causa cognitionem iuridicam, sed sufficit, si prudentèr indicauerit esse iustam Sãch. *lib. 8. disp. 17. num. 8.* Diana *p.1. tract. de legib. resol. 33.* Licitè potest dispensare, etiamsi dubitet de Iustitia causæ, cùm ad clementiorem partem declinandum sit. Sanch. *in Sum. tom.1. lib 4. cap. 55. num.10.* Syluest. *Verbo dispensatio num.20.* Diana *loco citato resol.31.* Et dispensatio erit valida, quando credebat, causam esse iustam, & sufficientem, licèt, re vera, non erat sufficiens: Ratio, quia non est credibile, Summum Pontificem aliam habere intentionem circà leges suas, in quibus permittitur inferiori dispensare, Azor *p.1. lib.7. cap.29. quæst.9.* & alij.

14 Episcopus vrgenti necessitate dispẽsandi in lege Pontificis, potest dispensare, nõ admonito ipso, quem suis sumptibus, potest admonere, quia nullo Iure probari potest, Episcopum teneri redditus suos in impetrandis dispensationibus, insumere. Salas *de legib. disput.20. sect.3. num.29* Sanch. *in opere morali lib.4. cap.40. num.79.*

15 Episcopus potest dispensare in impedimento

mento dirimente, quando fuit obtenta dispensatio, sed fuit subreptitia. Ita Dispensator *de dispen. §. Nunc de Episcoporum, &c. num. 11.* & alij. Quod deducitur *ex cap. Quocirca*; vbi interrogatus Innocentius III. à quodam Episcopo de quibusdam, qui subreptitia dispensatione, matrimonium contraxerunt, sic respondit, *Dissimulare poteris, vt remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione, graue videas scandalum imminere.*

PARAG. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi possunt dispensare in legibus Synodalibus.*
2 *In quibus votis possunt dispensare?*
3 *Possunt dispensare in voto castitatis temporalis.*
† *Aliquando in voto castitatis perpetuæ.*
† *Item in voto castitatis coniugalis.*
† *In voto castitatis pœnalis.*
† *In voto disiunctiuo, &c.*
4 *Quando in voto conditionato.*
5 *In voto non nubendi, &c.*
† *In voto suscipiendi sacros Ordines.*
6 *Potest dispensare in voto Religionis.*
† *Quomodo possit commutare votum Religionis arctæ?*
7 *Potest commutare vota, &c.*
† *Potest dispensare in differenda voti executione.*
8 *Potest dispensare in voto non committēdi mollitiem.*
9 *Potest dispensare ad petendum debitum.*
10 *In voto facto in fauorem tertij.*
11 *Quando possit dispensare in votis principalioribus, &c.*
12 *Potest relaxare iuramentum.*
† *Qui casus excipiantur.*

1 EPiscopus potest dispensare in constitutionibus suæ Synodi, etiam absque causa: Ratio, quia dicitur dispensare in re propria; mutando voluntatem, cùm solus ipse in Synodo Diœcesana suffragium habeat decisiuum; cæteri autem assideant illi, vt consilium præbeant. Nauar. *in man. cap. 25. num. 74.* Bott. *de Synodo Episcopi art. 4. num. 3.* Et ideo potest dispensare in constitutionibus suæ Synodi; cùm in omnibus casibus, in quibus potest statuere, & punire, possit etiam dispensare. Barbos. *de offic. & potest. Episcopi allegat. 34. num. 3. & 4.*

2 Potest Episcopus dispensare in omnibus votis, præterquàm in reseruatis: Ratio, quia Ordinarij in suis Diœcesibus possunt omnia illa circa dispensationes, quę Pontifex in toto Orbe, vndè potest solùm dispensare in votis suorum subditorum, etiã extra Diœcesim, quia hæc dispensatio est actus iurisdictionis voluntariæ, quæ non requirit territorium. Item de licentia suorum Superiorum, potest dispensare in votis Religiosorum, quia tunc dispensatio censetur concedi ex commissione data à Superiore: quod intelligendum est, quando non patet aditus ad Superiorem habẽtem facultatem dispensandi cum suis subditis: Ratio, quia Religiosus de licentia sui Superioris, potest cedere priuilegio, petendo dispensationem ab Episcopo.

3 Episcopus potest dispensare in voto castitatis temporalis: Ratio, quia votum tẽporale non censetur simpliciter votum. Ità D. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 11.* Palud. *in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 4.* D. Antonin. *2. par. tit. 11. cap. 2. § 9* Nauar. *in sum. cap. 12. num. 76.* & alij. Item potest dispensare in voto perpetuæ castitatis, ob periculum incontinentiæ, vel quando imminet magnum periculum expectando dispensationem Papæ, vt est periculum magni scandali, vel damni tertiæ personæ, &c., quia in tali casu non cẽsetur Papam sibi dispensationem reseruare, cùm non soleat reseruare sibi dispensationem in perniciem, sed in vtilitatem animæ. Ità plures apud Sanch. *lib. 8. disp. 9. nu. 22.* Bonacin. *de leg. disp. 4. quæst. 2. par 7 num. 15.* Item potest dispensare in voto castitatis coniugalis, cùm non censeatur votum absolutum castitatis, cùm non includat omnimodam continentiam, sed solùm ad actus illicitos; Ità Henriq. *lib. 7. cap. 3. num. 6.* Sanch. *lib. 8. disp. 9. num. 7.* Potest etiam dispensare in voto, quo alter coniugum absque alterius licentia, ad non petendum debitum se adstringit, cùm non sit votum perfectum, & integrum castitatis, sed partis. Syluest. *verbo Votum 5. quæst. 2. num. 5.* Azor. *lib. 11. cap. 19. quæst. 6.* Em. Sà *verbo Votum*: Item potest dispensare in voto castitatis metu emisso etiam leui: Ratio, quia cum reseruatio votorum sit odiosa, quia contrà ordinariam potestatem Episcoporum, strictè est explicanda, & consequentèr non videtur extendenda ad vota metu emissa; Less. *lib. 2. cap. 40. num. 106.* Nauar. *cap. 12. num. 64.* Reginald. *cap. 118. num. 338.* Similitèr Episcopus potest dispensare in voto castitatis pœnali, quando in eius principali potest dispensare: Ratio, quia ablato principali, aufertur etiam accessorium; secus verò dicendum, si votum principale sit reseruatum, & votum illi adiunctum non sit reseruatum, quia in voto adiuncto poterit dispensare, non verò in principali. Suar. *lib. 6. cap. 23. num. 3.* Poterit tamen dispensare in voto disiunctiuo, cuius altera pars est reseruata, altera autem non: Ratio, quia vouentis integrum est illam partem non reseruatam eligere, in qua potest Episcopus dispensare, & in alternatiuis electio est debentis, iuxtà regulam iuris, *In alternatiuis*; verùm si vouens elegerit partem reseruatam, tùnc Episcopus non potest dispensare, quia in voto disiunctiuo, facta electione materiæ reseruatæ, constat remanere reseruatum; nam electio fit ex vi voti, & perindè est, ac si dùm votum emitteretur, electa fuisset materia reseruata. Sanch. *lib. 4. cap. 40. num. 43.* Suar. *lib. 6. cap. 23. num. 3.* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 19.*

4 Episcopus potest dispensare in voto cõditionato de futuro, modò conditio non sit adimpleta: Ratio, quia tale votum non censetur perfectum, nisi adimpleta conditione, & vota, quæ Papæ reseruantur, sunt perfecta: In voto sub conditione de præsenti, vel de præterito, non potest Episcopus dispensare, cùm huiusmodi conditio non suspendat consensum, nec efficiat vo-

tum

tum conditionale, *l. Cum ad præſens ff. ſi certum petatur*, quod valet etiamſi votum ſit pœnale ſub eadem ratione. Suar. *lib. 6. cap. 23. num. 91.* Sanch. *lib. 4. cap. 40. num.* 88. Idem dicendum eſt, ſi votum ſit ſub conditione neceſſaria, cùm habeatur pro adimpleta, cùm ſit neceſſario euentura: quando verò conditio eſt adimpleta, votum cenſetur abſolutum, & non minùs obligat, quàm ſi factum fuiſſet ſine conditione. Reginald. *lib. 18. num. 306.* Leſſ. *lib. 2. cap. 40. dub 13. num.* 106. Suar. *lib. 6. cap. 22. num. 3.* Clauis Regia *lib. 6 cap. 11. num. 77.*; modo tamen votum nō ſit pœnale, quia adimpleta conditione, poterit Epiſcopus in eo diſpenſare, cùm votum pœnale non ſit emiſſum ex directa volitione, & affectu boni, quod promittitur, ſed potiùs ex deteſtatione, vt vouens retrahat ſe ab aliquo malo. Aragon. *2. 2. quæſt. 88. art. 12.* Clauis Reg. *loco citato num. 32.* Reginald. *lib. 18. num. 327.* Suar. *lib. 6. cap. 23. num. 6.*

5 Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto nō nubendi, ſeù non fornicandi, quia hoc votum non cenſetur votum perfectę caſtitatis, ſed tantum partiale: in voto verò virginitatis ſeruandæ non poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi vouens noluerit ſe expreſſè obligare ad caſtitatem, ſed tantùm ad corporis integritatem ſeruandam, conſiſtentem in continentia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas deperditur: Ratio, quia quandò hæc intentio non reperitur, cenſetur votum abſolutum caſtitatis. Sanch. *lib. 8. diſp. 9. num.* 9. Azor. *lib. 11. cap. 19. quæſt.* 4. Item poteſt diſpenſare in voto ſuſcipiendi ſacros Ordines, cùm tale votum non cenſeatur caſtitatis, ſed votum aſſumendi ſtatum, cui caſtitas eſt annexa.

6 Epiſcopus poteſt diſpēſare in voto Religionis in illis caſibus, in quibus diſpenſare poteſt in voto caſtitatis perpetuæ. Sanch. *loco citato num. 32.* Item poteſt diſpenſare in voto Religionis non approbatæ, quia Religio non approbata, non eſt vera Religio; conſequentèr votum illius non eſt votum propriè Religiōnis. Leſſ. *lib. 2. cap 40. dub. 13. num. 105.* Sanch. *lib. 4 cap. 40. num.* 70. Reginald *lib. 18 num. 331.* Similitèr poteſt commutare votum Religionis arctæ in laxiorem, cùm hæc non dicatur propriè diſpenſatio in voto Religionis, ſed in circumſtantia ipſius, cùm non tollatur obligatio voti, ſed remaneat. Leſſ. *loco citato nu.* 105 Reginald. *loco citato.* Azor. *1. par. lib. 11. cap. 18. num.* 8. Clauis-Reg. *lib. 6. cap 11. num. 63.*: Non poteſt tamen diſpenſare in voto ingrediendi Religionem militarem D. Ioannis, cùm is Ordo ſit vera Religio, & in ipſa emitentur tria vota ſolennia. Sanch. *loco citato num.* 16. & alij ab ipſo citati: In voto alterius Religionis militaris poteſt diſpēſare, quia cæteræ Religiones militares ſtricto modo non ſunt Religiones, cùm deficiant à natura perfectæ Religionis; & ideò Papæ non reſeruatur. Sanch. *loco citato.*

7 Epiſcopus poteſt commutare votum eundi pedetentim ad Limina Apoſtolorum, &c., & ipſum commmutare poteſt in peregrinationem equeſtrem, etiam conceſſis, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt. Leſſ. *lib. 2. cap 40. dub.* 13 *n. 115.* Sanch. *cap 40. num* 78. Reginald. *lib 18. num. 332.* Poteſt itidem diſpenſare in differenda voti Religionis executione, nè ſcillcèt votum intra præfixum tempus impleatur: Item in voto Religionis pœnali, etiam pōſt adimpletam conditionem, quia votum pœnale Religionis, etiam adimpleta conditione; deficit valdè à perfecta Religionis natura, ratione cuius reſeruatur; & ideò in tali voto, quia non reſeruato, vt potè imperfecto, poſſunt Epiſcopi diſpenſare. Leſſ. *lib. 2. cap. 40. dub. 18. nu. 130.* Malder. *in 2. 2. tract. 10. cap. 5. dub. 10.* Henriq. *lib. 7. cap. 30. num. 10.* Item diſpenſare poteſt in voto Religionis conditionali ante, & poſt adimpletam conditionem: Ratio, quia cum tale votum dependeat à conditione, non cenſetur habere originem a voluntate, ſed à conſenſu quodam imperfecto. Ità Leſſ. *lib. 2. cap. 40. dub.* 18 *num.* 131. Sanch. *lib. 8 diſp. 10.* Filliuc. *tom. 2. tract. 26. cap. 7. num* 269. Suar. *de relig. tom. 2. lib. 6 cap. 22. num. 11.*

8 Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto nō committendi mollitiem, aut non tenendi amicitiam certæ mulieris, aut abſtinendi ab aliquo actu Venereo, quia talia vota non ſunt vota perfectæ caſtitatis; & ideò Papæ non cenſentur reſeruata. Vgolin. *de poteſt. Epiſcopi cap. 58. num. 3.* Reginald. *tom. 2. lib. 18. cap. 22. num. 33.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi par. 2. legat. 37. num* 15., etiamſi talia vota facta ſint cum intentione faciendi illa reſeruata: Ratio, quia intentio vouentis priuata non poteſt tollere voluntatem Superioris. Sanch. *in ſum tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 79.* Reginald. *tom. 2. lib 18 cap. 22. num.* 233. Suar. *tom. 2. lib. 6. cap. 2. num. 15.*

9 Epiſcopus poteſt diſpenſare cum Coniuge ad petendum debitum, qui voto caſtitatis adſtrictus, matrimonium inijt: Ratio, quia votum Papæ reſeruatum eſt perfectum, & abſolutum. Hoc autem non eſt perfectum, & abſolutum, cùm poſſit reddere, licèt non poſſit petere. Tabien. *verbo Matrimonium 1. quæſt. 2. & verbo Impedimentum 2. quæſt. 5* D. Antonin. *3 par. tit. 1. cap. 22. §. 2.* Sotus *in 4. diſt. 27. quæſt. vnic.* Cord. *in ſum. quæſt. 146. par. 2.* Tolet. *lib 7. cap. 14. n. 4.* Ratio, quia votum perfectæ caſtitatis includit rationem non petendi, & non reddendi debitum., & cum diſpenſatio ſit odioſa, reſtringenda eſt ad propriam verborum ſignificationem.

10 Epiſcopus nō poteſt diſpenſare in voto facto in fauorem tertij, poſtquàm eſt acceptatum abſque conſenſu illius, in cuius fauorem fuit factum: Ratio, quia tertius per acceptationem acquiſiuit ius; Epiſcopus autem non poteſt iuſtè aliquem priuare ſuo iure acquiſito, niſi adſit conſenſus illius. Sanch *lib. 6. cap. 15. nu. 7.* Azor. *1. par. lib. 11. cap. 19. quæſt. 12.* Clauis Reg. *lib. 6. cap. 11. num. 121.* Reginald. *lib. 18. num. 355.*

11 Epiſcopus poteſt diſpenſare in quinque votis principalioribus, ſi fiant in pœna:

Ratio,

Ratio, quia talia vota nō cēsentur Papæ reseruata, cùm absolutè, & simpliciter nō sint vota Religionis; & ideò Episcopus in voto pœnali potest dispensare. Aragon. *2. 2. quæst. 88. cap. 11.* Lopez *par 1. cap. 44.* Tolet. *in sum. lib. 4. cap. 18.* Henriq. *lib. 3. de indulg. cap. 30. § 6* Rodriq. *in sum. par. 2. cap. 47.* & ab ipso citati. Item potest dispensare in voto de non contrahendo matrimonio, cùm non sit votum simpliciter castitatis. Henriq. Rodriq. *locis citatis*, Basilius Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 8. § 2. num. 19.* Santarel. *de Iubil. anno sancto cap. 9. dub. 5.* Similiter potest prorogare votum peregrinationis, dummodò non adeò differatur, vt sit periculum in eum statum incidendi, vt vouens reddatur impotens ad votum implendum; Ratio, quia non est dispensare in substantia voti, sed in eius qualitate. Ita suprà citati Doctores.

12 Episcopus potest relaxare iuramentum, exceptis ijs, quorum relaxatio spectat ad Papam, vt sunt iuramenta, quibus confirmantur statuta Collegiorum, &c., & iuramenta Regum. Ducum, &c., & iuramenta, quæ in rebus arduis, & difficilibus interponuntur. Ita Abbas *cap. Quando 9. de iuramento.* Sot. *4 de iust. quæst. 1. art. 9.* Azor. *lib. 11. cap. 9.* Regin. *lib. 18. num. 28.* Excipitur iuramentum, quod habet annexum votum Papæ reseruatum; nisi, vt docet Sanch. *lib. 8. de matrim. num. 6.* iurans solùm intenderet, Deum in testem adducere, non verò respicere Deum, quasi ei vellet aliquid offerre in eius obsequium, quia tùnc non censetur continere votum, & promissionem ergà Deum. Potest etiam dispensare in iuramentis pœnalibus: Ratio, quia sicut potest dispensare in votis Deo factis; ità etiā potest relaxare iuramenta. Aragon. *2. 2. quæst. 88. art. 9* Henriq. *lib. 7. cap. 30. nu. 7.* Azor. *tom. 1. lib. 11 cap. 10.* Em. Sà *verbo Iuramentum nu. 30. & verbo Votum, num. 16.* Item potest dispensare in iuramentis præstitis, intuitu Diuini obsequij factis, quia habent eamdem rationem, & idem fundamentum, vt docet Suar. *lib. 2. de iuram. cap. 40. num. 3.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disput. 13. num. 1.*; quod etiam potest facere Episcopus electus confirmatus, licèt nondùm consecratus: Ratio, quia habet omnem administrationem Episcopatus, & quæ pertinent ad potestatem iurisdictionis: & cùm potestas dispensandi in iuramentis, non sit ordinis, sed iurisdictionis, sequitur, Episcopum non consecratum posse dispensare. Less. *lib. 2. cap. 40. num. 100.* Sanch. *lib. 4. cap. 38. num. 7.*, secùs autem, si solùm electi sint; hæc iuramenta possunt relaxare, non admonito Pontifice de paupertate supplicantium, & ità se habet praxis: item potest commutare legatum pro fabrica Ecclesiæ relictum in celebratione Missarum, quia in isto casu cēsetur commutare legatum in melius, & sic faciendo, censetur interpretari voluntatem Testatoris.

PARAGR. IX.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non habet iurisdictionem in Regulares.*
† *An in aliquibus casibus habeat?*
2 *Non debet examinare Regulares pro concionibus.*
3 *Absque causa non potest reuocare licentiam datam.*
4 *Non potest denuò examinare Regulares, quos idoneos iudicauit.*
5 *Potest dispensare super interstitia.*
6 *Non potest prohibere, quin prædicent in proprijs Ecclesijs.*
7 *Non potest excommunicare Regulares, &c.*
8 *An possit prædicare in Ecclesijs Regularium?*
† *Potest tamen priuatim, & publicè Diuina Officia audire, &c.*
† *Potest vti Baldachino.*
9 *Potest denuò examinare Parochos.*
10 *Potest visitare Ecclesias Regularium curam exercentes.*
† *Item Sacristiam.*
† *Tamquàm Delegatus Sedis Apostolicæ, potest visitare loca exempta.*

1 EPiscopi nunc temporis non habent iurisdictionem in Regulares, cū sint ab eorum iurisdictione totalitèr exempti, ex varijs Constitutionibus Summorum Pontificum; licèt per Concilium Tridentinum sit in aliquibus casibus restricta, Primus, quòd delinquendo extrà Monasterium, possint ab Ordinario puniri, tamquàm à Delegato Sedis Apostolicæ; & tūc Regularis censetur esse extrà Monasterium, quando non viuit sub Superiore. Et ita Sacra Congregatio, vt referunt Gennen. *in prax. Archiepiscop. cap. 59.* Piacetius *in prax. Episcop. p. 2. cap. 3.* Barbos. *de potest. Episcopi p. 3. legat. 105. num. 16.* Si verò maneat de Superioris licentia, sub Regulari Obseruantia, &c. si deliquerit, non ab Ordinario loci, sed à suo Superiore puniri debet, secundùm formam Concil. Trident. *Sess. 25. de Regularib. cap. 14.* Secundò Episcopus potest compellere Regulares extrà Monasterium degentes ad soluenda debita. Cōcilium Trident. *citatum.* Tertiò debet approbare libros, quos Regulares imprimere faciunt. Quartò, Episcopi tamquā Apostolicæ Sedis Delegati, possunt Regulares suæ Diœcesis cogere, vt lectionem scripturæ in suis Monasterijs habeant, si commodè fieri potest. Trident. *Sess. 5 cap. 1. de reformat.* Quintò, quòd Regulares nō possint prædicare sine licentia sui Ordinarij. Trident. *sess. 5. cap. 2. de reformat.* Sextò, Regulares subijciuntur Episcopis quoad Ordines. Septimò, Episcopus habet iurisdictionem suprà Religiosos exercentes curam Animarum. Octauò, Regulares non possunt audire confessiones, nisi sint approbati ab Episcopo. Tridentinum *sess. 23. cap. 15. de reformat.* Nonò, non possunt ædificare Ecclesias, seù Monasteria sine licētia Ordinarij, *ex cap. Auctoritate de priuileg. in 6.* & ex Trident. *sess. 25. de Regularib. cap. 3.* Decimò, Episcopi debent procurare clausurā Monialium in Monasterijs subiectis Ordinario; In alijs vero Sedis Apostolicæ au-

ctori-

ctoritate, Ex Concil. Trident. *sess. 25. de Regularib. cap. 6.* Vndecimò, Regulares subijciuntur Episcopis in colendis festis. Trident. *sess. 25. de Regularib. cap. 12.* Duodecimò, Interdicta, & Censuras ab Episcopo promulgatas in eorum Ecclesijs publicare, si Episcopus præcipiat, ac ea seruare tenentur, Trident. *citat. cap. 12.* Decimotertiò, Regulares compelli possunt ab Episcopo, vt accedant ad processiones. Trid. *cit. cap. 13.* Decimoquartò, renunciatio facta Nouitijs non est valida, nisi de licentia Episcopi, vel eius Vicario fiat inter duos menses proximos ante professionem. Trident. *cit. cap. 16.* Decimoquintò, Nouitijs volentibus egredi sunt restituenda omnia bona, quæ tempore ingressus tulerūt ad Monasterium. Concil. *cit. cap. 16.* Decimosextò, Regularis prætendens, professionem esse nullam, quia per vim, aut metum, aut ante ætatem sit professus, non est audiendus, nisi intrà quinquennium à die professionis tantùm reclamauerit: & tunc non alitèr, nisi causas coràm suo Superiore deduxerit, & Ordinario loci; Ita ex Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 19.* Decimoseptimò, Episcopus potest compellere Regulares, executores piarum voluntatum ad reddendam rationem executionis testamentorum, atque eos punire si malè gesserint. Decimooctauò, Regulares tenentur ostēdere licentiam suorum Superiorum, si extrà loca, vbi Monasteria existunt, eleemosynas quærere volunt. Barbos. *allegat. 104. num. 51., & allegat. 109. num. 10.* Decimononò, Episcopus potest absoluere Regulares leuitèr percutientes Clericum, *cap. Religiosa, de sent. excommunicationis.* Vigesimò, in causis hæresis, Regulares subduntur iurisdictioni Episcoporum, *cap. ad abolendam, cap. Ut officy. §. Denique.* Et quamuis Textus loquatur de Inquisitoribus, tamen comprehenduntur sub ijsdem verbis Episcopi, habent enim titulum Inquisitorum. Vigesimoprimò, Regularis sollicitans Pœnitentem ad turpia in confessione, potest ab Episcopo puniri tamquam suspectus de hæresi, *Ex Bulla Gregorij XV. incipiente Vniuersi, &c.* Vigesimosecundò, Regularis si absque habitu incedat extrà Monasterium, potest ab Episcopo puniri; Ita Franc. *in cap. 1. num. 3. de priuileg. in 6.* Fuscus *de visitat. lib. 2. cap. 16. num. 2.* Coch. *de Iurisdictione Ordinarij in exemp. p. 2. quæst. 43. num. 35.* Vigesimotertiò, Episcopus punit Regulares, qui sibi Episcopalia arrogant. *cap. Cùm has Plantare.* Vigesimoquartò, si fugæ sit periculum, Episcopus potest capere Regulares, & remittere ad eorum Iudicem competentem. Felin. *in cap. fin. num. 7. de foro competen.* Cardinalis *in Clemen. 1. quæst. 3. de offic. Ordinarij* Rodriq. *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 63. art. 7.* Vigesimoquintò, Regulares subduntur Episcopis in ijs omnibus, quæ sunt Ordinis Episcopalis, nempè in petitione Chrismatis, consecrationis Ecclesiarum, &c. Ita *ex cap. Vnanens.* Panormit. *num. 2.* Vigesimosextò, Episcopus in locis exemptis suæ Diœcesis potest facere solennes Benedictiones, Missamque, ac alia Diuina Officia in Pontificalibus celebrare. Fran. *in cap. Abbatis nu. 1.* Panin *de visit. quæst. 3. p. 2. num. 9.* Tambur. *de iur. Abbat. tom. 2. disput. 15. quæst. 15. num. 3.* Vigesimoseptimò, ex defectu iustitiæ in exemptis Regularibus, adiri potest Ordinarius, vt suppleat, si facilè non possit esse recursus ad Papam, vel Superiorem exemptorum; Aufr. *in repert. Clement. primæ, quæst. 10. num. 9.* Barbos. *de potest. Episcopi p. 3. allegat. 105. num. 7.* Vigesimooctauò, Regulares administrantes Sacramentum Extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ sine licentia Parochi, possunt ab Episcopo excommunicari, *ex Clement. 1. de priuileg.* Riccius *in praxi aurea resol. 120.* Barbos. *loc. cit.* 29. Regulares non possunt publicare Indulgentias, quas à Summo Pontifice impetrarunt, sine licentia Episcopi. Trident. *sess. 6. de reformat. cap. 3., & sess. 24. cap. 11.* Trigesimò, Episcopus, amota omni appellatione, componit controuersias ortas inter Regulares in processionibus publicis, aut ijs, quæ in tumulandis defunctorum corporibus contingunt. Concil. Trident. *sess. 25. de Regul. cap. 13.* Trigesimoprimò, Episcopus potest denunciare Regulares notorios excommunicatos. Trigesimosecundò, Episcopus, exceptis ijs, quæ concurrunt regularia Instituta, habet omnimodam iurisdictionem in Canonicos Regulares Cathedralis Ecclesiæ, *cap. 1. Nè Sede vacante.* Rot. *apud Farinac. decis. 69. p. 21.*

2 [1] Episcopus non debet examinare Regulares pro concionibus, quia Concil. Trident. *sess. 23.* non dat illis talem facultatē, licèt *in vna Congregatione Cardinalium sub die 21. Ianuarij 1621.* declaratum fuerit, posse Episcopum examinare Regularem volentem prædicare in Ecclesijs, quæ non sunt suorum Ordinum.

3 [a] Episcopus, absque iusta causa, non potest reuocare licentiam datam Regularibus confitendi, & reuocatio facta absque causa iusta est nulla; cùm sit iniuriosa, & iniusta; & per consequens Regularis, vi prioris licentiæ, poterit audire confessiones. Ita Suar. *in 3. p. tom. 4. disput. 28. sect. 8. dub. 7.* Diana *tract. 11. de dub. Regular. resol. 21.* Peyrinus *de priuileg. Minimorum tom. 1 Constit. 26.* Ratio, quia licentia, quæ ab Episcopis datur Regularibus, non est propriè licentia, sed approbatio personæ, seù declaratio, quòd talis persona sit idonea ad audiendas confessiones; Vndè postquàm Episcopus iudicauerit, tales personas esse idoneos Ministros Sacramenti Pœnitentiæ, statim illis Papa facultatem concedit dictum Sacramentum administrandi: & quia sententia data non potest reuocari; Idcircò approbatio facta alicuius Regularis, non potest ab Episcopo reuocari; Vndè si Episcopus non admittat, siuè nō approbet Regulares, ipsi non possunt audire confessiones Sæcularium. Coninch. *de Sacramen. disp. 8. dub. 7. num. 58.* Vasq. *in 3. p. tom. 4. quæst. 43. art. 3. dub 3. num. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 9. num 57.* Reginal. *tom. 1. cap. 16. quæst. 5. nu. 192.* Sanctius *in select. disp. 48. nu. 16.*

& alij; nisi fortè idonei non fuerint iudicati absque legitima causa.

4 Idem Episcopus non potest examinare Regulares, quos iam idoneos iudicauit, nisi fortè sint approbati cum limitatione temporis, vt v. g. in hac Diœcesi ad sex menses, &c. Nouus Episcopus potest suspendere licentias Regularibus datas pro confessionibus audiendis, & eos denuò examinare; ita Sanctius *in select. disp.* 48. Zanard. *in direct. Theol. p.* 1. *de Sacram. Pœnitentia, cap.* 24. §. 4. Riccius *in prax. tom.* 4. *resol.* 70. *num.* 5. Facund. *precept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *nu.* 30. Miranda *in Manu. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 45. *art.* 7. & alij; & sic videtur consuetudine receptum; Verùm licētia Regularibus data nō censetur reuocata, nisi de illis expressa mentio fiat. Ex iusta causa, potest Episcopus limitatè approbare Regulares ad audiēdas confessiones. V. g. ad Viros, & non ad Fœminas; Ita Facund. *precept.* 2. *lib.* 7. & alij citati à Diana *tract.* 5. *de dub. Regul.* An possit Regulares ordinare extrà Tempora, dubium est inter Doctores: quidam negant, vt Sanch. *de leg. lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæst.* 38. *num.* 4. Vasquez *in* 3 *p. tom.* 3. *disput.* 246. *cap.* 5. *num.* 50. Peyrin. *in priuileg. Minimor. tom.* 1. *Constit.* 2.: Alij affirmant, vt Portella *in dubijs Regul.* Villabos *in Sum. tom.* 1. *tract.* 10. *difficult.* 12. *num.* 15. Ioann. Dela-Cru. *de statu Religionis, lib.* 5. *cap.* 8. *dub.* 1. Homobonus *de examine Ecclesiasticorū tom.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 3. Barbos. *de potest. Episcopi p.* 2. *allegat.* 17. *num.* 6. Hieron. Rodriq. *in compend. quæst. Regularium resol.* 506. *num.* 7. Em. Rodriquez *quæst. Regularium tom.* 3. *quæst.* 23. *art.* 5. & alij; Et per consequens, posse Episcopum sine scrupulo extrà Tempora ordinare Regulares.

5 Episcopus cum Regularibus potest dispensare super interstitia. Ita Riccius *decis.* 81. Quaranta *Verb. Ordo.* Ledesma *tom.* 1. *de Sacram. Ordinis, cap.* 8. *conclus.* 11. & alij. Licèt Regulares, qui non seruarūt interstitia, suscipiunt Ordines, nullam incurrant pœnam. Suar. *tom.* 1. *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 43. Zerol. *in prax. p.* 5. *Verbo Ordo num.* 8. & alij.

6 Episcopus non potest absolutè prohibere, nè Regulares concionentur in Ecclesijs suorum Ordinum, cùm persona, & locus sint exempti. Vega *in Sum. tom.* 2. *cap.* 86. *cas.* 40. Potest tamen prohibere, nè concionentur tali hora, & tempore, quo ipse Episcopus prædicare voluerit. Ita Mirad. *tom.* 1. *quæst.* 50. *art.* 3. Barbos. *de potestate Episcopi p.* 3. *allegat.* 76. *num.* 20. Dixi, absolutè, quia si contradicat Episcopus, Regulares in sua Ecclesia non debent prædicare, cùm ex tali prædicatione sequeretur potiùs scandalum, quàm ædificatio.

7 Episcopus non potest excommunicare Regulares nolentes accedere ad processionem, cùm non sint subditi. Rodriquez *in compend. quæst. Regularium resol.* 118. *num.* 1. *cap.* 20. Portell. *in addit. ad dub. Regul. Verb. process. nu.* 1. Tambur. *de iur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 19. *quæst.* 7. *num.* 9. Villabos. *in Sum. tom.* 1. *tract.* 35. *difficul.* 5. *num.* 11. & alij. Potest tamen compellere ad processiones publicas, &c., quæ fiunt ob bonum publicum, v. g. ad impetrandā aeris sanitatem, &c.; Excipiuntur tamen illi Regulares, qui in Bulla Pij V. Mendicantibus concessa, sunt excepti, & qui duo milliaria distant à Ciuitate, quia ab Episcopo non possunt compelli, & processio sit ex illis, quæ in eadem Bulla, quæ incipit, *Etsi non Mendicantium, &c.* publicata 17. *Kalend. Iulij* 1567., comprehenduntur

8 Episcopus non potest prædicare in Ecclesijs Regulariū, ipsis inuitis, quia exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenùs exprimitur. Ita Peyrinus *in priuileg. Minimor. tom.* 1. *Constit.* 56., Potest tamen Episcopus in Ecclesijs Regularium Diuina officia priuatim, & publicè audire; Et ea etiam in Pontificalibus ibi celebrare, & solenniter benedicere Populo, & ibidē facere, vt coram se celebretur, sed sine Pontificalibus: quæ verò sunt iurisdictionis, non possunt exerceri in Ecclesijs Regularium; possunt tamē Baldachino vti; & contradicentes censuris Ecclesiasticis cogere per decretū Sac. Congregationis, datum Romæ *die* 10. *Iulij* 1603. Ita Diana *tract.* 11. *de dubijs Regular. resol.* 109.

9 Episcopus potest hunc, vel illum Parochum examinare, quando defectus scientiæ adeò notus esset, vt non posset celari; vel errores admissi a Parocho id ostenderent; quia tunc habet ius vocandi ipsū ad suum Tribunal, & ipsum de scientia examinandi; & si ipsum non idoneum inuenerit, suspendendi ab officio: Item potest pro suo arbitrio, vocare ad examen Parochos, vt per experientiam ei innotescat, an illorum scientia sit extenuata, & boni mores mutati, & an ritè curæ animarum incumbant. Ita Barbos. *de offic. Parochi cap.* 2. *num.* 10.: Et ideò Parochus non existimet, post electionem factam, & collatam sibi Parochialem, se non ampliùs de doctrina, & litteratura rationem redditurū, quia Sacra Congregatio censuit *in vnà Placentinæ sub die* 6. *Augusti* 1618., liberum esse Episcopo, tàm in visitatione, quàm extrà, iterùm examinare super Doctrinam, &c. Parochos approbatos ab antecessore, tempore prouisionis Parochialium, & alia rationabili causa; Ita Barbos. *loc. cit.*

10 Episcopus potest visitare Ecclesias Regularium, curam animarum annexam habentes, & personas huiusmodi curā exercentes: Ratio, quia in ijs subduntur administrationi, iurisdictioni, & correctioni Episcopi. Ita Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regularibus*. Et non modò potest visitare Ecclesiam, sed etiam Sachristiam, non vt reficiatur, sed duntaxàt in ijs, quæ respiciūt curam animarum, vt Calices, Paramenta, &c. Ita refert decisum Francis. Leo, *in Thesau. fori Ecclesiastici p.* 2. *cap.* 31. *num.* 3. Campanil. *in diuersor. iur. can. rub.* 11. *cap.* 13. *num.* 89. Item potest visitare tamquàm delegatus Sedis Apostolicæ, loca exempta, immediatè Sedi Apostolicæ subiecta, vt in Tridēt. *sess.* 7. *cap.* 8.: Si verò subiecta sint alteri Prelato, ab eo, cui subiecta sunt, poterunt visitari.

sitari. Item potest visitare Ecclesias sæculares nullius Diœcesis, quantumcumq; exemptas, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectas, earumq; Prælatum sæcularem in ea iurisdictionem quasi Episcopalem habentem, dummodò sitæ sint in sua Diœcesi. Ex Concil. Trident. *cap. 9. sess. 24. de reformat.* Et ita Rot. Romana *apud Farinac. decis. 396. p. 1.*

PARAG. X.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus ordinando subditum alterius Diœcesis, &c. non incurrit excommunicationem.*
2 *Episcopus nondum confirmatus potest confirmare.*
3 *Non peccat Episcopus, qui iusta causa confirmando, vngit indice, &c.*
4 *Absolutè non potest concedere Indulgentias, &c.*
5 *Valent Indulgentiæ concessa ab Episcopo in peccato mortali.*
6 *Potest concedere Indulgentiam Religiosis.*
7 *Potest censuris cogere Laicos, &c.*
8 *Potest inquirere contrà tenentes bona distribuenda pauperibus.*
† *Potest cogere ad obseruandam laudabilem consuetudinem.*
9 *Potest in foro conscientiæ absoluere hæreticum occultum.*
10 *Potest committere Confessario Monialium, vt Monialem absoluat ab hæresi, &c.*
11 *Quando possit præstare iuramentum fidelitatis?*
† *A Clericis non potest exigere taleas.*
† *Iusta causa potest imponere charitatiuum subsidium.*
12 *Requiritur tamen consensus Capituli, & Cleri.*
13 *Præscriptio non currit cōtrà charitatiuum subsidium.*
14 *Cuius censeantur bona relicta ab Episcopo?*
15 *Item bona relicta ab Episcopo regulari, ad quem pertineant?*
16 *A quibus Episcopus possit exigere charitatiuum subsidium?*
17 *Episcopus etiam diues potest imponere charitatiuum subsidium.*

1 EPiscopus non incurrit censuram, in sua Diœcesi ordinando subditum alterius Diœcesis. Ità Genuen. *in man. Prælatorum cap. 57. num. 7.* Henriq. *lib. 3 cap 6. num. 5.* Em. Sà *verbo Confirmatio num. 2.* & alij apud Barbos. *de potest. Episcopi par. 2. allegat. 30. num. 12.* Licèt regularitèr non debeat ponere manum in messem alienam: neque etiam peccat, ordinando non confirmatum: Ratio, quia nullibi reperitur tale præceptum, quod absolutè requiratur confirmatio ante ordinationem. Ità Zembran. *de casibus occurrētibus in art. mortis, cap. 2. dub. 3. num. 3.*, licèt aliqui existimarent, esse peccatum veniale. Et ità Nugnus *in 3. par. tom. 1. quæst. 62. art. 8.*

2 Episcopus non confirmatus potest confirmare, quia habet Characterem Ordinis Episcopalis, in quo fundatur potestas cōfirmandi: Episcopus verò nondùm consecratus, non potest confirmare, quia quamuis electus, non tamen habet Characterē, nisi sit consecratus; Ità plures apud Bonac. *de Sacram. disput. 3. quæst. vnic. par. 2 num. 10.* Grauiter peccat Episcopus, qui negligit conferre confirmationem, quia facit contrà proprium officium in materia graui; ità Em. Sà *verbo Confirmatio num. 52.* Angel. *verbo Sacram. num. 1.* Viual. *de confirmat. cap. 4. num. 7.* Henriq. *lib. 3. cap 1. num. 7.* & alij. Non potest Episcopus conferre Confirmationem in aliena Diœcesi, vt patet ex declaratione Cardinalium, circà Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 5. de reformat.* & docet Henriq. *lib. 3. cap. 6. num. 6.* Em. Sà *loco citato.* Camerot. *de confirmat. cap. 7. dub. 3.* Palud. *apud Suar. disput. 38.* In ministrando Sacramentum Confirmationis, seruanda est consuetudo, ità vt si sit confirmandum, in Ecclesia obseruetur, quamuis non sit præcepta sub peccato mortali; Bonacin. *de sacram. disput. 3. quæst. vnic. par. 2. num. 15.*

3 Non peccat Episcopus, qui iusta causa, v. g. infirmitatis, &c. confirmando, vngeret indice, & non pollice, licèt non possit conferre tale Sacramentum, medio aliquo instrumento, cùm impositio manuum sit de essentia huius Sacramenti, & talis impositio debet fieri, quando ministratur, & si vnctio fieret medio aliquo instrumēto, non esset manus imponere, & per consequens illud non esset verum Sacramentū, cùm deficeret in essentialibus. Ità Layman. *in Theolog. morali lib. 5. tract. 3. cap. 2. num. 5.*, & cum eo plures *citati.*

4 Episcopus absolutè non potest concedere indulgentias, sed solùm dependentèr à Summo Pontifice, quia sicut ab eo accipit potestatem circà subditos; ità etiam accipit potestatem concedendi Indulgentias: vndè à Papa concessa est facultas cōcedendi Indulgentias in dedicatione Ecclesiæ vnius anni, & in anniuersario dedicationis 40 dierum. *cap. Cum ex, de pœnitentijs, & remissionibus.* Non potest Episcopus concedere Indulgentias pro mortuis, quia quòad defunctos, restricta est eorum facultas: & ità Nauar. *de indulgentijs notab. 22. num. 4.* Bellarm. *de indulgent. lib. 1. cap. 11.* Suar. *disput. 53. sect. 3. num. 23.* Reginald. *lib. 4. num. 114.* Em. Sà *verbo Indulgentia num. 18*; quasi Indulgentias Episcopus nondùm consecratus potest concedere, cùm talis concessio sit actus iurisdictionis, qui potest ab Episcopo non consecrato exerceri; Suar. *disput. 49. sect. 13. num. 13.* Reginald. *loco citato num. 123.* Nugnus *in addit. quæst. 5. art. 1. quæst. 3.* & alij. Episcopus excommunicatus Indulgentias non potest concedere, quia excommunicatus vitandus priuatur iurisdictione; & ideò secùs, si non est vitandus.

5 Episcopus validè concedit Indulgentias, etiamsi eas cōcedat in peccato mortali: Ratio, quia peccatum mortale non tollit iurisdictionem; imò potest sine peccato exerceri. Ità Reginald. *lib. 7. num. 118.* Em. Sà *verbo Indulgentia num. 16.* Cordub. *lib. 5. quæst. 13.* Suar. *disp. 55. sect. 3. num. 20.*

6 Episcopus potest concedere Indulgentias Religiosis, quia in hac parte possunt se illi subijcere, & frui priuilegio Episcoporum, cùm exemptio non sit in damnum, sed in fauorem. Ità Palud. *in 4. dist. 20. quæst. 4. art. 6.* Reginald. *lib. 17. num. 119.* Item potest Episcopus frui Indulgentijs, quas alijs cōcessit,

cessit, cùm non sit peioris conditionis, quàm alij; ità S. Thomas *in addit. quæst. 25. art. 4.* Nugnus *ibidem*. Sotus *in 4. dist. 21 quæst. 1. art. 4.* Reginald. *loco cit. num. 299.* Em. Sa *verbo Indulgentia num. 17.* Suar. *disput. 52. dub. 3.* Henriq. *cap. 32.*

7 Episcopus, tempore penuriæ, potest cẽsuris compellere Laicos, vt frumentum vendant iusto pretio, *l. fin. §. Item Episcopus de muner. & honor.* Surd. *consil. 301. num. 87* Potest item compellere ad solutionem relictorũ ad pias causas per defunctos factorum. Ità Belletus *disquisit. Clerical. par 1. de fauore Cleric. §. 5. num. 74.* Potest etiam negligente hærede, exequi testamenta, tàm ad pias causas, quàm ad non pias: Ratio, quia per negligentiam hæredis, non adimplentis volnntatem intrà annum, iuxta *Authen. Hoc amplius. C. de fideicommissis*, deuoluitur executio testamenti ad Episcopum, tàm in legatis pijs, quàm non pijs. Ità Gloss. *cap. Si heredes*, quia vltima voluntas censetur pia, & interest Iudicis Ecclesiastici, vt mandentur executioni legata omnia per defunctos facta, etiamsi testator disposuerit nolle, vt Episcopus se intromitteret, §. *Sin autem, Autb. de Ecclesijs, auth. Licèt C. de Episcopis.*

8 Potest Episcopus inquirere contrà tenentes bona distribuenda pauperibus. Belletus *loco cit. num. 8. & 9.* Item potest cogere Laicos ad seruandam laudabilem consuetudinem Ecclesiæ: & similitèr potest decernere, an talis consuetudo sit laudabilis. Abbas *in cap. Ad Audientiam:* Ratiò, quia desistens à tali consuetudine, videtur committere sacrilegium, in quo Episcopus iudicat.

9 Episcopus virtute Concilij Tridentini, potest absoluere hæreticum occultum ab excommunicatione in foro conscientiæ: Ratio, quia in Bulla Cœnæ non fit expressa mentio Concilij; quod est necessarium, vt censeatur illi derogatum, vt suprà dictum fuit: vndè Facund. *de preceptis Ecclesiasticis*, ait, quod si hæresis sit nota, quinque, vel sex, aut si hæreticus quinque, vel sex complices haberet, diceretur occulta, & ab illa posset Episcopus absoluere, non modò per seipsum, sed etiam per Vicariũ; aut alium Confessarium. Ità Henriq. *lib. 9. cap. 14. num. 7.* & alij apud Sanch. *tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 23.*, quod probabile vocat Lotica *2. 2. quæst. 11. art. 4. disp. 35. num. 11.*

10 Episcopus potest committere Confessario Monialium, vt Monialem absoluat ab hæresi extrema: Ratio, quia potest absoluere eum, qui Sedem Apostolicam ob legitimum impedimentum adire nõ potest, *ex cap. Mulieres, & cap. Ea noscitur de sent. excommunicationis*. Ità Homobonus *de examine Ecclesiasticorum par. 3. tract. 7. resolut. 2.*

11 Episcopus solùm pro bonis feudalibus à Principe Laico dependentibus potest prestare iuramentum fidelitatis. Belletus *disquisit. Clerical. tit. de fauore personali §. 5. num. 1. & 2.*; non potest Episcopus à Clericis exigere taleas; Belletus *tit. de Clerico debitore §. num. 1.*; potest tamen iusta causa, & in aliquibus casibus, vt quando Episcopus ex suo proprio non habet, vel quando ipse solus non potest debitis satisfacere, nisi petat subsidium charitatiuum, quod non solùm semel, sed etiam pluriès potest exigere, ob rationabilem causam: quæ autem dicatur rationabilis causa, standum est ipsius Episcopi iudicio. Verùm à Doctoribus plures referuntur: Prima est, pro solutione Bullarum, & annatæ, & alijs necessitatibus, & debitis, quibus est grauatus: Secunda est, pro recuperatione Ciuitatũ, Castrorum, & locorum, & bonorum Ecclesiæ occupatorum: Tertia, quando Prælatus vocatur ad Papam, seu ad Conciliũ generale, vel quando accedit ad Concilium Prouinciale, quia proficiscitur pro communibus negotijs: Quarta, quando Ecclesias formalitèr visitat: Quinta, quando pro Ecclesiæ vtilitate, & necessitate emi debet aliquod Castrum, vel Oppidũ, ad arcendos procul, vel expellendos hostes: Sexta, ad soluenda debita, quæ contraxit Episcopus pro suæ Ecclesiæ iure tuendo, & aliundè ex bonis Ecclesiæ solui commodè non possunt: Septima, quando lis magna Ecclesiæ mouetur: Octaua, in aduentu Regis, seu Principis, maximè si Episcopus obtinet regalia, seu quando deber ad illum.

12 Non potest Episcopus sine cõsensu Capituli, & Cleri charitatiuum subsidium Clericis imponere, quem ad hunc effectũ congregare debet, & illi exprimere causam suæ indigentiæ. Belletus *tit. de Clerico debitore §. 1.* Item potest Episcopus à sæcularibus suis subditis exigere debitum subsidium, pro administratione rerum spiritualium, eosque ad id cogere potest. Molin *de iust. tract. 2. disp. 29.*

13 Nec præscriptio currit contrà charitatiuum subsidium; tùm quia contrà charitatiuum subsidium non potest præscribi; tùm quia ius imponendi ipsum consistit in libera facultate Superioris, Abbas *in cap. Cum Apostolus num. 5.* & *in cap. Accedentes nu. 6 de prascript.* Hostiens. *in cap. Cum venerabilis*, Felin. *in cap. Cum dilectus num. 5.* & alij. Ea autem, quæ sunt facultatis, sunt impræscriptibilia. Abbas *in cap. cit.* Hostien. *in cap. cuato.*, & quamuis dictum subsidium, non fuerit aliquoties solutum, non ideo potest allegare Clericus, se esse in possessione non soluendi, quia in his, quæ sunt facultatis, nulla acquiritur quasi possessio. Sic *l. fluminum §. fin.*, & *l. Preculus ff. de damn. infect.*: & ob eandem rationem, ea, quæ sunt facultatis, sunt impræscriptibilia. Regulares, qui ex priuilegio sibi concesso, habent, vt non teneantur ire ad Processiones, si ab Episcopo rogati pluriès accessissent, nõ possũt cogi denuò ad accedendum ad Processiones; tùm quia est priuilegium facultatis, & possunt, si volunt; & si nolunt, abstinere; tùm quia precariò videntur iuisse, & sic nullum ius est Episcopo acquisitum. *cap. Si diligenti, de prascript.* Felin. *in cap. Dilectus num. 7.*

14 Quando constat, Prælatum nullum patrimoniũ habuisse, antequàm ad Archiepiscopatum promoueretur; neque aliunde

dè cõstat, comparasse bona, sua industria, donatione, aut vltima volũtate alterius, presumũtur bona omnia, quę relinquit, acquisita ex redditibus Episcopatus: quando autem cõstat, habuisse patrimonium, aut coniecturæ sunt, comparasse bona, sua industria, & illi aliundè aduenisse, factaque esse propria, Iudicis arbitrio relinquuntur, qui attentis probationibus, & circumstantijs, definiat, quòusque tenenda sunt acquisita ex beneficio, & quòusque esse propria; & in dubio, aliqua eorum diuidẽda sunt inter Ecclesiam, Cameram Apostolicam, seù successorem in Episcopatum, & hæredes defuncti. Molina *de iustitia tract. 2. disp. 29. num. 147.*

15 Bona relicta ab Episcopo regulari post eius mortem, quę post dignitatem ab ipso acquisita sunt, vel etiam hæreditario iure ad ipsum pertinent quòad vsum, & administrationem, post eius mortem ad Ecclesiam spectant, in qua est Episcopus; non verò ad Monasterium, vndè fuit assumptus, & ità habetur *cap. Statutum 18. quæst. 1.* & *cap. Ne pro cuiuslibet 16. quæst. 1.* Molina *loco citato num. 140.*

16 Episcopus non potest exigere charitatiuum subsidium ab Ecclesijs suæ Diœcesis exemptis, cùm non habeat iurisdictionem in loco exempto. Ità Merol. *tom. 3. disp. 7 cap. 5. diff. 3.* Azor. *par. 2. lib. 9. cap. 14. quæst. 6.*: nec etiam à Clericis pauperibus potest exigere huiusmodi subsidium; Hostien. *in cap. Conquerente*; Azor. *loco citato.* Boerius *decis. 135.* Nec etiam à Clericis, qui absque culpa nõ percipiunt fructus beneficij, Merola *disput. 7 de iurisdict. cap. 5. nu. 461.* Moniales pauperes non possunt grauari huiusmodi subsidio: Moniales pauperes dicuntur, quarum redditus sunt adeò tenues, vt de illis sustentari nequeant, sed pro vitæ sustentatione coguntur mendicare, vel artificio manuũ suarum, vel à parentibus victum procurare: neque Moniales non habentes redditus vltrà summam 14. ducatorum aurei pro victu cuiuslibet Monialis. Francis. Leo *in thesauro fori Ecclesiastici cap. 27. num. 86.*, & ità declarauit Pius in sua constitutione. Beneficium grauatum pensione, nõ tenetur ad integrum subsidium, sed Pensionarius etiam tenetur pro sua parte, quia cùm subsidium exigatur ab Ecclesijs propter redditus earum, vt colligitur *ex cap. Conquerente de offic. Ordinarij*; & pensio imponatur super fructibus, iustum est, vt Pensionarius habeat partem oneris in solutione subsidij charitatiui. Merol. *loco citato difficult. 6.* Circà quantitatem subsidij, variæ sunt opiniones. Alij dicunt, standum esse arbitrio Episcopi, à quo si indebitè arbitretur, appellari potest; & ita Boer. *decis. 134 num. 5. & 6.* Menoch. *de arbitrarijs lib. 2. cap. 179. num. 4.*: alij docent, posse accipere quantum ascenderent procurationes singulę, si Prę latus per alium licitè visitaret. Ità *in cap. Felicis de re verb. in 6.* Gemin. *de subsidio charitatiuo p. 43.*

16 Episcopus etiam diues ex patrimonio, potest imponere charitatiuum subsidium. Ità colligitur *ex cap. Quicumque 12. quæst. 4.*, vbi dicitur, quod si Prælatus aliquid de proprio expendit pro vtilitate, vel negotio Ecclesiæ, id debet sibi restitui ab Ecclesia. Ex quo sequitur, quòd si potest Episcopus, expensas factas pro Ecclesia sua, repetere, ipse nõ tenetur de proprio subuenire necessitati Ecclesiæ, & per consequens, nõ poterunt subditi ob prætextum denegare Episcopo charitatiuum subsidium.

PARAG. XI.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs quomodo intelligendum?*

2 *Circà visitationem Altarium, &c.*

† *Circà confessiones personarum sæcularium, &c.*

3 *Non intelligitur in personas nullius Diœcesis.*

4 *Circà Confessarios extraordinarios Monialiũ, &c.*

5 *Circà Superiores regulares electos ante ipsius publicationem, quibus competit potestas.*

† *Potestas audiendi confessiones Monialium, &c.*

6 *Confessarij approbati ad confessiones sæcularium, non censentur approbati ad Moniales.*

7 *Confessarij Monialium approbati pro vna vice non possunt pluriès audire confessiones illarum.*

8 *Statutum quomodo intelligendum, vel liceat Episcopo, ex rationabili causa Superiores regulares admonere, vt amoneãt Cõfessarios Monialium, &c.*

9 *Item qua parte supponit Episcopis regulares delinquentes intrà septa Monasterij, &c. habet locum in omnibus delictis.*

10 *Regularis accedens ad Monasteria, Monialium colloquendi causa, potest ab Episcopo puniri.*

11 *Dies electionis Abbatissæ est Episcopo intimandus.*

1 SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, constitutionem sanctæ memoriæ Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs nequaquã subijcere Regulares, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit Episcoporum iurisdictioni in iis, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis sæcularibus administrandis, ijdem Regulares delinquunt.

2 Et ideò Episcopis non licet in vim eiusdem constitutionis, visitare Altaria Ecclesiarum regularium, quibus non incumbit cura animarum personarum sæcularium; nec loca, vbi in eisdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi confessiones personarum sæcularium audiuntur. Item in vim ipsius constitutionis, non potest Episcopus regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, ac temporalibus, aut certarum personarum confessiones audiant: vel alia illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quòd si aliundè Episcopis huiusmodi facultas competat, illa non fuit ab eadem constitutione sublata.

3 Facultas Episcopi concessa per dictam constitutionem in exemptos iam Regulares, quàm sæculares, non intelligitur tributa in personas nullius Diœcesis. Nec per eandem constitutionem illis verbis,

Possit

Possit Episcopus unà cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatissarum, &c. ius confirmandi Abbatissas fuit concessum.

4 Confessarij extraordinarij Monialium nullatenùs possunt, post Constitutionem, illarum confessiones audire, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbentur: Confessarij verò Ordinarij, ante Constitutionem publicati possunt, durante triennio, ab eorum deputatione incboando, pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis, absque alio examine, & abrogatione Episcopi. Quòd si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica intrà triennium prorogetur; Tunc debent illi ab Episcopo examinari, & approbari.

5 Superiores Regulares electi, seù deputati ante ipsius constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competeat audiendi confessiones Monialium sibi subiectarum, possunt, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopali approbatione, in confessionibus audiendis illarū tantùm, quæ sponte, ac proprio motu id ab illo petierint: At verò ij, qui post Constitutionem eligentur, aut quocumque modo deputabuntur; vel qui in suis officijs, seù dignitatibus, à cōstitutione cuiuslibet Ordinis, vel aliàs legitimè præfinita, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam possunt sanctimonialium confessiones audire; nisi primò à Diœcesano Episcopo approbati, idonei iudicati fuerint.

6 Regulares generalitèr ab Episcopo approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam censentur approbati ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum, sed indigēt, quòad hoc, speciali Episcopi approbatione. Item Regulares, ad audiendas confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbati, non possunt audire confessiones Monialium alterius Monasterij.

7 Confessarij extraordinarij semèl deputati, atque ab Episcopo approbati ad Monialium confessiones audiendas pro vna vice, non possunt pluriès, virtute dictæ approbationis, confessiones illarum audire, absque noua licentia Episcopi.

8 Cùm in eadem Constitutione statutum sit, vt liceat Episcopo, ex rationabili causa, Superiores Regulares admonere, vt admoueant Confessarios Monialium, atque Administratores bonorum earumdē Monialium ad Monasteria pertinentium, ijsque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessarios, & Administratores amouendi, quotiès, & quando opus esse iudicauerit; An huiusmodi causam Episcopus Regularibus significare teneatur? Responsum fuit, huiusmodi causam non teneri significare; sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio seriò onerat, nè facultate sibi in hac parte attributa, quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei Iudicio rationem reddituri.

9 Constitutio, qua parte subijcit Episcopi iurisdictioni Regulares delinquentes circà personas degentes intrà septa Monasteriorum, aut circà Clausuram, vel circà bonorum administrationem, habet locū in omnibus delictis tantùm notorijs, & cū Populi scandalo: quam cum Sacræ Congregationis responsis ad se relatis, Gregorius XV. fęlicis recordationis, & Vrbanus VIII. ad se relatam approbarunt, A. Card. Caiet. 1629.

10 Sacra Congregatio Sacri Concilij Tridentini Interpretum censuit, Regulares absque legitima licentia accedentes ad Monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquijs destinato, cum Moniali colloquentes, posse à Diœcesano Episcopo, tamquàm Sedis Apostolicæ Delegato coerceri, & puniri; quamCongregationis sententiam S.D.N. Vrbanus VIII. ad se relatam approbauit. Cosmus Card. de Torres, 1624.

11 Sacra Cardinalium Congregatio Concilij Tridentini Interpretum respondit, Regulares ex eadem Constitutione ita denuo teneri ad significandum Episcopo diem electionis Abbatissæ, eumque vsque ad præfinitum tempus spectare, si anteà ipse expressè declarauerit, se vti velle facultate in hac parte attributa, Abbatissarumque electioni per se, vel per alium interesse, ac residere: post verò eam declarationem, licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem nō pronunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt; Cosmus Card. de Torres, 1626.

PARAG. XII.

Textus Sacrorum Canonum, De officio Iudicis ordinarij.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi in suis Diœcesibus possunt crimina inquirere.*

2 *Ordinarius qui scit, vt Deus, aliquod crimen non potest ipsum reuelare.*

3 *Ordinarius subiectus Episcopo si proferat sententiam, &c. Episcopus illam seruare debet.*

4 *Si differatur prouisio vacantis Ecclesiæ Æconomus est sibi ponendus.*

5 *Ordinario quando constat, quod absolutio obtenta à Papa fuit subreptitia, &c. debet illum remittere ad Papam, &c.*

6 *Delegati Papa desidia, vel malitia si quis perseuerat in peccato, Ordinarius loco potest supplere.*

7 *Ordinarius supplet negligentiam Abbatis in reuocantis Monachum vagabundum.*

8 *Excommunicatus ab vno Episcopo, est ab alijs vitandus, & Archiepiscopus non potest ipsum absoluere, &c.*

9 *Patriarcha, & Primas non possunt cognoscere de causis subditorum, &c.*

10 *Archiepiscopus impeditus potest alium delegare ad censu-*

consecrandum Suffraganeum.

11 *Archiepiscopus potest delegare causam ad se per appellationem delatam.*

12 *Rescriptum Papæ de corrigendis subditis, non facit ex hoc ipsum Delegatum.*

13 *Episcopi debent corrigere, &c. mores subditorum.*

† *Item Capitulum.*

† *Episcopus potest celebrare in Cathedrali, si Canonici absque causa desistunt à Diuinis.*

† *Prælati in impositione pœnarum debent cauere ab auaritia.*

14 *Episcopus debet prouidere subditis diuersarum linguarum, per Viros idoneos.*

15 *Quando non possunt per se, tenentur assumere idoneos quòad prædicationem, &c.*

16 *Quæ sint iura, quæ possit exigere Episcopus in Ecclesijs suæ Diœcesis?*

17 *Rescriptum Papæ quo mandat, vt Clerici corrigantur, non dat iurisdictionem super exemptos.*

1 EPiscopi in suis Diœcesibus possunt inquirere, & punire crimina, secundùm Canones, & si opus fuerit, inuocare brachium sæculare, nullo Ecclesiæ præiudicio generato. *Ex cap. Perniciosa* 1. *de offic. Iudicis ordinarij.*

2 Episcopus, qui vt Deus, & non vt homo, idest in confessione, scit crimen alterius, nisi iudiciario ordine probari possit, non debet peccantem nominatim arguere, sed indeterminatè: & si is, qui passus est damnum, petat iustitiam, potest excommunicare auctorem damni, licèt sit ei cõfessus; nequit tamen eum nominatim arcere à communione, sed potest secretò admonere, nè se ingerat, *Ex cap. Si Sacerdos* 2. *de offic. Iudicis*, vt suprà.

3 Ordinarius subiectus Episcopo, quãdo excommunicat, vel aliam sententiam fert legitimè, Episcopus illam seruare debet, & sine congrua satisfactione, & de scientia Ordinarij, causa non debet relaxari. *Ex cap. Cùm ab Ecclesiarum* 3.

4 Ecclesiæ vacanti quando non prouidetur in eo, quia præsentatur persona non idonea, vel oritur differentia inter Ordinarium, & præsentatorem, vel alia causa; Ordinarius remota appellatione, ponere debet Æconomos, qui percipiant fructus, & eos vel expendant in vtilitate Ecclesię, vel fidelitèr conseruent futuris successoribus, *Ex cap. Cum Vos* 4.

5 Excommunicatus ab Ordinario, quando obtinet absolutionem à Sede Apostolica, explicando veram causam excommunicationis; & hoc constar Episcopo, Ordinarius cogit illum redire ad Sedē Apostolicam cum litteris Episcopi veritatem continentibus: si verò hoc non constat, sed est suspicio, compellere debet illum coràm se purgare. *Cap. ex parte* 5.

6 Episcopus quando excommunicat aliquos, & isti per appellationem impetrant à Papa Iudicem delegatum, qui illos absoluit, sed nõ inquirit causam ex malitia, vel desidia, Episcopus potest denuò eos excommunicare, donèc Delegatus legitimè prosequatur causam, *Ex cap. Significauit* 6.

7 Regulares dissolutos, vt qui, relicto Claustro, pecunia comparata, discurrunt per Curias Principum, Episcopus admonere tenetur, vt resignata pecunia in manibus Prælatorum, conuertenda in vtilitatem domus, secundùm Abbatis Consilium, Regularem vitam obseruent: & si Prælati sunt negligentes ad eos corrigendos, compellere debet priuatione officij, & beneficij, appellatione remota, *Ex cap. Quante* 7.

8 Excommunicatũ ab vno Episcopo absoluere non debent alij Episcopi, aut etiã Archiepiscopus, quamuis appellet ad eũ; sed remittere tenetur ad Excommunicatorem, qui si non vult absoluere, Archiepiscopus absoluat, excepto iuramento, quod satisfaciet Episcopo in eo, super quo fuit iustè excommunicatus; & si nõ obedierit, reincidat, appellatione remota. *Ex cap. Ad reprimendum* 8.

9 Patriarcha, vel Primas non potest cognoscere causas subditorum Archiepiscoporum, nisi quantum ius Canonicum concedit; idest, si ad ipsum legitimè appelletur, vel ex præscripta consuetudine, vel ex speciali priuilegio Papæ. *Ex cap. Duo simul* 9.

10 Archiepiscopus si legitima causa est impeditus, potest committere suas vices cõsecrandi Episcopum alicui Episcopo Suffraganeo Catholico, & habenti gratiam Sedis Apostolicæ; & consecrandus debet accipere consecrationem ab eo, *Ex cap. Quod Sedem* 10.

11 Archiepiscopus potest delegare causam sibi per appellationem delatam subditis sui Suffraganei, qui si nolunt delegationẽ accipere, ab Archiepiscopo compelli non possunt, *Ex cap. Pastoralis.* 11.

12 Mandatum Papæ datum Episcopis, de corrigendis subditis, appellatione remota, non facit ex hoc ipsum Delegatum, sed Ordinarius manet, vt anteà, ac proindè subditi in casibus, in quibus de iure poterant, & nũc possunt appellare ad Archiepiscopum, *Ex cap. Licèt in corrigendis* 12.

13 Episcopus debet corrigere defectus, & informare mores subditorum, & præcipuè Clericorum, non obstante consuetudine, & remota appellatione, nisi Episco-

† pus in talibus excedat modum: ita vbi est talis consuetudo, Capitulum corrigat excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ ad iussionem Episcopi intrà certum tempus ab eo deputandum; alioquin Episcopus corrigere debet per censuras, *Ex*

† *cap. Irrefragabilis* 13. Canonici si absque causa rationabili cessant à Diuinis. V. g. per Interdictum, maximè in contemptum Episcopi; Episcopus, hoc non obstante, debet celebrare in Cathedrali, & Metropolitanus tamquàm Delegatus Papæ ad querelam Episcopi, re cognita, Canonicos

† castigare, *Ex eod. cap.* Prælati in impositione pęnarũm cauere debent à quæstu pecuniæ, & ab omni alio grauamine, quia Papa inuigilat castigando, *ex eod. cap.*

14 Populi diuersarum linguarum, & rituũ,

ſub Romana fide, quando ſunt in vna Ciuitate, vel Diœceſi, vnus tantùm debet eſſe Epiſcopus, qui prouideat de idoneis Miniſtris ad docendum, & miniſtrandum Sacramenta in diuerſis linguis: & ſi neceſſitas vrgeat, poteſt habere Suffraganeũ Præſulem pro aliqua lingua, qui ſibi ſubſit, & nõ Metropolitano, *Ex cap. Quoniã 14.*

15 Epiſcopi, ſi impediti non poſſint per ſe, aſſumere debent idoneos Coadiutores, qui viſitent, doceant verbo, & exemplo, audiant confeſſiones, iniungant pœnitentias, &c.; & Epiſcopus prouidere debet illis de neceſſarijs. *Ex cap. Inter cætera 15.*

16 Epiſcopalia iura, quæ Epiſcopus exigere poteſt in Eccleſijs ſuæ Diœceſis, etiamſi ſint ſubiectæ Regularibus, ſunt, Canonica obediẽtia, Iuriſdictio, Subiectio, Reuerentia, Inſtitutio, Deſtitutio, Correctio, Cõfirmatio, Cẽſura Eccleſiaſtica, &c. *Ex cap. Conquerente 16.* Item ſententia lata ſuper lege Diœceſana non præiudicat ijs, quæ ſunt de lege iuriſdictionis. *Ex cap. Dilectus 17.*

17 Per reſcriptum, quo Papa mandat Ordinario, vt corrigat Clericos ſuæ Diœceſis, non datur ei iuriſdictio ſuper exemptos, *ex cap. Graue 18.*, Ordinarius, qui ex officio poteſt abſoluere excommunicatos, poteſt alijs committere talẽ facultatem, *Ex cap. His quibus 19.*

PARAG. XIII.

SVMMARIVM:

1 *Archiepiſcopus non poteſt conſtituere Officiales in Diœceſibus Suffraganeorum.*

2 *Canonici, qui ex conſuetudine, &c. poſſunt indicere ceſſationem, debent exprimere cauſam.*

3 *Ordinarij debent compellere ſubditos obtinentes plura beneficia, vt oſtendant diſpenſationem.*

4 *Prælati non poſſunt prohibere, &c. ne ſtatus Eccleſiarum, &c. manifeſtetur Legatis Papæ, Inquiſitoribus, &c.*

5 *Archiepiſcopus debet vti ſua iuriſdictione in Diœceſi.*

6 *Viſitati debent tantùm prouidere de victualibus, quando Epiſcopus viſitat per alium.*

7 *Epiſcopus in quolibet loco ſuæ Diœceſis non exempto, poteſt ſedere pro Tribunali, & exercere iuriſdictionem.*

8 *Capitulum, &c. quando volunt imponere ceſſationem, debent vocare abſentes.*

9 *Prælati cuiuſcumque conditionis, non debent in proprios vſus conuertere bona vacantis Eccleſiæ.*

† *Sed debent ea ſucceſſoribus, vel &c. conſeruare.*

† *Et ſi alicui competant, intelligendum eſt ſolutis debitis, &c.*

1 ARchiepiſcopus non poteſt ſibi conſtituere Officiales in Diœceſi Suffraganeorum, etiam pro futuris cauſis per appellationem deuoluendis ad ipſum, niſi de conſuetudine id habeat, & tunc iſti Officiales non poſſunt inhibere, nè procedatur antequàm ſit appellatum in Curia Metropolitani. *Ex cap. Romana 1. de offic. Ordinarij in 6.*

2 Canonici, qui ex conſuetudine, &c. ceſſationem indicere poſſunt, ante ceſſationem exprimant cauſam ceſſationis in Inſtrumento, vel in litteris patentibus munitis cum proprio ſigillo, &c.; ſi ſecùs fecerint, reſtituant quidquid acceperint de fructibus Eccleſiæ, in qua ceſſatum eſt eidem Eccleſiæ, &c. Item abuſus, ſeu conſuetudo tempore Interdicti proſternendi Imagines, & cooperiendi ſpinis, & vrticis, penitùs tollatur; & qui contrafaciunt, grauitér puniuntur. *Ex cap. Canonici 2.*

3 Ordinarij compellant ſuos ſubditos, vt oſtendant diſpenſationem, quomodo retineant plura beneficia curata, vel perſonatus, & dignitates, vel Eccleſias cum cura, & ſi intrà certum tempus arbitrio Ordinarij aſſignatum, nullo impedimento iuſto interpoſito, non oſtendunt diſpenſationem, conferant prædicta beneficia liberè perſonis idoneis, per eos, ad quos ſpectat collatio; ſi oſtendunt diſpenſationem, eos ampliùs non moleſtent circà prædicta beneficia: prouideant tamen neq; vt cura animarum, nec beneficia debitis obſequijs defraudentur, *Ex cap. Ordinarij 3.*

4 Prælati ſi prohibeant ſub pœna ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti, aut ipſo iure, & exigant iuramentum, nè ſubditi manifeſtent ſtatus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum ſuorum, ac perſonarum ſuperioribus, vel Legatis Papæ, vel Inquiſitoribus, puniantur condigna pœnitentia ab eiſdem ſuperioribus, Legatis, ſuperioribus impoſita; & omnia facta, vt ſententiæ iuramenta, promiſſiones ſint nullius roboris, nec promiſſæ pœnæ à ſubditis poſſint exigi. *Ex cap. Quia plerique 4.*

5 Archiepiſcopus debet cognoſcere, vel delegare cauſas appellationum, quæ ad ipſum deferuntur iure Metropolitano in ſua, vel illius Diœceſi, à quo eſt appellatũ, & non poteſt alibi, niſi de conſuetudine hoc illi competat. *Ex cap. Vt litigantes 5.*

6 Epiſcopus, vt licitè viſitet per alium, viſitati prouidebunt de victualibus tantũ, & Epiſcopus prouidebit de reliquis neceſſarijs, nec Epiſcopus accipiat procurationem à viſitatis, *Ex cap. Si Epiſcopus 6.*

7 Epiſcopus in quolibet loco ſuæ Diœceſis non exempto, poteſt per ſe, vel per alium ſedere pro Tribunali, audire cauſas ſui fori, perſonas Eccleſiaſticas carcerare, & reliqua ſui officij exercere, *Ex cap. Cum Epiſcopus 7.*

8 Capitulum, &c. quando volunt imponere ceſſationem, vocent abſentes de Capitulo: Deindè requirant ab eo, qui fecit offenſam; an velit emendare iniuriam, vel offenſam, & ſi emendationem habent, vel per eos non ſtet, quin habeant, non inducunt ceſſationem, alitèr ceſſare faciant. *Ex cap. Quamuis 8.*

9 Epiſcopi, ſeù quiuis alij Prælati Regulares non præſumant occupare, aut in proprios vſus conuertere bona, quæ inuenta ſunt, dùm vacant, vel colliguntur in tempore vacationis Eccleſiarum, &c. pertinentium ad eorum collationem, ordina-

dinatinnem, præsentationem, &c., quæ debent expendi in vtilitatem, vel conseruari futuris successoribus mortuorum, nisi ex priuilegio, & præscripta consuetudine, vel alia causa rationabili eis hæc competant: Alioquin qui contrafecerint, Episcopi, & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiæ; cæteri ab officio, & beneficio, eò ipso, sunt suspensi, dnnec prædicta restituant: Item si ex priuilegio, consuetudine, vel ratinnabili causa, alicui competunt hæc bona, intelliguntur, solutis debitis, si quę sunt, seruientibus, & Ministris, ac oneribus, vsque ad nouos redditus; mox quæ supersunt accipiant. *Ex cap. Præsenti 9.*

P A R A G R. XIV.

Decreta Summorum Pontificum. De Episcopis.

Episcopi ex Religionibus assumpti, si ad eas redierint, dignitates, & officia illarum obtinere prohibentur. Paulus IV. *constit. 21. incip. In sacra, 19. Iulij 1559.*

Episcoporum residentium sententię non suspenduntur appellatione in concernentibus morum correctionem, & neque decreta non diffinitiua. Pius IV. *constit. incip. De salute, pridie Non. Septembris 1560.*

Episcopi, ac locorum Ordinarij resignationes coram ipsis faciendas intrà mensem admittere, vel reijcere tenentur. Gregorius XIII. *constit. 85. incip. Humano, Non. Ianuarij 1584.*

Episcopi, ac locorum Ordinarij beneficia per resignationem vacantia consanguineis, siuè affinibus resignantium conferre prohibentur. Pius V. *constit. 58. incip. Quanta Kal. Aprilis 1568.*

Episcopi, omnesque locorum Ordinarij curare debent, vt regulæ Indicis librorum prohibitorum inuiolabilitèr obseruētur. Clemens VIII. *constit. 36. incip. Sacrosanctum 17. Octobris 1595.*

Episcopi, ac locorum Ordinarij, & Inquisitores eos Curiæ sæculari tradunt, qui ordine Sacerdotali carentes, Missas celebrant, aut Confessiones audiunt. Clemens VIII. *constit. incip. Et si alsàs 1. Decembris 1601.*

Episcopi vniuersalis Ecclesiæ nomen soli Romano Pont. competit. Pelagius II. *constit. 1. incip. Manifesto Kal. Martij.*

Episcoporum ordo in Ecclesia Dei sublimior est gradus. Leo X. *constit. 22. incip. Dum intra 14. Kal. Ianuary 1516.*

Episcopi, post eorum creationem, & promotionem, Cardinales in Curia pręsentes visitare tenentur. Leo X. *constit. 7. incip. Superna 3. Non. May 1514.*

Episcopi, & Archiepiscopi singulis triennijs Concilium Prouinciale celebrare tenentur. Idem Leo X. *constit. 10. incip. Regiminis 4. Non. May 1515.*

Episcopi, & Archiepiscopi, quas pœnas incurrant, si non resideant, & dùm resident, non possunt citari ad comparendum in Curia, nisi de Papæ commissione. Pius IV. *constit. 10. incip. De salute, pridie Non. Septembris 1560.*

Episcopi aliquid exigentes pro collatione, aut possessione capienda beneficij, pœnas incurrunt, de quibus Pius V. *constit. 104. incip. Durum nimis, pridie Kal. Iunij 1570.*

Episcopi tamquàm Sedis Apostolicæ delegati, visitare possunt Ecclesias Parochiales Fratrum, siuè Militum Hierosolymitanorum in ijs, quæ spectant ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem. Pius V. *constit. 136. incip. Exposcit, 22. Septembris 1571.*

Episcopi, Archiepiscopi, & alij Ecclesiarum Prælati, quando Limina Apostolorum visitare teneantur. Sixtus V. *constit. 15. incip. Romanus Pontifex 13. Kal. Ianuarij 1585.*

Episcoporum, & aliorum Prælatorum in promotionibus ad Cathedrales qualis debeat esse inquisitio. Gregorius XIV. *constit. 6. incip. Onus Apostolica, ibidem May 1591.*

Episcopi, omnesque alij Ecclesiarum Prælati in toto Orbe debent vti Pontificali reformato. Clemens VIII. *constit. 38. incip. Ex quo 10. Februarij 1596.*

Episcoporum Cæremoniale reformatum, atque reuisum in vniuersa Ecclesiâ recipi, & obseruari mandauit. Clemens VIII. *constit. 69. incip. Cum nouissimè 14. Iulij 1600.*

Episcopi, habitâ notitia cuiuscumque Ecclesiæ Parochialis, Vicarium cum congrua fructuum portione constituunt, qui tantis per Ecclesiæ onera sustineat; & tenentur intrà sex menses, seruata forma, concursus Concil. Trident. Parochiales Ecclesias in ipsorum mensibus vacantes conferre, & magis idoneos repertos in concursu beneficij in Sede Apostolica conferendi, intrà quatuor mensium spatium significare. Pius V. *constit. 33. incip. In conferendis 16. Kal. Aprilis 1567.*

Episcoporum in Capella Sanctitatis suæ assistentium priuilegia, & indulta. Gregorius XV. *constit. 32. incip. Circumspecta 17. Augusti 1622.*

Decreta Sacrę Congregationis Rituum. De Episcopis.

Episcopi Sedes apud parietem contrà Altare constituenda est; & locanda cum decenti ornamento, & apud Sedem Episcopi, hinc indè Sedes pro Dignitatibus, & Canonicis deponi debent. *In Tranana 9. Octobris 1610.*

Episcopus potest sibi Sedem in Ecclesiâ extrà Chorum vbicumque voluerit, parare, dummodò etiam pro Canonicis locus paretur. *In Granaten. 7. Maij 1606.*

Episcopus ad Matutinum in nocte Natiuitatis potest sedere vel in Sede Chori, vel in Sede Episcopali à cornu Euangelij, prout meliùs sibi videbitur, & magis populo satisfecerit. *In Alexandrina 25. Martij 1606. in dub. 15.*

Episcopus priùs promotus, seù electus ad Episcopatum, debet alteri Episcopo post ipsum promoto, vel electo præcedere, etiamsi

etiamsi sit ipso dignior, & illustrior. *In Segobricen. 21. Mart. 1609.*

Episcopus Diœcesanus in sua Ecclesia, & Diœcesi in functionibus Episcopalibus præferendus est omnibus Archiepiscopis, & Episcopis etiam ipso antiquioribus, & dignioribus, Metropolitano suo tantũ excepto. *In Barchinonen. 10. Ianuar. 1609.* sed ex vrbanitate debet honorare in sua Diœcesi alios Episcopos aduenas, & extraneos; *Ibidem.*

Episcopo extrà suam Diœcesim, & in loco, in quo non habet iurisdictionem, non cõueniunt ea, quæ proprio Episcopo in sua Ecclesia, & Diœcesi debentur. *In Policastren. 21. Augusti 1604.*

Episcopi proprium munus est, & non simplicis Sacerdotis, reconciliare Ecclesiam pollutam, & nouam benedicere. *In Placentina 19. May 1617. in 19. dub.*

Episcopus potest incipere visitationem ab Ecclesia, quæ sibi magis placuerit, reseruatis iuribus. *In Aquitanien. 10. July 1602. in 2. dub.*

Episcopus potest primum suprà Dignitates, & Canonicos suo Vicario locũ assignare. *In Æguanien. 20. Decembris 1601.*

Episcopus in omnibus suæ Diœcesis Ecclesijs, quantumuis exemptis, & priuilegiatis, est honorandus; eique in Choro, in Capitulo, in Processionibus, ac alijs actibus publicis primus locus, & prima sedes, quã ipse elegerit, danda est; nec potest prohiberi, quominùs in dictis Ecclesijs, etiam exemptis Pontificalia exerceat; imò potest Episcopus Contradictores pœnis, & Censuris Ecclesiasticis compellere. *In Tullen. 6. Decembr. 1613.*

Episcopus, præsente Legato de Latere in Ciuitate, non potest populum benedicere, nec vti Cruce, Mozzetta, vel Rochetto detecto. *In Perusina 2. Octobr. 1601.*

Episcopus potest vti opera duorum Canonicorum, sed non plus duobus, siuè de Cathedrali, siuè de Collegiata. S. Congr. Cõc. *in Colonien. 9. Septembr. 1628.*

Episcopus absens non lucratur alternatiuã, etiam quando abest ex causa à Concilio approbata. S. Congr. Conc. Garz. *in addit. ad suum tract. de benefic. part. 5. cap. 1. num. 463.*

Episcopus præsens Missæ in Ecclesia Collegiata exempta in sua Diœcesi, præsente Abbate Ecclesiæ Collegiatæ, debet confessionem facere cum celebrante, benedicere incensum, & Ministros, ac benedictionem solennem dare. *In Alexandrina S. Petri 7. Februar. 1604. ad 5. dub.*

Episcopus consecratus solùm potest benedicere vtensilia, & vasa Ecclesiastica, in quibus adhibetur sacra Vnctio. *In Brixien. 9. May 1610.*

Episcopo inuito, & inconsulto, nemo potest de nouo erigere Confraternitates, & statuta confirmare, sed ad ipsum priuatiuè quò ad omnes alios spectat. *In Elboren. 7. Octobris 1617.*

Episcopus assistens ad Missam, thurificandus est semper à Presbytero assistente, siuè sit Dignitas, siuè Canonicus; non autem à Diacono Euangelij, licèt sit Canonicus. *In Placentina 9. May 1607. in 9. dub.*

Episcopus, si voluerit venire in Ecclesiam, officia non sunt inchoanda ante eius aduentum, sed signo dato, & eo non adueniente, non est vltrà expectandus. *In Salamantin. 16. July 1605.*

Episcopus non celebrans Synodum quotannis, incurrit pœnas à iure statutas. S. Cõgr. Conc. *26. Iuny 1621.*

Episcopus Regularis tenetur recitare officium, iuxtà Ritum suæ Diœcesis, & non iuxtà Ritum suę Religionis. S. Congr. Rit. *pro Regulari promoto ad Episcoporum, 11. Iuny 1605.*

Episcopus potest delegare alicui Sacerdoti sibi benè viso benedictionem Ecclesię, seu Capellæ in agro existenti, si aliàs est legitimè constructa. Sac. Congreg. Rituum *in Pennen. 14. Februar. 1632.*

Episcopo Diuinis cum cappa interessenti, non per Dignitates, & Canonicos assistẽtes, sed per se ipsum, biretum poni, & deponi debet. S. Congr. Rit. *in Lucana 4. Augusti 1632.*

Episcopus in Vesperis decantandis per aliquam ex Dignitatibus Cathedralis, non potest, stante penuria Sacerdotum, admittere pro assistentibus com-pluralibus Clericos in Minoribus constitutos, etiam in solẽnioribus Anni festiuitatibus. S. Cõgr. Rit. *in Caserian. 18. Septembris 1632.*

Episcopo venienti ad Ecclesiam, dùm in Choro à Canonicis recitantur horæ Canonicæ, saltem duo ex Canonicis tenentur è Choro discedere, & obuiã ire, porrigentes aspersorium: si verò non recitentur horæ, omnes in Ecclesia, & Choro præsentes tenentur obuiam ire, & excipere. S. Congr. Rit. *in Lunen. Sazzanen. 3. Martij 1633.*

Episcopo distribuente cineres, candelas, & palmas, præferendus est ille, à quo Episcopus prædicta recepit, post quem Dignitates, & Canonici sacris vestibus induti; & ante omnes Vicarius generalis: In adoratione autem Crucis ante Dignitates, & Canonicos, in habitu Canonicali est preferendus Vicarius generalis. S. Congr. Rit. *in Causa S. Marci. 5. Mart. 1633.*

Episcopo Suffraganeo non tenentur Canonici obuiam ire vsque ad cubiculum, sicut tenentur proprio Episcopo venienti ad Ecclesiam, sed satis est, si aliqui Canonici ei obuiam procedant vsque ad portam Ecclesiæ. S. Congr. Rit. *in Bracharen. 1. Septembris 1607.*

Episcopo Suffraganeo solenniter celebranti non debent Canonici assistere, sicut assisterent Episcopo proprio, sed in habitu ordinario, & Canonicali. Ead. S. Congr. Rit.

Episcopo Suffraganeo facienti ordinationes, vel alias functiones nomine proprij Episcopi, Canonici debent assistere in habitu ordinario canonicali, præter aliquos, qui iuxtà necessitatem officij, debẽt accipere paramenta. Ead. S. Congreg. *in d. Bracharen.*

Episcopus Suffraganeus solenniter celebrãs

non

non debet sedere in Sede Episcopali, sed in Faldistorio. Ead. S. Congr. Rit.

Episcopus Suffraganeus solenniter celebrãs non debet vti baculo Pastorali, nisi in ordinationibus, & alijs actibus necessarijs. Ead. S. Congr. Rit.

Episcopo Suffraganeo solenniter celebrante, non debet poni super Altare septimũ candelabrum, sicut ponitur, celebrante Episcopo ordinario. Ead. S. Congr. Rit. *in d. Bracharen.*

Episcopus Suffraganeus, quando nomine proprij Episcopi exercet functiones Episcopales, debet habere assistentiam Dignitatum, & Canonicorum. Sac. Congreg. Rit. *in Bracharen. 21. Februarij 1604.*

Episcopus Suffraganeus titularis, qui obtinet Præposituram in Cathedrali, subest cum alijs Canonicis visitationi sui Episcopi. Sac. Congr. Conc. *in Florentina 24. Iulij 1632.*

Episcopus potest de iure in omnibus Ecclesijs suæ Diœcesis, quantumuis exemptis, & priuilegiatis, Missas, & Diuina Officia cũ assistentia suorum Canonicorum, etiam in Pontificalibus celebrare, siuè ab alijs, sine tamen Pontificalibus, celebrari facere, & in eis habere circulos contradictores, per censuras cogendo. S. Congr. Rit. *in Ferraren. 20. Iuly 1600. & in Alexandrina S. Petri in Broglio 7. Februarij 1604. ad 1. dub. & in Tullen. 6. Decembris 1613.*

Episcopus celebraturus in Altari, vbi est Sãctissimum Sacramentum, debet stare capite cooperto, vt in reliquis Altaribus, sed transeundo per illud, debet aperire caput. S. Congr. Rit. *ex voto Magistri Caremoniarum.*

Episcopus potiùs Canonicis, cum genuflectit, quàm Altari renes vertere debet. Sac. Congreg. Rit. *in Conimbric. 23 Maij 1603.*

Episcopus tantùm, & non alius, dum priuatè celebrat, potest accipere paramenta in ipso Altari, & duos habere Ministros superpelliceis indutos, præter alium Ministrum Clericum, siuè Laicum communi veste indutum. S. Congr. Rit. *in Cremonen. 7. Iuly 1608.*

Episcopo celebranti non conuenit Prelatos, Canonicos, & alios quoscunque thurificare, & aqua benedicta aspergere. S. Cõgr. Rit. *in Vladislauien. 2. Mart. 1613.*

Episcopus assistens Diuinis officijs cũ Cappa, non debet singulos Canonicos ante ipsum salutare, detegendo caput, sed satis est, illis manu benedicere. S. Congr. Rit. *in Eluen. 10. Iannar. 1604. in 5. dub.*

Episcopo celebranti, siuè faciat ordinationes, siuè non, tenentur assistere quinque personæ, iuxtà formam libri Pontificalis. S. Congr. Rit. *in Barbastren. 17. Iunij 1606. & in Iacen. 5. Ianuar. 1609*

Episcopo celebranti debet assistere prima Dignitas in ordine Presbyterali constituta, quocũque nomine appelletur. S. Cõgr. Rit. *in Vercellen. 7. Augusti 1610.*

Episcopus volens exercere Pontificalia extrà Ecclesiam Cathedralem, potest secum aliquos de Capitulo ducere, qui sibi assistant, & administrent. S. Congreg. Rituum *in Aegitanien. 3. Augusti 1602. in 4. dub.*

Episcopo Pontificaliter celebranti in Ecclesia Collegiata, vel Parochiali assistere spectat ad Canonicos Cathedralis, si adsint, non ad Canonicos Collegiatæ. Sac. Congreg. Rit. *in Brundusina 15. Iuly 1617*

Episcopus debet habere assistentes digniores, & honoratiores; & si aliquas functiones exercet in Ecclesia non Cathedrali, nec Collegiata, debent ei assistere Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ; etiamsi in illis Ecclesijs sufficiens sit; alioqui numerus Presbyterorum. S. Congr. Rit. *in Galagurritana 1. Iunij 1601.*

Episcopus potest olea sacra Cathecumenorum, & Infirmorum, si à Cathedrali absuerit, in alia Ecclesia consecrare, & benedicere. S. Congr. Rit. *in Orrelen. 17. Nouembr. 1600.*

Episcopus ex causa necessitatis, potest conficere olea Sacra cum minori numero Ministrorum, quàm præscribatur in libro Pontificali. S. Congr. Rit. *in Cunen. 21. Augusti 1604.*

Episcopus, si in die Palmarum vnà cum Capitulo, & Clero personaliter ad Monasterium Regularium accedere teneatur, debet ipse benedicere palmas priuatiuè quòad Abbatem. S. Congreg. Rit. *in Fanen. 11. Aprilis 1601.*

Episcopus Diuinis assistens, non debet longiùs à Canonicis separari. S. Congr. Rit. *in Granaten. 9. May 1606.*

Episcopus, qui celebrat tempore Quadragesimæ singulis diebus, quando non celebrat solenniter, debet vti habitu quotidiano cum Stola sacra. Congreg. Rituum *in Spalaten. 23. Nouembris 1602.*

Episcopus non debet cum Cappa Vesperas celebrare. S. Congr. Rit. *in Alexandrina 25. Mart. 1608. in 8. dub.*

Episcopo assistẽti Diuinis Officijs cum Cappa non debent Canonici ponere, & deponere biretum in eius capite, nec isto casu ei assistere. Sacr. Congreg. Rituum *in Thelesina 22. Decembris 1629.*

Episcopus exercens Pontificalia extrà Cathedralem, non Presbyteros simplices, sed Canonicos Cathedrali inseruientes adhibere debet. S. Congr. Rit. *sub die 2. Augusti 1631.*

PARAG. XV.

Decreta Sac. Congregationis Concilij.

Episcopus non potest dispensare, vxore mortua, cum Bigamo effecto bigamia interpretatiua, vt in ordine anteà suscepto ministret. Sac. Congr. Concil. *in Feretrana 13. Aprilis 1630.*

Episcopus in alterius Diœcesi existens, potest, præuia licentia illius, tàm subditos proprios, quàm Episcopi licentiam concedentis, absque incursu pœnarum, ordinare. Sac. Congr. Concil. *22. February 1630.*

Episcopus, vt possit admittere ordinandum ad titulum patrimonij eius arbitrio, iuxtà *Conc.*

Conc. sess. 21. cap. 2. de reformat. sufficit vel necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, quamuis Concilium dicat, necessitate, ac vtilitate, quia illa particula, ac, intelligitur loco, vel, Sac. Congr. Concil. 17. *Martij* 1619.

Episcopus, licèt familiarem suum triennalē aliàs sibi non subditum, conferendo ei statim beneficium ordinare, & illi litteras dimissorias ad ordinandum à quocumque dare possit, super insterstitijs tamen temporum, seù illegitimitate, dispensare non potest. S. Congr. Conc. *testibus Galet. in Margarita casuum conscient. verbo Ordo, pag.* 194. *col.* 1. Garz. *de benefic par.* 2. *cap.* 5. *nu.* 86. Armendar. *in addit. ad recopil. legum.* Nauar. *lib.* 1. *tit.* 18. *l.* 7. *de Episcopis num.* 48., quos refero *de officio, & potestate Episcopi, par.* 2. *alleg.* 5. *num.* 14.

Episcopus non potest ante ordinationem exigere ab ordinando promissionem de inseruiendo certæ Ecclesiæ, etiam post habitum beneficium simplex residentiam non requirens. S. Congr. Concil. *in Lauretana* 15. *Aprilis* 1628.

Episcopus tenetur adscribere ad seruitium Ecclesiæ Clericum in minoribus constitutum, vel prima tonsura initiatum petentē adscribi. S. Congr. Concil. *in Valentia* 29. *Iunij* 1628.

Episcopus non tenetur vocare Archidiaconum, vt intersit examini ordinandorum. S. Congr. Concil. *sub die* 21. *Ianuarij* 1617.

Episcopus qui non constituit examinatores in Synodo, sed ex seipso deputauit, vel quia priores erant mortui, vel quia nulla aderat facultas congregandi Synodum, nempè propter pestem, nulliter prouidet de Parochialibus, licèt quandoq; Sūmus Pōtifex mādauerit, istos tolerari, iniungēdo, quod quamprimùm facta Synodo, noui eligantur examinatores, & quod prouisi per concursum cum examinatoribus ab Episcopo solo deputatis, nouas prouisiones impetrent, vel denuò legitimè examinentur, & approbati ab Episcopo de eisdem Parochialibus prouideantur, si in mensibus Ordinarij vacauerint. S. Congr. Concil. ex Garz. *in addit. in suo tract. de benefic. par.* 9. *cap.* 12. *num.* 85.

Episcopus habenti congruā non potest aliud beneficium dare; & si dederit, vacat primum illud, quod habebat, dummodò beneficium titulare sit, quamuis difforme à secundo recepto; & si vtrumque retinere tentauerit recepta pacifica possessione secundi, vacabit vtrumque. S. Congregatio Concil.

Episcopus habēti vnum simplex beneficium, quod non sufficiat ad eius sustentationem, potest aliud simile conferre absque dispē‑sation Apostolica, sed non potest plura simplicia vsque ad sufficientem eius sustētationē cōferre citrà dispēsationē Apost.

Episcopus non potest eligere examinatores Synodales, qui non sint Doctores, seù Magistri, aut licentiati in Theologia, vel iure Canonico, si extent, alioquin alij Clerici sunt eligendi, qui ad id magis idonei videbuntur. S. Congr. Concil. *in Saonen.* 19. *Februarij* 1628.

Episcopus non prohibetur instituere ad beneficium obtinentem duo alia simplicia, sed ipse institutus posteà non potest vna cum duobus alijs priùs obtentis vtrumque ad sustentationem sufficiens retinere absque alia prouisione, seù dispensatione Apostolica.

Episcopus potest habenti duo simplicia beneficia aliud conferre, sed quamuis duo priora sint ab obtinentis collatione insufficientia, non possunt retineri simùl cum tertio, absq; noua prouisione Sedis Apostolicæ. S. Congr. Concil. 10. *May* 1608.

Episcopus manutenēdus est in sua quasi possessione concursum instituendi; donèc inferior coram Iudice competente legitimè probauerit ius cogendi Synodum habere, aliàs coegisse, in eaque examinatores ad præscriptam Concilij formam *sess.* 24 *cap.* 18. deputare S. Congr. *sub die* 17. *Ianuarij* 1585. *& sub die* 4. *Augusti* 1594.

Episcopus potest Regulares in ijs, quę curam animarum, & Sacramentorum administrationem concernunt, visitare, & examinare, & contrà eos non parentes, & non exequentes decreta in visitatione facta procedere, eosque cogere ad exequendum. 10. *Martij* 1621.

Episcopus loci Ordinarius prohibere potest, nè Regulares in suis Ecclesijs Sacerdotes sæculares exteros, ad Diuina Officia celebranda permittant, nisi priùs ab ipso Episcopo visis litteris commendatitijs, ipsi Sacerdotes admissi fuerint.

Episcopus, statim habita notitia delicti Regularis, notoriè extrà Claustrum delinquentis, potest informationem capere, & illam ad Superiores Regularis mittere, vt nequeat de eodem delicto ignorantiam præsumere. S. Congr. Concil. *sub die* 19. *Septembris* 1625.

Episcopo sufficit, quòd vnica vice Superiorem Regularium moneat, eiq; terminum præfigat ad castigandum subditum, publicè cum scandalo, & extrà Claustrum delinquentem. Eadem.

Episcopo nulla iurisdictio est concessa per decretum Concil. *sess.* 25. *de regular. cap.* 9. in Monasterijs Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, nisi in concernentibus spiritualia; in temporalibus verò nihil agere potest.

Episcopus potest etiam in Ecclesijs Regularium facere, vt cantentur Missæ Rogationum per suos Canonicos. S. Congr. Rit. 25. *Ianuarij* 1603.

Episcopus non potest cogere Regulares, vt faciant commemorationem ipsius in vltima collecta. S. Congr. Rit.

Episcopi in vim cōstitutionis Gregorij XV. de priuilegijs exemptorum, non possunt Regularibus præscribere, vt certis tantum in locis, aut temporibus, aut certarum personarum confessiones audiāt, vel alia illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Sacr. Congr. Concil. *dub.* 2. *de anno* 1623. *post meum tract. de offic. & potestate Episcopi pag.* 5. *secundùm Lugdunen. impress.*

Epis-

Episcopus in Monasterijs etiam Superioribus Regularibus subiectis, examinat eas, quæ Moniales fieri volunt, primò scilicet, quando habitum suscipiunt; secundò verò tempore professionis; & ideò poterit earumdem Rectores compellere, ne habitum Nouitiæ dent, nisi priùs Episcopum certiorem faciant, vt puellæ voluntatem explorare valeat. S. Congr. Concil. *in Liman.18.Septembris* 1625.

Episcopus potest prohibere, Ecclesiasticis censuris, & alijs pœnis sibi benè visis contrà Abbatissas, & Superiores Regulares Monialium ipsis Regularibus subiectarũ, nè qua puella professionem emittat, nisi priùs explorata illius voluntate ab Ordinario ad præscriptum Concil.*cap 17.sess.25. de regul. S. Congr. Concil. in Burgen. 4. Decembris* 1627.

Episcopi extrà propriam, & alienam Diœcesim commorantes, non possunt accedere, nec ingredi Monialium septa sine licentia Episcopi prohibentis, nè quis accedat ad Monasteria Monialium. S. Congr. Conc.*in Ianuen.*10 *May* 1631.

Episcopus agere potest contrà Regulares vagantes de vno in alium ordinem translatos, in Bulla Pij V. reuocatoria indultorum recipiendi, vel retinendi Religiosos alterius Ordinis etiam laxioris. S.Congr. Concil. ex Armendar. *lib.2.tit.18. l. 7. de relig.num.*68.

Episcopus potest præcipere Regularibus in sua Diœcesi commorantibus, vt eant ad Processiones publicas, vt in festo Corporis Christi, Litanijs, & Iubilæis publicis faciẽdis, dummodò Processiones sint eius generis, quæ Bulla Pij V. incip. *Et si mendicantium* Mendicantibus concessæ comprehendantur, & dummodò Regulares non sint ex illis Conuentibus, Collegijs nuncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur. S. Congr. Concil.

Episcopus non potest compellere Regulares exercentes curam animarum in suis Monasterijs, vel alij eisdem vnitis, ad interessendum Officijs Diuinis, diebus Sanctorum Protectorum Ciuitatis in Ecclesia Cathedrali. S. Congr. Concil.*sub die* 5. *Decembris* 1626.

Episcopus, aut eius Vicarius generalis speciale mandatum habens in Monasterijs sibi subiectis auctoritate ordinaria; in alijs verò Summo Pontifici subiectis delegata auctoritate possunt cõcedere facultatem ingrediendi Monialium Monasteria. Sac. Congr. Concil.ex Armend.*lib.2.tit.18.lib.7. de relig. num.* 109. quem refero *de offic.& potest. Episcopi par.3. allegat.*102.*num.*38.

Episcopus, siuè eius Vicarius generalis, ac Superior Regularis, cui Moniales subiectæ sunt, possunt concedere personis sæcularibus licentiam alloquendi dictas Moniales, ità vt idem Episcopus, seù eius Vicarius primo loco subscribat: per Diœcesim verò, non ad Vicarium foraneum, sed ab eodem Episcopo ad id deputandum, necnon Superiorem Regularem, qui priori loco subscribat pariter, spectabit huiusmodi licentiam concedere; idemque quoad licentiam eorum, quibus ordinariè intrà septa Monasteriorum earumdem Monialium ingredi necesse est, seruandum, est repentinis tamen casibus extremæ necessitatis exceptis, in quibus licentiã alterius subscriptione roborare sufficiat. Edicta verò, quibus personis sæcularibus ad earumdẽ Monialium Monasteria accessus prohibetur, ab Episcopo dũtaxàt subscribenda, & publicanda sunt. S.Congr. Concil. *in Camerinen.*21.*Febr.* 1617. In illis verò locis, in quibus adesset consuetudo, vt istæ licentiæ ab Episcopis tantùm concedantur, tùnc non sunt à Superioribus Regularibus petendæ, sed ipsorum Episcoporum tantummodò licentiæ sufficiunt, etiam priuatiuè quòad ipsos Regulares. Eadem S.Congr. Concil. 21. *May* 1630.

Episcopo facultas attributa vigore Concil. *sess.*25.*cap.*14. *de reform.* vendicat sibi locum, etiam cùm Regulares notoriè, & cũ scandalo extrà Claustra, intrà Ecclesiam delinquunt, non ità si intrà Claustra. S.Cõg. Concil *sub die* 19. *Septembris* 1625. quam refero ego ipse *in collect. ad cap. vlt. num.* 8. *de statu Monach.*

Episcopus in Regulares curam animarum personarum Regularium exercentes in ijs, quæ dictam curam, & Sacramentorum administrationem concernunt, eadem auctoritate vti potest, qua in Parochos sæculares. S. Congr. Concil.*in Liman.* 18. *Septembris* 1625.

Episcopi, aut alij locorum Ordinarij, vigore cuiusuis decreti Concilij Tridentini, nullam habent facultatem quouis tempore in Monasterijs, domibus, & Ecclesijs Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum sæcularium, visitandi Sacristias, paramenta, vasa sacra, Altaria, & cætera huiusmodi; aut etiam Tabernaculum, aut pyxidem, in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur. S.Congr.Concil.

Episcopus habet iurisdictionem in Moniales, quæ priuilegio, vel indulto Papæ sunt immunes in ijs, quæ ad clausuram, & spiritualium rerum curam pertinent. S.Congr. Concil. Armendar. *lib.* 2. *tit.*18. *l.*7.*de relig. num.*95.

Episcopus potest visitare, & corrigere Regulares degẽtes extrà Claustra, occasione docendi Doctrinam Christianã. S.Congr. Concil.*in Malinen.de anno* 1626. quæ priùs *in vna Liman.*10.*Iuny* 1591. declarauerat, id locum non habere in Patribus Societatis Iesu, qui munere docendi Doctrinam Christianam funguntur, dùm tamen habeant illis in locis Superiores, qui curam ipsorum gerant, & apud quos se recipiant, iuxtà regulæ institutum viuentes.

Episcopus non debet se interponere in Monasterijs, in quibus vrget regularis obseruantia. S.Congr.Concil.ex Armendar. *lib.* 1 *tit.*6.*de visitat.num* 98.

Episcopus non debet Regularibus ad confessiones audiendas approbationem concedere,

cedere, aliqua temporis præfinitione, sed idoneos repertos absolutè approbare, & minùs idoneos repellere. S. Congr. Concil. *sub die 2. Septembris* 1603.

Episcopus potest in casu negligentiæ dare Confessarium extraordinarium eiusdem Ordinis Monialibus Regularibus, & ex causa alterius Ordinis, & etiam sæcularem. S. Congr. Concil. *in Cameracen. 10. Decembris* 1631.

Episcopus regularis tenetur recitare Officiū iuxtà ritum suæ Diœcesis, & non iuxtà ritum suæ Religionis, & concurrente festo suæ Diœcesis cum festo suæ Regulæ, tenetur recitare officium Diœcesis, & non Regulæ. S. Congr. Rit. *pro regular. promoto ad Episcopatum 11. Iunij* 1605.

Episcopus priuatiuè ad alios habet ius indicendi, & ordinandi Processiones publicas, & ad illas per publicum Edictum populum conuocandi. S. Congr. Rit. *in Elboren. 14. Ianuarij* 1617.

Episcopo pertinet, cum Capituli tamen consilio, indicere publicas Processiones, ac præscribere, quomodò & quò sint dirigendæ. S. Congr. Concil. *in Comen. 7. Februarij* 1632.

Episcopus potest declarare, an liceat facere Processionem per Ecclesiam Dominicis, & festiuis diebus. S. Congr. Rit. *in Bracharen. 20. Martij* 1604.

Episcopus potest suo arbitrio indicere tàm horas Processionis Sanctissimi Sacramenti, quàm aliarum, & Magistratus, ac omnes ei tenentur obedire. S. Congr. Rit. *in Vrbeuetana 17. Iunij* 1606.

Episcopus potest compellere Regulares, Mēdicantes, & Monachos, etiam sub censuris, vt accedant ad publicas, & generales Processiones. S. Congr. Rit. *in Chilen. in Indijs 15. Maij* 1610.

Episcopus non debet prohibere Societati Laicorum, quominùs deferant fanalia accensa in Processione Sanctissimi Sacramenti. S. Congr. Rit. *in Adrien. 12. Aprilis* 1603.

Episcopus visitans in vim Concilij, locum exemptum, seù nullius Diœcesis, non potest processus iudicialitèr conficere, causasque ordinarias cognoscere, ac definire. S. Congr. Concil. *sub die 8 Iunij* 1619.

Episcopus potest subdelegare facultatem visitādi Ecclesiam Collegiatam exemptam, sed opus est subdelegatione speciali. Sac. Congr. Concil. *in Lucana 7. Februarij* 1631.

Episcopus legitimè impeditus, potest ex facultate sibi tradita à Concilio *cap. 9. sess. 24.* Ecclesias, quæ nullius sunt Diœcesis, per suum Vicarium generalem visitare. Sac. Congr. Concil. *17. Ianuarij* 1585.

Episcopus non tenetur accedere ad locum Capitularem pro visitandis singulis Canonicis, sed potest singularitèr illos ad se vocando visitare. S. Congr. Conc. *in Oriolen. 27. Martij 1632. ad 4.*

Episcopus in generali visitatione sólus sine Coniudicibus potest procedere contrà Canonicos, eisque pœnam imponere extraordinariam, quæ magis morum emendationem quam correctionem recipiat. *Eadem S. Congr. ad 4.*

TITVLVS VII.

De Vicario Generali Episcopi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, loco Coepiscopi, nunc habet Vicarios.*
† *Vicarij sunt in triplici differentia.*
2 *Vicarius datus eligitur ab Episcopo.*
† *Vicarij, & Episcopi vnum est tribunal.*
3 *Quis possit esse Vicarius?*
4 *Vicarij iurisdictio in quibus consistat?*
5 *Vicariatus est dignitas, quæ habet iurisdictionem.*
6 *Vicarius quando præcedat Canonicos?*
7 *Non potest Missas, &c. celebrare.*
8 *Vicarij qualitates.*
9 *Vicarius, posita causa, potest admoneri.*
† *Si Episcopus sit excommunicatus, non potest suum officium exercere, &c.*
† *Item mortuo Episcopo, expirat eius iurisdictio.*
10 *Vicarius quando possit de causa sibi commissa, tempore Vicariatus, cognoscere, &c.*
11 *Non tenetur ad Sindicatum.*
† *Potest processiones indicere, &c.*
12 *An possit absolui ab alio, si incidat in casum reseruatum?*
13 *Ex generali concessione, non potest conferre beneficia.*
14 *Episcopus potest plures Vicarios constituere.*
15 *Potest exercere ea, quæ sunt voluntaria iurisdictionis.*
† *In aliquibus casibus potest alium substituere.*
16 *Vicarius Archiepiscopi non habet iurisdictionem in Suffraganeos.*
17 *Vicario debetur salarium.*
† *Episcopus potest euocare causam coràm Vicario pendentem.*
18 *Potest recusari vt suspectus.*
† *Episcopus potest esse Iudex sui Vicarij.*
19 *Episcopus non potest remouere Vicarium à Papa constitutum.*
20 *Mortuo Episcopo, &c. Vicarij iurisdictio expirat.*
21 *Per Episcopi excommunicationem suspenditur.*

1 Episcopi, quia non possunt omnia per se ipsos, quæ spectant ad proprium officium, exequi; ideò Sacri Canones adiutores illi statuerunt: olim dabantur Episcopis Coadiutores, qui Coepiscopi vocabantur, hodie habent Vicarios, qui in pluribus vices gerunt ipsius Episcopi, qui
† sunt in triplici differentia; alij dicuntur Vicarij nati, qui à lege ipsa constituti sūt, vt est Archidiaconus; alij sunt dati, seù constituti, & sunt illi, quos Episcopus cōstituit; vt eius vices gerant in eodem Tribunali, & loco, in quo ipse ius dicere solet: Vicarij Foranei appellātur, qui in aliqua Diœcesi, vel ad certos actus iurisdictionem exercent, ex commissione Episcopi.

2 Vicarius datus, seù constitutus eligitur ab ipso Episcopo, tamquàm præcipuus Officialis ipsius, sine consensu Capituli; & Vicarius sic electus censetur Iudex ordinarius, & non delegatus, eò, quod à sententia Vicarij non ad Episcopum, sed ad
† Superiorem appellatur, quia Episcopi, &

Vicarij vnum est Tribunal; quod intelligendum est de Vicario Generali, non autem de speciali Delegato ad aliquas causas, quia tunc ad Episcopū fit appellatio: quod etiam debet intelligi de causis spiritualibus, quia si Episcopus temporalem iurisdictionem haberet, ab eius in temporalibus Vicario iurisdictio exercenda erit. Ita apud Barbosam, *Iur. Vniuersi Ecclesiastici lib.1.cap.15.num.17. & 18.*

3 Laicus non potest eligi in Vicarium, sed debet esse saltem initiatus prima tonsura, qui Doctor, saltem in iure Canonico existat, aut licentiatus, aut aliàs quantum fuerit idoneus. *Cap. in noua 16. quæst. 17. Cap. Decernimus vbi Abbas num. 12.* Felin. *nu.6.* Decius *num. 15.* Clericus coniugatus non potest esse Vicarius, Abb. *in cap. 2. num. 12.* Decius *num. 23.* Felin. *num. 6.* Sbroz. *de offic. Vicarij quæst.31. num. 5.*. Neque Bigamus, nisi priùs solutus fuerit impedimento bigamiæ. Religiosus, de licentia sui Superioris, potest esse Vicarius. Gloss. *in cap. ad præsentiam*, Panormit. *in cap. Cum causam de elect.* Rebuff. *in prax. benefic. de Vicario Episcopi*, Sanch. *tom.2. lib.6. cap. 13.* licèt Sbroz. excipiat Mendicantes, quod limitatur à Merola *tom.3.disp.7.cap.6.dub 5.num.36.*, quod solùm verificatur de Fratribus Minorum, quibus tantùm hoc interdictum est, vt colligitur *Ex Clementina Exiui*. Sine licentia Superioris non potest esse Vicarius, cū Religiosus non habeat nec velle, nec posse, vt colligitur ex Trident. *sess. 25. cap. 4. de Regularibus*. Canonicus sæcularis potest esse Vicarius; Ita Cardinalis, Ioãnes Andreas, Panormit. *in cap. Cum olim*. Parochus Regularis non potest esse Vicarius, cùm eius officium sit incompatibile cum officio Vicariatus, cùm obligetur ad residentiam, & teneatur pascere gregem sibi cōmissum, vt habetur in Tridentino *sess.6.cap. 1. de reformat.*

4 Auctoritas Vicarij partim est à iure, & partim ex commissione Episcopi; licèt ius commune potiùs videatur limitare auctoritatem, quam habet Vicarius ab Episcopo ex concessione generali; solent enim Episcopi concedere Vicariis causarum cognitionem, excessuū correctionem, dispensationem, absolutionem, examinationem, approbationem, & auctoritatis Episcopi interpositionem, & alia similia, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis. Verùm ius commune, quædam decernit non contineri in generali concessione, nisi specialitèr sint concessa. Gloss. *in cap. Penultimo de offic. Vicarij*. Primò Vicarius non potest beneficia cōcedere, nisi specialiter ad hoc mandatum obtineat, *Cap. Vltimo de offic. Vicarij*; licèt possit instituere præsentatum à Patrono; *Cap. Ex frequentibus*, Non potest beneficia supprimere, nec vnire, nec renocare vniones; neque Ecclesiam diuidere: Nec potest Rectoribus imperitis Vicarios constituere, nec Ius-patronatus ex causa dotationis, fundationis, vel cōstructionis alicui reseruare; nec Iuri-patronatus decretum interponere; nec nouas Parochias erigere; nec imponere pensionem super beneficia, vbi Episcopus potest; nec de hæresis crimine cognoscere; nec Œconomum instituere; nec amouere aliquem à suis beneficiis, officiis, vel administrationibus, vel ab ordine remouere; nec interponere decretum creationis dignitatis factæ; aut nouum beneficium in Ecclesia creare; neque Ecclesias vetustate collapsas in Matrices, vel Ecclesias viciniores conferre potest; nec publicas pœnitentias imponere; aut publicos Pœnitentes reconciliare; nec voluntatem puellę habitum Regularem suscipere volentis, explorare; nec ad ædificationem Monasterij per Testatorem relicti assensum, & auctoritatem interponere potest; nec Indulgentias concedere; nec potest facultatem, & licentiam audiendi confessiones aliis concedere; nec matrimonij monitionibus dispensare, etiam iusta causa interueniente; licèt contrarium sit verius; nec poterit relaxare Interdicta, nec Diœcesim visitare; nec Synodum congregare; nec pias Defunctorum voluntates exequi; nec in alienationibus rerum Ecclesiasticarum decretum interponere; nec cognoscere specialitèr commissa Episcopo, seu Delegata; neque cognoscere causas feudales; neq; auctoritate exemplum ex originali sumptum, nec res alias concedere; nec Clericorum bona confiscare; nec pœnas corporales in pecunias conuertere; nec imponere, & exigere charitatiuum subsidium; nec sine licentia potest litteras dimissorias Clericis dare, vt ab aliis Episcopis ordinentur, nisi Episcopo in remotis agente, & nonnisi post lōgum tempus, aduentus eius speretur. Azor *p.2. lib.3. cap. 45. qu.7.* Vgol. *de offic. Episcopi cap. 4. §.7* Zerol. *in prax Episcop p.1. Verb.Vicarius*, Piacef. *in prax. Episcop p.1. cap.15.num.3.* Gutriet *lib.2. cap.12. num 20.* Barbos. *Iur. Eccles. lib.1. cap.15. num.21.* Sbroz. *de offic. Vicarij lib.2 cap.41.* Nec etiam inquirere, corrigere, aut punire excessus aliquorum sine speciali mandato. Barbosa *loco citato num. 22.* Similitèr in irregularitate, suspensione aliqua prouenientе ex delicto occulto, & in delictis occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, in quibus Episcopus potest dispensare, Vicarij dispensare nequeunt, nisi ad id specialitèr deputentur, vt in Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap.6.* Sbroz. *loco citato quæst.19.nu. 2.* Suarez *tom.5. de censuris disp.41. sect.2.num.8.* Narb. *de appell. de Vicario ad Episcopum p. 8. num. 229.* Barbosa *loco citato num. 24.* Neque per se etiam absoluere potest in casibus reseruatis Episcopo, nisi de speciali licentia, quia in generali concessione hæc non veniunt. Sotus *lib.2. quæst. 19.* Margarit. *casuum conscientiæ Verbo Vicarius.*

5 Vicarius est Dignitas, & habet iurisdictionem. *Cap. Cum putamus*: Et cùm dignitas nihil aliud sit, quàm rerum Ecclesiasticarum administratio, sequitur, Vicarium esse in dignitate constitutum ratione iurisdictionis, quam habet cum administratione; & ideo potest esse Papæ delegatus, Gloss.

Gloss. in Verb. Delegatus in Clementina 2. de rescript. Sbroz. lib. 2. quaest. 22. Rebuff. in prax. beneficiorum tit. forma Vicary nu. 29. & tit. de Vicario Episcopi num. 4., Et in tract. de pacifica possessione num. 19. Potest etiam esse Executor grariarum, quę expediuntur in Curia Romana. Sbroz. lib. 2. quaest. 23. Potest etiam esse conseruator. Cochier de iurisdictione in exempto p. 1. quaest. 39., etiamsi sit Vicarius Episcopi electi, & nondùm consecrati. Gloss. Verb. Episcopi in Clemens & principalis. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 27. num. 35. Sbroz. lib. 2. quaest. 23. num. 4. Flores de Mena var. lib. 1. quaest. 4. num. 11. Menoch. de Synodo Episcopi cap. 4. dub. 13. num. 15.

6 Vicarius praecedit Canonicos, ac Dignitates, etiam in Ecclesia. Sbroz loco citato quaest. 25. num. 4.; Sed Episcopo pręsente, & stante in Choro inter Canonicos, extrà sedem Pontificis assignari debet Vicario alius locus conueniens, vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium praeposita in vna Bisagnensi 16. Maij 1600. Vndè pręferendus est Archidiacono, vt tenet Rebuff. tit. de Vicario Episcopi num. 7., Antonius de Pratis de iurisdict. Episcopi cap. 6. num. 41. Sbroz. lib. 2. cap. 25., etiamsi Archidiaconus haberet priuilegium obtinendi primam sedem post Episcopum, ac etiam Abbates, Archipresbyteros, Canonicos, & alios Praelatos; In processionibus non habet praecedentiam, nisi esset Canonicus.

7 Item nō potest, quatenùs Vicarius, Missas Conuentuales, aut Pontificales celebrare, nec Sanctissimum Sacramentum, aut Sacras Reliquias paratus in processionibus deferre, neq; alijs Diuinis Officijs Ecclesiasticis se immiscere, sed tantùm praeesse, vt oīa suo Ordine fiant. Candela in die Purificationis, & Palma ei debet dari ante Canonicos, & Dignitates, exceptis tamen ijs, qui cum Paramentis assistunt Episcopo in Sede Pontificali existenti, vt censuit Sacra Congregatio.

8 Vicarius debet esse persona qualificata, circumspecta, bonae, & approbatae vitae, timens Deum, Veridicus, Temperatus, Fortis, Magnanimus, &c. Regulariter non debet esse externus, sed Ciuis, vt homines notos habeat, atque non decliner ad dextram, neque ad sinistram. Ita Cuch. in instit. Can. de Vicario Episcopi, Zech. de offic. Episcopi cap. 7. Menoch. de praesumpt. lib. 5. praesumpt. 12. vbi ait, originarium iure praesumi majore fide, & diligentia administraturum: debet etiam esse peritus in ijs, quae ad eius munus exercēdum pertinent; in iure Canonico, & Ciuili versatus, ac moralis Theologiae non ignarus; & forensiū causarum peritus, vt videlicet sit Doctor, & licentiatus in Iure Canonico, Sbroz. lib. 1. quaest. 36. num. 9. Azor. p. 2. lib. 3. cap. 43. quaest. 10. & alij.

9 Posita iusta causa, Vicarius ad nutum potest amoueri. Cap. Omnis, &c. Sbroz. lib. 3. quaest. 6. num. 7., & quaest. 10. num. 15. Azor lib. 3. cap. 45. qu. 4. Vgolinus de offic. & potestate Episcopi cap. 4. §. 6. num. 7. Non potest exercere suum officium, si Episcopus sit excommunicatus vitandus, quia sicut per excommunicationem suspēditur iurisdictio Episcopi, cap. Ad probandum 24. de re iudicata. cap. Audiuimus quaest. 1.; Ita similitèr eius Vicarij, cùm accessoriè sit ad iurisdictionem Episcopi, & vtriusque sit idem Tribunal. Syluest. Verb. Vicarius quaest. 4. Rebuff. tit. de Vicario Episcopi num. 219. Surd. consil. 50. num. 32. Gutrier. lib. 1. Canon. num. 83. Suarez de censuris disp. 19. sect. 1. num. 1. Molina tract. 5. disp. 10. num. 2., Azor. lib. 3. cap. 45. quaest. 14.. Nec valet collatio facta, si Episcopus sit excommunicatus, nisi esset excommunicatus toleratus, vel occultus; Nam tunc, fauore publici iuris, cum cōmuni opinione, pro non excommunicato habetur, & collatio à Vicario facta, erit valida. Ita ex Abbat. in cap. Veritatis num. 42. de sent. excomm. Felin. in cap. Ad probandum num. 6. de re iudicata. Item expirat iurisdictio Vicarij, mortuo Episcopo, cùm vtriusque sit vnum Tribunal. Azor. p. 3. lib. 8. cap. 7. Molina de primogen. cap. 25. num. 13. Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 30. num. 1. Gutrier. de matrim. cap. 60. num. 16. Acta verò per Vicarium ignorantem mortem Episcopi longè distantis, sunt valida. Ita Stephanus Gratianus discept. foren. cap. 18. num. 50. Sanch. de matrim lib. 3. disp. 22. num. 59. Gutrier. de matrim. cap 66. num. 18.. Iurisdictio Vicarij non modò expirat morte naturali Episcopi, sed etiam ciuili. Sayrus de censuris lib. 1. cap. 5. num. 39. & alij: Quia sicut cessat iurisdictio Vicarij morte naturali ipsius; ita, & morte ciuili. Sanch. lib. 4. de matrim. disp 27. num. 13, & lib. 8. disp. 28 num 6.

10 Vicarius potest de causa sibi commissa tempore Vicariatus cognoscere, postquā ab officio fuit amotus, modò causa non fuerit illi delegata, ratione officij, aut Dignitatis: Ratio, quia persona, cui facta fuit delegatio, permanet; amissa dignitate; & per cōsequens potest; amissa dignitate, causam sibi commissam prosequi, siuè res sit integra ante diminutionem officij, siuè non.

11 Vicarius Episcopi non tenetur ad Sindicatum: & ita declarauit Gregorius XIII. anno 1578. Clero, & Communitati Tarent. Ita Marcus Antonius in prax. Archiep. cap. 58. Homobonus, de Bonis, de humana vita statibus. Absente Episcopo, potest processiones indicere. Barbosa de potest. Episcopi p 3. allegat. 78. num 5.: Et potest cogere Clericos, & Regulares, vt ad processiones publicas conueniant. Cap. Quoniam dist. 38. Seraph. dec. 15., potest etiam de causis matrimonialibus cognoscere, ex generali concessione, quod probatur ex Text. in cap. 1 de frig., & malef., vbi dicitur, proponendā esse querelam coram Episcopo, vel eius Vicario, ad eius diuortium faciendum. Ita plures apud Barbosam p. 3. de offic. & potest. Episcopi allegat. 84. num. 3. Potest etiam, vigore concessionis generalis, concedere excommunicationem pro rebus deperditis. Fr. Em. in Sum. tom. 1. cap. 79. Henriq. in Sum. lib. 13. cap. 17. § 4. Suar. tom. 3. disp. 20. sect. 1. num. 2. Zerol. in prax. Episc. p. 1. Verb. Vicarius

num. 14. Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 20. quæst. 1. num. 16.

12 Vicarius Episcopi, qui habet facultatem subdelegandi, potest absolui ab alio; si incidat in casum reseruatū Episcopo. Ita Suar. tom. 4. disp. 41. sect. 2. num. 9. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 3. num. 3. Maiol. de irregul. lib. 5. cap. 21. num. 7. Henriq. lib. 14. cap. 18. num. 3. Em. Sà. Verb. Confessor num. 16.

13 Vicarius, ex generali concessione, non potest conferre beneficia, si specialitèr ei non committatur. Ita Couar. cap. 5. num. 7. Gonz. ad reg. 8. Cancell. §. 4. num. 34. Parisius de resignat. beneficiorum lib. 7. quæst. 21. num. 9., & quæst. 29. num. 4. Item Vicarius non habet iurisdictionem delegatam, sed ordinariam, non modò quoad ea, quæ continentur in generali concessione, sed etiam quò ad ea, quæ requirunt speciale mandatum, si illam Episcopus concessit cum generali mandato, quia ordinaria iurisdictio tamquàm dignior, trahit ad se delegatam, tamquàm minus dignam sibi annexam. Ita Sbroz. lib. 2. quæst. 55. num. 37. Sanch. de matrim. disp. 29. num. 8. Garzias p. 5. cap. 8. num. 40. Monet. de commutat. cap. 5. num. 403.

14 Episcopus potest plures Vicarios generales constituere. Ita in cap. Quoniam in plerisque de offic. Ordinarij, Felin. in cap. causam matrim. num. 8., de offic. Delegati. Zerol in prax. Episcop. p. 1. Verb. Vicarius. Dummodò eos cōstituat in loco, vbi ipse sedem habet, quia Vicarius Generalis dicitur ille, qui est cōstitutus in loco, vbi Episcopus sedem habet. Maranta de iurisdict. p. 4. dist. 5. nu. 8. Sāch. lib. 3. de matrim. disp. 29. num. 1. Campanil. in diuers. Iuris Can. rubr. 11. cap. 23. nu. 150. Et vnus Vicarius potest in solidū procedere, & separatim. Ita Anchar. in cap. Licet lib. 23. de offic. Vicarij in 6. Panormit. in cap. Prudentia num. 11. de offic. Delegati. Pauinus de potestate Episcopi, sede vacante 2 p. quæst. 10. num. 9. Sbroz. lib. 1. de Vicario Episcopi quæst. 61. Limitatur, dummodò iurisdictio non sit concessa vt singulis, sed vt vniuersis. Secundò, nisi alter ex Vicarijs cœpisset solus causam cognoscere, quia tunc non potest alter causam prosequi. Tertiò, nisi ab initio cœpissent simùl causam cognoscere; tunc enim etiam si in solidum Vicarij constituti essent, debent simùl eamdem causam terminare. Ita apud Merol. tom. 3. disp. 7. de Iurisdictione, dub. 11. num. 4.. Quartò, nisi statutum, vel consuetudo diceret, quòd omnes concorditer iudicarent, quia tùnc vnus siuè alio procedere non potest. Felin. in cap. Ad prudentiam.

15 Vicarius Episcopi potest exercere ea, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, quia Vicarius Episcopi potest exercere omnia, quæ pertinent ad iurisdictionem ordinariam Episcopi, exceptis casibus in iure expressis, cuiusmodi non est casus voluntariæ iurisdictionis. Et ità Sbroz. lib. 2. de Vicario Episcopi. Non potest constituere alium Vicarium regularitèr. Ità ex cap. Clericos de offic. Vicarij: in aliquibus casibus potest sustinere; Primus est, quia potest substituere ad certos actus particulares, ex quo fit, vt possit Vicarium foraneum creare. Ità Innocentius Archid. in cap. 1. de offic. Vicarij Episcopi quæst. 60. num. 16. Capyc. decis. 151. Secundus, quando adest necessaria causa instituendi, vt propter infirmitatem; vel si causa absentiæ, substituat ad modicum tempus. Maranta in speculo par. 4. dist. 5. num. 22. Garz. de benefic. par. 8 num. 148. Barbosa de potestate Episcopi par. 1. allegat. 54. Tertius, potest alium substituere ad causas temporales tantùm, quia in temporalibus substitutus non dicitur Vicarius generalis, sed foraneus. Ità Vant. de nullit. tit. de nullitate ex defectu iurisdict. Ordinarij num. 25., quod intelligendum, dummodò substitutus non habitet in Ciuitate, vbi habitat Episcopus.

16 Vicarius Archiepiscopi non habet iurisdictionem in Suffraganeos, propter reuerentiam Pontificalis dignitatis. Ità Ioannes Andræas in cap. Roman. & in cap. Licèt, de offic. Vicarij in 6. Rebuff. in prax. benefic. tit. forma Vicariatus Archiepisc. num. 165. Sbroz lib. 2. quæst. 58. : quod intelligendum est, quando Archiepiscopus est præsens in Prouincia, quia quādo est absens, tùnc Vicarius Archiepiscopi in ciuilibus habet iurisdictionem in Ordinarios. Panormit. in cap. Pastoralis num. 2., item habet iurisdictionem in Vicarios Suffraganeorum, quando peccant in ijs, quæ sunt iurisdictionis, & quæ pertinent ad eum, ratione officij, non autem in ijs, quæ peccat tamquàm priuatus: Item Vicarius Episcopi habet iurisdictionem in Prælatos inferiores, qui Episcopo subsunt, eorumque subiectos: Ratio, quia ità se habent ij Prælati, respectu Episcopi, sicuti se habent Episcopi ad Metropolitanum, sed Vicarius Metropolitani, seù Archiepiscopi habet iurisdictionem in Episcopos Suffraganeos, ergò & Vicarius Episcopi habet iurisdictionem in Prælatos Episcopo subiectos.

17 Episcopus debet salarium Vicario à se constituto. Ità cap. Cætera: non tamen tenetur soluere salarium debitum ab Antecessore, sed tenentur illud soluere, qui succedunt in bonis defuncti, sicuti tenentur ad alia debita; Ità Flamin. Parit. de resignat. lib. 1. quæst. 16. num. 53. Galeta in Margarit. casuum conscientiæ verbo Vicarius num. 9. Barbosa de potestate Episcopi par. 3. allegat. 54. num. 179.. Item Episcopus potest causam coram suo Vicario pendentē ad se auocare: Ratio, quia potest in totū reuocare Vicarium, ergò à fortiori, poterit illi prohibere, nè iudicet in aliqua causa. Maranta in speculo par. 4. dist. 26.: non tamen potest Episcopus auocare causam coram alio inferiore Prælato pēdētem, vt Archidiacono, vel Abbate, &c. Bertach. tract. de Episcop. lib. 4 par. 5. tit. de auct. Episcopi, Imola in cap. Pastoralis de offic. Ordinarij. Sbroz de Vicario Episcopi lib. 3. quæst. 39.

18 Vicarius Episcopi potest recusari suspectus, si Episcopus recusetur iustè. Ità Salyc. l. vnica C. si quacumque, Rebuff. in prax benefic. tit. forma Vicariatus, Bertach. loco citato num. 69. Redoan. de rebus Ecclesiæ non alienand. cap. 3. num. 29. Ratio, quia, cùm Vicarius possit ab Episcopo remoueri, idcircò ob timorem nè

remo-

remoueatur, potest facilè trahi in Episcopi suspectè sententiam. Non potest Vicarius esse Iudex in causa sui Episcopi, cùm idem sit Tribunal Episcopi, & Vicarij, & eamdem habeant iurisdictionem. *Cap. Roman.* Vndè sequeretur, Episcopum iudicarii in proprio Tribunali, &c. & fungi officio Iudicis, & partis, quod est prohibitum, vt ait Bald. *in l. si quis num. 6. C. de Episcop. & Clericis.* Ità Sbroz *de Vicario Episcopi lib. 2. quæst.* 137. Episcopus verò potest esse Iudex sui Vicarij. Specul. *tit. de Iudic. competen.* Bertach. *de Episcopis lib. 4. par. 3 num. 19.* Capyc. *decis.* 137. *num. 7.* Sbroz *de Vicario Episcopi lib. 2. quæst. 35.*

19 Vicarius, quando constitutus est à Papa, Episcopus non potest eum reuocare; sicut etiam nō potest reuocare Vicarium datum à lege, vt est Archidiaconus: & ità Panormit. *in cap. de offic. Archidian.* Sbroz *loco citato num.* 14. Quando Episcopus est absens, Vicarius in Choro debet habere primum locum in dexterâ Altaris, super omnes Dignitates; à sinistro Altaris Dignitas prima: Secundæ vero Dignitati, post Vicariū. Ità decisum à Sacra Congregatione Rituum *in Adrian. 25. Septembris* 1610. refert Barbos. *iuris Ecclesiast. lib. 1. cap. 20. 21. num. 109.*

20 Mortuo, vel deposito Episcopo, generalis Vicarij iurisdictio, vt dictum est, statim expirat; licèt causa cœpta, sicuti docet Couar. *pract. quæst. cap. 4. num* 4. Sanch. *lib. 3. de matrim. disput.* 30. Molina *tract. 2. disput.* 10. *num.* 2. & alij: In eoque differt à Delegato, cuius potestas ob mortem delegantis non expirat, quoad negotia certa. *Cap. Gratum de offic. delegati.* Ratio diuersitatis est, quia Vicarij generalis est idem Tribunal cum Episcopo; Delegati verò diuersum, & inferius; & ideò mortuo Episcopo, à Capitulo debet confirmari, vt iurisdictionem possit exercere. Differt autem extinctio iurisdictionis Vicarij, quę fit per mortem, ab ea, quæ per reuocationem facultatis, seù mandati, quod reuocatio posterior non habet effectum, nisi fuerit ipsi Vicario legitimè inthimata, nomine ipsius Episcopi: expiratio autem iurisdictionis, quæ fit per mortem, aut depositionem Episcopi, nititur ipso iure; ideoque etiam ignorante Vicario, extinguitur; nisi publicus error, seù ignorantia comitetur, iuxtà *l. Barbar. de offic Prætoris.*, Nicol. Garz. *par. 5. de benef. cap. 8. num.* 166.

21 Licèt per excommunicationem Episcopi, suspendatur iurisdictio Vicarij, non tamen amittitur; & ideò retinet officium Vicariatus, sed iurisdictione non potest vti, etiamsi causa fuerit cœpta. Sanch. *de matrim. lib. 3. disput. 30. num. 6.*, in quo etiam differt à Delegato, cuius iurisdictio non cessat ob excommunicationem Delegantis, si causa integra non sit. Abbas *in cap. Licèt vndique num 8. de offic. Delegat.* Auila *de censuris par. 2. cap. 6. disput. 6. dub.* 4. & alij. Et ideò remanet Vicarius, & habitualitèr retinet iurisdictionem, sicut & ipse Episcopus: & ideò potest assistere matrimonio, quia est verus Vicarius, & assistere matrimonio non est actus iurisdictionis. Ità Sanch. *lib. 3. disput. num. 4. & 5.* secus verò dicendum, si esset constitutus Vicarius, post incursam excommunicationem; nam illa constitutio est actus iurisdictionis, & proindè facta excommunicato, nihil valet: vndè ille non esset verus Vicarius.

P A R A G. V N I C.

Textus Sacrorum Canonum de Officio Vicarij.

S V M M A R I V M.

1 *Vicarius non potest substituere aliquem.*
2 *Vicarius Papæ regularitèr solùm in Orbe iurisdictionem habet.*
3 *Successor Officialis excommunicati non est excommunicatus, nisi participet, &c.*
4 *Officialis Episcopi non potest, ex generali commissione, inquirere, deponere, &c.*
5 *Itē nō potest, ex generali cōmissione, beneficia conferre.*

1 Vicarius non potest substituere Vicarium. *ex cap. Clericus 4. de officio Vicarij.*

2 Vicarius Papæ in Vrbe iurisdictionem habet, non extrà illam, nisi ei specialitèr concedatur, *ex cap. Sua nobis 3.*

3 Officialis, quando excōmunicatur, deindè substituitur alius, substitutus nō est excommunicatus, si non participat in crimine, pro quo fertur excommunicatio: acta vero substituti, qui accepit iurisdictionem ab excommunicato, non tenent, aliàs secùs. *ex cap. Roman. 1. de offic. Vicarij in 6.*

4 Officialis Episcopi cum commissione generali non potest inquirere, corrigere, vel punire excessus aliquorum, vel eos amouere à suis beneficijs, officijs, administrationibus, nisi specialitèr hæc illi committantur. *ex cap. Licèt 2. in 6.*

5 Officialis, vel Vicarius Episcopi non potest conferre beneficia, si specialitèr ei non committatur, quia in generali commissione non veniunt illa, quæ verisimilitèr in specie quis non esset concessurus, & cui committitur bonorum administratio, regularitèr dare non potest. *ex cap. Cum in generali 3. in 6.*

T I T V L V S VIII.

De Vicario Capitulari Sede vacante.

S V M M A R I V M.

1 *Vicarius Capitularis quis dicatur?*
† *Quando debeat eligi?*
2 *Quot Vicarij possunt eligi?*
3 *Anteponendus est, qui est de Capitulo.*
4 *In electione, Capitulum potest præfigere tempus.*
5 *Quas qualitates debeat habere?*
6 *Non potest cognoscere de causis, &c. delegatis Episcopo.*
7 *Potest dem andare executioni litteras Episcopo directas.*
8 *Potest visitare Diœcesim,*
9 *Non potest alium substituere.*
10 *Sede vacante, exercet omnem iurisdictionem, &c.*
11 *Capitulum non succedit in iurisdictione delegata.*
12 *Sine necessitate nō potest cōferre gratias voluntarias.*

13 *Infrà annum à die vacationis, litteras dimissorias dare non potest.*

14 *Obtinens rescriptum à Sede Apostolica suscipiendi ordines, si Episcopus moriatur, an possit ordinari, & c.*

1 Vicarius Capitularis est ille, qui transactis octo diebus, eligitur à Capitulo ad administranda, quę sunt iurisdictionis necessariæ. Capitulum obligatur, transactis octo diebus, Vicarium nouum constituere, vel existentem confirmare. Concil. Tridēt. *sess. 24. de reformat. cap. 16.* Ante electionem Vicarij, administratio iurisdictionis resider penès Capitulum, non autem penès primam dignitatem. Ità Quaranta *verbo Capitulum Sede vacante* §. 12. Riccius *in prax. vniuersi fori Ecclesiastici*, & alij citati à Barbosa *iuris Ecclesiastici lib. 1. cap. 32. num. 29.*

2 Regulariter solùm vnus Vicarius eligendus est à Capitulo, nisi legitimè adesset consuetudo eligendi duos, vel plures, quia stante tali immemorabili consuetudine, potest eligere duos, vel plures æquè principales, vel vnum generalem, & alterum foraneum. Aloys. Ricc. *in decis. Curia Archiepiscopalis Neapolitana decis. 193. par. 4.*, & Sacra Congregatio censuit, Capitulum, Sede vacante, duos Vicarios eligere posse, vt alternis mēsibus, Vicariatus munere fungantur, si legitimè approbetur immemorabilis consuetudo; & illis qualitatibus sint prædìti, quas requirit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 16. de reformat.*

3 Quamuis Capitulum non teneatur aliquem eligere in Vicarium, qui sit de corpore Capituli, tamen si adesset persona idonea, cæteris paribus, esset anteponenda. Garz. *de benefic. cap. 7. num. 13.* Riccius *loco citato decis. 185. par. 1.* Item Capitulum potest eligere in Vicarium Canonicum, qui in eadem Ciuitate, & Ecclesia curam quoque gerit animarum. Ità Sacra Congregatio *in vna 19. Martij 1619.* Si Vicarius electus fuerit de corpore Capituli, non potest percipere distributiones, dùm suo munere, & officio incumbit. Moneta *de distributionibus quotidianis par. 2. quæst. 11. num. 83.*, & si interueniat in Choro cum Canonicali apparatu, vt distributiones quotidianas percipiat, debet sedere in loco proprio sui Canonicatus, antiquioribus non præcedendo. Ità Sayrus *in floribus decisionum, sub titulo de offic. Vicarij decis. 3.* Quaranta *loco citato*, Ricc. *in prax. fori Ecclesiastici decis. 475.* Sbroz *lib. 2. quæst. 25. num. 17.*

4 Capitulum in commissione Vicarij potest præfigere tempus, quo elapso, expiret eius iurisdictio. Garz. *in addit. de beneficijs par. 5. cap. 7. num. 37.* Et ideò poterit eligere cum clausula, quod non duret, nisi per annum. Ità Sacra Congregatio rituum, *die 17. Iunij 1617.* Quòd si Capitulum constitueret Vicarium absque temporis præfinitione, eius officium duraret, durante Sedis vacatione. Quaranta, *verb. Capitulum, Sede vacante*; & sic facta electione Vicarij, Capitulum non potest ampliùs ipsum mutare, & nouum mutare, & nouū constituere. Ricc. *in collect. decisionum par. 5.*; nisi iusta causa benè visa Sacræ Congregationi, negotijs Episcoporum præfositæ, vt ipsa declarauit anno 1631.; & anteà Capitulo Neapolitano eodem anno, & Capitulo Tarraconensi *die 24. Nouembris*, & Capitulo Aretino *die 26. Octobris 1603.*; licèt alij tueantur cōtrariam opinionem, vt Quaranta *verb. Capitulum*, & Zerol. *in prax. Episcop. par. 1. verb. Vicarius* §. 1.

5 Vicarius Capitularis debet esse doctor, aut licentiatus in iure Canonico, vt statuit Concil. Tridenr. *sess. 24. cap. 16. de reform.* Nauar. *consil. 2. de offic. Vicarij*, Sayrus *in floribus decisionum, decis. 2. de offic. Vicarij*, Henriq. *consil. 90.*, Sbroz *de offic Vicarij lib. 1. quæst. 36. num. 12.*; Quòd si electus Vicarius non erit doctor, poterit Capitulum ei dare consultorem doctorem, aliòquin Vicarius poterit eligere doctorem, consultorem sibi benè visum, non suspectum in casibus, in quibus eo opus fuerit. Ità Quaranta *verbo Capitulum Sede vacante.* Riccius *resolut. 303. in notabili, de materia Vicarij*; & addit. *in decisionibus Curia Archiepiscop. Neapolit. par. 4. decis. 305. num. 15.* Quod doctor Sacrorum Canonum præfertur Magistro Theologiæ, quòad hoc officiū; & Sac. Cōgr. Concilij *sub die 18. Iulij 1621.* censet, Theologum non posse esse Vicarium, Sede vacante.

6 Vicarius Capitularis non potest cognoscere de causis delegatis Vicario Episcopi: Ratio, quia Vicarius Capitularis non est Vicarius Episcopi; tùm etiam, sicut Capitulum, sede vacante, non potest expedire commissiones demandatas Vicario Archiepiscopali, vel Officiali Episcopi; Ita à fortiori, non potest Vicarius electus à Capitulo expedire commissiones demandatas Vicario Episcopi, siuè eius Officiali. Ita Bonacin. *de legib. qu. 3. p. 8. §. 1. num. 7.* Garz. *de beneficijs p. 6. cap. 2. num. 44.* Riccius *in decisionibus Curia Archiepiscopalis Neapolit. p. 1. decis. 44.* Et Sacra Congregatio Concilij Trident. Interpretum declarauit *in vna Carmenatensi 2. Augusti 1631.*, Vicarium Capitularem, sede vacante, non posse exequi commissiones in forma *dignum*, & alias directas Episcopo, vel eius generali Vicario, intuitu Officij, vel sub nomine dignitatis. Barbos. *Iur. Ecclesiastici lib. 1. cap. 32. de Capitulo nu. 59.* Et ideò non potest Vicarius Capitularis expedire dispensationes matrimonij directas Episcopo, vel eius Vicario generali, vt declarauit Sacra Congregatio Sacri Concilij Interpretum, *sub die 24. Maij 1621.* Barbos. *loc. citat. num. 60.* Salas *disp. 26. de legib sect. 17. num. 124.* Sanch. *lib. 8. disp. 27. num. 22.* affirmatiuam sententiam tuentur, nimirùm, posse Vicarium Capitularem commissionis datas Vicario, seu Officiali Episcopi expedire, quia Vicarius Capitularis verè est Officialis, & dicitur Vicarius illius Diœcesis; & Capitulum succedit in locum Episcopi; & per consequens, Vicarius Capitularis potest dici Vicarius Iurisdictionis Episcopalis.

7 Vicarius, sede vacante, potest demandare

dare exceptioni litteras Episcopo per Sacram Congregationem directas, sed non executas. Ita Sacra Congregatio, negotijs Episcoporum, & Regularium præposita, *sub die decima Aprilis 1615.* Nec non omne illud, quod Episcopo mortuo, per Bullam, seu per Breue in causis iurisdictionem importantibus concessum erat. Eadem Sacra Congregatio *in vna 26. Ianuarij 1604. & in Neapolit. 10. Februarij eiusdem anni*, Barbos. *loco citato num. 60.*

8 Vicarius Capitularis potest visitare Diœcesim, etiamsi à Capitulo nō sit ei specialitèr commissum. Sacra Congregatio Cōcilij *in vna Pampilonensi 13. Aprilis 1630.*: Ratio, quia Capitulum habet ius visitandi Diœcesim, sicut Episcopus, & hanc facultatem habet ex sententia eiusdem Congregationis. Nicol. Garzias *in addit. ad suum tract. de beneficijs p.5. cap.7. num.29.*, Quia Vicarius succedit in iurisdictione loco Capituli: Item potest esse Delegatus Papæ, atque Executor gratiarum. Gloss. *Verb. Epis. in Clementina secunda de rescrip.* Pauin. *in tract. de offic. & potest. Vicarij, sede vacante, p.2. quæst.10. num.6.* Sbroz. *de Vicario Episcopi quæst. 23. num.4.* Sanch. *de matrim. lib.8. disp.27. num. 35.* Barbos. *de offic. & potestate Episcopi allegat. 54. num.134.*

9 Vicarius Capituli nullo modo potest substituere, nisi ei substituendi facultas concedatur. Rot. *decis.59. lib.3. diuers.* Seraph. *decis. 1033. p. 2.* Aloys. Riccius *in prax. rerum fori Ecclesiastici decis.* 474.

10 Sede vacante, Capitulum exercet omnē iurisdictionem Episcopalem, tàm voluntariam, quàm contentiosam, iuxtà *cap. ijs, quæ, &c. & cap. Cum olim de maior. & obed.* Suar. *tom.1. disp.50 sect.6.* Molin. *tract.5. disp.12.* Garz. *de beneficijs p.5. cap. 7. num. 2.* & alij. Quamobrem interdùm Capitulum, sede vacante, solet condere statuta pro Ecclesiæ reformatione, quæ Recapitulationes vocant, & vim legis obtinent, si Sacris Canonibus non repugnent.

11 Capitulum, sede vacante, non succedit in iurisdictione Episcopi delegata, quia non censetur electa industria personæ. Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 2.* & alij. Quia Capitulum succedit solùm in iurisdictione, quæ competit Episcopo iure cōmuni; non autem in ea, quæ speciali iure.

12 Ad Capitulum non pertinet, vacante Sede, merè voluntariè gratias, siuè donationes sine necessitate conferre, aut fructus, & commoda Episcopatus distrahere.

13 Infrà annum à die vacationis, Capitulum ordinandi licentiam, aut dimissionis litteras dare non potest, præterquàm ei, qui Ecclesiastici beneficij recepti, aut recipiendi occasione arctatus est; & Capitulum, si contrauenerit, Ecclesiastico interdicto subiacet, *Ex Tridens. sess.7. cap.10. de reformat.* Iure antiquo, poterat Capitulum, sede vacante, concedere licentiam ordinandi; *cap. Cum Nullus de temporibus ordinandorum in 6.*

14 Habens facultatem à Sede Apostolica suscipiendi ordines à quocumque Antistite, si deinde antequàm ordinetur, & sic re integra, suus Episcopus moriatur, potest Virtute illarum ordinari cum licentia, seù litteris testimonialibus Capituli, seù Vicarij Capitularis: Ratio, quia licèt Capitulum, seù Vicarius Capitularis primo anno sedis vacantis, non possit concedere dimissorias; potest tamen concedere litteras testimoniales, cùm non sit necesse, quòd dimissoriæ concedantur à Capitulo, seù Vicario Capitulari, cùm per rescriptum obtentum sint cōcessæ à Summo Pontifice; & ideò à Vicario Capitulari non possunt peti, sed satis est, quòd concedantur litteræ testimoniales. Et ita Nauar. *consil.27. de temp. ordinan.* Sayrus *in floribus decis., decis.21.* Bonacin *de Sacram. disp.8. quæst. vnic. p.4. num.24.* Quaranta *Verb. Capitulo, sede vacante, qu.10.* Gutrier. *lib.2. Can. quæst. cap.17.* Galeta, *in Margarita, casuum conscientiæ, Verb. Capitulum 5.* Barbos. *Iur. Eccles. lib.1. cap. 32. num. 122. & 123.* his verbis; *Ante lapsum annum vacationis sedis, poterit Capitulum obtinenti facultatem à Sede Apostolica de suscipiendo Ordines cum licentia sui Ordinarij, huiusmodi licentiam subordinatam concedere.*

TITVLVS IX.

De Vicario Foraneo Episcopi.

SVMMARIVM.

1 *Vicarius Foraneus quis dicatur.*
2 *Nullam habet Dignitatem.*
3 *Eius potestas non est ordinaria.*
4 *Non potest concedere monitoria.*
5 *Potest mandare executioni sententiam à se latā, &c.*

1 Vicarius Foraneus ille dicitur, qui extrà Ciuitatem, in qua Episcopi Sedes est, iurisdictionem exercet; & ideò Vicarius Foraneus est ille, quem Episcopus constituit in certa Diœcesis parte, vel in Oppidis, quia foris, idest extra locum, in quo Episcopalis Sedes est; Idcircò Foraneus dicitur. Rebuff. *in prax. beneficiorum tit. de forma, & declarat. prouis.* Syluest. *in Sum. Verb. Vicarius*, Sanch. *de matrim. lib.3. disp.29. num.10.* Garz. *de benef. p.5. cap.8. num.29.* Cuch. *lib.2. instit. cap.8. de Vicario, num.2.*

2 Vicarius Foraneus nullam habet Dignitatem, sed solùm officium; Vndè nullam habet præcedentiam. Aloys. Riccius *in prax. for. Ecclesiastici, decis. 579.* Vndè non potest esse Delegatus Papæ, nec Executor gratiarum beneficialium, quæ expediuntur in Curia Romana. Flores de Mena *var. lib.1. quæst.4.*; nisi illi fieret Delegatio ex certa scientia Pontificis. Sbroz. *lib.2. quæst. 23. num.9.* vel respectu alienius Dignitatis, *loco citato, num.10.* quam prçter officium Vicarij habet, quia ratione officij Vicariatus, nullam habet Dignitatem. Sbroz. *loco citato quæst.22. num.13.*

3 Potestas Vicarij non est ordinaria, cùm ipsam non habeat ratione officij, sed est delegata, cùm ex sola commissione delegata ab Episcopo, iurisdictione fruatur. Gloss. *in Clement.2. Verb. Foraneus*: Et ideò à

Vicario

Vicario Foraneo ad Episcopum datur appellatio; Ratio, quia à Delegato ad Delegantem datur appellatio; Vicarius Foraneus est Delegatus, & Episcopus delegans; ergò ad ipsum datur appellatio, cū idem Tribunal, & Auditorium non constituant. Ita communiter DD.

4 Vicarius Foraneus non potest concedere monitoria pro rebus deperditis. Ita Lazarius *tract. de monit. sect. 2. quæst. 5. num. 9.* Vgol. *cap. 45.* Riccius *resol. 335.* Potest tamē ei ab Episcopo delegari specialiter expressè talis facultas. Galler. *in Margarita, casuum conscientiæ, Verb. Littera 2.*

5 Vicarij Foranei Episcoporum, quamuis Iudices Delegati non sint; possunt tamen mandare executioni sententias à se latas, quæ jam transierunt in rem iudicatam. Ita Merol. *disp. 7. de administratione, cap. 4. dub. 23. num. 220.*

PARAGR. I.

Decreta Sac. Congregationis.

De Vicario Generali Capitulari, &c.

Vicarius Generalis Episcopi debet esse Clericus Sæcularis; & Episcopus facere non debet, vt id muneris per Regulare exerceatur. Sacra Congreg. Episcop. & Regular. *in Montulan. 8. May 1615.*

Vicarius generalis in Regnis Hispaniarum non potest esse nisi Sacerdos, ex Breui particulari Clementis VIII. Sac. Congreg. Concilij *sub die 16. Februarij 1619.*

Vicario Episcopi debetur debita reuerētia, tàm à Canonicis, quàm à non exemptis. Sac. Congr. Rituum *in Catanen. 11. April. 1614.*

Vicario generali non debet præstari idem honor, qui præstaretur Episcopo, si præsens esset. Sac. Congreg. Rituum *sub die 7. Septembris 1618.*

Vicarius generalis debet abstinere ab ijs, quæ soli Episcopo conueniunt. S. Congreg. Rit. *sub die 7. Septembris 1618. & in Neritonen. 4. May 1606.*

Vicarius generalis non debet vti Rocheto, & Mozzeta, nisi sit Prothonotarius. Sac. Congr. Rit. *in Lauretana 20. April. 1602.*

Vicario Curiæ Episcopalis nulla portio pœnarum assignari potest. Sac. Congregat. Concil. *in Albanen. 5. Februar. 1618.*

Vicarius generalis, absente Episcopo, debet habere primum locum super omnes Dignitates, & Canonicos, non obstante consuetudine, alijsque in contrarium. Sac. Congr. Rit. *in Andrien. 7. Augusti 1610. & in Ferrarien. 20. Decembr. 1614.*

Vicarius generalis præcedit Capitulo, & Clero. Sac. Congr. Rit. *in Melphen. 13. Iulij 1619.*

Vicario generali, habitu Vicarij in processionibus incedenti danda est præcedentia super omnes Dignitates, & Canonicos, & etiam super illas Dignitates, & Canonicos, qui habitu Prothonotarij incedunt. S. Congr. Rit. *in Brundusina 16. Iulij 1605.*

Vicarius generalis debet præcedere omnibus Canonicis, tàm in processionibus, quàm in sessionibus, dummodo Canonici non incedant parati. S. Congr. Rit. *in Aginatinen. 3. Augusti 1602. & in Lauretana 6. Decembris 1603 & in Tyburtina 6. Martij 1610.*

Vicarius generalis præcedit Canonicis, & Dignitatibus in habitu Canonicali, etiā si Rocheto, & Cappa vtantur: Cùm vero sunt parati cum Pluuialibus, & alijs sacris Paramentis, Vicarium eis præcedere non decet; etiamsi tamquàm Vicarius Rocheto, & Mantelletto vtatur. S. Congr. Rituū *in Melana, & Lauretana 23. Martij 1602.*

Vicarius generalis in habitu suo ordinario non debet incedere inter Canonicos paratos, neque eis præcedere. Sac. Congreg. Rit. *in Camerinen. 14. Iunij 1608. & in Casalen. 5. Iulij 1614.*

Vicarius generalis Canonicus cum sedet vti Canonicus, debet sedere in loco suæ receptionis, & in habitu Canonicali: si verò velit præcedere vti Vicarius, debet habitū Canonicalem dimittere. S. Congr. Rit. *in Compostellana 4. Februarij 1600.*

Vicarius generalis præfertur Diacono, & omnibus Canonicis, nisi sit Canonicus, quia tunc sedere debet in suo loco Canonicali, si vult lucrari distributiones quotidianas. Sac. Congr. Rit. *in Nolana 8. Iulij 1602.*

Vicarius generalis debet habere primum locum ante Canonicos, Capitulū, & Dignitates, nisi sit Canonicus, quia tunc sedere debet in proprio loco. S. Congreg. Rit. *in Ægitanien. 20. Decembris 1601.*

Vicarius generalis, præsente Episcopo, in die Purificationis, nō debet accipere candelam ante Canonicum, vel Dignitatem, qui Episcopo ministrauit. S. Congr. Rit. *in Lucerina 14. May 1608.*

Vicarius generalis non potest Sedem arbitrio suo sibi parare, sed debet sedere in sede solita pro Vicarijs assignata. S. Cōgr. Rit. *in Neritonen. 4. May 1606.*

Vicario generali non licet occupare locum Episcopi absentis, nec parare sibi sedem cum tapetis, &c. Sac. Congreg. Rit. *in Brundusina 16. Iulij 1605.*

Vicarij locus debet esse secundùm consuetudinem Ecclesiæ, quæ non est mutanda. Sac. Congreg. Rit. *in Alexandrina 15. Martij 1608.*

Vicarius generalis thurificandus est; debet accipere candelam, palmam, & cineres, & adorare Crucem ante, vel post Capitulū, iuxta Ecclesiæ consuetudinem. Sac. Cōgr. Rit. *in Alexandrina 15. Martij 1608.*

Vicarius generalis, absente Episcopo, processiones indicere, & dirigere potest, cum consensu Capituli. Sac. Congr. Concil.

Vicarius generalis, etiamsi sit Prothonotarius, & Canonicus, non potest in ipso Altari accipere paramenta, neq; habere nisi vnum Ministrum, qui ei celebranti inseruiat. Sac. Congreg. Rit. *in Cremonen. 7. Iulij 1612.*

Vicarius etiam Apostolicus non potest facere functiones Episcopales; absente, vel impedito Episcopo, sed ad primā Dignitatem.

tatem, & successiuè ad alios spectat. Sac. Congr. *in Brundusina 5. Februar.* 1614.

Vicarius generalis non potest mutare Constitutiones Synodales arbitrio suo. Sac. Congr. Rit. *25. Februarij 1606.*

Vicarius generalis nō potest quidquam accipere pro licentijs de contrahendo; neq; impedire, quòd Parochi denunciationes faciant absque sua licentia. Sac. Congr. Conc. *sub die 27. Martij 1617.*

Vicarius generalis præferendus est in adoratione Crucis ante Dignitates, & Canonicos in habitu Canonicali. Sac. Congr. Rit. *in causa S. Marci, 5. Martij 1633.*

Vicarius Capitularis esse non potest Doctor Theologus. Sac. Congreg. *sub die 28. Augusti 1621.*

Vicarius Capitularis non requiritur necessariò, vt sit de Gremio Capituli; si tamen adesset idoneus, cæteris paribus, esset præferendus. S. Congr. Conc.

Vicarius Capitularis potest esse in ætate 23. annorum, si tamen est idoneus; non tamē expedit. S. Congr. Conc. *sub die 11. Augusti 1618.*

Vicarius Capitularis vnus tantùm est eligēdus, sed non est per Decretum Concilij sublata consuetudo, præsertim immemorabilis, duos aut plures eligendi. S. Congr. Conc. *in Panormitana 31. Ianuar. 1592.*

Vicarius Capitularis, si allegetur suspectus, non potest eligi arbiter, sed recurrendum est ad Capitulum, tamquàm ad Superiorem. S. Congr. Conc.

Vicarij Capitularis, facta electione, non potest Capitulum illum ad libitum reuocare, & nouum constituere, nisi ex causa benè visa Sac. Congregationi Negotijs Episcop. ; & Regul. præposita, vt ipsa scripsit Capitulo Neapolitano, 1. *Septembr.* 1603.

Vicarium Capitularem eligere potest Capitulum cum clausula, quod non duret, nisi per annum. Sac. Congr. Conc. 17. *Iulij* 1617.

Vicarius Capitularis potest visitare Diœcesim. Sac. Congr. Conc.

Vicarius Capitularis potest demādare executioni litteras Episcopo per Sacrā Congregationem directas, & ab illo non executas. Sac. Congr. Episcop. & Regular. 10. *April.* 1615.

Vicarius Capitularis potest Ecclesiam non consecratam reconciliare. Sac. Congr. *in Hydruntina 15. Decembr. 1632.*

Vicarius Capitularis, ex mandato generali, habet facultatem cognoscēdi causas Matrimoniales; non autem criminales, nisi adsit speciale. Sac. Congr. Conc. *sub die 30. Maij 1602.*

Vicarius Capitularis solùm in tribus casibus potest substituere Idoneum, videlicèt infirmitatis ad modicum tempus, & in Delegatis. Sac. Congr. Conc. *sub die 17. Maij 1600.*

Vicarius Capitularis non potest exequi cōmissiones Apostolicas in forma *Dignum*, & alias directas Episcopo, vel eius Vicario generali, intuitu officij, vel sub nomine Dignitatis. Sac. Congr. Conc. *in Camerinaten. 2. Augusti 1631.*

Vicarius Capitularis non potest expedire dispensationes Matrimoniales directas Episcopo, & eius Vicario generali. Sac. Congr. Conc. *sub die 24. Maij 1621.*

Vicarius Capitularis non debet occupare Sedem Archidiaconi, sed debet sedere in alia sede portatili. Sac. Congr. Rit. *in Nucerina 11. April. 1601.*

Vicarius Foraneus, ratione sui officij, nullā habet præcedentiam in Choro sessionibus, vel processionibus, & alijs actibus, & functionibus Ecclesiasticis, &c. Sac. Cōgr. *in Brundusina 17. Nouembr. 1600.*

Vicarijs Foraneis non licet mulctare Clericos, vel Presbyteros, qui non veniunt ad horas Canonicas vltrà solitum punctum amissionis distributionum quotidianarū. Sac. Congr. *in Brundusina 4. Maij 1606.*

Vicarijs Foraneis tàm cum Cotta, quàm sine Cotta, nulla super Archipresbyteros, Dignitates, &c. debetur preeminentia, ratione dicti officij. Sac. Congr. Rit. *Intranen. 24. Septembr. 1605.*

TITVLVS X.

De Abbatibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Abbas quis dicatur?*
† *Abbates sunt Prelati.*
2 *Sunt Ordinarij.*
† *Habent Iurisdictionem quasi Episcopalem.*
3 *Quidam sunt Sæculares, quidam Regulares.*
4 *Regulares in multiplici differentia.*
5 *Solum Summus Pōtifex potest commēdare Abbatias.*
6 *Abbatia dupliciter commendari possunt.*
7 *Abbas an teneatur Religionem ingredi Monasterij, cuius est Abbas?*
8 *Antiquitùs electio Abbatis spectabat ad Monasteriū.*
† *Nunc verò ad Capitulum generale.*
† *Abbatis requisita.*

1 Abbas est Prælatus, & in Dignitate positus; & ideò nomen Abbatis importat honorem, & Dignitatem, atque etiam onus, & sollicitudinem: & ideò in Sacris Concilijs Generalibus immediatè post Episcopos, sedent. Panormit *in cap. 2. num. 2. de Iudicijs*; & in Sacris Canonibus, Prælati Ecclesiæ vocantur, & appellatione Prelatorum veniunt. Ita Tex. *in cap. Decernimus de Iudicijs.* Azor. *p. 2. lib. 12. cap. 29.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 2. num 2.* Tambur. *de iur. Abbatum disp. 1. quæst. 3.*, idque tuentur omnes, tàm Theologi, quàm Canonistæ. Dubium est de Abbatibus Regularibus, qui ad tempus, V. g. ad triennium eliguntur, quia Dignitas debet esse perpetua. Ad quod respondeo, quod licèt perpetuitas sit de essentia beneficij, nō tamē repugnat, quod speciali iure, & priuilegio, aliqua beneficia non possint esse perpetua; *Cap. Si gratiosè:* Ita etiam non repugnat, quòd ex speciali iure, & priuilegio, Abbates, vel huiusmodi Prælati, qui ad tempus creantur, succedant in omnibus, quæ de iure ad Abbates perpetuos spectare

spectare debent, cùm in illorum locum subrogati sint; tùm etiam quia de essentia Dignitas non est, vt quis in officio perpetuo esse debeat, sed satis est, quòd perpetuus esse possit. Item Abbas Commendatarius maximè perpetuus est Prælatus, cùm habeat plenariam administrationem Abbatiæ in spiritualibus, & temporalibus, quorum Abbatia in pluribus æquiparatur Episcopatui, secundùm Oldradum *consil.* 187.

2 Abbates nomine Ordinarij veniunt: Ratio, quia habent Ordinariam iurisdictionem; & ille dicitur Ordinarius qui ex iure, vel priuilegio, vel ex præscriptione iurisdictionem habet. Panormit. *cap. Vt fama num* 6. Misinger, *cap. Post sessionem num.* 2. *de probat.* Nauar. *consil.* 9 *de priuileg.* Vndè, cùm Abbates habeant iurisdictionẽ quasi Episcopalem, *Cap. Abbates de priuileg. in* 6., & eam habeant ex vi sui officij; quod est eam ordinariam habere, meritò veniunt appellatione Ordinarij. Tambur. *loco citato, quæst.* 4. *num.* 2. Cùm non tantùm Episcopus, verùm etiam quiuis superior ordinariam habeat iurisdictionẽ, etiamsi vni tantùm Monasterio præsit, vocatur Ordinarius, *Cap. Nullus Monachus, cap. Nullam. Cap. Abbates* 18 *quæst.* 2. *Et cap. Quanto*; & ibi Doctores; & non modò Abbates nomine Ordinarij veniunt, sed etiam vocantur Pontifices, dummodò ex priuilegio, vel alio titulo Pontificalium insignium vsus, ac exercitium habeant. Tambur. *loco citato quæst.* 6. *num* 3.

3 Abbates sunt in duplici differentia, nam quidam sũt sæculares, quidam verò Regulares; Ità Ioannes de Sylua *in tract. de benef. par.* 1. *quæst.* 2. *num.* 35. Rebuff. *in praxi tit. Secularia beneficia*, Azor. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 19.; Abbas sæcularis ille est, qui beneficia Ecclesiastica obtinet titulo Abbatiæ; *cap. Cum de beneficio* Et ex istis, quidam non solùm in Clericos, verùm etiam in Laicos sibi subiectos, quasi Pontificalem iurisdictionem exercent, ac pariter insignia Pontificalia gestant. Alij sunt Abbates prædictis longè inferiores, qui nec Pontificalem iurisdictionem habent, nec Pontificalibus insignijs vtuntur, quorum Abbatiæ quamuis dignitates sint, non tñ ipsi Episcopi dignitatẽ proximè sequũtur. Alij denique sunt Abbates sæculares, qui in Cathedralibus Ecclesijs inter cæteras Dignitates locum obtinent; solùm in Choro habẽt præcedentiam, non tamen iurisdictionem habent. Sunt etiam Abbates commendatarij; cùm enim per Sacros Canones nõ possent Clerici sæculares Monasticorum Conuentuum esse Rectores, vt Abbatiæ illis perpetuò commendarentur, compertum fuit, & inceptum sub Leone IV. &c.

4 Abbates Regulares sunt etiam in multiplici differentia; alij enim actu sub se Regulares subditos habent, & ij verè dicuntur Prælati, & olim vnumquodque Monasterium suum tantummodò Abbatem in Superiorem agnoscebat, nec vnus Abbas alteri Abbati supereminebat, sed omnes erant subditi Episcopis locorum; iuxtà *capun Abbates, cap. Monasteria* 18. *quæst.* 2. & notat Panorm. *cap.* 1. *num.* 1. *de regularibus*: sed posteà cùm Monasticæ Religiones priuilegio Summorum Pontificum se eximerent à iurisdictione Episcoporum, constituendo vnum caput, factum est, vt vni generali Abbati, tãquàm cæterorum capiti obedirẽt; & ipse est Abbas supremus in Religione, cui inferiores cæterorum Monachorum Abbates subdũtur. Alij sunt Abbates, qui populum, & territorium habent, in quo iurisdictionem Episcopalem, & aliquando temporalem exercent, ac loeorum Ordinarij dicuntur. Alij denique sunt Abbates solo nomine, qui Regulares sub se subditos non habent, & Abbates titulares nuncupantur: gestãt insignia Prælatorum, & tamquàm Prælati habent votum ad Capitulum generale, &c.

5 Solus Summus Põtifex potest Abbatias commendare. Azor. *par* 2. *lib.* 6. *cap.* 31. *qu.* 15. Barbosa *de offic. & potestate Episcopi par.* 3. *allegat.* 68. *num.* 16.; & ità fuit definitum per Leonem X. *in constit.* 7. § 9. apud Laertium Cherubinum, vbi definit, Abbatias commendandas esse idoneis, & ille censetur idoneus ad hunc effectum, qui ætatẽ, & cætera requisita ab beneficia habet. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell.*; & ideo commendari non possunt minoribus 25. annis, *ex cap. Nemo deinceps de elect. in* 6., licèt nunc minoribus 25. annis fiat commendatio.

6 Abbatiæ commendari possunt in perpetuũ, vel ad tempus. Primo modo commendantur, quando alicui in perpetuum, eius vita durãte committitur, vt eam gubernet, & regat, cum facultate disponendi de fructibus ipsius beneficij; & isti commendatarij habent liberam administrationem, & iura Monasteriorum, sicut Titulares, nisi aliter in Bulla exprimatur. Secundo modo cõmendatur Abbatia, quando mortuo Abbate, committitur Monasterij custodia ad tempus, in quo loco nõ se habet vt beneficiatus, sed vt custos, vel Æconomus.

7 Habens Abbatiam in Commendam non tenetur Religionem, in qua illud obtinet, profiteri; nisi in Bulla commendationis id sit expressum. Cuch. *instit. lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 48. Garz. *de benefic. par.* 4. *num.* 28. & alij.. Item quando Abbatia iam commẽdata vacat, potest denuò imperrari: verùm in precibus necesse est facere mentionem, quòd iam fuerit commendata; aliter prouisio, tãquàm subreptitia, erit nulla. Ità DD. *in c. Nemo de elect. in* 6. Caldcr. *cons.* 6. *&* 30. *deprehen.*

8 Electio Abbatis antiquitùs spectabat ad Monasterium, & ad Monachos, quibus erat præficiendus; nũnc verò deuoluta est ad Capitulum generale, iuxtà formam in eorum constitutionibus traditam. Requiritur, vt quis in regularem Abbatem assumi possit, non solùm quod tria Vota emiserit expressè, verùm etiam, qnòd in eadem Religione, in qua assumitur, professionem emiserit, quia ratione non congruit, vt homines disparis professionis, vel

habi-

habitus, simùl in eisdem Monasterijs sociientur. Ità *cap. Cum causa extrà de elect.*, requiritur etiam, quòd sit Sacerdos. Ità Angel. *in sum. verb. Abbas num.1.* Syluest. *eodem verbo num 1.* Azor. *par.1. lib.12. cap.20. quæst.1.*: tùm etiam, quia Abbas est Parochus, qui regulariter est Sacerdos, *ex Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap.1.*; licèt alij doceant, satis esse, quòd sit in ordinibus sacris constitutus: requiritur etiam, quòd sit legitimus, quia illegitimus censetur irregularis ad Prælaturas; & ideò indiget dispẽsatione Summi Pontificis Frater Em. *quæst. regular. tom.1. quæst. 13. art. 5.* Sayrus *de censuris lib.6. cap.11 num.3.* Suarez *tom 5. disput. 50. sect. 5. num.13.* Azor. *par. 2. lib.6. cap.3. quæst.2.*. Item requiritur, quòd non sit notoriè infamis, infamia iuris, vel facti, quia infamibus portæ dignitatum patere non debent. *l.2. C. de dignit lib.12. l. vnic. C. de infamibus lib.10. cap. Inter dilectos de excess. Prælat.* Glos. *in cap. Querelam de crimine periurij, de iur. iuram.* Excipiuntur tamen, qui in infamia facti se emendauerint, quia tùnc promoueri possunt, quia infamis infamia facti purgatur per pœnitentiam. Panormit. *in cap. Cum ex num 9. de re iudicata.* Nauar. *in man. cap.27. num.204.* Suarez *de relig tom.4. tract.8. sect.1. num.8.* Reginald *lib. 30. num.196.* Requiritur etiam, vt nõ sit corpore vitiatus, simoniacus, homicida, apostata, periurus, proditor, neophytus, vel patiens defectum aliquem animi, vel corporis, sed sit in regimine cautus, humilis, castus, misericors, disertus, sobrius, non sit turbulentus, nec sit nimiùm obstinatus, Zelotypus, vt colligitur ex varijs locis Regulæ Sancti Benedicti. Requirũtur etiam plures aliæ qualitates, de quibus fusiùs tractat Tambur. *lib. 1. disput. 5. quæst. 21.* Vltimò requiritur, nè alterius Abbatiæ sit Abbas, cùm non possit vnus præfici duobus Monasterijs, nàm eo ipso, quòd eligitur in Abbatem Monasterij, desinit esse Abbas, & Prælatus primi Monasterij, cùm sint duo beneficia incompatibilia, cùm vtraque requirant residentiam.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Abbates perpetui debent benedici ab Episcopo.*
2 *Abbas benedictus non est denuò benedicendus.*
3 *Insignia Abbatis quæ sint?*
4 *Quidam Abbates possunt ferre Mozzetam, &c.*
† *Non potest deferre Mitram extrà suam Ecclesiam.*
5 *Potest consecrare calicem, &c.*
† *In quibus benedictionibus possit se ingerere?*
6 *Potest vocari ad Concilium generale.*
7 *Non tenetur accedere ad Synodum Diœcesanam.*
† *Abbates sæculares an teneantur accedere ad Synodum Episcopalem?*
8 *Possunt congregare Synodum, &c.*
9 *Abbates regulares duplicem habent potestatem.*
10 *Abbas habens iurisdictionem quasi Episcopalem, potest omnia, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi circà ea, quæ sunt iurisdictionis.*
11 *Potest conferre primam Tonsurã, & ordines minores*
† *Etiam alijs Regularibus, vel etiam Clericis, cum consensu ordinarij, & litteris dimissorijs, &c.*

1 ABbates perpetui debent benedici à proprio Episcopo. Sbroz *de offic. Vicarij lib. 2 quæst. 8. num. 1.* Scipio de Rubeis *in Aphorismis Episcopalibus verb. Abbas num. 1. & 2.* Azor. *par.1. lib 12. cap. 21. quæst. 6.* Tambur. *de iur. Abbatum tom. 1. disput. 11. quæst. 7.*; licèt aliqui ex priuilegio possint à quocũque Episcopo benedici. Die Dominico benedici debent, vel festiuo. Ità Panormit. *in cap. Cùm contingat num.2.* Felin. *in cap. Inter Monasterium num 2.* Angel. *verb. Abbas num.6.* Syluest. *eodem verb. num.4.* Castald. *in prax. cæremonial. lib. 1. cap.1. sect.9. cap.2. num.2.*

2 Abbas semèl benedictus, si transit ad aliam Abbatiam, non est denuò benedicendus, quia quamuis talis benedictio nõ imprimat characterem, nihilominùs non est reiterabilis. Ità Tambur. *tom.1. disput.11. quæst. 6.* Verùm si Episcopus ter requisitus, sine causa renuerit Abbatem benedicere, potest ipse Abbas, non expectata benedictione, officium ministrare, Ordines minóres conferre, &c. Scipio de Rubeis *verb. Abbas num.54.* Cochier *de iurisdictione ordinaria in exemptos par.4. quæst.78. num.2.* Abbates regulares possunt à generali, seù à deputato benedici ex priuilegio Summorum Pontificum: Item Abbates regulares, qui non sunt benedicti, gaudent ijsdem priuilegijs, quibus benedicti, ex priuilegio Summorum Pontificum.

3 Insignia Abbatis sunt vsus Mitræ, & Baculi Pastoralis, & annuli. Debent vti Mitra secundùm priuilegium illis concessum, ità vt si in priuilegio dicatur posse vti auro phrygiata, illa vtantur; alioquin, non. Baculo Pastorali non possunt vti extrà proprias Ecclesias, nisi ex priuilegio speciali id eis esset indultum; habent etiam ius benedicẽdi in proprijs tantũ Ecclesijs, quæ ad eos pertinẽt pleno iure, videlicèt, post Missarũ solẽnia, Vesperas, & Matutinorum Officia; non autem alio tempore, nisi eis hoc sit à Sede Apostolica specialitèr concessum. Fr. Em. *quæst. regularium tom.1. quæst.18. art.1.* Azor. *par.1. lib.12. disput 2. quæst.7.* Dummodò tamen non sit præsens Episcopus, vel alius maior Prælatus. *cap. Denique 21. dist. & cum cap. Ad celebrandum de consecrat. dist. 1.*, nisi extaret aliquod speciale priuilegium Sedis Apostolicę, prout Sixtus IV. concessit sub *Datum Romæ 17. Kalendas Octobris* 1483. Præposito, siuè Abbati Sanctæ Marię Pacis, Canonicorum regularium Lateranensis, vt habetur in libro priuilegiorum eiusdem Congregationis, vt liberè, & licitè possit, & valeat Mitra, Annulo, & Baculo, & alijs Pontificalibus insignijs vti, necnon in dicto Pacis templo, atque intrà septa dicti Monasterij benedictionem solennem post Missarum, Vesperarum, Matutinorum solennia elargiri; etiamsi in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, Cardinalis, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens esset.

4 Abbates generales quorumdam Ordinum Monachorum, ex priuilegio Pontificum, habent auctoritatem ferendi Mozzetam, Mantellettum, Biretum Clericalem,

pileum

pileum more Prælatorum, retento semper sui habitus colore: non posse tamen deferre Mitram extrà propriam Ecclesiã, per Diœceses Ordinariorum, absque speciali Indulgentia Sedis Apostolicæ,& cum licentia Ordinarij. Sacra Congregatio *in vna Cameracensi 6. Decembris 1631.* Baldachino non licet Abbatibus vti, nisi illis, quibus priuilegio concessum est, prout in tribus festiuitatibus Anni Baldachino vti possint, sine tamen auro, & pompa,& aliquibus etiam ministris paratis sacris indumentis, qui ad summum sint duo Diaconi, & Presbyter assistens Diaconus, & Subdiaconus pro cantando Euangelio, & Epistola, ac sex ad summum alij, Duo cum pluuialibus, Duo cum planetis, & Duo cum Tunicellis, coloris tempori conuenientis.

5 Abbates possunt consecrare calices, & benedicere res Altaris, & quæcumque alia ornamenta Ecclesiastica,ac corporalia,& pixides, seu alia vasa ad reponẽdam Sacram Eucharistiam. Ità ex priuilegio Innocentij VIII. Ioanni Abbati Cisterciensi concesso, *sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1489., quinto Idus Aprilis Pontificatus eius anno quinto*. Ex quibus,& alijs priuilegijs,sententiã in fauorẽ Abbatum tenuit Sacra Congregatio Cardinalium, vt testatur Naldus *in sum. verbo Abbas*, vbi sic asserit, *Abbas benedictus, vsum Mitræ, & Baculi habens, ex Sacra Congregationis decreto, non potest se ingerere in illis benedictionibus, in quibus vnctio requiritur: Dubitatũ fuit an huiusmodi declaratio,seu prohibitio sit intelligẽda de cibus Abbatibus etiam Regularibus, & qui gaudent priuilegijs amplissimis, pro benedictionibus Altaris, Calicum, & huiusmodi; & eadem Sacra Congregatio, instante Procuratore generali Cassinensi, & exhibente summarium priuilegiorum, & gratiarum eiusdem, declarauit in hæc verba, videlicet, decisionem aliàs à se editam, vt Abbates vtcumque benedicti, non possint benedicere ea, in quibus vnctio requiritur, impendere queant, si specialibus priuilegijs, quibus Concilium Tridentinum nequaquàm derogat, muniti fuerint. Datum Romæ die 10. Nouembris 1614.* Hæc omnia Naldus: ideò iure priuilegiorum, poterunt Abbates Altaria benedicere,& consecrare: item consecrare campanas, ex priuilegio Pauli III. Abbati Vallis Scholarium in Gallia concesso,vbi inter cætera,ei indulsit, vt valeat campanas consecrare, vt refert Renat. Copp. *in Monast. lib. 1. tit. 3. nu. 28.* quo priuilegio gaudent omnes Abbates communionem habentes priuilegiorum.

6 Abbates sicut Episcopi, in litteris Indictionis Concilij generalis vocandi sunt, præsertim Abbates, qui Iurisdictionem quasi Episcopalem habent, & in eo habẽt vocem decisiuam: Vndè in Concilio Tridentino interfuerunt septem Abbates, & septem Generales Religionum; & in eo possunt vti Mitra phrygiata, si exempti sint, non tamen aurea, vel habente laminas argenteas: quòd si exempti non sint, simpliciter albis planis vtantur. Ita Speculator *lib. 8. quæst. 4. rubr. de priuilegijs*, Card. Zachobat. *de consil. lib. 1. rubr. de loco Sedium in Concilio.*

7 Abbates, & Prælati Regulares exempti nullo modo ad Synodum Diœcesanam accedere tenentur, *cap. Ex ore*, & ibi Panormit. *num. 1. de priuilegijs.* Gloss. *cap. Vt Apostolicè, Verbo Videtur*, & *cap. Exempt. Verb. Curam de priuilegijs in 6. Cap. Abbates 18. quæst. 2.* & colligitur ex Tridentino *sess. 14. de reformat. cap. 2.* quia accedere ad Synodum, est signum subiectionis, at Abbates Regulares exempti sũt ab Episcopi iurisdictione, ergò nõ tenentur ad Synodũ ab Episcopo conuocatam accedere, nisi consuetudo esset extrà, aut essẽt Parochialium Rectores, quia tunc tenentur accedere ad Synodum, vt fuit decisum à Sacra Congregatione, vt refert Ioannes-Franciscus Leo, *in Thesauro fori Ecclesiastici p. 1. cap. 9. num. 13.* Sayrus *in Floribus decisionum tit. de offic. Ordinarij decis. 21.* Etiãsi cura annexa esset Monasterio, quia tunc accedere tenentur, vel mittere Capellanos, qui illos administrant. Tex. *in cap. Ex ore de priuileg.* & *cap. 1. in verb. Instituta de priuileg. in 6.* & *cap. Quod super his de maiorit. & obed.* Abbates sæculares, etiamsi sint exempti, ad Synodum Episcopalem venire tenentur, ex Concil. Trident. *cap. 2.*. Ad Prouincialem Synodum Abbates, & Prælati exẽpti accedere non coguntur, sed tantùm ij, qui de consuetudine, vel de iure interesse debent. Ex Trident. *sess. 24.* Et ij votum decisiuum in eo habent.

8 Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt congregare Synodũ, & Cõstitutiones Synodales facere, prout facit Episcopus. Ità Bald. *in tract. de præscript. num. 1. par. quæst. 11.* Botta *de Synodo quæst. 2. num. 40.* Flores de men. *var. resolut. quæst. 14 num 9.*

9 Abbates regulares duplicem habẽt potestatem, dominatiuam scilicet, & iurisdictionis, & hæc iurisdictio est ordinaria in Abbatibus, cùm sit perpetua; tùm etiã, quia illa iurisdictio est ordinaria, quæ cõuenit alicui per electionem ad officium. Gloss. *in cap. Cum Ecclesiarum, de officio Ordinarij*; & Panormit. *in cap. Suspitionis de officio Delegati num. 9.* Syluest. *verb. Prælatus*, sed Abbatibus competit iurisdictio ex officio, & ratione dignitatis, ergò, &c. Minor patet etiam, quia habens Pastorale officium, Ecclesiæ approbatione institutum, debet etiam habere, ratione illius, iurisdictionem.

10 Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt omnia, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi, circa ea, quæ sunt iurisdictionis. Gloss. *in Clementina eodem tit.* & Innocentius *in cap. 2. de transact.* Panor. *in cap. Significasti de foro compet.* Sayrus *in Clauiregia cap. 21. num. 39.* Suarez *de censuris disput. 2. 5 & 12.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disput. 2. num. 12.* & alij. Et ideò possunt dispensare in interstitijs cum illis, quibus possunt conferre primam tonsuram. Sorbus *in compendio Mendicantium, verb. Ordine sacro:* Secundò; possunt absoluere suos subditos à votis, & iuramentis. Valentia *tom. 6. disput. 6. quæst. 6. par. 7.* Suarez *tom. 2. de religione tract. de voto cap. 10. num. 14.* Clauis-regia *lib. 6. cap. 11. num 88 & 89.* Re-

89. Reginal. *lib.* 18. *n.* 540. Tertiò, possunt approbare Sacerdotes pro cõfessionibus audiẽdis, Suar. *tom.* 4 Reginal. *num.* 181. Quartò possũt denunciationes matrimoniales remittere, ex Cõc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 21. *de reform.* Nauar. *consil.* 5. *de spons.* Henriq. *in sum. lib.* 11. *cap.* 5. §. 5. Tambur. *tom* 2. *disp* 8 *quæst.* 8.

11 Abbas exemptus, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habet, potest conferre primam Tonsuram, & Ordines Minores. Ita Tex. *In cap. Abbates*, Sylnest. *in sum. Verbo Ordo*, Cou. *lib.* 3. *var. cap.* 10. Riccius *in collectanea decis. p.* 4. *collec.* 955. Flores de Men. *var. lib.* 2. *quæst.* 24. *num.* 12. Fr. Lud. *in manuali Prælatorum, tom.* 1. *quæst.* 38. *num.* 9. quod non modò possunt Abbates benedicti, sed etiã triennales, cùm omnibus, & singulis honoribus, præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis gaudeant, vt Abbates benedicti; & ideò possunt & ipsi Ordines conferre solummodò suis subditis. Ex Concilio Tridentino *cap.* 10. *sess.* 23. Suarez *tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 19. Portel. *in dubijs Regularium, Verb. Abbas* 2. Miranda *in man. Prælatorum*, *tom.* 5. *quæst.* 38. *art.* 9. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi p.* 2. *allegat.* 3. *num.* 11. An Abbates alijs Regularibus, vel etiam Clericis possint conferre primam Tonsuram, & Ordines minores, quidam negant; alij verò affirmat, vt Bonacin. *disp.* 8. *p.* 4. *num.* 3. Vgol. *de offic. Episcopi, cap.* 16. §. 19. Quaranta *Verb. Ordo*. Tambur. *de iur. Abbatum, tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 7. & alij ab eo citati, qui tenent, quòd Abbates habentes ius deferendi Baculum, & Mitram benedicti ab Episcopis, possint conferre primam Tonsuram, & quatuor Minores, non modò suis subditis Regularibus, sed etiam alijs cum consensu Ordinarij, & litteris Dimissorijs, ac etiam alijs Regularibus, qui Dimissorias speciales Superiorum suorum, & specialem cõsensum Ordinarij loci habuerunt; & alijs Sæcularibus, qui aliorum Episcoporum iurisdictioni subiecti sunt, dummodò Dimissorias Superiorum attulerint, & de cõsensu Episcopi loci, in quo Ordines cupiunt suscipere.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Abbas, &c. potest concedere litteras Dimissorias suis subditis, &c.*
2 *Non potest Nouitijs concedere Dimissorias.*
3 *Abbas excommunicatus, &c. non potest concedere Dimissorias.*
4 *Non potest ministrare Sacramentum Confirmationis.*
5 *Potest absoluere suos subditos à votis, & iuramentis, &c.*
6 *Potest dispensare in casibus Papæ reseruatis, &c.*
7 *Abbas dicitur Sponsus Ecclesiæ.*
8 *Habet illam potestatem, quam habent Episcopi.*
9 *Non potest reconciliare Ecclesias de iure;*
† *Ex priuilegio potest.*
10 *Potest dispensare super illegitimitate ad Ordines minores.*
11 *Non potest imponere pensionem super Beneficijs.*
12 *Habet potestatem dandi licentiam ædificandi Ecclesiam, &c.*
13 *Prohibitum est illis fungi officio Patrini.*
14 *Abbas factus Vicarius potest conferre minores Ordines subditis, &c.*
15 *Abbas Titularis habet Ius visitandi Ecclesias, &c.*

1 Abbas si Ordinarius fuerit priuatiuè quoad Episcopos, & habuerit ius visitandi, ac congregandi Synodum, Clericis Sæcularibus sibi subditis litteras Dimissorias concedere potest. Campanil. *in diuers. Iur. Can. rub* 9. *cap.* 8. *num.* 4. & alij ab eo citati, Tambur. *de iur. Abb. tom* 2. *disp.* 11. *quæst* 26. *num.* 2. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi p.* 2. *allegat.* 7. *num.* 8. Ratio, quia concedere Dimissorias non est actus Ordinis, sed iurisdictionis; cùm autem Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem priuatiuè quoad Episcopos, habeant omnem iurisdictionem, quã habent Episcopi, sequitur, eos posse concedere Dimissorias: neq; obstat opinio Doctorum dicentium, eius solummodò esse, concedere Dimissorias, cuius est ordinare; & per cõsequens, Abbates non posse, saltem pro Sacris, concedere Dimissorias, cum non possint in Sacris ordinare, quia Vicarius Capitularis, elapso anno, potest concedere Dimissorias, & tamen non ordinare, cùm non succedat in potestate Ordinis: neq; obstat etiam Concilium Tridentinũ *sess.* 23. *cap.* 10. vt docet Gratianus *discep. forẽs. tom.* 2. *cap.* 172. relatus à Campanilio *rubrica* 9. *cap.* 8. *num.* 4. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi p.* 2. *allegat.* 72. *num.* 8. refert, decisum fuisse in vna Salamantina *die* 9 *Martij* 1594. corã Cardinali Seraphino, quia Conciliũ non loquitur de Abbatibus, qui sunt Ordinarij, habentes iurisdictionẽ quasi Episcopalem priuatiuè quoad Episcopos, & habent omnimodam iurisdictionem, vt Episcopi, sed de alijs Abbatibus simplicibus: Et quòd Abbates sint Ordinarij, patet ex supradictis & id docet Glossa in *cap. Cùm contingat*, Riccius *resol.* 330. & alij; Habent enim iurisdictionem contentiosam, Gloss. *cap. Roman.* §. 3. *de appell. in* 6., & *in Clement. Dudùm Verb. Prælati, de sepulturis.* Felin. *in cap. Decernimus num.* 9. *de iudic.* & alij. Habent etiam ius visitandi, & qui habet ius visitandi, dicitur Ordinarius, nam visitatio pendet ab ordinaria iurisdictione. Seraph. *decis.* 615. Gratian. *loco citato cap.* 12. *nu.* 34. Ludouicus *decis.* 304. *num.* 2. Vndè sequitur, Abbates, tamquàm Ordinarios, posse concedere Dimissorias.

2 Non potest Abbas Nouitijs concedere dimissorias: Ratio, quia Abbas circa illum non censetur habere omnimodam iurisdictionem, sed tantùm necessariam ad bonum regimen, & finem probationis, sed in ordinem ad talem finem, non est necesse, quòd Abbas illis concedat dimissorias, ergo, &c. maximè cùm expediat Nouitijs, non ordinari, imò in nostra Congregatione præceptum est, vt non ordinentur, neque etiam ad titulum patrimonij.

3 Abbas excommunicatus vitandus, seu suspensus, non potest suis Monachis dimissorias concedere: Ratio, quia talis cõcessio est actus iurisdictionis, quo priua-

tur excommunicatus vitandus, & suspensus, *cap. Licèt, de sententia excommunicationis*, ergò non potest cõcedere dimissorias: quòd si faceret, tales dimissoriæ non valerent, & per consequens cum illis ordinati inciderent in pœnas contrà ordinatos sine licētia. Barbos. *de off. & potestate Episcop. par. 2. alleg. 7. num. 5.* & alij citati à Tambur. *quæst. 28. num. 2.*

4 Abbas regulariter non potest ministrare Sacramentum Confirmationis: ex priuilegio Summi Pontificis, potest tale Sacramentum, de consensu tamen Ordinarij, ministrare. Ità Thomas *3. par. quæst. 72. art. 11.* Palud. *in 4. dist. 7. quæst. 4.* Turre crem. *in cap. manus de consecrat. dist. 5.* Couar. *var. resolut. lib. 1 cap. 10. num. 6.* Vict. *de Sacram. nu. 50.* Bellarm. *de confirmat. cap. 12.* Nauar. *in man. cap. 22. num. 8.* Henriq. *in sum. lib. 1. cap. 26. §. 5.* Graff. *aur. decis. par. 1. lib. 3. cap. 8. num. 155.* & alij citati à Tambur. *disp. 4. qu. 1. num. 10.*

5 Abbates possunt absoluere suos subditos exemptos à votis, & iuramentis, sicut Episcopi. *Valent tom. 6. disput. 6. quæst. 7.* Azor. *par. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 4.* Graf. *in aur. decis. par. 1. lib 2 cap 31. num.* 18. Less. *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 107.* & alij. Item potest absoluere suos Monachos à peccatis omnibus, & cēsuris, nisi aliter à iure reseruatis. Suar *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. num. 2. & 3.* Tambur. *de iur Abbatum tom. 2 disp. 14. quæst. 12.* Item potest absoluere à sententia excommunicationis, pro iniuria Clericorum, & si Romano Pontifici reseruetur, ex ipsius concessionē, *cap. Monachi de sententi. excommunicationis.* Suarez *tom. 5. de censuris, disput. 22. sect. 1. num. 73.* Tambur. *disput. 18. quæst. 10.* & alij.

6 Abbas potest dispēsare in casibus Papæ reseruatis, sicut Episcopus, Ità Gamb. *de off. & potest. Legati, lib. 10. n. 432.* Flores de men. *var. resolut. lib. 3. quest 24 num. 18.* Sanch. *lib. 8. disput. 2 num. 11.* : qui docet Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalē, gaudere priuilegio cōcesso Episcopis in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat.*, vbi Episcopis cōceditur facultas in aliquibus casibus, absoluendi, & dispensandi in casibus Papæ reseruatis: quod priuilegium extenditur etiam ad Abbates, quia Abbates in sua Diœcesi plenam iurisdictionem habent, & sola consecratione differunt ab Episcopis: vndè possunt absoluere, & dispensare in casibus, in quibus Episcopi dispensare possunt, vt circà casus occultos, & non deductos ad forum contentiosum. item possunt etiam secum dispensare in casibus Papæ reseruatis, in quibus potest cum suis subditis: Ratio, quia non repugnat vti hac iurisdictione ergà seipsum, Sanch. *lib. 8 disput. 2. num. 8.*

7 Abbas dicitur Sponsus Ecclesiæ, vt dicitur Episcopus Spōsus Ecclesiæ, & eo mortuo, viduata dicitur. Ità Innocentius *in cap. Qui propter*, Barth. *in l. si ità quis §. is cui n. 3.* & cùm sit Ordinarius, sicut Episcopus potest esse Iudex in causis suarum Ecclesiarum subiectarum. Angel. Aretin. *consil. 99.* Et sicut in alienatione bonorum Ecclesiæ requiritur consensus Episcopi, ità consensus Abbatis in alienatione bonorum Abbatiæ, seu Ecclesiæ sibi subiectæ. Non possunt tamen Abbates alienare, vel ad longum tempus locare res Ecclesiæ, etiam posita iusta causa, sine consensu Conuentus, & licētia Capituli generalis, habita etiam licentia Summi Pontificis. Graf. *de rebus Ecclesiæ non alienand. lib. 3. consil. num. 3.*

8 Abbates habent illam potestatem, quam habent Episcopi, exequēdi voluntates defunctorum, dummodò habeant quasi Episcopalem iurisdictionem. Flores de men. *var. quæst. quæst. 24. num. 2.* & alij. Item possunt interesse matrimonijs, virtute Cōcilij Tridentini *sess. 24. de reformat. matrim.* Et ità Henriq. *in sum. lib. 11. cap. 3. §. 4.* Reginald. *lib. 31. num. 168.* Basil. Pontius *de impedim. matrim. cap. 26. §. 6.* & alij. Potest etiam alijs delegare talē facultatem assistēdi matrimonio suorum subditorum. Petrus Ledesma *de matrim. qu. 45 art. 5 par. 3.* Henriq *lib. 11. cap. 3. num. 4.* Gutier. *de matrim. cap. 66. num. 6.* Basilius Pontius *in tract. de Sacram. matrimonij* ait, non permitti hanc facultatem Commendatario, licèt eius Abbatia iura Episcopalia habeat.

9 Abbas de iure non potest reconciliare Ecclesias, etiāsi adsit consuetudo, *cap. Quādo extra de consuetudine*: cùm in ijs, quæ sunt ordinis Episcopalis, nō possit esse cōsuetudo: & ideo solus Episcopus Ecclesiā consecratam reconciliare potest, vel alius Episcopus de licentia, & commissione Episcopi loci. Ità Couar. *lib. 3. var. resolut. cap. 20. num. 3.* : Ratio, quia reconciliatio Ecclesiæ est reseruata Episcopo, quæ per inferiorē fieri nō potest: ex priuilegio potest ipsā reconciliare, cùm etiam ipsi Sacerdoti hoc possit committi à Summo Pontifice. Ità Innocent. *in cap. Aquæ*, tamen per proprium Episcopum aqua priùs benedicta; quod idem dicendum est de omnibus, quæ sunt iuris Episcopalis, ex dispensatione humana, quia in his Papa habet plenitudinem potestatis. *cap. Proposuit*; modò illam nō habeant immediatam relationem ad Corpus Christi: & ideo simplex Sacerdos, vt docet D. Thomas *in 4. sent. dist. 25. art. 1.* poterit auctoritate Apostolica cōferre Ordines minores, & confirmare; non autem Ordines maiores, quia habent immediatam relationem ad Corpus Christi. Verùm ex priuilegio Eugenij IV. concesso Cassinensibus 1436. *pridie Kalendas Iulij*; qui indulsit, vt possint Monachi in suis locis Ecclesias, Altaria, & vasa sacra consecrare, credentem dictum Indultum extendendum esse ad reconciliationem Ecclesiæ; tùm quia plus est consecrare, quàm reconciliare, & plus in se semper continet minus, quando ponitur affirmatiuè, vt habetur *in reg. iur. in 6.* tùm etiam, quia priuilegia Principis sunt latissimè interpretanda: & ità credimus Abbates Cassinenses posse Ecclesias suas reconciliare & Graffius *consil. lib. 3 de consecratione Ecclesiæ num. 16.* : quod etiam dicendum est de alijs Abbatibus, qui habent tale priuilegium consecrandi Ecclesias, Altaria, & vasa sacra.

10 Abbas habens iurisdictionem quasi Episcopalem

scopalem in suo territorio separato, potest dispensare super illegitimitate ad quatuor Ordines minores. Sacra Congregatio Concilij *in vna Pinerolij nullius Diœcesis* 18. *Nouembris* 1628. Ratio, quia dispensare in illegitimitate non est actus ordinis, sed iurisdictionis; cùm autem Abbatibus competant omnia iura Episcopalia, quæ competunt Episcopis, sequitur, eos posse dispensare in illegitimitate.

11 Abbas non potest imponere pensionem super beneficijs suorum subditorum, aut impositam augere. *cap. Prohemus, de censibus*, Clementina *si de supplen. negligentia Prelatorum*. Possunt Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in suis Diœcesibus, concedere facultatem Nouitijs disponendi de suis bonis temporalibus, dummodò sint nullo Episcopo subiecti. Ità Bart. de Vech. *in prax. obseruanda in administrandis ad Religionem Nouitijs disput.* 8. *num.* 9. *dub.* 2. Sanch. *in preceptis Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 68.

12 Abbas habens iurisdictionem quasi Episcopalem, non modò habet potestatem dandi licentiam ædificandi Ecclesiam in suo restrictu, sed etiam habet facultatem præstandi auctoritatem creationi, & acquisitioni iuris patronatus; & sic potestas dandi licentiam construendi Ecclesiam, trahit secum, tamquàm quid consecutiuum, potestatem consentiendi acquisitioni iuris patronatus: & dicta potestas dandi licentiam videtur concedi ad finem, ve ædificans acquirat ius patronatus. Et sic fuit decisum *in vna Imolensi iurispatronatus* 18. *Nouembris* 1578. *coram Domino Carensio*, quæ est *in* 2. *parte diuersarum decis.* 85.; quod fuit firmatum 23. *Martij* 1579. *vt in decis.* 93. *eiusdem partis* 2. Abbates regulares gaudent honoribus, præeminentijs, priuilegijs, prærogatiuis, iuribus, & insignibus Abbatialibus, quibus gaudent Abbates perpetui, & benedicti, ex priuilegio Eugenij IV. Iulij II. & Leonis X. Ità Em. Rodriq. *quæst. reg. tom.* 1. *quæst.* 12. *art.* 4.

13 Prohibitum est Abbatibus, & Monachis, nè Patrini fungantur munere, tàm in Sacramento Baptismi, quàm Confirmationis. *cap. Non licet de consecrat.*: quia tamen in Text. non apponitur verbum irritans, si suscipiant, veri susceptores erunt, & subindè contrahunt spiritualem cognationē, quamuis peccent mortaliter, suscipiendo contrà prohibitionem. Ità Galera *de cognatione spirituali cap.* 9. Margarita *casuum conscientia verbo Religiosus*. In Sacramento Confirmationis, si qui confirmantur, sint Religiosi, potest Abbas, & Monachus fungi officio Patrini. Barbosa *de offic. & potest. Episc. par.* 2. *alleg.* 3. *num.* 36.

14 Abbas factus Vicarius alicuius Ecclesiæ, Sede vacante, potest conferre Ordines minores subditis illius Episcopatus. Ità *in cap. cus num.* 7. Felin. *in cap. Eam num.* 9. *de rescrip.* Selua *de benefic. par.* 2. *quæst.* 6. *num.* 3. vbi dicit, eodē modo poterit, qui inuitatus in claustris exemptorum aliorum iure suo conferre tonsurā, & Ordines minores. Gemin. *in cap. Abbates de priuileg.* Maiol. *de regularib. lib.* 3. *cap.* 23. *n.* 12. Sayrus *de censuris lib.* 4. *c.* 13. & alij.

15 Abbates titulares habent ius visitandi Ecclesias suorum subditorum. *cap. In singulis, cap. Ea, quæ de statu Monachorum*. Item ex priuilegio, & non de iure possunt ab Ecclesijs sibi subiectis exigere charitatiuum subsidiū. Ità Azor. 2. *p. lib.* 9. *cap.* 14. *qu.* 15. Bellettus *disquis. Cleric. par.* 1. *tit. de Clerico debitore* §. 12. *nu.* 38. Bellens. *qu.* 5. *asserit*, Abbates, vel Priores non posse exigere charitatiuum subsidiū ab Ecclesijs sæcularibus, vel regularibus sibi non pleno iure subiectis; & addit, ex Calderino, Præpositum, siue Præfectum totius Ordinis regularis posse huiusmodi subsidium petere à Monasterijs sui Ordinis, pro sumptibus necessarijs ad gubernationem Ordinis, si aliundè ratione Præfecturæ, non habent bona, quæ ad hoc onus sustentandum sufficiant.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Commendatarij perpetui potestas.*
2 *Potest exigere charitatiuum subsidium.*
3 *Potest visitare Ecclesiam suæ fidei commendatam.*
4 *Non potest facere concursum beneficiorum.*
† *Quando possit?*
5 *Potest Synodum congregare.*
6 *Commendatarius ad tempus non potest liberè disponere de fructibus, &c.*
† *Abbas commendatarius tenetur ad omnia onera, sicuti titularis.*

1 Commendatarius perpetuus habet liberam potestatem in temporalibus, & spiritualibus, Rebuf. *de pacifica possess. num.* 3. Secundò, potest præsentare, eligere, & conferre beneficium. Rebuff. *in prax. tit. de commendis num.* 62. Tertiò, transigere super fructibus sui beneficij commendati, atque eos vendere. Rebuf *de pacifica possess. num.* 60. Quartò, permutare cum alio beneficio, *in tit. cap. fin de rerum permutatione*; Rebuf. *de pacifica possess. num.* 38. Quintò, resignare etiam in fauorem. Flam. Paris. *quæst.* 11. Sextò, tenetur verificare narratiuam, sicut quilibet beneficiatus. Puteus *decis.* 253. *lib.* 3. Septimò, tenetur ad pēsum Canonicarum precum. Nauar. *de orat. cap.* 20. Azor *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 3. *quæst.* 6. Vasquez. *de beneficijs cap.* 4. *art.* 1. Suarez *de relig. tom.* 2. *tract.* 8. *lib.* 8. *cap.* 22. *num.* 5. Vndè Commendatarius Abbas est verè Prælatus, quasi Episcopalia iura habens. Decius *in cap. Decern num.* 8. *de rescript.* Rebuf. *cons.* 75. *nu* 1. Aloys. Riccius *in collect. decisionum decis.* 999 Puteus *decis.* 610. Vndè potest esse delegatus Papæ, iuxtà *caput Statutum de rescript.* vbi Ludouicus Gomez *sub regula de triennali quæst.* 5. *num.* 779. Macrobius *de Synodo Diœcesana cap.* 4. *n* 13. Potest etiā remittere denunciationes matrimoniales iusta causa, quæ deberent fieri in suo territorio, iuxtà Concil. Trident. *sess* 25. *de reformat. cap.* 1. Et ità Petrus Ledesma *in sum. de sacram. par.* 1. & alij.

2 Commendatarius perpetuus Ecclesiæ Cathedralis, cùm habeat legitimam administrationem, & possit exercere iurisdi-

ctionem, quæ competeret Episcopo titulato: potest exigere charitatiuum subsidiū ab Ecclesijs sibi subiectis. Archidiac. *in cap. Nemo deinceps de elect. in 6.* Innoc. *in cap. Si constiterit, de accusat.* Card. *in Clement. vltima de procuratoribus quæst. 12.* Bellens. *quæst. 6.* Azor. *loco citato quæst. 7.*

3 Abbas Commendatarius potest visitare Ecclesiam suæ fidei commēdatam: Ratio, quia Commendatarius censetur Sponsus Ecclesiæ suæ fidei commendatæ; tùm etiā, quia habet legitimam administrationem, & potest exercere iurisdictionem, quæ cōperit Episcopo titulato, quia Commendatarius perpetuus est verè Prælatus, & habet plenariam administrationem in temporalibus, & equiparatur titulari. Nauar. *lib. 1. consil. de constit. consil. 1. num. 38.* & *lib. 3. de regul. consil. 15. num. 6.* Fuscus *de visitat. lib. 2. cap. 9. num. 5.* Rebuf. *cons. 77. num. 1.*: tùm etiam, quia Abbati competunt iura Episcopalia. Glos. *in cap. Ordinarij*, Nauar. *consil. 8. tom. 2. lib. 4.* Farinac. *tom. 1. decis. 336. num. 1.* Et sicut Episcopus potest visitare Diœcesim; ità etiam Abbas suas Ecclesias, siuè sit titularis, siuè Commendatarius perpetuus.

4 Abbas Commendatarius non potest facere concursum beneficiorum, sed spectat ad Episcopum, in cuius territorio sita est Abbatia exempta, qui electum magis idoneum mittet ad Abbatem Commendatarium pro collatione, vt censuit S. Congregatio, teste Garz. *de benefic. par. 9. cap. 2. num. 123.* Si verò omnimodam habeat iurisdictionem, & sit immediatè subiectus Sedi Apostolicæ nullius Diœcesis, proprium territorium habens, si habet ius congregandi Synodum, & legitimè constet, illum congregasse, & examinatores elegisse, potest concursum instituere, & examinare, & approbare, omniaq; illa facere, quæ cōtinentur decreto Concilij Tridentini *cap. 18. sess. 24.* Ità Garz. *de beneficijs par. 2. cap. 2. num. 136.*

5 Talis Abbas non modò potest concursum facere, sed etiam Synodum congregare, prout facit Episcopus, & Constitutiones Synodales facere. Et ita Baldus *in tract. de prescript. 1. p. quæst. 11.* Rota *de Synodo p. 2. num. 40.* Flores de Men. *var. resol. lib. 1. quæst. 2. num. 9.* Et ita censuit Sacra Congregatio *sub die 17. Iunij 1616.*

6 Abbas Commendatarius ad tempus, liberè non potest disponere de fructibus beneficij, quia sunt tantùm Administratores, & Procuratores Ecclesiæ sibi commēdatæ; & ea solùm recipere possunt, quæ ad sui commodam sustentationem necessaria sunt, cum obligatione reliquos fructus futuro Pastori conseruandi, ac de illis rationem reddendi: Is autem, qui Abbatiam, vel Ecclesiam in perpetuum commēdatam habet, tenetur iisdem oneribus, quibus tenetur beneficiatus habens beneficium, vel Ecclesiam in titulum, nisi aliqua onera specialitèr Ecclesiæ sibi cōmendatæ inhæreant: Vndè Commendatarius perpetuus liberam habet administrationem Abbatiæ, vel Ecclesiæ sibi cōmendatæ; & ideò de fructibus disponere potest: Vndè ludentes cum Commendatarijs, non tenentur ad restitutionem, aliquid acquirentes, quia cùm sint veri Domini omnium illorū bonorum, & possint de illis disponere, verè transferunt illorū dominium in ludo perdendo. Barbos. *iur. Ecclesiastic. lib. 3. cap. 57. num. 16.* Tambur. *tom. 3. disp. 11. quæst. 14. num. 5.*

PARAGR. IV.
Decreta Sac. Congregationis Rituum. De Abbatibus.

Abbas semèl benedictus cum vsu bireti, si transferatur ad aliam Abbatiam, non indiget alia benedictione. *In Bituntina 25. Februar. 1606.*

Abbas benedictionem ab Episcopo recipere debet, non autem ab Abbatibus aliàs benedictis. Abbati non benedicto indulgetur, vt possit benedicere paramenta, & similia, quæ non requirunt oleum Sanctū, vel sacram Vnctionem pro seruitio locorum suæ iurisdictionis subiectorum. *In Constantien. 18. February 1617.*

Abbas, licèt exemptus, & habens priuilegiū vsus Pontificalium, non potest illis vti extrà Monasterium, nisi de licentia Ordinarij. S. Congr. Rit. *in Cameracen. 6. Decembris 1631.*

Abbas in sua Ecclesia celebrans, potest populo solenniter benedicere, sed non in præsentia Episcopi: & quamuis habeat vsum Mitræ, & Baculi; & solenniter populo inter Missarum solennia benedicere possit; tamen priuatam benedictionem per viam subditis dare non potest. *In Eugubina 17. Iuly 1604.*

Abbas debet incedere in Ecclesia in habitu decenti; & non Camerali. *In S. Seuerini 9. May 1609.*

Abbati Titulari habenti iurisdictionē quasi Episcopalem cum vsu Mitræ, & Baculi, nō licet deferre Mitram extrà proprias Ecclesias, per Diœceses Ordinariorum, absque speciali indulgentia Sedis Apost., nec sine, nec cum licentia Ordinariorum. *In Fernacen. 2. Augusti 1631.*

Abbas in processionibus extrà suam Ecclesiam, & Conuentum non potest vti Mitra, & Baculo, nec etiam facere, vt ante se deferatur. *In Eugubina 17. Iuly 1604.*

Abbas, ad quem spectat in processionibus deferre Sanctissimum Sacramentum, & Reliquias, si noluerit, aut non potuerit, non potest alteri suo arbitrio delegare, sed vnus ex Presbyteris sæcularibus succedit. *In Firmana terræ S. Victoriæ 21. May 1618.*

Abbas exemptus in Ecclesia suæ iurisdictioni subiecta, Episcopo præsente, debet sedere in sede inferiore Episcopi, & sine ornatu, vel apud Episcopum à sinistris, vel è conspectu Episcopi, in loco tamen inferiore, respectu Sedis Episcopi. *In Aquilana 18. Martij 1617.*

Abbates benedicti cedere debent Canoni-

eis Capitulariter, & processionaliter incedentibus. *In Valnen. 8. Iuly 1602.*

Abbas non potest Synodum celebrare, nisi habeat Prouinciam. Sacr. Congt. Conc. *sub die 17. Augusti 1626.*

Abbas Canonicorum Regularium Lateranen. Ciuitatis Vercellen. potest deferre Mozzettam vbique, etiam præsente Episcopo. *In Vercellen. 9. Decembris 1617. & 30. Martij 1621.*

Abbas Sancti Saluatoris Montis Amiati extrà Claustra cum Mozzetta incedere non potest. Sac. Congreg. Episcop. & Regul. *in Elusina 25. Septembris 1615.*

Abbas Sancti Matthæi Ciuitatis Ianuen. cogi potest accedere ad publicas processiones. *In Ianuen. 29. Nouembris 1618.*

Abbates Ordinum possunt, inuito Episcopo, reuocare absolutè ad Monasterium Religiosos exercentes curam animarum in Ecclesijs, quæ sunt vnitæ ipsis Monasterijs, sed quoties denuò ad curam animarum exercendam deputantur, sunt iterum ab Episcopo examinandi, & approbandi. Sac. Congr. Conc. *in Cameracen. 24. Ianuary 1632.*

Abbates omnes, & Monachi militantes sub Regula Sancti Benedicti seruare tenentur Rubricas in Missali Monastico positas, sub pœnis, &c. Sac. Congr. Rit. *in Brugen. 5. Ianuarij 1626.*

Decreta Summorum Pontificum, De Abbatibus.

Abbas Sancti Pauli extrà muros de Vrbe, Congregationis Monachorũ Cassinen, potest celebrare cum Mitra, & conferre Ordines Minores. Paulus III. *Constit. 15. incip. Benignitas, nonis Nouembris 1537.*

Abbates Cassinẽses in suis Ecclesijs Baculo, & Mitra Pontificali vti possunt, ac populo solenniter benedicere, consecrare Altaria lapidea ad vsum suarum Ecclesiarum, & Piorum Locorum intrà septa eorundem positorum tantùm. Pius IV. *Constit. 97. incip. Sedis, 16. Iuly 1565.*

Abbatibus Cassinensibus, quando solenniter celebrant, licet vti Baldachino, sine auro tamen, & pompa, ac aliquibus etiam Ministris, Sacris Indumentis paratis, iuxtà Constitutionem Vrbani VIII. incip. *Exponi, 11. Iuly 1629.*

Abbas generalis Cistereiensis restituitur in possessionem iuris visitandi omnia Monasteria, tàm virorum, quàm Monialiũ omnium Prouinciarum; & non potest impediri ab Episcopo, & alijs Prælatis, de quibus in Pij IV. *Const. 70. In eminenti, 6. Kal. Octobris 1563.*

Abbates Cistercienses, etiam auctoritate Apostolica suffulti, non sunt exempti à iurisdictione Abbatis supremi Visitatorũ, ac Reformatorum. Eugenius IV. *Constit. 14. incip. Ad vniuersalis, Idib. Decembris 1438.*

Abbates Cistercienses debent eligi ex vniuerso numero eorũ, qui saltem per biennium minora officia laudabiliter administrauerunt. Sixtus V. *Constit. 10. incip. Nuper, 25. Septembris 1585.*

Abbatibus Oliuetanis licet vti Baldachino, sine auro tamen, & pompa, cum assistentia vnius Presbyteri, &c. modo supradicto. Vrbanus VIII. *Constit. 97. incip. Exponi, sub die 4. Aprilis 1629.*

Abbati generali S. Antonij Viennensis subijciuntur omnia oratoria extructa sub nomine S. Antonij. Clemens VIII. *Constit. 2. incip. Patroni, 7. Kal. Decembris 1523.*

Abbas S. Antonij, Fratres, & Ministri, &c. manutenentur in quasi possessione quæstuandi more solito. Pius IIII. *Constit. 100. incip. Ex debito, 19. Augusti 1565.*

Abbas generalis Cœlestinorum eas potest facere functiones, quas Abbati exempti facere consueuerunt habituque Prælatitio Regularium, & in Monasterijs sui Ordinis Pontificalibus indumentis vti, ac Missam solenniter celebrare, & interessentibus solennem benedictionem impertiri posse concessit, Paulus V. *in Constit. incip. Ex iniuncto sub annulo Piscatoris, 9. Decembr. 1606.*

Abbas generalis Monachorum Montis Virginis priuilegium habet vtendi Mitra, Baculo, & solenniter benedicendi populo, ac exercendi Pontificalia. Vrbanus IV. *Constit. 6. incip. Ecclesia, 2. Id. Septembris 1223.*

Decreta Sac. Congreg. Concilij. De Abbatibus.

Abbas benedictus, licèt non possit benedicere ea, in quibus Vnctio requiritur, tamen ex priuilegio id efficere poterit, *sub die decima Septembris 1614.*

Abbas potest Tonsuram, & minores Ordines Sæcularibus Episcopi iurisdictioni subiectis, conferre de consensu tamen Episcopi, *sub die 7. Septembris 1593.*

Abbas de iure conferre potest Ordines suis subditis, licèt non sit benedictus, *sub die 16. February 1619.*

Abbas alienius Abbatiæ exemptæ non potest Ordines in ea conferre, licèt sit Episcopus; secùs, si Abbatia est nullius, quia habet populum, *sub die 8. Augusti 1621.*

TITVLVS XI.

De Electione Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Antiquitus electio quomodo fiebat?*
2 *Electio quid sit?*
3 *Beneficia electiua quæ sint?*
4 *Electio triplicitèr fit.*
5 *Qui habeant ius eligendi?*
† *Qui excludantur?*
6 *Sunt vocandi omnes, qui habent ius eligendi, &c.*
7 *Absentium citatio quomodo facienda?*
8 *Legitimè impeditus potest ius suum alteri delegare, &c.*
† *Ex parte Delegati quæ requirantur?*
9 *Qui inhabiles sunt vt eligantur?*
10 *Electio non debet fieri, antequàm sepeliatur defunctus.*
11 *Non vocatus, quando possit electionem infirmare.*

1 ANtiquitùs Prælati eligebantur, requisito Populi consensu;& ita Anacletus, vt habetur *in cap. Electionem, dist. 79.* Sic ait. *Summorum Pontificum, vel Sacerdotum electionem bonis Sacerdotibus, & spiritualibus Populis Dominus concessit:* qui ritus longo tempore in Ecclesia perseuerauit: ac præterea Canone sanxit, nè Ecclesiarum Præfecti eligerentur sine Populi suffragio, aut saltem assensu, nominatione, approbatione,&c. Id autem cōstituit Ecclesia, nè Pastor, inuitis ouibus, præficeretur: deindè vt Pastor ab ouibus magis amaretur,& vt inter Ecclesiam, & Pastorem esset quoddam Coniugium spirituale. Deinde Clericis,& Populo sublatum est ius eligendi, vel nominandi, vel postulandi, eo, quòd electiones fiebant cum tumultu,&c.; Vndè oriebantur discordiæ, seditiones, &c. Nunc verò, vt plurimùm, Reges, Principes,&c. habent ius nominandi, postulandi, eligendi, &c., quod factum est, vt prætendentes, Aulas Regum,&c. frequentet, vt eorum fauore nominentur, eligantur ad beneficia: & ideò nunc temporis, Prelati eliguntur tribus modis, nempè per electionem; postulationem,& translationem. Electio est alicuius personæ ad Ecclesiam Pastore destitutam Canonicè facta vocatio. Gloss. *in rub. de postulatione Prælatorum in 6.* Azor. *lib. 6. cap. 124. quæst. 2.* Dicitur ad Ecclesiā Pastore destitutam, quia electio propriè non dicitur fieri, nisi vacante Ecclesia suo Pastore *Ex cap. Quapropter, de Electione:* Omnis autem electio eget confirmatione sui Superioris. *Ex cap. Nihil est, & cap. Cum dilectus, de Electione.* Per Electionem electus non acquirit ius in re, sed solùm ius ad rem ante confirmationē: Et ideò si electus ante confirmationem obierit, Dignitas, seu Beneficium non dicitur vacare morte huius electi, sed morte Prioris, qui eam obtinebat.

3 Beneficia electiua illa dicuntur, quæ per electionem conferri debent; consequenter electio habet solùm locum in ijs, qui præficiuntur Ecclesiæ viduatæ: tales sunt Pastores Ecclesiarū, aut Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, &c. qui solùm censentur habere ius ad rem, post confirmationem, quia, solùm tunc habet plenā administrationem, tam spiritualem, quàm temporalem, *Ex cap. Transmissa de electione;* & ideò ad confirmationem duo requiruntur; Primò approbatio facta à Superiore; Secundo, quòd tribuat electo plenum ius in beneficio, ad quod est electus; ita vt possit ea, quæ iurisdictione consistunt, exercere.

4 Electio tripliciter fit; Primò, per motionem Spiritus Sancti; Secundo, per Scrutinium; Tertio, per Compromissum. Item quælibet Ecclesia, seu Collegium habet ius eligendi suum Prælatum; Ita *Cap. Congregato 16. quæst. 1. Cap. Abbatem. Cap. 2. de Elect.* Meranda *in man. Prælatorum tom. 2. quæst. 23. art. 5.* Tambur. *de iure Abbatum tom. 1. disp. 5. quæst. 8.* & alij. Quam potestatem possunt in tertiam personā compromittere. *Cap. Causam. Cap. In causis. Cap. Quapropter de elect.* Impeditur compromissum, vno discrepante; Item si ius fuerit datum extraneo: impeditur vno contradicente, *In cap. Scriptum de elect.* Item conceditur ius eligendi priuilegio, *cap. Cum dilectus.* Item *consuetudine*, ita vt Laicus possit electioni interesse.

5 De iure communi, omnes, qui sunt de Collegio, vel de Cōgregatione, habēt ius eligēdi Prælatū, quamuis in ipsa Congregatione nō superessent, nisi duo, vel tres legitimi vocales, quia etiā ad eosdē spectabit electio; non tamen si fuerint minùs, quam duo, *Cap. 1. de elect.* Em. Rodriq. *quæst. Regularium, tom. 2. quæst. 53. art. 11.* Tambur. *disp. 7. quæst 8. num. 2.* Non omnes de Collegio, seu de Congregatione habent ius eligendi, sed solum qui iuxtà statuta Collegij, seù Congregationis habent vocem actiuam, vel passiuam: Et ideo Conuersi, Laici in electione Prælati non habent Votum: Itē Religiosi, qui expresse, vel tacitè, professionem non emiserunt: Priuantur etiam excommunicati excommunicatione maiori, *Cap. Illa quotid. de elect. cap. Constitutus de appellat. Cap. fin. de Clerico excōmunicato Ministr.* dummodò non sit toleratus, cùm nullus excommunicatus sit vitandus, nisi publicus percussor Clerici, vel denunciatus. Layman *in Theolog. mor. lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 4. n. 1.* Sayrus *de censuris lib. 2. cap. 6. num. 6.* Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 4. num. 9.* Tambur. *de iur. Abbatum disp. 5. quæst. 8. num. 12.* & alij: Vndè electio facta etiam cum interuentu vnius solùm excōmunicati, est inualida; ita vt non sustineatur etiam ex parte illorum, qui non sunt excommunicati, *Cap. Quia diuersitatem de concessione prebend.* Riccius *de iure personarum lib. 4. cap. 3. num. 10.* Similitèr suspensus à iure, vel ab homine, non habet votum in electione. *Cap. Cum dilectus de consuetudine:* Id tamen intelligitur de suspenso ab officio, quia secùs, si solùm erit suspensus à beneficio, quia talis suspensio non prohibet electionem. Item interdictus eligere non potest, *cap. Cùm inter de elect.* Qui etiam est irregularis, eligere non potest, *cap. Is, qui de sententia excomm.*; Item qui scientes eligerint indignum. *Cap. Quisquis 45. Cap. Cùm in cunctis, cap. Cum innocentis*, pro ea vice potestate eligendi priuantur, & electio facta est nulla; non autem nominatio. *Cap. Cùm in cunctis, § Clerici*, Molina *de primogen. lib. 2. cap. 4. num. 38.* Azor. *p. 2. lib. 2. cap. 14. quæst. 18.* Miranda *in man. Prælatorum tom. 2. quæst. 23. art. 8.* Filliuc. *tom. 2. tract. 41. cap. 4. num. 173.* Indignus dicitur in isto casu, qui habet defectus personæ expressos. *Cap. Cùm in cunctis.* Ita Panormit. *ibi § Clerici. nu. 9.* Suar. *de Censuris disp. 24. sect. 2. num. 23.* Tambur. *disp. 5. quæst. 8. num. 19.* Item eligere prohibentur spatio triūm annorum, qui ciuilis, vel potestatis secularis auxilio elegerunt. *Cap. Quisquis, de elect. Cap. Quoniam 1. quæst. 7.* aut in Laicorum gratiam aliquem elegerunt, *cap. Messana.* Vnde Patroni Ecclesiastici priuantur iure præsentandi, eligentes indignum, vel modo, quo suprà; & si fuerint Laici pro ea vice tantùm, præsen-

sentandi iure priuantur, si præsentauerint indignum scienter; ita plures citati à Barbosa *lib. 1. iure Ecclesiastici cap. 19. num. 74.* Ita conferens scienter beneficium indigno, priuatur iure conferendi, Rebuf. *in prax. beneficior. tit. pœne contra Collatores indignis conferentes, num. 1.* Priuantur etiam iure eligendi, qui commiserunt delictum, ob quod à iure priuantur, & tunc illa potestas ad alios deuoluitur. Item qui intrà tempus statutum eligere neglexerunt, *cap. ne pro defectu de electione, cap. Quamquam de elect. in 6.* Electio intrà tres menses à die vacationis debet fieri, quibus elapsis, deuoluitur electio ad Superiorem, & eo negligente, deuoluitur vsque ad Papam. Item si Patronus intrà tempus præfixum non nominat, nec offert, si sit Ecclesiasticus; intrà sex menses, vel Laicus intrà quatuor, tunc nominatio deuoluitur ad Ordinarium; *Cap. Cum propter; cap. Eam te de Iure-patronatus.* Item eligere non possunt, qui suo voto renunciarunt, quia potest suo iuri cedere, *l. Si quis in conscribendo, Cod. de pactis.*

6 Tempore electionis, omnes, qui habent ius eligendi, sunt vocandi, modò soliti sint electioni interesse. Gloss. *in cap. Quod sicut, Verbo Vocatos de electione.* Quod si id in vno fuerit omissum, irritam reddit electionem talis omissio. *cap. Quod sicut, cap. Cum vniuersas de elect.* Et ideò præsentes per Signa solita sunt vocandi; absentes verò per litteras, vel nuncium, secundùm consuetudinem sunt vocandi. *Cap. Quapropter de elect. Cap. Cerum de electione.* Consuetudine potest introduci, vt absentes non euocentur; & nihilominùs electio sit valida. Abbas *in cap. Coram, & cap. Cumana de electione.*

7 Absentium citatio facienda est singulis personaliter, si sciatur, vbi degat, & commodè possit fieri. Si citandus inueniri nõ possit, citatio facienda est in eius Domo. *Cap. Causam, cap. Venerabilis de dolo, & contumacia.* Et si domicilium non habet, facienda erit in loco, vbi habitare consueuit, vel in eius Ecclesia, seù Beneficio, quia ibi residentiam habere præsumitur. Mascard. *de probat. concl. 1275.* & si vocati intrà præfixum tempus non venerint, non sunt expectandi, *cap. Cum inter 58.*

8 Si quis legitimè fuerit impeditus, quo minùs citatus, &c. ad electionem possit venire, potest suum ius ad eligendum alteri delegare. *cap. Quia propter de electione, cap. Si quis iusto de electione,* qui si vnum tantùm Procuratorem constituet, necesse est, vt illum expressè nominet: quòd si plures ad eligendum Procuratores constituerit, in solidum, tunc quilibet eorum suffragium insolidum habet; porior tamen habetur, qui præoccupat; at nullo præoccupante, is admittendus est, qui prior in instrumento est nominatus, *cap. Si quis iusto, cap. vltimo de rescript. in 6. cap. Cum inter Canonicos.* Debet Procurator constitui vnus de Collegio. Ità *cap. Quia propter §. Illud de elect.* extraneus non potest delegari, non consentiente Capitulo. Gloss. *in cap. Quapropter de elect.* Requiritur etiam, vt subrogatus sit Diaconus saltẽ, vt colligitur *Ex Clement. vt ij de ætate, & qualitate:* habetur tamen pro præsenti elector, qui in loco, vbi fit electio, ægrotat, in lecto decumbens, quia *ex lege prima ff. de procur.* censetur præsens, qui in hortis est, quia is potest vnum substituere, vel electores aliquem ad eum mittere, vt eis suffragium petant. Angel. *verbo electio num. 17.*

9 Ligatus maiori excommunicatione, vel suspensione affectus, aut is, cui est sacris interdictũ, aut qui interdictũ non seruauit, aut qui irregularitatem incurrit, aut spurius, aut alias non legitimè natus, aut nõ iustę ætatis, aut nõ debitę litteratura, aut corpore vitiatus, aut criminosus, aut infamis, aut deniq; aliquo Canonico impedimẽto ligatus, inhabiles sunt, vt eligantur. Itẽ qui semel ob vitium personæ est relectus, nõ potest ampliùs eligi, nisi sit specialitèr restitutus. *cap. Super eo de electione.* Miranda *in man. Prælatorum tom. 2. quæst. 23. art. 11.* Item qui alteri Prælaturæ incompatibili est alligatus, eligi non potest, licèt possit postulari *cap. fin. de postulat. Prælat.* Regulares pœnitentiati à Sancto Officio ad Prælaturas, & Dignitates omninò inhabiles sunt, etiã si pœnitentias compleuerint, vt patet ex decreto Sacræ Congregationis 1626. relato à Barboſa *lib. 1. iur. Ecclesiastici cap. 10. num. 128.*

10 Electio fieri nequit, antequàm sepeliatur defunctus Prælatus. *cap. Bonæ mem. 2. de electione* si tamen fieret, valeret. Intra mensem debet electus consentire, aut dissentire à die, quo certior fuerit factus de electione ab electoribus, nunciata ei electione, alitèr est nulla *ipso iure* electio, nisi Superioris requiratur assensus. *cap. Quã sit de electione in 6.* Electio potest fieri in quolibet loco, iuxtà consuetudinem, *cap. Cum terra de electione;* dummodò sit locus publicus, quia electiones factæ in cubiculis, pro occultis conuenticulis haberi solent. *cap. Si trans illud dist. 79.* qua nam sit forma faciendę electionis, dictum fuit.

11 Si aliquis existens in possessione iuris eligẽdi, qui commodè vocari potuit, aut debuit, vocatus non sit, valet quidem electio sine ipso facta, sed potest ille, si velit electionem infirmare. *cap. Quod sicut, cap. Bonæ 2.* Si quis accedere nolens, iuri electionis pro ea vice renunciet, impelli non potest; nisi eius absentia vertatur in præiudicium Ecclesiæ.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Peccat mortalitèr, qui absque iusta causa eligit dignum, prætermisso digniore electio tamen valet.*
2 *Non obligatur ad restitutionem, qui iusta causa elegit dignum, relicto digniore.*
3 *Non obligatur ad restitutionem, qui absque vi, &c. impedit aliquẽ à consecutione alicuius boni.*
4 *Eligentes indignum scienter priuantur iure eligẽdi.*
5 *Quando deuoluatur ad Superiorem electio?*
5 *Ad electionem qui vocandi?*
6 *An omnes de Prouincia sint vocandi.*
7 *Vocatio absentium non est de essentia electionis, sed tantùm de iustitia.*

8 Ele-

8 *Electio quando ipso iure sit nulla.*
9. *Quid faciendum, si omnes de Capitulo moriantur? vel, &c.*
10 *Non licet absenti per litteras exprimere votum.*
† *Potest tamen instituere Procuratorem.*
11 *Quid sentiat Tridentinum circa constitutionem vocum absentium?*
12 *Sunt in duplici differentia, qui in electionibus gaudent voce actiua, &c.*
13 *Quo tempore debeat fieri electio?*

1 PEccat mortalitèr, qui absq; iusta causa eligit dignum prætermisso digniori. Ità S. Thomas 2.2.*quæst.*62.*art.*2. Gab. *in* 4.*dist.* 15.*quæst.*7.*art.*5. Sotus *lib.* 3. *de iust. quæst.*6.*art.*2. & alij plures citati ab Azorio *par.* 2. *lib.*6. *quæst.* 1.: dignior autem ille censetur, qui alijs sanctior est, & doctior. Valet tamen electio digni, relicto digniore, in vtroque foro, nec rescindi potest, vt videre est apud Couar. *in regula peccatum par.* 2. §. 7. *num.*3. Dixi absque iusta causa, quia, ea posita, licèt aliquãdo eligere dignum, relicto digniori, causa autem id faciendi relinquitur iudicio Episcopi.

2 Non obligatur ad restitutionem, qui iusta causa, relicto digniore, conferr beneficium digno. Ità Sotus *lib* 4. *de iust. quæst.*6. *art.*3. Nauar. *in man.cap.*17. *num.* 72. Maior. *in* 4.*dist.*24.*quæst.*9. Couar. *in reg.peccatum par.*2. §. 7.*num.*6. & alij: Ratio, quia non censetur violare iustitiam, cùm non noceat Ecclesiæ, nec digniori: non Ecclesiæ, quia in ea idoneum, & dignum ministrum constituit; non digniori, quia is ante electionem, nullum acquisiuit ius, nec in re, nec ad rem. tenentur tamen ad restitutionem, si indignum elegerint, cùm tunc electores noceant Ecclesiæ; & ideò restitutio erit facienda, vel persuadendo indignum, vt dimittat beneficium, vel illi dando coadiutorem idoneum, cuius opere, & consilio iuuetur.

3 Qui sine vi, & fraude, impedit aliquem à consecutione alicuius boni, quod ei debetur solùm ex liberalitate; non obligatur ad restitutionem. Ità Rebellus *lib.* 3. *quæst.* 1. Lessius *lib.*2.*cap.*12.*dub.*18. Azor. 3. *par. lib.* 4. *cap.*9. Em. Sà *verb. Restitutio num.*12. & alij: Ratio, quia qui impedit aliquem à consecutione alicuius boni nondùm acceptati, nõ violat iustitiam, dummodò id faciat, sine vi, & fraude: qui verò vi, fraude, &c. impedit alium à consecutione alicuius beneficij, obligatur ad restitutionem, quia sic faciendo violat iustitiam. Qui verò aliũ impedit à consecutione beneficij, quod ei debetur ex iustitia, obligatur ad restitutionem, licèt non impediat dolo, ac fraude, &c.: Ratio, quia iste censetur violare iustitiam commutatiuam: & ità communitèr omnes.

4 Eligentes indignum scientèr, priuantur *ipso iure* electione, & ius eligendi amittunt. Molina *de primogen. lib.*2.*cap.*4.*num.* 38. Azor. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 14. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.*4 *num.*173. Tambur. *de iure Abbatum tom.* 1. *disput* 5.*num.*18. & alij. Indignus quoad Præpositum is dicitur, qui habet defectus personæ, idest qui non habet scientiam, & mores requisitos ad talem dignitatem, seu beneficium: vndè Patroni Ecclesiastici, qui dicuntur eligere, priuantur ipso iure præsentandi, sicut eligentes præsentantes, & eligentes indignum. Aloys. Riccius *in collect. decis. par.*4. *collect.*1019. & *in prax. aurea resol.*441. *num.* 4.: si autem præsentantes sunt patroni Laici, pro ea tantùm vice, præsentandi iure priuantur, si indignum scientèr præsentauerint. Marc. Anton. *lib.* 1. *resolut.* 19. *num. vlt.* Vgolin. *de potest. Episcops cap.* 51. §. 1. *num.*4. & alij. Sic etiam conferens scientèr beneficium indigno, priuatus est iure conferendi. Rebuff. *in prax. benefic. tit. Pœna contra collatores indignis conferentes num.* 1. Et propter negligentiam conferentis in inquirendis qualitatibus nominati, deuoluitur ad Superiorem beneficium incapaci collatum. Innocent. *in cap. Cùm in nostris num.*1.

5 Omnes præsentes, & absentes, qui debent, volunt, & possunt commodè venire, vocandi sunt ad locum, vbi fieri debet electio, ab eo, ad quem de iure, vel consuetudine spectat. *cap. Quia inter vniuersas, cap. Quia propter, & cap. Coram dilecto*, Gloss. *verbo Prouincia*, Imola, & Panormit. *num.*3. *de electione*. Rot. *decis.*288. sub nomine præsentium comprehenduntur omnes, qui sunt in Ciuitate, vel in Claustro, vel in horris. Innocent. *in cap. Quia propter de elect.* Panormit. & Felin. *num.*21. Dixi, vocandos esse, qui debent, quia in hoc verbo includuntur, qui de iure communi, vel speciali ad electionem conuenire tenentur: item qui de consuetudine interesse debent electionibus, *cap. Cùm dilectus de consuetudine, cap. Cumana*, & *cap. Cùm Ecclesia Volaterana de electione*. Dixi, secundò, qui volunt, quia excluduntur renuẽtes interesse electioni; non enim compellendi sunt, nisi intersit Ecclesiæ, vel Religionis, Panormit. *in cap. Quia propter.* Dixi, tertiò, qui possunt cõmodè, &c., per quod verbum innuitur, nõ vocandos, qui commodè venire non possunt. *cap. Cùm inter* 2. *de electione*. Innocent. *in cap. Cum ex iniuncto de nou. oper. nunc.*

6 Non est attendendum simplicitèr, an electores vocandi sint in Prouincia, vel extrà eam degant, absentes, sed illis in primis inspiciendum est, an commodè vocari possint, vt notat Panormit. *in cap. Coram dilecto*, nam fieri potest, vt aliquis sit in aliqua Prouincia, & tamen vicinior sit Conuentui, in quo de electione agitur; vndè boni Iudicis arbitrio est relinquendum, quando absentes sint vocandi. Dixi, quartò, ab eo, ad quem de iure, vel consuetudine spectat. Et ità Panormit. *in cap. Cùm ex iniuncto citato*, & *in cap. Cùm nobis num.* 9. *de electione*.

7 Vocatio absentium non est de essentia electionis, sed tantummodò de iustitia: & ità Panormit. *in cap. Quia propter.* Marc. relatus à Marta *in suo digest. nouiss. tit. Electio cap.* 29. & *cap.* 45. : & rationem adducit Panorm. *in cap. In genesi num.* 11. *de electione*, quia scilicet, si esset de substantia, non posset ratificare electionem ipse elector absens contem-

pius,

ptus, cùm non possit quis renunciare fauori publico; *cap. Si diligenti de foro compet.*, sed tantùm est de iustitia, quia retractabitur electio, prosequente contemptu ipso non vocato: solus tamen contemptus potest allegare contemptum, ad effectum, vt retractetur electio: vndè nec Iudex, nec alij de Capitulo, ipso contempto tacente, poterunt contemptum allegare. Panor. *In cap. In genesi n.* 10. Ratio est, quia cùm hoc casu agatur de fauore priuato, non autem publico, non potest Iudex supplere ex officio suo, imò non potest Capitulum condere statutum inducens nullitatē electionis, propter defectum aliquorum non vocatorum, qui erant vocandi. Panorm. *in cap. Quia propter num.* 12. *de electione*: Ratio, quia statutum non potest infringere electionem validam, & validare nullam, cōtrà dispensationem, &c. *cap. Quia propter*. Itè contemptus non debet audiri, si non contradicat electioni intrà tempus, quod antecedit confirmationem, iuxtà *cap. fin. de elect. in 6.*

8 Electio est *ipso iure* nulla, quando nō fuerunt congregatæ saltèm duæ partes eorū, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse; Nec, post scrutinium reperitur electus habuisse maiorem partem ipsarum partium, habito respectu ad dictos, qui debebant vocari, & non fuere vocati: vndè in huiusmodi casu, nemo electorum, qui sic sunt contempti, potest ratificare, & validare electionem *ipso iure* nullam. Compostell. *in cap. Quia propter num* 29.: secùs verò, si vocandi noluerunt accedere, aut expressè renunciarunt, aut, non finita electione, recesserunt, & in huiusmodi omnibus non est habenda ratio, nec sunt computandi in numero absentium, seù in numero eorum, qui Capitulum, seù Vniuersitatem cōstituunt, sed quòad actum tùnc explicandum, habētur, ac si de Capitulo non essent. Innocent. *in cap. Ecclesia* 2. *de elect.* Panormit. *in cap. Cùm omnes num* 13. *de constit. in cap. Quia propter nu.* 5. *in cap. Cum nobis de elect. num.* 4.

9 Si ferè omnes de Collegio, seù Capitulo inhabiles existant, vel mortui sint, tota potentia Capituli residet penès habiles, vel viuos, licèt faciant minorem partem Collegij, seù Capituli: Ratio, quia in hoc casu isti totum Collegium, &c. repræsentant, cum priuati, & inhabiles non sint computandi in numero. Innocent. *in cap. de non aper. nunciat.* Felin. *in cap. Cum omnes de constitut.* Tab. *tit. electio* 1. *num.* 3. & alij, si verò omnes electores sint mortui, vel inhabiles existant, tùnc electio deuoluitur ad Superiorem proximè immediatum. *cap. Nè pro defectu, de electione, cap. Licèt*; & ab illo proximo immediatè ad alium proximum immediatum semper deuoluitur electio, gradatim vsque ad Papam. *cap. Licèt, de supplenda negligentia Prælatorum.* Panormit. *in cap. Litteras*, Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 27. & alij.

10 Non licèt absenti vllatenùs exprimere per litteras votum suum. Est Textus expressus, *in cap. Si quis iusto* §. 5. *de elect.*, & tenēt communitèr Doctores: & ratio expressè adducitur in eodem Textu, quia scilicèt votum non est exprimendum antè scrutinium, sed in ipso scrutinio secretè sigillatim tantummodò: quæ ratio cùm fundetur in dispositione Textus, *cap. Quia propter de electione*, per consequens actus contrarius est *ipso iure* nullus; nec consuetudo contraria aliquid iuuat, propter decretum irritans ibidem appositum. Quòd si contrà hanc doctrinam dicatur, electorem absentem posse instituere Procuratorem cum speciali mandato, de eligenda certa persona; vndè si hoc est licitum, licitum esse exprimere per scripturam votum antè sētentiam. Ad quod respondeo, electorem absentem, instituendo Procuratorem, no exprimere votum suum, sed mandatum dare de voto exprimendo: vnde illud mādatum non augebit numerum suffragiorum, si illud non fuerit expressum à Procuratore in actu scrutinij, cùm aliud sit dicere, *Eligo talem*, & aliud dicere, *Do mandatum ad eligendum talem*; illud enim primum, debet fieri in scrutinio, cùm sit votum; at hoc secundùm potest fieri ante scrutinium, cùm non sit votum, sed mandatum.

11 Quando Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de regularibus* hæc decernit, *Nec in posterum liceat, Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, aut suffragia absentium supplere, &c.* non excludit, quin absentes possint constituere Procuratores, sed solùm intendit tollere consuetudinem, quæ antiquitùs viguit in aliquibus Religionibus, in quibus Præsidentes Capitulorum eligebant Procuratores loco absentium, quos malebant, quod non sine detrimentum ipsis Religionibus afferebat. Ità Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 52. *art.* 6. Miranda *in man. Prælatorum tom.* 2 *quæst.* 23. *art.* 7. Apud plures Religiones prohibentur absentes eligere per Procuratorem, vt in hac nostra Congregatione; & idem iuris est de alijs Religionibus, apud quas, vsu quàm maximè præscripto, recepta est huiusmodi Procuratorum exclusio.

12 Qui voce actiua gaudent in electionibus, in duplici sunt differentia, nam quidam tenentur ad electionem ex officio, vt sunt Abbates, Priores, & discreti electi. Alij tenentur ad electionem, non ex officio, in aliquibus Religionibus, sed quia sunt vocales de Capitulo, qui ex officio vocis actiuæ, & passiuæ habent ad electionem celebrandam; Non possunt illi renunciare, cùm tale ius eis suffragetur, non in fauorem proprium, sed in fauorem officij: Qui verò tenentur ad electionem non ex officio, sed quia sunt vocales de Capitulo; possunt huiusmodi iuri renunciare, cùm quilibet potest renunciare fauori proprio, *l. Si quis in conscribendo, Cod. de pact. Cap. Cum accessissent de Constit. & cap. Ad Apostolicam de Regul.*, Dummodò tamen illa renunciatio non grauitèr præiudicet famæ, aut cederet in damnum Religionis, vel

vel Prouinciæ, vel Monasterij, de cuius electione agitur. Panormit. *cap. Quia propter, num. 4. de elect.* communiter receptus à DD., & ita Rodriq. *tom. 2. quæst. 33. art. 10.* Tabien. *Verb. Electio 1. num. 12.* Mirand. *man Prelat. tom. 2. quæst. 23. art. 6.* & alij.

13 Licet regulariter electiones debeant fieri die, vt docet Mirand. *loco citato art. 12.* & alij; aliqua tamen necessitate vrgente, possunt electiones fieri nocte; ita tamen vt adsint tria luminaria, ne in dandis, seu conscribendis suffragijs aliquod vitium contingat; Grauis causa erit, V. g. si per diem maior pars capituli concors non fuerit, & die sequenti, sit finitura potestas eligendi, & ad Superiorem deuoluenda, tūc enim poterit finiri nocte. Ita Rodriq. & Miranda *locis citatis*: Item procedi nocte, potest ad omnes electiones, in quibus executioni non demandatur dispositio. *cap. Quia propter*, etiam nulla necessitate vrgente.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *In electione per Scrutinium quot Electores eligendi?*
2 *Quid debeant facere Scrutatores?*
3 *Electores ad suffragia ordine suo vocandi sunt.*
† *Quid faciendum si alter Electorum fuerit infirmitate detentus?*
4 *Forma Scrutinij qua sit?*
5 *Inutiliter proferens suum votum non enumeratur inter Electores.*
6 *Inutiliter suffragantes priuantur voce actiua, &c.*
† *Quando excusentur?*

1 IN electione per Scrutinium debet eligi tres Perscrutatores, nec plures, nec pauciores, qui debent esse de Collegio, & quouis horum duorum non seruato, electio est nulla. Quòd Scrutatores debeant esse tres, alioquin electio sit nulla, ita Panorm. *in cap. Quia propter num. 7.* Imol. *num. 4.* & ita communiter alij, qui dicunt, ab hac opinione non esse recedendum, neque iudicando, neque cōsulendo: & ratio huius sententiæ est, quòd tres faciliùs consentiunt, & fideliter negotium tractet. Verùm, si vnus ex Perscrutatoribus deficiat ob mortem, vel aduersam valetudinem, Alter loco eius erit subrogandus. Innoc., Io. Andr., Panormit. *in cap. Quia propter.* Dixi, quod Perscrutatores debent esse de Collegio, quia alioqnin electio est nulla; Est communis opinio: Ratio est, quia præsumitur, eos de Collegio fideliter tractaturos electionem, nec contra dispositionem capitis, &c. Valet consuetudo, quia contra dispositionem continentem decretum irritans, non potest allegari consuetudo.

2 Scrutatores non priùs scrutare incipiet, quàm iureiurando, vel formali Sanctæ Obedientiæ præcepto adstricti fuerint à Præside Capituli, vt electionis negotium fideliter, & canonicè explicent. Cuchus *instit. lib. 4. tit. de elect.*; Si tamen huiusmodi solennitas ommitteretur, non vitiaretur electio de iure communi, vt aduertit Panormit. *in cap. In causis n. 2. de elect.* In loco patenti debent existere, qui licèt videri, non tamen audiri possunt: Secretò, & sigillatim vota singulorum exquirent, vt expresè habetur *in cap. Quia propter de electione*.

3 Electores ad suffragia ferenda, vocandi sunt suo ordine, singulatim, non autē bini, vel trini, iuxtà dispositionē, *cap. Quia propter de electione*: si vero quis electorum infirmitate detineretur; ita vt accedere ad disquisitores nō valeret, adeundus est infirmus, & eius votum inquirendum secreto, quia cùm sit in Ciuitate, vel Monasterio, præsens dicitur; Ita Hostiens., & Innocent. *in cap. Quia propter, num. 2.* Angel. *tit. electio, num. 17.* Syluest. *eod. Verb. 1. quæst. 5.* & alij. Electoribus præstandum est iuramētum in manibus Scrutatorum de probitate, & integritate seruanda in eligendo, tāgendo scripturam, vel pactus, more Sacerdotali.

4 Forma Scrutinij hæc est, vt Electores voce exprimant, si proceditur viua voce; vel scribant, si proceditur per schedulam, *Nemine*, vel *Eligo .N.* &c., quibus enim verbis fiat electio, valet, si per eam voluntatis intentio declaratur. *l. Quoniam, C. de testamen.* Quamuis verba quodammodo imperfecta sint, si tamen ex illis colligi potest sensus, non vitiat talis imperfectio. Ita Marta *in suo Digest. nouiss. tit. de Electio, cap. 127.* Verùm vota regulariter debent esse certa, determinata, pura, sincera, & gratuita. *Cap. In nomine Domini*, Ioan. Andr. *in cap. Cùm in electionibus num. 4. de elect. in 6.*: Ratio, quia vota non debent esse alternatiua, incerta, conditionaria, vt expresè cautum est, *in cap. Cum in electionibus*; nec itē debent esse indeterminata. Quod vota non debeant esse alternatiua, ratio desumitur ex descriptione voti, est enim votū animi deliberatio, cum beneplacito determinās se ad hoc aliquid; sed qui alternatiuè consentit, non se determinat in vnum, vel in alium ad hoc aliquid, ergò, &c. Non debent esse incerta, quia huiusmodi voluntas est deceptoria, & non est voluntas. Item non debent esse conditionalia, quia actus legitimi non recipiunt conditionem, & eligere est actus legitimus: nec debent esse indeterminata, quia verba indeterminata, vt sunt verba indefinitiuì temporis, nullam habent determinationem, *l. Seruus electione de l. 1.*

5 Quando quis inutiliter profert suum votum, huiusmodi pro non adiecto debet haberi, nec computari in numero vocalium, ac si neminem nominassent, nec de Capitulo essent, sed electio consurget ex maiori parte eorum, qui purè consenserunt, vt V. g. Si Capitulum constet ex decem Electoribus, quorum quatuor in aliquem consenserint; tres in alium suffragium tulerint, & reliqui tres inutiliter suffragati sint, non sunt isti computandi in numero eligentium, & electus à maiori parte aliorum censetur electus, & supradicta probantur exemplo eorum, qui in Scruti-

Scrutinio per schedulam celebrato immiserunt schedulam albam in vrnam: Item eorum, qui exeunt è loco Capituli iam ad electionem congregati, *cap. Cum nobis*, vbi Panormit. *num. 11. de electione.*

6 Dicti inutiliter suffragantes, non solùm fiunt inhabiles actiuè ea vice, de qua agitur, sed etiam passiuè; excusantur tamen à poenis, si suffragantes taliter, ante publicationem Scrutinij variassent, consentiendo posteà purè, vel si ex ignorantia, aut simplicitate id fecissent: Ratio primæ partis est, quia ante publicationem scrutinij variare, & mutare votum possunt Electores; post verò publicationem, non; Imò si pars Electorum suffragata fuisset alicui indigno; & regulariter quandocumque appareat publicatione Scrutinij, Electionem mox publicandam futuram esse nullam *ipso iure*, possunt Electores, antequã pronuncietur electio, repetere Scrutiniũ, aliumque eligere, qui nihil vitij patiatur. Ita *Cap. Perpetuo de electione in 6.*, Ioãnes Andreas, & Innocent. *in cap. Ecclesia vestra*: Secùs verò, si electio non esset futura nulla *ipso iure*; sed annullanda. Panormit. *in cap. Publicato*.

PARAGR. III.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit de substantia Electionis.*
2 *Electio statim post Scrutinium denuncianda.*
3 *Electio verbis publicanda.*
4 *Electio quibus verbis, & cuius nomine denuncianda?*
5 *Pronunciatio electionis palàm facienda.*
6 *Electus, quando debeat electioni consentire?*
7 *Electio omnimoda libertate facienda.*
8 *Electoribus quæ suadenda?*

1 DE substantia electionis est, vt post Scrutinium publicentur suffragia in communi: Sic enim habet Textus *cap. Quia propter num. 24.* Item substantiale quoque est electioni, vt post publicationem votorum fiat collatio numeri votorum, vt colligitur *ex cap. Quia propter* his verbis, *Vt is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, aut sanior pars capituli consensit.*

2 Si electio statim post Scrutinium, non publicetur, erit irrita denuncianda. Ita *cap. Cùm post petitam, de electione*, quia ex fine legis sumenda est intentio Auctoris, & in consideranda legis intẽtione, semper attenditur eius ratio, quæ ratio est anima legis, Baldus *in l. Si quis seruo ff. de furt.* Et ideò requiritur, vt mox fiat publicatio Scrutinij; propter finem electionis assequendæ, ergò multò magis requiritur, vt fiat electio; parùm enim prodesset illicò publicare Scrutinium, vel collationem habere, nisi posteà celebraretur electio, cùm omnia illa sint ordinata ad finem electionis, quæ quàm citò fuerit facta, solenniter est celebranda.

3 Electio est publicanda ore, & clara voce; nec sufficit aliquod factum eligentiũ, quod electionem importet, sed requiruntur verba ore prolata, vt dicitur *cap. Ecclesia vestra 1.* Ratio huius primi dicti est, quia vbi verba sunt de substantia, vt in præsenti, factum non æquipollet verbis; Vbi verò verba non sunt de substantia, non minùs valet factum, quàm verba.

4 Electio semper est pronuncianda per verba singularis numeri ab vno, nomine Capituli, si celebretur per Scrutinium. Ita *cap. in Genesi*, Panormit *num. 7. & 9. de Electione*: Ratio, quia cum capitulum sit quodã corpore fictum, repræsentatum per singulos in vnum congregatos; Ideò sequitur, electionem ab vno esse pronunciandam per verba singularis numeri, nomine totius capituli.

5 Pronunciatio electionis non est habenda secretò, & occultè, quia electiones clãdestinæ reprobantur *in cap. Quia propter*: Vnde electiones clandestinæ sunt *ipso iure* nullæ, quia cum ius tales electiones reprobet, inducitur nullitas ipso iure. Electio clandestina illa dicitur, quæ non quidem celebrata est singulariter, sed in communi, idest in Capitulo, sed postea Capitulũ ordinauit, vt clandestina maneat, idest vt ab Electoribus nihil de ipsa dicatur; & in hoc sensu electio vitiatur, si populo non publicetur; & ita colligitur *Ex cap. Quia propter*. Secundò Electio clandestina illa dicitur, quæ habetur singulariter, & per occulta conuenticula. Ita Syluest. *in. Electio 1. §. 1 num. 10.* Mirand. *tom. 2. quæst. 23.* & alij.

6 Electus non debet consentire electioni, antequàm vota reducantur in scriptis, & publicentur, quia si electus consentiat ante, tamquàm ambitiosus, est repellendus, quia consensit electioni antequàm Electores ei suffragentur in Scrutinio. *Cap. In scripturis 8. quæst. 1.*, *Cap. Per nostras de iur. patronatus.* Innocent. *in cap. Cum in iure, de electione.* Item si Electus consentiat electioni suæ, postquàm vota redacta sunt in scriptis, & iam publicata, sed antequã sequatur communis electio, quia electio est *ipso iure* nulla, quia Electus peccauit in forma, *Cap. Quia propter de electione.* Substantiale est electioni, vt omnia suo ordine seruentur, quo præscribuntur. Miranda *tom. 2. quæst. 23. art. 29.*, Syluest. *in. Electio 2. quæst. 10.*

7 In electione requiritur summa libertas, ita vt ab ea debeat remoueri coarctatio, & restrictio. *Cap. Cum dilectus de consuetudine*, Vndè si Electores compellantur, metu cadente in constantem Virum, ab aliquo tertio incussum eligere, electio est nulla: Ratio, quia electio debet esse libera: Si verò statuto, vel approbata consuetudine compellantur ad eligendum ex certo genere personarum, valet electio: Ratio, quia non adimitur totaliter libertas eligendi. Panormit. *in cap. Licet num. 11. de electione*, Syluest. *Verb. Electio 2. quæst. 23.* Tabiena *eod. verb. 1. num. 23.* & alij.

8 In electione, suadere Electoribus Virtutes veras, quibus eligendi ornantur, & vitia vera, & nota, quibus notantur, est Sanctum, & bonum, vt dignus indigno, & dignior minùs digno præferatur; & è cõtra suadere virtutes falsas, & dissuadere

vitia

vitia nota, vel donis subuertere mentes Electorum, quò indignus digno, minùsq; dignus digniori anteponatur, est impium; & indè vitiatur electio, quia *in cap. Si Papa dist. 79, & in cap. Bona de electione*, dicitur, electionem factam ab ijs, qui ambitiosè conuenerunt de eligendo aliquem, atque ita malo zelo, annullandam esse, quia omnis tractatus ambitiosus prohibetur. Ioann. And. *in cap. Bona de electione, & cap. Per nostras, de iur. patronat.* & multò magis erit annullanda, si Electores conuenerint de eligenda persona, Imol. *in cap. Bona 2.* Card. *quæst. 6. de electione.*

TITVLVS XII.

De confirmatione eorum, qui eliguntur ad Ecclesiam gubernandam.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio quid sit?*
† *Electus quando debeat consensum præstare?*
2 *Quando debeat confirmationem petere?*
† *Confirmatus potest omnia, quæ sunt iurisdictionis.*
3 *Quando vota eligentium sunt paria, quis præferendus?*
† *Confirmator habet ius examinandi mores, &c.*
4 *Confirmatio à quo debeat fieri?*
5 *Confirmator non debet confirmationem denegare, licet temerè, non debeat eam concedere.*
6 *Quibus modis electio reputetur Simoniaca?*
7 *Episcopus, qui renūciauit, &c. denuò potest eligi, &c.*
8 *Etiam ad minorem honorem, &c.*
† *Quando censeatur renunciasse Regimini, & Dignitati?*
9 *Episcopus electus debet confirmari; & quo tempore?*

1 Confirmatio est titulus Canonicus, quo quis acquirit ius in beneficio, nam electioni succedit confirmatio, qua Superior electum confirmat intrà præscriptum tempus: & ideò electus post notitiam electionis de se factæ, debet intrà mensem consensum præstare. Quod si electus præstare destiterit, confestim caret iure acquisito, & Electores possunt alium eligere. *Cap. Cupientes, cap. Quàm sit*; nisi fortè conditio electi talis sit, vt non possit consentire absque licētia Superioris, quia tunc Electores tale tempus concedere debent, quantum requirit distantia Superioris.

2 Electus, post consensum præstitum, debet intrà tres menses, si non subsistat impedimentum, confirmationem a Superiore petere, vel per se, vel per alium; aliòquin electio erit infirmanda, & pro nulla habebitur. Confirmatio ius plenum tribuit electo in beneficio, ita vt confirmatus possit ea omnia, quæ sunt iurisdictionis. *Cap. Nosti, de electione, & cap. Transmissam*, quia post eam Matrimonium cum Ecclesia ratificatū esse dicitur, *cap. licet 4. de Translat. Episc.* Ideò habet potestatem iudicandi, corrigendi, excommunicandi, iuramēta accipiendi à Vassallis: Item confirmādi, infeudiendi, beneficia conferendi, & si quæ ijs, sunt similia; non autem ea, quæ sunt ordinis, quæ ex consecratione acquiruntur. *Cap. Transmissam, cap. Nosti 9. cap. Quod sicut 28. §. Præterea de electione, cap. Quamuis cor Episcopis dist. 68.* Electus incurrit pœnam priuationis, si ante confirmationem se ingerat in ea, quæ sunt iurisdictionis: Electus verò ad Ecclesiam vltrà Italiam, & egēt Confirmatione Papæ, potest administrare spiritualia, & temporalia, non tamen potest alienare ante confirmationem. Secus autem in prouisionibus Apostolicis, in quibus non proceditur per viam confirmationis, cùm prouisus vnico actu habeat electionem, & cōfirmationem, ideòque in prouisionibus, quæ fiunt à Curia Romana, non est seruanda constitutio, *cap. fin. de elect. in 6.* Ita Lambertin. *de iur. patronat. 2. p. 2 quæst. 6. art. 3. num. 4.*

3 Quando vota eligentium sunt in duas partes diuisa, iudicio Superioris præferēdus est, qui maioribus meritis dignior, & idoneus fuerit. *cap. Quoniam de iure patronatus, & cap. Si fortè dist. 63.* Cuius est confirmare, habet ius examinandi mores, & vitam electi, *cap. Nihil est, de electione*: Et ideo habet ius cōfirmandi, cassandi, &c. prout sibi videbitur expedire pro bono cōmuni: & etiam potest inquirere de modo electionis, an canonicè fuerit facta, & de persona Electi an sit idonea.

4 Confirmatio huiusmodi fieri debet ab Ordinario, aut à superiore Prælato, si à Iurisdictione ordinaria sint exempti Electores, vel à Romano Pontifice, aut à Legato à Latere in Prouincia existente, si Pontifici sint immediatè subiecti. *Cap. Si Abbatem, de electione in 6.* Erasm. Coch. *de iurisdictione Ordinaria p. 4. quæst. 5.*

5 Prælatus, à quo confirmatio petitur, licèt eam sine impedimento denegari non possit; Abbas *in cap. Postquàm 3. num. 1. de electione*; non tamen debet temerè eam concedere, sed peremptorium terminū præscribere, intrà quem si quis cōtrà electionem opponere voluerit, id facere possit, & diligenter personam electi, & processum electionis, licèt nemo opposuerit, examinare. *cap. Nihil est 44. §. 1. de electione*; Indignum, si inuenerit, reijcere; *cap. Cum nobis 19.*; si dignum, cōfirmare, non Prælatus sine Capitulo, confirmare non potest, nec valet cōfirmatio sine Capitulo facta, nisi aliter sit consuetudine receptum.

6 Electio reputabitur Simonia, si facta, si pro suffragio promiserit beneficiū. Azor. *p. 3. lib. 12. cap. 7. quæst. 11.* Reginald. *lib. 23. n. 244.* ita etiam erit Simoniaca, si vnus Electorū suffragatur vni, pacto vt alter suffragetur alteri in altera electione. Nauar. *in man. cap. 23. num. 100.* Reginal. *loco citato.* Em. Rodriq. *tom. 3. quæst. Regular. quæst. 63. art. 4.* Item erit Simoniaca electio, si alter dederit pecuniam, &c. pro aliquo eligendo, etiam ipso inscīēte, *cap. de Regular. 25. de Simonia.* Azor. *p. 3. lib. 12. cap. 7. quæst. 1.* Tambur. *disp. 10. quæst. 3. num. 8.* & alij; Cum non sit licitum offerre pecuniam, &c. pro electione, etiam dignissimæ personæ; & electus qui id sciuerit, tenetur beneficium à se abdicare, fructusque

fructusque non consumptos reddere. *Cap. Alicuius 59. de electione*, Maiol. *de irregularitate lib.5.cap.45 num.2.* Cou. *in reg. peccatum p 2.§.8. num.6.* Flam. *de resignat.lib.14.quæst.7.num.37.*: Non est tamen Simonia tradere pecuniã volenti eligere indignum, nè illum eligat. Sotus *de Iust. lib. 9. quæst. 6. art. 1.* Valentia *tom.3.disp.6.quæst.16. p.3.* & alij.

7 Episcopus, qui Episcopatui renũciauit, ad aliam Ecclesiam Cathedralẽ eligi potest, cùm à sua Ecclesia liber sit; dummodò aliud canonicum impedimentum non habeat, etiamsi post renunciationem factus sit Religiósus. Potest eligi ad Episcopatum, seù eumdem, quem deseruit. Item potest prosequi aliud beneficium minoris dignitatis, v.g. Parochiam, &c. & si Religiosus factus fuerit, potest assumi in Abbatem, &c.

8 Episcopus, qui renunciauit Episcopatui, adhùc retinet honorem, & Dignitatem, etiamsi Canonicus, vel Parochus fiat, nàm accessus minoris honoris, aut beneficij ad Dignitatem maiorem, eam nõ destruit, neque minuit, cùm diuersa, sed non repugnantia iura sint; & ideò Episcopus, qui in manibus Papæ Episcopatui renunciauit, non Dignitati, sed regimini censetur renunciasse: & ita Papa renunciationem acceptat, vt tamen executionẽ Ordinis Episcopalis relinquat. Excipitur tamen casus, nisi quis ob crimen renunciauit, quia tunc præsumptio est, Ordinis executionem, seù Dignitatis ablatã esse. Porrò si quis spontè renunciauit, nõ tantùm regimini, sed etiam ordini Episcopali; nihilominùs primam Tonsuram, & Ordines minores conferre potest, vt dictum fuit, eademque ratione, vasa sacra consecrare, &c.

9 Electus in Episcopum, postquàm præstiterit suæ electioni consensum, debet confirmari à Superiore suo. *Cap. Postquam, cap. Nihil est, de electione*: Consensus autem intrà mensem à præsentatione electionis est præstandus; aliòqui, elapso mense, electio redditur nulla, & intrà tres menses à consensu præstito, confirmatio est petenda: quòd si intrà tres menses non petierit confirmationem, ipso facto, priuatur iure quæsito per electionem; *Ex cap. Quam sit*, nisi amicus nomine ipsius confirmationem petierit, & electus ratum habeat intra tres menses. Azor. *cap 29. quæst.11.* Cõfirmare potest, non solùm Papa, sed etiã Patriarcha Metropolitanus, &c. seruata forma, &c.

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Confirmatio est necessaria respectu Electi, & respectu Confirmatoris.*
† *Exempti à quo debeant confirmari.*
2 *Generales Religionum, ex priuilegio Summorũ Pontificum, nunc non confirmantur.*
3 *Forma Confirmationis non est præscripta in iure.*
4 *Munus Confirmatoris quod sit?*
5 *Quam electionem non possit confirmare Superior.*
6 *Qui non possint eligi? &c.*
† *Nec eligere.*
7 *Corpore vitiati sunt irregulares.*
† *Item furiosi, & mente capti.*

1 Confirmatio non modò est necessaria respectu electi, sed etiam respectu Confirmatoris. *Cap. fin. de electione in 6. Cap. Postquam.* Spectat autem Confirmatio, vt dictum fuit, ad proximum, & immediatum Superiorem, vt rectè notauit Panorm. *In cap. Monachi, §. Prioratus num. 10.* nisi aliud iure speciali, vel consuetudine cautum sit, Tolos. *in tit. de Electione cap.19. num.10. & 14.* Electiones exemptorum, qui immediatè subsunt Papæ, confirmantur ab ipsomet Papa, vel à Legato à Latere, si quis sit in illa Prouincia. *Cap. Si Abbatem, de Electione in 6.* Prouincialis confirmandi sũt à Generali, quia illi immediatè subsunt. Syluest. *Verb. Confirmatio quæst. 1.* Miranda *tom.2. quæst.23. art. 32.* Azor. *p 2. lib.6. cap.16. quæst. 7.*, & in specie id statutum de Prouincialibus Ordinis Minorum. *In Clementina Exiui, §. Demùm de Verb. significat.*

2 Olim Generales Religionum confirmabantur à Summo Pontifice, eò, quòd ipsi immediatè subsint, vel à Legato à Latere, at hodie omnium ferè Ordinum Generales statim, ac sunt Electi, remanent confirmati ex diuersorum Pontificũ concessione, vt videre est apud Rodriq. *tom.2. quæst.52.art.3.*, & Mirand. *loc. cit.*

3 Forma Confirmationis non est præscripta in iure, sed sufficit aliquod siuè dictũ, siuè factum, quo Superior declaret voluntatem suam confirmandi. Rot. *decis. 16. de concess. prabend.*, *& decis. 261. num.3. coram Cardinali Mantic.*: Ratio, quia quando verba nõ sunt de substantia, non minus valet factũ, quàm verba. Panorm. *in cap. Ecclesia vestra 1 num.3. de electione.*

4 Munus Confirmatoris est diligẽter examinare electionis processum, & personam electam, etiamsi nihil obijciatur electo. *Cap. Cum nobis, & cap. Venerabilem*; & in hac examinatione facienda interdum potest procedi extraiudicialiter, & interdum, ac vt plurimùm potest procedi cùm causæ cognitione in contradictorio iudicio, & requiritur diffinitiua pronunciatio secũdùm casus, & occasiones occurrentes, prout Natura negotij postulat. Ita multis allegatis, tradit Gonzal. *super regul. octauam Cancell. Gloss. 9. § 1.* Speciale tamen est in ordine Minorum, vt non procedatur iudicialiter, præsertim in confirmatione Prouincialium Ministrorum. *Ex Clement. Exiui, §. Demùm.* Quia Electus potest esse ita notoriè idoneus, vt non facienda sit vlla examinatio. Verùm si non constiterit prædicta fama, vel non fuerint exhibitæ litteræ Testimoniales, & constiterit Generalem nulla adhibita diligentia approbasse hominem insufficientem scientia, &c., non solùm deijciendus est huiusmodi indignè promotus, sed Confirmans, cõfirmandi primum successorem illius caret potestate.

5 Superior non potest confirmare electionem, in qua maior pars Capituli non conuenit: Ratio, quia ille, ad cuius electionem maior pars Capituli non conuenit, non dicitur electus: Ratio, quia talis electio peccat in iure naturali, ex quo nõ habetur consensus maioris partis capituli: peccat etiam in iure positiuo contrà dispositionem. *Cap. Quia propter, de electione.*

6 Infames non possunt eligi ad Dignitates. *Cap. Illi, qui cap. Infames 6. quæst. 1.* Excipitur tamen Infamis infamia meri facti, qui si, re vera, fuerit emendatus, poterit ad Dignitates, &c. promoueri; & illa dicitur infamia meri facti, quæ non est in Iure expressa. Infamis infamia iuris, vel facti legalis, non potest eligere. Suar. *tom. 5. disp. 48. sect. 3. num. 2.* Ratio, quia Infamibus sunt interdicti actus legitimi, *l. Actus ff. de reg. iuris.* Sed eligere est actus legitimus, *Cap. Solet de sententia excommunicationis*; Ergò ab eo meritò arcetur infamis, Infamis verò infamia meri facti potest eligere; & ità Siman. quem refert Suar. *loco citato.*

7 Corpore vitiati, qui sine horrore, &c. Ministri Ecclesiastici esse non possunt, sũt Irregulares, nõ solùm quòad Ordines, sed etiam quòad beneficia. *Cap. Non confidas*, vbi Canonistæ, Sũmistę *Verb. irregularitas.* Azor. *p. 2. lib. 6. cap. 4. quæst. 14.* Garz. *de beneficijs p. 5. cap. 12. num. 3.* & alij. Secùs verò, si non sint ita deformes vt horrorem, &c. non ingerant: Item furiosi, & mente-capti, arcentur à Dignitatibus, & Prælaturis. *Can. Petrus dist. 39. Can. Quamuis 7. quæst. 1.*, Etiamsi patiantur lucida interualla, quia sunt irregulares; nec etiã possunt eligere, si perpetua amentia laborent. *Cap. Sicut tenor de regul.*, & communiter DD.: Ratio, quia electio de sui natura importat intrinsecũ consensum liberum, non solùm electi, sed etiam eligentis, *Cap. Quia propter, de electione. Cap. Cum dilectus, de consuetudine*; Sed perpetuò amentes nullum habent consensum, ergò nequeunt eligere.

PARAGR. II.
Textus Sacrorum Canonum, De Electione, &c.

SVMMARIVM.

1 *Collegiata quomodo debeat prouideri de Prælato?*
† *Ius capituli an possit in vno saluari?*
† *Si fuerint duo, an alter illorum possit eligi?*
2 *Electus ad clamorem populi, an sit confirmandus?*
3 *Superior antequàm confirmet, quid debeat facere?*
4 *Papa non tradit Pallium Archiepiscopo, nisi prius iuret, &c.*
† *Schysmaticus reuersus ad Ecclesiam non potest eligi in Episcopum absque dispensatione.*
5 *Electus in Romanum Pontificem à duabus partibus, &c. verè est Papa.*
6 *Qualitates Episcopi eligendi.*
† *Beneficia Episcopi electi vacant per confirmationem, &c.*
† *Post confirmationem habet omnia, quæ sunt iurisdictionis.*
† *Electus ad Episcopatum in terris Infidelium, eius beneficia non vacant.*
† *Ætas requisita ad Episcopatum.*
7 *Compromittentes super electione, tenentur recipere Electum, &c.*
† *Electus, ante confirmationem, beneficia conferre non potest.*
† *Electio facta post appellationem, est nulla.*
† *Item si contrà priuilegia.*
8 *Metropolitanus confirmatus, licèt nondùm receperit Pallium, potest mandare Suffraganeis, vt consecrent Episcopum.*
† *Eligi iterum potest is, cuius electio fuit cassata, non vitio personæ, sed electionis.*
† *Electio debet esse libera, &c.*
9 *Potestas exercendi ea, quæ sunt Ordinis, transfertur solùm per consecrationem.*
† *Renuncians suæ electioni, nequit impedire electionem alterius.*
† *Electus, si ante confirmationem administret, &c. eius electio cassari debet.*
10 *Illegitimus non potest eligi.*
† *Electores non possunt in præiudicium tertij compromittere.*
† *Electus à maiori parte Capituli debet confirmari.*
† *Quando electus à minori parte possit confirmari?*
11 *Priuantur iure eligendi recipientes postulatum tamquàm institutum, &c. ante admissionem postulationis, &c.*
† *Si aliqui priuati potestate eligendi propter delictum commissum, potestas deuoluitur.*
12 *Electo sufficit probare, Electores fuisse quasi in possessione eligendi tempore electionis.*
† *Unius actus sufficit ad probandum quasi possessionem.*

1 COllegiatæ, vbi sunt duo, vel tres, prouideri debet per electionẽ eorumdem, alioqnin electus expellatur, *ex cap. Nullus 1. de electione, & electi potestate.* Duo faciunt Collegium, & ad eos, si alij non extent, spectabit electio. Mascard. *de probat. concl. 584. num. 9.* Em. Rodriq. *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 53. art. 11.* Tambur. *de iur. Abb. tom. 1. disp. 5. quæst. 8. num. 2.* & alij. Et licèt Collegium Ecclesiasticum non possit cõsistere in vno, tamen semèl constitutum in multis potest totum ius Collegij venire ad vnum, & in illo conseruari, Alijs mortuis Prælatis, &c. Nauar. *consil. 10. nu. 2.* Mirand. *tom. 2. quæst. 23. art. 5.* Tambur. *loco citato quæst. 8. num. 3. & 4.* & alij. Non potest tamen ille, in quo conseruatur ius Collegij, eligere se ipsum, vt colligitur *ex cap. Per Nostras*: & duo, qui faciunt Collegium, non possunt eligere alterum de ipsis; possunt tamen eligere extraneum, quia possunt ambo ei suffragari: Ratio primæ partis est, quia maior pars, cùm non essent nisi Duo, non poterat alteri eorum suffragari, quod requiritur ad valorem electionis, iuxtà *Cap. Quia propter.* Neq; obstat, quòd electus, consentiendo suæ electioni, videtur augere numerum Suffragiorum, quia id verum est solùm, quando electio fit per viam Compromissi; non autem cũ habentes ius eligendi, eligunt, vt Collegiũ per viam Scrutinij, vt patet *ex cap. Cumana*, & ita Panormit. & alij.

2 Electus ad clamorem Populi non debet

per

per Superiorem confirmari, *Ex cap. Osius 2. de Electione.*

3 Superior, antequàm confirmet Electū, debet inquirere de vita, & moribus in loco, vbi fuit conuersatus, *Ex cap. Postquàm. 3. de Electione.* Ratio, quia Iudex habens potestatem confirmandi, vel infirmandi electionem, debet ex officio procedere, & inquirere de his, quæ pertinent ad vtilitatē publicam, *l. Congruit, l. Si quis*; & per consequens debet inquirere de vita, & moribus Electi, cùm id spectet ad vtilitatem publicam; & ideò talis inquisitio regularitèr debet fieri vbi conuersatus est, quia eius mores ibi noti sunt.

4 Archiepiscopo electo Papa non tradit Palliū, nisi priùs iuret fidelitatem, & obedientiam, *ex cap. Significasti 4.* Electio Schysmatici in Episcopum non tenet, nisi sit dispensatus: posita dispensatione, potest confirmari, *cap. Quia diligentia 5.*, & ità Sanch. *in præcepta Decalogi lib. 2. cap. 36. num.* 18. Garz. *de beneficijs par.* II. *cap.* 10.

5 Electus in Romanum Pontificē à duabus partibus Cardinaliū, nulla exceptione obstante, est Papa: electus autem à minori parte, gerens se pro Papa, ipsi, & electores sunt excommunicati, *ex cap. Licèt vitanda 6.* Ratio, quia duarum partium concordia sufficit ad supremi Præsulis validam electionem. Azor. *par. 2. lib. 4. quæst. 7.* & ità communitèr Doctores.

6 Episcopus eligi debet vita, scientia, & moribus commendabilis, & quod habeat trigelimū annū completum, & sit de legitimo matrimonio natus. *ex cap. Cùm in cunctis 7.* Beneficia electi in Episcopū vacāt per cōfirmationem, adeptionem possessionis, & consecrationem secutam, vel postquàm præfixum tempus ad consecrationem lapsū fuerit *ex eodem cap.* Episcopus post confirmationem, etiam antequàm sit consecratus, habet ea, quę sunt iurisdictionis, non autem ea, quæ sunt ordinis. Cou. *var. lib. 3. cap. 16 num. 6.* Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 29 quæst. 5.* Ità etiam *ex eodem cap.* Per promotionem ad Episcopatum in terris infidelium, non vacant beneficia, *ex eodem cap.* Paril. *de resignat. lib. 3. quæst. 1. num.* 9. Azor. *par. 2. lib. 7. cap. 16. quæst. 12.* Garz. *cap. 6. num.* 44. Assumendus ad dignitates, & officia, citrà Episcoparum, ac curata beneficia, debet attingere vigesimumquintum annum, & esse idoneus scientia, &c., & si non est in ordine requisito, debet in proximis Tēporibus se promouere facere, aliòqui monitus non parens, priuatur beneficio, non obstante appellatione, nisi ex legitima causa excusetur. *ex eodem cap.* Henriq. *in sum. lib. 10. cap. 19. §. 1.* Viuald. *in candelabro aureo, de sacram. ordinis n.* 27. Vgolin *de potestate Episcopi cap. 26. §. 7.*, eligentes indignum contrà formam Textus, priuati sunt prima vice potestate eligendi, *ex eodem cap.* Azor. *par. 2. lib. 3. cap.* 14. Filliuc. *tom. 3. tract. 41. cap 4. num.* 173. Tambur. *de iur. Abb. tom. 1. disput. 5. quæst. 8. num.* 18.

7 Compromittentes tenentur acceptare electum à compromissario, si electus est

† idoneus, *ex cap. Causam quæ 8.* Electus ante confirmationem non potest conferre beneficia, vel aliquid administrare, *ex cap. Nosti 9.*: potest tamen si sit confirmatus, licèt non consecratus. Reginald. *lib. 30. num.* 240.

† electio facta post appellationem, est nulla, *ex cap. Considerauimus* 10. Item si erit facta contrà tenorem priuilegiorum, *ex eodem cap.* Socin. *in cap. Perrò* 7. Tiraqu. *in l. si vnquam verbo Litteras num.* 8.

8 Metropolitanus electus, & confirmatus, antequàm recipiat Pallium, potest mādare Suffraganeis, vt consecrent Episcopum *Ex cap. Suffraganeis* 11. Electio cassata nō vitio personæ, sed electionis, non impedit quin electus iterùm eligatur in eadem Ecclesia; dummodò aliqua simonia non in-

† terceßerit. *ex c. Super eo* 12. Electio debet esse omninò libera, & consuetudo in contrarium non valet, quia consuetudo non potest tollere libertatem in eligēdo, *ex cap. Cùm terra* 14.

9 Potestas exercendi ea, quæ sunt ordinis, non transfertur per confirmationem electionis, sed per consecrationem, *ex cap. Transmissam* 15. Electioni de se factæ renuncians, non potest appellare ad impediendam electionem alterius, *ex cap. Cùm inter* 16., electus, si ante confirmationem administrer, eius electio cassari debet, *ex cap. Qualitèr* 17. Item si non habeat sufficientem scientiam, *ex eodem cap.* Appellatio vbi talis interponitur, nè fieret electio nisi canonica, si post appellationem fit canonicè, valet electio, *ex cap. Cùm nobis* 19.

10 Illegitimus eligi non potest, licèt possit postulari, *ex cap. Innotuit* 20., electores non possunt in præiudicium electi compromittere, etiamsi non sit de gremio Ecclesiæ, dummodò electus electioni consenserit, cùm nō sit necesse, quod electus sit de gremio Collegij, quamuis sit meliùs eligere aliquem de Collegio, *ex cap. Cùm inter* 3. 21., electus à maiori parte Capituli, si est idoneus tempore electionis, confirmabitur, supponendo quòd sit idoneus in scientia; si autem erat indignus, & id erat notum tempore electionis, electio est nulla, & electus à minori parte, si est dignus, confirmabitur, *ex cap. Dudùm* 22.

11 Postulatum ad Ecclesiam tamquàm institutum, vel administrationem recipientes ante admissionem postulationis à Superiore factam, priuantur iure eligendi, & potestas deuoluitur ad alios licèt pauciores; & si omnes priuati sunt, deuoluitur ad Papam in Ecclesijs Cathedralibus, *ex cap. Bona memoria* 1. 23.. Debentes aliquem eligere, & ob delictum, potestate eligendi priuāti, illa potestas, ad alios, qui non deliquerunt, deuoluitur, *ex eodem cap.*

12 Electo sufficit ad obtinendum, probare, electores fuisse quasi in possessione tempore electionis, licèt non probet, quod proprietas iuris eligendi ad ipsum nō pertineret; vndè valent gesta per eum, qui est quasi in possessione præsentandi, & qui est in possessione alicuius officij, *ex cap. Querelā* 24., & vnicus actus sufficit ad acquirendā quasi possessionem iurium incorporalium

ex eodem cap. Couar. *prat. cap.* 14. *num.* 2. Mascard. *de probat. num.* 173.

PARAG. II.

Sequitur Textus de electione.

SVMMARIVM.

1 *Eligentes indignum scienter, suspenduntur à beneficijs, &c.*
† *Non professus eligi nequit ad regimen Ecclesia regularis.*
† *Nec Pralatus vnius ordinis, &c. ad Pralaturam alterius ordinis, &c.*
2 *Electio plurium est potius nominatio, quàm electio.*
† *Vbi facienda sit electio?*
† *Electio à minori parte Capituli facta non est valida?*
† *Item nec prasentatio impetu ira, &c. facta.*
3 *Potestas data à Compromissarijs quando renocetur?*
† *Semper intelligitur de persona idonea.*
† *Electio Canonicorum, ad solum Capitulum spectat.*
† *Compromittentes tenentur acceptare electum, &c.*
† *Electio confirmabitur, si ex septem Compromissarijs tres eligant vnum.*
† *In electione per scrutinium non potest quis sibi suffragari.*
4 *Imperatoris electio spectat ad septem Principes Germanos.*
5 *Absentes de Prouincia vocandi sunt ad electionem.*
† *Non potest fieri electio ante sepulturam Demortui.*
† *Non Monachus potest eligi in Abbatem.*
† *Non tamen qui non est instructus in regula.*
† *Excommunicatus minori excommunicatione potest eligere, & eligi.*
† *Postulatio quando electioni praferatur?*
6 *Electores quando priuentur iure eligendi?*
† *Forma eligendi est triplex.*
† *Absentes non possunt constituere Procuratores, nisi sint impediti.*

1 ELigentes scientèr indignum, v.g. simoniacum, in Episcopum, suspenduntur
à beneficijs per triennium, nec possunt interim ad dignitates illius Ecclesiæ assumi,
ex cap. Cùm Vuintonien. 25. Eligi nequit non
professus, ad Ecclesiæ regularis regimen,
consuetudine in contrarium non obstante, *cap. Cum causam* 27. Nec regularis vnius
ordinis, vel habitus potest eligi in Prælatum alterius ordinis, vel habitus, *ex eodem
cap. & cap. Cùm singula* §. *Prohibemus de prabend. in*
6., Clementina 1. *de electione.* Miranda *in man.
Pralatorum tom* 2. *quast.* 23. *art.* 11. Tambur. *de iur.
Abbatum tom.* 1. *disput.* 5. *quast.* 11.
2 Electio plurium potiùs est nominatio,
quàm electio, *ex cap. Quod sicut* 28. Regularitèr electio Prælati facienda est in Ecclesia
Cathedrali, seù loco consueto, & in subsidium, vbi commodiùs datur facultas, *ex
eodem cap.* Azor. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 28. *quast.* 8. Petrus Greg. *syntag. iuris lib.* 15. *cap.* 12. *num.* 19. &
7 alij. Electio à minori parte Capituli facta
non est valida, nec per subsequentem cōsensum ratificari potest: facta verò à maiori parte, tenet. *cap. Audstis* 29. *cap. Cùm omnes
6. num.* 5. *de constit.*; neque valet præsentatio
facta, ex impetu, vel iracundia, *ex eodem
cap.*
3 Potestas data à Compromissarijs ad eligendum Prælatum, re non integra, reuocari non potest, & desinit res esse integra
postquàm Commissarij cœperunt habere
tractatum: re vero integra, antequam incipiatur tractatus, reuocari potest compromissum, *ex cap. In causis* 30. Potestas data
à Compromissarijs semper intelligitur de
eligenda persona idonea: vndè si electus
non sit idoneus, non tenentur electores
ipsum recipere; Syluest. *verbo Electio* 2. *quast.* 3.
† Mirand *quast.* 23. *art.* 36., Canonicorum electio de consuetudine ad solum Capitulum
spectare debet; *cap. Cùm Ecclesia Volaterana* 31.
Compromittentes tenētur acceptare electum à Compromissarijs, si sit dignus, nisi
contrà formam compromissi sit electus, *ex
cap. Cum dilectus* 32. Miranda *in man. Pralatorum
† tom.* 2. *quast.* 23. *art.* 37. Electio confirmabitur, si
ex septem Compromissarijs, tres eligerent
vnum ex ijs septem, & alij tres vnum extrà
gremium Capituli. Electus à tribus Compromissarijs confirmabitur, dummodò
Canonicum non habeat impedimentum,
& consentiat, & sit idoneus, dummodò in
forma Compromissi habeatur, quod possint eligere vnum ex seipsis. *cap. Cum in iure*
33. Azor. *par.* 2. *lib.* 10. *cap.* 4 *quast.* 5. Miranda *in
man. Pralatorum tom.* 2. *quast.* 23. *art.* 40. Secùs tamen in electione, quæ fit per scrutinium,
quia in electione, quæ fit per compromissum, potest quis suffragari pro se, votumq;
suum conferre sibi, vt electionem de se factam compleat, & in electione, quæ fit per
scrutinium, nullus potest sibi suffragari, *ex
eodem cap.* Syluest. *verbo Electio* 2. *quast.* 18. Miranda *loco citato.* Verùm si Compromissarius sit solummodò vnus, non potest seipsum eligere, & si se eligat, electio erit nulla, *ex eodem cap.*
4 Electio Imperatoris spectat ad septem
Principes Germanos, tres Prælatos, &
quatuor Laicos. Ad Papam spectat examinare, an sit idoneus, approbare, vngere,
& consecrare, & coronare, si est dignus.
Greg. V. tale priuilegium Principibus Germanis concessit. *cap. Venerabilem* 34. Nauar.
in cap. Noui notabili 3. Molina *de iust. tract.* 2.
disp. 24. & alij.
5 Absentes de Prouincia vocandi sunt ad
electionem, & electus à maiori, & saniori
parte est confirmandus, *ex cap. Coram* 35. Miranda *in man. Pralatorum tom.* 2. *quast.* 23. *art.* 6.
† Electio non potest fieri ante sepulturam
Demortui, vel contempto, saltem vno, &
si fiat, non tenet; non tamen deuoluitur ad
illum vnum. *cap. Bona memoria* 2. 36. Gonzal.
ad reg. 8. *cancell. gloss.* 11. Rodriq. *qu. regular. tom.* 2.
quast. 52. *art.* 13. Miranda *in man. Pralat. tom.* 2. *qu.*
23. *art.* 6., nō Monachus potest eligi in Prę-latū regularē, *ex cap. Cùm ad nostram* 37. Mirāda *loco citato art.* 11. Rodriqu. *loco citato art.* 8.
Suar. *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 11.,
in Abbatem non potest eligi, qui non est
instructus in regula, *cap. Officij* 38. Miranda
tom. 2. *quast* 3. *art.* 4. Bartholom. de Vecchijs
*in prax. obseruanda in admittendis ad Religionem
† Nouitijs disput.* 11. *num.* 9. Excommunicatus
minori excommunicatione potest eligere,
& eligi, *cap. Illa* 39. Quando postulatio, &
electio

electio simùl concurrunt, data identitate electi, & postulati, præfertur, si est facta à duabus partibus de tribus, quia illa, quæ fit à duplo maiori numero, nititur iuri, & gratiæ, *ex cap. Scriptum* 40. Castel. *de elect. cap.* 2. *num.* 8.

6 Electores, si absque iusto impedimento, non eligunt Pastorem Ecclesię Cathedralis, seù regularis Ecclesiæ, priuantur, ea vice, potestate eligendi, & deuoluitur ad proximum superiorē, qui intrà tres alios menses cum consensu Capituli prouideat de persona digna; & si non reperiatur in eadem Ecclesia, prouideat de persona alterius, *ex cap. Ne pro defectu* 41. Rodriq. *quæst. regular. tom.* 2. *quæst.* 52. *art.* 3. Azor. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 28. Miranda *tom.* 2. *qu.* 23. *art.* 10.

7 Forma eligendi est triplex, scrutinij, cōpromissi, & inspirationis; & electio alitèr facta, non valet, & electores priuātur, pro ea vice, facultate eligendi: quæ forma habet locum in omnibus electionibus. *ex cap. Quia propter* 42. Azor. *par.* 2. *lib.* 13. *cap.* 10. *quæst.* 2. Syluest. *verbo Electio* 2. *quæst.* 1. Miranda *quæst.* 23. *art.* 3., absentes non possunt constituere Procuratores, nisi sint legitimè impediti. Ità *ex eodem cap.* Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *quæst.* 7. Tambur. *tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 3., Layman. *lib.* 14. *tract.* 2. *cap.* 24. *num.* 4.

PARAG. III.

Confirmatio Textuum.

SVMMARIVM.

1 *Consentiens electioni de se factæ per abusum Laicæ potestatis, est ineligibilis, &c.*
† *Celebrantes talem electionem priuantur potestate eligendi, &c.*
† *Prælatus, qui per negligentiam confirmat indignum, carere debet potestate confirmandi, &c.*
† *Scientèr confirmans indignum debet deponi.*
2 *Expensæ necessariæ factæ pro electione Episcopi sunt soluendæ de bonis Episcopatus.*
† *Electio celebrata post collationem non valet.*
† *Quæ requirantur ad validam electionem?*
3 *Non professus non potest eligi in Abbatem.*
† *Electio facta à minori parte Capituli est inualida.*
4 *Laicus non potest habere ius eligendi in Ecclesia Collegiata, &c.*
† *Quando eligentes teneantur petere Concilium?*
† *Quando in electione per scrutinium minor pars præualeat maiori?*

1 CONsentiens per abusum potestatis sęcularis contrà canonicam libertatem electioni de se factę, fit inhabilis ad illam, & alias dignitates, & electio est irrita; & qui præsumpserint illam electionem celebrare, priuantur, ea vice, potestate eligendi, & suspenduntur per triennium à beneficijs, & officijs. *cap. Quisquis* 43. Tambur. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 22. *num.* 10. Prælatus, qui per negligentiam confirmauit indignum, carere debet potestate confirmandi in sequenti electione, & suspendi à perceptione fructuum proprij beneficij, quoad-vique Indulgentiam promereatur, *ex cap. Nihil* 44. Lambertin. *de iure patronatus lib.* 2. *par.* 3. *quæst.* 3. *art.* 3. Reginald. *quæst.* 52. *tract.* 2. *num.* 62., scientèr verò confirmans indignum debet deponi, *ex eodem cap.* & secundùm gloss. *hic verbo Suspendatur.*

2 Expensæ necessariæ factæ à Capitulo pro electione Prælati soluendæ sunt de bonis Episcopatus, dummodò Canonici non occupent bona descendentis, *Ex cap. Vt praeterita* 45. Lambertin. *de iure patronatus lib.* 2. *p.* 3. *quæst* 11. *art.* 14; Electio post collationem ex interuallo celebrata non valet, Sicuti nec valet electio illius, qui requisitus, antequàm esset electus, consensit electioni de se faciendæ, quia præsumitur ambitiosus, *ex cap. Cùm post* 46. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 30. Syluest. *verbo electio* 1. *quæst.* 10. *num.* 11. Tambur. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 22. *num.* 3. Electio debet fieri à maiori parte Capituli, *ex cap. Ecclesia vestra* 1. 48., & non sufficit habere maiorem partem suffragiorum, respectu minorum, sed requiritur habere maiorem partem respectu Capituli, *ex cap. citato.* Miranda *tom.* 2. *quæst* 23. *art.* 27.

3 Non professus, in Abbatem eligi non debet, *ex cap. Cùm in Magistrum* 49. Gonzal. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 8. *num.* 78. Miranda *art.* 11., Tambur. *quæst.* 10. Suar. *tom.* 4. *de religione tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *num* 11. Electio facta à minori parte Capituli non valet, *ex cap. Cumana* 50. Collatio est facienda statim post publicationem scrutinij, alioquin non valet, *ex eodem cap.*

4 Laicus quamuis patronus non potest de consensu Prælati, & Capituli habere ius eligendi in Ecclesia Collegiata, sed solùm electio facta debet illi denūciari, vt assentiatur, cùm Laicus sit incapax iurisdictionis spiritualis, *ex cap. Sacrosancta* 51. Azor. *par.* 2. *lib.* 10. *cap* 7. *quæst.* 3. Papa, quando mandat, vt electio fiat cum aliquorum concilio, tenentur eligentes concilium illorum inquirere, & responsum expectare tempore congruo, alioquin electio nō valet, *ex cap. Cùm in veteris* 51. Gonzal. *ad regulam* 8. *cancell. gloss.* 46. *num.* 40. Si maior pars in eodem scrutinio eligit indignum, & minor pars dignum, valet electio minoris partis, quia maior pars eligendo indignum, priuatur pro illa vice, potestate eligendi, & deuoluitur ad minorem.

PARAG. IV.

Continuatio Textuum de electione.

SVMMARIVM.

1 *Habens plura beneficia, &c. quomodo sit ineligibilis.*
† *Episcopus non potest dispensare super pluralitate beneficiorum, &c.*
2 *Electio, si communitèr non celebratur, non valet.*
† *Episcopi electio facta per Laicos, an valeat.*
† *Quæ requirantur ad confirmationem Episcopi.*
† *Non valet consensus post scrutinium.*
3 *Electores, publicato scrutinio, non possunt ampliùs variare.*
† *Episcopus an possit dispensare in electione facta per ignorantiam ignorante electo.*
† *Quando possit dispensare cum eo, qui renunciauit beneficium.*

† *Quòd simoniacè, sed ignoranter obtinebat.*
† *Electoribus quando currat tempus.*

1 Habens plura beneficia curata sine dispensatione Papæ, vel personatus, est ineligibilis, & electio circà ipsum facta est irritanda, *cap. Dudum* 54., Episcopus non potest dispensare super pluralitate beneficiorum curatorum, seù dignitatum, *ex eodem cap.* Garz. *de beneficijs par.* 11. *cap.* 5. *num.* 337. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi par.* 3. *allegat.* 62. *num.* 18., potest tamen Clericus habere duas Ecclesias, vnam in titulum, & alteram in commendam, Syluest. *verbo Commenda num.* 7. Rebuf. *in prax. tit. de commenda à num.* 3. Marsil. *de reddit. par.* 2. *à num.* 22. & alii.

2 Electio non valet, si communitèr non celebratur, vel maior pars Capituli non conuenit, vel si non procedat collatio, *ex cap. In genesi* 55. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 29. Electio Episcopi facta per Laicos, & Canonicos, etiamsi talis sit consuetudo, non valet, *ex cap. Massana* 56. Firmianus *de Episcopis lib.* 7. *par.* 3. *quæst.* 60. Selua *de beneficijs par.* 2. *quæst.* 23. *num.* 12. & 21. Flamin. *de resignat. lib.* 9. *quæst.* 3. *num.* 9., ad confirmationem Episcopi requiritur quod electio, non solùm sit facta à maiori parte, sed etiam in saniori, *cap. Ecclesia vestra* 57. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 11., non valet cōsensus illius, post scrutinium, qui non vult interesse electioni, *ex eodem cap.*

3 Electores, publicato scrutinio, non possunt ampliùs variare, sed statim collationem facere, & electionem celebrare debent, & si noluerint, per Superiorem compellātur, *ex cap. Publicato* 58. Syluest. *verbo Electio* 2. *quæst.* 7. Rodriq. *quæst. regular. tom.* 2. *quæst.* 5. *art.* 14. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 200. & alij. Electione cassata alicuius Prælati ob simoniam, etiam electo ignorante, non dispensat Episcopus pro ea vice, potest tamen dispensare cum eo, qui liberè resignante simplex beneficium, quod si simoniacè, sed ignoranter recipit, *ex cap. citato.* Electoribus, qui debent petere licentiam ad eligendum, currit tempus statutum à Canone, si sint in mora postulandi licentiam.

PARAG. V.

Sequuntur etiam, &c.

SVMMARIVM.

1 *Si appellatum fuerit ad Papam propter oppositionē, &c. Quid debeat à partibus agi.*
† *Quanto tempore expectandum.*
2 *Vota conditionalia, &c. reprobantur.*
3 *Appellans, &c. debet exprimere omnia, quæ obijciunt.*
4 *Electus ante confirmationem ministrare non debet.*
† *Si administret, dicitur intrusus.*
5 *Electores debent quamcitius poterunt, electionem manifestare.*
6 *Eligentes indignum in scrutinio non priuantur iure eligendo consentiens electioni non potest se opponere, &c.*
7 *Quando minor pars non possit aliquid opponere.*
8 *Causæ Episcoporum, &c. computantur inter maiores.*
9 *Quid agendum, si contrà electum aliquid opponatur.*
10 *Grauantes aliquam personam Ecclesiasticam, &c. sunt ipso iure excommunicati.*

1 Si appellatum fuerit ad Papam propter oppositionem cōtra prouisionem, electionem, vel postulationem, &c. factam ad personam, dignitatem, &c. tàm appellans, quam defendens, & cæteri, quorum interest, infrà mēsem à die obiectionis, per se, vel per Procuratorem ad Sedē Apostolicam iter arripere debent, *ex cap. Statuimus* 1. *de electione, & electi potestate in* 6. & si post aduentum vnius partis, altera pars intrà viginti dies non compareat, procedi debet in causa appellationis *ex eodem cap.*

2 Vota conditionalia alternatiua, & incerta in electionibus reprobantur, & potestas eligēdi deuoluitur ad alios, qui purè elegerunt, *ex cap. In electionibus* 2. *in* 6. *de electione, &c.* Vndè electores non possunt sub conditione, & alternatiuè eligere, ità Syluest. *in sum. verbo Electio* 2. *num.* 6. Ripa *lib.* 2. *resp.* 32. Præsentatio verò potest esse alternatiua, & conditionalis, incerta, dubia, &c. dummodò infrà tempus datum ad præsentandum conditio purificetur, *ex eodem cap.* Ità Viuian. *in prax. iuris patronatus lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 24. & alij.

3 Appellantes contrà electiones, postulationes, &c. vel contrà personas eligētium, & electi, tenentur exprimere omnia, quæ obijciunt contra formam, vel personam, & iurare, quod illa credunt vera esse, & ea se posse probare, *ex cap. Vt circa* 4. *in* 6. *de elect.*

4 Electus ante confirmationem administrare non debet per se, nec per alium sub quocumque titulo in totum, vel in partē, si secùs, eo ipso, priuatur omni iure acquisito per electionem, *ex cap. Auaritiæ* 5. *in* 6., & ideò dicitur intrusus, qui post electionem ante confirmationem administrare præsumpserit, *ex eodem cap.* & ità Mascardus *de probationibus conclus.* 936. & pœna incurritur per vnum actum perfectum, nimirùm ex actuali perceptione fructuum, tàm spiritualium, quàm temporalium, *ex eodem cap.* Gabr. *consil.* 199. *num.* 4. *lib.* 1., Put. *decis.* 40. *lib.* 3. & alij.

5 Electores, quam citiùs poterunt, electionem debēt electo manifestare, quòd si electus infrà mensem à die electionis præsentatæ, vel à tempore sibi præstituto, non consentiente electioni, priuatur iure acquisito, nisi electus esset subditus, qui non possit consentire absque licentia sui Superioris, & tùnc quamprimùm debet illam petere, & si infrà tempus debitum eam nō petierit, electores alium eligere debent, *ex cap. Quam sit* 6. *in* 6.

6 Eligentes indignum in scrutinio non priuantur iure eligendi, quando electio non habet effectum, *ex cap. Perpetuo* 7. *in* 6. Eligens, vel electioni consentiens non potest se opponere contrà electum, nisi de

nouo

nouo aliquid oriatur, vt manifestentur priùs occulti, *ex cap. Nulli* 8. *in* 6., & ideò ante electionem debent inquirere de vita, & moribus eligendi, *ex eodem cap.*

7 Quando maior pars duplo eligit vnum, & minor pars alterum, non potest minor pars aliquid opponere, quòd extenuet vota maioris partis, vt v. g. quòd electus à minori parte sit dignior, potest tamen opponere aliquid, quod annullet vota maioris partis, *ex cap. Si quando* 9. *in* 6.

8 Causæ electionum Episcoporum, & Superiorum computãtur inter maiores spectantes ad Sedem Apostolicã, verùm vt ad illam deuoluãtur, debet fieri appellatio in scriptis, in quibus ponatur causa appellationis, quæ sit legitima, & non friuola, *ex cap. Quamuis* 10. *in* 6.

9 Si contrà electum opponatur defectus scientiæ, vel personæ, &c. de illis debet inquiri, & si probentur tales defectus, declarabitur ineligibilis, si autem non probentur, obijciens condemnabitur in expensis, & punietur, nec debet admitti ad alias obiectiones probantes, *ex cap. Si fortè* 11. *in* 6.

10 Grauantes aliquem personam Ecclesiasticam, vel earum consanguineos, Ecclesias, vel Monasteria, seù bona per se, vel per alios, ex eo, quòd eum, pro quo rogabantur, eligere noluerunt, sunt ipso iure excommunicati, *ex cap. Sciant cuncti* 12. *in* 6. Vsurpantes de nouo custodiam vacantiũ Ecclesiarum, vel earum bona Clerici, vel Monachi, hoc fieri procurantes, sunt ipso facto excommunicati; item vsurpantes de nouo sibi ius-patronatus à locis pijs vacantibus, sunt ipso iure excommunicati, *ex cap. Generali* 13.

PARAG. VI.

Continuatio materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Parochialis Ecclesia debet idoneo conferri.*
† *Tenetur ad residentiam.*
† *Non debet commendari nisi constituto in ætate legitima.*
2 *Quis non possit eligi in Vrbis Senatorem, &c.*
3 *Quando electio Ecclesiæ Cathedralis deuoluatur ad Papam.*
4 *Appellans contrà certam personam debet seruare formam præscriptam, &c.*
5 *Eligens per scrutinium, vel per compromissum, quid debeat dicere.*
6 *Parochialis Collegiata electus non debet ordinari Sacerdos intrà annum.*
7 *Quæ requirantur ad electionem per scrutinium.*

1 Parochialis Ecclesia nemini debet conferri, qui non sit idoneus scientia, moribus, & ætate, & si conferatur non habenti vigintiquinque annos, collatio est nulla, *ex cap. Licèt canon.* 14. Prouisus de Ecclesia Parochiali tenetur ad residentiam, potest tamen Ordinarius ad tempus ob rationabilem causam dispensare, *ex eodem cap.*; item infrà annum à die commissi regiminis debet ordinari Sacerdos, aliàs est ipsa Ecclesia priuatus, *ex eodẽ cap.* 15. & *ex cap. Licèt canon.* 14., & *ex cap. Nemo deinceps*, Parochialis Ecclesia non debet commendari, nisi constituto in ætate legitima, & Sacerdotio, & cum euidenti Ecclesiæ vtilitate; & vna solùm, & per sex menses tantùm, & si alitèr fuit factum, est ipso iure irritum, *ex eodem cap.* Episcopus Ecclesias Parochiales ad sex menses commendare potest, *ex eodem cap.*, Lambertin. *de iure patron. lib.* 2 *par.* 3. *quæst.* 7. *art.* 1. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 3. *num.* 132. & alij.

2 In dignitate Imperiali, Reali, &c. constitutus nõ potest eligi in Vrbis Senatorem, Capitaneum, Patritium, Rectorem absq; Apostolicæ Sedis licentia, nec eorum frater, filius, nepos, & c. Alioquin tàm ipsi, quàm eligentes sunt excommunicati, & dantes auxilium, fauorem, &c. excommunicatione reseruata Papæ, & priuantur bonis feudalibus, *ex cap. Fundamenta* 17.

3 Quando electores Ecclesiæ Cathedralis priuati sunt iure eligendi ob electionẽ sacram indigni, vel debent priuari ex eo, quòd in electione non seruauerunt formam præscriptam à Concilio, electio deuoluitur ad Papam, & non ad Superiorem immediatum, secùs verò in inferioribus Ecclesijs, vel quando Canonici Ecclesiæ Cathedralis fuerunt solùm negligentes in eligendo, quia tùnc potestas deuoluitur ad Superiorem immediatum, *ex cap. Quamquam* 18.

4 Si quis ad Sedem Apostolicam appellat contra certam, & determinatam personam, nè ab alijs eligatur, debet per omnia in ipsa appellatione seruare formam præscriptam à Gregorio X., ac si electione iam facta, cõtigerit appellare, alioquin subiacebit pœnis eiusdem constitutionis, *ex cap. Is, qui contrà* 19. *in* 6. & *ex cap. Qui contrà* 20. *in* 6.

5 Electio, quando fit per scrutinium, vel per compromissum, vnus nomine omnium dicere debet, *Ego eligo N.* Licèt aliqui disputent, aliter electio non valet, *ex cap. Sicut* 21., quia de forma scrutinij est, eo publicato, & facta collatione, vt mox per vnum, nomine Capituli, electio fiat, *ex eodem cap.*

6 Parochialis, quando est Collegiata, electus non tenetur ordinari Sacerdos intrà annum, *ex cap. Statutum* 22. Ratio, quia *cap. Licèt canon.*, nõ extenditur ad istum casum, quia Ecclesia Parochialis Collegiata non est merè Parochialis, nec à Parochia appellatur, sed à Collegio, tamquàm à principali, & idcircò, cum tale canon sit pœnale, restringitur ad merè Parochiales, & iura loquentia de Parochialibus non habent locum in Collegiaris curatis *ex eodem cap.* Flamin. *de resignatione lib.* 8. *quæst.* 9. *num.* 94.

7 Compromissarius, si eligat iuxta formã sibi traditam nimirùm, vt facto scrutinio, eligat illum, in quem plures consenserint, aliarum partium comparatione, licèt maiorem totius Capituli partem non attingant, non tenet electio, cùm præter formam Concilij fuerit celebrata, *ex cap. Si cui* 23., quia

23., quia de ratione compromiſſi eſt, vt ſcilicet Compromiſſarij votis omniũ exquiſitis eum eligere adſtringatur, in quem maior pars Capituli conſenſerit, *ex eodem cap.*, Petrus Gregor. *de electione cap.2.num.4.* & alij.

PARAG. VII.

Confirmatio materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Mendicantes quomodo poſſint habere ius in electione, &c.*

2 *Electus non poteſt proſequi duas electiones, &c.*

3 *Quando renunciatio conſenſus inualidet electionem.*

4 *Conſenſus Religioſi ſine licentia, &c. non valet.*

† *Secus ſi conſentiat electioni de ipſo facte in Monaſterio.*

5 *Monachus non profeſſus in Abbatem non poteſt eligi, niſi de licentia Pontificis.*

6 *An percipiat fructus, &c., qui Romam accedit cauſa electionis.*

7 *Opponentes defectum notorium in perſona, debent illum probare.*

8 *Canonicus impubes, qui non vocatur ad electionem, &c. non dicitur contemptus.*

9 *Quando quis appellat canonicè, &c., in quo caſu electio ſit nulla.*

10 *Epiſcopi, in quibus caſibus poſſint diſpenſare cum electis ad Parochiales, &c.*

11 *Quo titulo quis poſſit priuari Eccleſia Parochiali.*

1 MEndicantes Religioſi etiam de licentia ſuorum Superiorum ius aliquod acquirere non poſſunt in electione, ſeũ poſtulatione ad aliquam Prælaturam extrà ſuum ordinem, in diſcordia de ſe facta, *ex cap. Quorumdam 24.*, ſed neque tali electioni conſentire poteſt, etiamſi Prælati regularis licentiam habeat: Ratio, quæ mouit Innocentium VIII ad hanc conſtitutionem faciendam, eſt, quia Religioſi illi arctiorem, quam alij paupertatem, & Mundi contemptum profitentes à litibus, quam maximè alieni eſſe debẽt, cum alioquin temporalibus prouentibus, ac honoribus inhiare viderentur.

2 Electus non poteſt duas electiones proſequi, etiamſi proteſtetur ſe altera contentum eſſe, & ſi vnam eligat, non poteſt ad aliam redire, *ex cap. Vt quis 25. in 6.*

3 Electus, ſi non conſentit, vel poſt conſenſum, renunciat, aut moritur, vel propter occultum eius vitium irritatur, electores habent integrum ius ad eligendum, ac ſi eſſet noua vacatio, dummodo non præceſſerit dolus, vel fraus, *ex cap. Si electio 26. in 6.*, ſi verò ſuperiori iure deuoluto elegit, & intellectus diſſentit, vel renunciat, aut moritur, non poterit iterùm eligere, ſed ad Canonicos redit electio, *ex eodem cap.* Tiraq *in l Beues §. hoc ſermone lib.1.num.49.*

4 Religioſus, ſi non obtenta licentia conſentit electioni de ſe facta extra ſuum Monaſterium, non valet conſenſus, & electio, eſt ipſo iure nulla, Ex cap. *Si Religioſus 27.*, in proprio Monaſterio poteſt conſentire electioni de ſe factæ abſque alicuius licentia, ità Canoniſtæ *in Tex. Preſenti.*

5 Monachus in Abbatem non poteſt eligi, niſi ſit profeſſus; ad Epiſcopalem verò Dignitatem in Eccleſia Sæculari, vel Regulari poteſt eligi non profeſſus, ex cap. *Nullus 28. in 6.*, auctoritate Apoſtolica poteſt non profeſſus eligi in Abbatem, ex *eod. cap.* Suar. *de Relig. tom.3. lib.6. cap.21. nu.15.*, & *tom. 4. tract.8. lib.2. cap.3. num.11.*

6 Qui ſecundum caput *cupientes* ad Sedem Apoſtolicam accedunt in cauſa electionum, percipiunt præter quotidianas diſtributiones, beneficiorum fructus, vt reſidentes ex cap. *Cum non deceat 30.* Si verò in vtilitatem ſuæ Eccleſiæ, cui ſpecialiter eſt aſcriptus, cuius V.gr. Canonicus eſt, gaudet etiam diſtributionibus, ex cap. *citato.* Moneta *quæſt.11. à num. 22.*

7 Defectum notorium, qui opponunt in perſonam, vel ſententiam, electi, non poſſunt ab eo diſcedere; & ſi non probauerint, debẽt omnino à cauſæ proſequutione excludi, ex cap. *Ab eo. 31. in 6.*

8 Canonicus impubes, ſi non vocetur ad electionem Epiſcopi, non poteſt dici cõtemptus, nec impugnare electionem, quia non admittitur ad ſuffragium dandum, cap. *ex eo 32.* Item Regulares non profeſſi, & Laici non habent vocem actiuam, & paſſiuam.

9 Quando quis appellat canonicè ab electione in Eccleſia Cathedrali, vel Regulari, ſi Ordinarius, ea pendente, confirmat electionem, & appellans non recedit ab appellatione, Appellatio eſt nulla; Item ſi electus, qui venit Romam, & antequam finiat negotium, ſine licentia diſcedit, eius electio eſt nulla; Item ſi electus eſt cõfirmatus, & appellatur eodem modo, eundũ eſt Romam ſicut in electione, ex cap. *Si poſtquam 33.* Diſpenſare poſſunt Epiſcopi, & alij Superiores cum Electis ad Parochiales Eccleſias, vt accepto Subdiaconatu ordine infra annum per ſeptennium ſtudeant, quibus elapſis infra annum fiant Sacerdotes, niſi legitimè fuerint impediti, aliter ſunt priuati Parochijs, eo tamen tempore poni debet Vicarius de fructibus Eccleſiæ ſuſtentandus, ex cap. *Cum ex eo 34.* Hodie cum Concilium Trid. decernat non admittendi ad Parochiales Eccleſias, niſi qui per concurſum magis fuerint idonei iudicati, Parochis cauſa ſtudiorum non eſſe dandam licentiam, referunt deciſum à Sacra Congregat. Henriq. *conſil 23. num.4.* Gonzal. *ad reg.8. Cancell. gloſ. 6. num.2.* & alij.

10 Eccleſia Parochiali nullus priuatur, ex eo, quia nõ eſt ordinatus, niſi totus annus fuerit elapſus, qui incipit poſt regimen Eccleſiæ, & pacificam poſſeſſionem. Si verò ex iuſto impedimento detentus, ordinari non poteſt, annus ei non currit. Item qui non animo retinendi Eccleſiam accipit, ſed vt lucretur fructibus illius anni, &c. debet reſtituere fructus, niſi animum mutet, & qui contulit Eccleſiam non credens electum fore ordinandum, ſeruet Eccleſiam indemnem, *ex cap. Commiſſa 35.*

PA-

PARAGR. VIII.

Continuatio Textuum.

SUMMARIUM.

1 *Abbas exemptus potest eligi in Episcopum, &c.*
† *Quando deuoluatur ius compromissoriorum.*
2 *Quæ requirantur in Procuratore ad appellandum.*
3 *Quomodo confirmatio &c. censeatur cassata.*
4 *Vsurpantes bona Collegiatarum, &c. sunt suspensi, &c.*
5 *Habens administrationem Ecclesiæ potest omnia, quæ sunt iurisdictionis.*
6 *Monialis non potest eligere, nisi sit professa, & decimumquartum annum habeat.*
† *Nutrientes discordias in electione Abbatissæ sunt excommunicati.*
7 *Recedens ab appellatione Simoniacè, eius acta sunt irrita.*
8 *Reseruatio Papæ circa electionem, quæ sequuntur, sunt nulla.*
9 *Absens quando possit plures Procuratores constituere.*
10 *Quid agendũ quãdo sunt plures Competitores, &c.*

1 Abbas exemptus potest eligi in Episcopum, sed non potest deserere Monasterium, nisi de licentia Papæ, vel Legati à Latere, ex cap. *Si Abbatem* 36. Compromissarij si non eligunt intra tempus statutum, Electio deuoluitur ad Superiorem, si eligunt indignum, eligendi potestas reuertitur ad compromittentes, nisi ipsis scienter habuerint electionem ratam; Itẽ si Electus non vult consentire; Item Compromissarius eligens indignum, & etiam Canonici si ratum habeant, suspenduntur per triennium à beneficijs, & ex cap. *Si Compromissarius* 37., quod non intelligitur de Episcopo compromissario, quia de iure Episcopus non est suspensus, nisi de ipso fiat expressa mentio, ex *eodem cap.*

2 Procurator ad appellandum contra electionem, non est idoneus, nisi in procuratorio habeat expressa omnia, quæ obijcit, & speciale mandatum iurandi in eorum animas, quorum est procurator, quod expressè putet obiecta esse vera, & quod possint probare, ex cap. *Procurator* 38. *in 6.*

3 Confirmatione cassata, & irrita ob defectum auctoritatis, & ob iuris solennitates non seruatas, non intelligitur cassata electio, ex cap. *Si confirmationem* 39. *in 6.*

4 Occupantes bona Ecclesiarum Cathedralium, &c. vacantium, &c., vel dissipãtes bona collecta tempore vacationis sũt suspensi ab officijs, & beneficijs, donec integrè satisfaciant, non obstantibus consuetudinibus, statutis etiam iuratis, & ad Apostolica Sede confirmatis, ex cap. *Quia sæpè* 40.

5 A Sede Apostolica habens administrationem plenam Ecclesiæ Cathedralis, potest omnia, quæ sunt iurisdictionis, excepta alienatione bonorum Immobilium, & non potest, quæ sunt Ordinis, nisi fuerit Episcopus, cap. *Is, cui* 42.

6 Moniales non eligat, nisi agat annum decimumquartum; & si professa, cap. *Vel expressè*, ex cap. *Indemnitatibus* 43. Non eligatur in Abbatissam, nisi trigesimum annum expleuerit, & si expressè Professa, ex *eod. cap.*, Ponentes, vel nutrientes discordias in electione Abbatissæ, sunt excommunicati, ex *eodem cap.* Suarez *tom.5. disp.23. sect.4. num.8.*

7 Quando quis in electione Episcopi, vel Superiorum appellauit ad Papã, & deinde recessit ab illa appellatione Simoniacè, sed procedit, confirmat, vel consacrat, tunc omnia prædicta sunt irrita, & ipse Ordinarius est suspensus per annum integrum à confirmatione, & consecratione Episcoporum. Ex cap. *Pronida* 44.

8 Papa quando reseruat sibi electionem, inhibens, electionem irritans, &c. quæ præcesserunt, reseruationem tenent, quæ sequuntur, sunt nulla, ex cap. *Si eo tempore* 45.

9 Absens in casu electionis, si legitimè impeditur, potest plures Procuratores cõstituere, sed insolidum tantum, & tunc erit melior conditio occupantis, sed si simul concurrant Capitulum, vel maior pars eligentium, eligat vnum ex Procuratoribus, & si non concordant, qui primo nominatur in instrumento, & si nullus nominatur in instrumẽto, & si nullus nominatur insolidum, nullus est admittendus, & illi imputetur, ex cap. *Si quis iusto* 46. Verum Procurator electus debet esse de Capitulo, quia extraneum Canonici recipere non tenentur, ex cap. *Quia propter*, & ita Azor. *p.2. lib.6. cap.14. quæst.7.*

10 Electus, quando sunt competitores, vel opponentes, non confirmetur, nisi fiant publicè dicta, quod volentes opponere veniant peremptorio termino assignato, aliàs generaliter in Ecclesia, in qua electio facta est, alioquin confirmatio est irrita, ex cap. *Quoniam* 47.

PARAGR. IX.

Decretum Summi Pontificis, De Electione.

Electiones factæ absq; Sedis Apost. prouisione, vel confirmatione nullæ sunt Pius IV. *constit.86. incip. Sanctissimus* 31. *Octobris* 1564.

Electio reputabitur secreta, & canonica, si electi fuerint à Superioribus aliqui, qui vota omnium recipiunt. Sac. Congreg. Concil. &c.

Electio Metropolitani semèl facta ab Episcopo exempto, vt ad eius Synodum Prouinciale conueniat, non potest mutari, sed semper in futurum ad illum accedere tenetur, eiusque electio ligat successores.

Electio Abbatissæ, quæ ætatem 40. annorum requisitã non habebat, si in Monasterio nõ decrunt aliæ Moniales, atque habiles licèt non adeò idoneæ sicut electa, est nulla. *In Viterbien.* 16. *May* 1623.

Electio in Abbatissam Monialis, quæ est illegitima absque dispensatione Apostolica, est de iure irrita circumscriptis priuilegijs 27. *Aprilis* 1630.

Electio

Electio personæ, cui conferendus est Canonicatus, habens annexum onus lectionis Sacræ Theologiæ ex præscripto Concilij pertinet ad Episcopum; collatio verò eidem personæ facienda ad eos, ad quos ante Concilium pertinebat, quamuis ex consuetudine electio sola Canonicorum pertinet ad Capitulum, & confirmatio, seù institutio ad Episcopum. *In Aretina* 31. *Iuly* 1617.

Electio est nulla, quando aliqui ex electoribus vnica schedula recipiunt, vno nomine scripta, & nomen electi notum scribæ suas schedulas, & vnam, quam voluerint, reponunt alteram, scindunt, quia scriba potuit reuelare talem, qui non habet, nisi vnam schedulam, vel talem, qui non habuit duas.

Electio illa Superiorum regularium omninò improbatur, in qua præsidens Capituli præcipit scrutatoribus, sub præcepto Sanctæ Obedientiæ, &c. nè recipiant suffragia ore tenus tradi solita pro aliquibus vltrà certum numerum electioni insufficiêtem, sed eo completo dicant electoribus ad aures, vt dent alijs eorum vota, quia talis eligendi ratio libertati electionis, & naturali consensui aduersatur anno 1625.

Electio Prælatorum regularium ità debet fieri per vota secreta, vt non possit fieri per viam compromissi, aut inspirationis.

Electoribus ante, vel post scrutinium nullo modo licet cui sui votum dederunt publicare.

Electorum aliquis, si ante scrutinium verbo dicat se velle eligere hunc, vel illum, non propter hoc tollitur, quin electio non fit secreta eo, quia potuit pro altero suffragium præstare.

Eligentes per schedulam aliquo patenti signo signata, vt innotescat scrutatoribus, vel vni ex illis, quòd talis elector elegit illum nominatum in schedula faciunt electionem non secutam, & peccant mortalitèr, ac proindè sic electus factus de hoc certus tenetur resignare prælaturam, siuè officium, vel petere à Sanctissimo confirmationem cum dispensatione.

TITVLVS XIII.

De postulatione ad Ecclesiam vacantem.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit postulatio.*
† *Quotuplex.*
2 *Ad quem spectet postulationem admittere.*
3 *Duo sunt modi admittendi postulationem.*
4 *Postulantes scienter indignum, priuantur iure postulandi.*
5 *Criminosus, &c. non potest postulari.*
6 *Postulatio, & electio differunt inter se.*

1 POstulatio est duplex, Canonicorum, vel Collegij petitio sacra Superiori, vt certa persona ad Ecclesiam vacantem, nō obstante aliquo defectu, admittat, Abbas *in cap. De postulatione Prælatorum num.* 34. Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17., quæ duplex est, vna solennis, quæ est supra definita, & altera simplex, vt postulatio valeat, non sufficit, vt maior pars Capituli, & sanior consentiat, *cap. Primo de ys*, quę fiunt à maiori parte Capituli, vt in electione, sed necesse est, vt ex tribus partibus, duæ in eā conueniant, *cap. Postulationem, vbi Abbas*, & alij.

2 Superioris esse admittere, cuius est canones, & iura relaxare, ac vinculum, quo postulatus, obstringitur soluere, vt omni impedimento remoto, eligi possit, cap. 1. *De Postulatione Prælatorum*, & Gloss. in cap. *Indemnitatibus, de Elect. in* 6., Postulatione admissa, factaque iuris relaxatione, postulatus ab impedimento, liber eo ipso approbatur, eaque approbatio eum fortitur effectum, quem confirmatio electionis, Gloss. in cap. *vlt. de Elect.* Et ideò postulatus statim, ac est approbatus, potest omnia, quæ sunt iurisdictionis, non tamen ea, quæ sunt ordinis.

3 Duo sunt modi, quibus Superior postulationem admittit; Primus est, cum Superior ait, *Prouidemus Ecclesiæ vestra, prout postulastis hunc, vel illum.* Secundus est, cum dicit, *Admittimus postulationem vestram*. Abbas in cap. *Gratum, de Postulatione Prælatorum num.* 3.

4 Postulantes scienter indignum, priuantur iure postulandi, & eligendi. Abbas *in cap.* 2. *de Testam.* Pactio, & Conuentio de dando, aut recipiendo emolumento, & commodo temporali ratione postulationis Simoniaca est, cum sit pactio in spiritualibus, in quibus omnis conuentio iure prohibetur, cap. *Quam pro* 1. *quest.* 1. cap. *vltimo de pactis.* cap. *Tua de Simonia.*

5 Criminosus non potest postulari; Item homicida, periurus notorius, bigamus irregularis, quia in ijs non solet ius relaxari, Syluest. *Verb. Postulatio quæst.* 3. Potest tamen postulari, qui nondum habet legitimam ætatem, qui non est legitimè natus, qui non est Ordinibus initiatus, qui est alteri Ecclesiæ alligatus, Syluest. *Verb. Postulatio quæst.* 3.

6 Electio, & postulatio differunt, primò, qui eligi non potest, postulari poterit, si omnino non sit inhabilis ad exercendam Prælaturam; Secundò, quòd electo, si idoneus est, & nullus defectus appareat, vel opponitur per electionem, Ius acquiritur saltem inchoatum; ita vt is, ad quem confirmatio spectat, teneatur eum confirmare, alioquin ad eius Superiorem recurretur, qui confirmatorij terminum præfiget, intra quem confirmari debeat, quod si intermittat, tunc ius confirmandi ad ipsum Superiorem deuoluetur. Abbas in cap. *Postquam de electione*, & cap. *Postulationem, de Postulatione Prælatorum*; & ideò postulantes variare possunt, idest sine iniuria postulationem reuocare, antequam ea Superiori præsentata sit, & Superior sine cuiusque iniuria postulationem reijcere potest, cū sit specialis gratia, ad quam dandam nemo cogitur, sicuti habetur in cap. *citato Postulationem*; Si tamen Postulatio concors,

vel

vel saltem à duabus partibus Capituli, propter Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem fiat, tunc quodammodo Ecclesiæ debita est eius concessio, Hostiens. & Ioann. Andreas in *cap. Cum Monasterium.* Abbas in *cap. Postulationem num. 2.*

PARAGR. I.

Textus Sacrorum Canonum, De Postulatione, &c.

SVMMARIVM.

1 *Interdictum violans impostulabilis est.*
† *Eligendi, & postulandi potestate est priuatus, qui postulationem vitio personæ cassatam innouat.*
2 *Postulatio admitti non debet, per quam priuata, vel minor vtilitas communi præfertur.*
† *Vel quæ fit à minori, quàm à tertia parte Collegij.*
3 *Postulatio præsentata Superiori non potest amplius mutari.*
4 *Postulatio, contra quam agitur de contempto, potest sine præiudicio alicuius reijci.*
† *De speciali gratia potest admitti.*
5 *Electio nulla est, si quis eligat postulando, vel postulandum, &c.*

1 Interdictum violans indignus est, vt pro eo postuletur; & ideò reijcitur, *ex cap. Ad hæc 1. de postulat. Prælatorum*, Eligendi, & † postulandi potestate priuatus est, qui postulationem vitio personæ cassatam innouat, *ex cap. Gratum 2. de postulatione Prælatorum.*

2 Vtilitas publica præferenda est priuatæ, & maior minori, & Cardinalis, qui est vtilis Ecclesiæ, non est creandus Episco† pus, *ex cap. Bonæ memoriæ 1. 3.* Item postulatio, quæ fit à minori, quam à tertia parte, admitti non debet, *ex eod. cap.*

3 Postulatio postquam est præsentata Superiori; Postulantes non possunt illam mutare, sicut nec poterant murare electionem, *ex cap. Bonæ mem. 2. 4.* Item si contenti volunt postea acconsentire, valet postulatio, si in persona postulata non erat vitium, *ex eod. cap.*

4 Postulationem factam potest repellere Superior, & per eam nullum ius alicui acquiritur; admittet tamen Procuratores, quibus auditis, faciet quod iustum est, *ex cap. Postulationem 5.*

5 Electio non est, si quis eligat postulando, vel eligat postulandum, vel postulet eligendo, vel eligendum, aut in eligendo, *ex cap. Perpetuo vnic. de Postulat. &c. in 6.*

TITVLVS XIV.

De nominatione ad Ecclesiam vacantem.

SVMMARIVM.

1 *Nominatio tripliciter accipitur.*
2 *Quando fit simoniaca.*
3 *Quomodò differat à postulatione.*
† *Ab electione.*
4 *Nominatio quid sit.*

1 Nominatio tripliciter accipitur: Primò, quando è Collegio aliquis proponitur, vt si dignus iudicatus fuerit, eligatur, & in hac nullum ius acquiritur: Secundò, quando electores secretò aliquem in cartula nominãt, & in hac, nec aliquod ius acquiritur, etiam publicato scrutinio, non tamen electores possunt variare, sed benè antequam nominatio publicetur. *cap. Publicato de electione.* Tertiò, quando duo, vel tres digniores à Collegio nominantur, & Superiori offeruntur, vt quem maluerit, confirmet, & in hac, licet non acquiratur ius nominatis, non tamen datur variatio, oblata nominatione Superiori.

2 Omnis pactio in nominatione, quæ renocatur ad vnum ex quatuor contractibus innominatis facit simoniam.

3 Differt autem nominatio à postulatione, quòd nonnisi vnus postulatur, cùm tàm duo, aut tres iure nominati possint, differt etiam ab electione, quod nominatio absque vllo scrutinio, & sine scriptura fiat, & electio scriptura, & scripto fiat, nominatio aliquando sumitur pro ea, qua patronus promouendũ Clericũ designat, nominat, offert Superiori, & huic nominationi institutio à Superiore facta succedit.

4 Nominatio est supplex, duorum, vel plurium, nominatio, quę fit ab electoribus Superiori, vt vnum ex eis Ecclesiæ præficere velit; institutio autem est concessio beneficij facta legitima auctoritate Episcopi, vel alterius, Clerico à patrono præsentato. Ità Azor. *cap. 22. quæst. 1.*, quæ de iure spectat ad Episcopum, cuius est instituere Clericum à patrono nominatum in omnibus Ecclesijs, & beneficijs suæ Diœcesis.

TITVLVS XV.

De dignitatibus Ecclesiasticis in genere.

SVMMARIVM.

1 *Ordo dignitatum est triplex.*
2 *Sunt institutæ ad augendam disciplinam Ecclesiasticam.*
† *Tribus modis præsumuntur haberi dignitates.*
3 *Personatus, officium, dignitas differunt inter se.*
4 *Dignitas debet esse perpetua.*
5 *Præpositura iure communi non est dignitas.*
† *Aliquando sic.*
† *Plebania, Prioratus, &c. non sunt dignitates.*
6 *Ætas requisita ad dignitates, &c.*
7 *Promouendus ad dignitatem debet esse initiatus ordine præscripto.*
8 *Quando professionem fidei debeant facere.*
9 *Quam scientiam, &c. debent habere.*
10 *Archidiaconi, Archipresbyteri quæ scire teneantur.*
11 *Illiteratus penitus non potest eligi ad beneficia.*
12 *Ad primam dignitatem, Episcopo absente, pertinent functiones Episcopales, &c.*
13 *Inter personas eiusdem gradus quis præferatur.*
14 *Consuetudo, qua Canonici obtinent locum secundùm tempus admissionis, &c.*
† *Quando sit seruanda.*
15 *Canonici, qui habent præbendas cum onere cantandi Euangelium, quãdo debeant assistere dignitati, &c.*

16 Pr-

16 *Prima dignitas potest Missam solemnem, absente Episcopo, celebrare, &c.*
17 *Prima dignitas debet cū pluuiali assistere Episcopo.*
18 *Dignitates, absente Episcopo, quomodò in Choro debeant sedere.*
19 *In eadem Ecclesia non potest quis habere dignitatem, & Canonicatum.*
20 *Habens dignitatem, &c. sine Canonicatu non habet ius eligendi.*

1 Triplex est ordo dignitatum Ecclesiasticarum, nam quędam dignitates curam animarū habent, & ij, qui eas habent dicuntur Prælati, vel pastores; alij enim sunt, qui incumbunt ex officio suo Diuinis tantùm recitandis Officijs, & in nonnullis inseruiunt Episcopo in Diuinis Officijs; aliæ sunt Ecclesiasticæ personæ, quæ sine animarum cura, & absque dignitate sunt in Ecclesia, qui Clerici nominantur.

2 Dignitates esse institutas ad augendam Ecclesiasticam disciplinā; vndè qui ad eas vocātur, debēt esse pietate insignes, & alijs bonū exemplū, ex quibus quædā sunt collectiuæ, alię electiuę, quia de illis per electionem prouidetur, Archidiaconatus, Archypresbyteratus, &c. de iure communi sunt dignitates. Itá Federicus de Senis *consil. 80. num. 2.* Tuschus *tom. 1. littera A. conclus. 685.* Tribus modis quidam à iure præsumuntur habere dignitatem: Primò, cum dicitur beneficium habere dignitatem, vt quando quis habet administrationem rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione, Abbas *in cap. Multa num. 21.* Secundò, quis dicitur habere dignitatem, qui nomen habet dignitatis, & prærogatiuas sedendi ante alios, tàm in Choro, quàm in Capitulo, licet non habeat iurisdictionem: Tertiò, sunt, & alia nomina dignitatum, secundùm consuetudinem institutarum, vt sunt Primicerius, Præpositus, Decanus, &c.

3 Est differentia inter Personatum, Officium, & Dignitatem, quia Personatus est quædam prærogatiua in Ecclesia post dignitates, vt habere honorabiliorem locum in Choro, in Processionibus, &c., officium enim simplex in Ecclesia, est quid distinctum à Dignitate, & Personatu, vt colligitur *ex cap. Quia sæpè, & ex cap. fin. de prębendis in 6.*, etiamsi officium haberet annexam aliquam administrationē, sine tamen præcedentia, vt officium Sacristæ, &c., & ideò officium non est Dignitas, neq; Personatus, quia Dignitas habet iurisdictionem, Personatus, præeminentiam, seu honorificum locum in Choro ante Canonicos, quam non habet officium; Dignitas autem habet iurisdictionem in foro exteriori, licèt hodie non omnes Dignitates habeant iurisdictionem, & non omnes, qui habent iurisdictionem, dicuntur habere Dignitatem, quare Vicarius Episcopi habet iurisdictionem, sed non Dignitatem.

4 Dignitatem debere esse perpetuam, si sit beneficium Ecclesiasticum, quia hoc beneficij ratio postulat, si verò sit solùm nomē muneris, & officij; potest non esse perpetua: Ratio, quia munera, & officia, cum delegantur alicui, in perpetuo non delegantur.

5 Præposituram non esse Dignitatem, cùm non habeat nomen sonans in dignitate à iure communi introductum, & consequēter censetur officium, vt patet *ex cap. Dudum*, etiamsi Præpositus sederet ante omnes in Choro, quia per hoc non censetur habere dignitatem, nisi de consuetudine loci aliter sit institutum, si verò Præpositura habeat in Cathedrali primam præeminentiā, tùnc censetur Dignitas, sicut etiamsi haberet sub se Clerum, aut Capellas, Rota *in Vicentina Parochialis 20. Februarij 1611. coram Vbaldo seniore*; item Primicceriatum non esse Dignitatem, sed Officium, Plebaniam, itē Officium appellari, non Dignitatem, vt habetur *in cap. Quod Dei timorem de statu Monach.*, Prioratus non esse Dignitatem, si non sint Collegiati, & aliam præeminentiam, vel iurisdictionem in Ecclesia, quia vt sic censentur esse Dignitas, Decanatum acceptum pro simplici beneficio non esse nomen Dignitatis, nisi habeat iurisdictionē, aut pro dignitate habeatur, de iure autem nullā habet iurisdictionem; dicitur habere dignitatem, quando in Ecclesia obtinet locum Archipresbyteri, Petrus Gregorius *syntagmatum iuris lib 15 cap. 21. n 12.* Cantoriam de iure communi non esse dignitatem, sed officium simplex, Nauar. *in cap. Si quando de rescript. excep. 11.* Azor *lib. 3. cap. 2.* Thesaurarium non esse Dignitatem, sed Officium, Abbas *cons. 93.* Aretin. *cons. 23.*

6 Ad Dignitates, quibus est annexa cura animarum, nullus est promouendus, quin habeat saltem inchoatum 25. annum, sicuti etiam talis ætas requiritur ad primam Dignitatem, seu principalem Collegiatæ, cum regularitèr habeat curam animarum, si verò solùm accessoriæ tali Dignitati sit vnita cura animarum, tùnc non requiritur talis ætas, ad cæteras verò Dignitates, vel Personatus, quibus nō subest cura animarum ex Concil. Trident. *cap. 12.*, requiruntur 22. anni, quidem ad Dignitates debent esse completi. Nauar. *consil. 4. de ætate, & qualitate, &c.* Sayrus in floribus *decis. de ætate decis 4.* Lessius *lib. 2. cap 34 num. 108.*

7 Promouendus ad Dignitatem, &c., non modò debet habere ætatem præscriptam, sed etiā debet esse initiatus ordine requisito ad talem Dignitatē, vel saltē debet habere ętatē, vt infrà tēpus à iure pręscriptū, possit ordinari. Itā Trid. *sess. 22. de reform. cap. 4.*, Moneta *de distributionibus quotid. par. 2. qu. 19.*

8 Prouisi de Dignitatibus, & Canonicatibus à die adeptionis, possessionis intrà duos menses in manibus Episcopi, vel eius Vicarij, debent facere professionem fidei, & promittere obedientiam, ac iurare iuxtà formam in Concilio Tridentino traditam *cap. 12.*, & si non possunt per se, debent per Procuratorem iurare. Azor *par. 2. lib. 7 cap. 2. quæst. 6.* Zerola *in praxi Episcoporum quæst. 2. verbo, Fides professio.* Ricciolus *de iure personarū extrà gremium Ecclesiæ existentium lib. 1. cap 13.*

9 Promouendus ad beneficium illam cognitionem,

gnitionem, & scientiam debet habere, quæ talibus beneficijs est necessaria, Episcopus debet habere notitiam vtriusque testamenti, & articulorum fidei explicitè, & ideò Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 2. de reformat. dicit*; ne vllus in posterum promoueatur, nisi qui in Vniuersitate studiorum Magister, siuè Doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico meritò sit creatus, aut publico alicuius Academiæ testimonio, idoneus ad alios docendos, ostendatur, quod si regularis, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat; item *ex eodem Trident.* Promouendus ad primam tonsuram scire debet rudimenta fidei, insuper legere, & scribere, ad minores ordines requiritur, vt qui promouendus est, linguam latinam intelligat, qui Diaconus, vel Subdiaconus esse debet, quæ pertinent ad sui Ordinis munus, seu officium obeundum, qui verò Presbyter creandus *ex eodem Concilio cap. 14.*, quæ necessaria sunt ad salutem, & quæ pertinent ad ritè suscipienda, & ministranda Sacramenta.

10 Archidiaconi, Archipresbyteri, & qui Dignitatem habent, vel Personatum, vel curam animarum, ex communi sententia Doctorum, debent scire, quæ continentur *sess. 23. cap. 18. Concil. Trident.* Canonicus pœnitentiarius nemo potest eligi in Ecclesia, nisi Doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico.

11 Illiteratus penitus nō potest eligi ad beneficia Ecclesiastica, licèt satis sit, quod in beneficiatis reperiatur, scientia sufficiens, ad tale beneficiū, & illa dicitur scientia sufficiens, qua quis scit suo munere fungi, nec in hoc potest Episcopus dispensare, *hic Innoc. cap. Cum nobis de elect.* & Archidiaconus *cap. vlt. De temporibus ordinationum*, cum non possit dispensare in iure communi. Vnde si beneficiatus parum sciat, ei Vicarius adhibēdus est, si iam sit promotus, si verò nihil sciat, beneficium est ei abrogandum.

12 Ad primam Dignitatem, Episcopo absente, pertinent functiones episcopales, vt censuit Sacra Congregatio *in Bonfarensi 11. Martij 1609*. Item prima Dignitas, absente Episcopo, potest ordinare Processiones inibi, vel extra Ciuitatem, *ex eadem Sacra Congregatione in vna Tarentina 10. Decembris 1597.* Præsente Vicario ad ipsum spectat. Sacra Congr. Rituum *in Vigilien 28. Septembris 1630.*

13 Inter personas eiusdem gradus, qui maiori sunt ordine, & in eo ordine antiquiores alijs in sedendo, & incedendo, & c. præferuntur. Vnde Sacra Congregatio censuit Canonicos Presbyteros in Choro, Processionibus, debere præcedere Canonicos Diaconos, Subdiaconos, etiamsi post eos fuerunt admissi, non obstante contraria consuetudine, qua tamquam abusiua, & improbata non debet admitti. Ita Sacra Congregatio *in Squillacen. 11. Aprilis, & 20. Octobris 1601.* Stephanus Gratianus *discept. 18. num. 19.* resoluit, quod præsbiter de Canonicatu Presbyterali debet habere locum supra alios Presbyteros, supra omnes Diaconos, & Subdiaconos, licet isti sint antea recepti.

14 Consuetudo, quā Canonici obtinent locum secundum tempus admissionis, licèt Præbendæ sint distinctæ in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, quando omnes sunt Presbyteri, valet, & seruanda est, vt censuit Sacra Congregatio *in Salernensi 10. Ianuary 1604.*; cæteris verò paribus, quando Præbendæ non sunt distinctæ, ille est præferendus, qui prior est tempore in Canonicatu, præeminentia debentur antiquiori de Collegio. *M. & 2. de præfect. Prætor. l. 1. de præfect. Sacri Cubiculi.*

15 Canonici, qui habent Præbendas cum onere cantandi Euangelium, vel Epistolam, tenentur solummodo assistere dignitati, vel Canonico celebranti, non autem inferiori, item qui in eadem Ecclesia obtinet dignitatem, & Canonicatum, tenetur vtriusque onera subire, nisi seruitia ità eodem tempore concurrant, vt ab vna persona non possint exequi; Ità refert dictum Garzias *de beneficijs par. 3. cap. 2. num. 503.*

16 Dignitas prima, absente Episcopo, potest, & velut Missam solemnem, & alias functiones facere, quas Episcopi tenentur; & ideò, si vult, absente Episcopo Sanctissimū Sacramentum portare, debet Missam cantare, secus non potest Sacramentum portare, sed Canonicus, qui Missam cantauit, id tenetur facere. Si prima Dignitas noluerit functiones Episcopales facere, non potest eas alteri demandare, sed Dignitas post ipsam sequens, vel Canonicus primus, & successiuè per ordinem, debet dictas functiones exercere. Sacra Congregatio rituum *in Andrien. 20. Decembris 1601. & 9. May 1606. & in Mediolanensi 28. Aprilis 1607.*

17 Dignitas prima debet omni Pluuiali assistere Episcopo cantanti Missam solemnem, & ad ipsam spectat candelam benedictam, ac Palmam Episcopo ferre, nisi fuerit iusto impedimento detenta; item debet Episcopo venienti in Ecclesiā porrigere aspersorium aquæ benedictæ in porta Ecclesiæ, Sacra Congregatio rituum *in Brundusina 16. Iuly 1605.* item debet sedere à dextris sui Episcopi tam in Collegiatis, prout in Cathedrali, Sacra Congregatio *in vna Thelesina 2. Martij 1602.*

18 Dignitates in Choro ita sedere debent, absente Episcopo, vt si primus locus à dextris detur Vicario, à sinistris detur primus locus Archidiacono; secundus verò Dignitati tertius locus post Vicarium, Sacra Congregatio rituum *in Andrien. 23. Septembris 1610.*

19 Iure communi non possunt in eadem Ecclesia haberi simul Dignitatem, & Canonicatum, quoniam duo beneficia, siuè similia, siuè dissimilia, sine Pontificis Romani auctoritate haberi nequeunt, *cap. Litteras de concess. prebend.*, & Doctores *ibidem*. Licèt consuetudine, vt ante Concilium Tridentinum, introductum esset, vt quis in eadem Ecclesia Dignitatem simul, & Canonicatum haberet.

10 Habens Dignitatem, Personatum, vel Officium in Cathedrali Ecclesia, sine Canonicatu de iure non habet ius eligendi, nec ferendi suffragium: Ratio, quia vt colligitur *ex cap. Nouit*, & *cap. Quanto* de iis, quæ fiunt à Prælatis; Canonici, & Episcopus vnum Collegium quasi vnum Corpus efficiunt, vbi nihil dicitur de aliis, qui Canonicatum non habent, priuilegio autem, consuetudine, & statuto, qui Dignitatem citrà Canonicatum habet, potest suffragium in Collegio Canonicorum ferre, & ità Abbas.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum, De Dignitatibus, &c.

SVMMARIVM.

1 *Bona Ecclesiastica non acquiruntur iure Consanguinitatis.*
2 *Episcopo non licet ordinare aliquem sine titulo.*
† *Bona Ecclesiarum communia nemo debet tamquam propria sibi vindicare.*
3 *Episcopus, qui aliquem ordinauit sine titulo, tenetur ei prouidere, vel etiam si litteras Dimissorias dederit.*
4 *Episcopi non debent permittere aliquem plures Ecclesias habere.*
† *Ad mandatum Papæ non est prouidendus ille, qui tacuit habere beneficium.*
5 *Ecclesias plures habens, quid debeat facere.*
† *Præbenda, &c. non sunt diuidenda.*
6 *Receptus in Canonicum ex promissione Capituli, debet quamprimum de Præbenda prouideri.*
† *Regulares non possunt diuidere suas Parochias, &c.*
† *Ex Concilio Tridentino, hodie quomodo sit licitum.*
7 *Prælatus, &c. possunt vacanti Præbendæ imponere onus.*
† *Vicarius præsentatus à Monachis debet habere congruam sustentationem.*
8 *Dignitates plures, &c. non potest quis habere in vna Ecclesia.*
† *Dignitates plures habens, alteram dimittere compellitur.*
9 *Episcopus, &c. quando teneatur ministrare necessaria ordinato sine titulo.*
† *Conferens Præbendam, quam conferre non poterat, tenetur primam vacaturam ei conferre.*
10 *Habens plures Dignitates, ad Beneficium eligi non potest.*
† *Item si ante confirmationem, præsumat ministrare, eius electio cassatur.*
† *Per patientiam multa tolerantur, quæ in iudicio non tolerantur.*

1 Consanguinitatis iure non succeditur in bonis Ecclesiasticis, *ex cap. Vt nullus 1. de Præbend. & Dignitatibus.* Vndè regressus in beneficijs, quia habent speciem successionis hæreditariæ, sublati sunt per Concilium Tridentinum *sess. 25. de reformat. cap. 7.*

2 Episcopo non licet ordinare Clericos, nisi vel habeant titulum, vel ipse Episcopus illis det, vndè viuant, *ex cap. Non licet 2.* Bona Ecclesiarum cum communia sint, nemo debet tamquam propria sibi vindicare, *ex cap. Ratio 3. de Præbend. &c.*

3 Episcopus, qui aliquem ordinauit ad sacros Ordines sine titulo, tenetur ei prouidere de suo, donèc assignet aliquem titulum in Ecclesia vnde viuat, *ex cap. Episcopus 4.*, vel etiamsi litteras Dimissorias dederit ad sacros Ordines non habenti vnde viuat, Vgolin. *de officio, & potestate Episcopi, cap. 26. §. 15.*, & alij.

4 Episcopus non debet permittere quod vnus Clericus plures Ecclesias habeat, *ex cap. Quia interdum 5.* Papæ Mandatum, quòd prouideatur alicui de beneficio, non est exequendum, si ille habet beneficium sufficiens, vel sine scandalo prouideri non potest, *ex cap. Cum teneamur 6.*

5 Ecclesias duas habens, vnam potest retinere, & alteram Ordinarius debet dare non habenti aliam Ecclesiam, *ex cap. Referente 7.* Præbendæ Dignitates non debent diuidi, nec earum facienda est permutatio, *ex cap. Maioribus 8.*

6 Receptus in Canonicum, si ei promissa est Præbenda, debet de ipsa ei quamprimùm prouideri, quia non est congruum eum carere Præbenda, *ex cap. Relatum 9.* Regulares in Ecclesijs suis non possunt diuidere Parochias, nec diminuere redditus, & portiones, quas consuetum erat dare Parochis, & Clericis Sæcularibus, qui eorū Ecclesijs inseruiunt, nisi adsit consensus Episcopi Illorum, *ex cap. Auaritiæ 10.* Hodie ex Concilio Tridentino *sess. 21. de reformat. cap. 4.* ob locorum distantiam, &c. licitum est diuidere Parochias, tàm Sæculares, quàm Regulares.

7 Prælatus, & Capitulum possunt Præbēdæ vacanti imponere onus licitum, & honestum; V. gr. Quotidiè celebrandi Missā de Sancta Maria, &c. *ex cap. Significasti 11.* Episcopus non debet acceptare Vicarios per Monachos præsentatos pro suis Ecclesijs, nisi coram illo assignentur redditus sufficientes ad congruam sustentationem, ad iura Episcopalia soluenda, ad hospitalitatem sectandam, &c. *ex cap. Monachis 12.* Et ex hoc textu colligitur in Ecclesijs, quæ non pleno iure spectant ad Religiosos, ponendos esse Vicarios perpetuos, & secùs in ijs Ecclesijs, quæ pleno iure spectant ad Religiosos; ita Textus *in Clement. 1. de Excessibus Prælatorum.* Ratio, quia in istis non est necesse Institutio, cum titulus principalis sit penès Monasterium; & prætereà nunquam vacare dicuntur.

8 Clericus in vna Ecclesia nō potest obtinere plures Dignitates, vel Personatus, vel etiam in diuersa Ecclesia, *ex cap. Ad hæc 13.* Habens plures Dignitates, vna retenta, alteram dimittere compellitur, *ex cap. Præterea 14.* Beneficiatus electus ad vnam Ecclesiam, debet priorem dimittere, quia nō est conueniens, vt vnus habeat locum in duabus Ecclesijs, *ex cap. Cum non ignores 15.*

9 Quando quis ordinatur sine titulo in Subdiaconum, nemine præsentante, Episcopus, vel eius successor, debet ei ministrare necessaria, donèc eūdem prouideat de Beneficio competenti, *ex cap. Cum secundùm 16.* Ignoranti scienter conferens Præbendam,

dam, quam conferre non poterat, tenetur primam vacaturam eidem conferre, ne videatur fraudulenter primam cõtulisse; & si secùs fecerit, irritum est factum, *ex cap. Inter cætera 17.*

10 Habens plures Dignitates, ad Beneficiũ eligi non potest, sine dispensatione, *ex cap. Cum iam dudum 18.* Item si electus ante confirmationem, præsumat ministrare, cassatur eius electio, etsi post cassatam electionem, adhuc ministrat, fit ineligibilis, *ex eod. cap.* Item per patientiam multa tolerantur, quæ si deducantur in iudicium, non tolerantur, *ex eodem cap.*

PARAGR. II.
Continuatio Materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Recepto in Canonicum, &c. debetur prebenda, quam citò se obtulerit.*

† *Electio non tenet, cum ad vnam prebendam duo simpliciter eliguntur.*

2 *Iudex Compromissarius factus inter duos electos, quomodo se debeat gerere.*

3 *Canonici priuilegiati à Papa super certo numero, si ipsum non seruarunt, exceptione numeri, vti non possunt.*

4 *Ordinari potest in Sacris, qui habet sufficiens patrimonium, &c.*

† *Clericus absens per alium, &c. inuestiri potest de Beneficio Ecclesiastico, &c.*

† *Duo, vbi ad vnam Canonicatum, &c. sunt simpliciter excepti, receptio non tenet, etiam interueniente auctoritate Apostolica.*

5 *Episcopus ex causa, &c. potest diuidere vnam Prabendam.*

† *Papa si mandat Capitulo, vt conferat alicui Prabendam, &c. si alteri conferatur, tenet collatio.*

6 *Recipiens secundum beneficium, &c. primum censetur vacare.*

7 *Qui post monitionem, &c. confert beneficium indignis, suspensionem incurrit.*

† *Rector debet habere sufficientem portionem.*

8 *Regulares pro Ecclesijs suis debent præsentare Viros idoneos.*

9 *Absens causa studij, &c. iustè percipit fructus sui Beneficij.*

† *Episcopus, quando Prabendis possit annectere Capellas, &c.*

10 *Ecclesia beneficium conferens ex donatione Laici, tenet eius collatio, de hoc mentione non habita.*

† *Pueri, & Beneficiati, qui non possunt in Ecclesia deseruire, habentur pro non idoneis.*

11 *Vna Prabenda non debet diuidi, vt alia integretur.*

† *Clerici ignobiles, &c. non debent à Prabendis expelli.*

12 *Papa quando mandat alicui, vt prouideat, intelligitur de Beneficio simplici.*

1 Recepto in Canonicum cum stallo in Choro, quam citò facultas se obtulerit, debet ei assignari Præbenda, & participat de distributionibus, *ex cap. Dilectus Filius 19.* Electio non tenet, cum ad Præbendam duo simpliciter eliguntur, quia nec Præbenda potest diuidi, nec vnus expectare, *ex cap. Tua 20.*

2 Iudex Compromissarius factus inter duos Electos ad aliquam Dignitatem, poterit vnum confirmare, & alteri pro bono pacis de prouentibus prouisionem facere, ad quam præstandam tenebitur tantum promissus, & non eius successor, *ex cap. Nisi essent 21.* Dummodo tamen non interueniat pactum de tali prouisione reseruanda.

3 Canonici priuilegiati à Papa super certo numero Canonicorum, quem ipsi deinde non seruant, si Papa vult aliquem admitti supra numerum cum stallo, distributione, &c. non possunt vti exceptione numeri, imò tenet excommunicatio contra ipsos, *ex cap. Pro illorum 22.*

4 Non Beneficiatus dummodo habeat legitimum patrimonium, potest ad Sacros Ordines promoueri, dummodo non habeat Canonicum impedimentum, *ex cap. Tuis quæstionibus 23.* Clericus absens per aliũ, vel alius magis pro ipso, potest beneficio inuestiri, *ex cap. Accedens 24.* Quando duo ad vnum Canonicatum sunt simpliciter electi, vel ad Præbendam, Electio est nulla, etiam interueniente Apostolica auctoritate; & si agatur cum vno, & condemnetur; Condemnatio ista nocet alteri, & alter etiam condemnari debet, *ex cap. Dilecto 25.*

5 Episcopus ex causa rationabili potest diuidere vnam Præbendam, dummodò quælibet portio sit sufficiens ad sustentationem honestã, aliàs tenetur reintegrare Præbendam diuisam, *ex cap. Vacante 26.* Papa si mandat Capitulo, vt conferat alicui Præbendam, quæ vacat, & Canonici alteri conferunt, collatio tenet, sed tenetur præsentare acceptatum Papæ in Canonicum, & prouidere de redditibus, donèc Præbendã assequatur, *ex cap. Dilectus 27.*

6 Beneficium Curatum, vel Personatum habens, si secundum simile receperit, vacat primum, quòd si retinere cõtenderit, etiam secundo priuabitur, & is, ad quem spectat Beneficij curati collatio, licitè cõfert statim, ac Institutus aliud recepit, & si intra sex menses non conferat, deuoluitur ad alium collatio, *ex cap. De multa 28.* Item cum sublimibus & honoratis personis Papa potest dispensare circa pluralitatem Beneficiorum incompatibilium, *ex eod. cap.*

7 Suspensionem incurrit à Beneficiorum collatione, qui post primam, & secundam nominationem factam à Concilio Prouinciali adhuc beneficia confert indignis, *ex cap. Graue nimus 29.* Rector Ecclesiæ, non obstante consuetudine in contrarium, debet de redditibus Ecclesiæ habere sufficientem portionem, *ex cap. Exstirpanda 30.*

8 Regulares pro Ecclesijs, quæ pleno iure ad ipsos non pertinent, debent præsentare Viros idoneos instituendos Episcopis, *ex cap. In Lateranensi 31.*, quia Institutio ad ipsos non pertinet, sed Episcopum.

9 Absens causa studij in Sacra Pagina iustè percipit in absentia fructus beneficij sui, non autem quotidianas distributiones,

nes, *ex cap. Licet 32.* Episcopus propter paupertatem præbendarũ Ecclesiæ Cathedralis eis annectere potest Capellas, reseruata ipsorum Presbyterorum congrua portione. *Ex cap. Exposuisti 32.*

10 Beneficium impetrans, & non faciens mentionem, quòd confertur ex donatione Laici, adhuc impetratio est bona; & litteræ executioni mandandæ sunt, *ex cap. Dilectus 3. 34.* Pueri, & Beneficiati, qui non possunt in Ecclesia deseruire, in ea non debent idonei reputari, *ex cap. Inordinata 35.*

11 Non debent rescindi vna Præbenda, vt alia integretur, *ex cap. Cum causam 36.* Clericus quamuis ignobilis, & non imminentis scientiæ debet admitti ad Præbendam, etiamsi in Ecclesia sit consuetudo in contrarium, *ex cap. Cum Venerabilis 37.*

12 Papa quando mandat alicui, vt prouideat, vel prouideri faciat in aliqua Ecclesia, intelligitur tantum de beneficio simplici, & non de Rectoria, vel Dignitate, *ex cap. Cum olim 38. de Præbend. & Dignitatibus, &c.*

PARAGR. III.
Decreta Summorum Pontificum, ac Sacræ Congregationis, De Dignitatibus.

Dignitates, & Officia iurisdictionis administrationem habentia ambiens, & pretio procurans qualitèr puniantur. Pius V. *constit. 140. incip. Et si Romani Non. Decembris 1571.*

Dignitas Cardinalatus est maior, & dignior Episcopali. Eugenius IV. *in sua constit. incip. Non mediocri 1439.*

Dignitas vbiquè locorum sequitur eam obtinentem. Sac. Congr. Rit. *in Thelesina 2. Martij 1602.*

Dignitates, & Canonici tenentur assistere Episcopo ordinationem facienti, & sacra olea consecranti. S. Congr. Rit. 20. *Decemb.* 1601.

Dignitates Cathedralis debent præcedere omnes dignitates Collegiatarum Diœcesis in omnibus locis, præterquàm in ipsorum Collegiatis Ecclesijs. Sac. Congr. Rit. *in Caputa 30. Septembris 1614.*

Dignitates, & Canonici, qui habent præbendas cum onere cantandi Euangelium, seù Epistolam, non tenentur ministrare inferioribus. Sac. Congr. Rit. *in Salamantina 10. Ianuarij 1604.*

Dignitatum absentium Sedes non debēt occupari ab alijs dignitatibus, seù Canonicis, sed vnaquæque in proprio stallo permanere debet.

Dignitas prima post Pontificalem debet, absente, vel impedito Episcopo, celebrare Missas solennes, & alias functiones facere, quas Episcopus faceret, &c. S. Congr. Rit. *in Callien. 18. Ianuary 1605.*

Dignitas prima, quæ vult portare Sanctissimum Sacramentum in Processione, absente Episcopo, debet Missam cantare, quòd si noluerit, debet Sanctissimum Sacramētum portare ea dignitas, vel Canonicus, qui Missam celebrauerit. Sac. Congr. Rit. *in Baren. 19. Ianuary 1608.*

Dignitas prima debet exercere officium Presbyteri assistentis, & ad ipsum pertinet cum pluuiali assistere Episcopo, & candelam benedictam, ac palmam Episcopo ministrare. Sac. Congreg. Rit. *in Brixien. 28. Maij 1616.*

Dignitas prima sedere debet à dextris Episcopi, etiam in Collegiatis Ecclesijs celebrantis, prout in Cathedrali sedere consueuit. Sac. Congr. Rit. *in Thelesina 2. Martij 1602.*

Dignitas prima, etiamsi sit Prothonotarius, quando priuatè celebrat, non debet paramenta accipere in ipso Altari, sed ex Sacrestia, &c. debet paratus ad celebrandum accedere, cui vnus tantùm minister debet inseruire. Sac. Congr. Rit. *in Cremonen. 7. Iuly 1612.*

Dignitatem, & Canonicatum in eadem Ecclesia legitimè obtinens tenetur vtriusque onera subire, nisi seruitia simùl ità concurrant, vt ab vna persona eodem tempore nequaquam præstari possint. S. Congr. Concil.

Dignitas principalis in Collegiata Ecclesia exempta, cui ordinaria iurisdictio cum omnibus iuribus quasi Episcopalibus cōpetit, non debet necessariò conferri licentiato, vel Doctori. S. Congr. Concil.

Dignitatem tenuem habenti in Ecclesia Cathedrali, quæ de distributionibus quotidianis non participat, Ecclesia Parochialis inconsulto Papa conferri non potest. Sac. Congr. Concil.

Dignitas non curata in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, vt possit obtineri, requiritur ætas 22. annorum. S. Congr. Concil.

Dignitati curatæ potest vniri alia dignitas ex causa paupertatis iuxtà decretum Cōcilij *sess. 21. cap. 5. de reformat. & sess. 24. cap. 15.*, eamque vnionem facere potest Abbas, si sibi hanc facultatem vniendi legitimè præscripsit, aut ex priuilegio in Ecclesia sibi pleno iure subiecta iurisdictionem quasi Episcopalem in omnibus habet, & per omnia, alioquin vnio est facienda per Episcopum cum consensu ipsius Abbatis, & Capituli. S. Congr. Concil.

Dignitates duas legitimè obtinens residere debet in digniori, & fructus alterius lucratur, non tamen distributiones, & eam partem tertiam præbendæ, quæ auctoritate decreti *sess. 22. de reform. cap. 3.* in quotidianis distributiones est conuersa. S. Congr. Concil.

Dignitatem exemptam potest Episcopus visitare in concernētibus curam animarum illi annexam. S. Cong. Concilij *in Burgen. 18. Augusti 1628.*

Dignitate, vel Canonico solennitèr celebrante, Canonici paritèr pro Diacono, & Subdiacono, & non alij inferiores inseruire debent. S. Congr Rit. *in Sipuntina Montis Gargani 8. Martij 1631.*

Dignitates Cathedralis duplici tantùm ductu thuribuli thurificari debent, nisi for-

mitèr

militer probetur immemorabilis, quòd triplici ductu thurificentur, absente Episcopo. Sac. Congr. Rit. *in Caserian. 18. Septemb.* 1632.

TITVLVS XVI.

De renunciatione, & resignatione beneficij in genere.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiatus potest renunciare suo beneficio.*
† *Quando possit cogi ad id faciendum.*
2 *Renunciatio est duplex.*
† *Resignationis puræ quatuor sunt species.*
3 *Vnde nascatur obligatio ad restituendos fructus perceptos.*
4 *Renunciatio quid sit.*
† *Ad renunciationem quæ requirantur.*
5 *Pura renunciatio in manibus Episcopi fieri potest.*
† *Renunciatio conditionalis, &c. solùm coram Papa fieri potest.*
6 *Causa renunciationis quot sint.*
7 *Laicus ad renunciandum Procurator esse potest.*
† *Solus absens per Procuratorem potest resignare.*
8 *Quæ sit resignatio cum reseruatione fructuum, &c.*
9 *Quæ sit resignatio cum regressu, accessu, & ingressu.*
10 *Resignatio cum accessu, &c. solius Papæ authoritate fieri potest.*

1 QVilibet beneficiatus potest beneficio renunciare scripto, vel verbo per se, vel per Procuratorem, & beneficiatus, qui à Superiore perijt licentiam renunciandi, si posteà mutet sententiam, potest cogi ad id faciendum, ità *ex cap. Quidam,* præter quẽ casum etiam ponuntur duo, in quibus beneficiatus potest cogi ad renunciandum: Primò, quando commisit delictum, ob quod ius ponit priuationem officij: Secundò, quando pœna Ecclesiastica debetur iure naturali, quia ad id, quod est iure naturæ, statim quilque in conscientia tenetur.

2 Renunciatio est duplex, vna expressa, & altera tacita; expressa renunciatio contingit, quando quis per se, aut per Procuratorem dato mandato, renunciauit ius beneficij per verba significantia manifesta, liberèque prolata, quæ duplex esse potest, vna pura, & altera conditionata. Pura est, quæ absolutè fit sine pacto, & conditione, cuius quatuor species esse possunt: Prima est, quæ fit in fauorem certæ personæ, & non aliàs, vel alio modo: Secunda, quæ fit cum pensione constituta in beneficio resignato, vel in persona acceptante resignationem iuxtà caput, *Nisi esset de prabendis:* Tertia, fit cum regressu: Quarta, denique ex causa permutationis, & non aliàs, vt cum quis beneficium dimittit, ea conditione, vt alterius beneficium simile, vel dissimile sibi conferatur; tùnc enim vnus suum beneficium cum alterius beneficio commutat, ac propterea vterque suo beneficio se abdicat, vt alterius beneficium obtineat, tacita etiam dupliciter contingit, vno modo ex actu, per quem priuatio beneficij inducitur ipso iure, vt per contractum matrimonij, &c. altero modo ex præsumpta voluntate, quia quis renunciasse censetur, cum litteras, & instrumenta resignat in manibus Superioris.

3 Omnis obligatio iuris naturalis ad relinquendum beneficium, vel ad restituendũ fructus perceptos, nascitur ex eo, quod beneficiatus omittit officiũ, propter quod datur beneficium. Vndè sequitur rectè rationi aduersarij, vt beneficium retineat, vel fructus capiat is, qui non potest, aut qui non vult officium, propter quod ipsum datur, exercere, quod tribus modis potest contingere: Primus est, quando beneficiatus habet essentiale impedimẽtum, vt si vxorem duxerit, vel professionem emiserit, item si nolit suscipere ordines, vel acquirere scientiam, quam tale beneficium requirit: Secundus est, quando beneficiatus habet tantùm impedimentum accidentale officij, hoc est, quo durante, potest exercere officium, sed peccauit exercendo, quia est censura Ecclesiastica irretitus: Tertius modus est, quando beneficiatus nullum impedimentum habet, sed non vult officium ipsum facere, nam vel debet se emendare, vel resignare beneficium alteri, ac pro rata tẽporis, quo cam primã voluntatẽ retinendo officium habuit pceptos fructus restituere debet, atq; damna, si quæ tulerit Ecclesiæ, resarcire.

4 Renunciatio est spontanea iuris proprij dimissio. Ità Hostien. *in sum. tit. de pact. §. 1. num. 6.* siuè, vt alij loquuntur, Renunciatio est legitima beneficij dimissio à Superiore admissa, in qua definitione omnia requisita ad renunciationẽ sunt, legitimus autem Superior censetur ille, qui habet potestatẽ instituẽdi, & destituẽdi. Glos. *in Clem. vnic. de renunciat.* Azor. *par. 2. lib. 7. cap. 19. quæst. 7.* & ideo cùm ad renunciationem requiratur admissio Superioris, idcircò beneficium non censetur vacare ante admissionem Superioris, cùm autem inter resignationẽ beneficij, in quo resignans habet ius in re, & cessionem illius, in quo resignans habet ius ad rem, quia in priori, cùm sit vera renunciatio, requiritur acceptatio Superioris, in secundo verò non requiritur, vt in manibus Superioris celebretur, sed sola partis dimissio sufficit, & ità Glos. *verb. Renunciatione in cap. Si electio de elect. in 6.* Valet tamen renunciatio beneficij facta à Parocho volenti transire ad Religionem, etiãsi in renunciatione non adsit consensus Episcopi, quia quamuis Parochus acceptando beneficium, obligetur actu, id tamen intelligendum est, manendo in eodem statu, non verò mutando illum in alium eminenter meliùs, qualis est status Religionis, nec Parochus quoad mutationem in statu Episcopo obligatur, ac omnino melioris boni sub prædicta obligatione cadere non potest.

5 Puram renunciationem in manibus Episcopi fieri posse, renunciatio verò conditionalis solùm coram Papa fieri potest, & ideo posse quemlibet beneficiatum suum beneficium cum accessu, regressu, pensione, in fauorem, aut sub quolibet conditione

ne coram Romano Pontifice renunciare Episcopum non posse, reiecta conditione, renunciationem conditionatam acceptare tamquàm puram. Decius *in cap. Cùm Venerabilis num.18.de except.* Paris.*consil.10.num.18. lib.4.*& alij. Neque per tàlem renunciationem ius à resignante abdicatur, imò habetur resignatio pro infecta, si cum prædicta conditione, & qualitate acceptata fuerit. Vndè simonica est renunciatio facta coram Ordinario sub conditione retinẽdæ pensionis, aut alterius rei temporalis. Suarez *lib.4.de simonia cap 35. num.22.* Filliuc. *tom.3.tract.45.cap.8.quæst.10 num.34.*& alij.

6 Causæ renunciationis sunt sequentes: Prima conscientia criminis, quòd impediat ordinis executionem: Secunda, corporis debilitas, siuè senectus, quare datur impotens ad ordinis executionem: Tertia, defectus scientiæ, qui impediat executionem officij: Quarta malitia plebis, propter quam Pastor non possit tradere doctrinã necessariam: Quinta, graue scandalum in vita doctrina, aut iustitia: Sexta, irregularitas, cùm prohibeat ordinis executionem.

7 Quando renunciatio, siuè resignatio fit per Procuratorem, qui ad resignandum etiam Laicus esse potest, & ideò solus absens per Procuratorem renunciare potest, & ad renunciandum per Procuratorem requiritur scriptura à publico Tabellione confecta, in qua absens mandatum tradat suo Procuratori subscriptum à Tabellione, & publico signo firmatum, & beneficium dicitur vacare in loco, vbi Procurator resignat. Paris.*quæst.14.* Azor.*quæst.15.*

8 Resignationẽ cùm reseruatione fructuũ esse illam, in qua resignans transfert in resignatarium solùm ius, & titulum beneficij, reseruatis sibi fructibus, quæ resignatio solùm cum dispensatione Papæ fieri potest, & iusta causa. Azor *cap.22.quæst.12.* Resignatio cum reseruatione omnium fructuum est inualida, verùm si Papa admittat solùm pro medietate, tùnc valet. Azor. *cap.22.quæst.12.*

9 Resignatio cum regressu est, quando resignans habet ius propria auctoritate ad beneficium resignatum regredi, si resignatarius, cuius gratia beneficium remissum fuit, præmoriatur: resignatio cum accessu, cum resignans habet ius, postquàm legitimam ætatem adeptus fuerit, vel purgatus aliquo crimine, vel liber à censura, vel irregularitate accedendi ad beneficium, & capiendam possessionem illius, quòd antea nõ obtinuerat: resignatio cum ingressu est, cùm resignans habet ius propria auctoritate ingrediẽdi possessionem illius beneficij dimissi; si resignatarius præmoriatur, cuius habebat titulum, sed non possessionem; vndè regressus supponit habuisse titulum, & possessionẽ; ingressus solum titulũ absq; possessione, accessus neutrũ, sed solum ius ad illud sic habendum, impedimento remoto ætatis, criminis, censuræ, irregularitatis, &c. Rebuff.*in prax.par.3.* Azor.*cap.20.quæst.2.*& alij.

10 Resignationem cum regressu, accessu, & ingressu, solius Papæ auctoritate fieri posse, sicut etiam resignatio in fauorem tertij, quæ solùm auctoritate Papæ fieri potest, non autem coram Ordinario, coram quo resignatio debet fieri purè, & absolutè, vt colligitur *ex cap Cum pridem, cap. fin.de pactis,* qui tamen absolutè resignaret, animo tamen vt daretur alteri, non esset simoniacus, Gloss.*in cap.ex parte de offic.Iud.delegat.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Omnia beneficia renunciari possunt.*
2 *Qualitates resignationis.*
3 *Renunciationis effectus.*
4 *Promulgatio resignationis est facienda.*
† *Resignatarij intra quod tempus teneantur apprehendere possessionem, &c.*
† *Publicatio vbi facienda.*
5 *Resignatio pura non est materia simoniæ.*
† *Nec resignatio sub conditione.*
† *Renunciatio suspensiua non potest fieri, nisi in manibus Papæ.*
† *Conditio dupliciter consideratur, &c.*

1 OMnia beneficia quamuis maxima renunciari possunt, vnde Papatus, Cardinalatus, &c. renunciari possunt, sicut etiam Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus renunciari possunt in manibus Papæ, non autem in fauorem; cætera verò beneficia ijs inferiora multò magis renunciari possunt; item beneficia iurispatronatus cum consenso patroni renunciari possunt, interest enim ipsis, ne beneficiati ea dimittant, ipsis spretis; item electiua cum consensu eligentium resignari possunt, similitèr beneficia exempta renũtiari possunt, sed solùm coram Papa; beneficia vnita non possunt resignari, quia beneficium vnitum non est ampliùs beneficium, nisi resignatio fieret in Curia in fauorem alicuius, cum narratiua vnionis, si enim Papa admitteret, vtique resignari possunt; beneficia, super quibus concessæ sunt expectatiuę, resignari non possunt, vltimò reseruata resignari possunt etiam coram Ordinarijs; reseruatio afficit beneficium, quòad potestatem conferendi, nõ autem quòad potestatem renunciandi, nõ possunt tamen Ordinarij ea conferre; beneficium verò, ad cuius titulum quis ordinatus est, resignari non potest, *ex Concilio Tridentino sess.21.cap.2.*, nisi haberet is aliundè, vndè viueret, factaque de hoc mentione in supplicatione; pensiones resignari non possunt in fauorem alterius, nõ enim sunt beneficia, possunt tamen transferri in alium de licentia Papæ.

2 Requiritur, quòd resignatio fiat spontè; quia si erit facta coactè, vel per vim, aut metum, nulla erit, Abbas *cap. Ad audientiam, de his, quæ vi, aut metu causa fiunt*, Rebuff. *in prax. benefic. tit. de resignat. metu extorta, & tit de vi in resignatione adhibita.* Reginald.*lib.30. tract. 3. num. 246.* Azor.*par. 2. lib. 7. cap. 27.quæst.2.* Actus enim gesti proptèr metum veniunt

rescin-

rescindendi. Sanchez *de matrim. lib. 4. disput. 8. num. 4.* & alij.

3 Primus renunciationis effectus est per resignationem à Superiore admissam, beneficium ipso iure vacare, cum renuncians ius omne, quod in beneficio habebat, amittat: Secundus, non posse beneficiatum post simplicē renūciationem, possessionem beneficij ampliùs retinere, aliter verò dicendum de resignatione cōditionali: Tertius effectus est, non posse renunciantem post admissam renūciationem beneficij fructus ampliùs percipere, cùm per illam Canonicus titulus sit extinctus, sine quo beneficium iustè possideri nequit: Quartus effectus est, non teneri resignantem, post admissam resignationem, pensionem super beneficio impositā ampliùs soluere, quia cùm pensio sit onus reale super fructibus beneficij impositum, & resignans, post admissam resignationem, fructus ampliùs percipere nequeat, rectè sequitur resignātem ad futuras pensiones, & cætera onera realia non ampliùs obligari, fallit tamen hæc regula in renunciatione conditionali, quando resignans post admissam renūciationem, etiam facit fructus suos, quia tùnc tenetur etiam ad pensiones, & onera realia: Vltimò non teneri resignantem, post admissam resignationem, ad horas Canonicas, nisi ad eas recitandas, ratione Sacri Ordinis, aut aliundè obligetur. Nauarrus *in tract. de horis canonicis cap. 7. num. 19.* Quia cùm ad id, ratione beneficij teneatur, eo dimisso, cessat obligatio.

4 Promulgatio resignationis est faciēda, & hoc ad tollendas fraudes, & incommoda occultarum resignationum, & ideò publicari debent intrà sex menses, si beneficium fuerit intrà Montes à die datæ supplicationis, debent fieri in Ecclesia ipsius beneficij, & etiam in Cathedrali, si beneficium erit in ipsa, dum multitudo ad audiendam Missam cōuenerit; item resignatarij intra idem tempus tenentur apprehēdere possessionem beneficiorum resignatorum, de quibus omnibus requisitis ad publicationē videnda est constitutio Gregorij XIII., quæ incipit, *Humano vix iudicio*, quæ mandat, vt fuit dictum, quod publicatio faciēda sit in Ecclesia beneficij resignati, vel in Cathedrali Ecclesia, aut Metropolitana, aut alia superiori Ecclesia, cui beneficium resignatum subest, modo, quo fuit dictum, siuè diebus festiuis, siuè non exhibitis litteris Apostolicis, vel transumpto eorum in forma autentica, & declaratione qualitatis beneficij, nominis, & cognominis resignantis, ac illius, in cuius fauorem eiusmodi gratia facta est, afficitur etiam valuis Ecclesię Diploma, quòd contineat ea, quæ dicuntur in constitutione Gregorij XIII., nimirùm resignationem, ac beneficij qualitatem, & inuocationem, nomina, & cognomina resignantis, & resignatarij.

5 Resignationē puram non esse materiam simoniæ, eaque, non modò potest fieri in manibus Papæ, sed etiam in manibus inferiorū Prælatorū, exceptis tamē Episcopatibus, & similibus, quæ sunt Papæ reseruatā; itē resignationē sub cōditione nō cōtinere simoniā cō trà Ius Diuinū. Sotus *lib. 9. quæst. 7 art. 2.* Cou. *1. var. cap. 5. nu. 3. & 5.* Syluest. *verbo renunciatio quæst. 6.* & alij. Ratio, quia nō datur in ea spirituale pro temporali, sed datur gratis certæ personæ, quod per se malum non est, sed solùm malum, quia prohibitum, quia non potest quis se spoliare beneficio absque auctoritate Prælati, *cap. Nisi cum pridem de renunc.* ytnec conferri alteri, nisi per Prælatum, renunciatio verò suspensiua non potest fieri, nisi in manibus Papæ, & ab inferioribus ea admittenda non est. Verùm quia conditio dupliciter potest considerari: Primò, vt retineat naturam rigorosæ conditionis, quæ est suspendere actum, & ità inducit obligationem Prælato, vt non possit dare beneficium, nisi adimpleta conditione: Secundò, vt se habeat tanquàm modus seruandus in prouisione beneficij post resignationem, vt scilicèt Prælatus obligetur ad illum seruandum, priori modo Prælati ex antiqua consuetudine non admittunt tales resignationes. Ità Archidiaconus *cap. Quicumque 1. quæst. 1.* Redoan. *1. par. cap. 25.* Nauar. *cap. 23. num. 107.*, & ideò talis resignatio censetur Papæ reseruata, Episcopus tamen absque labe simoniæ potest acceptare, & conferre beneficium personæ designatæ, dummodò id non faciat ex obligatione, & pacto; sed tantùm liberè consentiens temere resignationi, quia non confert spirituale proptèr aliquid temporale; posteriori modo non posse Prælatum inferiorem acceptare talem resignationem absque licentia Papæ, & dare beneficium iuxtà modum appositum à resignante, etiamsi id non faciat ex vi illius, sed ex libera voluntate sua, & ità communitèr DD. Ratio, quia talis resignatio est simoniaca, cùm sit prohibita fieri in manibus inferioris Papæ.

P A R A G. II.

Textus Sacrorum Canonum de renunciatione.

S V M M A R I V M.

1 *Episcopo seni non datur licentia cedendi, si vtilis sit Ecclesiæ.*

† *Beneficio, qui abiurat licitè, potest illud, si eligatur, obtinere.*

2 *Beneficio, qui renunciauit, illud repetere non potest.*

† *Beneficiatus sine licentia sui Prælati beneficio renunciare non potest.*

† *Exceptio de spontanea abiuratione admittitur contrà petētē beneficiū, super quo fuit canonicè institutus.*

3 *Non est audiendus, qui electioni de se factæ renūciauit.*

† *Renuncians litteris beneficialibus, &c. non censetur renunciare institutioni iam factæ.*

† *Renunciatio beneficij facta in manibus Laici nō tenet.*

4 *In quibus casibus Papa concedat Episcopis licentiam cedendi Ecclesijs.*

† *Qui petijt licentiā cedēdi, &c. potest cogi ad cedēdū.*

† *Iuri suo renuncias, qui gratia aduersarij se submittit.*

5 *Episco-*

5 *Episcopus, si fiat Monachus, quando possit reassumi.*
6 *Prælatus, si ab obedientia subditos absoluat, non propter hoc Prælatura renunciat.*
† *Abbas exemptus sine licentia Papæ renunciare non potest.*

1 Episcopus licèt sit senex, & se insufficientem consideret, si tamen est vtilis Ecclesiæ, non datur ei licentia cedendi Ecclesiam personæ incognitæ, satius est enim sub vmbra ipsius nominis gubernari, *ex cap. Litteras 1. de renunciat.* Beneficio, qui renunciat, iurando se non repetiturum, sed deinde auctoritate Papæ eligitur à maiori parte, potest beneficium retinere, quia iuramentum non impedit, cùm non extendatur ad actus futuros non præcipitatos, *ex cap. Cum inter 2. de renunciat.* Gutier. *de iuramento confirmatorio par. 1. cap. 71. nu. 6.* Rebuff. *de priuileg. scolarum priuileg. 76.*

2 Beneficio suo qui renunciauit, vel iuri, saltem tacitè repetendo, quę Ecclesię contulerat, non potest illud repetere, possunt tamen illum Canonici recipere, non tamquàm vnum de Ecclesia, sed tamquàm de nouo, *ex cap. Transmissa 3.* Beneficiatus sine sui Superioris licentia beneficium resignare non potest, *ex cap. Admonet 4.* Et ità Cou. *lib. 1. var. cap. 3. num. 6.* Nauar. *in cap. Accepta de restitut. spoliat.* Beneficium petenti, super quo fuit canonicè institutus, exceptio de spontanea abiuratione, etiam non assignando causam renunciationis est admittenda, & testes recipiendi circà spontaneam renũciationem, & Iudex potest inquirere causam renunciationis, licèt non teneatur, quam si inuenerit probabilem, imponat silentium, nisi actor replicet, *ex cap. Super hoc 5.*

3 Electioni de se factæ, quando quis spontè renunciat, non est ampliùs audiendus super eadem electione, *ex cap. In præsentia 6.*, & ità Flamin. *de resignat. lib. 1. quæst. 13. nu. 16.* Instrumenta sui iuris, qui restituit, licèt renunciet iuri suo, quod sibi ex litteris competebat, potest tamen, qui est deceptus implorare officium Iudicis, quando deficit actio, *ex cap. Sane 7.* Beneficio Ecclesiastico, quando quis renunciat in manibus Laici, & à Laico iterùm accipit illud, renunciatio fuit nulla, ipse tamen est beneficio priuandus, cùm renunciatio non possit fieri in manibus Laici, *ex cap. Quod in dubijs 8.*, & ità Flamin. *lib. 7. quæst. 9. num. 8.*

4 Papa solet concedere Episcopis, vt cedant Ecclesijs, quando adest periculum mortis, vel aeris intemperies, vel ob inimicitias, &c., *ex cap. Ad supplicationem 9.* Episcopi ob sex causas possunt petere, & Papa consueuit cedendi licentiam concedere, causæ autem ex sunt, conscientia criminis, Debilitas corporis, Defectus scientiæ, Malitia plebis, Graue scandalum, irregularitas personæ, *ex cap. Nisi cum pridem.*

5 Episcopus, si fiat Monachus, non potest ampliùs in Episcopũ eligi, nisi in his casibus: Primò, quãdo cessit ab magnã persecutionem: Secundò, propter infirmitatem corporis, cùm auctoritate tamen Papæ: Tertiò, si cessit propter ignorantiam, sed in Monasterio deindè didicit, tùnc enim potest iterùm reassumi ad alium Episcopatum, *ex cap. Translationem 11.*, qui petijt licentiam cedendi, ex quo illam obtinuit, cedere compellitur, *ex cap. Quidam 12.* Reginald. *lib. 30. tract. 3. num. 32.* Flamin. *de resignat. lib. 3. quæst. 18. num. 48.* Litteras Apostolicas habens, v. g. contrà Capitulum, si se committat gratiæ Capituli, vel aduersarij, non dicitur renunciasse iuri suo sibi competenti ex litteris, secus si renunciasset literis impetratis, *ex cap. Veniens 13.*

6 Prælatus, qui eximit subditos à sui obedientia, non propterea intelligitur renũciare Prælaturæ, nisi illam verè resignauerit, *ex cap. Lecta 14.* Reginald *lib. 30. tract. 3. num. 328* Abbas exemptus non potest renunciare sine licentia Papæ, & si renunciauerit, etiam secuta resignatione in manibus Prælati, renunciatio, & resignatio sunt nullæ, *ex cap. Dilecti 15.* Reginald. *lib. 30. tract. 3. nu. 331.*

PARAGR. II.

Decreta Summorum Pontificum. De Ressignante; & Ressignatione.

Ressignans beneficium, vt teneatur facere mentionem se ad titulum illius fuisse promotum pro forma, traditum est *in Concil. sess. 21. cap. 2. de reform.*

Ressignans beneficium de iurepatronatus, qui est patronus eiusdem beneficij, potest præsentare quem vult ad dictum beneficium, & Ordinarius instituere, non obstãte Constitutione Pij V. &c. S. Congr. *in Veterbien. 18. Martij 1628.*

Ressignationes beneficiorum publicãdæ sũt intra sex mẽses, si beneficia sint citrà montes, si vltrà, intra nouem, & publicandi huiusmodi ressignationes forma in speciei seruanda est, nec impletur per equipollẽs. Gregorius XIII. *Constit. 85. Non. Ianuarij 1584.*

Decreta Sac. Congregationis Concilij. De Ressignante, &c.

Ressignatio Ecclesiæ Parochialis, si verè fuit Romæ expedita, antequam Ordinarius ressignantem titulo dictæ Parochialis priuaret, eadem ressignatio debet suum effectum sortiri, nec Ordinarius potest eam infringere.

Ressignatio, & permutatio beneficij facta ab illo, ad cuius titulum fuit ordinatus, non facta mentione dictæ qualitatis, est ipso iure nulla, cum dispositio *cap. 2 sess. 21. de reformat.* non possit per æquipollens adimpleri.

Ressignationem beneficij, ad quod ressignãs ordinatus erat, admittens Ordinarius non habens facultatem admittendi ressignationes sibi à Pio V. in certis cásibus sublatam, beneficium huiusmodi vacat Sedi Apostolicæ, sed Ordinarius illi de proprio prouidere tenetur.

Ressignationes reciprocæ post Concilium Triden-

Tridentinum in fauorem filiorum faciēdæ comprehenduntur sub illius Decreto, *sess.25.de reform.cap.15.*

TITVLVS XVII.

De institutionibus Beneficiorum in genere.

SVMMARIVM.

1 *Institutio quid sit.*
† *Cuius sit instituere.*
2 *Patronus, qui nominauit indignum, an possit dignum denominare.*
3 *Episcopus an possit instituere quem maluerit, quando plures sunt à Patrono præsentati.*
4 *Institutio facta ab alio, quam Episcopo, vel eius Vicario, &c. est inualida.*
† *Institutio facta sine Patroni consensu, est inualida.*
† *Laicus non habet ius instituendi.*

1 INstitutio est concessio beneficij facta legitima auctoritate Episcopi, vel alterius, Clerico à patrono præsentato; dixi concessio beneficij, in quo conuenit cum confirmatione, & collatione propriè dicta, Per vtramque enim conceditur beneficiū electo, vel ei, quem collator voluerit, sed differt, quod Institutio supponat præsentationem, cōfirmationem, electionem, postulationem, seu nominationem; Collatio autem est libera beneficij concessio personæ honestæ superioris arbitratu; Dixi auctoritate Episcopi, quia iure communi ad Episcopos spectat instituere Clericos à Patronis præsentatos in omnibus Ecclesijs, vel beneficijs intra suam dictionem constitutis, *cap.ex frequentibus, cap. Cum ex iniuncto de hereticis, cap. Omnes basilica 16. quæst.7.*, Dixi à Patrono præsentato, quia si Episcopus instituat sine patrono, irrita est ipso iure Institutio, Ioann. And. *cap 2. de offic. Vicarij in 6.* Abbas *cap. Illud de iure patron.* & alij. Quod si Patronus sit negligens in præsentatione, deuoluetur ad Episcopum, vel ad eum, ad quem spectat iurisdictio, si Patronus ius præsentandi ad Episcopum spontè sua transtulerit, tunc si Institutio ad alios pertineat, Episcopos inferiores, ad Episcopū præsentatio tantum, ad eosdem Institutio pertinebit; Si ad eum pertinebat Institutio, tunc confundetur cum collatione, si Episcopus solus sit Patronus; si autem sint etiam alij, tunc Episcopus, vt Patronus simul cum alijs præsentabit, vt Episcopus verò instituet.

2 Si Patronus nominauerit indignū scienter ante quatuor mensium lapsum, potest quemuis alium dignum, & idoneum nominare, quia talis Laicus in nominando potest mutare sententiam; ità Ioann. Andreas, quem sequitur Panormit. Ergò sicut intra quatuor menses nominando dignum, potest variare, antequam Episcopus instituat, multò magis poterit variare, si quem non debuit, nominauit, ex acto verò illo quatrimestris spatio, intra quod Patronus indignū solummodò nominauit, Episcopus liberè potest alium instituere, at verò Glossa *in cap. Cum vos de offic. Iud. ordinarij*, ait, Patronum Ecclesiasticum ipso facto esse priuatum potestate nominandi Laicum, non item, quod etiam censet Archidiac. *in c. 1. de preben. in 6.*

3 Quando plures à Patronis præsentantur, vt vnum instituat, Gloss. *in cap. Decernimus 16. quæst. 7.* ait, liberum esse Episcopo Instituere, quem velit, si æquè digni sint, & idonei, Idque constat, *ex cap. Cum autem, & cap. Quod autem, & cap. Pastoralis de iure patron.*

4 Institutio facta ab alio, quā ab Episcopo, vel ab eo, qui eius vices sustinet, & præsentatio alteri facta, est ipso iure nulla, *cap. Illud, cap. Relatum de iure patron.* Vndè Institutio ab ipso Patrono propria auctoritate facta est nulla, *cap. Illud*, sicut & illa, quam Episcopus facit absq; Patroni præsentatione, *cap. Decernimus 16. quæst.17.*, Ratio primæ partis est, quia Patronus ius instituendi, aut destituendi Rectorem in Ecclesia non habet, *cap. Preterea, cap. Quod autē, cap. Querimoniam, C. Cum Laici. c. Consuluit de iure patronatus*. Dixi ab eo, qui vices ipsius sustinet, quia Institutio facta à Vicario generali, virtute generalis commissionis est valida. *C Frequentibus de Instit.*, Cum id spectet ad potestatem Iurisdictionis.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum. De Institutionibus.

SVMMARIVM.

1 *Numerus in Monasterijs debet institui in Ordinem ad facultates.*
2 *Laici in Canonicos non possunt institui.*
3 *Beneficiorum Institutio spectat ad Episcopos, & eorum Officiales.*
† *Institui quis non debet, vltrà facultates, inuitis Clericis Ecclesiæ.*
† *Instituendi in Ecclesijs non debent esse vnius nationis.*
4 *Existens in possessione instituendi, debet manuteneri.*
5 *Aliquis non potest se ipsum instituere.*
6 *Institutus scienter in beneficio viuentis est deponēdus.*
7 *Beneficia Ecclesiastica non sunt promittenda, &c. antequam vacent.*
† *Beneficium vacans est necessariò conferendum, &c.*
8 *Præbenda afficitur per præsentationem mandati dato Executori ad prouidendum, ità quod collatio alteri facta non teneat.*

1 IN Monasterijs non sunt plures recipiendi, quàm commodè alij possint de bonis Ecclesiæ, *Ex cap. Non amplius 1. de Institut.*

2 Laici non possunt in Canonicos instituti, sed numerus est explendus ex ipsis Clericis intrà debitum tempus, *Ex cap. In Ecclesia 2.* Ratio, quia Laici sunt incapaces beneficiorum, *Ex cap. citato.* Selua *de beneficijs p.3. quæst.6.*, Azor *p.2.lib.6.cap.12. quæst.5.* Reginal. *lib.30. tract.3. num.* 147. Sanchez *de matrim. lib.7. disp.42. num.14.*

3 Beneficia Ecclesiastica sunt recipienda ab Episcopo, vel eius Officiali; & qui cōtra fe-

trasfecerint, tàm recipientes, quàm dantes, sunt excommunicandi, & non possunt absolui, nisi priùs satisfecerint, *cap. Ex frequentibus 3. de Instit.* Institui quis non debet vltrà facultates, inuitis Clericis Ecclesiæ, *Ex cap. Auctoritate 4.* Instituendi in Ecclesijs non debent esse vnius nationis tantum, sed vndecumque existant, dummodo idonei sint, *Ex cap. Cum decorem 5.*

4 Existēs in possessi one instituēdi, vel cōfernandi Ecclesias etiam contrà ius commune, pendente lite de proprietate, manutenetur in possessione, *Ex cap. Cum venissent 6.*

5 Prælatus quando quis efficitur, non potest retinere Dignitatem, quam priùs habebat, quia illa vacat ipso iure, nec aliquis potest ipsum instituere, quia inter dantē, & recipientem debet esse distinctio personalis, & non potest illam reciperé ab alio, quia aliūs non habet ius conferendi, *Ex cap. Cum ad nostram 7.*

6 Est deponendus Institutus scienter in beneficio viuentis, & ab Ecclesię communione depellendus, *Ex cap. Qui in viuorum 1. de concess. Præbend.*

7 Beneficia Ecclesiastica non promittantur, neque tribuantur antequam vacent, ne mors proximi desideretur, *ex cap. Nulla 2. de concess. Præbend.* Beneficium vacans est conferendum, non obstante appellatione illius, cui beneficium promissum fuerit, antequam vacaret, *Ex cap. Relatum 3. de concess. &c.*

8 Quando Papa mandat, vt Præbenda primò vacatura detur alicui, cum Canonicatu, & assignat Executorem, qui præsentat litteras Collatori, beneficium intelligitur ita affectum, quod si vacet, & alteri conferatur, collatio sit annullanda, & sic tamquam vacans, conferendum est nominato à Papa, qui cum sit supra ius, potest contrà illud dispensare, *ex cap. Proposuit 4.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Semestre ad eligendum præfixum à iure, non currit legitimè impedito, littera ad beneficium impetrata, quæ de alterius colorata facti possessione, non faciunt mentionem, inualidæ sunt.*

2 *Beneficium, quod re vera non vacat, non potest alteri conferre.*

† *Capitulum tenetur prouidere de Præbenda recepto in Canonicum.*

3 *Præbendam vnam habens, & alteram obtinens, prima vacat de iure.*

† *In quibus habeat locum Concil. Lateranense circà semestre.*

4 *Potestatem conferendi habens, potest de iure alteri tradere potestatem, &c.*

† *Electio Episcopi, &c. non deuoluitur.*

† *Promissio Beneficij vacaturi, non valet.*

† *Secus si promittat prouideri, quando poterit.*

5 *Conferendi potestas, &c., quando deuoluatur.*

6 *Patronus non potest promittere se præsentaturum aliquem ad Beneficia vacatura.*

7 *Capitulum, sede vacante, quæ Beneficia possit cōferre.*

8 *Præsentatus, licet non sit ordinatus, non est repellendus.*

1 Semestre ad eligendum, seù conferendum à iure positū, non currit legitimè impedito, nec incipit currere, nisi à die notitiæ vacationis, *Ex cap. Quia diuersitatem 5. de concess. Præbend.* Beneficium quando vacat de iure, & non de facto, litteræ ad Beneficium impetratæ, quæ de alterius colorata facti possessione non faciunt mentionem, sunt inualidæ, quia subreptitiæ, *Ex cap. Cum nostris 6.*

2 Beneficium, quod re non vera vacat, nō potest alteri conferri, & eius possessio nō debet retardari, per exceptionem abiurationis, & renunciationis, *Ex cap. Post electionem 7.* Recepto in Canonicum tenetur Capitulum prouidere quam citò se facultas obtulerit, *Ex cap. Cum super 8.* Ratio, quia Canonica non debet esse sine Præbenda, *Ex cap. citato.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell.* Gloss. 5. § 1. *num. 16. & 17.* Moneta *de distributionibus quotidianis cap. 1. quest. 1. num. 3.*

3 Præbendam vnam habens in Ecclesia, & aliam obtinens, vtramque retinens, vacat prima de iure, licet non de facto, *Ex cap. Litteras 9.* In Ecclesijs, in quibus non est certus numerus Canonicorum, non sūt certæ Præbendæ, non habet locum Concil. Later. quod elapso semestri deuoluitur electio ad Superiorem, sed illarum Ecclesiarum conseruanda est consuetudo, *Ex cap. Ex parte 10.*

4 Potestatem conferendi habens potest de iure alteri tradere potestatem conferendi primum beneficium, quod vacabit, licet talis licentia non sit danda volenti facere fraudem contra ius, *Ex cap. Constitutus. 11.* Electio Episcopi, vel Archiepiscopi si non fiat intra sex menses, non deuoluitur ad alios, quia Concilium Lateran. intelligit de Personatibus, & minoribus Beneficijs, *Ex cap. Dilectus. 12.* Promissio Beneficij vacaturi non valet, *Ex cap. Ex tenore 13.* Prælatus, si promittat prouidere de Beneficio, quando poterit, tenetur prouidere, quia hæc promissio non est de vacaturo, *Ex cap. Accedens 14.*

5 Conferendi potestas, si pertineat simul ad Capitulum, & Episcopum, vt Episcopus est, si non fiat intra sex menses, deuoluitur ad Superiores; si verò Episcopus ingrediatur, non vt Episcopus, sed vt Canonicus, deuoluitur ad ipsummet Episcopum, nisi dolosè impediat, *Ex cap. Postulastis 15.*

6 Patronus non potest promittere se præsentaturum aliquem ad Beneficia vacatura, nec potestatem dare alteri, vt præsentet, & si id faciat, non tenet, *Ex cap. Cum dilecta 16. de concess. Prebend.*

7 Capitulum, sede vacante, non potest cōferre illa Beneficia iuris patronatus, quorum collatio spectat ad Episcopum, sed potest præsentatos à Patrono admittere, si sint idonei, & instituere eos in Beneficijs, *Ex cap. Etsi de Instit. in 6.*

8 Præsentatus, si aliàs sit idoneus, licet nō sit ordinatus, si intra annum potest ordinari, non est repellendus, *Ex cap. Si la 2. de instit. in 6.*

PA-

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Requisita Rectorum debent institui in Ecclesijs exemptorum.*

2 *Solus Papa potest conferre Beneficia vacantia in Curia, &c.*

3 *Intra quod tempus debeat illa conferre.*

4 *Qualiter sit prouidendus mandatus à Papa prouideri.*

5 *Impetrans prouisionem Beneficij de sæculari est prouidendus.*

6 *Habens personatum potest simul habere Præbendam, &c.*

7 *In impetratione Beneficiorum respicitur data, & non præsentatio, &c.*

8 *Quomodo Episcopus debeat illi prouidere, qui mandatur à Papa prouideri.*

9 *Clericus, cui mandatur prouideri de Præbenda, si negligit petere Præbendam sibi debitam, gratia est extincta.*

10 *Receptus auctoritate Papæ præferendus est alijs in Præbendis.*

11 *Quid faciendum quando Papa confert Canonicatum alicui, & mandat prouideri de Præbenda primò vacatura.*

12 *Papa quando concedit Legato facultatem acceptandi resignationes, &c. quomodo id sit intelligendũ.*

13 *Secundus, qui impetrauit Dignitatem, & Præbendam præfertur Priori, qui solum Præbendam impetrauerat, &c.*

14 *Mandatum prouideri de Dignitatibus, &c. non includit beneficia curata.*

15 *Beneficium collatum absenti, non potest alteri conferri ante ipsius dissensum.*

16 *Obtinens vi secundum beneficium curatum, priuatus est primo.*

17 *Habens potestatem Apostolicam conferendi Beneficium persona idonea, non potest illud conferre habenti simplex.*

18 *Quid debeat facere recipiens Beneficium reseruatum Papæ, &c.*

1 AD præsentationem Religiosorũ, etiã exemptorum, non debent institui in Ecclesijs ipsorum Rectores, nisi priùs illis assignetur vndè possint sustentari, Episcopalia iura soluere, &c. non obstante consuetudine in contrarium, *Ex cap. Susceptì de Præbend., & Dignitat. in 6.*

2 Beneficia vacantia in Curia, alius, quã Papa conferre non potest, etsi secùs fiat, factum est irritum. *Ex cap. Licèt Ecclesiarum 2. de Præbend. &c. in 6.*

3 Papa si Beneficia vacantia in Curia, non confert intra mensem à die vacationis, illi, ad quos pertinet, poterunt illa conferre, *Ex cap. Statutum 3.* Licèt Textus *in præsenti* sublatus sit per *Extrauagans. 1. de Præbend.*, Quæ incipit Piæ solicitudinis, vbi statuitur quod Beneficia vacantia apud Sedem, etiam post lapsum mensem, sint Papæ reseruata, & ita Rot. *decis. 22. de Præbend.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell.* §. 1. & alij.

4 Papa quando scribit alicui Prælato, vt prouideat alicui vsque ad certam summã, Prælatus non potest prouidere de hac summa in pensiones super Beneficio, sed debet prouidere in Beneficio, *Ex cap. Quamuis 4.*

5 Papa, quando mandat aliquem prouideri de Beneficio consueto, assignari Clericis sæcularibus, si legitimè, & pacificè Clerici sæculares possederunt Beneficium regulare; ita vt compleuerit legitimam præscriptionem, idest quadraginta annorum, potest de illo prouideri; Item si mãdat Clericum prouideri de Prioratu, non potest prouideri de Prioratu solito gubernari per Regulares, nisi hoc in litteris expressè caueatur, *Ex cap. Cum de beneficio 5.*

6 Personatum habens, potest simul habere Præbendam, cui sit annexa Parochialis Ecclesia, cum Cura animarum, *Ex cap. Super eo 6.*

7 In impetratione Beneficiorum requiritur data, & non præsentatio, vel receptio, & is præfertur, qui priùs datam habuit, *Ex cap. Eam cui 7.*

8 Papa si scribit alicui Ordinario, quòd prouideat alicui etiam de Beneficio curato, & alijs prouidendus, non habeat ordinem requisitum, potest Episcopus illi prouidere etiam de Beneficio curato, sed prouisus tenetur primis temporibus à iure statutis accipere ordines, quos Beneficiũ requirit, quamuis in litteris non fuerit facta mentio, quòd ordinem non habet, *Ex cap. Si pro Clericis 8.*

9 Clericus, cui mandatur prouideri de Præbenda primo vacante, & posteà recipi in Canonicum, si negligit petere Præbendam sibi debitam, èxpirat gratia; si autem collatus ei fuerit Canonicatus, tùnc habebit Præbendam, cùm nullus sit expectans auctoritate Apostolica, *Ex cap. Si Clericus 11.*

10 Receptus in Canonicum, auctoritate Apostolica est præferendus in Præbenda, etiam alijs auctoritate Legati, quòd si Legatus speciale habeat mandatum, tùnc dicitur receptus auctoritate Apostolica, & præfertur, *Ex cap. Hi, qui 12.*

11 Papa, quando confert Canonicatum alicui, & mandat prouideri de Præbẽda primo vacatura, & nulli alij de iure debita, si Canonici hoc ignorantes ignoranti contulerunt Præbendam primo vacantem, collatio tenet, quia ex eo, quod est factus Canonicus, auctoritate Apostolica habet ius ad Præbendam, quam iustè potest petere, & non potest alteri conferre, licèt ignoranti mandatum, *Ex cap. Sæpè quon 13.*

12 Papa, quando concedit Legato facultatem acceptandi resignationes Beneficiorum, & illa conferendi, si Papa deinde facit aliquem Canonicum Ecclesiæ Legationis, & mandat Executoribus prouideri de Præbenda primo vacatura, si vacat per resignationem; & interim Legatus eam confert alicui, collatio non tenet, quia stat pro Canonico creato à Papa. *Ex cap. Dudum 14.* Quia Papa concedendo alijs potestatem, & iurisdictionem, eandem sibi reseruat, & maiorem. Gonzal. *ad reg. 8. Cancell.* §. 2. & alij.

13 Si Papa mandat aliquem prouideri de Præbenda, deindè mandat secundum prouideri de Dignitate, & Præbenda simul, si Præbenda, quæ vacat, est annexa Dignitati,

tati, præfertur secundus, secùs si sola Præbenda, *Ex cap. Quia sæpè* 15. Quia Præbenda, quæ vacat, ob vnionem sequitur naturam Dignitatis.

14 Quando Papa mandat aliquem prouideri de Personatu, & Dignitate, vel alijs Beneficijs, quibuscumque, non intelligitur de Curatis, nisi expressa eorum fiat mentio, *Ex cap. Cum illis* 16.

15 Episcopus si conferat Beneficium absenti, licèt non acquirat ius in Beneficio, nisi ratum habeat, tamen Episcopus non potest alteri conferre, ante dissensum; nisi terminus datus ad consentiendum esset elapsus, & si adhuc non contulit, potest adhuc consentire absens, licèt terminus sit elapsus, & Episcopus non poterit tunc alteri conferre, *Ex cap. Si tibi absenti* 17.

16 Beneficium Curatum habens, si vi aliud Curatum occupat, vel scienter se introducit in id ipsum, ipso iure priuatus est primo: *Ex cap. Eum qui* 18.

17 Potestatem habens conferendi Beneficia personæ idoneæ, non potest conferre habenti simplex, & sufficiens, nisi in litteris exprimatur aliter, & tūc potest prouidere Beneficium habenti vnicum, si verò conceditur, vt prouideat Beneficia obtinenti, non extenditur nisi ad eū sine cura, aliter prouisio facta est nulla, *Ex cap. Is, qui* 19.

18 Beneficium priùs reseruatum, aut alteri collatum per Papam, si quis ignorans recipiat, & vbi primum hoc sciuerit, illud sine difficultate dimittit, recuperat priora Beneficia propter illud dimissa, alias non, *Ex cap. Si Beneficia* 20.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Taciturnitas Beneficij licèt modici obtenti, reddit subreptitiam prouisionem motu proprio obtētam.*
2 *Mandatum Papæ de prouisione, &c. quando gratia sit censenda.*
3 *Quando collatio Beneficij censeatur gratia.*
4 *Collatio facta à motu proprio Papæ pluribus Beneficijs, intelligitur de pinguiori.*
5 *Præbenda, quæ per Episcopi Præbendarij mortem vacat, non debetur expectanti.*
6 *Beneficium primum non vacat per adeptionem secundi Curati, &c.*
7 *Mandatum Papæ non debet extendi, nisi ad casus expressos.*
8 *Adeptus secundum Beneficium curatum, Episcopus potest conferre primum.*
9 *Sacerdotalis Præbenda non nisi Sacerdoti est conferenda.*
10 *Episcopus si mandatur prouidere pauperi Sacerdoti, &c. non tenetur prouidere, si obtineat Beneficiū.*
11 *Beneficij pluribus collati, vbi non apparet prioritas possidens debet conferri, &c.*
12 *Religiosus recipiens secundum Prioratum sine auctoritate Papæ, priuatur primo.*
13 *Canonici absentes, si non vocentur ad receptionem, vel collationem, possunt illud de contemptu, nisi aliter sit consuetudo.*
14 *Beneficia morientium in Curia, vel in loco vicino, &c. per solum Papam conferri possunt.*
15 *Papæ mors tollit, ne Parochiales Ecclesiæ in Curia vacare dicantur.*
16 *Gratia concessa alteri, & conferat Beneficia, &c. quando censeatur exspirare.*
17 *Quando Episcopus ordinans aliquem sine titulo, teneatur illi ministrare necessaria.*
18 *Papa si dat facultatem conferendi beneficia, &c. si ipsa conferat antequam Episcopus, tenet collatio.*
19 *Reuocatio gratiæ non tollit iure quæsitum.*
20 *Reuocatio gratiæ obest expectanti Præbendam. &c.*
21 *Mandatum de prouidendo de Beneficio ad collationem Capituli pertinente, non tangit ius singulare.*

1 Obtinens dispensationem super pluralitate Beneficiorum, si tacet aliquod Beneficium etiam modicum, dispensatio non valet, *ex cap. Non potest* 21.

2 Mandatum Legati super facienda prouisione per Papam confirmatum, Papalis gratia est censenda, *ex cap. Si Apostolicæ* 22.

3 Papa, quando habenti Beneficium, confert aliud motu proprio, nulla facta mentione de primo, gratia valet, quando verò Papa confert ad petitionem alicuius, si non fiat mentio beneficij obtenti, licèt sit modicum, Gratia est subreptitia, & nulla, *ex cap. Si motu proprio* 23.

4 Collatio facta motu proprio Papæ pluribus Beneficijs in eadem Ecclesia vacantibus, intelligitur de pinguiori, sed si beneficia sunt æqualia, ad eum spectat Electio, cui gratia concessa est, si verò ad petitionem alterius, intelligitur quod est minoris, & si sint æqualia, debet intra decem dies eligere, alioquin electio deuoluitur ad alium, *ex cap. Si pluribus* 24.

5 Præbenda, quę per mortem Episcopi vacat, non debetur expectanti, quia Papa nō intendit priuare successorem Episcopum, nec augere numerum Canonicorum, nec derogare consuetudini, *ex cap. Cūm in Ecclesia* 25.

6 Beneficium curatū non vacat per adeptionem secundi, dum alius accipit fructus secūdi ex causa; *ex cap. Si tibi consulsiū* 26.

7 Mandata Papæ non debent extendi ad alios casus, quam ad expressos; Ideò cum mandat alicui prouidere de Præbenda nō Sacerdotali, non potest prouidere de Sacerdotali, *ex cap. Cum de Sacerdotali* 27.

8 Postquàm Curatus adeptus est possessionem pacificam secundi Beneficij consimilis, tunc Episcopus potest primum Beneficium conferre, sed non potest dare corporalem possessionem, nisi priùs vocato primo Curato, quia adhuc posset illi competere ius retinendum, *ex cap. Licèt Episcopus* 28.

9 Quando simpliciter mandatur, vt quis prouideatur, non potest prouideri de Prębenda Sacerdotali, qui non habet legitimam ętatem ad suscipiendos Ordines, sed debet expectare tempus, *ex cap. Ex, tuli* 29. quia in Beneficijs habentibus Ordinem Sacrum ex statuto, vel priuilegio, requiritur ætas ad eundem Ordinem annexa.

10 Pauperi Sacerdoti si mādatur prouidere non

non habenti Beneficium, & interim obtineat vnum, Episcopus non tenetur prouidere, *Ex cap. Si Pauper 30.*

31 Papa, vel eius Legatus, quando confert Beneficium vni, & Episcopus alteri eodē die, ita vt non possit constare de prioritate collatoris, tunc erit potior conditio possidentis; & si neuter possidet, præfertur electus à Papa, vel Legato, propter ampliorem prærogatiuam, *ex cap. Si à Sede 31.*

12 Religiosus sine auctoritate Papæ non potest habere duos Prioratus, vel Ecclesias curam Animarum habentes, etiam si Cura debeat exerceri per Presbyteros à se præsentatos, & ab Episcopo institutos, nisi vnum Beneficium ab alio dependeat, vel ab inuicem sint connexa; Qui si receperit secundum statum, primum dimittere debet, quo ipso iure est priuatus; quod si non fecerit, repelli debet ab vtraque, & efficitur ineligibilis, *ex cap. Cum singula 32.*

13 Canonici, quando in Ecclesia recipiendi sunt, vel conferenda Beneficia, absentes Canonici vocari debent, nisi consuetudo sit in contrarium; & vbi non est talis consuetudo, si absentes, non vocati instant, omnia attentata sunt reuocanda, *ex cap. Cum in Ecclesijs 33.*

14 Beneficia morientium etiam in loco vicino Curiæ Romanæ intrà duas dietas legales, per solum Papam conferri debent. Item si sede vacante, Curialis Peregrinationis, infirmitatis, recreationis, seu alia causa in loco vicino moriatur; dummodò ibi domicilium, vel domus propria non existat, quia secùs si ibi habeat domum, quia non dicuntur vacare in Curia, si verò Curia recedit ab vno loco, & aliquis Officialis Curialis ibi remanet, vel dum sequitur Curiam, moriatur, licet in loco distanti, collatio spectat ad Papam, *ex cap. Præsenti 34.* quia dicuntur vacare in Curia.

15 Papæ mors tollit ne Parochiales Ecclesiæ in Curia vacare dicantur; & ideò prouisio illarum spectabit ad Ordinarios, nō obstante dispositione, *cap. Licèt, ex cap. Si Apostolica Sede 35.*

16 Gratia concessa alicui, vt prouidere possit personis idoneis Beneficia reseruata Sedi Apostolicæ, non expirat re integrà, obitu concedentis, si personæ prouidendæ non erant expressæ, quia secùs si expressæ erant, *ex cap. Si qui nulla 36.*

17 Episcopus, qui dat licentiam alteri Episcopo ordinandi quos vult in sua Diœcesi, & ille non habentem titulum ordinat; Ordinans tenetur illi ministrare necessaria vitæ, donèc obtineat Beneficium, si expressit personas, tenetur Episcopus, qui dedit licentiam, *ex cap. Si Episcopus 37.* Item si dedit licentiam suis, vt à quocumque ordinentur.

18 Papa, quando dat facultatem conferēdi Beneficia certo modo vacantia, vel ad Papam deuoluta, & deindè aliquod de ijs conferat specialiter, vel mandat alicui prouideri, antequàm Episcopus conferat; tenet collatio Papæ, & non Episcopi, quia posterior specialis derogat primæ gratiæ generali, licèt in specie non fiat mentio de generali, *ex cap. Quamuis 38.*

19 Reuocatio gratiæ non tollit ius acquisitum, sed acquirendum, quòd non est cōnexum cum digniori acquisito, *ex cap. Si is cui 39.*

20 Reuocatio gratiæ obest expectanti Præbendam, & Decreti interpositio etiā ignoranti. Vndè si tibi detur Canonia cum expectatione Præbendæ vacaturæ, & mihi eadem gratia concedatur cum clausula *Anteferri*, deindè vacat Præbenda, & tibi confertur ignoranter, & interim reuocatur gratia, & mox eadem Præbenda mihi confertur, nulli debetur; non priori, ob clausulam *Anteferri*; nec mihi, quia reuocata est gratia, *ex cap. Quidam 40.*

21 Mandatum Papæ, vt prouideatur quis de beneficio pertinente ad collationem Capituli, non extenditur ad Beneficia, quæ Canonicus, vt singularis solet conferre, *ex cap. Mandatum 41.*

TITVLVS XVIII.

De Permutatione Beneficiorum in genere.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Beneficij Permutatio.*
2 *Quæ requirantur ad permutationem.*
3 *Permutatio cuius auctoritate sit facienda.*
† *Quis intelligatur nomine Ordinarij.*
4 *Vicarius, & Capitulum non possunt auctoritatem præstare permutationi.*
5 *Quæ Beneficia possunt permutari.*
6 *Beneficia inæqualia quomodo possint permutari.*
7 *Beneficium non potest permutari cum pensione, &c.*
8 *Permutantes ante debitam licentiam possunt tractare, &c.*
† *Possunt constituere Procuratores.*
9 *Seruanda in permutatione.*
10 *Permutatio debet esse libera, & sine pacto, &c.*
11 *Non est statutum tempus, in quo Ordinarius, &c. debeat conferre Beneficium.*
12 *Causa permutationis.*
13 *Permutationis effectus.*
14 *Permutatio quando præsumatur fraudulenta.*
15 *Beneficia, quæ permutantur, dimittuntur.*
† *Permutans quando propria auctoritate possit redire ad suum Beneficium, permutatione non secutà.*

1 PErmutatio generatim accepta est certæ rei ad alteram facta mutua præstatio, *l. 1. ff. de rerum permut.* Vndè beneficij permutatio est cum duo vicissim sua Beneficia dimittunt, & alter alterius Beneficium obtinet. Vndè nihil aliud est, quam reciproca quædam resignatio, quæ ad inuicem inter Permutantes auctoritate legitimi Superioris fit, *cap. de rerum permutat. in 6.* Vndè permutatio prohibetur fieri absque legitimi Superioris consensu, vt Clericis omnis auaritię, & ambitionis occasio præscindatur. Secundò, nè de Beneficijs, tamquam de rebus suis proprijs statuere videantur. Tertiò, nè in Beneficijs existimēt se habere ius, & dominium quod in patrimonijs. Quartò, quia is, qui permutat co

O ipso

ipso dimittit Beneficium, & acquirit permutando alterius Beneficium, at iure Canonico nemo potest, nisi auctoritate superioris, beneficio se abdicare, aut beneficium obtinere.

2 Ad permutationem septem requiruntur. Primò, vt permutantes sint Domini suorū beneficiorum; & ea pacifica possessione possideant. Secundò, vt permutatio sit libera. Tertiò, vt vterque suum beneficiū resignet in manibus Ordinarij, cui beneficiū subiectum est. Quartò, vt beneficia conferantur permutantibus, non alijs. Quintò, consensus eorum, ad quos beneficiorū permutandorum electio, aut præsentatio pertinet, alioqui non valebit permutatio. Sextò, si Permutans infirmus sit, debet superuiuere viginti dies post resignationem, alioquin censebitur beneficium vacare per obitum. Septimò, si permutatio fiat in Curia, debet publicatio fieri intrà sex mēses à die supplicationis oblatæ computandos, si sint beneficia intra montes, quia si vltrà montes, intrà nouem.

3 Permutatio facienda est auctoritate Ordinarij, vel Romani Pontificis; Ordinarij autem appellatione intelligitur Episcopus, & ei Superior, & etiam Abbates, & alij habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, sic Panormit. *cap. Quæsitum de rerum permutatione num. 4.* Verùm coram Ordinarijs prohibentur fieri plures permutationes. Primò, prohibentur permutari beneficia reseruata Papæ. Secundò, si permutetur vnum cum pluribus, quæ iure communi simùl haberi non possunt. Tertiò, si sint exempta ab auctoritate Ordinarij. Quartò, si sint inæqualia quòad fructus, & minus debeat compensari impositione pensionis, id enim ad Papam pertinet. Quintò, si beneficium permutandum obtentum sit à Papa, relaxante ius commune; non enim transit relaxatio Pontificia ad aliud, cum quo permutat. Sextò, si ficta esset permutatio, vt si permutaret cum beneficio, quod non extat, vel quod non habet is, cum quo permutat.

4 Vicarius Episcopi non potest permutationi auctoritatem præstare, nisi ad id faciendum, speciale mandatum habuerit ab Episcopo. Ità communitèr omnes ex Azorio *lib. 7. cap. 29. quæst. 2.* Sicut etiam Capitulum non potest auctoritatem præstare, permutationi eorum beneficiorum, quę solum pertinent ad Episcopum: Ratio, quia cùm non succedat in talium beneficiorum collatione, &c., nec etiam potest succedere in consensu necessario ad permutationem; Si tamen Episcopus admisisset resignationem ex causa permutationis; & deindè decederet, posset in eo casu Capitulum præstare auctoritatem Permutantibus, cùm iam præcesserit consensus Episcopi, & solum deerat iurisdictio necessaria, in qua succedit Capitulum; Si verò collatio eorum pertinet simùl ad Episcopum, & Capitulum, vel ad Capitulum solum, poterit Capitulum permittere talem permutationem.

5 Beneficium litigiosum, lite pendēte, permutari nequit, & si fiat permutatio non erit valida, quoniam res litigiosa, quamdiù lis pendet, nequit alienari, nec pignori dari, licèt alij aliter sentiāt; Item potest permutari vnum beneficium cum pluribus, quando & plura simùl haberi queunt, saltem auctoritate Ordinarij; Secus verò si sint incompatibilia: similiter qui ex dispensatione obtinet plura beneficia, non potest vnum illorum permutare cū Curato: Ratio, quia Dispensatus ad obtinenda plura beneficia non censetur Dispensatus, vt simùl cum illis obtineat beneficium Curatum. Azor. *lib. 7. quæst. 13.* Filliuc. *tract. 41. cap. 9. qu. 9.* & alij. Nec etiàm potest, qui ex dispensatione Sūmi Pontificis possidet duo beneficia curata, vnum ex illis cum alio permutare: Ratio, quia, cum retentio, illorum sit odiosa, idcircò non trahitur ad alia.

6 Beneficia inæqualia legitima Superioris auctoritate commutari possunt, compensata inæqualitate, si sit quòad fructus, addita pensione super pinguius beneficiū: si verò inæqualitas esset quòad dignitatē, tùnc inæqualitas non potest compensari, re temporali, quia esset simonia contrà Ius Diuinum. Flamin. *loco citato quæst. 5.*

7 Beneficium nequit permutari cum pensione coram Ordinario, nec cum iure decimarum, sepulturæ, patronatus, gratia expectatiua, &c. etiā multò minùs potest permutari cum patrimonio: coram Papa beneficium cum pensionibus Clericalibus permutari potest.

8 Commutantes, licèt ante sententiam possint inter se tractare, & agere de beneficijs permutandis, & pacisci in ordine ad Superioris consensum, tamen absolutè nō possunt pacisci, quia alitèr faciendo, simoniam committerent: possunt constituere Procuratores ad commutandum, vt etiam possunt constitui ad simplicitèr beneficiū deponendum, & ad illud dimittendum etiam in fauorem alterius, nec necesse est, Procuratorem esse Clericum, cùm Laicus in tali casu possit esse Procurator, & beneficium dicitur vacare, vbi Procurator permutat, nō autem vbi principalis commoratur; ideò si duo Clerici in Curia Romana commorantes, Procuratores extrà Curam constituunt, vt ipsorum beneficia permutent, beneficia dicuntur vacare extrà Curiam, & idcircò coram Ordinario loci est facienda.

9 Seruanda in permutatione constant ex supradictis: Primò, quòd permutantes tractare possint inter se de permutatione in ordine ad consensum Superioris, & tractatus possit fieri per Procuratores: Secundò, quòd in precibus debeant aperire qualitates beneficiorum, v.g. si sint curata, &c.: Tertiò, quòd solùm debeat permutari beneficium cum beneficio, si fiat coram Ordinario, at coram Papa potest permutari cum pensione, &c.: Quartò, cum pluribus potest vnum beneficium permutari modo, quo suprà.

10 Non

10 Non est licitum permutare beneficiã, pacto, vt alter permutantium soluat debita facta, nomine proprio, quia permutatio debet esse libera, & sine pacto: si verò debita essent contracta nomine Ecclesiæ, seù beneficij, cui præest, aut si æs alienum fuit in beneficium Ecclesiæ conuersum, tùnc cùm tale onus incumbat Ecclesiæ, seù beneficio; proindè in pactum deduci potest absque vlla simoniæ labe.

11 In iure non est statutum tempus, in quo ordinatus permutationem admittẽs, debeat conferre beneficium. Azor. *par. 2. lib 7. cap. 40. quæst. 2.*, licèt Superior possit inferiori Ordinario, apud quem beneficia permutantur præcipere, vt intrà certum tempus permutationem expediat, sin minùs ipse perficiet. Azor. *loco citato.*

12 Beneficia permutari possunt duabus de causis, ratione necessitatis, & vtilitatis Ecclesiæ, & præter has aliæ etiam numerantur, quæ ad istas reducuntur, vt maius Dei seruitium, vtilitas etiam particulariũ personarum: verùm si sola reciperetur commoditas temporalis personarum absque vllo respectu ad Diuinum cultũ, permutantes primò peccarent, quòd tamen peccatum non esset simonia, & probabile esset talem permutationem factam coram Ordinario fore nullam, & beneficia sic permutata vacare, & reseruata esse Pontifici, aut Superioribus Ordinarij. Admittẽs talem permutationẽ incurrit in pœnã suspensionis, de qua in Bulla Pij V.; alia permutatio, quãdo fit ipsorum beneficiatorũ causa, ità tamen vt commodum in bonum quoq; Ecclesiarum redũdet, vt si Clericus scito nequeat in loco habitare propter inimicitias, &c., vel non possit fungi suo munere ob linguæ imperitiã, &c. an Clericus possit compelli ad permutandum, res est dubia, quidam negant, alij verò affirmant, quãdo id Ecclesię necessitas postulat, quia Clerici in Ecclesiæ vtilitatem ordines susceperunt, *cap. Quaris de ætate, & qualitate, &c.*

13 Permutationis plures sunt effectus: Primus est, quod impediat oblationem in beneficijs: Secundus, quòd impediat, & excludat litteras expectatiuas: Tertius, per permutationem beneficia dicuntur vacare, eo loco, vbi fit permutatio: Quartus, admissis permutationibus, & collatis beneficijs eo ipso acquiritur ius, & titulus, iis, qui permutauerũt ante possessionem adeptam: Quintus, qui compleuit permutationem, adigere potest alterum ad complendum.

14 Permutatio in aliquibus casibus præsumitur fraudulenta: Primò, cum beneficium statim erat vacaturum, cum alio commutatur: Secundò, cum beneficium pingue commutat eum valdè tenui, nemo enim censetur iactare rem factam, & tantò magis, quando qui cõmutat pingue, fit aunnculus cum tenui, nepotis, vel alterius consanguinei, vel senex cum iuuene: Quartò, si qui beneficium resignat, retinet adhùc possessionem, præsumitur enim pactum inuitum cum altero de retinendis fructibus: Quintò, si beneficium resignetur in graui infirmitate; præsumitur enim, si superuiuat recepturus fructus ex pacto: Vltimò, quando permutatur beneficium inæquale, non præsumitur fraudulenta permutatio, nisi adsit magna inæqualitas, vel aliæ coniecturæ accedant.

15 Beneficia, quæ permutantur, dimittuntur, idcircò censentur vacare. Ità Clemẽt. *1. de rerum permutat.* & *cap. Licèt in 6.* An alter permutãtium possit redire ad beneficium, quo se abdicauit, quando alter permutationẽ complere nequit, vt si v.g. diem suũ obiret, antequàm commutatio esset finita, aut iusta causa permutationem perficere recusaret, respondeo ei tùnc licere beneficium suum repetere, *cap. Vniuersorum de rerum permutat.* & *cap. Si beneficia de præbend. in 6.*; nam qui causa permutationis suum dimittit beneficium, non ex se absolutè, & simpliciter abdicat, sed sub conditione, vt cum alio beneficio commutetur, ergò cõditione non impleta, beneficium dimittere minimè videtur, & licèt aliqui dicant, permutantem indigere noua auctoritate Superioris, vt reuertatur ad suum beneficium, eo, quòd beneficium permutans illud dimittit, & proindè non retinet ampliùs ius, & titulum in ipsum; verùm probabilior est sententia dicentium, non indigere noua auctoritate Superioris, sed ad ipsum posse reuerti propria auctoritate, quando permutationis effectus sine ipsius culpa non est subsecutus, ità plures apud Flamin. Paris. *lib. 1. de resignat. benefic. quæst. 14. num. 12.*: Ratio, quia permutans permutat conditionè, & dimittit suum beneficium, vt sequatur permutationis effectus, quo minimè secuto, ius suum retinere videtur, est tamen necesse, vt superior declaret eum posse redire ad suum beneficium.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Permutatio rei spiritualis, &c. est Iure Diuino prohibita.*
2 *Diuisio rerum spiritualium.*
3 *In permutatione beneficiorum requiritur auctoritas Prælati.*
4 *Quando debeat fieri compensatio in permutatione beneficiorum inæqualium.*
5 *Permutatio non potest fieri, &c. imponendo alteri pensionem.*
6 *Beneficium, quando possit permutari cum pensione.*

1 Permutare rem spiritualem cum re verè spirituali nõ est à Diuino Iure prohibitum, etiamsi commutetur ex pacto. S. Thomas *in 4. distinct. 25. quæst. 3.* Sotus *lib. 9. quæst. 5. art. 2.* Cou. *1. var. cap. 5. num. 4.* & alij: Ratio, quia vbi non est emptio, nec venditio, ibi non est prohibitio de Iure Diuino, sed requiritur, vt dictum est, vt res sit verè spiritualis, quia spiritualia annexa temporalibus non possunt commutari, quia difficile seruaretur proportio inter vnũ

& alterum annexum, iure Ecclesiastico prohibita est permutatio rei spiritualis cum re spirituali, & ideò beneficia priuata auctoritate permutari non possunt.

2 Extrà beneficia permutatio rei spiritualis cum re spiririrituali non est prohibita: verùm sciendum, inter spiritualia quędam esse purè talia, inter quæ etiam comprehenduntur functiones sacræ, quibus annexum est aliquod materiale, concomitãtèr & hæc prohibentur vendi, *cap. Ad nostram de simonia*; commutare autem non inuenitur prohibitum: quædam verò sunt mixta, & annexa temporalibus antecedentèr, vt vasa sacra, &c., & hæc commutari possunt cum alijs rebus eiusdem rationis, hoc est cum alijs vasibus sacris, vel rebus annexis spiritualibus antecedentèr, vt patet experientia, & vsu Ecclesiæ.

3 In permutatione beneficiorum requiritur auctoritas Prælati, & si sermo sit de permutatione simplici, & nullo adiecto onere, vel pensione, ex altera parte requiritur auctoritas Episcopi: nomine Episcopi intelligitur, qui habet iurisdictionem Episcopalem, etiamsi non habeat Dignitatẽ, si verò permutatio fiat, adiecto onere, vel pensione permutanti, requiritur auctoritas Papæ, & ità communitèr Doctores.

4 Si permutatio fiat beneficiorum inæqualium, quando excessus in spiritualibus tantùm est, non licèt compensare illum pecunia, vel alia re temporali, & talis cõpensatio auctoritate Prælati fieri non potest: si verò excessus sit in temporalibus, nec etiam pretio compensari potest: Ratio, quia cum ille excessus sit pars fructuũ beneficij, consequentèr rei annexæ spirituali, pro illo pacisci aliquid est simoniacum; auctoritate verò Papæ, potest fieri, quia Papa tãquã supremus Administrator potest separare partẽ illam fructuum, quę excedit alterius tenuioris beneficij fructibus, & applicare eam in sustentationem eius, qui beneficium tenuius recipit, & consequentèr fructus sic separati pecunia compensentur: tùm quia potest permittere, vt alter, qui recipit beneficium pingue det aliquid alteri non in compẽsationem, sed in sustentationem eius.

5 Permutatio beneficiorum imponendo alteri pensionem, etiamsi fiat auctoritate Episcopi, est prohibita Iure Diuino, datur enim spirituale pro temporali, nempè beneficium pro pensione, propria auctoritate, vel Prælati inferioris imposita, quia Prælatus inferior Papa non habet auctoritatem faciendi permutationes, nisi purè, & simplicitèr, *ex cap. vnic. de rerum permut.*, & non potest separare partem fructuum à beneficio, & alteri conferre: si verò fiat auctoritate Papæ, licitè potest fieri, & ità communitèr DD., & patet ex praxi Ecclesiæ.

6 Beneficium potest permutari cum pensione, quando pensio erecta est in titulum, vt sunt præstimonia: Ratio, quia talia pręstimonia habentur vt beneficium, & sicut vnum beneficium potest permutari cum altero beneficio, ità etiam cum præstimonio potest commutari, & ità communitèr Doctores: si pensio sit spiritualis, permutari potest cum beneficio Papæ auctoritate, non autem inferioris Prę-lati; pensio autem illa dicitur spiritualis, quæ Clericatum supponit, & quæ habet onus recitandi Officium Beatæ Virginis, atque adeò permutatur res spiritualis cũ alia re spirituali, quòd auctoritate Papæ potest fieri: quòd non possit fieri auctoritate inferioris Prælati, probatur, quia licèt pensio spiritualis sit, non tamen est beneficium, nec est perpetua, nec sua natura transfertur in alium; at inferioribus Prælatis tantùm concessum est, vt possint facere permutationes beneficiorum, & conuentiones permutare volentium approbare, & iura non sunt extendenda ad permutationẽ beneficij cum pensione, si pẽsio temporalis sit, non enim potest permutari cum beneficio: Ratio est, quia in tali permutatione venderetur beneficium pro re temporali, quia eo ipso, quòd pensio temporalis est, pretio est etiam æstimabilis, & vendibilis, atq; adeò si pro beneficio permutetur, habebat rationem pretij. Ità Filliuc. *tract. 45. cap. 7. num. 27.* & alij.

PARAGR. II.

Textus Sacrorum Canonum de rerum permutatione.

SVMMARIVM.

1 *Princeps potest rem Ecclesiæ immobilem per permutationem acquirere, data meliori, vel æquali.*
2 *Commutatio facta ab antecessore in damnum, &c. est reuocanda.*
3 *Mancipia Ecclesiæ non possunt permutari cum alijs.*
† *Item nec debent redigi in vsum sæcularium.*
4 *Præbenda, pacto præcedente, permutari non possunt.*
† *Episcopus de loco ad locum potest permutare personas.*
5 *Ecclesiæ, iure proprietatis, possunt ad inuicem permutari, &c.*
6 *Beneficia sua perdit, qui propria auctoritate commutat.*
† *Permutatio beneficiorum, quando non est completa, &c. restituitur pars ad suum.*
7 *Spirituale cum temporali permutari non potest.*
8 *Expectatiua non impedit permutationem.*

1 PRinceps potest ex causa rationabili commutare rem suam immobilem cũ re immobili Ecclesiastica, dũmodò res, quę datur, sit melioris, vel saltẽ æqualis bonitatis, & commutatio fiat de communi cõsensu partium. Ità *ex cap. Si Princeps 1. de rerum permutat.*

2 Commutatio facta ab antecessore in damnum Ecclesiæ, seù non seruato iure est reuocanda, *ex cap. Ut commutationes 2.*

3 Mancipia Ecclesiæ non possunt permutari cum alijs mancipijs, nisi remaneant libera, quia quòd Deo est dicatum, non debet transferri ad vsum humanum, vel nisi
† sint fugienda, *ex cap. Mancipia 3.* Mancipia Eccle-

Ecclesiarum non debent redigi in vsum sæcularium, serui tamen fugitiui Ecclesiæ possunt distrahi, *ex cap. Insuper 4.*

4 Præbendæ de iure permutari non possunt, præsertim vbi præcedit pactum, quia illud circa spiritualia, vel iis annexa sem-
† per habet labem simoniæ. Permutatio personarum de loco ad locum ab Episcopo potest fieri, *ex cap. Quæsitum 5.*

5 Ecclesiæ iure proprietatis permutari possunt ad inuicem, & possessiones earum etiam permutari possunt, & si prouentus vnius sunt vberiores, altera infundat pecuniam ad æqualitatem; contractu tamen rescisionis pecuniæ per se celebrato, ità vt cum contractu permutationis non misceatur, *ex cap. Ad quæstiones 6.*

6 Beneficia sua perdit, qui ea, propria au-
† ctoritate, permutat, *ex cap. Cum olim 7.* Permutatio beneficiorum si completa est vna parte, & per alteram stat, quominus impleatur, tunc datum est auferendum à possessore, & restituendum primo, & hoc vt venia detur simplicitati; nam iura subueniunt deceptis, & non decipientibus, *ex cap. Cum vniuersorum 8.*

7 Spirituale pro temporali commutari non potest, *ex cap. Exhibita 9.* Potest tamen dari temporale, vt quis liti cedat, & grauamini, si qui dat in re spirituali, habeat ius quæsitum. Ità D.Thomas *in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 2.* Suar. *lib. 4. de simonia cap. 50* & alij.

8 Beneficij vacantiam, quando quis expectat ex gratia Principis, non impedit, quin permutent aliqui sua beneficia renunciando liberè, ac sine fraude in manibus Episcopi, *ex cap. Licet de rerum permutat. in 6.*

PARAG. III.

Decretum Sacræ Congregationis de permutatione beneficiorum.

Permutatio Parochialis cum beneficio simplici, si eorum Ordinario iure fieri potest, requiritur nouum examen quoad Parochialem, sed absque concursu S. Congre Rit.

TITVLVS XIX.

De visitatione à Prælatis facienda.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi tenentur visitare suam Diœcesim, &c.*
† *Vicarius non habet ius visitandi.*
2 *Archiepiscopi non possunt visitare Diœcesim Suffraganeorum.*
† *Vbi inchoanda sit visitatio.*
3 *Ecclesiæ exemptæ possunt auctoritate Apostolica visitari.*
4 *Item Ecclesiæ Parochiales subiectæ militibus S. Ioannis, &c.*
† *Item Parochiis deputatis à Regularibus, &c.*
5 *Episcopus potest visitare Capitula Cathedralia.*
6 *Potest visitare Monasteria commendata, &c.*
7 *Extra visitationem non potest corrigere Clericos exemptos.*
8 *Non debet moram trahere in visitando.*
† *Potest ab iis, qui visitantur exigere procurationem, &c.*
9 *Quam etiam tenetur soluere Ecclesia, &c.*
10 *Quæ debeantur Visitatori, si sit Delegatus Apostolicus.*
11 *Potest Episcopus remittere procurationem, &c.*
12 *In defectum Ecclesiæ tenentur Laici ad procurationem.*
13 *Non potest exigere procurationem ab Hospitalibus.*
14 *Contra procurationem non currit præscriptio.*
15 *In aliquibus casibus debetur procuratio, etiamsi non fiat visitatio.*
16 *Ecclesia speciali priuilegio exempta non tenentur ad procurationem.*

1 Episcopi, & Prælati tenentur visitare suam Diœcesim iure communi quotannis, ita *cap. Dilectus, & cap. Episcopum, cap. Placuit 10. q. 1.*, & nullus Clericorum præ-
scriptione se tueri non potest, quin non visitetur, *cap. Cum non liceat de præscript.* Tale † ius non visitandi habent omnes, qui iurisdictionem ordinariam in aliquos obtinet, quales sunt post Romanum Pontificem, Patriarchæ, Archiepiscopi, &c. qui si non possint per seipsos visitare, per alios Delegatos visitare possunt; Vicarius generalis non habet ius visitandi, nisi specialiter demandetur ei ab Episcopo. Capitulum Sede vacante, habet ius visitandi, quia succedit Episcopo in iurisdictione, *cap. Super eo, cap. Cum Apostolus de censibus.* Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 40. quæst. 6.* Abbates, & alij Religiosorum Prælati habent ius visitandi in suis Monasteriis, *cap. Penultimo, & fin. de statu Monachorum*, Legati à latere habent etiam ius visitandi ex officio legationis sibi ab Apostolica Sede demandatæ, *cap. Cum Apostolus de censibus.* Item Legati nati, qui sunt à latere, quibus legatio Apostolica competit ratione dignitatis, in qua sunt constituti, *cap. Cum instantia, & cap. Procurationes de censibus*; alij verò inferiores, vt Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, &c. si carent iurisdictione ordinaria, non possunt visitare, secus verò si habeant iurisdictionem ordinariam, aut consuetudine immemorabili id habeant, vt statuit Concil. Trid. *sess. 24. cap. 3 de reformat.*

2 Archiepiscopi non possunt Diœcesim suorum Suffraganeorum, nisi causa cognita visitare, & probata in Concil. Synodali, debet tamẽ prius visitare propriã Diœcesim, quã Suffraganeorũ. Visitatio regulariter est inchoãda ab Ecclesia principaliori, licèt possint visitationẽ inchoare ab Eccle-
† sia, quæ sibi magis placuerit. Tenetur Clericus Episcopo visitãti suã Ecclesiã ad expensas necessarias, videlicèt ad victualia tantùm. Belletus *disquis. Cleric. par. 1. de Clerum debitore §. 11.*, & debentur expensæ etiamsi Episcopus visitaret in propria Ciuitate, vel loco suæ residentiæ, cum expensæ non tantum exigantur ratione interesse, sed ratione officij, & in signum subiectionis, nisi aliter sit consuetudine receptum, ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reformatione cap. 3.* Equorum autem vectura non veniunt nomine victualium. Azor. *par. 3. lib. 12. cap 30.*

3 Ecclesias exemptas possũt Ordinarij auctoritate Apostolica visitare singulis an-

nis, & illis opportunis remedijs prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur, &c. Item potest Episcopus visitare Monasteria Monialium, etiamsi sint immediatè Sedi Apostolicæ subiecta, & hoc non auctoritate propria, sed tamquam Delegatus Sedis Apostolicæ: quæ verò subiecta sunt Prælatis Regularium, non possunt ab Ordinario, seu ab Episcopo visitari.

4 Ecclesiæ Parochiales subiectæ militibus S. Ioannis, vulgò nunc, Maltæ, visitari debent ab Episcopis in his, quæ pertinent ad curam animarum, iuxtà motum Pij V., & non modo vigore dictæ constitutionis possunt visitare Parochos ab ipsis deputatos circà idoneitatem, verùm etiam Ecclesiam, Sacristiam, &c. Item Episcopus potest visitare Parochos deputatos à Regularibus ad exercendam curam animarum, cùm ratione Curæ subsint immediatè Episcopis quoad Curam, & ei in ijs, quæ pertinent ad Curam, obedire teneantur: Non potest tamen Episcopus visitare Monasterium, Dormitorium, &c.; cùm hæc non spectent ad Curam, sed ad Religiosos: nec etiam in Ecclesijs Regularium visitare possunt Altaria, Sacramentum Sanctissimæ Eucharistiæ, nec Capellas.

5 Episcopus potest visitare Capitula Cathedralium, &c., non priuatiuè, sed cumulatiuè ad Abbates, Decanos, & alios, quibus ante Concilium competebat ius visitandi, seorsum tamē ab Episcopis: Item potest visitare Capellas, & Oratoria priuata, vt respiciat, si honorificè habeantur, vt verum sint decenti modo constructa, & ornata, etiamsi absque auctoritate Episcopi sint fundata; item Collegia quæcumque, ac Confraternitates Laicorum, & etiam alia pia loca, quocumque nomine nuncupentur: Item etiam Confraternitates Laicorum in Ecclesijs Regularium exēptorum institutæ, quia subsunt iurisdictioni Episcoporum.

6 Episcopus ex Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 8.*, potest visitare Monasteria commendata, etiam Abbatias, Prioratus, Præposituras, &c., in quibus non viget obseruantia regularis; necnon beneficia tàm curata, quàm non curata, sæcularia, & regularia, qualitercumque commendata, etiam ab Episcopis exempta, tamquàm Apostolicæ Sedis Delegatus. Extrà visitationem non potest Episcopus

7 corrigere, & punire Clericos sæculares exemptos ab Episcopo, & alteri inferiori Ordinario intrà Diœcesim subiectos existentes. Barbos. *par. 3. alleg. 73. num. 4*

8 Ad euitandas expensas superfluas non debet Visitator sine iusta causa moram trahere, nisi necessitas aliud inducat, *cap. Inter cætera quæst. 10.* Abbas *in cap. Cùm Apostolus num. 6* & *in cap. Procurationes num. 3.* Archidiaconus *in cap. Felicibus de cens. in 6.* Potest Episcopus ab ijs, qui visitātur exigere procurationem, quam etiam tenentur soluere Oratoria, si Religiosa loca censeantur auctoritate Episcopi fundata, *cap. Placuit, cap. Episcopum*, Innocent. *cap. vlt. de offic. Archidiac.* & *cap. Cùm venerabilis*, quia secus, si sint solùm auctoritate priuata fūdata. Ab Hospitalibus, quæ visitantur, non potest exigere procurationem. Gloss. *in cap. Procurationes*. Confraternitates habentes Hospitale non possunt se excusare à solutione procurationis.

9 Ecclesiæ Ciuitatis cū ab Episcopo visitantur, debent contribuere procurationē: Ratio, quia tales expensæ non modò soluuntur ratione victus, &c., sed etiam ratione subiectionis. Abbas *in cap. Venerabili de censibus*, & ideo non debent extrahere expensas, quas domi fecisset, cum etiam detur tamquam laboris stipendium. Victualia, quæ dantur Episcopo, debent esse moderata secundùm facultatem Ecclesiæ, non autem est indebitè grauandus Clericus, *cap. Conquerente de offic. Ordinarij, cap. Cùm instantia, cap. Cum nuper.*

10 Si Visitator sit Delegatus à Summo Pontifice, ei debentur mercedes equorum, & viaticum, & ita Gloss. *in Clement. 2.*; si verò sit Ordinarius, ei non debentur vecturæ, neque debentur impensæ factæ in transitu itineris, nec illi resarcienda sunt damna, quæ passus est in itinere, cùm hæc non cōtineantur in nomine victualium. Visitatori, qui sine iusta causa repetit in anno visitationem, potest denegari procuratio. Azor. *3. par. cap. 42. quæst. 11.* Item si præscriptum à Canonibus in visitando modum excessit, nec sumptibus taxatis vti constaret. *Cap. Sancè, cap. Cùm à quorumdam, de excessibus Prælatorum.* Item si notoria esset Ecclesiæ visitatæ paupertas, Gloss. *cap. vltimo de censib.* vel si eo anno magna sterilitas fuerit. Vndè Rector Ecclesiæ non posset procurationē soluēdo, seipsum alere. Archid. *in cap. Relatum, cap. Cùm instantia*, & ibi DD., quia Clericus pauper non debet grauari in exhibenda procuratione, & ideo ad effectum, nè procuratio sit nimis grauosa, non debet Visitator sine iusta causa motam trahere supra diem vnū, nisi necessitas aliud inducat, *cap. Inter cætera 10. quæst. 3.* Abbas *in cap. Cùm Apostolus in 6.* & *in cap. Procurationes n. 11. 3.* Archidiac. *in cap. Felici de censibus in 6.* Si verò in præcedenti anno tanta vbertas fuisset, vt præsentem sterilitatem compensaret, tunc tenetur soluere procurationem. Henriq. *cap. Cùm Apostolus de censibus*: at si non præcedens annus, sed subsequentes vberiores fructus redderēt, isto sequenti anno procurationem soluere tenetur, si id sine incommodo Ecclesiæ facere potest.

11 Potest Episcopus remittere procurationem iusta causa, non quidem ex toto, quia est ius publicum. Gloss. *in Clem. 1. verf. legitima*, & in *Clem. 2. verf. compositiones de censibus*. In particulari verò procurationem quoties visitat, potest remittere, & suis sumptibus facere expensas; sola enim potestas iuris in posterum remittendi est adempta Abbas *in cap. Ex offic. num. 14.*

12 Non modò Ecclesia tenetur ad procurationem, sed etiam Laici in defectum Ecclesiæ, cùm hæc visitatio dirigatur in bonum

bonum Ecclesiæ Clericorum, & Laicorũ; & ideò æquè ab vtrisque procuratio debetur, vt ex *Concilio Lateranen.* Prælati non debent excedere certum numerum Equorum, &c. Archiepiscopi non debent excedere numerum 40. vel 50. Episcopi 20. vel 30. Archidiaconi 5. vel 7. Decani 2. nec debent ducere Canes Venatores, nec sumptuosas epulas quærere, sed debent accipere, quæ honestè, & competenter ministrantur.

13 Non potest Visitator exigere procurationem ab Hospitalibus, quę visitat Glos. *in cap. Procurationes.* Bonifac. *in Clemens. Quia contingit num. 49.* Ab huiusmodi tamen procuratione nõ potest se excusare Confraternitas habens Hospitale, cum Ecclesia, campanili, & campanis, & ibi celebrentur Missæ, cùm sit locus pius, & sic subiectus Episcopo.

14 Contra procurationem omnis præscriptio est prohibita: Ratio, quia manentè onere Visitationis, omnis præscriptio prohibetur; Idcircò etiam præscriptio contrà procurationem ratione Visitationis iure communi debitam, saltem secundùm iuris præsumptionem, tollit præscriptionẽ, cùm procuratio sit adnexa Visitationi, ac subinde ab illa, sicut de ista idem est iudicium; Vndè præscriptioni tolli non potest procuratio, quę iure communi debetur, quia est ius publicum; at verò procuratio, quæ debetur præscriptione, vel consuetudine, vel aliquo alio speciali iure, facilius tolli potest, quia non est ius publicum.

15 Procuratio in aliquibus casibus solui debet, etiamsi non fiat Visitatio. Primò, cùm priuilegio pacto constitutum est, vt procuratio debetur. Secundò, Legatis Apostolicis aliquò proficiscentibus sumptus, & Viaticum debentur ab ijs Ecclesijs, ad quas dum Legationis officium fungũtur, accesserint, etiam sine vlla visitatione, *cap. Procurationes, & cap. Cum instantia.* Tertiò, ratione fundationis præscriptionis, vel consuetudinis, quandoq; Procuratio debetur, etiamsi nulla visitatio intercedat. Azor. *lib. 3. cap. 42. qu. vlt.*

16 Ecclesiæ speciali priuilegio exemptæ nõ tenentur ad Procurationem, *cap. Cum instantia*, etiamsi in priuilegio non fiat specialis mentio exemptionis; & ideò Sacra Congregatio *in Augustana censuit* 14. *Decembris* 1630., Procurationem non deberi Episcopo visitanti Parochiales vnitas, & dependentes à Religione Hierosolymitana, à Vicarijs earumdem Ecclesiarum.

TITVLVS XX.

De Officio Archidiaconi.

SVMMARIVM.

† *Requisita ad Archidiaconum.*

1 Archidiaconi officium est esse Vicarium Episcopi in omnibus, & curam habere Clero posito in Vrbe, & Parochijs, & de eo est redditurus rationem de conuersatione honorum, & Doctrina Ecclesiasticorum; Item munus est Archidiaconi, cum Episcopo sacris operatur, Sanctum Euangelium legere, vel præcipere alicui Diacono, vt legat; Item dum celebrat Episcopus, præcipere Diaconis, vt induant se vestibus Sacris, & cum Episcopo ad Missæ Sacrificium procedant: ipsius quoque officium est, inter Acolytos munera partiri, quis eorum deferat Candelabrum, vel Turribulum; Item nullus cantet Epistolam, vel Euangelium, nisi prius Archidiaconus asseuleret: in Choro tamquã prima Dignitas post Pontificalẽ alijs Superior habetur, & ad illũ in Choro permanentè spectat in principio matutini, Horarum Canonicarum, &c. inthimare *Pater noster*. quo dicto, pariter spectat manu sua signum dare, vt incipiatur, & antequàm finis signum per ipsũ detur, nemo, officio expleto, è Choro egredi debet. Ità Sacra Congregat. Cardinal. negotijs Episcoporum, & Regular. Præpofit. *in vna Theatina sub die 8. Aprilis 1607.*

2 Archidiaconus est Custos Vasorũ Ecclesiæ; Item eius officium est Clericos ad Ordines promouendos examinare, atque probare, eosque nomine Sanctæ Ecclesiæ Episcopo ordinandos offerre: Sine mandato Episcopi non instituit in beneficijs etiam curam animarum habentibus; potest tamen de mãdato Episcopi mittere in corporalem beneficiorum possessionem institutos ab Episcopo, *cap. Ad hæc.* Cou. *lib. 3. var. cap. 16. num. 7* Et ideò vt dictum est, dicitur Vicarius Episcopi in omnibus, *cap. 1. de offic. Archidiac.* Rebuff. *in prax. tit. de forma Vicariatus num.* 199. Franciscus Leo *in Thesauro fori Ecclesiastici p. 1. cap. 2. num. 10.* Vndè Episcopo absente, & eius Officialibus Vicarij munus exercet, non autem sede vacante, nec etiam illos octo dies, quibus à Capitulo sede vacante Vicarij electio facienda est; & quia intra illos octo dies Capitulum potest, & debet ministrare. Quaranta *in Sum. sede vacante*, §. 12. Riccius *in prax. rerum fori Ecclesiastici in notabili de materia Vicarij à Capitulo, sede vacante.* Differt tamen Archidiaconus à Vicario Episcopi, quòd Archidiaconi officium est dignitati annexum, nec potest ad Nutum amoueri sicut Vicarius simplex; Prætereà Vicarius Episcopi ea exequitur, quæ ad Episcopum pertinent, quibus ob multas occupationes deseruire non potest. Archidiaconus verò officium habet ab Episcopi officio separatum, nec potest Episcopus eius officium exercere.

3 Archidiaconus sine licentia Episcopi non potest excommunicare. Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 14.* Item Archidiaconus non potest dare alicui litteras Dimissorias ad Ordines.

dines. Azor. *loco citato qu. 2.* Examinat tamē, & præsentat ordinandos, & ponit Prælatos in sede. Barbos. *de offic. Episc. p. 2. allegat. 10. num. 21.* Archidiaconus non habet iurisdictionem in Monasterijs Regularium, nisi consuetudo pacifica hoc ei concesserit, *Cap. Dilecto.*

4 Archidiaconatus est officiũ Ecclesiasticum cum iurisdictione, & continetur sub nomine Prælatorum. Abbas *in cap. Dilecti de Iurisdictione.* Idcircò dicitur prima Dignitas. Requisita ad Archidiaconũ sunt ista, Ætas debita, Scientia debita, Residentia, & Diligentia in exequendo officium, *cap. Perlectis distinct. 25.* Regulariter Archidiaconi non habent curam animarum de iure, licèt de cõsuetudine habere possint. Abbas *in cap. Cum cunctis, §. Inferiora, de electione, & cap. de eo, qui furtiuè ordinem suscepit, & in cap. Cum satis de offic. Archid.*

PARAGR. I.

Textus Sacrorum Canonum, De Officio Archidiaconi.

SVMMARIVM.

1 *Archidiaconi officium quod sit.*
† *Debet aliquando visitare Diœcesim.*
2 *Quænam spectent ad Archidiaconum.*
3 *Est etiam Custos Vasorum Sacrorum.*
† *Non potest committere curam animarum.*
4 *Non potest excommunicare.*
† *Eius officium quod sit.*
5 *Non potest concedere litteras Dimissorias, &c.*
† *Soli Episcopi id possunt facere.*
6 *Examinat, & præsentat ordinandos, &c.*
† *Non habet iurisdictionem in Monasterijs Regularium.*

1 ARchidiaconi officium est esse Vicarium Episcopi, &c. vt supra; ità *ex cap. Vt Archidiaconus 1. de offic. Archidiaconi.* Itē si Episcopus non potest, debet ipse quolibet tertio anno visitare Diœcesim, & corrigere quæ indigent emendatione, *ex cap. citato.*

2 Spectat etiam ad Archidiaconum legere Euangelium, vel præcipere alicui Diacono, vt legat; Item dum celebrat Episcopus, præcipere Leuitis, vt se induant vestibus Sacris, & procedant ad Missam. Itē disponere de Acolitis quis eorũ Candelabrũ, vel Turribulum gerat. Itē nullus cantet Epistolam, vel Euangelium, nisi priùs Archidiaconus asculter, *ex cap. Officium 2.*

3 Archidiaconus est etiam Sacrorum Vasorum Custos, de quibus rationem redditurus est, *ex cap. Ea, quæ 3.* Archidiaconus sine mandato Episcopi nulli debet committere curam animarum, consuetudine in contrarium non obstante. *Ex cap. Cum satis 4.*

4 Archidiaconus secundùm Ecclesiasticam Institutionem non potest excommunicare sine licentia Episcopi, *ex cap. Archidiaconus 5.* has Ecclesias semèl in anno visitare potest, nisi necessitas aliud exigat, *ex cap. Mandamus 6.* Eius officium est imperare Subdiaconis, & Leuitis, sollicitè ordinare Parochias, audire iurgia singulorum, cuius iurisdictioni subiacēt. Archiepiscopi, seu Decani est primus post Episcopum, & Vicarius Episcopi: ad ipsum pertinet Institutio corporalis pro Beneficijs, & Dignitatibus, examinare promouēdos ad Ordines, & Beneficia, &c. *Ex cap. Ad hæc 7.*

5 Archidiaconus non potest dare alicui litteras Dimissorias ad Ordines, & qui sic ordinatur, interdicitur vsu Ordinum ab Episcopo, *ex cap. Significasti 8.* Soli enim Episcopi Dimissorias concedere possunt, qui & ordinare valēt, *ex cap. citato*, Seraph. *decis. 989. num. 3.* Campanil. *in diuers. iur. Can. rubr. 6. cap. 3. num. 13.* & alij.

6 Archidiaconus examinat, & præsentat ordinandos, & ponit Prælatos in Sede, *ex cap. Vt nostrum 9.* Non habet iurisdictionem in Monasterijs regularium, nisi consuetudo pacifica ità ei concesserit, *ex cap. Dilecto 10.*

PARAGR. II.

Decreta Sacræ Congregationis Rit. De Archidiaconis.

ARchidiaconi officium est ministrare. *in Pisaurien. 20. Iunij 1600.*

Archidiaconus, si sit prima dignitas, debet exercere officium Presbyteri assistentis cum Pluuiali Episcopo celebranti, iuxtà formam ceremonialis, illique candelam, & palmam benedictam ministrare, dummodò sit in Sacerdotali ordine constitutus. *in Brixien. 28. Maij 1616.*

Archidiaconus, qui sustinet baculum Episcopi, dum celebrat, solenniter thurificandus est immediatè post Diaconos assistentes. *in Bracaren. 28. Aprilis 1607.*

Archidiaconus, qui sedet à dextris Episcopi celebrantis in Cathedrali, à dextris, pariter sedere debet, dum celebrat in Collegiatis. *in Thelesina 2. Martij 1602.*

Archidiaconus prima dignitas, absente, vel impedito Episcopo, præfertur Archipresbytero, &c. in omnibus functionibus Episcopalibus. *in Reatin. 9. Decemb. 1600.*

Decreta Sacræ Congregationis Concilij. De Archidiaconis.

ARchidiaconus, qui sit ex priuilegio Prothonotarius non lucratur fructus, & distributiones sui Archidiaconatus, si cum habitu Prothonotarij in Ecclesia, Choro, & Processionibus, ac Diuinis Officijs. Sac. Congr. Rit. *in Asculana in Apulia 6. Martij 1610.*

Archidiaconus Prothonotarius, non ex Altari, sed ex Sacristia, vt faciunt cæteri dignitates, & Canonici, debet sumere paramenta promissa priuata celebranda in Ecclesia Cathedrali. Sacra Congr. Rit. *6. Martij 1616.*

Archidiaconus, qui ex priuilegio est Prothonotarius, potest vti habitu Prothono-

tarij

tarij in actibus non competentibus sibi tãquàm Archidiacono. S. Congr. Rit. *in nullius Terræ Piscia 19. Ianuary 1613.*

Archidiaconus duos dignitate pares habens, potest residere, in quo sibi placuerit, dignior, tenetur in eo residere. Sac. Congr. Concil. &c.

Archidiaconus debet esse doctor, quamuis non habeat curam animarum, nec contẽtiosam iurisdictionem. *in Andrien. 1. Aprilis 1628.*

Archidiaconus, ad quem de consuetudine spectat conuocare Capitulum, &c., id potest, etiamsi non sit in sacris.

Archidiaconũ vocare non tenetur Episcopus, vt intersit examini ordinandorum S. Congr. *sub die 21. Ianuary 1617.*

Archidiaconus, durante visitatione propriȩ Ecclesiæ, non potest percipere fructus Canonicatus, quem obtinet ex dispensatione, vel ex illius Ecclesiæ consuetudine, nisi pro tribus mensibus vacationis causa à Concilio permissis.

TITVLVS XXI.

De officio Archipresbyteri Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Quis dicatur Archipresbyter.*
2 *Duplex est Archipresbyter.*
† *Officium Archipresbyteri quod sit.*
3 *Archipresbyter inseruit Episcopo in illis, quæ spectant ad munus Sacerdotis.*
4 *Archipresbyter ruralis quam auctoritate habeat.*
5 *Officium Archipresbyteri ruralis.*

1 QVemadmodum inter Episcopos, Episcoporum primus dicitur Archiepiscopus, & inter Diaconos primus dicitur Archidiaconus; sic primus Presbyterorũ, Archipresbyter vocatur, quasi Presbyterorũ primus; vnde Archipresbyter subest Archidiacono, cuius mãdatis, sicut Episcopi obedit: habet curã supra Presbyteros, & absente Episcopo, solenniter Missam canit, vel is, cui ipse iniungit, *cap. Vt Archipresbyter.*

2 Duplex est Archipresbyter, vnus vrbanus, & alius ruralis, seu foraneus; vrbanus est, qui in Vrbe degens, præest dignitati in Cathedrali, seu Collegiata Ecclesia: ruralis verò, vel foraneus, qui vni Ecclesiȩ præest Parochiali, seu Plebaniȩ; Archipresbyter Ciuitatis habet curam, & sollicitudinem de omnibus Sacerdotibus, vt diligentèr faciant sacrum, & horas soluant: absente verò Episcopo, Missarum solennia celebrat, & collectam, aut ille, cui ipse iniunxerit, *& in cap. Ministerium de officio*

† *Archidiaconi.* Dicitur, officiũ Archipresbyteri in eo constitui; vt diligentẽ curã prouideat ministerium Sacerdotum, qui solenne debent agere officium, in communicatione Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi; Episcopo solennitèr celebranti assistere, & Sacerdotibus præcipere, vt sacris se induant, & quomodo ad Missam procedere debeant, & absente Episcopo, ad vicem eius Missarum solennia, & Diuina Officia celebrare, *cap. Perlatis, cap. 1. & 2. de offic. Archipresbyteri cap. Pontifices*, & feria 4. Cinerum cum pœnitentes ab Ecclesia expellantur, eorum capitibus cineres imponere, & feria 5. in Cœna Domini, cum reconcilientur in ingressu Ecclesiæ, eos Episcopo repræsentare; item in absentia Episcopi, vel ipso infirmo, fontes benedicere, & pœnitẽtiam, aliaque Sacramenta ministrare, *cap. 2. de offic. Archipresbyteri.*

3 Sicut Archidiaconus Episcopum in ijs, quæ ad ministerium pertinent, ex officio adiuuat; ità Archipresbyter in his, quæ ad munus Sacerdotis spectant, eidem inseruit, & est quasi Parochialis Sacerdos, omnibus post Episcopũ in administratione Sacramẽtorum præstãs, dignitati enim præest, & habet curam animarum in Cathedrali, quæ Parochia totius Ciuitatis dicitur, Guttier. *canon. quæstionum lib. 1. cap. 27. num. 23.* & alij. Nam & ipse omnibus de Diœcesi Sacramenta ministrat, confessiones omnium de Diœcesi audit, & absoluit, & pœnitentias iniungit, præterquàm in casibus Episcopo reseruatis, quȩ potestas Archipresbyteri est ordinaria, cum eam habeat à iure.

4 Archipresbyter ruralis eam habet auctoritatem, quam illi voluerit dare Archiepiscopus: gerit causam non modò plebis, sed etiam aliorum Presbyterorum, & cuncta debet referre ad Episcopum, nec potest ordinare aliquid contrà Decretum Episcopi, & quælibet plebs debet habere suum Archipresbyterum, *cap. Vt singulæ*, Sbroz. *de offic. Vicary lib. 1. quæst. 3. num. 18.* Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 15. quæst. 4.*

5 Officium Archipresbyteri ruralis est gerere imperium vulgi sollicitudinem, & habere alios Clericos, qui per minores titulos vnusquisque opus suum exerceat, nec non cuncta, quȩ ad salutem suȩ plebis spectant, significare Episcopo tenetur, nec aliquid cõtrà eius officium ordinare præsumat. Vndè potest Clericos sibi subiectos coercere, & ad suam obedientiam reducere. Qualitates eorum sunt, ordo Sacerdotalis, ætas, scientia, prudentia, bonitas, quȩ beneficiatis Curatis conueniunt.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum de officio Archipresbyteri.

SVMMARIVM.

1 *Archipresbyter Ciuitatis subest Archidiacono.*
2 *Habet curam, & c de omnibus Sacerdotibus.*
3 *Archipresbyteri Vrbani officium.*
4 *Item Archipresbyteri ruralis officium.*

1 ARchipresbyter Ciuitatis subest Archidiacono, cuius mandatis sicut Episcopi obedit: habet curam suprà Presbyteros, & absente Episcopo, solennitèr Missam canit, *ex cap. Vt Archipresbyter, de officio Archipresbyteri.*

2 Ha-

2 Habet curam, & sollicitudinem de omnibus Sacerdotibus, qui sunt Cardines Ecclesię, vt diligentèr faciant Sacrum, &c., absente verò Episcopo, prouidet, & supplet officia Sacerdotum, vt fontes benedicere, &c., exceptis ijs, quę sunt illi prohibita, *ex cap Ministerium* 2.

3 Archipresbyteri Vrbani officium est, absente Præsule, vice eius, inchoare officium, benedicere in Ecclesia, in Matutino, Missam cantare, vel imponere alicui, vt cantet, & celebrante Episcopo iubere Sacerdotibus, vt se induant vestibus sacris, &c., *ex cap. Officium* 3.

4 Archipresbyter ruralis Presbyterorum & Laicorum suæ Plebaniæ curam gerit, Decretum Episcopi nihil ordinare potest, & quælibet plebs debet habere suum Archipresbyterum, *ex cap. Vt singula* 4.

PARAGR. II.

Decreta Summorum Pontificum. De Archipresbyteris.

ARchipresbyter S. Petri in Vaticano habet eamdem iurisdictionem, quam habet Archipresbyter S. Mariæ Maioris, & absoluit beneficiatos, & Clericos à quolibet iuramenti vinculo ad effectum agendi. Paulus III. *const.* 35. *incip. Cum dilectus Kal. Nouembris* 1542.

Archipresbyter S. Mariæ Maioris de Vrbe amplissimas habet facultates in cognoscēdis causis spectantibus ad Capitulum; beneficiatos, ac ministros in dicta Ecclesia, & tangentibus tam personas, quàm res Capituli actiuè, & passiuè, summariè, & de plano, ac procedit etiam in obligationibus Cameralibus, & eius auctoritas extenditur etiam ad Religiosos, & priuilegiatos. Paulus III. *const.* 19. *incip. Cum sicut de anno* 1538.

Decreta Sacrę Congregationis. Rituum. De Archipresbyteris.

ARchipresbyter manutenēdus est in sua quasi possessione celebrandi Missas, absente Episcopo, non obstante contradictione Vicarij. *in Tranen.* 21. *February* 1604.

Archipresbyter substitutus debet cantare Missas, quæ ad Archipresbyterum pertinent, nec locum, & honorem incensi, & pacis ipsius Archipresbyteri percipere. *in Mangren. nullius* 14. *Decembris* 1602.

Archipresbyter, si non poterit celebrare, non potest Missas suo arbitrio alteri delegare, sed dignitates, & Canonici per ordinem subintrant in locum Archipresbyteri. *in Tarentina Eryptalsarum* 3. *Septembris* 1605. & in eadem causa 24. *Octobris* 1609.

Archipresbyter non debet se intromittere in regimine Chori, quod ad solum Cantorem pertinet. *in Tarentina Eryptalsarum* 3. *Septembris* 1605.

Archipresbyter debet thurificari duplici ductu, sicut Canonici, non obstante constitutione Capitulari, cui per cæremoniale derogatum est. *in Perusina* 23. *Marty* 1602.

Archipresbytero, ratione stolę debetur pręcedentia. Sacra Congr. Rit. *in nullius* 12. *Maij* 1612.

Archipresbytero sedem paratam habere non conuenit. Sacra Congr. Rit. *in Baren.* 4. *July* 1615.

Archipresbyter licèt sit prima dignitas, in Choro tamen cedere debet primum, & digniorem locum Canonico celebranti. Sacra Congr. Rit. *in Arboren.* 27. *July* 1601.

Archipresbyter, qui sit prima dignitas debet in primo ingressu Episcopi accipere Pluuiale, & Crucem osculandam porrigere, & alias functiones facere, quę ex cæremoniali ad primam dignitatem, vel digniorem de Capitulo spectant. S. Congr. Rit. *in Palmen* 30. *January* 1616.

Archipresbyter Collegiatæ paratus præcedit Canonicis Cathedralibus. S. Congr. Rit. *in Fondan.* 20. *Nouembris* 1601.

Archipresbyter Vicario Episcopi, vti Canonico in Choro, Capitulo, Processionibus, alijsque actibus publicis præcedere Missas solennes canere, aliasque functiones, quæ Episcopo absente, primæ dignitati competunt peragere debet. Sacra Congregat. Episcop. & regul. *in Lancianen.* 8. *Marty, & 31. Augusti* 1615.

Archipresbyteri per Diœcesim, priùs, quā accedant ad Cathedralē obedientiam Episcopo pręstandam, vel vt Synodo intersint, non debent sedere in Choro simùl cum Canonicis Cathedralibus. S. Congr. Rit. *in Letteren.* 14. *January* 1612.

TITVLVS XXII.

De Decanis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Decanus nullam habet iurisdictionem.*
† *Ex consuetudine aliquando habet.*
2 *Confunditur aliquando cum officio Archipresbyteri.*

1 DEcanus iure Canonico nullam habet iurisdictionem, quare eius munus, & auctoritas ex consuetudine pendet, & per consequens censetur esse in dignitate, vel Personatu, vt colligitur *ex cap. Super specula, nè Monachi*, vel Clerici, & ex iuribus, quę continentur *in capite Multa de prabendis*, & ex extrauaganti Ioannis 22. *execrab. de prabend.*
† *&c.* Similitèr ex consuetudine in multis Ecclesijs habet iurisdictionem, ità vt censuras ferre possit, quia vt constat *ex cap. Dilect. de appellat* Decanus, de quo ibi agebatur, poterat sacris interdicere, *& cap Dilecto de sentent. excommunicat.*, Decanus poterat excommunicationis pœnam irrogare, & *ex cap Irrefragabili* §. *excessus de offic. Iudic. Ordinarij in* 6., Canonicorum Collegium, cui Decanus præest, poterat Sacris interdicere Ciuitatis, si quis scire cupit plura de munere Decani, consulat Fratrem Hieronymum Romanum *de Repub. Christiana lib.* 3. *cap.* 10., Cardinalem Thuscum *practic. eōcl. tom.* 3. *par.* 2. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 41. *cap.* 1. *n.* 20. & alios.

2 Con-

2 Confunditur aliquãdo cum officio Archipresbyteri, quoniam in aliquibus Ecclesijs præest toti Canonicorum Collegio in cõsessu,& comitijs;dicitur Decanus, & aliquando Præpositus. Ità Azor. *cap.* 17. Ideò in multis Ecclesijs iurisdictionem habet,*ex cap. Dilectus de appellat.*, & est ordinaria,non tamen iure communi, sed consuetudine acquisita: Vndè etiam dici potest habere curam animarum, cùm illam in Canonicos exercere possit. Filliuc. *loco citato.*

P A R A G.

Decreta Sacræ Congregationis Rituum. De Decano.

DEcano Capituli, & non Cantori pertinent aliquæ præeminentiæ in Choro,& prætertim,mandare incipi officia; dare signum,signum incipiendi Lectiones,& facere signum exeundi de Choro. 2. *Septembris* 1600.

Decanus,& Dignitates, ac Canonici tenentur,non ex vrbanitate, sed ex debito,associare Episcopum, dum venit ad Ecclesiam cum Cappa, vt celebret, vel Diuinis assistar, & dum ab Ecclesia domum redit. 10. *Ianuarij* 1609.

Decanus, & antiquiores, ac digniores Canonici præcedere debent Gubernatoribus Capitularibus electis,Sede vacante. Sacra Congregatio Rit. *in Elboren.* 25. *Ianuarij* 1603.

Decanus debet cedere primum locum Canonico, seù alteri Presbytero parato officium facienti.24.*Octobris* 1609.

Decanus cum aliquibus Canonicis, cæteris inscijs,& non legitimè vocatis,& extrà locum Capitularem nõ potest quicquam statuere, vel determinare, quod ad Capitulum,vel Ecclesiæ commodum, vel incommodum pertineat.7.*Octobris* 1606.

Decano Missam celebranti in diebus solennibus debent duo Canonici assistere, & ministrare pro Diacono, & Subdiacono, si mansionarij, quibus animarum cura incumbit,in ipsius exercitio eo tempore sint impediti.14.*Februarij* 1615.

Decretum Sacræ Congregat. Concilij. De Decanis.

DEcanus,Dignitates, & Canonici tenentur assistere Episcopo celebranti iuxtà formã libri cæremonialis 12. *Decembris* 1620.

TITVLVS XXIII. De Primicerio Ecclesiæ.

S V M M A R I V M.

1 *Primicerij officium.*
2 *Primicerius est Dignitas,vel Personatus.*
3 *Primicerius est sub Archidiacono,&c.*

1 PRimicerius est sub Archidiacono, vt Archipresbyter: Eius munus est,Officia Diuina,horarias preces in Choro piè, & studiosè cantare, vt Diuinæ Laudes studiosè celebrentur; distribuere Lectiones Nocturnorum Diaconis,& alijs, & responsoria Cantoribus,& eos instruere, vt sensum habeant. Magister scholæ olim dicebatur, qui in Cathedralibus constitutus, Clericos omnes inferiores cantum latino sermone, & alias artes,ac disciplinas docebat. Cantor ille erat, qui præerat toti Cantorum Choro in duas partes diuiso, & Antiphonas, & Salmos inchoabat; hic primus,seù Præfectus, ratione cãtus, quia cæteros docet,quid sit canẽdum, in Choro Primicerius dictus est,& ità *cap.Perlectis*, Petrus Gregorius *Syntagmatum iuris lib.* 15 *cap.* 22. Dicitur etiam Primicerius, qui in quocumque loco primum locum obtinet, & ideò Primicerius dicitur primus, quasi in eo Officij genere. Vndè datur Notariorũ Primicerius:qui verò Primicerium sequebatur in quocumque ordine,dicebatur Secundicerius.

2 Primicerius est Dignitas, vel saltem Personatus; & ità Gastald. *in praxi caremoniali lib.*1.*sect.*9.*cap.*7. Et ille vbicunque fuerit, honorificum habet locum, iuxtà locorum consuetudinem, & Sac. Congr. *in vna Capuana* 28. *Aprilis* 1607. decernit, Primicerium debere in Processione capere Pluuiale, sicut Dignitas, & non Planetam, sicut Canonicus, & in hoc attendenda est Ecclesiæ consuetudo. Isti alio nomine dicũtur Magistri cæremoniarum, quia præsũt in docendo Diaconis, & reliquis gradibus Ecclesiasticis in ordine positis,cæremonias ad cultus Diuini augmẽtum,& honorem Dei.

3 Primicerius est sub Archidiacono; vt Archipresbyter, distribuit Lectiones Nocturnorum Diaconis,& alijs, responsoria Cantoribus,& eos instruit, vt sensum habeant,*ex cap. Primicerius de offic.Primicerij* 1.

P A R A G.

Decreta Sacræ Congregationis Rituum. De Primicerijs.

PRimicerij licèt dubitetur,an sint veræ Dignitates,debent in Processionibus, sicut Dignitates, Pluuialia deferre, & non sicut Canonici Presbyteri Planetas 28. *Aprilis* 1607.

Primicerij ad regendum Chorum destinati non sunt indè amouendi,vt assistant Episcopo 6.*Septembris* 1628.

TITVLVS XXIV. De Thesaurario, & Sacrista Ecclesiæ.

S V M M A R I V M.

1 *Thesaurarius quis dicatur.*
† *Thesaurarius nullam habet dignitatem.*
† *Nunc verò ex consuetudine,&c. habet.*
2 *Thesaurarius antiquitùs perindè erat,ac Sacrista.*
3 *Sacrista officium.*

1 The-

1 Thesaurarius appellatur à custodiendo thesauro Ecclesiæ: Ita Isidorus *in cap. Perlectis dist. 25.*, & videtur in Ecclesia introductus tanquam Coadiutor Ostiarij, qui Ordinem Ecclesiasticum habet, & eius munus est claudere, & aperire ianuas ad fores Ecclesiæ: nam Ostiarii Coadiutorem fuisse Sacellarium ex deputatione temporalis Sacerdotis, & Sacellario successisse Thesaurarium, refert Henriq. *in sum lib. 10. cap. 9. §. 2.* Vnde Thesaurarius propter rerum administrationem nullam dignitatem, aut officium habebat, sed tantùm officium Ecclesiasticum, vt tradunt Rebuff. *in praxi tit. seculare Beneficium*, Petrus Greg. *cap. 39.* & alij. Deindè ex consuetudine, & omnium ferè Ecclesiarum statuto inter dignitates referri cœpit. Vndè nunc temporis Thesaurarius censetur habere dignitatem, quia in Choro, consessu, comitijs, & suffragijs ferendis, gradum, & honorificum locum habet, tum ex collationibus, tàm Apostolica, quàm ordinaria facultate factis de illa, tamquàm tertia dignitate, tùm etiam ex alijs iuribus.

2 Thesaurarius antiquitùs perindè erat, ac Sacrista, quia ad eius curam pertinebat habere custodiam sacrorum vasorũ, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius Thesauri Ecclesiastici, necnon quę ad luminaria pertinent, siuè in cera, siuè in oleo; nunc verò distinguitur à Sacrista, quia nunc censetur habere Dignitatem, vel Personatum, & ideò vt dictum est, locum habet honorificum in comitijs, in suffragijs ferendis, &c. Sacrista verò non tenet honorificum locum in consessu, &c.

3 Sacrista est sub Archidiacono: habet curam vasorum sacrorum, &c., & eorum, quæ pertinent ad luminaria, in cera, & oleo, *ex cap. Vt. sciat 1. de offic. Sacristæ.*

TITVLVS XXV.

De Præpositis Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

1 *Præpositus quis dicatur.*
2 *Maior est Dignitas, quàm Decanatus.*

1 PRæpositi, secundùm nominis proprietatem, dicũtur omnes aliorũ Prefecti, & qui alijs præsunt. Vndè Præpositi castrorum dicebantur, qui Præfecti erant militibus, præsidij causa, degentibus in Prouincijs, de quibus *leg. Viros, C. de diuers. offic.* Et licèt Præpositus non habeat Dignitatẽ à iure communi introductam, sed officiũ, vt notat Ioannes Andreas *in cap. 1. num. 3. de consuetud. in 6.* In quibusdam tamen Ecclesijs toti Canonicorum Collegio preficitur, ità Aloys. Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiastici resol. 558 num. 3.* Et ideò Præpositi dicuntur, qui in Ecclesijs Cathedralibus, siue Collegiatis præcipuam gerunt Dignitatem cũ animarum cura, & iurisdictione eo, quòd toti Canonicorum Collegio præsunt, & sic in Archidiaconi locum in aliquibus Ecclesijs creduntur successisse; ità Petrus Greg. *Syntagmatum iuris lib. 11. cap. 18. num 6.* Azor. *2. p. lib 3. cap. 18. qu. 4.* Gastaldus *in prax. ceremoniali lib. 1. sect. 8. cap. 7. num. 6.* Vbi subdit, quod in illis partibus, in quibus talis reperitur Dignitas, iuxta locorum consuetudinem, honorarium locum obtinere debet in Choro; & præcipuè cum Diuina officia celebrantur.

2 De iure est maior Dignitas, quàm Decanatus, quia alijs præponitur, *cap. Quamquàm, de verbor. significat.* Et vt dictum est, aliquando censetur principalior Dignitas, &c.

TITVLVS XXVI.

De Prioribus Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

1 *Priores sunt in duplice differentia.*
† *Sæculares etiam in duplici differentia.*
2 *Regulares etiam in duplici differentia.*
† *Claustrales Priores qui sint.*
3 *Prioratus Regularis potest concedi à Papa ad vitam.*
4 *Prioratus habet annexam curam animarum.*
† *Officium Priorum Sæcularium.*
† *Officium Priorum Regularium.*

1 PRiores sunt in duplici differentia, quidam sunt Sæculares, quidam verò
† Regulares. Sæculares etiam sunt in duplici differentia, alij rurales, qui curam animarum absque Collegio habent, sed Parochialem simplicem; Collegiales verò sunt personæ principales, quę in Collegiatis Ecclesijs toti præsunt Canonicorum Collegio, sicut iuxtà Regulam Sancti Benedicti, Præfectus Monasterij, Conuentus Abbas appellatur, & iuxta Regulam S. Augustini, Prior, siue Præpositus, sic in multis Ecclesijs Collegialibus à primarijs iuris extructis, fundatis, vel dotatis, Præfecti aliquãdo Abbates, aliquando Priores vocantur. Prior igitur sæcularis est Dignitate præditus, & habet iurisdictionem ordinariam in Clericos, & pariter animarũ curã; & iste Prior, vt sic principalis Dignitas in Ecclesia Collegiata, & regulariter habeat curam animarum, debet esse constitutus in ætate 25. annorum inceptorum, vt resoluit Garzias *de beneficijs p. 7. cap 4. num. 65.* Filliuc. *tom. 3. tract. 4. cap. 5.* Barbos. *de offic. & potest. Episcopi p. 3. allegat. 60 num. 64.*

2 Priores Regulares sunt etiam in duplici differentia, alij sunt connaturales, qui Collegium, & Conuentum habent, *cap. Scriptum de elect.* licèt magis propriè Priores Conuentuales dicantur, qui Conuentui Religiosorum præficiuntur cum administratione bonorum, iurium, & iurisdictionis in ijs, quæ ad regulam concernunt, qui Prioratus non sunt collatiui, sed electiui, *Clemen. 2 de rescript.* Prioratus Conuentualis est Dignitas, siue Dignitatis nomen sumatur pro officio Conseruatoris, aut Iudicis Delegati Apostolici, siue pro beneficio Ecclesiastico, *cap. Nisi essent de Prebend., Clem. 2. de rescript.* Claustrales Priores sunt, qui post Abbatem, seu Priorem principalem eidem Conuentui intra Clau-

stra

ſtra perficiuntur cum adminiſtratione iuriſdictionis tantùm circa ea, quæ ad Clauſtrum, & regulam Monachalem pertinent; qui Prior non eſt Dignitas, ſicut eſt Prior Conuentualis: Ratio diuerſitatis eſt, quia Prior Conuentualis toti Conuentui, ſeu Monachorum Collegio præeſt; At Prior Clauſtralis, non ita, quia non eſt niſi in Monaſterio cui præſidet Abbas; & Ita ipſe eſt ſub Abbate, à quo conſtituitur, vt Clauſtri in Monaſterio curam habeat, iuxtà regulam, ac Monaſterij diſciplinam.

3 Prioratus alicuius Monaſterij concedi poteſt à Papa alicui Monacho ad vitam, ſed alius citrà Papam, non poteſt, nec Prior fit, vbi duo Monachi ſtare non poſſunt. Abbas *in cap. Cùm inter de elect. nu. 2. & 10.* Abbas *in Clem. Ne in agro de ſtatu Monachorum.*

4 Prioratus, qui habet annexam curam animarum, Priores Sacerdotes eſſe debent, cùm ſolùm Sacerdotes poſſint exercere curam animarũ. Officium Priorum ſæcularium eſt perpetuum, ſicut etiã perpetuæ ſunt Dignitates: officium Priorum Regularium non eſt perpetuum, ſed temporaneum, iuxtà ſtatuta cuiuſcumque Ordinis; & licèt ſit officium temporaneũ, tamen cenſetur habere dignitatem, cùm obtineat primum locum in Monaſterio, & habeat iuriſdictionem. Prior verò Clauſtralis, iuſta cauſa, remoueri poteſt ab officio, cùm eius officium non ſit Dignitas.

PARAG. I.

Decreta Sacræ Congregationis Rit. De Prioribus.

Priori Eccleſiæ Cathedralis, qui in eadē Eccleſia, dùm erat Eccleſia Regularis, habebat iuriſdictionem, & primum locū ſeparatum ab alijs in Choro, cũ puluino, poſtquàm Eccleſia fuit ſæcularizata, & omnis iuriſdictio reſeruata Archiepiſcopo, declaratur tantùm conuenire prima ſedes in Choro, tamquàm primæ Dignitati, ſed ſine puluino, & non ſedes ſeparata. *In Tarantaſien. 23. Ianuarij 1610.*

Prior Collegiatæ non habet præcedentiam ſuper Canonicos Cathedralis. *In Tuſcanen. 19. Auguſti 1619.*

Prior Collegiatæ dùm in Cathedrali ſimùl cum illius Dignitatibus, & Canonicis intereſt, duplici ductu Thuribuli thurificandus eſt. Eadem.

Prior Collegiatæ, qui caput eſt Capituli, & Dignitas vnica, cui ſolent à Sede Apoſtolica cauſæ committi, præcedit Canonicis Cathedralis non Collegialiter, ſed vti ſingulis incedentibus. *In Viterbien. 20. Decemb. 1601.*

Prior, vtì dignior, præcedit omnibus alijs Beneficiatis, licèt antiquioribus. *In Hiſpalen. 5. Iuly 1632.*

Prior, ſeu Presbyter Curatus, ratione ſtolæ, debet præcedere omnibus alijs Presbyteris, etiam Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ. *In Saxo Ferraten. Lucerinæ Diœceſis 24. Octobris 1609.*

TITVLVS XXVII.

De Canonicis Eccleſiæ.

SVMMARIVM.

1 *Canonici vndè dicantur.*
2 *Canonicus eſt duplex.*
3 *Quando Canonicus ſine Prabenda poſſit eligi.*
4 *Canonici poſſunt diminuere numerum Prabendarum, &c.*
† *In Eccleſia quot Beneficiati inſtituendi.*
5 *Canonici poſſunt bona deſtinare in communi, vt ipſis diſtribuantur.*
6 *Quod ſit munus Canonicorum.*
8 *Canonici ſupernumerarij in ſolis Cathedralibus creari poſſunt.*
8 *Obtinens priuilegium Canonicatus, &c. An teneatur ad onera Canonicatus.*
† *Canonicus ſubmiſſa voce recitans officium, non poteſt integras diſtributiones recipere.*
9 *Nomine Clericorum quando veniant Canonici.*
10 *Canonicatus an ſit Dignitas.*
11 *In eadem Eccleſia non poteſt Canonicus habere Canonicatum, & Dignitatem.*
12 *Canonicus non Subdiaconus non habet ius ferendi ſuffragium.*
13 *Canonicus tenetur ad reſidentiam.*
14 *Præter Canonicatum, non poteſt habere beneficium ſimplex in eadem Eccleſia.*
15 *Quando liceat augere, vel diminuere numerum Canonicorum.*
16 *Nihil poteſt recipi pro receptione Canonici.*
17 *Canonicus quanto tempore poſſit abeſſe.*
18 *Præcipuum officium Canonicorum quod ſit.*
19 *Tenentur deputare Lectorem Theologiæ.*

1 Canonici dicti ſunt à Canonica penſione, quæ eis tamquam merces, & ſtipendium, diſtribui ſolebat; quæ penſio ſolùm præbebatur iis, qui erant in numero Canonicorum cooptati, nam eo ipſo, quo quis erat in Canonicum admiſſus, ius acquirebat ad portionem illam ordinariam, & regularem Canonicis debitam. Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 31. qu. 1.*

2 Canonicus eſt duplex, vnus Cathedralis, & alter Collegiatæ. Canonici Eccleſiæ Cathedralis ſunt cæteris præſtantiores, & digniores, eò quod Cathedralis Eccleſia Collegiatam honore, & dignitate ſuperet; & quando à Summo Pontifice non eſt determinatus numerus certus Canonicorum, poteſt aliquis in Canonicum eligi ſine Præbenda, licèt talis Canonicus ſic receptus debeat recipere diſtributiones, quæ dantur intereſſentibus Diuino officio. Azor. *loco citato quæſ. 3.* Et licèt aliqui dicant, talem Canonicum non eſſe propriũ Beneficiatum, cùm non habeat ius in Præbenda, ſed ſolũ ius ad eam; vndè fit, vt talis Canonicus dicatur Canonicus in herba; Veriùs tamen poteſt dici Beneficiatus, cùm iure percipiat diſtributiones quotidianas, & habeat alia iura Beneficiati, nimirùm ſuffragium in Capitulo, &c.

3 Non modò vnus Canonicus, ſed plures ſine Præbenda eligi poſſunt, vbi auctoritate Pontificis non eſt determinatus numerus, & ità conſuetudine in pluribus Ec-

clesijs seruari, quibus deindè ordine quodam seruato Præbendæ, quæ vacuæ sunt, conferuntur: Azor. *loco citato qu. 6.* Primus tamen Electus non habet ius ad primam Præbendam vacaturam. Ratio, quia solus Pontifex potest dare ius ad beneficia primò vacatura; & ideò Collegium Canonicorum potest quidem recipere aliquem in Canonicum, sed non potest illi promittere, aut dare Præbendam primo vacaturam, & si fuisset facta promissio de Præbenda primo vacatura, promissio esset irrita, iuxtà Abbatem *in capite relatum*; & ità *cap. Dilectus 1. de Præbend. in 6.*

4 Canonicus potest diminuere numerum Præbendarum, cùm non sufficiant ad sustentandum numerum præscriptum Canonicorum; ideò iure possunt Præbendas redigere ad eum numerum Canonicorũ, qui ex redditibus honestè viuere queunt. In Ecclesia tot sunt Beneficiati instituẽdi, quot possunt ex illius prouentibus sustentari, *cap. 1. de Instit.*, & *cap. 1. de statu Regular. in 6.* Verùm si numerus Canonicorum sit certus, & definitus, vel consuetudine, vel Romani Pontificis auctoritate, non possũt Canonici sua auctoritate eum numerum minuere, vel supprimere. Abbas *in cap. Dilecto 2. de Præbend.*

5 Possunt Canonici bona in communi destinare, & ita Præbendas singulis assignatas, in eos distribuere, vt ex illis totum Canonicorum Collegium onera communia sustineat.

6 Munus, & officiũ Canonici est, in Choro preces horarias decantare, in Ecclesia sacra facere. Olim Canonici simùl stabant in communi viuentes, & dormientes, vt faciliùs ad Dei laudes decantandas consurgerent; nec erant omnes Sacris Ordinibus initiati, sed multi Clerici tantùm, vel in minoribus constituti, & Sacerdoti ipsi Præposito parebant: Hinc consuetudo manauit, vt nunc est, nimirùm vt Canonicorum Collegijs præsit vnus Decanus, vel Præpositus, qui est totius Collegij caput, *In Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reformat.* Constitutum est, vt nemo deinceps Dignitatem, Canonicatum, aut portionẽ recipiat, nisi qui Ordine Sacro initiatus sit, quem illa dignitas Præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate; vt infrà tempus à Iure, & ab hac Sancta Synodo statutum initiari valeat.

7 Canonici supernumerarij, siuè sine præbenda, solùm in illis Cathedralibus creari possunt; in quibus est certus numerus præbendarum constitutus consuetudine, priuilegio, vel statuto; non in alijs, vt docet Panorm. *in cap. Cum olim Ferrariensis de constitut.*, & *in cap. Dilectus de Præbend.* Ratio, quia vbi non est certus numerus prębendarum, vel Canonicorum, si vnus, aut plures recipiantur in Canonicos, ij numerum excedunt.

8 Qui priuilegium Canonicatus obtinuit cum futura successione, non tenetur ad rationem Canonicatus, cùm non sit verè Canonicus, licèt vulgò ita nominetur propter ius ad succedendum, cùm re vera, non habeat Canoniam, nec Præbendã, sed solùm Coadiutoriam, & solum ius ad ipsum Canonicatum: tenetur tamen ad recitandum Diuinum Officium alio titulo: Canonicus verò, ratione Canoniç, tenetur ad recitandum Diuinum Officium, etiam si primo anno fructus non receperit: Ratio, quia eo tempore habet titulũ, & possessionem Beneficij, quo obligatur ad recitandum Diuinum Officium. Azor. *1. p. lib. 10. cap. 4. qu. 4.* Less. *lib. 2. cap 34.* Canonicus recitans Officium submissa voce, non potest integras distributiones recipere: Ratio, quia sic recitando, non censetur satisfacere suo muneri; si verò ex consuetudine, sola præsentia sufficiat ad lucrandas distributiones, tunc potest integras distributiones accipere: Ratio, quia assistendo, censetur satisfacere suo muneri.

9 Nomine Clericorum in fauorabilibus, veniunt etiam Canonici; in ijs verò, quæ sunt odiosa, non comprehenduntur. Vndè Federicus Senensis *Consil. 71.* tradit, Si Romanus Pontifex Cardinali priuilegium cõcedat, vt conferre possit beneficia suorum Clericorum; intelligi etiam concessam facultatẽ, vt possit beneficia Canonicorum ad suam familiam pertinentia, quia, inquit, in ijs, quæ sunt fauorabilia, nomine Clericorum, veniunt etiam Canonici.

10 Canonicatus non est Dignitas, sed beneficium; & per cõsequens, Canonicus nõ est in Dignitate positus, sed solùm Beneficiatus: est tamen dignior, & nobilior omnibus alijs Beneficiatis, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis præstat honore cæteris Canonicis: in publicis processionibus, si incedũt cum Episcopo, debẽt præcedere Abbates: Ratio, quia cum ipso faciunt vnum Corpus, & vnam Ecclesiam. Abbas, & Cardinalis *in cap. Bona memoria 1. de postulatione Prælat.*, Et licèt Canonici non sint in dignitate, tamen quia cæteros Canonicos Collegiatos superant honore, &c. idcircò Canonicus Ecclesiæ Cathedralis potest à Summo Pontifice delegari, ac si esset in dignitate positus, *cap. Statutum de rescript. in 6.* Panormit. *in cap. Causamque de Iudice.* Licèt plures Canonistæ aliter sentiant.

11 Licèt consuetudine fuisset introductum ante Concil. Tridentinum, vt quis in eadem Ecclesia possit obtinere dignitatem, & Canonicatum, tamen iure communi nõ potest habere Canonicatum, & dignitatẽ sine auctoritate Summi Pontificis, quoniã duo beneficia, siuè similia, siuè dissimilia in eadem Ecclesia, sine Pontificis auctoritate, haberi non possunt. *cap. Litteras de Concess. præbend.* & Doctores ibidẽ. An si quis auctoritate Papæ haberet in eadem Ecclesia duo beneficia, habeat etiam ius ferendi duo suffragia in Capitulo, aut percipiendi duplicatas distributiones; Respondeo standum esse consuetudini, si consuetudine id sit introductum; & ità Panormit. *in cap. Cum olim de sententia, & re indicata.*

12 Canonicus nõ Subdiaconus nõ potest habere

bere ius ferendi suffragium in Capitulo; ità statutum est in *Clem.*, & id confirmatũ fuit in Concilio Tridentino *sess.22.cap.4.*

13 Canonicus iure communi obligatur cõmorari in sua Ecclesia, licèt ante Conciliũ Tridentinum consuetudine fuisset introductum, vt Canonici à suis Ecclesijs abessent, quem morem idem Concilium *sess.24. cap.12. de reformatione*, sustulit, & abrogauit.

14 Canonicus in eadem Ecclesia preter Canonicatum non potest habere Beneficium simplex, sine Romani Pontificis auctoritate. *cap. Litteras de concess.prebend.* Ratio, quia duo Beneficia sub eodem tecto, hoc est Ecclesia, sine Romani Pontificis auctoritate haberi nequeunt.

15 Augere numerum determinatum Canonicorum non licet, nisi augeatur, prouentus; ita nec diminuere sine diminutione fructuum; & tale augmentum, & talis diminutio solùm à Papa fieri potest, quando Canonici in eius erectione iurassent coram Papa, non augere; secùs Episcopus cum Capitulo posset. Abbas *in cap. Cùm accessissent de constit. & potest. Ecclesia*: Si aliquis fuerit receptus supra numerum, dicitur supernumerarius, & non gaudet priuilegijs Canonicorum.

16 Dùm in locum demortui Canonici alter eligitur, cæteri Canonici pro tali receptione nihil accipere possunt, quoniam hoc esset Simoniacum; sed si aliter statutum esset, tunc non peccarent, nec recipientes, nec dantes, secundùm Felin. *in cap. Iacobus de Simonia.* Abbas, & Felin. *in cap. Dilectus eod. tit.*

17 Officium Canonicorum est residere in Ecclesia, & non abesse vltrà tres menses in quolibet anno; & in dicto tempore absentiæ distributiones non lucrantur, etiam consuetudine in contrarium existente. Ex Concil. Trid. *sess.24. cap.12. de reformat.*: Qui autem vltrà sex menses absuerit, priuatur dimidia parte fructuũ; si denuò fuerit cõtumax, omnibus fructibus priuatur, secundùm Concil. Trid. *sess.24. cap.12.*

18 Præcipuum officium Canonicorum est cultui Diuino inseruire, & obsequio Ecclesiæ intendere; & tenentur obedire suo Prælato, & illum adiuuare in onere Ecclesiæ; & per se ipsos, & non per interpositam personam tenentur satisfacere suo oneri; decantare in Choro horas Canonicas; Sacra facere in Ecclesia.

19 Tenentur Canonici habere in Ecclesia Lectorem in Theologia, qui publicè munere legendi fungatur, & præbenda pro eius mercede deputetur. Ex Concil. Trid. *sess.5. cap.1. & sess.24. cap.8. de reformatione.*

PARAG. II.

Decreta Sac. Congregationis Concilij. De Canonicis.

Canonicus supra numerum eligi non potest.

Canonico prouiso à Sede Apostolica cum narratiua, quòd ipse erat constitutus tantùm in 18. suæ ætatis anno, distributiones debentur, qui censetur tacitè dispensatus. *In Reatina 30. Iuly 1627.*

Decretum Sac. Congr. Episc. & Regul. De Canonicis.

Canonicus, qui in eadem Ciuitate, & Ecclesia curam quoque gerit animarum, potest ibi, Episcopali Sede vacante, in Vicarium Capitularem eligi. Sac. Congreg. Episcop. & Regul. *In Orien. 29. Martij 1619.*

Canonicorum absentium portiones accrescunt deseruientibus si separatæ sint, quia secus, Ecclesiæ fabricæ, vel Altari, aut pio loco, arbitrio Ordinarij applicabuntur.

Canonicis, prætextu immemorabilis consuetudinis, non licet vltrà tres menses quotannis ab Ecclesia abesse, neque eo trimestri possunt absentes distributiones percipere.

Canonicus, si vltrà tres menses vno anno à seruitio Ecclesiæ absens fuerit, dimidia parte fructuum Canonicatus pro illo anno priuandus est; pro secundo omnibus fructibus priuari debet, &c. *Abulen. 24. Augusti 1596.*

Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ eligi non potest in Iudicem Synodalem, etiamsi nõ extent in Cathedrali Doctores autem ita idonei. S. Congr. Conc. *in Alexandrina.*

Canonici Collegiatæ nisi sint in ætate 22. annorum vocem in Capitulo habere non possunt. Sacra Congreg. Conc. 8. *Augusti 1621.*

Canonici Collegiatæ thurificari debent duplici ductu Thuribuli; Clerici verò Parochialium Ecclesiarum vnico tantùm ductu. S. Congr. Rit. *in Cæsar-augustana de Darocca 19. Ianuary 1613.*

Canonicus Vicarius generalis Episcopi cum sedet vti Canonicus in Choro, debet sedere in loco suæ receptionis, & in habitu Canonicali. S. Congr. Rit. *in Casalen. 5. Iuly 1614.*

Canonicus Vicarius non lucratur distributiones quotidianas quando cũ alijs Canonicis non interest. S. Congr. Conc. *in Bitecten. 18. Decembris 1627.*

Canonico Theologo illa die, qua leget tribuendæ sunt distributiones quotidianæ omnium horarum, licèt Choro non interfuerit. S. Congr. Concil. *in Fanen. 3. Augusti 1624.*

Canonici celebrantes dùm Diuina Officia recitantur, distributiones minimè lucrantur, nisi ad celebrandum compulsi fuerint ab eo, ad quem pertinet. S. Congr. Conc. *in Callien. 29. Iuly 1628.*

Canonici examinatores propter examen, nisi assistant in Choro horis Canonicis, non lucrantur distributiones quotidianas. S. Congr. Rit. *in Lamacen. 17. May 1607.*

Canonici comitantes Episcopum, non lucrantur distributiones. S. Congr. Conc. *in Caietana 24. Iuly 1632.*

Canonici debent in propria Ecclesia residere, & personaliter deseruire suo muneri.

Canonici interessentes Diuinis Officijs sine habitu Canonicali, & superpelliceo punctari debent. S Congr. Rit. *In Lunen. Sarzanen. 3. Martij 1633.*

Canonici exire volentes de Choro, non Cātori, sed digniori de Capitulo existēti veniam petere debent. S. Congr. Rit. *In Cassanen. 5. Martij 1633.*

Canonicus Presbyter præcedit Canonico antiquiori, & non Presbytero. S.Congreg. Rit. *in Cabalicen. 3. Augusti 1617.*

Canonici Presbyteri præcedunt inter se secundùm suam receptionem. S.Congr.Rit. *in Tropien. 10. Decembris 1619.*

Canonicus factus Episcopus cum retentione Canonicatus debet præcedere omnibus Canonicis, etiam ipso antiquioribus. Sac. Congr. Rit. *in Ruthen. 24. Septembris 1605.*

Canonici Capitulariter, & processionaliter procedentes præferuntur Abbatibus Benedictis. Sac. Congr. Rit. *in Valuen. 8. Iulij 1602.*

Canonici parati, ratione paramentorū, thurificandi sunt ante Vicarium. S. Congr. Rit. *in Ægitanen. 3. Augusti 1602.*

Canonici non præcedunt Vicario, nisi quādo sunt Sacris Vestibus parati, & dummodò Vicarius non sit de eorum numero, quia tunc sedere debet in suo loco. Sac. Congr. Rit. *in Casalen. 5. Iulij 1614.*

Canonicus Hebdomadarius officium faciēs, debet habere locum super omnes Dignitates, & Canonicos. S.Congr.Rit. *in Brundusina 17. Iulij 1606.*

Canonicus celebrans in Ecclesia Collegiata non tenetur facere reuerentiam Vicario præsenti in fine Missæ ante benedictionē. S. Congr. Vrbis. 21. *Februarij* 1604.

Canonici Cathedralis in omnibus functionibus præferendi sunt Canonicis Collegiatæ, non obstante consuetudine in contrarium. Sac. Congr. Rit. *in Tuschanen. 19. Augusti 1619.*

Canonici Cathedralis præcedunt Canonicis Collegiatæ in omnibus actibus, & functionibus etiā in propria Collegiata exercendis. S. Congr. Rit. *in Fundan. 2. Octobris 1597.*

Decreta Sacræ Congregationis Rit. Circa Distributiones.

DIstributiones quotidianæ debentur Senibus, & legitimè impeditis, si nocturno tempore, quo matutinæ horæ ex consuetudine recitari solent, interesse non possint. 20. *Decembris* 1605.

Distributiones quotidianas quamuis lucrari minimè debeat obtinens præbendā Theologalem, si Diuinis non intersit, etiam eo die quo lectionem habet; vt tamen diligētiùs huic muneri præstantissimo Scholasticus Theologalem obtinēs vacare queat, illi conceditur, vt deinceps omnibus illis diebus, quibus huiusmodi munere functus fuerit, distributiones quotidianas percipiat quamuis Choro non intersit.

Distributiones quotidianas lucratur Canonicus absens pro euidenti vtilitate suę Ecclesiæ; dummodò non ei sit constitutum salarium. S. Congr. Conc. *sub die 31. Ianuar. 1603.*

Distributiones debentur Prouiso ab Ordinario Cardinale, vigore Indulti pro tempore, quo Ecclesiæ inseruiuit, & possessionem habuit, vigore huius prouisionis, etiamsi postea detegatur, quòd prouisio fuit inualida, & quòd pertinebat ad Papā, quia beneficiū erat de iurepatronatus Sedis Apostolicæ. S.Congr.Conc. *in Ferraren. 21. Augusti 1627.*

Distributiones quotidianæ, cōsuetudine cōtraria non obstante, debentur Canonico totius temporis, quo propter denegationem distributionum in tempore indebitę carcerationis absuit à residentia. 19. *Maij* 1626.

Distributionibus quotidianis gaudet Canonicus, qui accedit ad Romā pro seruitio Episcopi, qui venit ad visitanda limina, etiāsi dictus Canonicus veniat post Episcopum, non autem simùl. S. Congr. Conc. *sub die 9. Septembr. 1613.*

Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici, quando non cantant Missam Conuentualem, seu Missam de die. *In Faventina 25. Iunij 1611.* & *in Vrbetanen. 4. Iulij 1615.*

Distributiones quotidianæ nō debentur Canonico infirmo, vel aliàs legitimè impedito, quando habet Coadiutorem, sed si Coadiutor nō residet, punctatur, in damnum tamen ipsius Coadiutoris. *in Pacensi. 8. Maij 1617.* & *in Colombrien. 16. Sept. 1616.*

Distributiones quotidianas lucratur Canonicus à Choro absens, occasione seruitij curæ eius Canonicatui annexæ. S. Congr. Episcop. & Regul. *in Lauden. 24. Nouembr. 1617.*

Distributiones quotidianę non debentur interessentibus Congregationibus Capitularibus tempore quo Diuina celebrantur. 17. *Nouembr.* 1600.

Distributiones quotidianæ nō debentur Vicario generali, quando est Canonicus, nisi sedeat, & incedat cum suo habitu, & in suo loco ordinario, ac si nō esset Vicarius.

Distributiones quotidianas, & cætera emolumenta lucrari debet Canonicus, qui lumen oculorum amisit; & propterea Missas celebrare, & Diuina Officia recitare non potest, perindè, ac si ille interesset. S.Cōgr. Concil. *teste Garz. 20. Iulij 1619.*

Distributiones quotidianas lucrantur inseruientes Episcopo celebranti Pontificaliter in Ciuitate, vel in Suburbijs, non autem in alio loco, vel consistentes in visitatione. Sac. Congreg. Concil. *sub die 17. Maij 1600.*

Distributiones quotidianæ debentur legitimè impedito pro illo tempore, quo impeditus fuit inseruire. Sac. Congr. Conc. *in Alexandrina 7. Septembr. 1630.*

Distributiones quotidianas seruiens facit suas, licet professionem fidei nō emiserit. S. Congr. Conc. *ex Garz. de benefic. part. 3. cap. 3. num. 60.*

Distributiones quotidianas lucratur Canonicus,

nicus, qui ex facto Principis temporalis loci residere non potest, sed interea debet curare, Canonicatum resignare, vel permutare, aut rationem aliquam inire, qua, & suæ, & Ecclesiæ indemnitati consultum sit. S. Congr. Conc. *in Carpen. 17. Septembr. 1616.*

Distributiones quotidianas dùm Diuinis interest, lucratur, ac vocem in Capitulo habet dispensatus à Papa circa ætatem pro obtinẽdo Canonicatu in Cathedrali. Sac. Congr. Conc. *in Reatina 10. Iulij 1617. & in Mont. Politian. 13. Ianuarij 1629. & in Sanct. Miniat. 15. Septembr. 1629.*

Distributiones quotidianæ debentur Senio confectis, si soliti sint residere, ac etiam infirmis ex propria culpa, & peccato cũ præcedenti occasione, & detẽtis in carceribus, non tamen ob propriam culpam. Sac. Congreg. Concil. *Ex Garz. d. part. 3. cap. 2. num. 362.*

Distributiones quotidianas debent percipere Canonici suo Episcopo inseruientes, si in eis omnes Canonicatus redditus consistant. S. Congr. Conc. *in Galliep. 29. Iulij 1628. in resp. ad 4.*

Distributiones quotidianæ debentur Canonico Coadiuto infirmo, absente, vel non seruiente Coadiutore. S. Congr. Conc. *in Vrbeuetana 9. Nouembr. 1628.*

Distributiones quotidianæ debentur infirmis, propter infirmitatem Diuinis Officijs non interessentibus. Sac. Congreg. Conc. *Ex Garz. d. part 3. cap. 2. num. 362.*

Distributiones quotidianæ cuiuslibet Capellaniæ arguunt residentiam in Choro, ac proindè incompatibilis est cum beneficijs residentiam requirentibus. S. Congr. Conc. Ex Armendar. *in addit. ad recop. legum Nauar. lib. 4. tit. 7. de benef. incompatibil. nu. 63.*

Distributionibus gaudet Canonicus post adeptum Canonicatum vtroque lumine orbatus absque eo, quòd intersit Diuinis. S. Congr. Conc. *sub die 26. Ianuar. 1616.*

Distributiones quotidianas lucratur iniustè Carceratus. S. Congreg. Episcop. & Regul. *sub die 5. Decembr. 1600.* & S. Congreg. Conc. *sub die 9. May 1626.*

Distributiones quotidianas percipit Senio ita confectus, vt residere, & interesse Diuinis non possit, modò aliàs interesse consueuerit. Sacra Congreg. Conc. Ex Franc. Leo *in Thesauro fori Eccles. part 3. cap 2. num. 27.*

Distributiones quotidianas lucratur absens pro euidenti Ecclesiæ vtilitate, præcipuè, stante cõsuetudine, quòd Canonicus missus à Capitulo pro aliquo seruitio ipsius Ecclesiæ, seu Capituli percipiat omnes fructus, & quotidianas distributiones. Sac. Congr. Conc.

Distributiones quotidianas percipere non possunt absentes in illis tribus mensibus à Concilio concessis. S. Congr. Concil. *sub die 3. Augusti 1586.* Ex Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. §. 7. proem. num. 182.*

Distributiones non debentur Canonico, qui fuit Romæ pro negotijs Capituli contrà Episcopum. Sac. Congr. Concil. *in Auellin. 16. Aprilis 1633.*

Distributiones quotidianæ nõ debentur Canonico, qui ex causa pestis abfuerit, nisi pestis grassetur, & probetur legitima consuetudo, quòd distributiones huiusmodi dari cõsueuerunt absentibus ex iusta causa, quando autem dicatur pestis grassari, vt sit iusta causa absentiæ, relinquendum est arbitrio Episcopi. Sac. Congr. Concil. *in Mediolanen. 9. Nouemb. 1630.*

Distributiones quotidianas nõ lucratur Canonicus inseruiens Episcopo in Missis priuatis. Sac. Congr. Concil. *sub die 17. Martij 1619.*

Distributiones quotidianæ non debentur Canonico inseruienti Episcopo in Officio Vicarij, etiam pro illis horis, quibus ratione officij Vicariatus non inseruiuit Choro, etiamsi à tempore immemoriali obseruatum sit, vt debeantur. Sac. Congr. *in Bitecten. 18. Decembr. 1627.*

Distributionibus, ac fructibus non gaudet in absentia Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ, dùm seruit Episcopo Cardin. pro Caudatario. S. Congr. Conc. *in Viterbien. 22. April. 1617.*

Distributiones quotidianas nequaquàm lucrantur Canonici Capitulum habentes eo tempore, quò Diuina Officia celebrari debent pro illis horis, quibus Diuinis non interfuerunt. S. Congr. Conc. *in Orrolen. 27. Mart. 1632. ad 11.*

Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici celebrantes, dùm Diuina Officia recitantur, nisi ad celebrandum compulsi, aut iussi fuerint ab eo ad quem pertinet. Sac. Congr. Conc. *in Callien. 29. Iuly 1628. & in Orrolen. 27. Martij 1632. ad 12.*

Distributiones quotidianæ non debentur Canonico Cubiculario ad Bussolam Sanctissimi, & propterea absenti à residentia. Sac. Congreg. Conc. *in Reatina 13. Nouembris 1627.*

Distributiones quotidianæ non debentur Canonico in publica Vniuersitate docenti ius Canonicum, si in Choro non intersit, quamuis omnes redditus in solis distributionibus quotidianis consistant. Sac. Congreg. Conc.

Decreta Summi Pontificis. De Prouisis.

PRouisi de Ecclesijs, ac beneficijs Ecclesiasticis non possunt se ingerere administrationi, nisi litteris Apostolicis expeditis. Iulius II. *constit. 4. incip. Romani 5. Kal. Augusti 1505.*

Prouisus ab inferiore collatore de beneficio personalem residentiam requirente, compellendus est per Ordinarium ad residentiam.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij circà prouisos de Canonicatu, aut Beneficio.

PRouisus de Canonicatu habente annexum ordinem sacrum, qui est completæ

ætatis, vt possit intrà annum ordinem requisitum suscipere: non habet vocem in Capitulo, iuxtà Decretum Concilij *sess.24. de reformat.cap.12.& Clem.2.de ætate, & qualitate.* Sed non perdit partem aliquam distributionum, quæ dantur ijs, qui cæteris horis intersunt pro primo anno, infrà quē ad ordines potest se promoueri, elapso verò anno, si non fuerit ad ordinem sacrum annexum pro motus, subtrahitur illi dimidia pars distributionū, nec habet vocem in Capitulo, licèt aliàs sit in Sacris, ex quo non habet ordinem requisitum, iuxtà dispositionem dictæ Clement. iuncta gloss. *verb. Ex tunc.*

Prouisus de Canonicatu in vna Ecclesia, & de Decanatu in alia eiusdem Diœcesis cū dispēsatione, quòd dictum Canonicatum vnà cum Decanatu simùl retinere possit cum derogatione constitutionum Apostolicarum, ac statutorum, etiam iuramētō roboratorum, addita tamen clausula, quòd debitis non defraudentur obsequijs, sufficit, vt resideat in digniori, & per aliū adimplere debet onera in altera Ecclesia *13. Aprilis 1630.*

Prouisus de Parochiali Ecclesia per concursum cēsendus est approbatus idoneus Minister ad audiendas confessiones, dumtaxàt in ea Ciuitate, vel Oppido, vbi sita est Parochialis, non autem passim per totam Diœcesim.

Prouisi, qui nondùm expectabant, tempore, quo fuerunt perceptæ distributiones quotidianæ spectantes ad Archipresbyterum carceratum, tenentur ad illarum restitutionem, quatenùs dirigatur actio contrà Capitulum, cui competat posteà ius aduersus hæredes Canonicorum defunctorum *15. Aprilis 1618.*

Prouisus de Parochiali, non seruata forma Concilij Tridētini, ex eo, ob quòd varias difficultates non potuisset cogi Synodus, neque deputari examinatores Synodales, non est remouendus: at dand a est facultas Episcopo deputādi examinatores extrà Synodum, illeq; monēdus, & hortādus, vt quantò citiùs conuocet Synodum, meliori modo, quo potest. *in Treueren. 26. Iulij 1627.*

Prouisi in 13. anno ætatis de Canonicatu in Ecclesia Collegiata, vbi vigore statuti Ecclesiæ prouisi ante realem possessionem, & fructuum perceptionem debent expectare per biennium, obstat Decretum Concil. *sess.23. cap.6. de reformat sub die 14. Augusti 1586.*

Prouisus de Parochiali tenetur spontè se offerre ad professionem faciendam, nec vlla admonitione opus est.

Prouisus de Canonicatu in Ecclesia Cathedrali, vbi non fuit facta distributio sacrorum ordinum, debet ad minùs attingere 22. annum, ità vt collatio facta habenti 20. tantùm non valeat.

Prouisus in ætate 16. annorū, & à Sede Apostolica dispēsatus ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali habet vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas, dum Officijs Diuinis interest, lucratur, *in Reatina 10. Iulij 1627.*

TITVLVS XXVII.

De Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia Cathedralis vndè appelletur.*
† *Quare constituatur.*
2 *Quis possit eam constituere.*
3 *Quot Canonici in ea esse debeant.*
4 *Inter illos debet esse Hierarchia.*
5 *Ecclesia Cathedralis est Episcopi, & c.*
† *Potest habere curam animarum.*
6 *Ordo Canonicorum quomodo assignetur.*
7 *Collegium Ecclesiasticum quid sit.*
† *Ad formam Collegij quæ requirantur.*
8 *Cura Collegiata à quo debeat ministrari.*
† *Canonici non in sacris non habent vocem in Capitulo.*

1 Cathedralis Ecclesia, quæ præmissas dignitates continet, & alia simùl officia Ecclesiastica, præferenda est omnibus alijs Ecclesijs in Diœcesi existentibus. Appellatur Cathedralis à Cathedra Episcopi, vbi ipse residet, sic nomen recipit à digniori. Constituitur, & erigitur Cathedralis Ecclesia ad augendum cultum Diuinū. Vndè quando de nouo erigenda est, tria debent considerari: Primò, quòd locus, vbi erigēda est, habeat populum nobilem, & numerosum; ità vt absque huiusmodi erectione populus pateretur in Diuinis: Secundò, quòd populus habeat nobilitatem in moribus, & honestate: Tertiò, vbi sit copia Sacerdotum, nē Sedes Episcopalis vilescat.

2 Licèt Imperator, quòad priuilegia sæcularia possit erigere Metropolitanas, & Cathedrales Ciuitates, concedendo alicui loco priuilegia, ac si ibi fuisset Archiepiscopus, tamen quòad priuilegia Ecclesiastica, solus Papa potest erigere Archiepiscopalem, vel Episcopalem Sedem. Gloss. *in cap.1. ne Sede vacante, & cap. quòad translationem.*

3 Ad Cathedralem Ecclesiam tot Canonici esse debent, quot pro seruitio Ecclesiæ satisfacere possint. Vndè in eius erectione determinatur saltem numerus duodenarius, vt Episcopus dum Diuina celebrat, suo munere satisfacere possit, & decor Prælati conseruetur: sic prouentus pro Canonicis tot sint, quot sufficiant pro honesta sustentatione eorum, & vt commodè omnia Ecclesiæ onera sustinere possint. Abbas, & Felin. *in cap. Cùm accessissent de constit.*

4 Quòd inter Canonicos fiat Hierarchia, ideò in Collegio debet esse Archidiaconus, Archipresbyter, Decanus, Præpositus, &c. Inter ordinatos, Sacerdotes Diaconi, Subdiaconi: Item ex Canonicis deputentur Mansionarij, Capellani, Primicerij, Sacristæ, Custodes, Cantores, necnon Magister in Theologia, &c.; augere autem numerū Canonicorum determinatum non licet, nisi augeatur prouentus; ità diminuere sine diminutione fructuum: si aliquis fuerit receptus suprà numerum, dicitur supernumerarius, & non gaudet priuilegijs

legijs Canonicorum.

5 Ecclesia Cathedralis non est Canonicorum, sed Episcopi, & Canonici dicuntur in ea habere beneficium, *cap. Cum in Ecclesia sua de prebend. in 6. cap. Cum sua de consuetud. in 6.* Cathedralis potest habere curam animarum, & tunc Capitulum prouidet de idoneo Sacerdote, qui illam administret cum certa portione. Abbas *cap. Super de sepult.* Tenetur paritèr erigere Seminarium secundùm formam Concil. Trident. *sess. 23.*

6 Canonicorum ordo duplici ordine à Doctoribus traditur: quidam dicũtur Canonici Metropolitanæ, seù Cathedralis Ecclesiæ, alij Collegiatæ minoris, scilicèr Ecclesiæ: sic nomina ex diuersis rationibus sortiuntur; illi à Cathedra dicuntur, isti ad illarum differentiam, Collegiatæ nuncupantur, eo, quia Canonici collegialitèr curam Ecclesiæ exercent, & illis vti principalitèr subiacent. Collegiata ergò Ecclesia illa est, vbi tot sunt numero Canonici, qui Collegium constituant, & minor est nomine dignitate, ac iurisdictione Ecclesia Cathedrali.

7 Collegium Ecclesiasticum est collectio, seù congregatio personarum Ecclesiasticarum, & cum Prelato, vti capite, in Collegio constitutum. Felin. *in cap. Ex litteris de constit. & cap. Accedentes de rescriptis.* Ad formã

† Collegij ista requirũtur: Primò, quòd Collegium sit erectum ab habẽte potestatem: Secundò tot sint numero Cánonici, vt qui solùm Collegium faciant, sed etiam Hierarchiam ostendant, hoc est, deputentur officia, & ordines congruentes seruitio Ecclesiæ: caput in Collegio constituendum erit, licet aliqui teneant, Collegium à se ipso posse constituere caput.

8 Canonicorum Collegiatæ annexæ à certa persona ab Ordinario administratur, vel ab eo, cui competit de iure. Abbas *in cap. Cum nonignores de prebend. & cap. 1. de elect.* Canonici, qui in sacris initiati non sunt, vocem in Capitulo non habent, nec portio integra distributionum illis competit.

TITVLVS XXVIII.

De Capitulo Ecclesiastico.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Capitulum.*
2 *Iurisdictio Capituli, vacante Sede est ordinaria.*
3 *Capitulum, viuente Episcopo, nihil statuere potest sine auctoritate Episcopi.*
† *Nec Episcopus absque Capituli consensu.*
4 *Capitulum, Sede vacante, potest concedere Indulgentias.*
5 *Non potest conferre beneficia, quæ patronatus non sunt.*
6 *Non succedit in potestate delegata Episcopo.*
† *Potest condere statuta, sicut potest Episcopus.*
7 *Non potest alienare bona immobilia, &c.*
8 *Tenetur conficere inuentarium de rebus Ecclesiæ.*
† *Infrà octo dies constituere Vicarium.*
9 *Regularitèr vnus Vicarius eligendus est.*
10 *Canonicus de gremio Capituli est preferendus.*
11 *Quando non est de gremio Capituli in Processionibus, &c. est preferendus Archidiaconus, &c.*
† *Debet esse in iure Canonico Doctor.*
12 *Si electio non fiat tempore prefixo, diuiditur.*
13 *Capitulum, Sede vacante, succedit in iurisdictione.*

1 CApitulum est Canonicorum Collegium, & accipitur pro ipsis Canonicis congregatis, & quando contingat, Episcopi Sedem vacare, Collegium Canonicorum dicitur Capitulũ, Sede vacãte, & ideò soli Canonici faciunt Capitulum, cum eo, qui Canonicis præest, & in solo Canonico ius Capituli conseruari potest; & ità colligitur *ex leg. Si quis mancipium, & leg. Sicut §. vltimo ff. quod cuiusque Vniuersitatis nomine.* Vndè si vnus Canonicus remaneat, potest à Superiore petere, vt Ecclesia prouideatur.

2 Iurisdictio Capituli, Sede vacante, est ordinaria in spiritualibus, & temporalibus, quoniam iure communi eam habet, & ad Vniuersitatem causarum. Gloss. *cap. 2. ne Prælationes, &c.* & quamuis Capitulum nequeat exercere, quæ sunt ordinis, potest tamen committere Episcopo, vt exerceat, quæ sunt ordinis, quia cõmittere est actus iurisdictionis, & exercere, actus ordinis.

3 Capitulum, viuente Episcopo, nihil statuere potest absque eius auctoritate, iuxtà caput *Cum consuetudinis de consuetudine*: Item Episcopus sine cõsensu Capituli in re graui momenti, seclusa contraria consuetudine: Ratio, quia Episcopus, & Canonici efficiũt vnum Corpus: si verò Capitulum sine causà neget id, quod firmius Episcopus statuerit, *cap. Quanto de ijs, quæ fiunt à Prælato,* Abbas *in cap. Doceri num. 8.*: Ratio, quia iura non tàm consensum, quàm consilium requirunt: si Episcopus malè administret, Capitulum contrà illum agere potest, & res malè alienatas reuocare. Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 4.*

4 Capitulum, sede vacante, potest concedere Indulgentias 40. dierum in Anniuersario Dedicationis Ecclesiæ, & item vnius anni in Dedicationibus Ecclesiarum: Ratio, quia cõcedere Indulgentias, est actus iurisdictionis Episcopalis, in quo succedit Capitulum, licèt tutius ageret, si committat alicui Episcopo, vt eas concedat nomine ipsius Capituli.

5 Capitulum, sede vacante, non potest cõferre beneficia, quæ patronatus non sunt; potest tamen Capitulum concedere beneficia in Commendam ad sex menses, & tempus prorogare, si Episcopus non eligatur.

6 Capitulum non succedit in potestate delegata: Ratio, quia in delegatione est electa industria personæ. Item non succedit in delegatione facta à Canone, seù iure, tamquàm Delegato Sedis Apostolicæ, ratione Dignitatis; & ideò succedit solùm in iurisdictione, quæ competit illi iure communi, & ordinario, non item in ijs, quæ competunt illi iure speciali: Potest condere statuta, sicut poterat Episcopus viuens, quia hic est actus iurisdictionis, ac proindè Capitulo conuenit; Item potest

potest etiam abrogare statuta facta ab Episcopis viuentibus, cùm talis abrogatio sit actus iurisdictionis; non potest tamen concedere statuta, quæ successori Episcopo noceant; ità Azor. *p.2.lib.3.cap.27. qu.11.*

7 Capitulum, sede vacante, bona mobilia, seu immobilia pretiosa, quę seruando seruari possunt, non potest alienare sine licentia Sedis Apostolicæ; & ita communiter DD.. si verò alienatio esset in vtilitatem Ecclesiæ, tunc est dàdus defensor Ecclesiæ, & præmisso tractatu cum cognitione causæ, alienare potest. Redoan. *in tract. de rebus Ecclesiæ non alien. tit. de alienatione, quæ fit sede vacante*; Et colligitur *ex cap.1. de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Potest etiam Capitulum in alienationibus ab inferioribus Ecclesijs faciendis ex debitis causis consensum præstare, & confirmare: Ratio, quia hic actus est actus iurisdictionis; & quamuis Capitulum res Episcopatus alienare prohibeatur; non tamen prohibetur confirmare alienationem, si Ecclesiæ inferiores iusta ex causa alienauerint. Abb. *in cap. Cum olim.* Rebuff. *in praxi tit. de deuolut. num.104*

8 Sede vacante, tenetur Capitulum conficere Inuentarium de rebus Ecclesiæ, vt *in cap. Charitatem 12. quæst. 2.* Tenetur etiam infrà octo dies post mortem Episcopi cōstituere nouum Vicarium, vel existentem confirmare; vt statuit Concilium Triden. *sess.24.cap.16.de reformat.* Et ante electionem Vicarij eo tempore iurisdictio spectat ad Capitulum. Riccius *in prax. rerum fori Ecclesiastici in notabili de materia Vicarij, sede vacante*; Et ita Sacra Congregatio *sub die 19. Septembris 1620* Vbi expresse habetur, quòd donec durent dies octo, iurisdictio est penès Capitulum, non autem penès primam Dignitatem.

9 A Capitulo vnus tantùm Vicarius eligendus est, nisi consuetudo esset contraria, quia stante Consuetudine, potest eligere plures Vicarios, æquè principales, vel vnum principalem, vel alterum foraneum; ità *in Sum. Bullarum Verb. Capitulum, sede vacante*, §. 12. Et Sacra Congregatio *in vna Salernitana 26. Iulij 1589.* & in Panorm. 31. *May 1592.* censuit, Capitulum sede vacante, posse eligere duos Vicarios, vt alternis mensibus Vicariatus munere fungantur, si legitima probetur immemorialis consuetudo, dummodò habeant requisita Concilij *sess.24. cap.16. de reformat.*

10 Quamuis Capitulum non teneatur eligere in Vicarium vnum de gremio ipsius, si tamen esset idoneus, cęteris paribus preferendus esset, etiamsi haberet in eadem Ecclesia Canonicatum cum cura animarum; & ità Sac Congregatio *in vna Orien. 19. Martij 1619.*, & 19. *Iulij eiusdem anni*; Vbi etiam dictum fuit, contrarias decisiones intelligi de Parocho Curato; & si in Vicarium electus fuerit vnus de gremio Capituli, non potest percipere distributiones, dùm tempore Diuinorum Officiorum suo muneri incumbit. Moneta *de distributionibus quotid. p.2. quæst. 11. num.83.* Qui si in Choro interueniat cum habitu Canonicali, vt distributiones lucretur, debet sedere in proprio loco, sui Canonicatus. Sayrus *in Flor. decis. sub tit. de offic. Vicarij, decis.3.* Riccius *in prax. for. Eccl. decis.475.*

11 Si electus in Vicarium non erit de gremio Capituli, illi in processionibus præferendus est Archidiaconus, seu alia Dignitas maior, & prima post Pontificalem. Barbosa *allegat.54 num.167.* Nec huiusmodi Vicarius electus debet occupare sedem Archidiaconi in Ecclesia, sed debet sedere in sede portatili, vt declarauit Sacra Congregatio Rituum *in vna Nucerina 10. Aprilis 1601.* qui Vicarius debet esse Doctor in iureCanonico, vel licentiatus, vel aliàs quātum fieri poterit, idoneus; Si verò nō erit Doctor, poterit Capitulum dare ei Consultorem Doctorem, aut Vicarius poterit ipsum eligere. Quaranta *loco citato Verb. Capitulum, sede vacante, num.3.* Et in electione Vicarij Doctor in iure Canonico, præfertur Magistro Sacræ Theologiæ.

12 Si Capitulum tempore præfixo non elegerit Vicarium, electio deuoluitur ad Archiepiscopum. Ex Concil. Trid. *cap.16.* & Quaranta *in Sum. Bullar. Verbo Auctoritas Archiepiscopi num. 36.* Et si Ecclesia ipsa fuerit Metropolitana, aut exempta, tùnc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta, Vicarium idoneum constituere poterit, iuxtà Tridentinum *cap. 16.*

13 Capitulum, sede vacante, in ius Episcopale subintrat; & potest omnia facere, quę sunt iurisdictionis, nisi expresse sint prohibita; Potest primò absoluere à censuris, à quibus potest Episcopus. Syluester *Verb.Capitulum, §.2.* nisi in aliquo casu sit illi interdictum; Secundò, potest Confessariū instituere, qui absoluat excommunicatos à iure, vel ab homine. *cap. Ad abolendam*, & ibi Glossa. Potest etiam Capitulum reseruare casus, quos potest Episcopus reseruare, quia reseruatio est actus iurisdictionis. Pauin. *p.1 quæst.7.num.5.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Potest Capitulum visitare vniuersam Prouinciam, seu Diœcesim.*
2 *Item Monasteria Monialium non exempta.*
3 *Non potest concedere Dimissorias, &c. infrà annum à die vacationis, nisi, &c.*
4 *Potest condere statuta pertinentia ad statum Ecclesiæ.*
† *Potest exequi vltimas voluntates defunctorum, &c.*
5 *Potest assistere Matrimonio, &c.*
† *Sine necessitate gratias merè voluntarias, non potest conferre, &c.*
6 *Potest commutare vltimas voluntates.*
7 *Ius Capituli potest conseruare, & contineri in vno.*
8 *Non potest conferre beneficia, quorum collatio spectat ad Episcopum.*
† *Item quæ possit Capitulum.*
9 *Infrà annum, nec Dimissorias ad primam Tonsuram potest dare.*
10 *Non potest concedere licentiam Episcopo, vt ordinet*

net Regulares in propria Diœcesi.
11 *In interstitijs potest dispensare.*

1 Capitulum, sede vacante, potest visitare vniuersam Prouinciam, si Ecclesia vacans erit Metropolitana; si verò Cathedralis, totam Diœcesim in ordine ad correctionem; & potest deputare Visitatorem; quando tamen elapsus est vnus annus à proxima Episcopi visitatione, nec de proximo Ecclesia Pastore est prouidenda, licèt de consuetudine Episcopus consueuisset visitare singulis triennis.

2 Capitulum, sede vacante, potest visitare Monasteria Monialiũ non exempta; Exempta verò, non potest: Ratio, quia Capitulum succedit in ijs, quæ competunt Episcopo iure ordinario, non autem iure Delegato.

3 Capitulum infrà annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut Dimissorias litteras dare non potest, præterquàm ei, qui Ecclesiastici beneficij recepti, aut recipiendi occasione arctatus est, sub pœna Interdicti; & ordinati sic in Minoribus nõ gaudent priuilegio fori; in maioribus Ordinibus, ab executione Ordinum sunt suspensi ad beneplacitum Episcopi venturi. Concil. Trident. *sess. 7. cap. 10.*

4 Capitulum, sede vacante, potest condere statuta pertinentia ad statum Ecclesiæ, duratura etiam tempore Episcoporum succedentium. Pauin. *in tract. de potestate Capituli, sede vacante, p. 2. quæst. 6.* Zerol. *in prax. Episcop. p. 1. verb. Capitulum, §. 15.* Item potest exequi vltimas voluntates defunctorum, compellere etiam Religiosos ad reddendam rationem pro executione piarum voluntatum; Item potest exigere rationem ab Administratoribus piorum locorum. Quaranta *verb. Capitulum, sede vacante.* Item potest dispensare cum illegitimo in ordine ad minores, & ad beneficium simplex.

5 Capitulum, sede vacante, potest assistere matrimonio, vel alij Sacerdoti licentiam dare: non potest tamen sine necessitate merè voluntarias gratias, siue donationes conferre; potest tamen ad tempus cõmendare Ecclesias, siue beneficia. Ità Rebuff. *in praxi benefic. tit. de deuol. num. 97.* Item admittere præsentatos à Patronis ad beneficia. Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 38. qu. 2.* Potest etiam recipere resignationes beneficiorũ, non solùm spectantium ad collationem Episcopi, & Capituli communitèr, sed etiã spectantium ad collationem solius Episcopi. Sbroz. *de offic. Vicarij lib. 2 quæst. 71. num. 13.* Flam. Paris. *de resignat. beneficiorum lib. 7. quæst. 23. à num. 20.* Item potest præstare auctoritatem ad permutationem beneficiorum spectantium ad collationem Episcopi, & Capituli communitèr. Quaranta *Verb. Capitulum, sede vacante, quæst. 9.* Azor. *p. 2. lib. 7. cap. 29. qu. 4.*

6 Capitulum potest commutare vltimas voluntates in illis casibus, in quibus potest Episcopus. Moneta *de commutat. vltimarũ voluntatum, cap. 5. num. 425.* Potest item cognoscere in causis matrimonialibus. Pauin. *de offic. & potest. Capituli, sede vacante, quæst. 12.* 5. Couar. *de Sponsalibus p. 2. cap. 8. §. 12. num. 4.*

7 Ius Capituli potest conseruari, & contineri in vno; & ità colligitur ex *leg. Si quis municipium*, & ex alijs iuribus; Vndè si vnus solus Canonicus remaneat, potest à Superiore petere, vt prouideatur Ecclesiæ; Item Capitulum potest instituere Confessariũ, qui absoluat à casibus Episcopo reseruatis; & ità Abb. *in cap. Cum olim, & cap. Ir. qui de maiorit. & obed.* Pari ratione potest Confessarium instituere, qui absoluat excommunicatos à iure, vel ab homine suspensos, & interdictos, quos posset Episcopus, *cap. 1. de maiorit. & obed.*

8 Capitulum non potest conferre illa beneficia, quorum conferendorum ius spectat ad solum Episcopum. *cap. Illo, ne sede vacante*, & *cap. 1. de Instit. in 6.* Si verò ius conferendi æqualiter spectet ad Episcopum, & Capitulum, tunc potest ea conferre, Episcopo mortuo, vel suspenso. *cap. 1. ne sede vacante.* Rebuff. *in prax. benefic. tit. de deuolut. num. 70.* Pauin *de potest. Episcop. sede vacante p. 2. quæst. 1.* Item potest admittere præsentatos Clericos à Patronis, eosque instituere, vt posset Episcopus: Potest item Clericos legitimè electos confirmare, sicut posset Episcopus: Ratio, quia confirmare, & instituere sunt actus necessitatis, quia sunt ex lege impetrati, & debiti; Iure enim cogitur Episcopus confirmare Canonicè electos, & eos instituere, qui sunt præsentati; At verò eligere est actus voluntatis, qui donationem sapit; & ideò ad Capitulum non spectat conferre beneficia, quorum ius conferendorum spectat ad solũ Episcopum; & ità Gloss. & Panor. *in cap. Cum olim*, ...

9 Capitulum infrà annũ ex Concilio Tridentino *sess. 7. de reformat. cap. 10.*, non potest dare Dimissorias etiam ad primam Tonsuram, & si dederit, incidit in pœnam Concilij, *cap. 10.* nisi ijs, qui expectant præsentari per Patronos ad aliqua beneficia, vt declarauit Sacra Congregatio, Episcopo Squilac. *die 3. Ianuary 1594.* Post annũ concedere Dimissorias spectat ad Vicarium electum, & non ad Capitulum.

10 Capitulum durante anno, non potest dare licentiam Episcopo, vt ordinet Regulares, licèt possit concedere licentiam Episcopo extero ordinandi in propria Diœcesi suos subditos ibi commorantes; non tamen vt ordinet subditos vacantis sedis; Item Vicarius Capitularis arctatis beneficijs, tàm habitis, quàm habendis intrà annum litteras Dimissorias concedere potest. Ex Concil. Trident. *sess. 7. de reformat. cap. 10.* Zerol. *in prax. Episcoporum p. 1. verb. Capitulum*; & ille dicitur arctatus ratione beneficij, qui obtinuit aliquod beneficium, quod requirit seruitium personale, ratione cuius tenetur intrà annum ad Ordines promoueri. Vgol. *de potestate Episcops. cap. 26. §. 20. num. 5.* Arctatus ratione beneficij recipiendi dicitur ille, qui est vocatus ad aliquod beneficium, quod requirit certum ordinem, quo caret.

11 In

11 In interstitijs potest dispensare, siue eius Vicarius, cũ ordinandis, sicut potest Episcopus, cum suis subditis. Quaranta *Verb. Capitulum sede vacante.* Riccius *in praxi fori rerum Ecclesiast, decis.* 715.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum, etiam viuente Episcopo, habet iurisdictionem.*

† *Præcipua eius auctoritas quæ sit.*

2 *In quibus casibus requiratur consensus Capituli.*

4 *Quoad Concilia Prouincialia etiam requiritur consensus Capituli.*

5 *Episcopus in condendis statutis, &c. non tenetur sequi Consilium Capituli.*

6 *Non potest sine auctoritate Episcopi cessare à Diuinis, &c.*

7 *Quando collatio, quæ pertinet ad Capitulum, deuoluatur ad Episcopum.*

1 CApitulum non modò sede vacante, iurisdictionem habet, sed etiam viuente ipso Episcopo; Et viuente Episcopo præcipua eius auctoritas est, vt cum ipso tractet de rebus arduis Ecclesiæ; facit enim Capitulum cum Episcopo vnũ Corpus: requiritur consensus Capituli in administratione bonorum, & redditũum Ecclesiæ, si bona communia sint inter Prælatum, & Capitulum. Sylu. *de beneficijs p.* 2. *quæst.* 22. *num.* 45. Em. Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 62. *art.* 7.

2 Requiritur consensus Capituli in alienatione bonorum immobilium Ecclesiæ Cathedralis, *cap. Sine exceptione* 12. *quæst.* 2. Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiastici decis.* 54. Requiritur etiam in vnione vnius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, seu Dignitatis, vel Præbendæ per Episcopum faciendũ. Azor *p.* 1. *lib.* 6. *cap.* 28. *qu.* 12. Garz. *de benefic. p.* 12. *cap.* 11. *num.* 145. Si verò consuetudo esset in contrarium, tunc vnio ab Episcopo potest fieri absque Capitulo. Fuscus *de visitatione libr.* 2. *cap.* 26. *num.* 5. Petrus Gregor. *de re benef. cap.* 20. *n.* 6. Si verò vnio fiat immediatè ab ipso Capitulo, requiritur consensus Papæ, cum Capitulum non possit auctorizare factum proprium. Nicol. Garz. *cap.* 2. *n.* 6. & alij ab eo citati; Secùs verò si vnio fuerit alicui Dignitati, vel Præbendæ Capituli. Rot. *decis.* 788. *num.* 4. *p.* 1.

3 In omni negotio, quod concernat præiudicium Ecclesiæ Cathedralis, Capituli consensus requiritur, sicuti in omni interesse Capituli, sicut etiam in alijs rebus, in quibus de consuetudine cõsensus Capituli requiritur; & in ijs casibus, q ab Episcopo factum fuerit sine consensu Capituli, nullius erit roboris, & momenti. Consilium verò Capituli in Episcoporum tractatibus est requirendum, in institutionibus, & destitutionibus beneficiorum, in dispensationibus, & confirmationibus, & in alijs negotijs Ecclesiæ arduis, sicut etiam in inquirendis, corrigendis, & puniendis subditorum excessibus, *cap.* 1. *de excessibus Prælatorum, cap. Episcopus nullius* 15. *quæst.* 7.

4 Requiritur etiam auctoritas Capituli, viuente Episcopo, quoad Concilia Prouincialia, quia Capitula vocanda sunt Cathedralium Ecclesiarum, & admittenda, aut eorum nuncij, præsertim ad ea tractanda, quæ Capitula ipsa contingere dignoscuntur; imò si tempore celebrationis Cõcilij Prouincialis, vacaret Sedes Cathedralis, Capitulum succedẽs in iurisdictione est ordinarius Iudex, & debet de necessitate vocari, & potest comparere per Vicarium generalem cum speciali mandato dandi vocẽ decisiuã, cùm sit actus iurisdictionis, quæ transit in Capitulum, Sede vacante. Ita Prosper de Augustin. *in addit. ad Quaranta,* vbi addit Sacram Congregationem cẽsuisse, Capitula Collegiatarum habentia iurisdictionem quasi Episcopalem ad Concilium Prouinciale esse vocanda.

5 Episcopus in condendis statutis in Synodo non tenetur sequi consilium Capituli, nisi in casibus in iure expressis: tenetur tamen illud inquirere, licèt illud non teneatur sequi, nisi in casibus in iure expressis.

6 Capitulum absque auctoritate Episcopi nõ potest cessare à Diuinis in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, nisi hanc potestatem cessandi à Diuinis ex consuetudine, aut priuilegio acquisiuerit. Et ità Cou. *in cap. Alma mater par.* 2. §. 1. *num.* 6. Henriq. *in sum. lib.* 13. *cap.* 54. Em. Rodriq. *quæst. regul. tom.* 2. *quæst.* 317. *art.* 1. Auila *de censuris par.* 6. *disp.* 1. *dub.* 1. Suar. *tom.* 5. *disput.* 39. *sect.* 3. *num.* 2. & alij. Licèt plures teneant opinionem cõtrariam, nimirùm Capitulum, remota consuetudine, cessationem à Diuinis indicere posse, vt videtur deduci, *ex Clem.* 1. §. *in cessationibus de sentent. excommun.*

7 Propter negligentiam Capituli in conferendis beneficijs, quæ ad suam iurisdictionem separatim ab Episcopo pertinẽt, ad Episcopum tamquàm ad immediatum Superiorem fit deuolutio, iuxtà Tex. *in cap.* 2. *de concess. præbend.*, vbi autem beneficiorum collatio ad Episcopum, & Capitulum simùl pertinet, tunc deuolutio *ex cap. Ignorantiæ*, non fiet ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum, tamquàm ad proximum Superiorem, *cap. Postulastis de concess. præbend.*

PARAG. III.

Textus Sacrorum Canonum de Sede vacante, &c.

SVMMARIVM.

1 *Sede Episcopali vacante, nihil est innouandum.*

2 *Capitulum, Sede vacante, quæ beneficia possit conferre.*

† *Iudicium agitatum contrà Ecclesiam, Sede vacante, non valet.*

3 *Alienatio facta ab Episcopo sine consensu Capituli non valet.*

† *Si verò fiat, sciente, & tacente Capitulo, valet.*

4 *Donatio rei Ecclesiasticæ facta à Prælato sine consensu Capituli non valet.*

† *Prælatus sine consensu Capituli non potest instituere, &c.*

5 *Præ-*

5 *Præsentatio debet fieri de consensu maioris partis Capituli.*

6 *Concessio decimarum in feudum cum consensu solius Episcopi quomodò valeat.*

7 *Episcopus sine consensu Capituli non potest concedere Ecclesias alijs Ecclesijs.*

8 *Episcopus sine consensu, &c. non potest concedere Ecclesias Parochiales alicui Monasterio.*

9 *Capitula Cathedralium debent admitti ad Concilia Prouincialia.*

10 *In Capitulis, quod à maiori parte fit, præualet.*

11 *Canonicus non potest interdicere Ecclesiam.*

12 *Ordinatio Ecclesiæ quomodò impediatur per contradictionem.*

† *Renunciare videtur suo iuri, qui Electo reuerentiam præstat.*

13 *Valet statutum Episcopi cum maiore parte Capituli pro reparanda Ecclesia.*

1 SEde Episcopali vacante, nihil est innouandũ, imò nec Papa innouat, quia nõ est, qui defẽdat ius Episcopale, & nè plus personæ, quàm Ecclesię tribuisse videatur, *ex cap. Nouit ille* 1. *ne Sede vacante aliquid innouetur.*

2 Capitulum, Sede vacante, non potest conferre beneficia spectãtia ad solam collationem Prælati, quia non deuoluuntur † per negligentiam, *ex cap. Illa* 2. Iudicium agitatum contrà Ecclesiam, Sede vacante, non valet, quia Ecclesia non habet defensionem, *ex cap. Constitutis* 3.

3 Alienatio rei Ecclesiasticæ facta ab Episcopo sine consensu Capituli non valet, *ex cap. Irrita* 1. de ijs, quæ fiunt a Prælatis sine † consensu Capituli: Si verò Prælatus alienet rem Ecclesiasticam, sciente, & tacente Capitulo, alienatio tenet, quia taciturnitas habetur pro consensu, *ex cap. Contemnebatur* 2.

4 Donatio rei Ecclesiasticæ facta à Prælato sine cõsensu Capituli, est inualida: verum si Capitulum deindè eam ratam ha† bet, valet *ex cap. Cum nos* 3. Prælatus sine consensu Capituli instituere, vel destituere, aut alia negotia tractare non debet; secùs institutio facta, vel destitutio, est ipso iure nulla, *ex cap. Nouit* 4. & *ex cap. Quanto sic* 5.

5 Collegiata Ecclesia, quæ habet ius præsentandi, Prælatos præsentabit de consensu Capituli, vel maioris partis, alitèr præsentatio non valet, nisi de consuetudine, vel priuilegio competat soli Prælato, *ex cap. Ea noscuntur* 6.

6 Decimæ, si concedantur Laico in feudum perpetuum, & Laicus posteà cum solo consensu Episcopi donet eas alicui Ecclesiæ, donatio tenet, quia hoc non est alienare ius Ecclesiæ, quia tùnc non teneret sine consensu Cleri, sed est reuocare ad Ecclesiasticum vsum, quia Laicus detinetur, *ex cap. Cum Apostolica* 7.

7 Episcopus non potest sine consensu Capituli concedere in perpetuum Ecclesias alijs Ecclesijs, quia hoc esset alienare, quãtùs accipiens haberet in illa Ecclesia iuspatronatus, *ex cap. Tua nuper* 8.

8 Episcopus Parochiales Ecclesias sine cõsensu Capituli, vel auctoritate Papæ non potest alicui Monasterio concedere, vel obuentiones ipsarum, etiam cum consensu patroni, *ex cap. Pastoralis* 9.

9 Capitula Cathedralium vocari debent, & admitti ad Concilia Prouincialia, etiam per Procuratorem ad tractandum, non autem ad decidendum, *ex cap. Et si membra* 10.

10 In Capitulis, quod à maiori parte fit, regularitèr præualet, nisi maior pars rationabilitèr contradicat, *ex cap. Cum in cunctis* 1. *de ijs, quæ fiunt à maiori parte Capituli.*

11 Canonicus non potest interdicere Ecclesiam, sed hoc facere debet Episcopus cum Capitulo, & pœna Ecclesiastica non est imponenda, nisi ijs, qui delinquunt, nec pœna debet excedere delictum, *ex cap. Quæsiuit* 2.

12 Ordinatio Ecclesiæ non impeditur per contradictionem, & appellationem eius, cuius nõ interest, & electus à saniore parte Capituli est benè electus, & confirman† dus. Ità *cap. Ex ore* 3. Item habens ius ad electionem Prępositurę, si alicui Electo reuerentiam præstat, videtur renunciare suo iuri ipso facto, *ex eodem cap.*

13 Si Episcopus cum maiori parte Capituli statuit cõtributionem Canonicorum pro reparanda Ecclesia, valet statutum plurimorum, quamuis aliquis Canonicus contradicat, *ex cap. ex par.* 4.

PARAGR. V.

Decreta Sacræ Congregationis Concil. De Capitulo, Sede vacante.

CApitulum, Sede vacante, facta electione Officialium, non potest eos ad libitũ reuocare, & nouos constituere, nisi vel Æconomum, vel illos Officiales, quos etiam viuente Episcopo, potest deputare.

Decreta Sacrę Congreg. Episc. & Regul. De Capitulo.

CApitulũ potest ad lib. amouere Vicariũ ' alias per ipsum electum, seu confirmatũ, dũmodo intrà octo dies alium cõstituat; alioquin deuoluitur ius deputandi Vicarium ad Metropolitanum, etsi Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit ad antiquiorem Episcopum. S. Congr. Concil. Licèt hoc nõ permittatur Capitulo, nisi ex causa benè visa, vt suprà declarauit *anno* 1631. & varijs Nuncijs Apostolicis scripsit.

Capitulum, Sede vacante, quamuis iteratis vicibus ad Vicarij Capitularis electionem deuenire possit, absque causa tamen non debet. *in Messanen. 6. Martij* 1618.

Capitulum, Sede vacante, potest eligere Vicarium cum clausula, quòd non duret, nisi per annum *sub die 27. Iunij* 1617.

Capitulum, Sede vacante, duos Vicarios cõstituere potest, vt alternis mensibus Vicariatus munere fungantur, si legitimè approbetur immemorialis consuetudo, & illis qualitatibus sint præditi, quas requirit

rit Concil. Trid. *sess. 24. cap. 16. de reformat.*

Capitulum, Sede vacante, non potest eligere arbitros ad cognoscendum de causis inspicionum, quæ contrà Vicarium ab eis, Sede vacante, deputatum, proponuntur, sed potest per seipsum de illis cognoscere.

Capitulũ post annũ Sedis vacantis, litteras, & facultates ordinandi concedere potest in Ecclesia vacante.

Capitulum, Sede vacante, post annum non arctatis concedere non potest dimissorias ordinandi ad titulum Patrimonij, seu pensionis, quia hæc facultas est reseruata iudicio Episcopi.

Capitulum, Sede vacãte, post annum potest concedere licentiã extero Episcopo exercendi Põtificalia suis in Ecclesiis, & ordines conferendi tàm Clericis illius Diœcesis, quàm exteris habentibus litteras suorum Episcoporum.

Capitulum, Sede vacante, non potest supprimere quodcumque beneficium, & sibi vnire, sicut, Sede plena, non potest consentire vnioni faciendæ ipsi Capitulo directè, & principaliter, & ideò requiritur auctoritas Papæ. Sac. Congr. Concil.

Capitulũ succedit loco Episcopi in facultate ei cõpetẽte, vigore decreti, *cap. 6 sess. 24.* dispẽsandi in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, preterquã in crimine hæresis, qa Papa sibi reseruauit 22. *Jan.* 1602.

Capitulum, Sede vacante, non autem Vicarius in casibus, in quibus eidem, Sede Episcopali vacante, licet per Concil. *cap. 10. sess. 7.* dimissorias concedere, potest etiam ex causis in Concilio expressis, ordinum interstitia remittere. 17. *May* 1600.

Capitulum, Sede vacante, potest visitare etiã Monasteria Monialiũ non exempta; exempta verò, minimè. S. Congr. Concil.

Capitulum, Sede vacante, tunc demùm potest Diœcesim visitare, quando lapsus est annus à postrema Antistitis visitatione, nec de proximo sit Ecclesia de Pastore prouidẽda: in ipsa verò visitatione circà famulatum, equitatum, & alia; forma S. Concilij Trid. *sess. 24. de reformat. cap. 3.* est præcisè obseruanda. 10. *May* 1629.

Capitulum, Sede vacante, post lapsum annum à die vltimæ visitationis per Episcopum factæ, potest visitare Diœcesim, tempore triennij non expectato, licèt dicatur, Episcopum consueuisse visitare singulis triennijs 3. *Februarij*, & 10. *Decembr.* 1629.

Capitulum, Sede vacante, debet eligere Vicariũ Capitularẽ Doctorem, & Doctoratũ in aliqua Vniuersitate, non autem à persona priuata. Donec autem durent dies electionis dicti Vicarij, iurisdictio est penès Capitulum, non autem penès primam Dignitatem. 19. *Septembris* 1620.

Capitulum, Sede vacante, potest visitare omnia loca, quæ poterat visitare Episcopus 13. *Aprilis* 1630.

Capitulum, seu Vicarius Capitularis, Sede vacante, non potest exequi commissiones Apost. in forma *Dignum*, & alias directas Episcopo, vel eius Vicario generali intuitu officij, vel sub nomine dignitatis. 2. *Aug.* 1631.

TITVLVS XXIX.

De Parochijs Ecclesiarum.

SVMMARIVM.

1 *Parochia duobus modis accipitur.*
† *Ius Parochiale, in quibus consistat.*
2 *Ecclesia Parochialis plura requirit.*
3 *Vna Parochia potest diuidi in duas.*
4 *Ius Parochiale quomodo acquiritur.*
5 *Ecclesia Parochialis est fundanda auctoritate Episcopi.*
† *Debet esse dotata.*
† *Eius dos debet esse centum ducatorum.*
6 *Quomodò attendatur valor ipsorum.*
7 *Parochiani, quando teneantur ad reparationem Parochialis.*
8 *Ecclesia Parochialis iuris-patronatus, à quibus debeat restaurari.*
9 *Altaria, & c. erigi possunt sine dote.*
† *Quando requiratur dos.*
10 *Incerta non cõputantur in congruam sustentationẽ.*
† *Vicarij verè computantur.*

1 Parochia duobus modis accipitur: Primò, Parochia dicitur tota Diœcesis: Secundò, pro certa parte Diœcesis, vel pro certa Ecclesia habens populum certis limitibus distinctum. Archidiaconus *in cap. Licet canon. de elect. in 6.* & hoc modo sumpta Parochia vni Presbytero committitur, vt in ea Sacramẽta administret; quęlibet enim Parochia habet territorium distinctum, in quo non est licitum Parocho alterius Parochiæ aliquid facere. Parochialis Ecclesia ea dicitur, quæ habet ius consistens in cura animarum ipsorum Parochianorum, de quibus Parochus tenetur rationẽ reddere Deo; ius autem cõ† sistit in pluribus: Primò, vt populus ipsi subiectus, ibi Baptismum recipiat: Secundò, vt quisque in ea semel in anno sacram faciat suorum peccatorum confessionem, *cap. Omnis de pœnitent.*: Tertiò, vt Sanctissimũ Christi Corpus, quotannis in Paschate percipiat, *cap. Omnis de pœnit.*: Quartò, vt iusto, ac debito tempore, Extremam vnctionem ab ea petat: Quintò, vt eorum, qui matrimonio iunguntur, nuptiæ, solenni ritu celebrentur, *cap. 3. de clandestina desponsa.* Sextò, vt in ea mortui sepeliantur. *Clem. Dudum de sepulturis*: Septimò, vt ibidẽ diebus festis populus rem Diuinã audiat, *cap. 3. de Paroch.*: Octauò, vt ei decimam fructuum partem quotannis soluat, ac reddat: Nonò, vt primitias fructuum, & oblationes, quæ de more fiunt, præstet, *cap. Omnes de consecr. dist. 1.*

2 Similitèr Ecclesia Parochialis, vt talis, dicitur plura requirere: Primò, quòd in ea adsit Sacerdos habens potestatem ligãdi: Secundò, quòd habeat certos fines: Tertiò, quòd curam exerceat nomine suo: Quartò, quòd solus, & non cum alijs administret. Thuscus *de visitatione lib. 2 cap. 3.* nõ tamẽ requiritur ad Ecclesiã Parochialem, quòd ipso actu populum habeat, sed satis est, quòd iure, & habitu populum habeat, quia fieri potest, vt populus

vnius

vnius iurè alio commigret, propter pestē ibi ſæuientem, vel ob bellum diuturnum, vel etiam ob Solis ſterilitatem, vel Cœli intemperiem, &c., & tunc Eccleſia Parochialis actu populū non habet, licèt iure, & habitu habeat.

3 Vna Parochia poteſt in duas diuidi, ob magnitudinem populi, ſeu ob locorum diſtantiam, ità vt Parochiales ſine magno incommodo ad percipiendá Sacramenta, & Diuina Officia audienda accedere non poſſint; Vndè etiam inultis Rectoribus, in duas diuidi poteſt. *cap. Cùm ad audientiam de Eccleſijs ædifican.* Et pro ſuſtentatione noui Parochi, poſſunt etiam diuidi fructus Eccleſiæ matricis; & vna pars poteſt aſſignari nouo Parocho: ſi verò redditus Eccleſiæ matricis ſint ita exigui, vt non poſſint diuidi; Populus nouæ Eccleſiæ erectę eſt compellendus ad neceſſaria eidem Sacerdoti adminiſtranda. Ex Concilio Trid. *ſeſſ.21. de reformatione cap.4.*

4 Tot modis vnus de vna Parochia in aliam transfertur, quòd modis domiciliū acquiritur; Parochia etiā acquiritur, vbi enim ſuum domicilium quis transfert, intentione ibi manendi, Parochiam ibi acquirit: ſi quis item maiorem partem anni in aliqua Parochia habitet, & ibi Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ accipiat, ibi Parochiam acquirit; Poteſt tamen Rector vnius Eccleſiæ Parochialis de conſenſu expreſſo, vel tacito, cōfeſſiones alterius Parochiani audire: Parochus etiàm poteſt extrà Curam audire confeſſionem proprij Parochiani, cum talis auditio non pertineat ad iuriſdictionem cōtentioſam, ſed ſolùm ad gratioſam.

5 Eccleſia Parochialis, auctoritate Epiſcopi eſt fundanda; & ità debet eſſe dotata, vt poſſit ſaltem ex dote ipſius vnus Preſbyter cum vno Clerico Miniſtro ſuſtentari. Azor. *p.2. lib.3. cap.12. qu.18.* & ità *cap. Placuit 1. quæſt. 2. cap. Illud*, & ibi Gloſſ. Felin. *in cap. Ad aures num.4.*, quia ſuſtentatio Miniſtrorum Eccleſiæ eſt de iure naturali, & Diuino. Sotus *de Iuſtitia lib.8 quæſt.3. art.1.*, Et ideò Concil. Tridentinum *ſeſſ.24 cap.13. de reformat.* taxauit ſummam centum ducatorum, neque cum minori ſumma Parochus poteſt viuere, cum teneatur etiam ſeruare hoſpitalitatem. *cap. de Monach. de Prebend. §.1. diſtinct.22.* Abb. *in cap. Dilectus n.4.* Tùm etiàm quia debet ſufficere pro ſolutione iurium Epiſcopalium, *cap. Cùm quantis pro acceſſu ad Synodum, pro ſubſidio charitatiuo, cap. Cùm Apoſtolus pro Cathedratico, &c.*

6 Qui ducati centum debent Rectori remanere liberi, ſicuti illi, qui dātur Epiſcopis, debent liberè remanere, deductis oneribus. Rot. *decis.* [illegible] *decis.108.* Valor huiuſmodi ducatorum attenditur ſecundùm conſuetudinem loci, vbi poſitum eſt beneficium, vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium ſuper Concil. Trident. *cap.13. de reformat.*, neque minori annuo redditu decēter viuere poteſt Parochus, cùm indiè ſaltem Clericum inſeruientem habere debeat, nam ſolus eſſe non poteſt.

7 Parochiani tenētur ad reparationē Parochialis, quādo Parochus non habet redditus ſufficientes ad eā reparandam: Ratio, quia cùm ipſi Parochiani in tali Eccleſia percipiant Sacramentá; & quæcumque Diuina, congruum eſt, vt eam reficiant, iuxtà Concil. Trid. *ſeſſ.21. cap.7 §. Parochiales verò*; nec ab huiuſmodi contributione excuſantur nobiles, aut foreſes poſſidentes bona in territorio illius Eccleſiæ, quia eſt opus publicum, ad quod omnes obligantur, atque ad id faciendum compelli poſſunt ab Epiſcopo. Concil. Tridentinum *ſeſſ.21. cap.7. de reformatione.* Et eò magis tenebuntur Parochiani ad huiuſmodi reparationem, quando id de conſuetudine facere ſoliti ſint. Hoſtien. *in Sum. tit. de Eccleſijs ædificandis.* Riccius *in praxi reſol. p.1. reſol.348. num.4.* Et quòd dictum fuit de Parochiali Eccleſia, eadem dicenda ſunt de refectione Domus Rectoris, quia cùm Eccleſia indigeat Sacerdotibus; indiget etiam habitatione pro ipſis; & ità declarauit Sacra Congregatio Rituum *in cap. citato Concilij Triden.*

8 Eccleſia Parochialis Iuris-patronatus debet inſtaurari, & refici ex fructibus ipſius, dummodò habeat redditus ſufficientes pro Rectoris ſuſtentatione, & fabricæ reſtauratione. Lambertin. *de Iure patronat. art.2. quæſt.7.* Concil. Trid. *ſeſſ.21. cap.7. de reformatione, §. Parochiales Eccleſiæ*; qui tamen ſi non fuerint ſufficientes, tunc earumdem Patroni, & alij, qui ex eadem Eccleſia fructus percipiunt, in illorum defectum Parochiani tenentur. Concilium Tridentinū *loc. cit.*, Non per capita perſonarum, ſed domorum, & per ſolidum, & libram. Frāciſcus Leo *in Theſauro fori Eccleſiaſtici cap.18 num.73.*

9 Altaria, & Capellæ in Eccleſia erigi poſſunt ſine dote, cùm ſufficiat quod Eccleſia ſit dotata. Lambertin. *de Iure patron. lib.1. p.1. quæſt.3.* maximè vbi quis conſtruxiſſet Capellas adornatum Eccleſiæ. Roch. *de Iure patronatus, verb. Inſtruxit. quæſt.4.* Si verò fundator Capellarum, &c. voluit quod ibi tot Miſſæ celebrentur, tunc debet aſſignari dos tanta, vt ex illa eo die quo ſeruierit, ei victum dare poſſit; quia qui Altari ſeruit, de Altare viuere debet; Nemo enim ſuis ſtipendijs militare cogitur; ſi ergò illa die militauit pro illo beneficio, ab eodem beneficio alimenta recipere debet. *cap. Eccleſias 23. quæſt.1. cap. Exſtirpanda, §. 1. de Prebendis.*

10 Non computantur inter congruam ſuſtentationem incerta, qualia ſunt anniuerſaria, oblationes, & diſtributiones Rot. *decis.* [illegible] *num.7.* Seraph. *decis.1343. num.3.* Neq; in aſſignanda dicta congrua portione ſūt computandæ quotidianæ diſtributiones. Rot. *loc. citato num.3. 4. & 5.* Secùs verò Eccleſia haberet ſolùm redditus incertos, quia ad vnam ſummam redigi poſſunt. Anchar. *in Clementina Vnica num.42. de Ætate & qualit. Prebend.* Rebuff. *de congrua portione num.83. &c.* In aſſignanda verò portione Vicarijs Parochialium, tunc computādo diſtributiones,

nes, vt ſtatuit Pius V. *in Conſtitutione Quarantà*; Quæ incipit, *Ad exequendum*, in qua ſanciuit, quod Prælati debeāt aſſignare Vicarijs ſummam nō minorē quinquaginta, nec maiorem centum ſcutorū annuorum, computatis, omnibus etiam incertis emolumentis, & alijs obuentionibus communitèr percipi ſolitis: verùm in illis quinquaginta non ſunt numerandæ eleemoſynæ Altaris, funeralium, & alia huiuſmodi, quę Vicarius ex poſteà labore, & officio percipit, ſed illa incerta, quæ habent quamdam certitudinem, vt ſunt decimæ, primitiæ, &c. quamuis in dicta Conſtitutione dicatur impoſita eadem portio ſuper emolumentis, & alijs obuentionibus, etiam incertis, communitèr percipi ſolitis, Theſaurus Fori Eccleſiaſtici *cap. 31. n. 6.*

P A R A G. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De Parochijs, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Epiſcopatus quomodo diuidendus inter Epiſcopū ſubſtitutum Epiſcopo hæretico, & ipſum Epiſcopum hæreticum reuerſum.*

2 *Parochus, quando alienos ad Miſſam admittere non debeat.*

3 *Epiſcopus non poteſt ordinare non ſubditum.*

† *Fines Prouinciarum præſcribi non poſſunt.*

4 *Transferens domicilium in aliam Prouinciam, Prælato illius fit ſubditus.*

1 EPiſcopus quando cum parte Plebis fit Hæreticus, & eligitur alius Epiſcopus Catholicus; ſi Epiſcopus cum Plebe reuertitur ad Fidem, & diſpenſatiuè admittitur ad eumdem Epiſcopatum, diuidi debent Diœceſis fructus, & Plebes. *Ex cap. Si Epiſcopus 1. de Parochijs.*

2 Parochus, diebus Dominicis, & feſtiuis, Parochianos alienos ad Miſſam admittere non debet, ſi ex contemptu proprij Parochi accedunt. *Ex cap. Vt Dominicis 2.* ceſſante verò contemptu poteſt eos admittere. *Ex eod. cap.*, Syluester *in Sum. Verb. Miſſa 2. num. 5.* Nauar. *in Man. cap. 25. num. 5.* Gutier. *Can. lib. 1. cap. 30. num. 8.* & alij.

3 Epiſcopus Parochianum alterius non poteſt ordinare, nec iudicare ſine ipſius

† licentia. *Ex cap. Nullus 3.* Fines Prouinciarum ſicut ſecundùm iura præſcribi non poſſunt; ſic limites Epiſcopatuum, & Parochialium cum adhærentibus non poſſunt præſcribi, ſi legitima approbatione, & indubitata fide conſtet, de ordinatione Eccleſiaſtica eſſe ſtatutos. *Ex cap. Super eo 4.*

4 Si quis ex vna Diœceſi transfert domicilium in aliam, Primus Epiſcopus non habet iuriſdictionem in ipſum, ſed Secundus: tamen ſi ille habet prædia in primo Epiſcopatu, ſoluere debet decimas primo Epiſcopo, niſi ſaltem alteri deberentur ex conſuetudine. *Ex cap. Significauit 5.*

P A R A G. II.
Decretum Summi Pontificis.
De Parochijs.

PArochiales Eccleſiæ collatæ, non ſeruata forma à Concil. Trident. tradita, vacant, & Sedi Apoſtolicæ reſeruantur. Pius V. *Conſtit. 33. in conferendis 15. Kal. Aprilis 1567.*

Parochiales Eccleſiæ Epiſcopi in ſuis menſibus vacantes, intrà ſex menſes conferri tenentur: illarum verò quæ ſunt de iurepatronatus, ſi intrà duos menſes à die præſentationis, non conferantur, inſtitutio ad Metropolitanum, vel ad viciniorem Epiſcopum pertinebit, *Ibid.*

Decreta Sacræ Congregationis Concil.
De Parochijs.

PArochiales Eccleſiæ in quibus Abbates, vel Abbate Superiores vtramque iuriſdictionem in Parochos, & Parochianos actu exercent, non poſſunt ab Epiſcopo viſitari, vigore Conc. *cap. 2. ſeſſ. 25. de Regul.* S. Congr. Concil. *de menſe Ianuar. 1606.*

Parochiales Iuriſpatronatus mixti i. partim Eccleſiaſtici, & partim Laicales non ſubiacent formæ examinis per concurſum, quæ inter concurrentes præſcribitur Decreto Conc. *cap. 18. ſeſſ. 24.* Sac Cōgr. Conc.

Parochialis non poteſt vniri per Epiſcopum Capituli Cathedralis. S. Congr. Conc. *in Marianen. 17. Iunij 1592.*

Parochiali Eccleſia vacante, Epiſcopus, debet ſeruare formam examinis per concurſum, licèt velit eam Vicario conferre. S. Congr. Conc.

Parochialem Eccleſiam in Collegiatam non poteſt erigere Epiſcopus. S. Congr. Rit. *in Caputaquen. 22. Iul. 1628.*

Parochiales Eccleſiæ vnitæ Monaſterijs etiā ijs, quæ ſunt capita ordinum, ab Ordinarijs viſitari debent. S. Congr. Conc.

Parochiales duas habens, quarum altera eſt beneficio ſimplici, vel Dignitati in perpetuum vnita, alteram dimittere non tenetur. S. Congr. Conc.

Parochiales duæ, vel plures, ſi ſunt inuicem vnitæ, non ſunt compræhenſæ ſub Decreto, *Seſſ. 24. cap. 17. de reform.* ſed poſſunt legitimè retineri tanquàm non incompatibiles. S. Congreg. Conc.

Parochialem Eccleſiam obtinens inſufficiētem ad victum, non tenetur promoueri ad Sacerdotium infrà annum, iuxtà *cap. Licèt Canon. de elect. lib. 6.* ſed tantùm expedit, vt dimittat. S. Congr. Conc.

Parochiales Eccleſias obtinētibus poſt Cōcil. Trident. Studendi licentia, ac in abſentia, ſtudiorum cauſa, fructus percipiendi non datur. Sac. Congreg. Concil.

Parochialis vnita Dignitati non ſubeſt diſpoſitioni Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 18. de prouiſione Parochi per concurſum.* Sac. Congreg. Concil.

Parochialis vnio non ſolùm eſt prohibita per Decretum, *Seſſ. 24. cap. 13. de reformat.* ſed

etiam

etiam aliqua pars fructuum eorum vniri non potest. Sac. Congr. Rit.

Parochiales Ecclesiæ sunt incompatibiles cum beneficijs, in quibus assignatæ sunt distributiones quotidianæ, quas à Diuinis absentes amittunt. S. Congr. Concil.

Parochiali in Ecclesia quantumuis pauperi asseruari debet Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. S. Congr. Concil. *in Euch. Vrbinaten. 22. May 1594.*

Parochiales litigiosæ concursu conferuntur, quando in illis Summus Pontifex noluerit collitigantem subrogare, sed ius de mortui in alium transferre, nisi constet, Sanctitatem suam voluisse dicto Decreto Conc. derogare. S. Congr. Conc.

Parochiales Iurispatronatus Laicorum, quæ ab Episcopo ob præsentationem in tempore non sequutam iure deuoluto conferunt, subiacent concursui. Sac. Congr. Conc. 29. *Nouembris 1600.*

Parochiales in concursu prouidentiæ, occurrente vacatione, ad quam infrà terminum in edicto præfixum plures sunt oppositi si dicto termino elapso, alter superueniat, re integra, est vterque admittendus. Sac. Congreg. Concil.

Parochialis Ecclesia vniri non potest Capitulo Cathedralis, etiam ob tenuitatem Canonicatuum, & ob impossibilitatem etiam vniendi beneficia simplicia, & ob id quoque, quod non decebat minuere eorum numerum, iuxtà mentem Concil. Trident. *cap. 15. sess. 24. de reformat.* Sac. Cōgr. Concil. *in Alexandrin. 3 Martij 1594.*

Parochialium nullius Diœcesis Rectores tenentur accedere ad Synodum viciniorē. S. Congr. Conc. *in Sarsinaten.*

Parochialis possessio non potest derogare habenti Cathedram in Vniuersitate, pro interpretando iure Canonico, quià si non resideat, poterit posteà puniri. Sac. Congr. Conc.

Parochialis à residentia non excusat officiū Subcollectoris Apostolici. Sac. Congreg. Concil.

Parochialem vnam habens, & titulum alterius, cuius fructus alteri sunt omnes reseruati; nihilominùs alteram dimittere tenetur. Sac. Congr. Conc.

Parochialis, si sit vnita alicui Canonicatui Ecclesiæ Cathedralis accessoriæ, sufficit ętas requisita ad Canonicatum scilicet 22. annorum. S. Congreg. Concil.

Parochiales Ecclesiæ S. Ioānis Hierosolymitani non subiacent concursui, & possunt conferre Laicis, dummodò infrà sex menses habitum suscipiant. Sac. Congr. Conc. *sub die 2. Septembris 1603.*

Parochialis obtenta ab eo, qui à Sede Apostolica ad Episcopatum in partibus infidelium existentem promotus, ac eodem tempore alicui Episcopo in Suffraganenm deputatus fuerit, non intelligitur vacare. S. Congr. Conc. 14. *Decembris 1601.*

Parochiales debent conferri in perpetuum, & non ad nutum amouibiles, non obstante quacumque contraria consuetudine. S. Congr. Concil.

Parochialem Ecclesiæ Rectorem non potest Episcopus extrahere à seruitio Ecclesiæ Cathedralis, vt exerceat officium Vicarij Visitatoris, vel Secretarij, seù in alijs ministerijs occupetur. S. Congr. Conc.

Parochialem quis acquirere potest, etiamsi non habeat aliquem ordinem sacrum, dūmodò infrà annum promoueri ad Sacerdotium debeat. S. Congr. Concil.

Parochialem obtinēs vnà cum Canonicatu, ex dispensatione Apostolica ante Concilium Tridentinum obtenta, potuit post Concilium absque alia dispensatione optare præbendam pinguiorem. Sac. Congr. Concil.

Parochiale de iure-patronatus Laicorum vacatione eueniente, quando plures sunt præsentati, requiritur examen per concursum inter ipsos præsentatos tantùm, vt ex ijs, qui, peracto examine, idonei ab examinatoribus denunciati sint, Episcopus eum eligat, quem cęteris magis idoneum iudicauerit, atque illum, & non alium instituat. S. Congr. Concil.

Parochialis, quæ de mensa nuncupatur, & spectat ad Abbatem Balnei Camaldolensis, & ab ipso Abbate conferri consueuit, sæcularibus in titulum perpetuæ Vicariç, non subiacet concursui ab ipso Episcopo, vti viciniori instituendo. S. Cong. Concil. *in Burgi S. Sepulchri 15. Ianuarij 1601.*

Parochialis ad concursum, si intrà terminū edicti vnus solus comparuerit, qui noluit se examini subijcere, nec Parochiam curet obtinere ab Episcopo, assignandum est aliud edictum, rursusque vocandi oppositores. S. Congr. Concil.

Parochialium de iure-patronatus Ecclesiastici institutio, vbi ad inferiores licet exemptos, & Abbates pertinet, nihilominùs ordinarius debet edicta concursus proponere, & Inferior instituat magis idoneum approbatum ab Episcopo; quod si secùs actum fuerit, collatio est nulla. S. Congr. Concil.

Parochiales cum Monasterijs vniti prohibet Concil. Trident. *cap. 13. sess. 24.* intelligēdum est de Parochialibus, quæ actu non autem de illis, quæ habitu tantùm suprà hominum memoriā Parochiales existunt. S. Congr. Concil.

Parochiale beneficium obtinens in vna Diœcesi, non potest in alia absque Ordinarij loci approbatione eligi in Confessarium ad habentibus priuilegium, vigore iubilæi eligendi Confessarium idoneum. Sacr. Congr. Concil.

Parochialis libera non potest vniri Parochiali iurispatronatus, etiam cum cōsensu patroni, nisi patronus renunciet iuspatronatus propter Decretum *cap. 9 sess. 25.* quòd non vult vniri liberum seruo, saluo iure patronatus, vel nisi aptetur remediū alternatiuæ, vt vna vice Ecclesię conferatur ad presētationem, & altera liberè; presupposito tamē, vt vel ex decretis Concil. vel ex iure veteri vnio fieri possit. S. Cong. Concil.

Parochiali Ecclesia vacante, non est satis

Q 2 eum,

eum, quem Episcopus idoneum iudicat, proponere examinandum absque alio concursu, sed tenetur Episcopus plures nominare examinatoribus, & alios etiam ab alijs nominatos admittere, sicque examen per concursum omninò facere, prout in Bulla Pij V. statuitur; exceptis illis casibus, quibus ex præsenti Decreto *vers. si tamen adeò* permittitur, posse omitti examen per concursum, si Episcopus pro sua conscientia cum consilio deputatorum ità expedire arbitrabitur. S.Congr.Concil.

Parochialis Ecclesiæ resignatio, cum fit in manibus Sanctissimi, quia tùnc non dicitur vacare, antequàm alteri acquiratur, nec in ea potest statim deputare Vicarium, non est necessarium examen, sed satis est, resignatariù ab examinatoribus in Synodo deputatis simul cum Ordinario probari idoneum. S.Congr.Concil.

Parochialem, vt quis tantùm in maioribus constitutus possit obtinere nullo Concilij Decreto prohibetur, iuxtà *cap. 18. sess. 24. de reformat.* dum tamen intrà annum promouere se faciat ad Sacerdotium, iuxtà *cap. Licèt canon. de elect. lib. 6.* innouatur per Concil. *sess. 7. cap. 3 de reformat.* quamuis ex eodem Concilio *sess. 23. cap. 11. & 13.* debeat internenire annus integer in collatione singulorum ordinum sacrorum, quia tamquam arctatus potest dispensari, & ordinari. S.Congr.Concil.

Parochialis licèt sit in loco, vbi minor pars Parochianorum habitat, nihilominus Parochus habitare tenetur propè Ecclesiam in Ciuitate, sed succurrendum est eis, qui longè habitant, secundùm loci consuetudinem, per dispositionem *cap. 4. sess. 21. de reformat.* S.Congr.Concil.

Parochialis collatio, si cessantibus reseruationibus Apostolicis, spectet ad inferiorē collatorem, & in concursu facto per Ordinarium sint renunciati plures æquè idonei, facultas eligendi magis idoneum ad ipsum Episcopum, non autem ad inferiorem collatorem pertinet, siuè Parochialis in mense Apostolico, siuè Ordinario vacet. S. Congr. Concil. *in Asculan. 1. Decembris 1618.*

Parochiales Ecclesiæ vnitę Monasterijs, etiā quæ sunt capita ordinum, ab Ordinarijs visitari debent. S.Congr.Concil.

Parochiales omnes suę Diœcesis potest Episcopus visitare, in quibus sint Sacerdotes sæculares, licèt Ecclesiæ sint Regularibus subiectæ, siuè sint Ecclesiæ Regularium, quando tamen cura exerceatur per Sacerdotes sæculares. S. Congr. Concil.

Parochiales Ecclesiæ in simplex beneficium conuerti non possunt: quod intelligēdum est in aliqua parte fructuum ipsius Parochialis. S.Congr.Concil.

Parochialium tenuium in collatione, quandò fructus 24. ducatos auri de Camera non excedunt, si proposito primo edicto examinis per concursum, nemo comparuerit, fieri debet secundum edictum examinis, sed sine concursu, seruatis tamē temporibus præscriptis à Pio V. *in sua Bulla super collatione Parochialium.* S. Congr. Concil.

Parochialem Ecclesiam cum Canonicatu ex dispensatione Apostolica tenens, si Parochialis, & Canonicatus sint in vno, eodemque loco, potest vtrique inseruire, & quotidianas distributiones percipere. Sac. Congr. Concil.

Parochialem habens, quę longè abest à Collegiata, in qua Canonicatum ex dispensatione Apostolica obtinet, potest residendo in Parochiali in diebus ferialibus ad Ecclesiam Collegiatam accedere, & in ea Diuinis inseruire, dūmodo omnibus diebus, & horis suis, & congruis ipsi Parochiali inseruiat, & nihil prorsùs relinquat ex debito seruitio ipsius Parochialis. Sac. Congr. Concil.

Parochialem obtinens per prouisionem Sũmi Pontificis habens liberum Curæ exercitium, & omnium bonorum, fructuum, & prouentuum ad dictam Ecclesiam Parochialem pertinentium possessionem, licèt in limine adeptæ possessionis prædictæ mota lis fuerit per aliquem; in petitorio tamen tenetur se facere promouere infrà annum lite pendente, & ad residentiam in dicta Ecclesia; etiam præsupposito, quòd non teneretur residere Episcopus, in eo casu debet deputare Vicarium, partemq; fructuum ei pro sufficienti victu assignare, iuxtà Concilij Triden. formam. S.Cong. Concil.

Parochialis, quamuis esset litigiosa, tenebitur obtinens sacros ordines suscipere, si modo liberum habeat curæ exercitium. S.Congr.Concil.

Parochialem Ecclesiam habenti, potest Ordinarius alteram Parochialem conferre, sed post adeptionem possessionis pacificæ secundæ, vacat prima. Sacra Congregat. Concil.

Parochialem habens, & Monasterium in Commendam ad vitam, cui cura imminet animarum, alteram dimittere non tenetur. S.Congr.Concil.

Decreta Sac æ Congregationis Rit. De Parochijs.

Parochialis Ecclesiæ Rector non debet in processionibus ire cum Archipresbytero Ecclesiæ Collegiatæ, sed cum suo Clero. Sacr. Congregat. Rit. *in Syracusana 17. Nouembris 1607.*

Parochialis Rector in sua Ecclesia sedere debet in scamno, non autem in Sede; & in dicta Ecclesia dignior locus debetur Canonicis Cathedralis immediatè post Episcopum, & post Canonicos sedere debet Rector. Sacra Congregatio Rit. *in Turritana 14. Februarij 1632.* Vide in verbo Ecclesia Parochialis.

TI-

TITVLVS XXX.

De Parochis Ecclesię.

SVMMARIVM.

1 *Parochus quis dicatur.*
2 *Obligatur ad residentiam.*
† *Vbi debeat habitare.*
3 *Non residendo absque causa, peccat.*
† *Quę sint causę non residendi.*
4 *Intemperies aeris non est causa non residendi.*
5 *Parochus, qui est exosus populo, potest compelli ad permutandum.*
6 *Parochus, an teneatur applicare sacrificium pro populo.*
7 *Munus Parochi quod sit.*
8 *Quando excusetur ab habenda concione.*
9 *Vbique potest audire confessiones suorum subditorũ.*
10 *Qui scienter confitetur peccata Parocho excommunicato, & non absoluitur.*
11 *Parochus committens copulam cum subdita, quando committat incestum.*
12 *Quando teneatur ministrare Sacramentum Pœnitentiæ.*

1 PArochus ille dicitur, qui habet curam animarum sine dignitate Ecclesiastica, qui habet iurisdictionem in foro conscientiæ ad absoluendum. Parochus verò electus, si non sit initiatus ordine sacro, debet intrà annum fieri Sacerdos, qui secundùm ius debet esse legitimus, *cap. Cùm in cunctis de elect.*

2 Parochus obligatur ad residentiam. Ita *ex cap. Quia nonnulli,* & ex Concilio Tridentino *sess. 6. de reformat. cap. 1.* & *sess. 7. de reformat. cap. 3.* & *sess. 23.* etiam *de reformat. cap. 1.*; etiamsi beneficium sit exiguè factum. Reginald. *in praxi lib. 30. tract. 3. num. 294.*, debet habitare in domibus propriè Ecclesiæ; etiamsi Ecclesia Parochialis sit in loco, vbi minor pars populi habitat, vt possit succurrere ijs, qui longè habitant. Garzias *de benefic. par. 3. cap. 2.* † Quòd si Parochia duas habeat Ecclesias æquè distantes, debet residere in digniori, seù frequentiori: Quòd si vna sit intrà Vrbem, & altera extrà, residere debet in ea, quæ est intrà Vrbem. Garzias *loco citato num. 179.*, quòd si Ecclesia distet ab Vrbe tria, &c. milliaria, Parochus non dicitur residere, si in Ciuitate habitat, & Dominicis, & alijs festiuis diebus ad Ecclesiã accedat. Garzias *loco citato cap. 2. num. 360.*, & ideò non potest fungi in Oppido officio Ludi-magistri, etiamsi velit singulis diebus festiuis Parochiali interesse, etiam relicto Vicario in Parochiali. Riccius *in praxi decis. 50.* Santarellus *var. resolut. quæst. 3. num. 32.*

3 Parochus sine legitima causa, non residendo, peccat mortalitèr, ex Concilio Tridentino *sess. 23.*; & pro eo tempore, quo abest, non facit fructus suos, Concil. Trid. *loco citato.* Leo *in Thesauro fori Eccles. par. 3. cap. 2. num. 15.* Non dicitur tamen abesse, qui statim est reuersurus. Lud. Bea *respons. casuum conscientiæ par. 4. casu 21.* Verùm Parochus potest abesse ob inimicitias, & Episcopus potest concedere per annum, vt in viciniori, ac tutiori loco manere possit, Vicario relicto cum congruenti mercede; & ità Galeta *in Margar. casuum conscientiæ verb. Residentia*, Riccius *in praxi fori Ecclesiast. resolut. 645.* Armendar. *in addit. ad recopil. legum* Nauar. *lib. 1. tit. 8. num. 828.* Praxis Episcoporum *par. 1. verb. Priuatio §. 4. dub. 1.*, vbi etiã agit. † Quòd si intrà annum inimicitiæ non extinguantur, & Curatus fuerit in culpa non extinctionis earumdem, poterit priuari beneficio: si verò inimicitiæ crescant sine Parochi culpa, alius annus dari potest. Armendar. *loco citato.*

4 Propter aeris intemperiem Parochus non poterit non residere, relicto etiam in Ecclesia Vicario. Suar. *tom. 4. disput. 44. sect. 3.* Verùm si Parochus ità esset infirmus, vt in loco Parochiali curari non possit, potest ab Ordinario ei dari dilatio trium, aut quatuor mensium, vt in locis viciniotibus maneat sanitatis causa, relicto tamen Vicario: si verò Parochus sit decrepitus, non potest abesse, sed debet residere, & illi Prouicarius assignari debet, vt Ecclesiæ seruiat, iuxtà Concilium Tridentinum *sess. 23. de reformat. cap. 1. num. 130.* Sicut etiam dandus est illi Coadiutor, quando propter suam imperitiam non potest fungi munere suo; ità *cap. Quoniam,* Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 6. de reformat.* Sicut etiam propter lepram, infirmitatem diuturnam, &c.; & propter populi numerositatem auctam. Gonzal. *super reg. Cancell. gloss. 5. §. 9. num. 18.* Quas pęnas incurrant Parochi non residendo, videri potest Concil. Trident. *sess. 6. de reformat. cap. 2.*

5 Parochus, qui est exosus populo, potest ab Episcopo compelli ad permutandum, si graue immineat scandalum, manendo in Parochia. Innocent. *in cap. Veniens de renunc.* Ioannes Andr. *in cap. Quoad gratiam de reg. iur. in 6.*

6 Parochus non obligatur applicare sacrificium pro populo illis diebus, quibus tenetur Missam audire: Ratio, quia obligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum, sunt diuersæ, cùm vnus possit ad vnum, & non ad alium obligari, & licèt Parochus teneatur admonere populum, vt diebus festiuis Missam in Parochia audiat, non tamen potest cogere. Suar. *tom. 3. disput. 87. sect. 2.* Azor. *par. 2. lib. 7. cap. 6.* Henriq. *lib. 9. de Missa cap. 25. §. 9.*

7 Munus Parochi est, in Parochia residere, ministrare Sacramenta, orare pro populo, docere populum concionando, arguendo, & singulis diebus Dominicis, & alijs festiuis solennibus, populum sibi subditum Christianæ Doctrinæ dogmata per se, vel per alium docere. Bonac. *disput. 6. par. 8. de cura, & muner. Superiorum*, Sacramenta tenetur etiam ministrare cum periculo vitę, quia obligatur, ex iustitia, ea administrare; Vndè non potest tempore pestis à suis Parochianis recedere, nisi alios sufficientes substituerit. Malderus *2. 2. quæst. 26. art. 5.* Tabien. *verb. Episcopus quæst. 5.*, Reginald. *lib. 4. cap. 25. num. 246.* Valentia *2. 2. disp. 3. quæst. 4. art. 3.*

8 Excusatur Parochus à Concione habēda, quando in eo loco adsunt alij Prædicatores, quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur: tùm etiam, quia populus tùnc nullum patitur detrimentum; & toties Parochus peccat, non prædicando, quoties populus grauitèr indiget prædicatione, cùm ex præcepto Diuino teneatur pascere oues sibi commissas; & ideò grauitèr peccat cōtrà præceptū Concilij Trident., quando prætermisso vno integro mense, aut etiam duobus, vel tribus mensibus discontinuis non prædicat: Ratio, quia talis omissio videtur grauis trāsgressio contrà præceptum, cùm Concilium imponat pœnas pro tali transgressione.

9 Parochus vbique terrarum potest confessiones suorum subditorum audire. Hostien. *in sum. lib. 5. tit. de pœnit. & remiss. num.* 18. Toletus *in sum. lib.* 3. *cap.* 16. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 34. *num.* 2. Syluest. *verb. Confessor.* 1. *quæst.* 14. Ratio, quia Parochus habet auctoritatem ordinariam à iure, quam vbiq; potest exercere, cùm non sit contentiosa; & Epicopus non potest eam reuocare, licèt possit suspendere. Verum si Parochus aliqua causa dimittat beneficium, desinit eius potestas, nec potest absque alia licentia accipere confessiones, excepto mortis articulo. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 12 *num.* 3. *&* 4. Reginald. *lib.* 1. *num.* 196.

10 Pœnitens, qui absque iusta causa scientèr confitetur peccata Parocho excommunicato vitando, validè non absoluitur, quamuis Parochus communitèr habeatur pro legitimo Superiore, & non excommunicato: Ratio, qui a confitendo illi excommunicato absq; iusta causa, participat in Diuinis absque necessitate, & per consequens non recipit beneficium absolutionis, eo, quòd ponat obicem ad ipsam, & ad gratiam per participationem in Diuinis cum excommunicato vitando, & peccat mortalitèr, nisi excusetur ratione paruitatis materiæ.

11 Parochus committēs copulam cum subdita, quam baptizauit, committit incestū, ratione cognationis spiritualis consurgētis ex baptismo; & ità communitèr Doctores: si verò eam non baptizauit, non committit peccatum incestus, licèt grauissimum peccatum, quia peccat contrà propriū officium, eo, quòd illi specialitèr incumbat cura procurādæ salutis suorum Parochianorū, & teneatur ex officio oues sibi subiectas bonis moribus imbuere.

1 Parochus tenetur sub mortali ministrare Sacramentum Pœnitentię petenti, quoties ipse ex aliquo motiuo rationabili petit, v.g., vt satisfaciat voto, vel deuotioni, consuetudini, &c., vel etiam petit in articulo mortis, nisi fortè Curatus tùnc non possit ob aliquam iustam causam: Ratio, quia sicut pœnitens habet ius petendi; ità etiam Parochus tenetur ex iustitia ministrare Sacramenta, quando pœnitens ipsis eget; sed in tali casu pœnitens censetur egere, ergò, &c. Dixi, nisi fortè Curatus, &c., quia tùnc excusatur à peccato, cùm occupatus sit in maiori bono, vt supponitur, quia secùs non excusatur à peccato mortali, nisi pœnitens importunè petat, quia anxiatur scrupulis, quia tùnc non censetur peccare, si semel, & iterùm deneget.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Oblationes factæ alicui Imagini, &c. cuius sint.*
2 *Parochiani, quando teneantur ad oblationes, &c.*
3 *Oblationes factæ in loco Regularium, sunt ipsorum.*
4 *Parochus quando possit cogere Parochianos ad oblationes.*
5 *Pro concessione licentiæ alibi sepeliendi, potest aliquid exigere.*
† *Non autem pro ministratione Sacramentorum, &c.*
6 *Parochus sepeliendo excommunicatum, quam pœnam incurrat.*
7 *Non habet potestatem ferendi censuras.*
† *Per consuetudinem præscriptam potest iurisdictionem acquirere.*
8 *Interdicta sua Ecclesia, non tenetur aliam adire, &c.*
9 *Extrà confessionem potest absoluere ab excommunicatione minori.*
10 *Non potest eleemosynam accipere pro Missa dicenda, quando tenetur celebrare.*
† *In die Natalis non tenetur tres Missas celebrare.*
† *Sacerdos in nocte Natalis potest tres Missas celebrare ante auroram.*
11 *Non peccat dicendo Missam ante celebrationem officij.*

1 OBlationes factæ alicui Imagini, seù Capellæ existēti intrà terminos Parochiæ Ecclesiæ Rectori, seù Parocho debētur. Felin. *in cap. Dilectus*, Socin. *de oblat. lib.* 8. & ità *ex cap. Quia. cap. Sanctorum. cap. Ex transmissa de præscriptionibus.* Abbas *in rubr. de Parocho num.* 4, quia oblationes debentur Parocho, nisi appareant relictę intuitu alicuius Capellæ, non Ecclesiæ ob titulum, vel Sanctum, cuius intuitu fiunt oblationes. Felin. *in cap. Dilectus num.* 4. Mantic. *de coniecturis vltimæ voluntatis*, quia Parochus habet intētionem fundatam super oblationibus, quæ fiunt intrà Parochiam, *cap. Quia* 20. *quæst.* 1. *cap. Quoniam de decimis. cap. Pastoralis.* Abbas *in cap. Dilectus num.* 4.

2 Quando Parochus non habet necessaria, vnde viuat, Parochiales tenentur diebus Dominicis, & alijs priuatis Festis ad oblationes, quia ipsi ministranti spiritualia, tenentur Parochiani ministrare temporalia. Hostien. *in cap. Cansam num.* 2. *de verb. significatione.* Cou. *lib.* 1. *var. Resol. cap.* 34. *num.* 3. Oblationes, quæ fiunt à mulieribus post partum, sunt Parochi; ità praxis Archiep. Neapol. *cap.* 72 *num.* 13: Ratio, quia ad solum Parochum spectat purificare mulieres.

3 Si oblationes fiunt in aliquo loco Regularium, acquiruntur Religiosis, cuius est locus, & non alijs. *cap. de statu Monach. cap. Nemini. de excessibus Prælatorum.* Si verò fiant Imagini depictæ in pariete alicuius priuati, cedunt Parocho. Abb. *in cap. Pastoralis num.* 2. Item Parochus habet intentionem funda-

fundatam super primitijs in possessorio; cùm primitiæ necessario sint soluendæ; ità apud Beletum *disquis. Clericalium p.1.tit.de bonis Clericorum*, §.3.*num* 7.

4 Parochus potest cogere Parochianos ad oblationes præstandas, quando non habet vndè se alat, non obstante, quòd operando, possit sibi victum quærere. *cap. Apostolicum*, §. *Quapropter*, & ibi Host. *in rubrica de Parocho num.* 2. Et in casu contrarietatis potest illis detrahere spiritualia, Abb. *in cap. Ex præsentium num.* 6. de consensu tamen Superioris. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 86. *art.* 1. & ibi Caiet. Ratio, quia non potest esse Iudex in causa propria.

5 Parochus potest à Parochianis aliquid exigere pro concessione licentiæ alibi sepeliendi cadauer illius, qui decesserat non electa sepultura. Riccius *in prax. resol. p.* 1. *resol.* 562. *num.* 4. & 5. Pro administratione Sacramenti Baptismatis, Eucharistiæ, &c. non potest Parochus aliquid accipere, *cap. Cum in Ecclesia de Simonia*; nisi voluntariè aliquid offeratur. *cap. Placuit* 1. *quæst.* 1., nec pro benedictionibus nuptiarum. Azor. *p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 4. *qu.* 2., neque pro loco sepulturæ pro Parocho assignando, & pro exequijs mortuorum, nisi sit voluntariè datum, aut consuetudo adsit aliquid dandi in exequijs mortuorū; aut legitimè appareat de quasi possessione exigendi, quia tunc potest cogi populus ad obseruandam honestam, & laudabilem consuetudinem. *cap. Ad Apost.* & ibi Gloss. & Abb. *num.* 3. & 4. Felin. *num.* 2. Hostien. *num.* 6. huiusmodi autem consuetudo inducitur spatio decē annorum. Abb. *in cap. Suam. num.* 9. Felin. *in cap. Ad Apostolicam num.* 2. Cou. *var. resol. cap.* 15. *num.* 3.

6 Parochus ex sepeliendo excommunicatum vitandum, non incurrit irregularitatem: sed excommunicationem; quia in *Clementina* 1. nulla fit mentio de irregularitate, sed de excommunicatione, quamuis fieri posset, quod violando censuram, per exercitium Ordinis, incurrat irregularitatem; ità Bonac. *de censuris, quæst.* 3. *p.* 7. *nu.* 27.

7 Parochus non habet potestatem ferendi censuras, cum non habeat iurisdictionē in foro externo. Suarez *disp.* 12. *sect.* 5. *num.* 3. Nauar. *cap.* 27. *num.* 5. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 24. *num.* 3. Licèt per consuetudinem præscriptam possit acquirere iurisdictionem ferendi censuras in suos subditos, sicut etiā possit acquirere per præscriptionem facultatem absoluendi: Ratio deducitur ex natura consuetudinis, per quam sicut obligatio inducitur; ità iurisdictio acquiritur, non quia ipsa conferat iurisdictionem, sed quia Summus Pontifex, mediante ipsa, ipsam confert.

8 Parochus, interdicta sua Ecclesia, non tenetur aliam adire, vt ibi administret Sacramentum Baptismi: Ratio, quia Parochialis Ecclesia quòad hunc effectum non censetur interdicta, nam *cap. Quoniam* simpliciter permittitur Baptismus absque vlla restrictione; ità Syluester *Verb. Interdictum qu.* 7. *num.* 9. Suar. *tom.* 5. *de censuris disp.* 33. Sayrus *cap.* 7. *num.* 4. Comin. *disp.* 17. *nu.* 40.

9 Parochus extrà confessionem potest absoluere ab excommunicatione minori: Ratio, quia facultas absoluendi ab istā excommunicatione non est concessa cum restrictione absoluendi in confessione; & ideo etiamsi non sit Sacerdos, potest absoluere ab excommunicatione minori, quia talis absolutio non est actus Ordinis Sacerdotalis, sed iurisdictionis, qui etiam competit Parocho non Sacerdoti. Suarez *loco citato sect.* 4. *num.* 4. Sayrus *cap.* 23. *num.* 4. Vgol. *cap.* 4 §. 2.

10 Parochus ex Decreto Sacræ Congregationis *sub die prima Septembris* 1619. non potest manualem eleemosynam accipere illis diebus pro Missa dicenda, quibus tenetur celebrare: In die Natalis Domini Nostri, ex rigore non tenetur tres Missas celebrare, quia sicut Parochiani non tenentur tres Missas audire; ità nec Parochus celebrare, secluso tamen scandalo, & contemptu. Item in nocte Natalis potest Sacerdos tres Missas celebrare ante aurorā. Vasq. *in tertiam partem tom.* 3. *disp.* 182. *cap.* 3. *nu.* 3. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 4 *cap.* 9. *nu.* 134. Hurtad. *de Sacram. disp.* 4. *de Sacrificio Missæ, difficultate* 4. & alij. Ratio, quia in capite *Nocte Sancta, de consecrat. distinct.* 1. absolutè conceditur, vt nocte Natiuitatis Domini Missæ celebrentur sine distinctione; & sic videtur in praxi, vt post Missam mediæ noctis, tres Missæ celebrentur.

11 Parochus non peccat dicendo Missam ante celebrationem Officij: Ratio, quia non videtur tanta connexio inter Officiū, & Missam, vt peruertens hunc Ordinem, sit reus lethalis culpæ; ità Suarez *disp.* 82. *sect.* 1. Conine. *quæst.* 83. *art.* 3. *dub.* 4. *num.* 220. Naldus *verbo Missa num.* 8. Nugnus *quæst.* 83. *art.* 2. Mirand. *in Manuali Prælatorum* 1. *p. quæst.* 40. *art.* 12.

P A R A G. II.

S V M M A R I V M.

1 *Famuli Religiosorum vbi sepeliendi.*
2 *Parochus, tempore Iubilæi potest eligi ad audiendas confessiones subditorum alterius Diœcesis.*
† *Parochus non Sacerdos debet intrà annum ad Sacerdotium ascendere.*
† *Intrà duos menses debet professionem fidei facere.*
3 *Parochus non potest exponere ad confessiones Sacerdotem non approbatum.*
4 *Parochus, tempore pestis quomodo debeat ministrare Sacramentum Extremæ Vnctionis.*
5 *Parochus, qui multoties expertus est in pollutiones consentire, an possit perseuerare in confessionibus audiendis.*
6 *Cum Parochis turpiter viuentibus, quid agendum.*
7 *Parocho imperito, &c. dandus est Coadiutor, &c.*
8 *Parochus productus, vt testis, habet vim duorum.*
9 *Parochorum libris est credendum.*
10 *Religiosus ad Parochiam promotus, an teneatur seruare suam Regulam.*
11 *Parochi, quibus teneantur ministrare Sacramenta.*

1 FAmuli Religiosorum, licèt iure communi non possint sepeliri in Ecclesijs

ipso-

ipsorum; tamen attentis priuilegijs Alexandri Quarti Carmelitis concesso, & Clementis IV. Minoribus, & Leonis X. Minimis, & Pauli III. Societati Iesu, possunt in Monasterijs ipsorum Fratrum, etiam Parocho recusante, sepeliri: imò Iulius II. Fratribus Minoribus concessit, quòd famuli domorum sui Ordinis, nec non cæteri eiusdem Ordinis habitum portantes in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes, omnibus, & singulis priuilegijs Ordinis Minorũ huiusmodi quomodolibet concessis gaudere licitè, & liberè valeant. Rodriq. *tom. 2. quæst. Regularium, quæst. 78. art. 2.*

2 Parochus tempore Iubilæi potest eligi ad audiendas confessiones subditorum alterius Diœcesis: Ratio, quia eo ipso, quòd obtinuit beneficium Parochiale, censetur sufficienter approbatus. Suar. *disp. 28. sect. 4.* Item Parochus, si quando est electus ad beneficium Parochiale non est Sacerdos, debet intrà annum à die sibi commissi regiminis, ad Sacerdotium ascẽderet quod si ad illud intrà illud tempus non ascenderit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, priuatus existat. Azor. *p. 2. lib. 6. cap. 8.* Quòd si in principio anni non habuerit animum ascendendi ad Sacerdotium, pro illo anno non potest capere fructus suos, nisi intrà eumdẽ annum mutauerit voluntatem. Gloss. *in cap. Commissa de electionibus in 6.* Item si intrà duos menses non facit fidei professionẽ, fructus non lucratur, licet etiam prosit illi fides, etiam post duos menses emissa, quoniam ex eo tempore incipit sibi fructus nondùm perceptos lucrifacere, non tamen quoad retinendos fructus, quos ante professionẽ factam recuperat. Azor. *p. 2. lib. 9. cap. 2.*

3 Non potest Parochus post Concilium Tridentinum exponere ad audiendas cõfessiones suorum subditorum Sacerdotem ab Episcopo non approbatum, cùm Concilium ponat solùm duos titulos audiẽdi confessionem; nimirùm approbationem Episcopi, & beneficium Parochiale; ergò qui hos titulos non habet, confessionem audire non poterit; potest tamen exponere ad audiendas confessiones Parochũ alterius Parochiæ; ità apud Dianam *tract. de Sacramentis resol. 146.*

4 Parochus tempore pestis potest inungere no digito, sed virga oblonga, vt eius contactum fugiat; ità Diana *tract. 4. de Sacramento Extremæ Vnctionis.* Imò si adsit periculum infectionis, nõ tenetur ministrare tale Sacramentum; modo autem supradicto tenetur, & muniendo se præseruatiuis: Sacramentum verò Pœnitentiæ tenetur suis subditis, etiam cum periculo vitæ, ministrare: Ratio, quia tale Sacramentum est necessarium ad salutem; & tenetur illud Parochus ex officio ministrare; ità Morphesius *in Sum. tom. 1. tract. 4. cap 3 n. 52.*

5 Parochus, qui multoties expertus est exauditis in confessione in pollutiones consentire, cùm multoties proposuerit nõ consentire, est obligatus deserere officium audiendi confessionem, si multotiès, vt diximus, est actu elicito non consentiendi, nihilominus expertus, est consentire, occasione desumpta ab ipsa confessione: Ratio, quia non potest quis se exponere periculo formali, & probabili peccandi: Nam qui amat periculum, peribit in illo; Ità Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 14. num. 8.* Megala *in 1. p. lib. 4 cap 4. num. 6.* Villabos *in Sum. tom. 2. tract. 40. difficult. 16. num. 5.* & alij: Secùs si multotiès expertus sit, non consentire, nec voluntariè pollutum fuisse.

6 Parochi turpiter viuentes, postquàm præmoniti fuerint, arbitrio Ordinarij sũt coercendi, & castigandi, & si adhùc incorrigibiles in sua nequitia perseuerauerint, beneficijs sunt priuandi. Concil. Trident. *Sess. 14. cap. 4. de reformatione.* Et ideò Parochus sic vitam suam instituere debet, orationis frequentia, cibi ac potus temperantia, corporis castitate, locutionis modestia, in pauperes misericordia, ergà omnes humanitate, & charitate, vt quod verbis in Ecclesia populum docet, ipse opere cõsumet, ac veluti in imagine ostendat, quia Doctrina sua, quamuis sana, parum effecturus est, nisi etiã vitę exemplo alijs prȩsit.

7 Parocho, quando propter imperitiam, & inhabilitatem, non potest munere, sibi iniuncto satisfacere, dandus est Coadiutor. *cap. Quoniam*, vbi Hostiens. *nu. 1.* & Abb. *num. 2. de offic. Ordinarij.* Concilium Trident. *Sess. 21. cap. 6. de reformatione.* Item propter infirmitatem longam, aut lepram incurabilem, senectutem, dementiam, vel furorem. *cap. 1. de Cleric. ægrot.* Gonzal. *super reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 9. num. 19.* Riccius *resol. 494. nu. 1.* Similiter propter populi numerositatem, & propter alios casus relatos à Gonzal. & Ricc. *locis citatis.*

8 Parochus productus vt testis, habet vim duorum. *cap. Cum esses, de testamen.* Alexan. *consil. 43.*, & ideò firmum est testamentum, quod Parochianus fecit coram Parocho suo, & duobus, vel tribus testibus idoneis. *cap. Cum esses.* Licèt hoc procedat de iure Canonico; & in terris Papæ subiectis, quo ad iurisdictionẽ temporalem; & ità Cou. *in cap. Cum esses*

9 Parochorum libris, in quibus scribuntur Matrimonia, Baptizati, atque Defuncti, est standum. Rot. *diuers. p. 1 decis. 750. n. 10. & p. 2. decis. 340. num. 2. & 4.* Per quem probatur etiam origo alicuius. Rebuff. *in tract. de regisir. num. 15.* Et assertione Parochi in denunciationibus Matrimonij standũ est, concurrente verisimilitudine, prouenien te ex taciturnitate, & non reclamatione partium. Rot. *diuers. p. 2. decis. 91. num. 1.*

10 Religiosus ad Parochiam promotus, et votis adstrictus permaneat, tenetur deferre actum Religionis, regulam obseruare in omnibus, quæ cum suo munere consistere possunt; Idque non tantùm secundũ moralem honestatem, sed sub obligatione grauis culpæ, si ad eam regula obliget: Ab obedientia verò Prælati regularis eximitur, & Episcopo subijcitur. Sanch. *lib. 6.*

mora-

moralium, cap. 6. num. 36.

11 Parochi non solum subditis petentibus tempore præcepti, sed etiam cum deuotionis, & pietatis impulsu, suscipere volunt Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ea administrare tenentur. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 132. Toletus *lib.* 5. *cap.* 5. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 14. Em. Sa. *Verbo Parochus*, & alij: Ratio, quia Parochi non solùm extremæ necessitati ouium subuenire tenentur, sed etiam magnæ illarũ vtilitati prouidere; & ideò tenentur visitare infirmos in Parochia existentes, ex lege Iustitiæ, & Charitatis; & ad Sacramenta suscipienda eos hortari. *cap. Presbyter distinct.* 91.

PARAG. III.

Decreta Sacræ Congregationis Rit. De Parochis.

PArochus indutus superpelliceo in processionibus præcedit omnibus Rectoribus, & Presbyteris. 31. *Martij* 1618.

Parochus debet præcedere Canonicis Collegiatæ in associandis funeribus defunctorum propriæ Parochiæ. 13. *Iuly* 1619. Vide *Ostren. Ceren:* 28. *Aprilis* 1607.

Parochus in funeralibus non debet præcedere Canonicis Cathedralibus: sed omnibus alijs Presbyteris, qui non sunt de Cathedrali. *In Viterbien.* 25. *Iuny* 1611.

Parochus debet incedere sub Cruce Ecclesiæ Collegiatæ in leuandis funeribus defunctorum, si adsit immemorabilis consuetudo *In Ferrarien.* 23. *Februar.* 1619.

Parochus debet facere officium supra, etiãsi adsint Canonici Cathedralis in sua Parochiali Ecclesia. *In Viterbien.* 25. *Iuny* 1611. *in Prenestin. Canarum* 18. *Augusti* 1618. *Ostien. Iereu.* 28. *Aprilis* 1607.

Parochus debet facere omnia officia circà corpus defuncti, qui sepeliendus est in Ecclesia Regularium, vel in alia, domi, & per curam; & ipse Parochus stolam deferens omnibus præcedere debet. Postquàm verò cadauer fuerit collocatum intus Ecclesiã, debet Parochus recedere, & officium facere debent ipsi Regulares, vel Parochus ipsius Ecclesiæ, qui tunc omnibus præcedat. *In Eugubin.* 12 *May* 1612. & 5. *Iuly* 1614. *in Placentin. ex Lucien.* 23. *May* 1619. *Catanien. Ciuitatis Platia* 12. *Octobris* 1619.

Parochus, si sit in quasi possessione faciendi officium supra defunctos suæ Parochiæ, etiamsi sepeliantur extrà Parochiã in quacunque Ecclesia Ciuitatis siuè Regulariũ, siuè sæcularium, vel Abbatialium, manutenendus est. *In Rauennaten.* 28. & 31. *Augusti* 1615.

Parochi licentia, vel interuentus requiritur ad hoc, vt Regulares possint defunctorum funera in eius Parochia leuare, nisi ipse requisitus venire expressè omninò recuset. *In Catanien. Ciuitatis Platia* 18. *Octobris* 1619. *in Vercellen. terra Crescentum* 26. *Februar.* 1611.

Parochus ad funera, quæ fiunt in sua Parochia, non tenetur vocare Clericos, vel Presbyteros viciniores, sed potest vocare quos voluerit, dummodò illi spontè velint accedere, nisi aliter disponatur ab hæredibus defuncti. *In Ferrarien.* 7. *Septembr.* 1613.

Parochus defuncti debet facere officium in Ecclesijs Clericorum Regularium Vrbis, & præsertim Barnabitarum. *In Barnabit.* 20. *Martij* 1604.

Parochus debet Sacerdotalia munera, & Presbyterales functiones, quæ populi, & animarum curam concernunt, exercere etiam in Ecclesijs, quæ sunt sub Laicorum Magistrorum gubernio, non autem spectat ad Capellanos à dictis Magistris deputatos. *In Neapolitan.* 18. *May* 1602. *in Cesaraugust.* 14. *Ianuar.* 1612.

Parochus Monachus cum stola ingredi potest in funeralibus Parochiam Sæculariũ, pro vt ingrediuntur Sæculares Parochi Monachorum Parochias. S. Congr. Rit. *in Asculan.* 29. *Ianuarij* 1629.

Decreta Sac. Congregationis Concilij. De Parocho.

PArochi amouibiles amoueri non possũt absque rationabili causa. 11. *Iuly* 1628.

Parochi pro cura animarum non possunt deputari, nisi de consensu Episcopi, & prævio examine. *In Pistauien.* 5. *Iuly* 1627.

Parocho Cathedralis non licet Sacramenta administrare, vel curam exercere in aliena Parochia. *In Eugubien.* 20. *Septembris* 1628.

Parochus est manutenendus in possessione exigendi decimas ratione prædiorum acquisitorum per Regulares, donec doceat de sufficienti Priuilegio. *In Pisaurien.* 13. *Aprilis* 1630.

Parochi, tempore pestis, omninò residere in suis Parochialibus debẽt; possũt tamẽ per aliũ idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramẽta Baptismi, & Pœnitentiæ; & si non resideant, cõtra eos procedendum est, seruata forma. *cap.* 1. *in fine, sess.* 28. *de reformat. In vna Mediolanen.* 29. *Decembris* 1576.

Parochus in Ciuitate potest inibi in publica Vniuersitate Sacram Scripturam legere, ita tamen, vt cura animarum per ipsũ exercenda, nihil detrimenti patiatur. Sac. Congr. Conc.

Parochus, & testes, quãuis inuiti, & per vim compulsi interueniant, & minimè cõsentiant, tale Matrimonium firmitatem habebit.

Parochus non potest prohibere, vt absque licentia celebretur in Capella ruri ædificata per lucrum, antequàm celebretur in Parochiali, & Matrice. *In Carinan.* 18. *Septembris* 1617.

Parochus nihil potest recipere pro Matrimonio contrahendo. 17. *Martij* 1619.

Parochi quibus diebus tenentur Missam celebrare, non possunt pro ea manualem eleemosynam recipere. *In Fanten. sub die* 1. *Septembr.* 1629.

Parochi opera vti non potest Episcopus in visitatione, vel alio seruitio suæ Diœcesis, nisi pro tempore illi permisso duorum men-

mensium; & tunc pro tempore idoneus deputetur.

Parochus, si eo morbi genere teneatur, vt ad functionem sui Sacerdotij, & ad res Diuinas per se obeundas, minus idoneus esse videatur, non tenetur, durante morbi genere, Sacris Ordinibus se initiari facere. S. Congr. Conc.

Parochus habens curam animarum, nō potest esse Vicarius Episcopi, vel Capituli sede vacante. S. Congr. Conc. *sub die 12. Maij 1629.*

Parochus, qui non vult in sua Parochiali residere, debet, seruato iuris ordine, priuari.

Parochus, qui non habet domum propriam in loco vbi residere tenetur, aliquam conducere debet.

Parochus non excusatur quin intrà Parochiam residere debeat, quamuis non adsit commoda domus Parochialis, & sit magna aeris intemperies, & retineat Capellanum in Parochia, & ipse accedat singulis diebus festis, *In Sarzanen. 13. Nouembris 1627.*

Parochus debet residere in loco, vbi sita est Ecclesia Parochialis, etiamsi esset ei datus Coadiutor, ratione infirmitatis. S. Congr. Conc.

Parochi minimè abesse possunt vltrà duos menses absque Ordinarij licentia ex causa, quæ sibi videatur iusta.

Parochi non possunt accipere aliquid etiam à sponte dantibus pro administratione Sacramentorum; possunt tamen accipere quod sponte pro Eleemosyna offertur, *5. Februar. 1593.*

Parochus non excusatur à residendo propter officium Inquisitoris.

Parochus cogendus est habitare in domo Ecclesiæ, vel si Ecclesia eam non habeat, in propinquiori intrà limites Parochiæ: quod si non habitauerit, tenetur ad restitutionem fructuum, de quibus in decreto Concil. Trid. *Sess. 23. cap. 1. de reform.*

Parochus Ecclesiæ, in qua fuit constitutus Capellanus, cui ex institutione Capellaniæ imposita fuit tota animarum cura, seu perpetua Vicaria quoad Capellanus vixerit, non tenetur in ea residere. Sac. Congr. Conc.

Parochum ad residentiam cogere potest Episcopus, quamuis Ecclesia, quam ipse Parochus obtinet, pertineat ad inferioris collationem, etiam Abbatis Regularis.

Parochus potest per seipsum inter Missarum solennia sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse prædicat, non autem Presbyteri Parochialium. *11. Iunij 1631.*

Parochi vltrà bimestre tempus, imò nec per bimestre tempus, possunt abesse sine licentia Episcopi, & valet eius cōstitutio, nè Parochi possint abesse vltrà duos dies sine licentia.

Parochus non est liber à culpa, & pœna amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex ingenti admodum causa ad curandam suam valetudinem, morbo graui instante, pro huiusmodi absentia non petit licentiam ab Episcopo, qui bona fide putauit, euidentiam causæ satis esse, nisi periculum esset in mora petendi licentiam.

Parochus potest Episcopus prohibere sub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam non excedat, nè vltrà biduum ab Ecclesia sua possint abesse, non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Parochum non excusat sola distantia loci, etiam cum necessitate ab eo discedendi, vt possit abesse a sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas repentè se offerat, quæ non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi: quo casu quamprimùm de discessu, & necessitate Ordinarius est certior faciendus, vt de causa cognoscere possit.

Parochi cogendi sunt ad subeunda per se ipsos, & non per substitutos, ea munia, ad quæ tenentur: tolerandi autem, vt per substitutos suppleant in illis tantùm casibus expressis verbis Canonum, & Decretorum Concil. quibus permissum est eis, vt per Vicarium Coadiutores, vel Substitutos, possint officio suo fungi.

Parocho, quando reseruatur aliqua portio super fructibus Parochiæ alteri reseruatis, libera debet esse ab omnibus oneribus. S. Congr. Conc.

Parocho concedere potest Episcopus ob defectum Sacerdotum, vt in diebus festis bis celebret, *sub die 17. Augusti 1627.*

Parocho, debita est congrua vigore Conc. summa scutorum centum argenti illarum partium, *27. Iuly 1626.*

Parochus potest dare licentiam approbatis ab Ordinario prædicandi in sua Parochia.

Parochos approbatos ab antecessoribus tēpore prouisionis Parochialium, liberum est Episcopo iterùm examinare, tàm in visitatione, quàm extrà. *In Placentin. 28. Augusti 1628.*

Parochi in Ecclesia exempta animarum curam exercere intendentes, priùs approbādi, & examinandi sunt ab Episcopo, iuxtà dispositionem *cap. exemptionem de priuileg. lib. 6. 23. Iuny 1629.*

Parochus in propria Ecclesia diebus festis Missam celebrare debet, & non in alia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. Sacra Congregat. Concil. *in Lucan. 15. Septembris 1629. & 17. Nouembris eiusdem anni.*

Parochus non habens commodam habitationem in Parochiali, fuit aliquando dispensatum, vt posset degere in loco vicino, dummodò propè Ecclesiam substitutus eius habitet: nonnunquàm hæc facultas eadem de causa concessa fuit sine illa conditione, quod substitutus in eadem Ecclesia habitet. S. Congr. Concil.

Parocho, per seipsum concionanti minimè licet, prætextu cuiuscumque paupertatis prætendere, sibi præstari eleemosynam solitam dari Prædicatoribus, aliàs ab Vniuersitate electis. S. Congr. Concil. *in Vestana 20. Martij 1621.*

Paro-

Parochus nō potest per hebdomadam abesse à sua Ecclesia, non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo, ab ipso Ordinario approbato. S. Cōg. Concil.

Parochus ex alio loco oriundus, non potest propter intemperiem aeris, extrà Parochiam habitare, quamuis in ea relinquat Vicarium approbatum. Sacra Congregat. Concil.

Parochus non potest abesse à sua Ecclesia, etiam relicto in ea idoneo Vicario approbato cum congrua mercede, vt doceat in Ciuitate Grammaticam, etiamsi non inueniretur alius idoneus ad legendum, & ipse singulis diebus festis ad suam Ecclesiam accedere vellet. S. Congr. Concil.

Parochus non potest per Episcopum occupari in sui, vel Ecclesiæ Parochialis seruitio, vt nempè sit Vicarius, Visitator, Secretarius, Fiscalis, &c. S. Congr. Concil.

Parochus habens iustam causam abeundi extrà Parochiam per duos, aut très menses, non satisfacit suæ conscientię, si petit licentiam, iurans se habere grauem causam, quam non expedit manifestare, vt sic petita licentia abesse possit; licèt Episcopus nō cōcedat: Similitèr abesse non potest in casu, quo causam rationabilē expresserit, sed rigidus Prælatus minùs æquam iudicat, & licentiam denegat, vel quia mouetur suspicione, quòd ficta sit, cùm tamen sit vera, sed habere potest recursum ad Superiorem. S. Congr. Concil.

Parochis possunt Ordinarij aliquibus iustis de causis, iuxtà formam Concilij Tridentini licentiam concedere recedendi à Parochiali ad aliquod tempus, modò ea vtatur infrà limites præscriptos à Concilio *sess. 23. de reformat. cap. 1.* quia facultas huiusmodi non fuit ipsis Ordinarijs ablata per motum proprium S. mem. Pij V. publicatum *de mense Iunij* 1568. super residentia Canonicorum habentium Parochiales. Sacra Congr. Concil.

Parochi possunt, absque Episcopi licentia, matrimonia ritè, & legitimè celebrare, nisi Episcopus ex iusta causa alitèr præsumpserit. S. Congr. Concil. *in Turitana 12. Martij 1633.*

Parochus amouibilis Cathedralis in Processionibus debet incedere cum Capitulo dictæ Cathedralis suprà Priores, Plebanos, & Curatos perpetuos beneficiatos. S. Congr. Rit. *in Calien. 9. Aprilis 1633.*

Decreta S. Congreg. Episc. & Regular.

PArochi occasione cadauerum in Regular. Ecclesijs humandorum prætendere possunt quartam funeralium ceræ Parochiali debitæ. *in Baren. 29. Iulij 1616.*

Parochi defunctorum in Regularibus Ecclesijs humandorum corpora vsque ad eadē Ecclesias associare, ac etiam in illis permanere possunt; absque tamen eo, quòd in officio decantando vllatenùs se intromittant, nisi contraria adsit consuetudo. *6. Iulij 1615.*

TITVLVS XXXI.

De Plebanis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Plebanus quis dicatur.*
2 *Plebanus iure Canonico non habet dignitatem, &c.*

1 PLebanus ille est, qui est Præfectus Ecclesiæ, siuè plebis habentis in sua iurisdictione Capellas, seù minores Ecclesias, quibus Vicarij in perpetum, vel ad tempus præficiuntur, vt colligitur *ex cap 1. de Capellis Monach. in 6. &c.* Propriè verò dicūtur Plebani, qui maioribus, celebrioribusq; Oppidis constituuntur, quibus præter Ecclesię curationem, certarum quoque Ecclesiarum, & certorum quoque Presbyterorum, qui minoribus Ecclesijs præsunt, inspectio, & obseruatio committitur, vt colligitur *ex cap. vltimo de offic. Archipresb.*, & induit Panorm. *cap. Ad audientiam de Ecclesijs ædificandis.*

2 Plebanus, iure Canonico, non habet dignitatem, sed tantùm curam animarum: habet tamen Personatum, quoniam in Ecclesia Personatum habet is, qui in ea prærogatiuam, & perhonorificum gradum tenet, quo Clericis antecedit, vel in sedendo, vel in suffragio ferendo, vel in incessu, vel in publicis supplicationibus. Plebanus est Præfectus Ecclesiæ habentis Capellas, quibus Clerici tamquàm Vicarij præficiūtur, & tàm ipsi Plebani, quàm alij inferiores, generali vocabulo, Rectores, seù Parochi, aut Curati, aut Presbyteri Parochiales dicuntur; Rectores scilicèt à regēda Ecclesia, & animabus eidem subiectis. Vndè eorum beneficium Rectoria dicitur; Parochi verò à Parochia, quæ est locus eis commissus certis finibus designatus; Curati autem à Cura, quam de regendis ouibus susceperunt: vocatur etiam cuiuslibet Parochiæ Rector, proprius Sacerdos, *vt in cap Omnis de pænit. & remiss.*

TITVLVS XXXII.

De Capellanis, maximis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Capellani maximi officium.*
2 *Capellanus maior quis dicatur.*
3 *Capellanus sub eodem tecto non potest habere plures Capellanias, &c.*
4 *Quando Capellanus ex fundatione cēseatur Sacerdos.*

1 IN quibusdam Ecclesijs, præcipuè Cathedralibus, constituitur inter alios in Dignitate, vel Personatu constitutos, quidā qui vulgò appellatur Capellanus maximus, cuius officium, & munus ex ipsarum Ecclesiarum consuetudine, & more pendet; nam cum in Ecclesijs solent esse multi Capellani, dictus est Capellanus maior is, qui cæteris Capellanis honore, & dignitàte præstat, & eius officium est inuigilare, vt cæteri Capellani satisfaciant suę obgationi.

2 Ca-

2 Capellanus minor, seù simplex dicitur qui tenetur seruire alicui Capellæ, nimirùm celebrando, &c., & tale beneficium, si auctoritate Episcopi sit fundatum, dicitur Capellania; & Capellani aliquando solùm tenentur celebrare in ipsa, aliquando etiã assistere Choro, si Capella sit in aliqua Collegiata: Capellania, cui adiunctum est onus seruiendi in Choro, non potest obtineri cum Canonicatu, non autem si haberet solùm onus celebrandi Missam, nisi essent sub eodem tecto, quia tùnc necessaria esset Apostolica dispensatio.

3 Capellanus sub eodem tecto non potest obtinere plures Capellanias vniformes; & si quis per annum ex collatione Episcopi retinuerit, incidit in priuationem omniũ ipso iure, non obstante Episcopi dispensatione. Nicolaus Garz. *par. 5. num. 98.*

4 Quando in fundatione Capellæ dicitur, quòd eligatur Sacerdos, ipsa Capellania censetur Sacerdotalis: si verò dicatur, quòd tot Missæ celebrentur, &c., non censetur Sacerdotalis, & tùnc Capellanus potest per substitutum satisfacere obligationi. Gonzal. *reg. 8. Cancell. glos. 5.*

TITVLVS XXXIII.

De Vicarijs Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

1 Episcopi, vel alij Clerici, si necessarijs causis impediantur, quo minùs officijs suis possint fungi, viros idoneos, quibus vices suas mandant, possunt eligere, assignata ijs certa pensione fructuum beneficij. *Cap. Extirpanda 30. §. qui verò de præbend. cap. beneficium 4. de regular. in 6. cap. Peruenit num. 8. de appellat. cap. Cum ex eo 34.* † Idonei non sunt Ordinis Mendicantium Religiosi, vel Monachi, aut Clerici Regulares, nisi cum licentia Prælati, cui sunt subiecti. Rebuff. *in praxi tit. de Vicario Episcopi nu. 30.* nec Laici.

2 Constituuntur Vicarij, vel ad Diuina ministeria celebranda, vel ad iurisdictionem exercendam: ad Diuina ministeria constituuntur in perpetuum, vel ad tempus: perpetui sunt, quando vnio Parochialium Ecclesiarum fit accessoriè, nam tùnc apponitur Vicarius perpetuus, *cap. Extirpãda citato.* Dicuntur etiam perpetui Vicarij, quos Ordinarij constituunt in quibusdam beneficijs curatis, quæ vnita reperiuntur in Cathedralibus Collegiatis, seù alijs Ecclesijs, &c., quibus sunt perpetuò vnita, & annexa, iuxta Conc. Trid. *sess. 7. de reform. c. 4.*

3 In aliquibus casibus Episcopus nõ debet deputare Vicariũ perpetuum: Primus est, quãdo vnio fuit facta à tẽpore immemorabili, & cõstat, nũnquã Vicariũ perpetuũ fuisse cõstitutũ. Sãch. *in præcepta Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 29. n. 19 t.*: Secũdus, quãdo vnio fuit facta per viam pacti, & concordiæ à Sede Apostolica approbatæ: Tertius, quando beneficium vnitum sit Monasterio Monachorum, aut Mendicantium: Quartus, quãdo ex priuilegio, remunerationis causa cõcesso, beneficium esset vnitum cũ clausula ponendi Vicarium amouibilẽ: Quintus, quando pro bono pacis, & cessatione litium expediret Vicarium amouibilem instituere: Sextus, quando particulariter fuit vnita Vicaria perpetua: Septimus, si ex priuilegio Pontificis, post Concilium Tridentinum fuisset concessum instituendi Vicarium amouibilem: in istis enim casibus non potest Episcopus constituere Vicarium perpetuum.

4 Vicarius perpetuus remoueri non potest, etiamsi Rector moriatur. Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 6. quæst. 4.* Rebuff. *in praxi tit. de Vicarijs perpetuis nu. 15.*, nec potest substituere alium Vicarium, *cap. Clericus 4. de offic. Vicarij*, Azor. *loco citato cap. 10. quæst. decim.*, & sicut Parochus habeat intentionem fundatam in decimis; ità etiam Vicarius pro sua rata parte habet de iure communi fundatam intentionem. Rot. *decis. 5. de offic. Vicarij.*

5 Nominatio Vicarij perpetui non spectat ad Ordinarium, sed ad eum, ad quem spectat beneficium, in quo erigitur Vicaria, vt constat ex constitutione Pij V., his verbis. *Volumus insuper, & ità mandamus, quòd dicti Vicarij perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesijs vnitis ponantur cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum prius examinis approbatione deputentur.*

6 Temporalis Vicarius dicitur ille, qui auctoritate alicuius in locum alterius ad tempus, vel ad voluntatem constituentis sufficitur. Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 6. quæst. 1.*: Vicaria temporalis dicitur, quæ non in perpetuum, sed ad tempus duratura est. † Vicarius temporalis multis de causis constituitur: Prima, quando quis plures Ecclesias habet, quibus inseruire, &c. nequit; Vnde à iure compellitur in vna substituere Vicarium: Secunda, quando Rector occupatus est in pluribus negotijs: Tertia, ratione peregrinationis susceptæ ad aliquẽ pium locum: Quarta, ratione infirmitatis: Quinta, ratione iustæ absentiæ, auctoritate Episcopi approbatæ: Sexta, ratione ignorantiæ idiomatis loci, cui Rector præficitur: Septima, causa habendi conciones ad populum: Octaua, cum Rector amouetur, & eijcitur à loco: Nona, cum Rector fit Religiosus: Decima, cum id cedit in incrementum Diuini cultus: Vndecima, vbi Ecclesia dispensatione conceditur minori ætate: Duodecima, quando beneficium est vnitum Mensæ Episcopi, vel Capituli, quia tùnc potest constitui Vicarius temporalis: Decimatertia, beneficiatus beneficio simplici non potest esse Vicarius perpetuus

petuus, & tẽporalis: Decimaquarta, quando Vicariæ perpetuæ vniuntur, nam tùnc efficitur temporalis, & ad nutum possidẽtis instituitur: Decimaquinta, in vacatione Parochialis Ecclesiæ; donèc ei de Rectore prouideatur. Ità apud Barbosam *iur. Ecclesiastici lib.3.cap.6.de Vicarijs num.55.*

7 Vicaria temporalis non est beneficium, quia non datur in titulum, sed est simplex salarium, seù stipendium. Nicolaus Garz. *de beneficijs par.1.cap.2.num.92.* Vndè Vicarij temporales non gaudent priuilegijs, prærogatiuis, &c., quibus gaudent Vicarij perpetui; nec obligãtur, ratione Vicariæ, ad horas canonicas, nisi ratione officij deputandi sint in Choro vice alterius, aut Vicario temporali data sit plena administratio beneficij cum consensu, & auctoritate Episcopi.

8 Nominatio Vicarij temporalis spectat ad Prælatum, cui beneficium vnitum est, & Episcopus debet eum solùm approbare, & admittere ad licentiam ministrandi Sacramenta dandã. Flores de Men. *var. qu. 10. num. 26.*, & ideò Vicarius temporalis potest ad nutum amoueri per eum, qui illum constituit. Abbas *in cap. Doceri num.10. de rescriptis*: & licèt reuocatio possit esse sine causa, tamen non debet esse ante finitum annum. Rebuff. *in praxi beneficiorum par.2. tit. de dispensat. de non resciend. num.18.*

9 Vicarijs autem, ex fructibus beneficij assignanda est portio, vndè possint viuere. per Tex. *in cap. Extirpanda §. verò, qui de præbend.* tùm ex Concilio Tridentino, quod in pluribus locis meminit huius portionis: Pius V. in sua constitutione, quæ incipit *Ad exequendum Pastoralis, &c.* editam *anno Domini 1567.* ità statuit, vt non maior centum aureorũ assignetur, nec minor quinquaginta, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & obuentionibus cõmunitèr percipi solitis: verũ in illis quinquaginta, siuè centum non sunt computandæ eleemosynæ Altaris, funeralium, & alia huiusmodi, quæ Vicarius ex postea suo labore, & officio, &c., lucratur sed solùm incerta illa, quæ habent quandã certitudinẽ, vt sunt Decimæ, seù Primitiæ frumenti, vini, & aliorum fructuum, quamuis in eadem constitutione dicatur imposita eadem portio super emolumentis, & alijs obuentionibus, etiam incursis communitèr percipi solitis. Rebuff. *de congrua portione quæst 8. num. 83. 84. & 86.* Franciscus Leo *thesauro for. Ecclesiastici cap.31. num.6.*

TITVLVS XXXIV.

De Coadiutorijs, seù Coadiutoribus Apostolicis.

SVMMARIVM.

1 *Coadiutor quis sit.*
† *Quibus dandus.*
2 *Quis potest dare Coadiutorem.*
3 *Officium Coadiutorum quale.*
4 *Ex fructibus beneficij, &c. debet ali.*
5 *Coadiutus ob Coadiutorem nõ liberatur à residẽtia.*
6 *Coadiutoria duplex.*
7 *Coadiutores perpetui non sunt beneficiati.*
† *Per obitum Coadiuti dicitur vacare beneficium.*
8 *Coadiutor an teneatur ad officium.*
† *Ad fidei professionem.*
9 *Non potest esse Iudex Apostolicus, &c.*
10 *Non potest exercere officia, ad quæ coadiutus electus est, &c.*

1 Coadiutor est, qui vices gerit Episcopi, aut alterius, etiam inferioris beneficiati, vt Archidiaconi, Canonici, &c. Assignatur autem Coadiutor ex eo, quod aliquis beneficiatus senio, aut corporis valetudine destitutus, non potest officio suo satisfacere, idcircò dãdus est illi Coadiutor. Paris. *de resignatione beneficiorum lib.5. quæst. 5. num. 15.* Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 2. quæst. 2.*, sicut etiam ob eandem causam leproso, dementi, illiteratis, & imperitis Rectoribus: Propter auctam etiam multitudinem populi dandus est etiam Rectori Coadiutor. Cæsar de Grass. *decis. vnic. de Paroch.*, cum ob numerositatem non detur iusta causa diuidendi Parochiam, sed solùm augendi
† ministros. Vndè Episcopus non potest eligere Coadiutorem, sed Rectorem potest cogere ad adiungendos sibi tot Sacerdotes, quot sufficiant ad administrationes Sacramentorum. Ità Concilium Trid. *sess. 21. de reformat. cap.4.*

2 Solus Papa Episcopo potest dare Coadiutorem. Paris. *lib.7. quæst.10. num.14.* Gamber. *de offic. & potest. Legati de latere lib.5. tit. de coadiut. num.4.* Quaranta *in sum. Bullarum verb. Archiepiscopi auctoritas num.9.*, alijs autem beneficiatis inferioribus Legati, Nuncij, Episcopi possunt dare Coadiutorem, quia cùm possint instituere, & destituere, à fortiori poterunt dare Coadiutorem. Gambar. *loco citato lib.5. tit. de coadiut* & alij.

3 Officium Coadiutorum pendet à forma dationis Coadiutoriæ. Pauin. *de visit. par.1. quæst.2 num.32.*, quòd si de illa constare non potest, tùnc videndum est, quo fine sit datus Coadiutor, quia si pro temporalibus datus erit, tùnc officium Coadiutoris vertitur solùm circà temporalia, ac proindè in spiritualibus gubernate non poterit, sicut etiamsi pro spiritualibus datus erit, eius officium, erit circà spiritualia: dementi verò præsumitur datus, & circà spiritualia, & temporalia, & proindè Coadiutor in spiritualibus, & temporalibus habebit liberam administrationem. Azor. *par.2. lib.3. cap.2. quæst.10.*

4 Ex fructibus beneficij Coadiuti assignãdæ sunt expensæ Coadiutori. Ità Concilium Tridentinum *sess. 21. de reformat. cap. 6.* Riccius *in praxi rer. for. Ecclesiastici resolut. 494. num.11.* Azor. *par.2. lib.3. cap.2. quæst.9.*

5 Coadiutus non liberatur à residentia ob concessionem Coadiutoris, etiamsi sit illiteratus, & inhabilis. Quaranta *in sum. Bull. verbo Residentia.* Vgolin. *de offic Episcopi cap.5. §. 3.*, sicut etiam Coadiutores non liberantur à residentia ob residentiam Coadiuti. Galeta *in Margarita casuum conscientia verb. Residentia 1.* Aloys. Ricc. *in praxi decis. 564.*

6 Coadiutoria duplex est, vna perpetua irreuocabilis, & cum futura successione: Altera temporalis, & renocabilis, & sine futura successione, quando alicui datur ob vnam ex causis supradictis. Coadiutoriæ perpetuæ antiquitus facilè concedebantur, à Concilio Tridentino fuerunt prohibitæ; quod fuit inuiolabilitèr obseruatum vsque ad Sixtum V., sed ab eo vsque nunc, fuerunt concessæ coadiutoriæ perpetuæ cum futura successione,& cóceduntur Episcopis, Dignitaribus,&c. à solo Papa. Flamin. Paris. *de resignatione lib.6.quæst.5.num.15.* Moneta *de distributionibus quotidianis par.2.quæst.1.num.33.*

7 Coadiutores perpetui non sunt beneficiati, nec habent ius in re, sed ad rem, dum viuunt Coadiuti. Nauar. *in cap. Si quando de rescriptis.* Azor. *par.2.lib.3.cap.2.quæst.4.* Vndè Coadiutor Canonici dicitur Canonicus fictus. Gonzal. *gloss.5.§.9.num.40.* Per obitum Coadiuti dicitur vacare beneficium. Puteus *dec.1.225.*& alij. Potest tamen Coadiutor percipere distributiones, si non habet, vndè se sustentet. S. Congr. *in vna Colimbren.16.Septembris 1606.*

8 Coadiutor, ratione coadiutoriæ, non tenetur ad officiū recitādum, sed proprietarius. Nauar. *in cap. Si quando Prelatus 5. num. 10. de rescriptis.* Gambar. *de offic. Legati à latere lib.4. num.285.* Suar. *de relig.tom.2.tract.4.lib.4. cap.22.num.19.* Reginald. *lib.30. num.41.* Layman. *in Theologia morali lib.4.tract.2.cap.5.num. 8.*, nec tenetur ad fidei professionem, nisi cum fuerit successioni locus. Nicolaus Garzias *de beneficijs par.3.cap.3.num.16.* Squillant. *de priuilegijs cap.4.num.79.* Debet sedere in vltimo loco post Canonicos. Gonzal. *gloss.5.§.9.num.111* Nicolaus Garzias *par.4. cap.8. num.66.* Verùm si Coadiutor esset in dignitate positus, v.g. esset coadiutor Archidiaconi, tùnc absente Coadiuto, eidem prorsus stallum, quod Coadiutus haberet, obtinere debet; & ità censuit Sacr. Congr. *in vna Brundusina 29.Martij 1621.*

9 Non potest Coadiutor esse Iudex Apostolicus; seu Delegatus Papæ, vel Iudex Synodalis, cùm non sit Prælatus, aut indignitate positus, aut Canonicus, licèt sit in seruitio Ecclesiæ, & sic non habet qualitates, *cap. Statutum de rescript. in 6.*, nec gaudet priuilegijs de percipiendis fructibus, in absentia, v.g. ratione studij, &c. quibus Coadiutus gaudere potest, nec item tenetur tempore concessionis coadiutoriæ, habere ordinem Presbyteralem, vbi statuto cautum fuerit, quòd Canonicus sit Sacerdos; nec tenetur promoueri intrà annum ad ordinem requisitum, si nunquam recedit, &c., quia Coadiutus non vult, ex quo non habet exercitium coadiutoriæ: Item nō potest ordinari ad titulum coadiutoriæ. Garzias *de beneficijs par. 2. cap. 5. à num.32.*

10 Non potest exercere officia, ad quæ Coadiutus electus est, gaudet tamen regula *de trienn. possess.* Garzias *loco citato cap.5.num. 89.* & ità S. Congr. *in vna Colimbren.16.Septembris 1616.* Potest inseruire in Ecclesia, excōmunicato existente Coadiuto, cùm non inseruiat nomine excommunicati, sed proprio.

PARAG.

Decreta Sacræ Congregationis Rit. De Coadiutoribus.

Coadiutor verè efficitur Canonicus post mortem Coadiuti *21. Martij 1609.*

Coadiutor, viuente Coadiuto, non est verè Canonicus, & præcedentia competit Canonicis, quamuis posteriùs prouisis, nisi aliud in forma coadiutoriæ, vel statuto, seu consuetudine legitimè præscripta seruetur. *16.Septembr.1606.in 2.dub. & in Taurinen. 10. Nouembris 1612. & 13. Iunij 1614.*

Coadiutor in præsentia Coadiuti præcedere debet Curatis, Plebanis, & Prioribus Ecclesiarum Parochialium, sicut præcedunt veri Canonici ex forma Coadiutoriæ. *15. Maij 1618.*

Coadiutor, viuente Coadiuto, sedere debet in vltimo loco post omnes Canonicos, & quando aliquas functiones facit, quæ pertinēt ad suum Coadiutum, vt cantare Lectiones, perintonare Antiphonas, &c., pariter debet illas facere in nouissimo loco. *16.Septembris 1606. in 4.dub. & in Patauina 3. Decembris 1616. & in Brundusina 18. Martij 1617. & in Casalen. 15. Iulij 1617. & in Vicentina 18. Augusti 1628. & in Casalen. 10 Decembris 1619 & in Eluen. 2. Maij 1620.* non obstante statuto in contrarium, *vt in dictis Casalen. & Eluen.*

Coadiutor debet habere locum captæ possessionis post mortem Coadiuti, & non locum possessionis captæ, viuente Coadiuto. *21. Martij 1609.*

Coadiutores sunt tuti possessores annales, triennales, & decennales, etiamsi eis non sit data noua possessio post obitum Coadiuti: si per annum, triennium, vel decennium continuauerint in possessione post obitum Coadiuti. *16. Decembris 1606 in 3. dub.*

Coadiutor Canonici, si simul sit Rector Ecclesiæ Parochialis, potest in Processionibus incedere cum Canonicis sub eorum Cruce, nec ex eo, quòd non incedit sub Cruce Rectorum, potest tamquàm absens puniri in certa portione frumēti, sed duplicis personæ muneri satisfacit. *in Veronen. 7. Iuly 1601.*

Coadiutori tenentur Canonici inseruire, & ministrare, prout renentur inseruire proprio Canonico Coadiuto in omnibus functionibus Canonicalibus. *in Casalen. 10. Ianuarij 1609.*

Coadiutores possunt vti priuilegijs concessis veris Canonicis optandi beneficia, &c. *16. Decembris 1606. in 5. dub.*

Decreta Sacræ Congregat. Concilij. De Coadiutoribus.

Coadiutores tenentur residere, & Diuinis inseruire, *sub die 7. Aprilis 1618.*

Coadiutor positus per Papam gaudet fori priui-

priuilegiatis in prima Tonsura, vel minoribus ordinibus constitutus sit.

Coadiutores lucrantur distributiones quotidianas, absentibus Coadiutis, ad illorum vtilitatem. 16. *Septembris 1606. in 6 dub.*

Coadiutores non lucrantur distributiones quotidianas, quæ dantur Canonicis, & præbendatis propriæ Ecclesiæ, quando aliquas Missas celebrant, nisi quando celebrant pro ipsis Coadiutis. *Patauina 3. Decembris 1616.*

Coadiutores non possunt lucrari distributiones quotidianas, quãdo Coadiuti sunt præsentes. 15. *Aprilis 1606. in 3. dub.*

Coadiutores non intelliguntur comprehensi in statuto, quod ex aliqua causa iubilare facit Canonicos. *Ibidem.*

Coadiutores possunt tantùm obligari ad onera suorum principalium, & non etiam ad onera Canonicorum iuniorum. Eadem 16. *Septembris 1606. in 7. dub.*

Coadiutores tenentur celebrare Missas, quas, vigore testamenti, & institutionis Capellaniæ, ipsi Coadiuti celebrare tenentur, quando coadiuti sunt legitimè impediti. *in dicta Patauina 3. Decembris 1616.*

Coadiutor, absente Coadiuto, exercet omnes actus, functiones, & iurisdictiones, quas quocumque iure, sine ordinario, siue deuoluto faciat Coadiutus, si præsens esset. *in Paduana 15. Februarij 1615. & in Neritonen. 22. Octobris 1619.*

Coadiutor, licèt non sit in sacris constitutus, potest omnia, & singula facere, & exercere, quæ sine paramentis sacris cum cappa, & cotta facere posset Coadiutus, si præsens esset. *in Bononien. 19. Decembris 1615.*

Coadiutor tenetur residere, etiam in casu, quo Coadiutus propter infirmitatem, vel aliàs legitime impeditus non teneretur, alioquin residere; aliàs non lucratur distributiones quotidianas, quæ punctantur Coadiuto in damnum tamen ipsius Coadiutoris. 15. *Aprilis 1606. & in Patauina 8. Maij 1617 & in Ceneten. 4. Aprilis 1620.*

Coadiutor debet capere nouam possessionẽ post obitum Coadiuti, nec sufficit prima, capta viuente Coadiuto, *in Patauina 30. Ianuarij 1616.* superueniente vero titulo Canonicatus post obitum Coadiuti censetur sibi mutasse causam possessionis. Eadem S. Congreg. *in d. Colimbrien.*, sed si suscepit possessionem Canonicatus, viuente Coadiuto, & tùnc pro tempore, quando veniret casus cessationis Coadiutoriæ, non indiget noua possessione post obitum Coadiuti, vt *in Vercellen. 12. Maij 1612.*

Coadiutores non debent gradatim ascendere, sed post omnes sedere, statuto contrarium disponente, non obstante. *in Casalen. 18. Decembris 1619.*

Coadiutoribus nulla debetur ab alijs Canonicis præcedentia. 18. *Augusti 1629.*

Coadiutor datus Canonico non ordinato ad formam statuti requirentis certum ordinem in Canonicis, sub pœna amissionis cuiusdam partis fructuũ; nõ lucratur huiusmodi fructus pro Coadiuto, quamuis ipse Coadiutus esset ordinatus ad formam dicti statuti. 1. *Decembris 1629.*

Coadiutores, si ex forma litterarum Apostolicarum Coadiuti, nunquam tenerentur Horis Canonicis inseruire, quandiù aliqua ex tribus causis expressis, *in cap. vnic. de Cleric. non resid. lib. 6.* verè fuerunt impediti, distributiones quotidianas lucrantur, perindè ac si Diuinis interessent. 9. *Nouembris 1630.*

Coadiutor Archidiaconi primæ dignitatis præcedit omnibus Canonicis, absente Archidiacono, iuxtà formam suæ Coadiutoriæ; & absente, vel impedito Coadiuto, idem prorsus stallum, quod Coadiutor, si præsens esset, obtineret, habere debet 22. *Octobris 1619. & in Brundusina 29. Maij 1621.*

TITVLVS XXXV.

De Sacerdotibus in inferiorum gradu constitutis.

S V M M A R I V M.

1 PResbyter Græcum nomen est, Latinè dicitur senior non modò pro ętate, sed etiam propter honorem, & dignitatem, *cap. 1. Cleros distinct. 21.*, qui licèt ætate sit iunior, ità tamen conuersari debet, vt eius probata vita senectus sit, iuxtà Concilium Tridentinum *sess. 23. de reformat. cap. 14.*, & licèt strictè, nomine Presbyteri, intelligatur, ille, cui commissa est cura animarum, vel qui habet ordinem Sacerdotalem, latè sumitur etiam pro simplici Clerico.

2 Ordo Sacerdotalis fuit institutus à Christo, & designatus in 72. Discipulis, qui ordo, est Sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum; Ità Card. Bellarm. *tom. 1. lib. 2. de Sacramento Ordinis*, Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. par. 4.* Vasquez *tom. 3. in 3 partem, disp.*
† *239. cap. 1.* & alij. Olim ad Sacerdotium requirebantur triginta anni; nunc verò ex Concilio Tridentino *sess. 23. de reformat. cap. 12.* satis sunt 25. inchoati; Constituitur autem Sacerdos in traditione Calicis cum vino, & patenæ sub tali forma, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, &c.* Ita Sotus *in 4. dist. 24 art. 3. quæst. vnic.* Bellarmin. *lib. 1. de sacramento ordinis cap. 9.* Vasquez *in. 3. partem disput. 203. cap. 3.* Conin. *de sacramento ordinis cap.*
† *20 dub. 7.* & alij. Non est tamen necesse, vt ordinandus tangat physicè materiam, sed sufficit, vt extensione manuũ se eã ab ordinante acceptare ostendat, q̃ est moraliter materiam tangere, quia traditio instrumẽtorũ, vt tangãtur deseruit ad determinandam potestatem, quæ datur; ad quod non requiritur contactus, sed ostensio præsens cum signo acceptatiuo. Ità Armil. *verbo Ordo num. 4.* Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. art.*

R 2 2. Regi-

2. Reginald. *tom. 2. lib. 30. tract. 1. cap. 2. num. 8.* & alij.

3 Officinm Presbyteri est, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi conficere, & Deo in sacrificio
† offerre; orare pro populo, & à peccatis eum absoluere, & Sacramenta populo ministrare, præter Ordinē, & Confirmationem, quæ omnia competunt illi, ex Christi institutione, quam potestatem recipiunt, quando imprimitur character in successione Ordinis Presbyteratus.

4 Spectat etiam ad Sacerdotes absoluere pœnitentem à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ; & ità in Concilio Tridentino *sess. 14. can. 3.*, etiamsi sint iniqui, & rei, ità *ex eodem Concil. can. 10.*:
† Ratio, quia hoc Sacramentum non fundatur in sanctitate Ministri, sed in potestate illi in ordinatione concessa. Sacramenti verò Baptismatis Sacerdos ex vi suæ ordinationis potest esse ordinarius Minister: Ratio est, quia cùm habeat potestatem in Christi Corpus verum, per consequens recipit etiam potestatem in Corpus Christi mysticum: valet tamen Baptismus collatus à Laicis, & sic communitèr omnes.

5 Solus Sacerdos est etiam Minister ordinarius Extremæ vnctionis, iuxtà illud Iacob. 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.* quæ quidem omnia licèt radicalitèr consistāt in Presbyterali charactere, tamen eorum aliqua, vt reducantur ad praxim, requirūt iurisdictionem: Alia verò non ab omnibus, sed ab ijs tantùm, ad quos spectat ex officio: Vndè ad absoluendum in Sacramento Pœnitentiæ nō satis est habere ordinis Sacerdotalis potestatem, sed etiam requiritur potestas iurisdictionis. Sotus *in 4. dist. 18. qu. 4. art. 2.* Suarez *tom. 4. de pœnitentia disp. 24 sect. 2. num. 5.* Nauar. *in man. cap. 27. num. 259.* Facundez *in quinque Ecclesiæ præcepta, præcept. 2. lib. 7. cap. 3. num. 14.*, quæ iurisdictio in articulo mortis à iure datur cuilibet Sacerdoti, etiam non approbato.

6 In Sacramento matrimonij contrahentes, licèt sint ipsi ministri, tamē Concilium Tridentinum *sess. 24 de reformat. matrim. cap. 1.* irritauit matrimonia clandestina, idest non facta coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso deputato, &c., & id fecit ob bonum publicum, & ad euitandas fraudes, & plura incommoda, quæ in ipsis matrimonijs clandestinis sequebantur, & ideò præscripsit formam, & irritauit matrimonia alitèr facta, faciendo personas inhabiles ad alitèr contrahendum, reddendo consensum sine tali solennitate illicitum insufficientem ad contractum illum ciuilem perferendum.

TITVLVS XXXVI.

De Diaconis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Diaconus quid significet.*
† *Diaconatus est Sacramentum.*
2 *Diaconus est Minister Episcopi.*
3 *Ætas requisita ad Diaconatum.*
4 *Materia ordinationis Diaconi.*
5 *Officium Diaconatum.*
6 *An possit baptizare.*
7 *Licet possit declarare Euangelium, non tamen potest prædicare sine licentia.*

1 Diaconus est nomen Græcum, quod latinè idem est, ac Minister, quia eius officiū est ministrare Sacerdoti, & Clericis ministeria dispensare, & populo res sacras administrare. Petrus Gregorius *syntagmat. iuris lib. 15. cap. 20. num. 1.* Vasquez *tom. 3. in 3. par. disp. 236. cap. 4.* & alij. Dicitur etiā Diaconus Leuita, à Tribu Leui, à qua Diaconi ex veteri lege originem traxerunt. Et licèt viuente Christo, de Diaconis non fuerit facta mentio, sed solùm *cap. 6. Actuum Apostolorum*, vbi habetur, quòd Apostoli elegerant septem Diaconos, tamen eorum institutio fuit à Christo, qui omnia Sacramenta instituit, cùm Diaconatus sit Sacramentum; Ità Medina *lib. 1. de conscientia cap. 26.* Vasquez *tom. 3. disput. 236.* Conin. *de sacram. ordinis disput. 20. dub. 3. num. 13.* Ochagauia *de*
† *sacram. ordinis tract. vnic. quæst. 3. num. 8.* & alij. Et licèt Diaconatns sit Sacramentum, non tamen sunt plura, quàm septem, quia licèt singuli ordines per se sint Sacramenta, tamen simùl sumpti constituunt tantùm vnū Sacramentum propter respectum, & ordinem, quem habent ad Sacerdotium, in quo Sacramentum hoc in tota sua perfectione consistit.

2 Diaconus est Minister Episcopi, & ideò debet assistere Episcopo prędicanti Euangelium ad populum; prædicare, &c. debet esse continens, quia etiam ab initio Ecclesiæ fuit Sacerdotibus, & Diaconis prohibitum contrahere matrimonium, vt patet ex pluribus Patribus citatis à Bellarmino *lib. 1. de Clericis cap. 19.*: & licèt aliquando inter Diaconos connumeratus fuerit coniugatus cæteris dignior, sancitum posteà fuit, vt Diaconi continentiam seruarent, sicut colligitur *ex cap. 1. dist. 27.* & *ex cap. 1. dist. 31.* & *ex cap. Coniugatus de conuers. coniug.*

3 In principio Ecclesiæ ordinabatur Diaconus, qui habebat 25. annos, vt patet ex Textu *in cap. Placuit*, & *in cap. Episcopus dist. 77.* & *in cap. Nemo dist. 78.* Imitati exemplum veteris testamenti de Leuitis, qui non eligebantur, nisi annorum 25.; Verùm Conciliū Tridētinum *sess. 23. de reformat. cap. 12.*, statuit, nullum in Diaconum ordinari, nisi 23. ætatis suæ anno.

4 Materia ordinationis Diaconi est impositio manuum Episcopalium cum traditione instrumenti, per quod potestas illius, & officium significatur: forma autem sunt verba, quæ proferuntur, dum instrumentum porrigitur; Ità Henriq. *in sum. lib. 10. cap. 8. §. 2.* Vasquez *in 3. par. disput. 238 num. 4. à num. 43.* Layman *in Theolog. morali lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 2.* Quòd impositio manus in ordinatione Diaconorum sit sacramentalis, patet suprà, ex forma verborū, quæ simùl ab Episcopo pronunciatur; *Accipe Spiritum Sanctum, &c.*, tùm etiam *ex cap. 6. Actuum*, vbi dicitur,

dicitur, Diaconos esse ordinatos per manuũ impositionẽ; tùm etiam ex traditione Patrũ, qua colligitur, manuum impositionẽ spectare ad ordinationem Diaconorũ.

5 Officium Diaconorum in primitiua Ecclesia erat distribuere eleemosynas, & administrare bona communia Ecclesiæ; hodie verò eorum officium est assistere Sacerdotibus, & eis, in omnibus, quæ in Sacramentis aguntur, ministrare, oblationes ad Altare ferre, *cap. Dolentes dist. 25.*; Euangelium populo legere in loco altiori versus Aquilonẽ, vt ostendat, Verbum Dei cõtrà eum dirigi, qui Spiritui sancto semper contrarius fuit; ità Aquinus *de diuinis cap. de celebratione Missæ*. Per Aquilonem Diabolus intelligitur, ex eo, quia durus, & frigidus ventus sit; & ità ex Isaia *cap. 14. Lucifer, qui dicebas in corde tuo, sedebo in lateribus Aquilonis, &c.*

6 Antiquitùs, propter Ministrorum penuriam, poterat Diaconus baptizare solenniter, vt notat Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 5. art. 3.* Henriq. *in sum. lib. 1. cap. 26. §. 4.* Hodie tamen, ratione officij, id facere nõ possunt, nisi de licẽtia Episcopi, vel Parochi, vt habetur *in c. Diaconos dist. 93. & in cap. Constat de consecr. dist. 4.* Vasquez *in 3. par. quæst. 67. disp. 147. art. 5.* Imò incurrit irregularitatem aliter faciendo: in casu necessitatis potest non solenniter baptizare. Gloss. *verbo Necessitas in cap. Diaconos 93. dist.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3.*, sicut etiam in casu magnæ necessitatis, in quo non possit inueniri Sacerdos, potest ministrare Sacramentum Eucharistiæ. Ità Vinald. *in candelabro aureo par. 1. vbi de sacram. Eucharistiæ num. 89.* Galeta *in Margarita casuum conscientiæ, verbo Diaconus vltimo.* Fulchus *de visitat. lib. 1. cap. 5. num. 10.* Non tenentur ex rigore Diaconi esse in gratia, dum Sacramenta administrant; & ità Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4.* Valentia *tom. 4. disput. 3. quæst. 5. par. 3.* Layman. *in theolog. morali lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 10.*

7 Prædicandi munus ad Diaconorum officium pertinet de licentia Episcopi, vel alterius Prælati habentis iurisdictionem; ex vi suæ ordinationis, licèt possit declarare Euangelium, non tamen potest prædicare, sicut nec etiam Eucharistiam fidelibus ministrare, vt dictum fuit, *cap. Diaconus. cap. Præsente 93. dist.*

TITVLVS XXXVII.

De Diaconissis.

SVMMARIVM.

1 *Diaconissæ olim quæ erant.*
† *Ætas.*
2 *Diaconissæ benedicebantur, &c.*
† *Earum officium.*
3 *Efficiebantur personæ Religiosæ.*

1 OLim in Ecclesia erant electæ quędã Viduæ continentes, quæ vnico Viro solùm erant desponsatæ, aut Virgines ad officium Diaconissarum. Vndè Clemens I. *lib. 6. Constit. cap. 17.* dicit, *Diaconissa verò eligatur Virgo pudica; si autem non fuerit Virgo, sit saltem Vidua, quæ vni nupserit, & fidelis, atque honorata sit.* Ætas verò requisita ad Diaconissas, diuersa reperitur, nam aliquando quadraginta annorum; aliquando reperitur præscripta ætas sexaginta; sed concordantur, quia prior ætas Virginibus; posterior verò pro Viduis eligendis, quia propter experientiam voluptatis, maiori indigerent experientia.

2 Diaconissæ quadam benedictione, & ceremonia, ordinari consueuerant, de quâ benedictione extat Constitutio apud Clementem *lib. 8. cap. 26.* relata à Barbosa *lib. 1. iur. Eccl. cap. 36. num. 4.* non tamen ordinabantur; (vt peruersè contrà Ecclesiam locuti sunt aliqui) cùm ipsæ sint incapaces eorũ, quæ sunt Ordinis, vt communiter docent Theologi, & Canonistæ; Aliqua tamen officia ad eas spectabant; Primum erat, instruere Mulieres de rebus, quas cũ Episcopo tractaturę erant. *ex Clem. 1. lib. 2. Constit. cap. 57.* Secũdum erat, foribus Ecclesię Mulieribus tantùm patentibus præesse. Tertiũ, erat, abstergere frontem Mulierum, quæ baptizabantur oleo, quo erant inunctæ. Quartum, ministrare Presbyteris, quando Mulieres baptizabantur, & instruere Mulieres, quomodo responderent. Quintum, officium earum erat, mitti ab Episcopo ad domos Mulierum, ne mittendo Diaconũ, quid mali infideles suspicarentur.

3 Religiosæ personæ Diaconissę efficiebantur: verùm successu temporis, propter ambitionem Mulierum, Ordo Diaconissarum aboleri cępit.

TITVLVS XXXVIII.

De Subdiaconis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Nomen Subdiaconi quid significet.*
† *Est Sacramentum, &c.*
2 *Quo tempore debeat promoueri.*
3 *Quænam sit materia proxima huius, &c.*
4 *Forma sunt verba, quæ profert Episcopus, &c.*
5 *Ordo Subdiaconatus factus est Sacer.*
6 *Officium Subdiaconorum, quale.*
7 *Continentia Subdiacono non est de iure Diuino.*

1 SVbdiaconus est nomen Latinum, quod à Gręco deriuat, & Latinè perindè est, ac subminister, cùm eius officium sit ministrare Diacono, vt communiter omnes docent: Est Sacramentũ à Christo Domino institutum eo modo, quo Diaconatum dicimus; Et licèt antiquitùs in ætate viginti annorum, poterat quis ordinari ad Subdiaconatũ, tamen Conciliũ Trid. statuit, in posterum nullum ad Subdiaconatus ordinem promoueri, nisi vigesimũ secundum annum attingat, *sess. 24. de reform. cap. 12.*

2 Qui promouendus est ad Subdiaconatum non debet promoueri, nisi post annũ à susceptione postremi gradus Ordinum minorum, nisi necessitas, aut vtilitas Ec-

clesiæ indicio Episcopi aliud exposcat; licèt Episcopus possit dispẽsare super Interstitijs; nõ tamen eidem potest conferre vltimum Minorum cum Subdiaconatu, aut eodem die duos Ordines Sacros: poterit tamen Episcopus, vbi vigeret consuetudo ante Concilium Tridentinum obtenta, vt possint simùl minores Ordines cum Subdiaconatu dare, eos licitè ijs quoque temporibus simùl conferre, vt docet Nauarrus *in Manuali cap. 25. num. 71.* Rebuff. *in prax. benefic. tit. de Clerico malè promoto Gloss. 1. num. 11.* Miranda *in Man. Prælatorũ to. 1. quæst. 38 ar. 8.* & alij plures citati à Barbosa *iur. Eccl. lib. 1. cap. 37. num. 5.*

3 Materia proxima hujus Sacramenti est traditio calicis vacui cũ patena superposita; ità Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. p. 5.* Vasquez *in 3 p. disp. 236. cap. 3.* Layman. *in Theologia mor. lib. 5. tract. 9. cap. 5. nu. 3.* & alij. Qui Calix ab ordinando debet saltem moraliter tangi. Bonac. *de Sacram. disp. 8. quæst. vnic. p. 2. num. 3.* & alij. & licèt Episcopus tradat etiã librum Epistolarum, tamen propria materia est supradicta, & est cõmunis opinio.

4 Forma in ordinatione Subdiaconi, sunt verba, quæ profert Episcopus in traditione Calicis vacui, &c. In primitiua Ecclesia iste Ordo non reputabatur Sacer; & ità Beltrandus *in Rationale Diuini Officij lib. 3. cap. 8.* Belar. *tom. 2. de Sacramento Ordinis lib. 1. cap. 7.* Henriq. *in Sum. lib. 10. cap. 13. §. 4.* Valen. *tom. 4. disp. 19. quæst. 5. p. 5.* Vasquez *in 3. p. 236. cap. 2. num. 12.* & alij. In Ordine verò Diaconatus, & Presbyteratus, in Ecclesia Latina semper fuit annexum votum castitatis, quia semper à principio Ecclesiæ fuerunt Sacri. Sotus *de iust. lib. 7. quæst. 6. art. 2.* Medin. *lib. 2. de continentia cap. 39.* Vasquez *disp. 248. cap. 2.* & alij.

5 Successu temporis, Ordo Subdiaconatus factus est Sacer; & proindè consuetudo antiqua nubendi reuocata fuit, vt constat *ex cap. A multis, & ex cap. Erubescant. & ex cap. Subdiaconus. & ex cap. Placuit 32. dist. & ex cap. Ante triennium. & ex cap. Episcopos 31. distinct.*

6 Officium Subdiaconorũ est, calicem, & patenam ad Altare deferre, & Diaconis tradere, eisque ministrare, &c. Vndè Subdiaconus dicitur Diuinis Sacramẽtis inseruire, quatenus sacra Vasa, linteum, panem, & vinum ad Venerabilem Eucharistiæ Sacramentum præparat. Reginald. *lib. 30. tract. 1. num. 13* Conin. *de Sacram. Ordinis disp. 20. dub. 1.*, Legit etiam Subdiaconus Epistolam ex præcepto Ecclesiæ, sed non ex vi Ordinis; sicut etiam aliquando Acolytus ex consuetudine legit Epistolam; vt ait Durandus *in Rationali Diuini Officij lib. 2. cap. 8. num. 4.* Henriq. *lib. 10. cap. 13. §. 4.* Non peccat mortaliter Subdiaconus in peccato mortali canendo solenniter Epistolam: Ratio, quia actio, quæ in hoc ministerio exercetur non est speciali modo consecrata eo modo, quo sunt actiones, quibus ministrantur Sacramenta.

7 Continentia in Subdiacono non est de iure Diuino, sed duntaxat de iure positiuo; ità *ex cap. Cum olim de Clerico coniug.* & ideò non est de essentia Subdiaconatus, seu Ordinis Sacri, sed tantùm accidens, ex statuto Ecclesiæ; Ideò olim licebat Subdiacono contrahere matrimonium, sed hodie prohibetur. *cap. Cum in præterito, &c.* Papa tamen potest dispensare cum promotis ad Ordines Sacros, ex maxima tamen causa vt vxorẽ ducere possint. Abb. *in cap. Cum olim num. 5. de Cleric. coniug.* Potest itidem ex magna causa dispensare cum Religioso professo, & Moniali super voto castitatis, & continentiæ, vt matrimonium contrahat. Bald. *in cap. Inter corporalia num. 5. de translat. Episcop.* Hostien. *in cap. Cum ad Monasterium num. 31. & 32.*

TITVLVS XXXIX.

De ijs, qui nec in Sacerdotio, nec in Sacris sunt.

SVMMARIVM.

1 *Qui non sunt Ordines Minores.*
2 *Materia, & forma Ordinum Minorum.*
3 *Ætas requisita ad Ordines Minores.*
4 *Quæ dispositio requiratur in ordinando.*
5 *Prima Tonsura non est Ordo.*
† *Prima Tonsura, & cæteri Minores an sint Sacramentum.*
6 *Requisita in Clerico.*

1 QVI in Ordinibus Minoribus sunt, nec sunt in Sacerdotio, nec in Sacris; Primus est Ostiarius, ad quem Claues Ecclesiæ pertinent, vt Templum Dei claudat, & aperiat; fideles recipiat, excommunicatos, & infideles ingressos arceat. *cap. 5 §. Ad Ostiariũ.* Secundus est Lector, cujus officium est, legere Sacras Scripturas populo in Ecclesia. Tertius est Exorcista, qui Cathecumenis, & Energumenis manus imponit, & super eos inuocat nomen Domini Nostri Iesu Christi. Quartus est Acolytus, cujus officium est lumina præparare, cerea, & fanalia deferre, quando legendum est Euangelium, & vrceolos ad aram deponere, & portare necessaria pro Eucharistiæ ministerio, Archidiaconos præparare; & proindè debet Acolytus ab Archidiacono instrui, qualiter in officio suo se habere debeat.

2 In ordinatione Ostiarij, claues ei porriguntur pro materia, & pro forma dicuntur verba ab Episcopo: In ordinatione Lectoratus, pro materia porrigitur liber Lectionum de Prophetis, & forma sunt verba ab Episcopo prolata, dùm porrigitur liber. In ordinatione Exorcistæ, pro materia traditur liber Exorcismorum, & pro forma dicũtur verba. Materia Ordinis Acolytatus est cereus extinctus simùl cum vrceolis vacuis; Forma antẽ sũt verba, quæ proferuntur: In quolibet Ordine imprimitur Character, in traditione Instrumenti, quòd porrigitur. Requiritur tamen ex parte Ordinandi, contactus saltem moralis, & intentio; sicut etiam intentio requiritur ex parte Ordinantis.

3 De ætate requisita ad Ordines Minores non planè constat. Gloss. *in Clement. generali,*

de

de at ate, & qualitate, &c. asserit, expletum septennium satis esse in omnibus Ordinibus minoribus; & hoc seruari, plures Doctores asserunt in tribus primis Ordinibus: In Acolyto verò requiri duodecim annos. Henriq. *lib.10 cap.11.§.4.* & alij Doctores asserunt, ad Ostiariatum, & Lectoratū, & Exorcistatum requiri ætatem duodecim annorum; Ad Acolytatum verò, quatuordecim.

4 Ad minores Ordines requiritur, quòd Ordinandi intelligant saltem linguam Latinam. Concil. Trid. *sess. 23. de reformatione cap. 11.* & communiter Doctores. Licèt Episcopus possit conferre Ordines minores ijs, qui etsi linguam Latinam non intelligant; sunt tamen bonæ Indolis, &c. Menoch. *de arbitrarijs casu 415. num. 58.*

5 Prima Tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines; & ità Sotus *de dispositione Sacerdotum loc. 1. & 4. de Sacram. Ordinis.* Vasquez *in 3. p. tom. 3. disp. 236.* Azor. *p. 2. lib. 3. cap 27. quæst. 3.* & plures alij. Ratio, quia per primam Tonsuram non imprimitur Character, vt in Ordinibus: Item dubium est, An prima Tonsura, & cæteri minores Ordines sint Sacramenta; Nam quidam affirmant, & præcipuè Canonistæ illi, qui defendunt, primam Tonsuram esse Ordinem: Alij verò dicunt, primam Tonsuram non esse Sacramentum, sed solùm Ordines minores esse Sacramentum: Alij verò, nec primam Tonsuram, nec minores esse Sacramentum, quia non habent obligationē recitandi Diuinum Officium, nec votum perpetuæ castitatis annexum; Imò eorum actus posse fieri à Laicis: Verùm dicendū est cum secunda sententia, primam Tonsuram non esse Sacramentum, sed minores Ordines esse Sacramētum, quam tuentur S. Thomas *in 4. distin 24. quæst. 2. art. 1.* Bellar. *tom. 2. lib. 1. de Sacram. Ordinis cap. 6. & 8.* Syluester *verb. Ordo 1. qu. 1.* Angel. *eod. verb. num. 2.* Valen. *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. p. 4.* Henriq. *lib. 10. cap. 2. §. 2.* Bonac. *de Sacram. disp. 8. quæst. vnic. p. 2. num 2.*

6 Requiritur in Clericis bonitas, & honestas morum: debent Virtutis, & Innocentiæ lumen alijs præferre, quod sine vitæ integritate facere non possunt: Item Sacrarum Litterarum peritiam habere debent ij, qui in Sacris ordinantur; qui verò promouendi sunt ad Ordines minores satis est, quòd intelligant linguam Latinam: Illiterati verò penitùs, non possunt fieri Clerici. *cap. Præcipimus dist. 34. cap. Illiteratos, & ibi Canonistæ:* Scientia enim in Clericis requiritur de iure Diuino; & ideò cum Illiterato Episcopus non potest dispensare, vt fiat Clericus. *cap. Nullus:* Penitus autem Illiteratus is dicitur, qui nulla habet principia; & licèt penitus Illiteratus non possit ad Ordines promoueri; si tamen de facto ordinetur, recipit Characterem Ordinis. Gloss. 1. *in cap. Illiteratos;* quia ex quo est baptizatus, est capax omnium Sacramentorum; & consequenter Sacramenti Ordinis. Vndè infans si eo die, quo est baptizatus ordinaretur, recipit Characterem, D. Thomas *in 4. Sententiarum distinct. 25.* D. Bonau. *ibidem, quæst. 2. art. 3.* Riccardus *ibidem, art. 4. quæst. 2.* Quamuis ipso facto esset suspensus, ipso iure, ab exercitio Ordinis suscepti, per Bullam Pij II. teneretur tamen continere, vbi venisset ab ætatem legitimam, nisi contradixerit, factus adultus. Gloss. *in cap. vnic. verb. Discretionis;* & in *cap. Pueri verb. Ad Sacros.*

TITVLVS XXXX.
De Maioritate, & Obedientia.

SVMMARIVM.

1 *Maioritas quid sit.*
† *In quibus consistat.*
2 *Obedientia duobus modis accipitur.*
3 *Quomodo hic sumatur.*
4 *Quomodo definiatur.*
5 *Principibus est etiam obediendum.*
6 *Imperator in temporalibus præcedit Episcopos.*
† *Episcopus in spirituali præcedit Imperatorem.*
7 *Clerici subijciuntur Episcopis.*
8 *Obediendum est Abbatissæ.*
9 *Subditus quatuor tenetur præstare erga Superiorem.*
10 *Clerici inobedientes sunt suspendendi.*
11 *Pœna Clerici calumniosè accusantis suum Episcopum, &c.*

1 CVM in Ecclesia Dei sint certi Clericorū Ordines, cōgruum est vt maiores minoribus dilectionem, & minores maioribus reuerentiam; & quandoque etiam obedientiam præstent. *cap. Quòd super 9. cap. Ie non oportet dist. 93.* Maioritas est prærogatiua, quà quis cæteris paribus, vel inferioribus dignior, maioriq; honore est afficiendus; quæ Maioritas consistit, in quatuor. Primò in ordine, quia qui sunt in majoribus Ordinibus, præferuntur ijs, qui sunt in minoribus; & hac ratione Presbyteri debent esse subiecti Episcopis, tamquàm Superioribus. *cap. Legimus 93. distin. cap. Olim. cap. Episcopus 95. dist.* Secundò consistit in potestate, seu iurisdictione, secundùm quam Archidiaconus maior est Archipresbytero. *cap. Perlectis verb. Archipresbyter 25. distin.* Tertiò, consistit in tempore ordinationis, qua qui prior est ordinatus, præfertur posteriori ordinato. Quartò, consistit Maioritas in prærogatiua Ordinantis, quia Ordinatus à Superiore inter alios eiusdem Ordinis magis est honorandus. *cap. Per tuas.* Vndè ordinatus à Papa præferendus est ab Ordinato inferiori.

2 Obedientia duobus modis accipitur. Primò largè, & generaliter, pro executione cuiuscumque rei, quę potest cadere sub præcepto. Secundò specialiter pro executione præcepti expressi, vel taciti, non ex quacumque intentione, sed ex eo solū, quòd præcipitur; & ità eius formale obiectum est præceptum Superioris, & illius voluntas, cui formaliter aliquis intendit obedire. Et hæc est propria, & specialis Virtus Obedientiæ; Inobedientia formalis in eo consistit, quòd quis non faciat id, quod præcipitur; & præceptum transgrediatur

dicitur eo, quod non vult obedire Superiori præcipienti.

3 Obedientia in isto loco sumitur posteriori modo, prout est virtus specialis, qua omnes tenentur obedire suis Superioribus, in casibus, in quibus illis subijciuntur; quæ necessitas afficit etiam Principes, qui Episcopis obedire tenentur; ità vt inter iura Episcopalia connumeretur obedientia Canonica, subiectio, & reuerentia, in *cap. Conquerente 16. de offic. Ordinand.* quæ omnia debentur Episcopis tamquàm Prælatis.

4 Obedientia definiri potest, quòd sit Virtus inclinans voluntatem ad promptè, & faciliter implendum præceptum, seu voluntatem Superioris præcipientis, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 2. Inobedientia verò est vitium inclinans ad non implendum præceptum, seu voluntatem Superioris præcipientis; & qui non obedit Decretis Episcoporũ, peccat mortaliter, & incurrit censuram, si quæ lata sit contrà inobedientes.

5 Principibus etiam est obediendum; Imò non obediens, pœna mortis punitur. Farinac. *in prax. criminali p. 3. quæst. 97. num. 3.* Contemnentes verò mandata Summi Pontificis, habentur suspecti de Hæresi. Vnde in foro conscientiæ tenemur legibus Superioris obedire, iustis tamen, quia Principi non est parendum, quando præcipit aliquid iniustum. Valen. *tom. 3. disp. 4. quæst. 3. p. 2.* Tunc autem censetur Princeps aliquid iniustè præcipere, quando id, quod præcipit, est contrà ius Diuinum, quia quando aliquid præcipit contrà ius humanum, vel contrà consuetudines antiquas, non censetur iniustè præcipere. Valent. & Farin. *locis citatis.*

6 Imperator in temporalibus præcedit Episcopos, quia ab eo recipiunt iurisdictionem, & cætera temporalia. Episcopus verò in spiritualibus præcedit Imperatorem, quia Dignitas Pontificalis comparatur Luminari, quod præest diei: Dignitas verò Imperatoria Luminari minori, quod præest nocti. Et ideò Episcopus non debet sedere iuxtà scabellum pedum in sinistra parte Imperatoris; sed Imperator debet ei insurgere, & assignare Venerabilem Sedem iuxtà se.

7 Clerici omnes subijciuntur Episcopis, & tenentur eorum mandata, constitutiones, &c. seruare, etiam si sint ordinati à Papa, quia ex eo nõ fiunt exempti à iurisdictione Ordinarij, licèt sit honorandus, & præferendus in beneficiorum concursu. Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. parag. 3.* Item etiam Doctor à Principe creatus, reliquis Doctoribus dignior, & sublimior censetur. Bobadella *in sua Politica lib. 1. cap. 12. num. 56.* & Nobilitatus ab Imperatore, vel Rege, &c. præfertur nobilitato ab inferiore. Tiraquel. *de Nobilitate cap. 6. num. 7.*

8 Licèt Abbatissa non habeat iurisdictionem spiritualem, tamen ei non obedire, est peccatum. *ex cap. Dilecta*, cùm subditus teneatur obedire suo Superiori: Potest tamen Abbatissa habere sub se Clericos sæculares, si ex priuilegio habeat Capellas pleno iure subiectas. Cou. *in cap. Alma Mater p. 1. parag. 11. nu. 2.* Vgol. *de Censuris tab. 1. cap. 2. parag. 7. num. 5.* Miranda *in tract. de Sacris Monialibus quæst. 6. art. 5.* Potest tamen Abbatissa, ratione Dignitatis, habere collationem beneficiorum; & ità Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. glos. 22. num. 12.* Marcus Antonin. *var. lib. 1. resol. 63. num. 5.*

9 Subditus quatuor tenetur præstare erga Superiorem, Amorem scilicet, tamquàm filius ergà Patrem; Obedientiam in rebus honestis; præsertim in ijs, quæ spectant ad suum officium; Reuerentiam propter Dignitatem, & defensionem, ac ministerium necessariorum. Filliuc. *tom. 2. tract. 28. nu. 88.* & alij. Et ideò tàm Laici, quàm Clerici nõ obtemperantes, non solùm efficiuntur infames, sed etiam sunt Extortes à Regno Dei, & excommunicandi. *cap. Si autem. cap. Absit 11. quæst. 3. cap. Quidam 18. quæst. 2.*

10 Clerici obedire recusantes Ecclesiæ, & eius Canonibus, sunt suspendendi à Diuinis. *cap. Hæc consona 25. quæst. 1. cap. Hæc Multifas 19. dist.* Glos. *in cap. Dolentes.* Mitiùs tamẽ punitur, qui Canonis inobedientiam incurrit, quàm ille, qui Iudicis inobedientiam facit.

11 Si Clericus Episcopum calumniosè accusauit, persecutus fuerit, aut in illũ conspirauerit, efficitur infamis, in exilium erit mittendus, & à Diuinis suspendendus. *cap. Clericis, cap. Ii, qui Episcopos 3. quæst. 4. cap. Conspirationem, &c.*

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum. De Maiorit. & Obed.

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus primò prior habetur in honoro.*
† *Episcopi Decretum impugnans, debet excommunicari.*
† *Sponte obedienti non est necesse iuramentum, &c.*
2 *Episcopo omnes tenentur obedire.*
† *Est inobediens, qui Canonibus Apostolicis non obedit.*
3 *Imperium non praeest Sacerdotio, sed subest.*
4 *Ordinati à Papa non eximuntur à iurisdictione Ordinarij.*
† *Quando de subiectione, &c. agitur, nihil est attendandum, &c.*
5 *Abbates, &c., qui Ordinario subijciuntur, ad Synodum venire compelli possunt.*
† *Canonici Regulares inobedientes, à suo Priore excommunicari possunt.*
6 *Capellani alicuius Cardinalis, reuerentiam, &c. debent ei præbere.*
7 *Non obedire Abbatissæ, est peccatum, &c.*
8 *Metropolitanus à Suffraganeo non potest exigere iuramentum vltrà formam præscriptam.*
9 *Capitulum sede vacante, confirmat, & infirmat electiones.*
† *Ordine, qui maior est, licèt in Ecclesia posterius receptus, præfertur in loco, &c.*
10 *Ecclesia sita in aliquo Archidiaconatu, si erigitur in Cathedralem, eximitur à iurisdictione Archidiaconatus.*

11 *Compo-*

11 *Compositionem super iure Primitiæ unus solus, cuius interest, poterit impedire.*
12 *Capitulum, sede vacante, potest absoluere, &c. sicut poterat Episcopus.*

1 ORdinatus primò habetur prior, & maior in honore. *Ex cap. Certum 1. de Maioris. & Obed.* quia qui prior est tempore, potior est iure. Episcopi Decreto nō obediens, est excommunicandus. *Ex cap. Si quis 32.* Clericus, qui sponte obedit, non est necesse, vt scripto, vel iuramento spondeat obedientiam. *Ex cap. Legebatur 3.*

2 Omnes de Diœcesi, etiam Principes tenentur obedire Episcopo. *Ex cap. Omnes 4.* Inobedientiæ notam incurrit non obediens Canonibus Apostolicis. *Ex cap. Illud Dominus 5.*

3 Imperator præcedit Episcopos, quia ab eo accipiunt temporalia, sed Episcopus præcedit in spiritualibus. *Ex cap. Solita 6.* Item Episcopus non debet sedere iuxtà scabellum pedum in sinistra parte Imperatoris; sed Imperator ei insurgat, & assignet venerabilem sedem iuxta se. *Ex eod. cap.*

4 Ordinati à Papa non sunt exempti ab obedientia Episcopi, licèt ob reuerentiam Papæ sint honorandi, & præferendi in concursu. *Ex cap. Per tuas 7.* Quando de obedientia, vel subiectione agitur, nihil est attentandum, antequam citentur, in præiudicium Rei, vel Possessoris. *Ex cap. Inter quatuor 8.*

5 Abbas, & Sacerdotes, qui Episcopo Diœcesano subijciuntur, ad eius Synodum venire, & illi obedire, per censuram Ecclesiasticam compelli possunt. *Ex cap. Quod super ijs 9.* Canonici Regulares inobedientes suo Priori, per ipsum excommunicari possunt; & si absoluuntur, debent præstare iuramentum de obediendo suo Superiori; & si fuerint incorrigibiles, expelli possunt de Fratrum Consortio. *Ex cap. Cum in Ecclesijs 10.*

6 Capellani Presbyteri, & Clerici Ecclesię Titularis alicuius Cardinalis ei exhibere debent obedientiam, reuerentiam, & honorem, &c. Si verò moriatur Cardinalis, Capitulum succedit, sed solus Papa corrigit, excommunicat, suspendit, & interdicit. *Ex cap. His quæ 11.*

7 Abbatissa licèt excommunicare nō possit, ei tamen non obedire, est peccatum mortale. *Ex cap. Dilecta 12.*

8 Metropolitanus non potest exigere à Suffraganeo iuramentum vltrà formam Canonicam; & si exigat, non tenetur iurare; & si iurat, iuramentum non tenet. *Ex cap. Dilecti filij 13.*

9 Capitulum, sede vacante, confirmat electionem Abbatum, vice Episcopi. *Ex cap. Cum olim 14.* Ordine qui maior est, licèt posterior in Ecclesia receptus alijs, loco, & portione præfertur; sic Presbyter vltimò receptus, præfertur Diacono. *Ex cap. Statuimus 15.*

10 Ecclesia sita in iurisdictione alicuius Diaconatus, si erigitur in Cathedralem, statim eximitur à iurisdictione Archidiaconi; licet Archiepiscopus erigens in Cathedralem, debeat recompensare iurisdictionem Archidiaconi intrà Diœcesim. *Ex cap. Cum inferior 16.*

11 Quando est quæstio inter duos Archiepiscopos super iure primatus, & Papa aliquid determinat, ante publicationem huius determinationis, requiritur consensus Prælatorum, & Capitulorum vtriusque partis, & Capituli alterius; & si consentire nequeunt, compareant Prælati personaliter, Capitula per Procuratores corā Papa ad dicendum ius; & si succumbant, soluāt expensas parti. *Ex cap. Humilis 17.*

12 Capitulum, sede vacante, vel qui pro eo tempore habet Episcopalem iurisdictionem, potest absoluere ab excommunicatione eos, quos poterat Episcopus, nisi Papa id eis interdicat. *Ex cap. Episcopali vnic. de Maioris. & Obed. in 6.*

TITVLVS XXXXI.

De Vita, & Honestate Clericorum.

SVMMARIVM.

1 *Clerici debent præcedere Laicos virtutibus, &c.*
2 *Debent indui veste talari, &c.*
3 *Quales debeant esse Vestes Clericorum.*
4 *An teneatur deferre duas vestes longas.*
5 *Tonsuram tenentur deferre Clerici.*
6 *Pœna non deferentium Tonsuram.*
7 *Clerici non debent nutrire comam.*
8 *Bigamus non potest deferre Tonsuram, & Habitum Clericalem, &c.*
9 *Qualis debeat esse Clericorum vita.*

1 CLerici sicuti sunt Laicis præstantiores; Clericatus enim est dignitas, & honor. *cap. Denique 4. distinct. cap. Admittuntur 54. distin. cap. Reperiuntur. 1. quæst. 2.* Ita etiam Laicos præcedere debent Virtutibus, moribus, & honestate vitæ; nam cum maiori quispiam dignitate præfulget, eo nobilioribus, & excellentioribus gradibus animi debet esse conspicuus: & quoniam Virtutes quædam sunt externæ, & corporis; & aliæ internę, & animę; Idcirco Virtutibus animi, & corporis debet Laicos præcedere.

2 Debent Clerici primò qui in Ordinibus sunt constituti, vel beneficium Ecclesiasticum habent, indui veste talari, & coloris decentis iuxtà consuetudinem Patriæ, & Tonsuram deferre debent, si priuilegio Clericali frui volunt, iuxtà Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6.*

6 Vestes Clericorum debent esse humiles, & honestæ, ac decentes, ac Ordini Clericali congruentes. *cap. Omnis. cap. Nullus. cap. Episcopi:* debent esse demissæ vsque ad talos; & ità declarauit Sacra Congregatio Cardinalium supra Concilium Tridentinum citatum; & maximè Beneficiatus debet indui ijs vestibus, aut pęnsionarius; quibus imponitur pęna priuationis, ac vacationis ipso iure, non solum beneficiorum,

sed

sed etiam pensionum per Sixtum V. in sua Constitutione, quæ incipit, *Cùm Sacrosancta*, sub datum Romæ 5. *Idus Ianuarij* 1589. quæ posteà Constitutio moderata fuit ab eodem Sixto in alia Constitutione, quæ incipit, *Pastoralis*; vt Pensionarij habentes pensionem non excedentem sexaginta ducatos, non cogantur gestare habitum Clericalem.

4 Constitutione præfata nō cogitur Clericus deferre duas vestes longas; vt ait Nicol. Garzias *de beneficijs p.7. cap.1. num.21.* quia sufficit, quod pallium perueniat ad talos; toga verò tegat genua; & ità Graf. *in aureis decis. p.1. lib.3. cap.3. num.3.* Viualdus *in candelabro aureo p.3.* Petrus de Ledesma *in Sum. p. 1. tract. 7. p. 2.* Sunt plures casus, in quibus Clericus, si non ferat habitum, non priuatur priuilegio Clericali; Primus est de Clerico, qui semel habitū dimisit, quia per vnam tantùm dimissionem habitus, non priuatur priuilegio Clericali. Secundus est de Clerico paupere, qui ratione paupertatis non potest habitum deferre. Vgol. *de offic. & potest. Episcopi cap. 13. num. 3.* Tertius est ratione itineris, quia ex necessitate itineris, potest vestes breuiores deferre. *cap. Episcopo 21. quæst.4.* Quartus, si ex delatione habitus esset iusta causa timoris, vel periculi. *cap. Clerici officia.* Item si ratione infirmitatis non potest deferre Tonsuram. Belletus *de Discipl. Clericali parag. 17. num. 9.* Quintus in Clerico, qui domi suæ, & in occulto habitum dimittit, quia *Clementina 2.* loquitur de deferente publicè alienas vestes.

5 Tonsuram tenentur deferre Clerici in modum Sphæræ. *cap. Prohibete. cap. Clerici officia*; præcipuè Beneficiati, & Pensionarij sub pena priuationis, ac vacationis ipso iure beneficiorum, seu pensionum, prout habetur in Constitutione Sixti V., quæ incipit, *Cum Sacrosancta*, quia mos ferendi coronam in Ecclesia semper fuit obseruatū à temporibus etiam Apostolorum, & originem traxit à Nazareis, qui, prius crine seruato, post magnam vitæ continentiam caput radebant; ità Isidorus *lib. 2. de Eccl. offic. cap. 4.* Vndè Tonsuram non deferens, non potest obtinere beneficium, aut pensionem; & si sumatur ab eo, in quem in articulo mortis fuit translata pensio beneficij, post acceptationem pensionis, Idq; per testium veram probationem constet, reddit pensionem nullam, tamquàm habitam à non Clerico. Rot. *diuers. p.3. decis.108. nu.1.* quòd multò magis dici debet de beneficio, quia qui non est Clericus, non potest beneficium obtinere; debet enim saltem primam Tonsuram habere. *cap. Cum adeò*; & ibi Glos. *Verb. Clericus, & Doctores de rescript. cap. Ex litteris.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de Clericis.* Nauarrus *consil. 1. de Prebendis.* Paris. *in tract. de resignat. benefic. lib.5. qu.2. nu.1.* Pena priuationis non incurritur, nisi post sententiam declaratoriam, quamuis de iure imponatur ipso facto; ità plures apud Belliet. *loco citato num. 8.*

6 Barbam nutrire Clericis non licet, neque comam. *cap. Clericus, & cap. Clerici. cap. Prohibete. cap. Clerici, qui comā. cap. Si quis ex Clericis*; quia apud antiquos comam nutrire, numerabatur inter mollia, & delicata. Vndè Monachi tondentur, quia videntur contemnere lætitiam, & ornatum.

7 Bigami non possunt ex Constitutione Bonifacij VIII. Tonsuram, & Habitum Clericalem deferre, sub pena anathematis, nisi ex dispensatione Apostolica; Clerici verò coniugati, nisi sint bigami, Tonsuram, & Habitum Clericalem deferre possunt. *cap. Clericus, de vit. & honest. Cleric.* nisi aliter sit consuetudine introductum.

8 Qualis debeat esse Clericorum vita, Isidorus *lib.2. cap.2. de Eccl. offic.* eleganter describit his verbis. *Hi igitur lege Patrum cauetur, vt à vulgari vita sæculi, à Mundi voluptatibus se abstineant; non spectaculis, non pompis intersint; Conuiuia publica fugiant, priuata non tantùm pudica; sed etiam sobria colant; vsuris nequaquàm incumbant, neque turpium occupationibus lucrorum, fraudis cuiuscumque studium appetant; amorem pecuniæ, quasi materiā cunctorum criminum fugiant, & sæcularia negotia, officiaque abnuant; honoris gradum per ambitionem non suscipiant; pro beneficijs munera non suscipiant, doles, & commutationes caueant, odium, æmulationes, obtrectationes, atque inuidiam fugiant, castimoniam quoque inuiolati corporis perpetuò conseruare studeant, senioribus quoque debitā præbeant obedientiam, neque vllo iactantiæ studio se ipsos attollant; postremò Doctrina, Lectionibus, Psalmis, Hymnis, Canticis, Exercitio iugiter incumbant: Tales enim debet esse, qui Diuino cultui se emācipare student, scilicet vt dum scientiæ operam dant, Doctrinæ gratiam populis administrent.* Hæc Isidorus.

PARAGR. I.

Requisita in Clericis.

SVMMARIVM.

1 *Requiritur primò quòd Clericus sit baptizatus.*
2 *Legitimus.*
† *Legitimatus an possit fieri Clericus.*
3 *Illiteratus non potest esse Clericus.*
4 *Nec homicida, &c.*
5 *Nec Bigamus.*
6 *Nec vitiatus corpore, &c.*
7 *Hermaphroditus, &c.*
8 *Coniugatus.*
† *Infamis.*
† *Heretici.*
7† *Hereticorum filij.*
9 *Vsurarij.*
† *Obligati ad reddendam rationem, &c.*
† *Qui Consentiunt Infames.*

1 Requiritur primò in Clerico, quòd sit baptizatus, quia in Sacramento Ordinis imprimitur Character; & si Clericus non esset baptizatus, Character in eo non imprimeretur. *cap. 1. de Presbyt. non baptizat.*

2 Illegitimus non potest esse Clericus. *cap. Cum in cunctis de elect. cap. Per venerabilem. cap. Consuluit de Clericis non ordinandis.* Cōcil. Trident. *cap.5. sess.23 de reformatione.* Ratio, quia Illegitimus est irregularis, neque ad beneficia ascendere potest, nisi ex dispensatione Papæ. *cap. Cum in cunctis.* Concil. Tridēt. *sess.*

sess. 7. cap. 1. & sess. 24. cap. 1. Legitimati à Principe non possunt ad Ordines promoueri, neque ad beneficia ascendere. Couar. *in Epit. de sponsalibus p. 2. cap. 8. §. 8. num 18.* Maiol. *de irregul. lib. 1. cap. 8. num 2.* Legitimati verò per subsequens matrimonium, possunt ad Ordines promoueri, & ad beneficia ascendere absque dispensatione. Gloss. *in cap. Tanta verb. legitimi.* Couar. *loco citato, §. 2. num. 24. & 30.* Azor. *p. 2. lib. 6. cap. 3. quaest. 21.* Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad Ordines minores, & beneficium simplex.

3 Illiterati non possunt fieri Clerici. *cap. Praecipimus 34. distin. cap. Illiteratos.* Rebuff. *in prax. beneficiorum tit. de Cleric.* Concil. Trid. *cap. 4. 7. 11. 13. sess. 23. de reformatione:* quia scientia in ipsis requiritur de iure Diuino: Potest tamen qui scit legere, & scribere, accipere primam Tonsuram, & beneficium simplex, vel pensionē, si tamen Illiteratus ordinetur, valida erit ordinatio, quia recipit Characterem, etiam si esset Infans, licet eo die sit baptizatus, vt dictum fuit.

4 Qui commisit homicidium, siue mutilationem, non potest esse Clericus, quia est irregularis; in qua solus Papa dispensat; quod etiam intelligendum est de consulente, mandante, vel aliquo modo cooperante, & de homicidio casuali, si dabat operam rei illicitae, & non vsus qualibet diligentia ad praecauendum homicidium.

5 Bigamus excluditur à Clericatu. *cap. Maritum 33. distin. cap. Quicumque 2.* Concil. Tridentinum *sess. 23. cap. 17.:* tum propter dignitatem Sacramenti, tùm propter dignitatem Ordinum. *cap. Vna 26. distinct.* etiam si bigamia non sit vera, sed interpretatiua, vel similitudinaria, in qua solus Papa dispensat.

6 Vitiatus corpore non potest esse Clericus, aut Diminutus. *cap. Illiteratos 36. distinct.* Gou. *in Clemen. Si furiosus p. 1.* Si tamen vitiū sit modicum, tunc corpore vitiatus potest esse Clericus: Vndè carens membro necessario, vel deformis, vel debilis, &c. non potest esse Clericus, sicut nec ille, qui se castrauit ex indignatione, vel castrari se permittit ob finem vanum: quod si permisit castrari ob infirmitatem, vel ob aliam causam necessariam, non repellitur ab Ordinibus suscipiendis; Item neque Monoculus potest fieri Clericus. *cap. Si Euangelica 55. distin.* neque Caecus: Claudus potest ordinari, si ad Altare potest accedere sine baculo. *cap. Nullus Episcopus;* Habens maculam in oculo, quae magnam non inducit deformitatem; potest ordinari, quod etiā dicendum est de gibboso Sayrus *lib. 10. cap. 8. num. 4.* & de alijs infirmitatibus, & defectibus corporis, vt de tremulo manibus, bleso, surdo, &c.

7 Hermaphroditus non potest esse Clericus, si in eo magis vigeat sexus foemineus, vel si in eo paritas in vtroque sexu, quia est irregularis, & non est susceptiuus characteris. Gloss. *in cap. Si testes § Hermaphroditus verb. Testimonium.* Archidiaconus *in cap. Diaconissam num. 2.* Toletus *in summa lib. 1. cap. 58. num. 5.* & alij communitèr: secùs verò si in eo magis vigeat sexus virilis, quia tunc potest esse Clericus. Archidiaconus *in §. Hermaphroditus.* Foemina est incapax ordinis, quia nō est susceptiua characteris. *cap. Vxoratus de conuers. coniugatorum, cap. Diaconissam 27. quaest. 1.* Felinus *in cap. Dilecta num. 4. & 5. de maiorit. & obed.* D. Thomas *in 4. dist. 25. quaest. 2. art. 1. & 2.*

8 Coniugatus non potest esse Clericus, quia initiati ordinibus sacris, ex statuto Ecclesiae debent seruare castitatem: Item infames non possunt ordinari, quia infamibus portae dignitatum patere non debent, *cap. Infamibus de reg. iur. in 6. cap. Infames quaest. 1.* Ordo Clericalis est dignitas, & honor, *cap. Admittuntur 54. dist.* Hereticus, & cōuersus de heresi, neque fieri pōt Clericus, nec filij eorū vsq; ad secundam generationem, *cap. Quicumque §. Haeretici, & cap. Statutum 2.* Item fautores, & defensores haereticorum non possunt esse Clerici, & filij eorum vsque ad secundam generationem, *cap. Statutum 2. de haereticis in 6.* ex parte matris excluduntur solùm in primo gradu.

9 Vsurarij accusati de aliquo crimine reijciuntur à Clericatu, nisi priùs se purgauerint, ità obligati ad reddendam rationem alicuius administrationis. Curiales etiam excluduntur à Clericatu. Neophytus non potest fieri Clericus, nisi priùs sit benè instructus, neque qui fecit poenitentiam publicam, *cap. Maritum 33. dist. cap. Praecipimus 34. dist.* In casu necessitatis potest promoueri ad ordines, *cap. Placuit 50. dist.* Seruus nō potest ordinari, si scienter ordinaretur, seruitutis iugum euaderet. Sacrilegi, & omnibus capitalibus criminibus irretiti, sepulchrorum violatores, Apostolorum, ac successorum eorum, reliquorumq; Patrum statuta violantes, incaestuosi, periuri, malefici, venefici, adulteri, Ecclesiae facultates iniustè abstrahētes, anathematizati, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsi, non possunt ordinari, quia sunt infames, sicut etiam excommunicati, fures, raptores puellarum, & omnes illis consilium, auxilium, & fauorem praestantes, sicut etiā duellum committentes, appellantur infames ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 19. de reformat.* Clemens VIII. in sua constitutione, quae incipit *Illius.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Prohibitum est Clericis habitare cum mulieribus.*
2 *Poena contrà Clericum sodomitam.*
3 *Clericus occultus sodomita non est ipso facto suspensus, &c.*
4 *Clerici non debent frequentare tabernas.*
5 *Debent abstinere à crapula, &c.*
6 *Possunt interesse honestis conuiuijs.*
7 *Non possunt exercere officium Mimi.*
† *Similiter debent abstinere à verbis scurrilibus, &c.*
8 *Ludere aleis est illis prohibitum.*
† *Qui ludus illis permissus.*
† *Modicam quantitatem, &c. possunt ludere.*

1 Pro-

1 PRohibitum est Clericis cohabitare cũ mulieribus, & cum suspectis fœminis conuersari, *cap. Interdixit. cap. Hospitiolum 32. dist. c. ap. Sed si fortè. cap. Oportet. cap. Legetur* Concilium Trident. *sess. 25. de reform. cap.* 14. Quia mulieres apostatare faciunt etiam sapientes: quòd si fortè Clerico cum muliere loqui contigerit, debet loqui ad præsentiam duorum, vel trium testium, non in tenebris; & in luce, & in publicis, & honestis locis, *cap. Clericus, cap. In omnibus* 81. *dist. cap. In decima* 18. *quæst.* 2. Possunt tamen habitare cum matre, sorore, amita, nepte; in quibus naturale fœdus non permittit suspicari, *cap. Interdixit* 32. *dist. cap. Sed si fortè. cap. Volumus*, & *cap. Cum omnibus* 81. *dist.* Cæterarum parentum amicitiam, & conuersationem euitare debent Clerici, *cap. Quorumdam* 34. *distinct.*

2 Clerici præsertim in sacris, castè viuere debent, abstinendo à libidinis vitio, præsertim illo, propter quod venit ira Dei. Vndè Clericus, qui vitio nefando laborare deprehensus fuisset, iure antiquo deponebatur, & in Monasterium ad perpetuam pœnitentiam agendam detrudebatur. Ità Campanil. *in diuersorio iur. can. rubr.* 11. *cap.* 22. *num.* 7. Pius V. in sua constitutione fortiùs, & rigidiùs procedendum duxit in huiusmodi scelus, quæ incipit *Horrendum scelus*, per quam omni priuilegio Clericali, officio, beneficio, & dignitate priuati degradantur, ac brachio sæculari traduntur, siuè tale scelus committatur cum masculo, siuè cum fœmina, & ità apud Bellet. *de pœnis Clericorum* §. 11. *num.* 8.; quæ constitutio pertinet solùm ad forum externum, non autem ad forum conscientiæ, nisi fuerint secuta sententia Iudicis. Ità Henriq. *in sum. lib.* 14. *de irregular. cap.* 5. §. 1. Quaranta *verbo Sodomia.* Auila *de censuris par.* 7. *disput.* 4. *dub.* 7. Filliuc. *de casibus reseruatis par.* 2. *cap.* 7. §. 1. Diana *tract.* 3. Miscel *resolut.* 61.

3 Clericus occultè sodomita non censetur ipso facto suspensus, vt Diuina ministrando fiat irregularis. Ità Sayrus *de censuris tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 22. Valentia *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 19. *par.* 3. Suarez *tom.* 5. *disput.* 31. *sect.* 4. *num.* 20.

4 Tabernas frequentare prohibitum est Clericis, *cap. Non oportet, cap. Nulli Clerico*, & *cap. Clerici* 44. *dist.*, nisi sint in itinere, *cap. Clerici dist.* Item non licet eis tabernam habere, *cap. Nulli Clerico dist.* 44., quod est intelligendum per se, quia per alium, tale officium exercere possunt; Ità Gloss. *verb. publicè, & personaliter in Clement.* 2.

5 A crapula, & ebrietate Clerici diligentèr abstinere debent; si verò non abstinuerint, & à Superiore admoniti non resipuerint, suspendendi sunt, *cap. A crapula de vita, & honestate Cleric.* Superioris arbitrio erit, quando sint suspendendi. Gloss. *in cap. A crapula*, Menoch. *de arbitr. casu* 404. *num.* 4. Guttier. *canon. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 63. Suarez *de censuris disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 12.

6 Conuiuijs honestis possunt Clerici interesse, & quæ fiunt gratia charitatis, & dilectionis, *cap. Comessationes, cap. Quando* 1. & *cap. Quando* 2. 44 *dist.* Cou. *in cap. fin. num.* 1. *de testam.* Item in his, quæ fiunt in Anniuersarijs defunctorum, vel in solennitatibus Sanctorum, *cap. Nullus* 44. *dist.*, in quibus parcè, & moderatè se debent ostendere in bibendo, & alios non cogere ad bibendum, & alios non prouocare ad æquales calices.

7 Scurrilibus, aut ioculatoribus verbis, vel adulationibus vacare Clerici prohibentur, *cap. Clericum* 40. *dist.*: Item non debet exercere officium Mimi, Histrionis, &c., qui si per annum huiusmodi ignominiosam artem exercuerint, & ter moniti, non resipuerint, careant omni priuilegio Clericali, *cap.* 1. & *cap.* 2. *Ne Clerici.* & *cap. Clericus* 1. *cap. Clericum* 46. *dist. cap. Clericus* 2. 91. *dist.*: neque debent interesse spectaculis, quæ aut in nuptijs, aut in scenis, &c. exhibentur; possunt tamen repræsentationes facere rerum piarum. Gloss. *cap. Cum decorem.*

†

8 Prohibitum est etiam Clericis ludere aleis, *cap. Penultimo, cap. Cum inter dilectos de excessibus Prælat. cap. Episcopus*, Concilium Trid. *sess.* 22. *cap.* 1 & *sess.* 24. *cap.* 12. Quod etiam dicendum est de taxillis: solùm permittitur Clericis ludere ludo, qui consistit in ingenio, & in secreto, & in suis ædibus, vt est ludus scachorũ: ludus, qui cõsistit in sola fortuna, Clericis prohibetur: Item ludus pilę. Abbas *in cap. Later num.* 2. Item possunt ludere ludo consistente in virtute corporis, vt de ludo palestræ, modò non ludant in publico. Angelus *verb. Ludus num.* 2. Syluester *eodem verbo num.* 2., Nullo tamen modo possunt ludere cum Laicis, sed solùm inter se. Gloss. 2. *in cap. Continebatur*, vbi etiam Abb. *num.* 3. Hostien. *num.* 1., & multò minùs possũt ludere cum mulieribus iuuenibus. Capra *consil.* 33 *num.* 30. & alij; & tunc licet ludere quantitatem modicam, & talem, quam Clericus faciliter donaret; non autem ludere magnam quantitatem; illa tamen modica quantitas intelligenda est secundum qualitatem personarum. Rota *decis.* 446 *num.* 5.

†

†

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Clerici non possunt exercere officium Procuratoris, & Aduocati.*

† *In aliquibus casibus possunt.*

2 *Neque officium tabellionatus.*

3 *In causa hæresis Clericus potest illud exercere.*

4 *Clericus creatus à Papa Notarius potest illud officium exercere.*

5 *Qui Clerici prohibeantur à studio Medicinæ.*

6 *Item illis prohibetur officium artis Chirurgiæ.*

7 *Clerici tutelam, &c. suscipere non possunt.*

8 *Non possunt esse fideiussores.*

† *In aliquibus casibus possunt.*

9 *Sine licentia non possunt testificari in causa ciuili sæculari.*

10 *Iudicare in causa ciuili Clerici non prohibentur.*

† *In causis criminalibus non possunt.*

11 *In qua causa Ecclesiastica Clericus possit esse Iudex.*

1 CLerici prohibentur procurare, & aduocare corã Iudice Laico, nisi in causa Ecclesiastica, & alijs causis à iure permissis

sis corā Iudice Ecclesiastico. Clerici aduocare nō phibētur; & ita Feder. de Senis *cō. 70. n. 1.* Vgol. *de offic. & potest. Episc. cap. 13. §. 5. n. 2.*

† In aliquibus casibus potest Clericus aduocare corā Iudice Laico: Primus, in causa propriâ: Secundus, in causa Ecclesiæ suæ Tertius, in causis personarum miserabiliū: Quartus, in causa Coniunctorum, si idoneum non reperierint: Quintus, in causis vertentibus in Curia Romana, & in quibusdam alijs casibus, de quibus Barbosa *de vita, & honestate Clericorum num. 88.*, &c. In quibus casibus sicut potest esse aduocatus; itā etiam Procurator. Bellet. *de discipl. Cleric. §. 28. num. 3 & 4.*

2 Neque tabellionatus officium Clericus exercere potest, *cap. Sicut* cùm officium tabellionis sit genus negotiationis. Hostiēs. *in cap. Sicut.* Verùm si Clericus Notarius fecerit instrumentum, erit validum, si non fuerit illi interdictum huiusmodi officiū per suum Superiorem cum clausula irritante, quia secùs, si erit solummodò simpliciter interdictum, cùm multa facta teneāt, quæ fieri prohibentur. Leg. *Patre furioso ff. de is, qui sunt sui, vel alieni iuris.*

3 In causa hæresis, quilibet Clericus, seū Regularis potest exercere officium tabellionis. Simericus *in directorio Inquisitorum par. 3. quæst. 18. & 19.* & etiam in foro Ecclesiastico; possunt enim esse Notarij Episcoporū. Thesaur. *fors Eccles. cap. 35 num. 7.* Item si non habent, vndè viuant, possunt fungi officio tabellionatus, tàm in Curia sæculari, quàm Ecclesiastica. Gloss. *in cap. Sicut verbo Clericus:* Item in causa matrimoniali. Ias. *in l. 1. §. huius studij de iust. & iur.*

4 Si per Papam Clericus creatus esset Notarius, siuè per Delegatum Apostolicum, tùnc posset liberè officium tabellionatus exercere. Abbas *in cap Sicut.*

5 Medicinæ studium Clerico curam animarum habenti prohibitum est, sicut etiā Legum Ciuilium studium, nō autem alijs *cap Nè Clerici, vel Monachi in 6. cap. Super specula*, non tamen illis prohibetur habere libros iuris ciuilis, & eos retinere, & legere in camera. Abbas *in cap Super specula num. 17.*

6 Prohibetur etiam Clericis exercitium artis Chirurgiæ, *cap. Super specula, cap. Non magnoperè, cap. Sententiam*, propter periculum erroris, quod ei inest, & propter dubium curationis euentum. Abbas *in cap. Sententiam num. 21.*, etiamsi illam intuitu pietatis exerceant. Abbas *in cap. Tua*, quod procedit solùm in constitutis in ordinibus sacris, & beneficiatis, quia constituti solùm in minoribus possunt talem artem exercere. Abbas *in cap. Sententiam num. 21.* Cou. *in Clemen. Si furiosus par. 2. §. 4. num. 3. de homicidio*, sicuti etiam possunt talem artem exercere Clerici, qui non habent, vndè se sustentent. Abbas *num. 22.*

7 Clerici tutelam, vel curam suscipere non possunt, nisi pietatis causa, nec ad id de iure coguntur, siuè tutela sit testamentaria, siuè datiua, siuè legitima; ità Text. *in cap. Cyprianus 22. quæst. 3.* Montanus *de tut. cap. 35. num. 1. num. 195.* Germ. *de sacrorum immunitate lib.*

2. *cap. 15. num. 3.* Possunt tamen esse tutores miserabilium personarum. Authent. *Presbyteros C. de Episcopo, & Clericis, cap. Peruenit,* & *cap. Defensiones 86. dist.* quod etiam Monachi suscipere possunt de licentia suorum Prælatorum, *cap. Peruenit 21. quæst. 3.*

8 Non possunt Clerici esse fideiussores pro sæcularibus in iudicio. Riccius *in praxi resolut. par. 2. resolut. 483.*, si tamen fide iubeant, valida erit fideiussio, *cap. Peruenit, & cap. Constitutum de fideiuss.*, quia multa facta tenent, quę fieri prohibētur. Intuitu pietatis, Clerici, si velint fideiubere, possunt, *cap Non satis 86. dist. & cap. Constitutum:* Item pro alio Clerico potest fideiubere, Leg. *Omnes §. in hanc: C. de Episcopo, & Clerico:* Item pro Ecclesia. *cap Te quidem verb. Fideiussor quæst. 3.*

9 Testificari in causa ciuili sæculari Clerici sine licentia Episcopi prohibentur, *cap. Testimonium 11. quæst. 1. cap. Quamquam 14. quæst. 2.*, valet tamen testimonium Clerici exhibitum coram Iudice sæculari sine licentia Episcopi. Abbas *in cap. 1. num. 17. de iuram.* Extra iudicium in contractibus, & vltimis voluntatibus possunt esse testes sine licentia. Gloss. *in cap. 1. de iuram. calumniæ.*

10 Iudicare in causis ciuilibus Clerici non prohibentur, vbi iurisdictionem obtinent: in causis criminalibus nullo modo possunt, *cap. à quibus 23. quæst. 8. cap. Clericus, cap. Sententiam Clerici, vel Monachi.* In criminibus,

† in genere, Clericus consilium dare potest, dicendo, Fures taliter puniendi sunt, dum tamen potiùs opera consulentis fungatur, quam suggerentis. Gloss. *in cap. Ex litteris verbo Consulatis de excessibus Prælatorum*, Felin *in cap. Sicut dignum num. 11. de homicid.* Hostien. *in cap. Clericus num. 4.*, Si verò agatur in consilio Principis de causa criminali, & inquisitus est in casu absolutionis, tùnc potest Clericus, qui præsens est, consulere, vt absoluatur. Andreas *in cap. Clericus 1.*

11 Potest Clericus esse Iudex in causa Ecclesiastica, & cognoscere de causa criminali, vice Episcopi, quia non imponitur pœna sanguinis Clericis in latrocinijs, vel alijs malis sceleribus deprehensis, sed detrusionis in arctis Monasterijs, vel quid simile, *cap. Tuæ de pœnitent.* Potest Clericus habere iurisdictionem sæcularem, illam exercere per se, & punire delinquentes citrà pœnam sanguinis: In causa sanguinis non potest iurisdictionem exercere per se. Gloss. *in cap. Potest verbo Potest. verb. Item Prælatus.*

PARAGR. IV.

SVMMARIVM.

1 *Negotiatio est prohibita Clericis.*
2 *Possunt tamen rem comparare ad sui, &c. sustentationem.*
† *Item in aliquibus casibus possunt emere.*
3 *Potest Clericus vendere fructus, quos ex proprijs bonis colligit.*
4 *Vnica negotiatio non facit Clericum negotiatorem.*
5 *Colendo proprios agros, non dicitur negotiari.*
6 *Non potest emere lites.*
† *Nec conducere possessiones.*

† *Aut publica negotia.*
7 *Clerici arma deferre non possunt.*
† *In aliquibus casibus possunt.*

1 Negotia, lucri causa, prohibentur Clericis; & ità Textus *in cap. Negotiatio 88. dist. & in cap. Secundum ne Clerici, vel Monachi:* Ratio, quia negotiationes reddunt Clericum vilem, & reuerentiam Sacerdotalem annihilant, *cap. Perlatum 8. dist.* Molina *de contractibus disput.* 342., & præcipuè negotiatio lucratiua, quæ consistit in emendo, & vendēdo, est illis prohibita, *cap. Canonum 14. quæst. 4.:* Ratio, quia talis negotiatio raro potest esse sine peccato, *cap. Ejiciens 88. dist. cap. Qualitas, & cap. Falsas de pænit. dist. 5. & in cap. Clericis dist. 94.* Imponitur pœna Clericis negotiantibus, depositionis, & *in cap. Sub nec eodem*, suspensionis ab officio Ecclesiastico.

2 Possunt Clerici ad sui, & suæ familiæ sustentationem, si indigent, rem comparare, non vt ipsam vendant, sed vt mediante ipsa operentur, vt v.g. possunt emere Corium, vt sotulares faciant: Item possunt emere rudem materiam, vt secundùm regulas artis redigatur ad aliquam formam particularem; quod non est negotiari, sed artificiū exercere: negotiatio aūt est Clericis interdicta, non artificiū, *cap. Nunquam de consecratione dist. 5.* Sic Apostoli laborabāt manibus, ne quemquam grauarent: Ab ignominioso artificio abstinere debent Clerici: Item permissum est Clericis, vt exerceant opera rusticalia, vt Sancti Patres faciebant, *cap. Presbyter, cap. Clericus victum 91. dist.*, dummodò tamen nō sint impedimēto Diuinis muneribus, quibus incumbere debent.

3 Potest Clericus vendere, seù vendi facere, vina, blada, olea, & similia, perecepta tàm ex patrimonialibus, quàm beneficialibus, etiam minutim, & ex hoc non dicitur negotiari, cùm talia sint collecta ex rebus suis. Gloss. 1. *in cap. Negotiatorem* 88. *dist.* Abbas *in cap Secundum num. 1.:* Item Clericus potest per alium exercere locationem, quam per seipsum facere nequit, *ex Clement. 1. de vita, & honest. Cleric.*

4 Clericus non dicit negotiator per vnam tantùm emptionem, & venditionē, sed solùm si plures negotiationes facit. Gloss. *in l. 1. §. licèt:* Item nec dicitur negotiator, quando emisset pertinentia ad sui, & totius familiæ sustentationem per annum, & præter propositum empta, quæ supersunt, si ea currenti pretio vendiderit; Ità Quaranta *verbo Vectigal.* Bonac. *de censuris in Bulla disput. 1. quæst. 19. par. 3. num. 6.:* Item non exercet negotiationem locando boues proprios, vel oues, vel si habet pascua, emit animalia, vt illa pascat ad sui sustentationem, & familiæ. Redoan. *de spolijs Clericorum quæst. 2.* Molina *disput.* 342 *num. 14.*

5 Clericus nō dicit negotiator agros proprios colendo, vt fructus vendat: item si lapides, vel metalla ex suis fundis cęderet, vel emeret, siuè ea mutet in aliam speciem, siuè non; greges in suis prædijs aleret, vt ex fœtu, lacte, lana, pecuniam conficiat, aut vt ipsa animalia adulta, & saginata vendat; Ità Lessius *lib. 2 cap. 15. dub. 1.* Comitol. *respons. moralium lib. 1. quæst. 51. num. 2.*

6 Prohibitum est Clericis emere lites, cùm lites materiam criminibus præbeant. Leg. *Properandum C. de iudic. §. si vero aliquis:* si autem cessio fuit facta per Laicum Clerico, vti coniunctæ personæ, tunc valet, quia coniunctio tollit dolum, *cap. Cùm in iuuentute de præsumpt. l. 3. ff. de recept.*, facit cessare simulationem, & præsumitur donatio. Conducere possessiones Clericis est prohibitum, *cap.*
† *Peruenit 86. dist.*, & conducere publica negotia, vt vectigalia, &c.: quod intelligendum est de Clericis in sacris constitutis, aut beneficiatis: potest tamen in perseuerare cōductione, si succedat in cōductione, donec finiatur tēpus. Gloss. *in cap. 1. verb. Conductores:* Item ad sui, sustentationem potest habere vnam conductionem. Abbas *in cap. 1. num. 8. & in cap. 2. num. 2.* Syluester *verbo Clericus 3. num. 2.:* Item potest conducere obuentiones Ecclesiæ, & de prouentibus respondere certam partem Rectori. Abbas *in cap. 2. num. 2.*

7 Clerici arma ferre non possunt, & si ferant, debent excommunicari, *cap. Clerici 2. de vita, & honestate Clericorum.* Couar. *practicarum cap. 23. num. 7.:* Verùm si subsit iusta causa, poterunt portare arma ad sui defensionē, vt si per loca periculosa transire debeant. Gloss. *verb. Clerici in cap. Clerici:* Item si essent inobsidione. Bald *in cap. 2. n. 7. de vita, & honest.*
† *Clericorum:* Item in bello contrà infideles, de licentia tamen Papæ. Innocentius *in cap. Olim de restit. spoliat.* Secùs verò si pug nandum esset contrà Christianos: neque irregularitatem contrahit, qui ad sui defensionem alium occideret, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, cùm defensio omni iure sit permissa, & vim vi repellere liceat, *cap. Significasti 2.:* Imò potest in tali casu vocare socium, & clamare, succurrite: & licèt succurrentes aggressorem occidant, non esset aggressus irregularis, quia non intendit mortem alterius, sed solùm suam liberationem. Hostiens. *in cap. Significasti 2. de homicidio.* D. Antoninus *3. par. tit. 28. cap. 2. §. 2.* Nauar. *consil. 12. num. 3. de homicid.* & in manuali *cap. 27. num. 212.* & alij. Imò si Clericus celebrans inuaderetur, potest iustè dimittere celebrationem, & si se defendendo aggressorem occidat, potest incontinēter redire ad Altare, & Missam perficere: tamen id debet facere cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendā vindictam, sed ad iniuriā propulsādam, *cap. Significasti 2.*, & tunc Clericus dicitur esse in necessitate ineuitabili, quādo cōstitutus est in tali necessitate, quā neque fuga, neque clamore, neque alio modo, nisi interficiendo, aut mutilando aggressorem, euitare nequit. Gloss. *in Clementina si furiosus.*

P A-

PARAGR. V.

SVMMARIVM.

1 *Non licet Clericis habere accipitres.*
† *Nec facere venationes periculosas.*
2 *Episcopi frequẽtes in venationibus sunt suspendendi, &c.*
3 *In aliquibus casibus Clericis non prohibetur venatio.*
4 *Irregularitas aliquando incurritur ob venationem periculosam.*
5 *Piscare Clericis est licitum.*
6 *Clericus neminem debet percutere.*
† *Potest tamen in bello iusto hortari,&c.milites.*
† *Quando personalitèr Clerici possint pugnare.*

1 Non licet Clericis habere accipitres, & canes ad venandum, *cap.2.de Clerico,* nec eis licet facere venationes periculosas,& clamerosas,vt apro rum,&c.,&cum † armis *cap. Qui venatoribus*: Ratio, quia cùm talis venatio fit plena clamoris, non est conuemens Clericis, in quibus modestia, & humilitas splendere debent: tùm etiam, quia in talibus venationibus plerumque sunt rixæ, iniuriæ, pacis violationes, quibus Clerici à Diuinis abstrahuntur, *cap.2. ne Clerici,vel Monachi.*

2 Episcopi, si frequẽtes sint in huiusmodi venationibus,suspẽdi vidẽtur à cõmunione tribus mẽsibus,Presbyter duobus, Diaconi vero aut Subdiaconi ab omni officio paritèr suspendendi sunt. Sayrus *in claui regia lib.11 cap.9. num. 7.* Clerici verò in minoribus constituti arbitraria pœna sunt plectendi.

3 In aliquibus casibus non interdicitur venatio Clericis: Primus est, si Clericus haberet redditus in venatione: Secundus, venatio quieta, quæ sine strepitu exercetur,& ob vtilitatis,seu recreationis ad excitandum appetitum,vel calorem naturalem: Tertius, venatio cum laqueis, pedicis, atque retibus, & etiam cum canibus erit licita Clericis, dummodò cum modestia,& silentio fiat: Quartus, venatio falconis, si rarrissimè fiat causa recreationis, non erit illicita Clericis.

4 Si venatio ex suo genere esset periculosa mortis, aut mutilationis; tùnc si Ecclesiasticus esset causa ipsius, vt ex eo sequeretur mors, vel mutilatio, irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione casuali incurreret,eo, quòd dederit operam rei sibi illicitæ,& periculosæ homicidij, vel mutilationis. Molina *de iustitia tom 1.tract.2. disput. 44.*Sayrus *in claui regia lib.11.cap.9.num.9.*

5 Piscare Clericis est licitum: Ratio,quia in piscatione cessat ratio prohibitionis, venationis, tùm etiam, quia Apostoli piscatores erant, tùm etiam quia piscatores non dicuntur venatores, dummodò tamẽ non fiat diebus festiuis,solenniòribus, neque animo negotiandi,quia tùnc diceretur negotiatores.

6 Spectat etiam ad vitam, & honestatem Clericorum, vt neminem percutiant, cùm Clerici ob statum decentiam, ab omni debeant percussione abstinere, tam priuata, quàm publica. Sayrus *in claui regia lib.7.cap.11.num.2.*, & ideò Episcopus, qui aliquem crudelitèr fustigare iuber, suspẽditur duobus mensibus à celebratione Missarum, li† cèt post octo menses fit mortuus: Potest tamen Clericus in bello iusto tàm offensiuo, quàm defensiuo pro defensione Reipublicæ Ecclesiæ, siue fidei absque periculo irregularitatis hortari, consulere, & incitare milites ad pugnandum, quamuis sequantur ex vtraque parte homicidia, & mutilationes modò specialitèr non dicat, *Interfice*, aut *Mutila.cap. De : mun 23.quæst.2.cap.* † *Igitur,cap.Omni timore,cap Hortatu*: Personalitèr Clericis pugnare non licet: vbi tamen Laicorum vires non sufficerent, tùnc possunt Clerici defensione patriæ proprijs manibus pugnare, interficere, &c., dummodò id sit necessarium ad victoriam consequendam.

PARAG. VI.

Textus Sacrorum Canonum. De vita,& honestate Clericorum.

SVMMARIVM.

1 *Populus à Clero debet esse diuisus, quando celebratur.*
† *Clerici arma portantes, &c.sunt excommunicandi.*
2 *Parochus debet habere Clericum sibi inseruientem.*
† *Clericus,qui comam nutrit,est excommunicandus.*
† *Et ideò neque barbam, neq; comam nutrire debet.*
3 *Valet matrimonium Clerici,qui non est in sacris.*
† *Clericus potest cogi ad ferendam Tonsuram.*
4 *Frequentans Monasteria Monialium, quam pœnam incurrat.*
† *Ex redditibus Ecclesiæ Episcopus potest statuere certum numerum Clericorum.*
5 *Index &c gratis iudicare debet.*
6 *Religiosi missi ad prædicandum,&c.debent accipere habitum communem.*
† *Ludi theatrales in Ecclesia fieri non debent.*
7 *Clerici castè viuere.*
8 *A crapula abstinère debent.*
9 *Item à negotijs.*
10 *Quam pœnam incurrant.*

1 Quando officia Diuina celebrantur Clerici in Choro, debent esse diuisi à Laicis, *ex cap. Vt Laici 1.de vita, & honestate Clericorum.* Cùm non sit permissum Laicis habere locum inter Sacerdotes, & Cleri† cos. Clerici arma portantes, sicut & vsurarij, excommunicari debent, *ex cap. Clerici 1.de vita,&c.*

2 Presbyter habens Parochiã, debet habere Clericum sibi inseruiente, qui scilicèt cantet Epistolã,&c., qui possit scholas tenere, & admonere parres, vt mittant filios ad discendam Doctrinam Christianam in Ecclesia, quos ipse cùm omni charitate erudiat, † *ex cap. Vt quisque 3.* Clericus, qui comam nutrit; est excommunicandus; *ex cap. Si quis 4.*
† Clericus neque comam, neque barbam nutrire debet, *ex cap. Clericus 1.5.*

3 Clericus, qui nõ est in sacris, nec est pro† fessus Religiosus, si accipiat vxorem, illam non dimittat, sed coronam ferat, *ex cap. Clericus 1. 6.* Clericus, qui non fert Tonsu-

† ram, potest a suo Superiore, etiam inuitus tonderi, *ex cap. Clerici 7.*

4 Monasteria Monialium frequentans, & monitus non desistit, si Clericus est, debet suspendi ab officio, si Laicus excommunicatur, *ex cap. Monasteria* 8. Episcopus potest

† statuere ex redditibus Ecclesiæ certum numerum Clericorum, qui viuant in communi, & potest compellere contradictores ad hanc obseruantiam pœna arbitraria, non obstante appellatione, & eos in communi viuentes potest absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici, *ex cap. Quoniam 9.*

5 Iudices Ecclesiastici, & Delegati gratis iudicare debent, quia gratis est iudicandum, & venales sententiæ à iure reprobantur, *cap. Cum ab omni* 10.: quod tamen non est intelligendum de muneribus, quæ dantur Iudici liberalitèr absque vlla ratione pretij, *ex eodem cap.*

6 Religiosi diuersi habitus missi ad prædicandum de nouo conuersis, ne populi scādalizentur, debent accipere communem, & honestum habitum, *ex cap. Deus, qui* 11.

† Ludi Theatrales, etiam prætextu consuetudinis in Ecclesia, nec per Clericos fieri debent, *ex cap. Cum decorem* 12.

7 Clerici, præsertim in Sacris, continere debent, abstinendo à libidinis vitio; præsertim illo, propter quod venit ira Dei, & peccantes puniri debent canonicè, iuxtà qualitatem delicti. *Ex cap. Vt Clericorū* 13.

8 Clerici à crapula, & ebrietate abstinere debent; & si inuitetur quisquam ad bibendum, non tenetur obligationem exequi, desumendo calices æquales; & qui secùs fecerit, ab officio, & beneficio est suspendendus. *Ex cap. à Crapula* 14.

9 Clerici debent abstinere à negotiis, personis, ludis, locis, vestibus inhonestis, ideo non debent vti pannis rubeis, vel viridis coloris, &c., nec manicis, aut sotularibus consutijs, frenis, sellis, pectoribus, calcaribus deauratis, &c. Pontifices in Ecclesia non ferant in publico indumenta linea, nisi sint Monachi, qui debent deferre habitum Monachalem. *Ex cap. Clerici* 2.15.

10 Clerici, qui tertiò moniti, non abstinent à negotijs sæcularibus, priuantur priuilegio Clericali. *Ex cap. Ex litteris* 16. Verùm iterum recuperant priuilegium Clericalē amissum, cum primùm à negotiatione cessant.

PARAGR. VII.
Textus Sacrorum Canonum, De Cohabit. Cleric.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos domi non debet retinere mulierem suspectā.*
† *Clericus colloquens cum femina suspecta, quam pœnam incurrat.*
2 *Prælatus non debet cogere Clericum ad abiurandum, &c.*
† *Clericus non dimittens Concubinam, quam pœnam incurrit.*
3 *Litteræ obtentæ à Papa, &c. si non contineant seriem facti non prosunt.*
† *An Sacramenta possint percipi à Concubinario.*
4 *Clericus concubinator publicus non requiritur testis, &c. vt puniatur.*
5 *Quæ Mulieres permitti possint habitare cū Clericis.*
† *Clericus Concubinarius quando sit vitandus.*

1 Sacerdos non debet retinere in domo Mulierem suspectam de incontinentia, sed eas solùm, quas iura permittunt, vt Mater, Soror, &c. Item feminæ non præsumant ministrare Presbytero, nec accedere ad Altare, nec intra cancellos stare. *Ex cap. Inhibendum. 1. de Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.* Clericus in Sacris, qui ter monitus non desistit à colloquio, & consortio cùm femina suspecta de crimine fornicationis, est excommunicandus; & femina canonicè punienda. *Ex cap. Si quis quam 2. de Cohabitatione, &c.*

2 Prælatus non debet cogere Clericos in Sacris constitutos, & publicè concubinarios ad eas abiurandum; ne redeuntes sint periuri, sed cogant eos dimittere censuris. *Ex cap. Clericos* 3. Clerici in Sacris, si Concubinas non dimittunt, suspendi debent à beneficijs; & si se non corrigunt, à beneficijs perpetuò remoueri debent. *Ex cap. Si qui* 4.

3 Litteræ obtentæ à Papa per Presbyterū Concubinarium suspensum ab officio, vt absoluatur, si non contineant seriem facti, non ei prosunt. *Ex cap. Super eo.* 5. A Concubinario publico non debet quis percipere Sacramenta, nō quia in Sacramento sit defectus, sed ad ipsorum fornicatorum emendationem: ab occultis, & toleratis, licitum est recipere Sacramenta: Notorium autem crimen est, de quo Presbyter Canonicè condemnatur; occultum, quod ab Ecclesia toleratur. *Ex cap. Vestra* 7.

4 Concubinatus Clerici, si ità est notorius, non requiritur testis, nec accusator, ad hoc vt puniatur; sed si est publicus, ob solam famam, non sufficiunt ad condemnationem sola testimonia, quia non testimonijs, sed testibus id est iuratis est iudicandum: sed si haberetur talis suspicio de Clericis, vt scandalum generetur in populo, tunc est indicenda Canonica purgatio, quam si non valuerint, vel voluerint præstare, secundùm Canones sunt puniendi. *Ex cap. Tua nos* 8.

5 Mulieres non debent permitti cum Clericis habitare, nisi tales sint, cum quibus naturale fœdus nihil mali suspicari permittat. *Ex cap. A nobis. 9.* Clericus Concubinarius non est vitandus in Officijs Diuinis, nisi peccatum sit notorium, per sententiam, confessionem, & euidentiam rei. *Ex cap. Quæsitum* 10.

PARAGR. VIII.
Textus Sacrorum Canonum. De Clericis Coniugatis.

SVMMARIVM.

1 *Clericus in minoribus contrahens matrimonium, debet beneficium dimittere.*

† Si

† *Si verò sit in Sacris, debet vxorem dimittere.*
† *Clericus coniugatus, quando sit capax beneficij.*
2 *Quid agendum cum Clerico in Minoribus, qui contrahit matrimonium.*
† *Episcopi cum Sacerdotibus, qui de facto matrimoniū contraxerunt, dispensare possunt.*
3 *Beneficia obtenta à Clerico vxorato quomodo auferenda.*
4 *Filius Sacerdotis Græci genitus licitè inter Latinos promouetur.*
† *Clericus in Minoribus, quando gaudeat priuilegio Clericali.*
5 *Clerici vxorati Dignitates Ecclesiasticas habere non possunt.*
† *Clerici coniugati in rebus suis non gaudent priuilegio Clericali.*
† *Clericus in minoribus non militans, non est cogendus deferre habitum.*

1 Clericus in minoribus contrahēs matrimonium, vxorem debet retinere; beneficium dimittere, si quod habet: si verò erat in Sacris, cogi debet per suspensionem, & excommunicationem, vxorem dimittere, & agere pęnitentiam de commisso, *Ex cap. Si qui 1. de Clericis coniugatis.* Clericus coniugatus non est capax beneficij, nisi vouear perpetuam castitatem, & Coniux fuerit vnica, & virgo; nec potest admitti ad sacros Ordines, & ad adminiſtrationes Ecclesiasticas. *Ex cap. Sanè 2. de Clericis coniug.*

2 Clericus in Minoribus, si cōtrahat matrimoniū, spoliandus est beneficio; & si aliquid ex proprijs bonis dedit Ecclesiæ, illi debet restitui. *Ex cap. Quòd à te 3.* Episcopi cum Sacerdotibus dispensare possunt, qui de facto contraxerunt matrimonium peracta pęnitentia, vt exerceant Ordines in officio suo. *Ex cap. Sanè 2. 4.* dummodò cum vnica, & virgine contraxerint. *Ex cap. cit.*

3 Beneficia obtenta à Clerico tempore contractus matrimonij, illi auferenda sūt; collata verò scienter ab Episcopo post contractum matrimonium, per eundem auferri non possunt, sed per Superiorem. *Ex cap. Diuersis. 5.*

4 Filius Sacerdotis Græci, ex legitimo matrimonio natus, potest ordinari ritu Latino, licèt pater sit in ritu Græco, nisi cōsuetudo regionis repugnet, quia tunc esset inhabilis. *Ex cap. Cùm olim in 6.* Clericus in minoribus coniugatus, non gaudet priuilegio Clericali: ac proindè non tenetur deferre Tonsuram; dummodò non sit beneficiatus, quia tunc tenetur. *ex cap. Ioannes 7.*

5 Clerici vxorati non admittūtur ad Dignitates Ecclesiasticas; & quas habent, dimittere debent. *Ex cap. Cùm decorem. 8.* Clerici coniugati in rebus suis, non gaudent priuilegio Clericali; & ideò Laici possunt ab illis, sicut ab alijs vxoratis debitas iustitias, & consueta seruitia exigere. *Ex cap. Ex parte 9.* Clericus in Minoribus militans, non est cogendus deferre Tonsuram, vel Habitum Clericalem. *Ex cap. Vt consulationi. 10.*

TITVLVS XXXXII.
De Ordinatione Clericorum.

SVMMARIVM.

1 *Ordinatio quid sit.*
† *Duplex.*
2 *Ordo, & Sacramentum.*
3 *Differentia inter Ordines maiores, & minores.*
4 *Ordo imprimit Characterem.*
5 *Episcopus potest solùm ordinare suos subditos.*
† *Qui censeantur subditi.*
6 *Familiares Episcoporum possunt ordinari.*
7 *Non subditus non potest ordinari sine Dimissorijs.*
8 *Potest Episcopus ordinare Religiosos manentes in sua Diœcesi.*
9 *Non potest denegare Dimissorias habentibus beneficium, &c.*
10 *Capitulum, sede vacante, in quibus casibus possit concedere Dimissorias.*
11 *Pœna eorum, qui ordinantur ab alieno Episcopo sine Dimissorijs.*

1 Ordinatio est personæ Ecclesiasticæ consecratio, per quam gratia, & potestas obeundorum Ecclesiasticorum munerum confertur; & hæc duplex est, vel maior, qua maiores ordines conferuntur, vel minor, quę minores ordines continet. Ordines, qui conferuntur sunt septem, quatuor minores, & tres maiores; Episcopatus nō est propriè Ordo; Ordo enim ordinatur ad Sacrificium Missæ, circà quod Episcopus maiorem non habet potestatem Presbytero simplici: & licèt Episcopatus vocetur Ordo, non tamen dicitur Ordo, quòad Sacramentum, sed quòad gradum Ecclesię, cùm singulari inter Presbyteros potestate fulgeat.

2 Institutum est Ordinis Sacramentum, præcipuè propter Sacerdotium: Vndè Christus Dominus in nouo Sacramento cum Eucharistiæ Sacrificio, etiam Sacerdotium instituit, quando Apostolis, & eorum Successoribus tradidit potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, & peccata dimittendi, ac retinendi.

3 Sunt quædam differentiæ inter Sacros, & Minores Ordines. Primò, In maioribus maior ætas requiritur, & scientia. Secundo, Officia Sacrorum Ordinum à non Ordinatis exerceri non possunt impunè: Minorum verò officia exerceri possunt. Tertiò, in susceptione Ordinum minorū non emittitur votum; at in susceptione Ordinis Sacri emittitur. Sunt etiam plures aliæ differentiæ, de quibus Barbos. *in rec Eccl. lib. 1. cap. 33. num. 9.*

4 Ordo imprimit Characterem in singulis Ordinibus in anima suscipientis, in collatione instrumenti, quod porrigitur ab Episcopo: potestas autem conferendi Ordines, est apud Episcopum, & taliter gradui Episcopali est annexa, vt non possit delegari alteri non Episcopo; quod tamē intelligendum est de Ordinibus Sacris, quia Ordines minores etiam ab Abbatibus, &c. conferri possunt Apostolicæ tan-

rum sedis priuilegio.

5 Episcopus solum potest ordinare suos subditos, qui vel sunt oriundi, aut qui ibi domicilium contraxerunt, seu beneficium Ecclesiasticum obtinuerunt. Oriundi dicuntur, qui in ea nati sunt. Glos. *in cap. Alienigenas, in cap. 1. de vsuris in 6.* & secundū Nauarrum *consil. 19. de temp. ordinat.*; vel si Pater eorum ibi natus fuerit, licet ipse aliundè sit oriundus, nam oriundus dicitur à natiuitate propria, vel paterna. Mendoza *ad reg. 6. Cancell. quæst. 4.* Domiciliarij censentur illi, qui degunt in aliquo loco intentione semper ibi manendi, quia tunc poterunt ab eius Antistite, vel de illius cōsensu ab alio ordinari. Bonac. *de Sacramentis disp. 8. quæst. vnic. p. 4. num. 4.* Animus perpetuus ibi manendi præsumitur si illic emerit domum, aut aliam possessionem; vel in eo loco transtulerit maiorem partem bonorum; & etiam ex habitatione decem annorum colligitur animus perpetuò ibi manendi, nisi esset aliquod indicium, quòd noluerit ibi semper habitare. Beneficium obtinens, potest ordinari ab Episcopo Diœcesis, in qua illud habuerit, seu ab alio de eius licentia, quāuis ei alia ratione subditus non sit. Bonac. *loco citato p. 4. num. 4.* Aloys. Riccius *in praxi rerum For. Eccl. resol. 258.* Scipio de Rubeis *in Aphoris. Episc. Verbo Ordo num. 7.* dummodò illius beneficij habeat possessionem.

6 Familiares Episcoporum etiam ordinari possunt; vt statuit Concilium Trid. *sess. 23. de reformat. cap. 9.* si per tres annos ibi habitauerint, quibus postea tenetur conferre beneficium; ità communiter omnes: nō tamen dicuntur familiares, qui domi non manent, quamuis sumptibus Episcopi viuant. Maiol. *de Irregularitate lib. 4. cap. 2. nu. 5.* Bonacin. *de Sacram. disp. 8. quæst. vnic. p. 4. nu. 18.* Scipio de Rubeis *loco citato verb. famil. triennalis num. 1.* Triennium debet esse continuum. Ità Auctores citati; & sufficit quod sufficiat antequàm esset Episcopus. Nicol. Garzias *de beneficijs p. 1. cap. 5. num. 83.* Scipio de Rubeis *loc. cit.* Galeta *in Margarita casuum conscientiæ, Verbo Ordo.*

7 Non subditus non potest ordinari sine Dimissorijs, sub pœna suspensionis. Concil. Trid. *sess. 6. de reformat. cap. 5.* Abbas, qui habet territorium distinctum ab Episcopo, & ius congregandi Synodum, & eligendi Examinatores, potest suis subditis Dimissorias concedere, dummodò habeat pleno iure iurisdictionem priuatiuè, quoad Episcopos. Lezana *tom. 3. verb. Dimiss. num. 3.*

8 Potest Episcopus ordinare Religiosos manentes in sua Diœcesi, etiamsi non sint subditi, & ibi nō contraxerint domicilium. *cap. Cum nullus, §. Religiosi de temp. ordinat.* Et licet sit opinio probabilis, quòd Nouitius possit ordinari ab Episcopo, in cuius Diœcesi domicilium contraxit per natiuitatem; tamen probabilior est, spectare ad Episcopum, in cuius Diœcesi est Nouitius in probatione; ità Cuch. *lib. 3. instit. Moralium tit. 1. num. 94. de Regularibus.* Sanchez *in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 6. cap. 10. nu. 21.* & alij. Vicarius Episcopi solùm de mādato Episcopi potest litteras Dimissorias concedere, nisi Episcopus sit ita absens, vt in breui non speretur eius reditus.

9 Episcopus non potest denegare Dimissorias, aut Ordines ijs, qui habent beneficium Ecclesiasticum, aut qui est in Dignitate positus. *cap. Ex tenore tit. de temp. ordinationum*; nisi desint qualitates requisitæ, aut habeat aliquod Canonicum impedimentum, ratione cuius non possit ordinari; Et licèt Episcopus non possit ordinare inuitum; potest tamen cogere Beneficiarum ad susceptionem Ordinis, nisi legitimè excusetur, qui si promoueri contempserit, erit ab Ordine, quem habet suspendēdus, aut beneficio deponendus. *cap. Si qui Clerici 54. dist.*

10 Capitulum, sede vacante, in duobus casibus potest concedere Dimissorias; Primus est, quando Episcopatus vacabit per annum. Secundus, quando quis arctatus est, vt perderet beneficium receptum, vel recipiendum, si tunc temporis non promoueretur ad Ordines; ità Henriq. *lib. 10. cap. 22. num. 3.* Quaranta *Verbo Capitulum, sede vacante.* Toletus *lib. 14. cap. 49. nu. 5.* Nauarrus *consil. 44. de temp. ordinand.* Em. Sà. *verb. Ordo. num. 29.* & alij.

11 Qui Ordines accepit ab alieno Episcopo absque litteris Dimissorijs sui Ordinarij, remanet suspēsus, caret priuilegio Ordinis, incapax est beneficij, & ordinatio est irrita, non quòad substantiam, sed quòad executionem Ordinis: hæc tamen suspensio, nunc potest ab Episcopo auferri, modò delictum sit occultum. *Ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6.* Verum si Episcopus aliquem ordinaret sub spe ratihabitionis, in foro conscientiæ esset excusatus, tàm Ordinās, quàm Ordinatus; Ratio, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur: tū etiam quia ad incurrēdam suspensionem, requiritur præsumptio, quam in isto casu in foro conscientiæ bona fides excusat; ità Suarez *de Censuris disp. 31. sect. 1. nu. 17.* Morsesius *tract. 2. cap. 2. nu. 14.* Fornarius *de Ord. cap. 5. num. 4.* & alij.

TITVLVS XXXXIII.
De qualitatibus Ordinandorum.

SVMMARIVM.

1 *Prima qualitas Ordinandorum.*
† *Fœmina non potest ordinari.*
2 *Pueri vsu rationis carentes possunt ordinari.*
3 *Ætas requisita ad Ordines.*
4 *Requisita ad susceptionem Ordinis.*
5 *Heretici, & Infideles repelluntur ab Ordinibus.*
† *Et eorum Filij.*
6 *Item homicida.*
7 *Excommunicati, suspensi, & interdicti.*
8 *Infamis infamia iuris, & facti.*
9 *Accusatus de aliquo crimine, pendente accusatione.*
10 *Qui semel insaniuit, non potest ordinari.*
† *Solenniter pœnitentes.*
† *Bigami.*
11 *Qui mala fide Ordines suscepit sine titulo, incurrit suspensionem, & c.*

† *Etiam*

† *Etiam qui sibi patrimonio, vel beneficio, recipit Ordines.*

1 PRima qualitas ordinandorum est sexus virilis, quia fęmina nullo modo potest ordinari. Sanct. Thomas *in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1. & 2.* Campanil. *in Diuersorio rubr. 11. cap. 2.* Suarez *de Censuris disp. 51. sect. 2.* Belletus *p. 1. tit. de Disciplina Clerical. parag. 8. nu. 4.* & alij. Ratio, quia iure Diuino, incapax est eorum, quæ sunt Ordinis. Vndè secundùm Vasquez, ex dispensatione Summi Pontificis, fœmina non potest recipere primam Tonsuram, licèt non sit Ordo: Ratio, quia prima Tonsura aliud non est, quàm consecratio, seu deputatio personę ad eum statum, ex quo ad Ecclesiasticos Ordines, & gradus ascendi possit; Cùm igitur fœmina, ex Diuina Institutione, incapax sit huius ascensus: sequitur etiam esse incapacē primæ Tonsuræ: Item si Hermaphroditus ęquè, aut magis participet sexū fœmineum, quàm virilem, non potest validè ordinari, cùm non possit magis dici masculus, quàm fœmina; ità Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 4.* Henriq. *lib. 10. cap. 16.* Suarez *tom 5. disp. 51. sect. 2.* & alij. Si verò præualeat sexus virilis, validè potest ordinari, cùm dicatur masculus; licitè tamen non potest ordinari, cùm sit Irregularis.

2 Pueri vsu rationis carentes possunt ordinari, etiamsi Ordines nunquàm expetierint; Ijs verò, qui inciderunt in amentiam non validè conferuntur Ordines, si ipsos nullo modo expetierint. Bonac. *de Sacram. Ord. p. 5. num. 3.*

3 Quænam sit ætas requisita ad primam Tonsuram, & Ordines minores, dictum fuit; Ad Subdiaconatum requiruntur anni 22. inchoati. Ex Trident. *sess. 23. cap. 12.* Ad Diaconatum 23. inceptum; Ad Presbyteratum 25., etiamsi per medium tantū diem inchoati sint, vt patet ex Bulla Pij II., quam refert Quaranta *Verb. Ordo.* & *in cap. Nullus de temp. ordinat.* Ad Episcopatum, ad minus requiruntur triginta; & in contrariū iure nouo nihil fuit cautum. Qui ante legitimam ætatem recipit Ordines, est suspensus; Imò probabile est, incurrere irregularitatem, si post ordinationem cōsecret cum Episcopo. Nauar. 5. *consil. de Cleric. non ordinat.* & aliquos refert Quaranta *Verbo Ordo.*

4 Plura etiam requiruntur ad susceptionem Ordinis. Primò requiritur fides, debitaque intentio conferentis Ordinem, & recipientis. Secundò conscientia absque labe peccati mortalis. Tertiò, quòd sit Cōfirmatus. Quartò, probitas morum. Quintò, sciētia debita, nimirùm quod qui promouētur ad Ordines minores, saltem calleant linguā Latinā; Ad Subdiaconatū, & Diaconatum, sint litteris, & his, quę ad tales Ordines spectant, Instructi; Et qui ad Presbyteratum, sint idonei ad populū docendum ea, quæ scire omnibus, necessariū est ad salutem. Sextò, quòd promouendus ad Ordines sit initiatus prima Tonsura. Septimò, quòd habeat titulum, ad quem promoueatur ad Ordines, nimirùm Patrimonium, vel Beneficium, vel Pensio: quòd si ad titulum Beneficij fuerit ordinatus, ipsum non potest resignare, aut pensionem extinguere, nisi is habeat, vndè aliundè viuat: Regularis autem ordinatur ad titulum paupertatis, quam est professus.

5 Ab Ordinibus repelluntur Hæretici, & Infideles. *cap. Arianos. 1. quæst. 1.* Bellet *de discipl. Cleric. §. 10. num. 28.*: Ratio, quia censentur irregularès. Hęreticorum filij ex parte Patris non possunt fieri Clerici vsque ad secundam generationem: si ex parte Matris, tantùm filiæ excluduntur, & nō Nepotes: Neophyti verò non excluduntur à susceptione Ordinis, licèt de facilè non sint ordinandi.

6 Homicida, vel per se, vel per alium, nō potest ordinari, quia est irregularis, nisi homicidium factum fuerit ad sui defensionem. Concil. Trident. *sess. 14. de reformat. cap. 7.* Quod etiam dicendum est de mutilante membrum alicuius, aut notabiliter debilitante.

7 Repelluntur etiam ab ordinibus suscipiendis excommunicati, suspensi, & interdicti; & si ordinentur, Characterem quidem recipiunt, sed sunt ipso facto suspensi ab Ordinum executione; prætertim excōmunicati ob percussionem Clerici; licèt in hac irregularitate possit dispensare Episcopus, si delictum sit occultum.

8 Repellitur etiam Infamis infamia iuris, & infamia facti. *cap. Infames 6. quæst. 1.* Syluester *verb. Infamia num. 15.* Maiol *de irregularitate lib. 3. cap. 1. nu 1.* Belletus *de discipl. Cleric. §. 10.* & alij. Criminosus notorius arcetur etiam ab Ordinibus suscipiendis, si publicè petierit ordinari; secus verò si delictum esset occultum.

9 Accusatus, vel denunciatus de aliquo crimine, pendente accusatione, nō potest ordinari. *cap. Omnipotens 4. de accusat.* Couar. *lib. 1. var. cap. 16. num. 11.* Zerol. *in prax Episc. p. 1. verb. Ordo. paragr. 1.* quod locum non habet in accusatos per maleuolos, & non granatos apud graues, & bonos Viros; ità Nicol. Garz. *de beneficijs p. 7. cap. 8. num. 6.* Barbosa *de potest. Episcopi p. 2. allegat. 33. nu. 14.*

10 Qui semel insaniuit, non potest ordinari, quia perpetuò manet irregularis; ità Text. *in cap. Maritum dist. 33.* Nauar. *in Man. cap. 25. num. 72.* etiamsi posteà sanitatem recuperet. Viuald. *in Candelabro aureo tit. de irregul. nu. 181.* Saytus *de Censuris lib. 6. cap. 6. num. 14.* Solenniter pęnitentes sunt etiam irregulares, si pęnitentiam egerunt pro graui delicto. *cap. Maritum, cap. Ex Pœnitentia, cap. Illud dist. 33.* Bigami non possunt etiam ordinari, quia irregulares. Belletus *de discipl. Clericali p. 1. §. 6. num. 1.* quòd si ordinentur, Characterem quidem recipiunt; officium verò minimè, nec gaudēt priuilegio Clericali; ità *in cap. 1. de Bigamis in 6.* quod de Bigamia respectu Vxoris dicendum est. *cap. Curandus, cap. Si quis Viduam*, etiamsi sit Bigamus bigamia interpretatiua, vel similitudinaria. Nauar. *in Manuali cap. 25. num. 195.* Cou. *in Clemen. Si furiosus. p. 1. §. 2. num 2.*

Vgol.

Vgol. *de offic. Episc. cap. 56. paragr. 2. num.* 4. Bonac. *de Censuris disp. 7. quaest. 2. p. 5. nu. 2.* & alij.

11 Qui mala fide per fraudem Ordines suscepit sine titulo, incurrit suspensionem, sicut etiam ille, qui recipit Ordines ficto Patrimonio, vel Beneficio, faciendo pactũ cum Episcopo ordinante ante ordinationem, vel cum Patrono praesentante non petendi victum, alimenta, aut prouisionẽ; ità Auila 3. *p. disp. 5. dub.* 4. Nauarrus *consil. 15. de temp. ordinat.* Suarez *disp. 31. num.* 33.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Coniugati non possunt ordinari.*
2 *Nec Serui, & mancipia.*
3 *Nec habentes officium in Curia, si sit criminale.*
4 *Qui habent defectum corporis, &c. Ordinari non possunt.*
5 *Nec qui laborant morbo caduco.*
6 *Non excluditur ab Ordinibus, qui habet membra superflua.*
7 *Qui se castrauerunt, &c. non possunt ordinari.*
8 *Nec obsessi à Daemone.*
9 *Nec Illegitimi.*
10 *Ordinandi, debent habere Beneficium, Pensionem, vel Patrimonium.*
11 *Ordinantes aliquem cum huiusmodi defectibus, sunt suspensi à collatione Ordinum.*
12 *In collatione Ordinum debent seruari Interstitia.*

1 Coniugati non possunt ad Ordines promoueri. *cap. Si Laicus, cap. Ante, cap. Sacerdotibus, cap. Nam sicut dist.* 31. nisi Religionem de consensu Vxoris ingressi fuerint, aut de earum consensu Clerici in Saeculo fieri vellent. *cap. Coniugatus de conuers. Coniug. cap. de Clerico coniug. cap. Assumimus* 28. *dist.* dũmodò vxor sit senex, & voueat continentiam: si verò Iuuenis ingrediatur Religionem; ità textus *in cap. Vxoratus, & cap. Apostolicam de conuers. coniug.* Si verò coniugatus ordinetur, non seruata praedicta forma, erit perpetuò ab Ordinum exercitio suspensus.

2 Serui, & Mancipia ordinari non possũt, nisi libertati plenè restituti fuerint. Bona. *de Cẽsur. disp. 7. q. 4. p. 4. n.* 2. Belletus *de Discipl. Cleric.* §. 14. Si verò ordinentur scienter, & non cõtradicente Domino, statim fiũt liberi: si verò nesciente, vel contradicente Domino, & sciente Ordinante, tunc Ordinarius tenetur Domino restituere duos seruos aequè bonos. *cap. Si seruus absente.* Si verò ipso ignorante, sed contradicente Domino, ad Ordines minores promotus fuerit, ipse dabit Domino suo pro se Vicarium. *cap. Miramur de seruis non ordinãdis*; vel pretium, si potest, si ad Presbyteratum ascenderit, in eodem namque Ordine permanebit, multatus pretii ammissione, si sciens se seruum, passus est ordinari. *cap. Ex antiquis*; quòd si peculium non habeat, seruiet Domino in Diuinis tãtum officijs. *cap. Frequenter* 54. *dist. cap. Nullus de seruis non ordinandis.* Henriq. *in Sum. lib. 14. cap.* 8. §. 7.

3 Habentes officium in Curia ordinari nõ possunt. *cap. Praecipimus 34. dist.* Sylueſt. *verb. Ordo 4. quaest.* 2. Maiol. *de Irregular. lib. 2. cap.* 5. Toletus *in Summ. lib. 1. cap. 60. num.* 2. Henriq. *cap. 5.* §. 5. Quod intelligendum est de Curialibus, qui exercent officium criminale; & qui quomodocumque cooperantur in causa sanguinis; Item non possunt ordinari obligati ad ratiocinia ob administrationem publicam. Reginald. *lib. 20. num.* 65. Bonacin. *de Censuris disp. 7. quaest. 2. p. 5. num.* 2. Bellet. *de Discipl. Cleric. paragr.* 11. & alij. Item obligati ad reddenda ratiocinia ob administrationem personarum saecularium, non possunt promoueri ad Ordines, si fuerint citati ad reddendam rationem ante sententiam datam.

4 Qui habent defectus corporis, non possunt ordinari, vel etiam imminuti. *cap. Illiteratus 36. dist. cap. Non confidat, vbi Praeposit.* Geminus, & Turre-cremat. 50. *dist.* Cou. *in Clem. Si furiosus p.* 1. Ij autem sunt, qui membro aliquo carent, vel debiles aliqua corporis parte sint, vel infirmi; Vnde qui caret pollice, aut indice, censetur irregularis ad ordinationem, si habuerit manum mutilatam. *cap. Expofuisti 6. de corpore vitiatis*; vel aridam, ità vt ad exercitium Ordinũ non sit apta. Henriq. *lib. 14. cap.* 8. §. 4. Vel perpetuò tremulam; ità vt sit periculum effusionis sãguinis, vel si ità claudus sit, vt nõ possit accedere ad Altare sine baculo. *cap. Nullus Episcopus.* Maiol. *lib. 1. de irregularitate cap. 18. num.* 2. Henriq. *in Sum. lib 14. cap.* 8. §. 1. Syluest. *verb. Corpore vitiatus num.* 5. Monoculus non potest ordinari. *cap. Si Euangelica 55. dist.* & multò minus Coecus potest fieri Clericus. *cap. Huic* 58 *dist.* 49. *dist.* Habens maculam in oculo, quae nõ inducat deformitatem, neque scandalum pariat in populo, non excluditur à Clericatu, sicut nec etiam ab Episcopatu. *cap. Cum de tua.* Seraphin. *decis. 625. num.* 3. Syluest. *verb. Corpore vitiatus*; quòd etiam dicendum est de gibboso. Syluest. *num.* 5. Sayrus *lib. 6. cap.* 8. *num.* 4. Item si quis habeat os ita corrosum, ac contortum, vt deformitatem generet. Campanil. *cap. 17. nu.* 86., vel si nasum grandem, vel tortum detineat, ita vt deformitatem generet; quòd autem dicatur modicum vitium, vel deformitas, arbitrio Episcopi remittitur iudicanda. Nauar. *in Manual. cap. 27. num.* 200. Angelus *verb. Corpore vitiatus num.* 5. Sylueſt. *eod. verbo num.* 2.

5 Item non potest ordinari, qui laborat morbo caduco, vel si leprosus fuerit; ità vt generet deformitatem; & si est promotus, ad celebrandum permitti non debet; secùs verò, si non esset magna deformitas. *cap. 3. de Corpore vitiatis. cap. De Rectoribus. cap. Tua de Clerico aegrotante.*

6 Non excluditur ab Ordinibus qui habet membra superflua, vt si haberet sex digitos in pede, &c. dummodò non sit impedimentum ad vsum membri, seu non inducat nimiam deformitatem. Syluest. *Verbo Corpore vitiatus nu.* 4. praecipuè quando huiusmodi vitia sunt occulta, & nulla est deformitas, neque debilitas, neque scãdalum. *Toletus in Sum. lib. 1. cap. 58. num.* 2.

7 Qui se castrauerunt, aut permiserunt se castrari, non possunt ordinari. *cap. Si quis abscidit.*

abscidit. cap. Si quis pro egritudine 55. dist. & cap. Ex parte 1. de Corpore vitiatis: etiamsi hoc fecerit ob bonum finem. cap. Significauit, & cap. Si quis pro agritudine. Cou. lib. 1. var. resol. cap. 3. num. 8. Si quis ob infirmitatem, &c. fuerit castratus, potest esse Clericus, & in Ordinibus susceptus ministrare. cap. Si quis à Medicis. cap. Si quis pro agritudine. Henriq. lib. 14. cap. 8. §. 1.

8 Obsessi à Dæmone nō possunt fieri Clerici, quamuis liberati, cap. Maritum, cap. Communiter, & ibi Gloss. & Doctores communitèr.

9 Illegitimi non possunt fieri Clerici, cap. Presbyterum, Campanil. in diuersorio canonico rub. 11. cap 13.

10 Ordinandi, vel debent habere beneficium, vel pensionem, vel patrimonium, vndè commodè viuant, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 21. de reformat. cap. 2. Patrimonij quantitas, & examen remittitur ad Episcopum: quod patrimonium non potest capi in executionem ob illata vulnera alicui ad reficiendas curationis expensas, ex Concil. cap. 2. sess. 21.

11 Ordinantes aliquem cum huiusmodi defectibus, præter mortale peccatum, suspēsi sunt ipso iure à collatione ordinum, vt habetur in vt in cap. Denunciamus, & cap. Ex pœnitentibus, nisi in casibus, in quibus Episcopi possunt dispensare.

12 In collatione ordinum debent seruari interstitia, non solum in maioribus, sed etiam in minoribus ordinibus suscipiendis; ità vt qui suscepit vltimum minorum, debeat expectare per annum, donèc ad sacros ordines promoueatur, nisi fortè Episcopus illum dispensauerit. Maiol. cap. 24. num. 13. Nauar. de temp. ordinand. conclus. 27. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 5. casu 64. & alij. Verùm interstitia non sunt mathematicè consideranda, sed moralitèr, & iuxtà ritum Ecclesiæ, videlicèt ab vna Quadragesima ad aliam, à Pentecoste ad Pentecosten, quamuis inter vnam Pentecosten, & alteram non sint elapsi duodecim menses; Ità Quaranta verbo Ordo.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 Prima Tonsura quouis die conferri potest, &c.
2 Subdiaconatus, Diaconatus, &c. quo tempore debeant conferri.
3 Die Dominica Episcopus debet ordinari.
4 Duo sacri ordines eodē die conferri non possunt, &c.
5 Est suspensus, qui ante legitimam ætatem, & extrà tempora facit se ordinari.
† Item qui ab excommunicato, deposito, &c. ordinatur.
6 Sacramentum Ordinis duplicem habet effectum.
† Primus est gratia habitualis.
7 Secundus est character.
8 Ordines sacri iure Ecclesiastico habent cælibatum annexum, &c.
9 Obligatio continentiæ oritur immediatè ex voto.
10 Actus venereus exterior triplicem habet malitiam.
11 Post Sacerdotium apud Græcos coniugia non fuerunt valida, &c.
12 Quibusdam locis permissum est Diaconis vxores ducere. ...

1 Prima Tonsura quouis die potest conferri, sicut ex communi docet Henriq. lib. 10. cap. 12. num. 2. Vasquez disput. 246. cap. 5. Ordines vero minores, quouis die Dominico conferri possunt, aut festo, dummodò multi non ordinentur, ut videatur esse ordinatio generalis, cap. De eo autem: licet consuetudo sit in multis locis, vt ordines minores conferantur vesperè feriæ VI. quasi hæc sit inchoata quædam generalis ordinatio in Sabbato facienda.

2 Ad Subdiaconatum, Diaconatum, &c. iure communi prohibitum est aliquem ordinari extrà Quatuor Tempora, & duo Sabbata, vnum ante Dominicam Passionis, & alterum ante Dominicam Resurrectionis Christi. Ità habetur in cap. De eo, cap. vltimo dist. 75. in Tridentino sess. 23. cap. 8. Regulares verò, qui habent priuilegium ordinandi, extrà tempora possunt ordinari.

3 Pro ordinatione Episcopi Dominica dies assignata est ex antiqua traditione, & cōsuetudine Ecclesiæ, vt docet Leo, epistola 19. ad Dioscherum.

4 Duo sacri ordines eadem die conferri non possunt, non obstantibus priuilegijs, quæ vel Regularibus, vel alijs concessa sunt; ità in cap. Dilectus de temp. ordinat. & ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 13. Est tamē permissum Episcopo, vt ob rationabilem causam, v.g. ob infirmitatem, multitudinē ordinandorum, &c. collationem ordinum in Sabbato faciendam ad Dominicam sequentem differre possit, modo eo vsque continuetur naturale, & exactum ieiunium, vt Sabbati, & Dominici Matutini quasi vnus dies reputetur; vt colligitur ex cap. Litteras, & ità Syluester verbo Ordo 2. num. 6. Henriq. lib. 10. cap. 11. num. 2. Suarez disput. 31. sect. 1. num. 41. Prohibitum est tamen Episcopo, ne eidem, quem in Sabbato inter Diaconos v.g. ordinauit, manè sequentis Dominicæ Presbyteratum conferat.

5 Qui extrà tempora à iure statuta, seu ante legitimam ætatem facit se ordinari ad sacros ordines, est ipso iure suspensus ab exercitio ordinum, & vltrà alias pœnas à iure inflictas, beneficijs Ecclesiasticis iure priuari potest. Item conferens ordines sacros extrà tempora est suspendendus à collatione ordinum, cap. Sané, cap. Litteras, & cap. Dilectus. Item sunt suspensi, qui ab excommunicato deposito suspenso, & interdicto, siue hæretico, ad ordines promouentur. Innocent. in cap. fraternitatis num. 3. de hæreticis. Hostiens. in sum. tit. de temp. ordinand.

† Item qui sunt ordinati ab Episcopo schysmatico: Item ordinati, Sede Episcopali vacante, cum litteris dimissorijs Capituli, siuè Vicarij generalis Capitularis extra casum necessitatis, sunt suspensi. Concilium Tridenti. sess. 7. cap. 10. & sess. 23. cap. 10. de reform. Simoniacè vero promoti, non solum sunt suspensi. Hostien. in sum. tit. de temp. ordinand. & cap. Si quis à simoniacis, Nauar. in man. cap. 23. num. 111. sed etiam incidunt in pœnas bis- ti V.

ti V., quam quoad simoniacè ordinatos in suo robore remanere voluit Clemens VIII. *in sua constit. 40.*

6 Sacramentum Ordinis duplicem habet effectum: Primus est cōferre gratiam, quæ duplex est, vna habitualis, siuè iustificans, augendo ipsam ex opere operato, & altera propria, qua dignè suscipitur ordo; ità D. Thomas *in supplement. 3. par. quæst. 35. art. 1.* Syluius *ibidem*, Bonac. *de ordine par. 6. num. 3.* Filliuc. *tract. 9. cap. 3. num. 52. & 53.* Ratio, quia cùm opera Dei sint perfectissima; ideò nūquàm alicui Deus aliquod munus cōfert, quin etiam illi tribuat media necessaria ad

† tale munus rectè exercēdum. Sicut igitur in Baptismo datur gratia ad reliqua Sacramenta dignè recipienda; ità in ordinatione datur gratia iustificans, qua sanctè, & religiosè eadem Sacramenta possint administrari.

7 Secundus effectus ordinis est character, qui imprimitur tàm in maioribus, quàm in minoribus Ordinibus, & confertur cum materia, & forma completur in singulis: & ità communitèr DD. Ratio est, quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur suprà plebem in aliquo gradu potestatis ordinatę ad Sacramentorum dispensationem: deindè omnes Ordines semèl suscepti perpetuò manent, & nunquàm reiterantur, vt docent communitèr Doctores.

8 Proprium est sacrorum Ordinum, vt cęlibatum Ecclesiastico iure adiunctum habeant, ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 9.*, cuius hæc sunt verba. *Si quis dixerit, Clericos in sacris constitutos, vel regulares solemniter castitatem professos posse contrahere matrimonium cōtractū, quia validū est, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, Anathema sit*; quibus verbis colligitur, prędictorū cęlibatum non à Iure Diuino, sed ab Ecclesia ortū habuisse; & ità D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. art. 11.* Bellarm. *lib. 1. de Cleric. cap. 18. & 19.* Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 27.* Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 11. num. 1.* & alij.

9 Obligatio continentiæ immediatè oritur, ex proprio voto, quod secundùm legem Ecclesiæ, ipso facto, seù susceptione sacri Ordinis emittere debent: si verò accidat, aliquem non vouere, seù ob ignorantiam, seù ob malitiam, nihilominùs per Ecclesiasticam legem; ad continentiam cōpelletur, adeò vt ad matrimonium contrahendum inhabilis existat; & in hoc casu talis non ex proprio voto, sed immediatè ex lege Ecclesiastica; ad seruandam continentiam obligabitur, quæ etiam inuitos constringere, & ignorantes ad aliquem actum inhabiles reddere potest.

10 Actus venereus exterior sacris initiati, qui certè implicitè vouit castitatem, est triplex peccatum, nempè vnum luxuriæ contrà castitatem, aliud sacrilegij contrà Religionem, ex qua obligat votū, & aliud contrà legem Ecclesiasticam id prohibentē, intuitu reuerentiæ statui Ecclesiastico debitæ.

11 Nec licita, nec valida apud Græcos fuisse coniugia post Sacerdotium susceptum, & id semper in omnibus Ecclesijs Catholicis, etiam Orientalibus, obseruatum fuit; & ideò probabile, est Sacerdotem, Iure Diuino prohiberi à nouo matrimonio contrahendo: Ratio est, quia licèt id Euāgelio non exprimatur, tamen videtur seruatum à tempore Apostolorum, quod indicat Christi ordinationem, quamuis Pōtifex, auctoritate Christi, ex graui causa, possit cum vno, & alio Sacerdote dispensare, vt vxorem ducat. Bellarm. *lib. 1. de Clericis cap. 18.* Maior. *in 4. dist. 24. quæst. 2.* Cou. *de matrim. par. 2. cap. 6. §. 3.* Azor. *par. 1. lib. 13. cap. 14. quæst. 7.* Hurtad. *lib. 10. cap. 14. num. 5.* & alij.

12 Quibusdam locis permissum fuit Diaconis vxores ducere, si in susceptione Ordinis continentiam nō promiserant, vt colligi videtur ex Concilio Ancyrano *cap. 10.* De Subdiaconis verò *ex lib. 1. epistolarum D. Gregor. epist. 42. ad Petrum Diaconum*, & Græci nùnc temporis vxorem ducunt; quando sunt Diaconi, si verò facti Sacerdotes, vxor moriatur, non possunt ampliùs vxorem ducere.

PARAG. VII.
Textus Sacrorum Canonum.
De temp. ordinat.

SVMMARIVM.

1 *Subdiaconus, &c. nullus præter Papam, potest dare, &c.*

† *Consuetudo non valet, quòd Ordines sacri extrà tempora conferantur.*

2 *Ordines minores diebus Dominicis conferri possunt, &c.*

3 *Criminosus occultus promoueri non potest.*

4 *Religiosus sine licentia, &c. ordinari non debet.*

† *Metropolitanus ab omnibus Suffraganeis consecrari debet, &c.*

5 *Ordinatus extrà tempora est suspensus.*

† *Monachus transiens ad aliam Religionem ritè ordinatur.*

6 *Clericus Latinus sine licentia ordinatus ritu Græcò, interdicitur.*

† *Ordinatus à Papa à nullo alio potest ordinari, &c.*

7 *Ordines duo sacri non possunt conferri eadem vno die, &c.*

† *Ordinans puerum ante legitimam ætatem est suspensus, &c.*

8 *Episcopus conferens eadem vna die plures sacros Ordines, suspenditur.*

9 *Episcopus, quando dispenset cum eo, qui suscepit Ordines extrà tempora.*

1 SVbdiaconus nullus præter Papam, potest dare diebus Dominicis, licet possit consecrare, & conferre Ordines minores diebus Dominicis, *ex cap. Subdiaconos 1. de tēp. ordinat.* Item nulli licèt sacros Ordines in Sabbato Pētecostes, sed in sequēti hebdo-

† mada cōferre, *ex eod. cap.* Cōsuetudo nō valet, quòd sacri Ordines extra tempora conferantur, *ex cap. Sanè 2.*

2 Ordines minores conferri possunt diebus Dominicis, & alijs festiuis diebus: sacri verò conferri debent in quatuor temporibus, vel Sabbato sancto, vel Sabbato de Passione, *ex cap. de eo 3.*

3 Cle-

3 Clericus, qui commisit crimen occultum, quod si esset manifestum, degradaretur ab ordine suscepto, peracta parte pœnitentiæ, potest ministrare in suscepto, & debet admoneri, nè ad superiores Ordines ascendat, vel si velit ordinari, non potest prohiberi, cùm crimen sit occultum, *ex cap. Ex tenore* 4.

4 Regularis, sine licentia sui Superioris ordinari non debet, *ex cap. Ad aures* 5. Metropolitanus ab omnibus Suffraganeis cōsecrari debet in sua Cathedrali: Episcopus verò de consensu omnium à tribus eligendis à Metropolitano, præsentibus omnibus, consecrari debet, *ex cap. Archiepiscopus* 6.

5 Ordinatus extrà tempora punitur suspensione, donèc Papa cum illo dispēset, & Ordinans punitur pœna Canonica, *ex cap. Cùm quidam* 8. Græci à Latinis, & Latini à Græcis non ordinātur, *ex cap. Cum secundū* 9.

† Monachus ex vna Religione transiens ad aliam, si in secunda sumit Ordines, & reuertitur ad primam, potest administrare in susceptis, *cap. Ex parte* 10.

6 Clericus Latinus, si ordinetur ab Episcopo, Græco ritu, sine licentia sui Ordinarij, interdicitur ab executione suscepti Ordinis; si cum licentia Ordinarij, quamdiù talis mos ab Ecclesia toleratur, non est impediendus, seù Ordinarius culpandus,

† *ex cap Quòad translationem* 11. Ordinatus à Papa à nullo potest ad Superiores Ordines promoueri, *ex cap. Cùm in distribuendis* 12.

7 Duo sacri Ordines eidem vno die, vel duobus immediatè, cōtinuato ieiunio, dari non possunt, quia ex fictione iuris habentur pro vno die; & sic ordinatus suspenditur ab executione Ordinum collatorum; & ordinans, à beneficio Ordinis,

† donèc Papa dispenset, *ex cap. Litteris* 13. Ordinans puerum ante ætatem, suspenditur à collatione Ordinū, & ordinatus ab executione Ordinis, donèc perueniat ad legitimam ætatem, *ex cap. Vel non est compos* 14.

8 Episcopus conferens eidem vno die plures sacros Ordines, etiam de mādato Metropolitani, suspenditur à collatione Ordinum, donèc Papa dispenset, *ex cap. Dilectus* 15. Ordinibus sacris initiatus extrà tēpora à iure statuta Ordinem recipit, & post pœnitentiam, cum eo dispensat Episcopus *ex cap. Quæsitum* 17.

P A R A G. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Episcopi Italiæ non ordinant Ultramontanos.*

2 *Ordinans scientèr Clericum alienū, est suspensus, &c.*

3 *Episcopus originis, &c. potest concedere dimissorias.*

† *Officiales Episcopi non.*

4 *Episcopus, quando possit dare primam Tonsuram infanti.*

† *Aut coniugato.*

1 EPiscopi Italiæ non ordinant Vltramontanos, nisi de licentia Papæ, vel cum litteris dimissorialibus sui Ordinarij, si secùs fuerit factum, ordinans punitur pœna condigna, & ordinatus manebit suspensus, à qua neque à Pœnitentiarijs Papæ potest absolui absque illius licentia, *ex cap. Sæpè 1. de temp. ordinat. in 6.*

2 Ordinantes scientèr Clericum alienum, per annum à collatione Ordinum suspendūtur, & ordinatus incidit in pœnā iuris, *ex cap. Eos, qui de temp. &c. in 6.*

3 Episcopus originis domicilij, beneficij,

† dimissorias concedere potest, & Officiales Episcopi non possunt huiusmodi dispensationes dare, sed tantùm ij, qui habent administrationem spiritualem. Prælati Religiosi possunt ordinari ab Ordinarijs locorum, in quibus habitant, licèt non sint oriundi, *ex cap. Cùm nullus* 3.

4 Episcopus primam Tonsuram non det infanti, nisi Religionem ingrediatur; nec illiterato; nec homini alterius Diœcesis

† absque sui Prælati licentia; nec coniugato, nisi velit ingredi Religionem, aut sacris velit promoueri: si secùs fiat, Episcopus est suspensus per annum à collatione Tōsuræ, *ex cap. Nullus* 4.

P A R A G R. V.

Textus Sacrorum Canonū.

De Ordinatis ab Episcopo, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Episcopus, qui renunciauit loco, potest conferre Ordines.*

† *Si verò renunciauit loco, & Dignitati, potest minores conferre.*

2 *Episcopus potest dispensare cum suis subditis, qui ignoranter susceperunt Ordinem ab Excommunicato.*

1 EPiscopus, qui renunciauit loco tantū, potest inuitatus ab alio Ordinario conferre Ordines; si verò renunciauit loco, & Dignitati, & contulit tantùm minores, sic Ordinatus potest exercere minores; & potest accipere maiores, quia minores conferuntur aliquando à non Episcopo: si cōtulit maiores, tunc Ordinatus, qui scienter ab illo Ordines Sacros recepit, est suspensus; qui ignoranter potest ab Episcopo dispensari; modò ignorantia non sit crassa, & supina. *ex cap. Requisiuit. 1. de Ordinatis ab Episcopo, &c.*

2 Episcopus potest dispensare cum suis subditis, qui ignoranter receperunt Ordines ab Episcopo excommunicato. *cap. Cùm Clericis* 2.

P A R A G. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Prælati, si ex aliqua causa ad Sacros Ordines promoueri non possunt, amittunt Prælaturas.*

2 *Ecclesia dispensatiuè minori concessa, per Laicos regi non potest.*

† *Ecclesiæ Regimen minori quatuordecim annorum committi non debet.*

3 *Qui debeant institui ad regimen Ecclesiæ.*

† *Constitutus in Minoribus, potest eligi ad Parochiam, &c.*

4 *Cleri-*

4 *Clerici compelluntur aliquando Ordines non annexos beneficijs, recipere.*
5 *Medicus peritus, &c. non impeditur ad Ordines premoueri ob mortalitatem infirmi.*
6 *Persistens in anno in suspensione priuatur beneficio, quod priùs habebat, &c.*
7 *Potest eligi Abbas in minoribus constitutus, &c.*
† *Abbates, &c. possunt Ordines conferre.*
8 *Canonicus Regularis si fiat Monachus in alio Monasterio, & deindè reuertatur ad suum, potest creari Abbas.*
9 *Ordinatus ad Sacros Ordines sine titulo, potest ab Ordinatore petere beneficium.*
10 *Qui debent assumi ad Beneficia.*
11 *Scientiæ defectus deijcit promotum.*

1 ABbates, Decani, Præpositi, & Archipresbyteri fieri debent Sacerdotes: Archidiaconi verò fiant Diaconi; & si nequeunt fieri, etiam iusta causa prohibente, amittunt Prælaturam. *Ex cap. Vt Abbates 1. de etate, & qualitate, &c.*

2 Ecclesia dispensatiuè minori concessa, non per Laicos, sed per Clericos, debet regi, donec ille perueniat ad ætatem. *Ex cap. Ex ratione.* 2. Personatus Ecclesiæ nemini intrà decimumquartum annum constituto concedendus est, & si quis contrafacere præsumpserit, irritabitur factum, & punietur inobedientia. *Ex cap. In Decorem* 3.

3 Non est instituendus ad regimen Ecclesiæ, nisi quis scientia, moribus, ætate polleat; & qui habet duas Ecclesias, alteram dimittere debet, nisi sint ità tenues, vt proprios Sacerdotes non possint conuenienter sustentare. *Ex cap. Eam te* 4. Cōstitutus in minoribus potest eligi ad regimē Parochialis, Ecclesiæ dispēsatiuè ramē, si aliàs sit idoneus, & talis, vt infrà breue tempus ordinari possit in Presbyterum. *Ex cap. Præterea* 5.

4 Clerici, vbi habent beneficia propter necessitatem, & vtilitatem Ecclesiæ, compelli possunt recipere Ordines illis non annexos, omni appellatione proposita. *Ex cap. Queris à nobis* 6.

5 Medicus peritus sollicitus, & regulas artis obseruans, non impeditur promoueri propter euentum mortalitatis infirmi; tenetur tamen recedere, si ipsum cōscientia remordeat. *Ex cap. Ad aures* 7.

6 Qui per triennium contumaciter permanet in suspensione, priuatur beneficio, quod priùs habebat, & quod interim acquisiuit. *Ex cap. Cum bona memoria* 8. Subdiaconus in Episcopum eligi potest. *Ex cap. A multis* 9.

7 Monachus in minoribus cōstitutus, potest eligi dispensatiuè in Abbatem, quando alius non reperitur idoneus. *Ex cap. Tuam in Domino* 10. Abbates benedicti, & Presbyteri, possunt Ordinem Clericalem conferre. *Ex cap. Cum contingat.* 11.

8 Canonicus Regularis si fiat Monachus in alio Monasterio, & deindè reuertatur ad suam Canoniam, si fiat Prælatus, licitè tenere poterit Prælaturam. *Ex cap. Intelleximus* 12.

9 Ordinatus ad Sacros Ordines sine titulo, potest ab Ordinatore iustè petere, vt ei prouideat de beneficio. *Ex cap. Accepimus* 13

10 Episcopus non debet in Presbyterū ordinare rudem, & ignorantem, nec ipsum debet eligere ad beneficia; & si secùs fiat, Ordinati, & Ordinantes debent grauiter puniri. *Ex cap. Cum sit ars artium* 14.

11 Episcopus iam promotus ob defectum scientiæ amouetur ab executione Pontificalium, & administratione Ecclesiæ. *Ex cap. Quamuis* 15.

PARAG. VII.

Textus Sacrorum Canonum.
De Seruis non Ordinandis.

SVMMARIVM.

1 *Seruus ante manumissionem ordinari non debet.*
† *Seruus fraude ordinatus deponitur, & Domino restituitur.*
2 *Seruus ab Ecclesia manumissus, ordinari potest.*
† *Dominus in Seruo, quem manumittit, potest spirituales operas retinere.*
3 *Spurij, & Serui ordinari non debent.*
† *Seruus ab Ecclesia manumissus, vt vni Ecclesiæ seruiat, non potest ad aliam transire.*
† *Ius, quod est de seruo facto Diacono, est etiam de Subdiacono.*
† *Natus ex patre seruo, & libera matre, potest ordinari.*
4 *Obligatus ratiocinijs, quando possit ordinari.*
5 *Presbyter, qui in duello, &c. partem digiti amisit, potest ab Episcopo dispensari.*
6 *Macula in oculo quando inducat irregularitatem.*
† *Castratus ex iusta causa potest ad Ordines promoueri.*
† *Non autem qui ex indignatione se castrauit.*
† *Vel consensit in castratione.*
7 *Sacerdos, qui sine causa, virilia fecit sibi abscindi, &c. potest dispensari ab Episcopo.*
† *Si ex iusta causa, non est irregularis.*
8 *Mutilatus manu, si promotus fuerit in Albatem, est deponendus.*
† *Carens vngula, quando possit ad Sacerdotium promoueri.*

1 SEruus ante plenam manumissionem ordinari non debet. *cap. Instruendi* 1. *de Seruis non ordinandis.* Seruus sine licentia Domini ordinatus deponitur, & Domino restituitur. *Ex cap. De Seruorum* 2. *de Seruis, &c.*

2 Seruus ab Ecclesia manumissus ordinari potest; & quidquid acquirit post suum obitum, erit Ecclesiæ manu mittentis, quā si accusauerit, vel contrà eam testificatur, priuatur gradu honoris, & iterum fit seruus. *Ex cap. De famulis* 3. Seruus manumissus à Domino, & ordinatus, si non vult, in superbiam elatus, recitare Horas Canonicas Domino suo, Episcopus talem accusatum potest degradare. *Ex cap. Nullus* 4.

3 Spurij, & serui ordinari non debent. *Ex cap. Consuluit* 5. Seruus Ecclesiæ manumissus ab ea, vt fiat Clericus, & ipsi Ecclesiæ perpetuò seruiat in Diuinis, non potest ad aliam Ecclesiam transire; secùs si pu-
re

rè fuerit manu missus. *Ex cap. Eo libentius 6.* Ius, quod est de seruo facto Diacono, & de facto Subdiacono debet intelligi, *ex cap. Mirantur 7.* Filius natus ex seruo, & libera potest ordinari, *ex cap. Dilectus 8.*

4 Obligatus ad ratiocinia non potest ordinari, nisi post onus Curæ depositum, & reddita ratiocinia, *ex cap. Magnus 3. de obligat. ad ratiocinia, &c.*

5 Presbyter, qui duellum obtulit, vel oblatum acceptauit, si in duello partem digiti amisit ex dispensatione sui Episcopi in ordine ministrare potest, dummodò id sine scandalo facere possit, *ex cap. De Presbytero 1. de corpore vitiat. ordinat.*

6 Maculam habens in oculo, quæ non inducit magnam deformitatem, nec parit scandalum in populo, non est irregularis, *ex cap. Cùm de sua 2.* Sectus in cunabulis, vel ex iusta causa virilia sibi amputare faciens, potest licitè ad Ordines promoueri, *ex cap. Ex parte 1.3.*, non potest tamen fieri Clericus, qui ex indignatione se castrauit, *cap. Illiteratos*, cùm nemini liceat sæuire in corpus suum, & nemo sit dominus eorum membrorum, Leg. *lib. homo*, neque ij, qui se castrauerunt, seù permiserunt spontè se castrari, possunt esse Clerici, *cap. Si absciderit, & cap. Si quis pro ægritudine 55. dist.* Qui verò casu digitum sibi abscidit, dum aliquid faceret, potest nihilominùs fieri Clericus, modò possit sine scandalo ministrare, & absque deformitate.

7 Sacerdos, qui sine causa virilia fecit sibi abscindi, credens indè mereri, dispensatione Episcopi pręter Altaris ministerium officium suum poterit exercere, *ex cap. Significauit 4. de corpore, &c.* Sacerdos, qui ex iusta causa, fecit sibi amputare virilia, potest vt priùs Sacerdotale officium exercere, *ex cap. Ex parte 2.5.*

8 Murilatus manu, si promotus fuerit in Abbatem, est amouendus, quia non potest in sacris ordinari, *ex cap. Expositus 6.* Vngula pollicis carens licitè promoueri potest ad sacerdotium, dummodò ad frangendam hostiam sit in pollice potens, *ex cap. Thomas 7.*

P A R A G. VIII.

S V M M A R I V M.

5 *Bigami, &c. non possunt ordinari.*
2 *Bigamum ordinans est priuandus officio, & ordinatus in sacris est priuandus.*
† *Papa potest cum bigamo dispensare.*
3 *Bigamus, vxore viuente, vel mortua, non potest ordinari.*
† *Bigamiæ pœna quando incurratur.*
4 *Bigamus non censetur, qui contraxit cum virgine ab alio non cognita, licèt primò desponsata.*
† *Bigamus non est, qui habet plures concubinas.*
5 *Subdiaconus, qui cum vidua contraxit, quia matrimonium est nullum, non est verè bigamus.*

1 Bigami pœnitentes, & mariti repudiatarum non possunt ordinari, *ex cap. Vt bigami 1. de bigamis non ordinandis.* Bigamus nō potest aptè significare vnionem Christi cum Ecclesia vnica sua sponsa, Pœnitentes solenniter non possunt ordinari, etiam solenni peracta pœnitentia, quia infamię nota laborare dicuntur. Alterius *de censuris tom. 2. disput. 16. de suspens. cap. 1.* Campanil. *in diuersor. iur. can. rubr. 11. c. 21. n. 1.* Potest tamen Episcopus cum eis dispensare ad ordines minores, Syluest. *verb. Pœnitentia num. 3.* Campanil. *cap. 21. num. 7.* Alter. *loco citat.* & alij.

2 Bigamum ordinans est priuandus officio, & potestate conferendi talem ordinem; ordinatus verò in sacris est priuandus, & cum eo non dispensatur, *ex cap. Super eo 2. de bigamis, &c.*

† Papa potest cum bigamo dispensare in qualibet specie bigamiæ, & ità communiter Doctores; Episcopus in bigamia vera, vel interpretatiua potest dispensare ad minores Ordines, & beneficium simplex; Ità Toletus *in summa lib. 1. cap. 26. num. 8.* Bellet. *tit. de discipl. Clericali §. 6. n. 51.* alij. Circà verò bigamiam verisimilitudinariam conceditur Episcopo dispensandi facultas: si Clericus cum vna, & virgine contraxerit; Ità colligitur ex Textu *in cap. Sacerdotes de Cleric. coniugat.* Secùs verò si cum vidua, vel corrupta, aut duplex iniit matrimonium; Ità Nauar. *cap. 27. num. 197.* Couar. *par. 1. §. 2. num. 2.* Sanchez *lib. 7. disput. 86. num. 20.* & alij.

3 Bigamus, vxore viuente, vel mortua non potest ordinari, & ordinatus non potest celebrare, *ex cap. de bigamis 3.* Bigamiæ pœnam incurrit, qui, mortua vxore, promotus ad sacros Ordines cum secunda de facto contraxit, & cognouit, & sic non potest vlterius ordinari, vel ordinem susceptum exercere, *ex cap. Nupèr 4.* Ratio, quia efficitur infamis.

4 Bigamus non censetur, qui contraxit cum virgine, licèt cum alio primo fuerit dispēsata, sed nō carnalitèr cognita, *ex cap. Debitum 5.* Ratio, quia non adest defectus Sacramenti cum carnem suā nō diuiserit, commiscendo se cum pluribus. Bigamus non est Sacerdos, qui habet plures concubinas, *ex cap. Quia verò 6.*

5 Subdiaconus, qui cum vidua contraxit, & eam cognouit, licèt bigamus non sit, quia matrimonium est nullum, tamen reputatur bigamus propter affectum intentionis cum opere subsecuto, *ex cap. A nobis 7.*

P A R A G. IX.

Textus Sacrorum Canonum.

De Clericis Peregrinis.

S V M M A R I V M.

1 *Clerici peregrini vltra-marini, quando possint ordinari.*
2 *Clericum, qui non habet dimissorias, licèt iuret se ordinatum, non potest promoueri.*
3 *Peregrinus, de cuius ordinatione non constat, non permittitur celebrare in publico.*
4 *Prælatus inferior sine Diœcesani consensu in Ecclesia sua peregrinum sustinere non potest.*

1 CLerici peregrini vltra-marini, qui habent litteras ordinationum, sed incerta sunt sigilla, an sint Episcoporum, vel non, ordinationem suam probare debent per quinque Episcoporum sigilla, *ex cap. Tua nos 1. de Clericis peregr.*

2 Clericus peregrinus, qui non habet dimissorias, & iurat se esse ordinatum, non permittitur Ordines exercere, nec alios suscipere, *ex cap. Inter quatuor 2.*

3 Peregrinus ignotus, de cuius ordinatione non constat, non permittitur celebrare in publico, sed in secreto potest, & ex deuotione, *ex cap. Tua fraternitatis 3.*

4 Prælatus inferior non potest sine Diœcesani licentia in Ecclesia sua Clericos nõ Diœcesanos instituere, & si instituat, Episcopus potest illos remouere, *ex cap. Te nobis 4.*

TITVLVS XLIV.

De Regularibus, & Monachis.

SVMMARIVM.

1 *Ordines Religiosorum habuerunt suam originem à Christo.*
2 *Viuentes sub Regula dicuntur Regulares.*
† *Regularium plures sunt ordines.*
† *Sanctus Basilius est Patriarcha Monachorum Orientalium.*
3 *Sanctus Benedictus descripsit regulam pro Monachis Occidentalibus.*
† *Sub qua militant plures Congregationes, & ordines militum.*
4 *Sanctus Augustinus descripsit regulam, &c.*
† *Sub qua militant plures Congregationes, & Ordines militum.*
5 *Sub regula S. Francisci militant etiam diuersæ Religiones.*
6 *Ordo Carthusiensium fundatus fuit à Sancto Brunone.*
7 *Ordo Carmelitarum connumeratur inter Mendicantes.*
† *A quibus originem duxerunt.*
8 *Ordo Minimorum fundatus fuit à Sancto Francisco de Paula.*
9 *A quibus sit fundata Congregatio Theatinorum.*
10 *Societas Iesu fundata fuit à Sancto Ignatio de Loyola.*
† *Cuius tres sunt ordines.*
11 *Congregatio Clericorum ministrantium infirmis, à quo habuerit exordium.*
12 *Ordines Religiosorum tendunt ad vnum finem.*
13 *Duo sunt genera Religiosorum.*
14 *Qui sint non mendicantes.*

1 ORdines Religiosorum habuerunt suã originem à Christo, qui inter cætera documenta ad salutẽ necessaria hoc quoque proposuit in illis verbis Math. 10. Lucæ 11. *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in Cœlo,* quibus verbis, vt refert August. Normam Religionis nobis tradidit, & temporibus Apost. propagare cœpit tale Institutum. Vndè in actibus Apostolorũ legitur, *Omnium credentium erat cor vnum, & anima vna, & propterea nihil proprium possidebant, sed erant illis omnia communia, &c.* adeò vt omnes simùl quasi in vno Cœnobio viuentes, religiosam vitam ducerent. Item in Ecclesia Alexandrina sub Diuo Marco fuerunt Monachi, vt refert Cassiodorus *lib. 1. de institut. Monach.*, & Mirand. *in man. Prælatorum tom. 1. quæst. 3. art. 4.* Deindè successu temporis D. Basilius pro Monachis Orientalibus Regulam descripsit; S. Augustinus in Africa, D. Benedictus pro Monachis Occidentalibus, &c.

2 Monachi viuentes sub Regula dicuntur Regulares à rectitudine viuendi, cui incumbere debent, & quia certæ Regulę addicti sunt. Abbas *in rubr. de regularibus*. Ho-
† rum autem Regularium plures sunt Ordi-
† nes, in Oriente præcipuè est Ordo S. Basilij, qui dicitur Pater, & Patriarcha Monachorum Orientalium, qui Monachi D. Basilij etiam in Italia, & in Hispania plura habuerunt Monasteria.

3 In Occidente S. Benedictus vocatur Patriarcha, & Pater Monachorum, qui descripsit regulam pro Monachis Occidẽtalibus, à S. Gregorio Magno laudatam, &
† comprobatam. Militant sub ista regula plures Cõgregationes Monachorum, quę licèt omnes conueniant in seruanda regula Sancti Patris, habent tamen constitutiones, & statuta distincta, & diuersa: Militant etiam sub regula Sancti Patris Benedicti plures ordines Religiosorum militarium in Italia, in Hispania, &c.

4 Tertia regula est S. Augustini, sub qua militãt plures Cõgregationes Canonicorum Regulariũ, & diuersæ Congregationes Fratrũ, qui vulgò dicũtur Heremitarum S. Augustini. Militat etiã sub regula
† S. Augustini Ordo Prędicatorum à S. Dominico institutus, & plures etiam alij ordines, qui regulam S. Augustini amplexi sunt, vt ordo S. Pauli primi Heremitæ B. Mariæ de Mercede, &c., sub qua regula sunt etiam plura statuta militaria.

5 Quarta regula est S. Francisci de Assisio, sub qua militãt etiam diuersæ Religiones eiusdem Sancti Patris, Conuentuales, de Obseruantia, Reformati, Capuccini, & Fratres tertij Ordinis, vulgo, dicti de Pœnitentia.

6 Ordo Carthusiensium institutus est à S. Brunone: arctissimum institutum vitæ sectantur; perpetuo à carnibus abstinent, etiam in infirmitate, silentium perpetuum seruant.

7 Sunt etiam inter Mendicantes Carmelitæ, qui gloriãtur originem ducere ab Elia Propheta, licèt alij dicant nõ ab Elia originem traxisse, sed post receptam Hierosolymam, Gothifredo Duce, quosdam viros religiosæ, ac solitariæ vitæ exemplo Eliæ secessisse in Montem Carmelum, & ibi hereniticam vitam egisse, & extruxisse
† Sacellum in honorem Beatę Virginis, quibus deindè Almericus regulam dedit ex regula D. Basilij depromptam; quibus postea D. Albertus breuitèr regulam scripsit, qui posteà ob Barbarorum sæuitiem, omnes in Italiã commigrarunt, indè per An-

gliam,

gliam, Galliam, & Hispaniam propagati sunt, & demùm sub Honorio IV. stabilitus, & confirmatus fuit Ordo.

8 Ordo Minimorum S. Francisci de Paula fuit institutus à S. Francisco de Paula: habet hic Ordo regulam propriam: emittũt eius professores quartum votum de abstinentia Quadragesimali.

9 Congregatio Clericorum Regularium, qui vocantur Theatini, habuit suam originem à Petro Caraffa, Illustri Domino Neapolitano, qui renunciato Episcopatu, cum tribus alijs nobilissimis viris, voto solenni emisso obseruãdi tria vota, ante Altare Principis Apostolorum in Vrbe Romana initium dedit Congregationi Theatinorum, licèt etiam vocati fuerint ob Paulum III. Paulini.

10 Congregatio Clericorum Regularium Societatis Iesu instituta fuit à S. Ignatio Loyola, & approbata à Paulo III., licèt in principio approbationis fuerit approbata cum aliqua limitatione ad certum numerum, quæ limitatio posteà ab eodem Pontifice fuit sublata, in qua Congrega- † tione tres sunt Ordines: Primus, scholasticorum emittentium post biennium à die susceptionis habitus, vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ: Secundus Ordo est Coadiutorum spiritualium, & temporalium, quorum primi exercitium est circà proximos in spiritualibus, nimirùm in audiendis confessionibus, ministrãdis Sacramentis, &c., exercitium verò tẽporalium est circà temporalia Collegij, vel Domus professæ: Tertius Ordo est professorum, quorum etiam duplex genus est: Primum profitetur simpliciter tria vota; alij addunt obedientiam Summo Pontifici in missionibus, & in istis ità est Religio Societatis Iesu propriè. Domus professæ huius familiæ nõ possũt habere redditus, & bona stabilia, excepto vno loco recreationis, in quo senes, & ægroti possint conualescere.

11 Congregatio Clericorum ministrãtium infirmis ortum habuit à Patre Camillo de Bellis Sacerdote Neapolitano, deindè fuit approbata à Sixto V., anno primo sui Pontificatus. Sunt etiam plures aliæ Congregationes.

12 Quamuis omnes Regulæ, & Ordines Religiosorum diuersitatem aliquam tũ institutis, & habitu ostendant; tamen tendunt ad vnum finem, veluti Riuuli ad alueum tendunt, omnes namque eamdem fidem Catholicam profitentur, eumdem Deum colunt, quamuis vnusquisque ambulet secundùm proprium donum, quod habet à Deo.

13 Duo sunt genera Religiosorum; Mendicantium, & non Mendicantium: Ordinum verò non Mendicantium quatuor sunt Congregationes, videlicet Congregatio Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, vt declarauit Pius V *in sua constitutione 44. quæ incipit Romanus Pontifex sub dat. 1. Octobris 1568.*. Appellantur Mendicantes, quia non licet eis habere proprium, & nõ solùm ex eo, quod simplicitèr mendicent.

14 Non Mendicantes sunt cæteri, prætèr nominatos; sicuti Monachi, & similes, qui paritèr vota substãtialia Religionis emittunt, & ad Ordines promouentur, *cap. Per plures 19. qu. 1.* Appellantur Monachi à solitudine: Sub nomine Monachorum in materia odiosa non veniunt Mendicantes, nec alij Regulares: Regula Monachorum censetur arctior, regula aliorum Religiosorum, &c., & ità *cap. Mandamus*, ibi DD. sed de origine Religionum meliùs infrà, cum de Religionibus in particulari.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Nomine status Religiosi quid intelligatur.*
† *Requisita ad essentiam Religionis.*
2 *Requiritur etiam traditio, &c.*
† *Status Religionis debet liberè assumi.*
3 *Ætas requisita ad Religionem.*
4 *Ad Nouitiatum essentialiter quid requiratur.*
5 *Nouitiatus in Monasterio deputato, debet fieri.*
6 *Annus Nouitiatus, qualis debeat esse.*
† *Quibus modis interrumpatur.*
7 *Ad recipiendum aliquem ad Religionem requiritur licentia.*

1 NOmine status Religiosi intelligitur modus viuendi in communi emissis tribus votis substantialibus Religionis, & ideò S. Thomas *2. 2. quæst. 186.* definit Religionem, dicens, Religio est virtus, per quã homo ad Dei seruitium, & cultum aliquid exhibet. Vndè ad essentiam Religionis requiritur obseruantia trium votorum in Religione approbata: Ità S. Thomas *loco citato.* Suar. *tom. 3. de religione lib. 2. cap. 2 num. 3* & alij communitèr, & vt dictum est, debent vota emitti in Religione approbata, & acceptata tamquam vera Religio: Ratio, quia sine dicta approbatione non potest dari status spiritualis suprà communem statum fidelium; ac proinde peculiari modò à Christo debet descendere: Requiritur, quòd vota emissa sint perpetua, quia Religio est status immobilis; immobilitas supponit perpetuitatem obligationis, saltem ex parte suscipientis obligationem.

2 Requiritur etiam ad statum Religionis, vt homo se tradat Deo, & Deus per Ecclesiam, huiusmodi traditionem acceptet: Traditio autem constat in isto, quòd homo se tradat Deo ad illi seruiendum, &c., & sicut homo se obligat ad seruiendum Deo, & Religioni per professionem, ità etiam Religio per se reciprocè obligatur Religioso ad ipsum tamquàm membrum suum, alendum, conseruandum, &c., iuxtà institutum. Nauar. *lib. 3. consil. de regularibus consil. 5. num. 17.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 25. num. 12.*, & Canonistæ *in cap. Ad Apostolicam de regular.*, Et cum detur reciproca obligatio inter Religionem, & Religiosum, † idcircò Religio non potest emittere Religiosum, nec Religiosus potest à Religione recedere: debet tamen iste status liberè sumi: Ratio, quia talis assumptio est contra-

ctus humanus, qui sine consensu non perficitur.

3 Ætas requisita ad istum statum, nempè ad Nouitiatum, est in masculis saltem 14. annorum, & in puellis duodecim, quia ætate minores ad Nouitiatum admitti nō possunt, licèt habitum suscipere valeant. Sanchez *lib.5.in Decalog cap.4.num.22.*, & alij. Annus nouitiatus necessarius est ante professionem, vt qui vult profiteri statum Religionis, austeritatem regulæ, & Religionis probet, seque prudentèr, ac maturè deliberet, num illa ratio viuendi illi conueniat.

4 De ratione essentiali Nouitiatus requiritur primò, quòd sit in loco particulari deputato ad instruendos Nouitios, iuxtà Decretum Clementis VIII. Secūdò, quòd annus Nouitiatus debeat durare per annum integrum continuum, & non interpolatum, ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 15. de regular.*, & validus est annus Nouitiatus, etiamsi Nouitius ægrotet per totum annum. Sanchez *loco citato num.* 2. Rodriq. *tom. 3. quæst. 15. art. 10.*: Ratio, quia de tali Nouitio verè dici potest, quòd per annum mansit in Nouitiatu; an prosit Nouitiatus ad professionem, si Nouitius, eo completo, egrediatur, & posteà redeat profitendi causa, quidam affirmant; & ità Rodriq. *tom. 3. quæst. 25. art. 10.* Syluest. *verbo Religio quæst.* 4. Angel. *verbo Nouitius num. 25.* Sanchez *lib. 5. in Decalogum cap. 4. num. 34.*, alij verò negant, vt Suarez *tom. 3. de religione lib. 5. cap.* 18. *num.* 8. & alij: Ratio affirmantium est, quia non requiritur, quòd professio continuetur cum Nouitiatu; tùm etiam, quia Nouitius per integrum annum expertus est difficultates Religionis, quòd maximè requiritur ad Nouitiatum; & ità plures apud Sāchez *loco citato*. Non suffragatur Nouitiatus peractus in vna Religione transeunti ad aliā, etiamsi transiens sit professus in prima Religione; Ità Nauar. *lib. 3. consil. de regular. cons. 49 n. 4.* Em. Sà *verbo Religio num. 35.* Azor. *par. 1. lib. 12. cap. 14. quæst. 15.*: Ratio, quia idoneus iudicatus ad vnam, non censetur idoneus iudicatus ad aliam, & idcircò requiritur, quòd Nouitius à Patribus illius Ordinis iudicetur, in quo vult profiteri, an ad eorum Institutum sit idoneus, & sic videtur in praxi.

5 Nouitiatus debet fieri in Monasterio deputato, sub pœna nullitatis professionis, ità ex Decreto Clementis VIII. *de reformatione regular.* : quòd si Monasterium deputatum ad Nouitiatum transferatur in alium locum, valet Nouitiatus in ea factus: Ratio, quia formalitèr perseuerat idem Monasterium. Pelizzarius *tract. 2. cap. 2. num. 29.*, sicut etiam valet si Nouitius finito Nouitiatus anno, recedat à Monasterio deputato, deindè redeat profitendi causa, cum re vera iuxtà Concilium, & Decretum Clemētis VIII. fecerit per annum integrum probationem; Ità Naldus *verbo professio num. 1.* & alij.

6 Annus Nouitiatus incipit à die, & hora suscepti habitus, & per consequens computandus est de momento ad momētū: Interrūpitur autē Nouitiatus per professionem ante expletum tempus factam, & per dimissionem habitus animo mutandi statum: non interrumpitur Nouitiatus, † si dimissio habitus non fuerit omninò cōsūmata, vt si Nouitius, dimisso habitu Religionis, se abscondit animo fugiendi, qui posteà inuentus à Superiore blanditijs illectus, reassumit habitū animo perseuerādi in Religione. Peyrin. *de privileg. quæst. 3. cap. 1. nu. 100.*, nisi tamen aliter ex constitutionibus sancitum sit Religionis.

7 Ad recipiendum aliquem ad Religionem, requiritur licentia illius Prælati, siuè Generalis, siuè Prouincialis, siuè Superioris localis, ad quos ex Decreto Concilij Clementis VIII., & ex regula, & constitutionibus spectat, & cum consultatione, & consensu eorum, ad quos spectat de iure consulere, & consentire in receptione Nouitij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Impedimenta, quæ impediunt susceptionem habitus.*

2 *Quando matrimoniū fuit voluntariè consummatum, non potest alter coniugum Religionem ingredi, nisi de consensu alterius.*

3 *Necessitas Patris, &c. impedit Religionis ingressum.*

4 *Obligati ad ratiocinia non possunt Religionem ingredi.*

† *Item nec senes, infirmi, illiterati, &c.*

5 *Qui sunt in aliqua dignitate Ecclesiastica, &c. non possunt Religionem ingredi sine licentia Papæ.*

6 *Grauati ære alieno non possunt Religionem ingredi.*

† *Quando professus vnius Religionis possit ad aliam transire.*

7 *Mendicantibus non licet sine licentia Papæ transire ad statum Monachalem.*

† *Benedictini, & Cistercienses non possunt transire ad Carthusiam.*

8 *Minores Obseruantiæ non possunt transire ad Minimos.*

† *Nec Minimi ad aliam Religionem.*

9 *Quam pœnam incurrant transeuntes de vna Religione ad aliam sine licentia, &c.*

† *Amittit omnia bona collàta in suum Monasterium.*

10 *Nouitius discedens à Religione recuperat omnia sua bona collata Monasterio intuitu Religionis.*

1 PLura sunt impedimenta, quæ impediūt susceptionem habitus: Primum est defectus ætatis, de quo fuit dictum: Secundum est seruilis conditio; seruus enim sine consensu Domini sui non potest ingredi Religionem, *cap. Si seruus sciente, cap. Generalis 554. dist.* Syluest. *in sum. verbo Religio 1. quæst. 3.* Azor. *par. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 3.*: Tertium, est matrimonij ligamen, qui enim contraxit matrimonium, non potest ingredi Religionem, nisi de consensu alterius: quod si matrimonium sit solummodò ratum, & non consummatū, non solùm in priori bimestri, sed etiam quoadusque consummetur: Ratio, quia pro priori bimestri est priuilegium, quod vterque coniux habeat spatium duorum mensium ad deliberandum

dum, de ingressu Religionis, si quæ non teneatur pro eo tempore reddere debitū alteri coniugi petenti, & eo elapso potest adhùc ingredi Religionem, non consummato matrimonio. Ità Bonacin. *de matrimonio quæst. 3 par. 4. num. 4.* Quod si alter coniux cogatur per metum vim, &c. reddere debitum, adhùc potest ingredi Religionē, & profiteri, cùm æquum non sit, vt ob alterius culpam patiatur damnum Reginal. *lib. 31. num. 39.* Lezana *tom. 1. cap. 3. nu. 3.* Sanch. *lib. 2. de matrimon. disp. 22. n. 6.* & alij. licèt alij alitèr sentiant, quorum fundamētum est, quòd iura dicant absolutè, consummato matrimonio, non esse licitum coniugibus, altero inuito, transire ad Religionem.

2 Si matrimonium fuerit voluntariè consummatū, non potest alter coniugum trāsire ad Religionem, nisi adsit consensus alterius coniugis; altero in sæculo permanente, dummodò concurrunt hæ conditiones: Prima, vt coniux remanens in sæculo sit prouectæ ætatis, ita vt de ipso, vel ob ætatem, vel ob valetudinem suspicari non possit periculum incontinentiæ: Secunda, vt manens in sæculo emittat votum continentiæ: Tertia, consensus Episcopi, non ad validitatem professionis, sed solùm de necessitate præcepti obligantis sub mortali, cùm agatur de re graui: & vterque Coniux potest de communi consensu ingredi Religionem, & in ea profiteri, dummodò statim, & eodem tempore simùl ingrediantur, &c. licèt illud, statim, non sit accipiendum physicè, sed moralitèr tantùm, ita vt non detur magna distātia inter ingressum vnius, & ingressum alterius, & inter professionem vnius, & professionem alterius.

3 Quartum impedimentum est paterna subuentio, vt quando filius tenetur subuenire patri in necessitate posito, qui non habet aliundè, vndè se alat; Ità S. Thomas *2. 2. quæst 101. art 4.* Suarez *tom. 4. de religione lib. 5. cap. 5. num. 11.* Layman *lib 4. tract. 5. cap. 4. num. 2.* & alij: Ratio, quia præceptum de adiuuando patre, maius est consilio ingrediēdi Religionem: sic etiam parentes, qui habent filios indigentes, qui adhùc sunt sub cura parentum, non possunt ingredi Religionem, nisi sufficientèr prouideant illis de necessarijs; secùs verò si filij sint emancipati, & non ampliùs sub cura parentum, quia per emancipationem est finita obligatio parentum alendi filios.

4 Non possunt admitti ad ingressum Religionis obligati ad ratiocinia, siuè publica, siuè priuata, vt Tutor, Curator, &c.: Item non possunt regularitèr admitti senes, aut infirmi, qui non possint seruare regulam, nec Illiterati, neque qui carent vsu rationis, si amentia sit perpetua, cùm talis sit ineptus ad professionem. Qui contraxerunt sponsalia, & illegitimi possunt admitti ad Religionem, nisi alitèr lege municipali Religionis sit sancitum.

5 Qui sunt in aliqua dignitate Ecclesiastica, v.g. in Episcopatu, vel in gradu altiori, non possunt ingredi Religionem, nisi de licentia Summi Pontificis, *cap. Licèt de regularibus*, Suarez *de religione tom. 3. lib. 1. cap. 20. num. 4.* Sanchez *in præcepta Decalogi tom. 1 lib. 4. cap. 25. num 36.* Azor. *par. 1. lib. 11 cap. 16. quæst. 1*: Ratio, quia talis transitus est descensus à statu perfectorum ad statum perficiendorum, qui fieri non potest sine licentia Papæ.

6 Grauati ære alieno non possunt transire ad Religionem, vndè donèc soluerint, non possunt fieri Religiosi, aut nisi remissionem obtinuerint, ex constitutione Sixti V. Religiosus vnius Ordinis non potest trāsire ad alium, nisi sit strictioris obseruantiæ, & petita licentia: Ratio, quia sicut vinculum matrimonij carnalis impedit transitum ad Religionem; ità spirituale vinculum professionis in aliqua Religione impedit transitum ad aliam, cùm nō sit ampliùs liber, sed alligatus: Quòd si Religiosus petita licentia transeundi ad strictiorem Religionem, Prælatus eam non dederit, poterit tùnc ad strictiorem transire, etiam ea non obtenta; Ità *cap. Statuimus 19. quæst. 3 cap. Licèt de regularibus*; Ità S. Thomas *2. 2. quæst. 89. art. 2.* S. Antonin. *3. par. tit. 16. cap 14.* Nauar. *comment. 4. de regular. num. 10.* Azor. *par. 1. lib. 12. cap. 14.* & alij communitèr; etiamsi Religio obtinuerit priuilegium. Religiosi possunt transire ad aliam Religionem. Nauar. *consil. 52. num. 1.* Azor. *par. 1. lib. 12. cap. 14. quæst. 4.* Reginald. *lib. 18. num. 412.*, nisi priuilegium inhibeat transitum absque licentia Prælati obtenta, quia tùnc licentia erit necessaria. Em. Rodriq. *tom. 1. quæst 31. art. 12.* Miranda *tom 1. quæst. 31. art. 12.*

7 Non licet Mendicantibus transire sine licentia Papæ ad Religionem Monachalē, excepta Carthusia. Ità ex constitutione Martini V. *Extrauagant Cum ambitiosè de regul.* vbi talem transitū prohibet sub pœna excommunicationis latæ sententię Papæ reseruatæ, quam incurrunt tàm recipientes, quàm recepti; Ità Hieron. Rodriq *in cōpendio quæst. regul. resolut. 123. num. 70.* Miranda *quæst 31. art. 8.* & alij. Monachi Benedictini, & Cistercienses, ex priuilegio, non possunt transire ad Carthusiā sine consensu Capituli generalis, aut Præsidentis, &c., nec etiam auctoritate Apostolica, nisi in litteris expressè fiat mentio de persona, & Religione, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, contrà recipientes, & intrà triduum non restituentes. Ità ex priuilegio Eugenij IV.

8 Minores de Obseruantia ad Minimos transire non possunt, nisi de licentia Papę: Minimis est etiam prohibitum transire ad aliam Religionem, ex Leone X.

9 Qui de vna Religione ad aliam transierit sine licentia Papæ, incidit in excommunicationē Martini V. *Cum ambitiosè*, Sixti IV., Innocentij IV., Benedicti XII., & transiens sine licentia, amittit omnia bona collata in suum Monasterium; sed si licentia habita esset, bona transferenda sūt, si Monasterium bonorum esset capax, & hoc intelligitur in vsufructu tantùm, quia Monasterium primum retinet pro-

prietatem cum fructibus post mortem Monachi transeuntis, *cap. Statuimus de regularibus, cap. Cognouimus 16. quæst. 6. cap. Si quis rapuerit 17. quæst. 1.* & ibi Doctores.

10 Nouitius verò ante professionem discedens è Religione, recuperat omnia sua bona Religioni collata, contemplatione Religionis, & hoc dicendum est in casu, quod professio non teneret; Itá *in cap. Quod à te de Clerico coningat.*

TITVLVS XLV.

De renunciatione, quæ debet fieri à Nouitijs ante professionem.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio quid sit.*
† *Intrà quod tempus facienda.*
2 *Nomine renunciationis quid intelligatur.*
† *Quæ in ipsa comprehendantur.*
3 *Non potest Nouitius renunciare beneficio Ecclesiastico, &c.*
4 *Potest renunciare proprijs bonis cum conditione, &c.*
5 *Ad renunciationem requiritur licentia, &c.*
† *Quæ delegabilis est.*
† *Quis possit eam concedere.*
6 *Renunciatio est valida, si dilata possessione, etiam ipsa differatur.*
† *Quando incipiat habere suam vim.*
† *Vt sortiatur suum effectum, quid requiratur.*
7 *Renunciatio est irreuocabilis.*
† *Quando possit reuocari.*
† *Facta Monasterio, &c. non potest reuocari.*

1 R_Enunciatio est cessio propriorum bonorum temporalium in fauorem tertij, quã Nouitius tenetur facere intrà duos menses ante professionem cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij: quæ non intelligitur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, ità vt ante professionem nulli acquiratur ius. Forma faciendi renunciationem statuitur à Concilio Tridentino *sess. 25. de regularibus cap. 16.*, his verbis. *Nulla quoque renunciatio, & obligatio anteà facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siuè eius Vicarij: Fiat intrà duos menses proximos ante professionem, aut non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.*

2 Nomine renũciationis intelligũtur omnes contractus lucratiui; ità Em. Rodriq. *in Sum. tom. 2. cap. 7. num. 4.* Bartholomæus à Sãcto Fausto *in Thesauro Religios. lib. 5. quæst. 179.* Comprehenduntur etiam donationes inter viuos. Nauar. *consil. 84.* Menoch. *de arbitr. casu 436. num. 8.* Molina *de iust. tract. 2. disp. 139.* Item renunciationes bonorum temporalium publicorum, si fiant statim quatenùs transferantur in fauorem eius, in cuius commodum factæ sunt: Item contractus, quo Nouitius liberat Tutorem, vel Curatorem à reddenda ratione, non potest fieri sine præscripta solennitate. Nauar. *consil. 83. de Regularibus.* Non comprehenduntur eleemosynæ per Nouitios factæ, dummodò sint modicæ, consideratis facultatibus ipsius Nouitij. Nicol. Garzias *p. 11. cap. 9. nu. 17.* Azor. *p. 1. lib 13. cap. 9. quæst. 2.* Sanchez *in moralibus lib. 7 cap 5. num 22.* & alij. Nec comprehenduntur donationes Deo, & Beatæ Virgini factæ Fr. Em. *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 47. art. 5.* Sanchez *cap. 5. num. 28.* & alij. Item non comprehenduntur renunciationes, seu donationes factæ ab existente adhuc in sæculo, prætextu ingressus Religionis, quia sæcularis ante habitus susceptionem, & Nouitiatus ingressum, potest etiam intuitu eius ingressus liberè disponere de suis rebus, illas renunciando, donando, &c. absque solennitate Concilij Triden. Item nec comprehenduntur testamenta, codicilli, & donationes causa mortis factæ. Nauar. *coment. 2. de Regularibus lib. 30.* Gaspar-Anton. Thesaurus *decis. 56.* Molina *disp. 139.* & alij.

3 Non potest Nouitius renunciare beneficio Ecclesiastico absque prædicta solennitate Concilij Tridentini; & ità Maiol. *de irregularitate lib. 3. cap. 6.* Azor. *p. 2 lib. 7. cap. 20. qu. 6.* Miranda *tom. 1. quæst. 13. art. 5.* & alij. Et licèt renuncietur beneficium non absolutè, sed sub conditione, si professio fiat, tamen renunciatio erit valida, cùm conditiones, quæ ex iuris præscripto insunt, rectè apponi possint in quacumque dispositione.

4 Nouitius modo præscripto potest renunciare proprijs bonis, hac conditione, quod si contingat fieri Episcopus, illa ad ipsum iterùm reuertantur: Ratio, quia talis conditio non est contrà naturam resignationis, cùm referatur ad tempus habile; ità Sanchez *cap 17. num. 26.* & alij.

5 Ad renunciationem Nouitiorum requiritur licentia Episcopi, vel eius Vicarij; nõ est tamen necesse, quòd licentia sit in scriptis; & ità Bartholomæus de Vechijs *disp. 8. num. 9. dub. 5* Bartholom. à Sancto Fausto *lib. 5. quæst. 200.* quæ potestas delegari potest: ità auctores citati: quam licentiam potest dare Episcopus confirmatus, licèt nondũ consecratus, cũ à die cõfirmationis competant illi omnia, quæ sunt iurisdictionis. Barthol. à Sancto Fausto *quæst. 194.* Barb. *alleg. 99. num. 4.* Item Archiepiscopus consecratus, licèt nondùm pallium receperit, potest dare licentiam; Item Capitulum, sede vacante, cùm succedat Episcopo in ijs, quæ sunt Iurisdictionis. Abbates, & alij Prælati habentes iurisdictionẽ quasi Episcopalem, possunt concedere licentiam, sicut etiam Vicarius generalis Episcopi, cũ sic expressè statuatur in *Concilio Tridentin.* Sbroz. *de Vicario Episcopi lib. 2. quæst. 267.* Quod etiam dicendum est de Vicarijs Abbatum, & aliorum Prælatorum habentium Iurisdictionem quasi Episcopalem. Barbos. *allegat. 99. num. 8.* Vicarius Foraneus non potest dare talem facultatem absque expressa commissione sibi facta. Fr. Bartholom. de Vechijs *disp. 8. dub. 4. num 2.* Renunciatio debet fieri intrà spatium duorum mensiũ ante professionem: Spatium autem bimestre non est accipiendum moraliter, sed

Ma-

Mathematico modo, de momento ad momentum, & secundum quod occurrit in Calendario mensis, sumendo ex mense sequenti id, quod deficit præsenti, ità communitèr Doctores.

6 Renunciatio est valida, si dilata professione, aliqua iusta causa, V. gr. ex defectu ætatis, differatur & ipsa; ità Sanchez *lib. 7. moralium cap. 5. num. 82.* & alij. Et renunciatio incipit habere suam vim à die professionis ex Decreto *Concilij Trid.*, quod ita se habet; *Ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione*; & ideò ad hoc vt renũciatio sortiatur suum effectũ; requiritur quod professio sit valida, quia verba debent intelligi cũ suo effectu. Sãch. *lib. 3. de matrim disp. 2. num. 5.* Verùm, si Nouitius, facta renuciatione, recedat ante professionem; & posteà adductus pœnitentia, reuertatur, non censetur valida; Ideòque denuò facienda est: Ratio, quia prior renunciatio corruit per egressum Religionis, nec conualescit per nouum ingressum.

7 Renunciatio est irreuocabilis; & per consequens, durãte tempore Nouitiatus, nõ potest amplius reuocari; ità Pelizarius *tract. 2. cap. 9. num. 52.* Potest reuocari ob ingratitudinem Renunciatarij, & ob alias causas, pro quibus quælibet donatio reuocari potest. Renunciatio facta Monasterio, non potest reuocari ob ingratitudinem Prælati, cùm non sit facta intuitu personarum, sed ex pietate erga Deum. Reuocatio in illis casibus, in quibus conceditur, potest fieri ante, vel etiam post professionem, cùm iura concedentia talẽ facultatem, indefinitè loquantur, nec vllũ ius exter, quo id prohibeatur Religioso iã professo; Verùm reuocatio debet fieri nomine Conuentus, & ex tacita saltem licentia Superioris. Pelizarius *loco citato quæst. 24. num. 61.*

TITVLVS XXXXVI.

De Professione Religiosa.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Professio.*
2 *Ætas requisita in Professione.*
3 *Debet fieri in manibus Superioris.*
4 *Quis consensus requiratur.*
5 *Duplex est Professio.*
6 *Tacita Professio duobus modis præsumitur facta.*
7 *Ad tacitam Professionem quæ requirantur.*
8 *Intentio requiritur ad Professionem.*
† *Defectus intentionis potest ratificari.*
9 *Inualidè professus, &c. non potest recipere Ordines, &c.*
10 *Metus cadens in constantem Virum, irritat professionem.*
11 *Metus Reuerentialis quomodo possit eam irritare.*
12 *Vis absoluta dirimit Professionem.*
13 *Professio facta ex ira, &c. est valida.*
14 *Ratificatur Professio ex defectu potestatis.*
15 *Per susceptionem Ordinis, &c. non censetur ratificata Professio.*
16 *Inualidè profitetur, qui non vult obligari ad omnia vota.*
17 *Professio inualida an possit obligare ad instar voti simplicis.*
18 *Quæ requirantur ad ratificationem.*
19 *Generalis, &c. potest impedire, ne aliquis profiteatur ipso inconsulto.*
20 *Nouitio ad Religionem recepto, liberum est etiam Religioni, ex iusta causa, ipsum dimittere.*
21 *Religiosus absque iusta causa negans suffragium, peccat.*

1 PRofessio est contractus Sacer, quo homo se tradit Deo in Religione aliqua approbata, promittendo obseruare tria Vota essentialia Religioni, nimirùm castitatem, paupertatem, & obedientiam, interueniente Prælati Regularis acceptatione, qui dictam traditionem nomine Dei, & Religionis accepter.

2 Ætas requisita ad Professionem, tàm in Viris, quàm in Mulieribus, *Ex Concil. Trid.* est sexdecim annorum expletorum: Facta ante talem ætatem, est nulla, quia irritatur à Concilio, quod requirit decimumsextũ expletum; ità vt si deficiant duæ horæ, vel perficiendum annum, Professio sit nulla: In aliquibus Religionibus, requiritur maius tempus; V. gr. 17. aut 18. anni ex Constitutionibus eorũ à Papa approbatis; Verùm valet Professio facta post decimumsextum annum, quia non datur clausula irritans aliter factum.

3 Debet Professio fieri in manibus Superioris, vel alterius de Superioris licentia. Ratio est, quia cũ repræsentet Religionẽ; potest ipse Superior, vel alius de ipsius mãdato incorporare Religioni; ità *cap. Porrectum 13. de Regular.* Azor. *p. 1. lib. 12. cap. 5. quæst. 3.* Reginal. *lib. 18. num. 385.* & alij communiter. Et licèt antiquitùs posset fieri quis Monachus, faciendo professionem in mauibus Episcopi; verùm hodie non potest ampliùs fieri. Azor. *lib. 12. cap. 5. quæst. 4.* Fr. Em. *quæst. Regular tom. 3. quæst. 17. art. 11.*

4 Ad Professionem, præter consensum Superioris, requiritur etiam consensus maioris partis Conuentus. Em. Sà. *in Summa verbo Religio num. 65.* Azor. *lib. 12. cap. 20 quæst. vltima.* Lessius *de iustitia lib. 2. cap. 41. dub. 7. nu. 61.* & alij.

5 Duplex est Professio, expressa, scilicet, & tacita: expressa est, quæ fit solenniter, & expressè ab habente legitimam ætatẽ, post annum probationis in manibus Superioris modo supradicto: Tacita verò Professio est illa, qua Nouitius expleto anno Nouitiatus perseuerat voluntariè in Religione; ità vt tacitè profiteri videatur modo infrà dicendo; & se obligat ad seruanda tria vota essentialia Religionis.

6 Tacita Professio, duobus modis præsumitur facta: Primò, quia scienter portat Habitum Professorum, saltem per triduũ; & ità *ex cap. Ad nostram de Regular.* & *cap. Constitutionem*; completa tamen ætate necessaria ad Professionem, & expleto anno probationis, quia alioquin talis gestio nõ esset signum Professionis tacitæ. Secundò, quia sponte, & scienter se ingerit actibus, qui solis professis conueniunt, qualis esset suf-

sufferre suffragium in Capitulo.

7 Vt professio tacita ex supradictis actibus inducatur, plura requiruntur; Primò, vt Habitum deferens illum susceperit de manu Superioris, vel saltem feratur de consensu Superioris, cuius est admittere ad Religionem. Secūdò, vt actus, per quos debet induci tacita Professio, sint liberi, & spontanei, & scienter illis vtatur; ità vt ijs actibus vtens, sciat, ad solos professos pertinere. Tertiò, vt vtens ijs actibus verè habeat animum profitendi, qui animus nō satis est, si negatiuè, habeatur sed requiritur quod positiuè eliciatur. Nauar. *Comment. 4. de Regularibus nu. 75.* In Religionibus verò vbi Habitus Nouitiorum non distinguuntur ab Habitu Professorum, ad tacitā professionem requiritur gestio illius per annum, expleto anno decimo sexto, *Ex Concil. Trid.* Sanchez *tom. 2. lib. 5. cap. 2. num. 31. & 33.* & alij.

8 Ad Professionē requiritur intentio profitentis, quia aliàs professio non esset vera, sed ficta; ideòque quoad Ecclesiam licèt reputaretur valida, tamen quoad Deū esset inualida, ex defectu intentionis, cùm requiratur intentio se obligandi: Potest tamen ratificari professio à profitente, dummodò sit habilis ad professionem, elicito actu intentionis absque noua acceptatione Superioris conscij de nullitate professionis, dūmodò Superior, qui priorē professionem acceptauerat, non reuocauerit consensum, vt patet in casu simili de matrimonio. Sanchez *lib. 2. de matrimonio disp. 32. num. 15.* licèt alij aliter sentiant; secùs verò dicendum, si professio fuit nulla ex defectu ætatis, &c. quia tunc requiritur denuò nouus cōsensus Superioris, & Profitentis. Ratio, quia prior consensus ex vtraque parte censetur innalidus ex eo, quòd cecidit suprà materiam illegitimā; & per consequens irritatur à Cōcilio Tridentino *sess. 25. de Regularibus cap. 19.* Non est tamen necesse quod denuò professio publicè fiat, & cùm solennitatibus cōsuetis. Azor. *part. 1. lib. 12. cap. 4. quæst. 7.* Nauar. *lib. 3. consil. de Regularibus consil. 46.* Sed satis est quod denuò coram Superiore, & testibus eliciat consensum.

9 Inualidè professus ex impedimento irritante, non potest in Religione percipere Prælaturas, Ordines, &c. si absque scandalo possit eos euitare, quia secùs potest accipere, & omnia præstare, quæ cęteri Religiosi præstant.

10 Professio, metu cadenti in constantem Virum facta, non iure naturæ, sed Ecclesiastico, est irrita. Henriq. *lib. 11. cap. 9. num. 1. & 3.* Lessius *lib. 2. cap. 40. num. 18.* Aragon. *2. 2. quæst 88. art. 3.* Requiritur tamen vt metus sit cadens in constantem Virum, quia aliter non irritat.

11 Metus Reuerentialis, absolutè consideratus, non irritat Professionē, sed si coniunctus sit cum aliqua coactione, vel cum minis, vel apprehēsione alicuius mali imminentis, &c. tunc irritat professionem. Requiritur quod minans minetur malum graue, & solitus sit exequi minas: Item si cum metu reuerentiali coniuncta sint aliqua, quæ homo à se difficilè repellere possit, vt importunitas precum, auctoritas minantis, imperia sæpiùs repetita, frequentes blanditiæ, &c. ità vt quis non audeat contradicere: grauis item offensio, aut diù duratura indignatio eorum, quorum maximè indigemus, efficere aliquando possunt metum iustum irritantem professionem.

12 Vis absoluta dirimit professionem, iuxtà Concilium Triden. *cap. 19.* ex quo colligitur, professionem vi factam esse irritam, & ad reclamandum contrà ipsam, Concilium Trident. definiuit quinquennium, vt infrà dicetur.

13 Professio est valida, etiamsi fiat ex ira, & indignatione in parentes, dummodò talis animi perturbatio non tollat iudicium, & impediat animi deliberationem. Azor. *part. 1. lib. 12. cap. 5. quæst. 8.* quia si tanta esset, vt iudicium obtenebret, & impediat deliberationem, tunc professio esset inualida: Regula ad cognoscendum an iudicium sit obtenebratum, & deliberatio impedita, est, videre an eo tempore fuerit capax ad peccandum. Ratio, quia cùm professio sit actus humanus, requirit perfectum iudicium, & deliberationem: Valet etiā professio simoniacè facta, aut ad malum, dummodò Profitens habuerit animum profitendi.

14 Ratificatur etiam professio ex defectu potestatis recipientis ad Religionem, si is Superior, ad quem spectat, ratam habet professionem factam, dummodò professus per actum contrarium non mutauerit voluntatem. Ratio, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, iuxtà *Regulam 10. de regul. iur. in 6.*

15 Non censetur ratificata professio ex eo, quòd inualidè professus accepit ad titulū Monasterij, seu ReligionisOrdinesSacros, cùm susceptio Ordinum sit res diuersa à professione.

16 Profitens Religionem, pacto quod non vult obligari ad omnia vota, inualidè profitetur. Ratio, quia tale pactum est contrà substantiam Religionis, quæ consistit in obseruantia trium votorum; Tùm etiam quia Religio non acceptat professionem taliter factam. Sanchez *lib. 5. Moralium cap. 4. num. 85.* Et ideò talis professio nullam inducit obligationem.

17 Quando professio est irrita ex defectu ætatis, vel Nouitiatus, non obligat ad instar voti simplicis, cùm talis professio ex Concil. Tridentino *sess. 25. cap. 15. de Regular.* nullam habeat vim obligandi: Si verò sit irrita ex defectu potestatis recipientis, vel ex alia causa, obligat ad instar voti simplicis; modo vouens vouerit independentèr à voto solenni. Ratio, quia actus, qui non valent, vt fiunt; valent eo meliori modo, quo valere possunt: quando verò Profitēs vouit dependētèr à voto solēni, seu à fine permanendi in Religione, tunc professio nullo modo obligat, cùm votū non

non obliget vltrà intentionem Vouentis.

18 Ad ratificationem requiritur, vt qui ratificare debet, si ad professionem esse irritam; cùm incogniti nulla sit voluntas, nec potest censeri ratificasse, aut validam voluisse facere professionem, quam ignorauit esse irritam; nec etiam sufficit professionem ratificare ex eo, quod putet, ab initio fuisse validam, quia hæc ratificatio proficiscitur ex errore. Vndè non est libera, ac proindè non inducit nouam obligationem.

19 Superior Generalis, vel Prouincialis potest ex iusta causa præcipere Superiori immediato Monasterij, ne aliquem, ipso inconsulto, ad professionem admittat sub pœna nullitatis professionis. Ratio, quia tota potestas immediati Prælati est eminenter in Superiore Generali, vel Prouinciali, tamquàm in totius Religionis capite; & per consequens, posita iusta causa, potest sibi reseruare consensum, vnà cum Conuentu præstandum ad professionem Nouitij, & efficere, vt professio aliter facta, sit irrita ex defectu consensus legitimi admittentis. Nauar. *lib. 3. consil. de Regular. consil. 6. n. 3.* Rodriq. *tom. 3. quæst. Regularium, quæst. 17. art. 7.*

20 Datis Votis, & Nouitio recepto ad Religionem, liberum etiam est Conuentui ante tamen factã professionẽ, noua emergente causa, Nouitium dimittere, vel etiã si aliqua causa vetus incognita de nouo sciatur. Ratio est, quia annus Nouitiatus datur in fauorem, tàm Nouitij, quàm Religionis. *cap. Ad Apostolicam de regimen.* Ergò quocumque tempore Nouitiatus constet Religioni, eum non esse admittendum, potest expellere.

21 Religiosus absque iusta causa negans suum suffragium Nouitio, peccat mortaliter cõtrà charitatẽ, arcẽdo dignos à Religione; tùm etiam quia Religiosi absque rationabili causa retrahentes aliquem ab ingressu Religionis, abutuntur potestate iurisdictionis sibi concessæ, ratione cuius tenentur bonum Religionis procurare, & quasi iustum iudicium ferre in causa; ità Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 3. num. 7.* Portel. *Verb. Nouitius*, & alij.

TITVLVS XXXXVII.

De effectibus Professionis Religiosæ.

SVMMARIVM.

1 *Primus effectus Professionis Religiosa.*
2 *Secundus effectus.*
3 *Tertius effectus.*
4 *Quartus effectus.*
5 *Professio tollit maculam quoad actus temporales.*
6 *Per Professionem deletur ingratitudo filij.*
7 *Dissoluuntur Sponsalia.*
8 *Vacant Beneficia Ecclesiastica, &c.*
9 *Religiosus semel Deo dicatus, non potest desinere esse Religiosus.*

1 PRimus effectus Professionis Religiosæ est totius pœnæ remissio debitę pro peccatis, quia si professio fiat in gratia, delet omnem pœnam debitam pro peccatis commissis; non autem delet culpam; & per consequens non confert primam gratiam; ità Suarez *tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 13. num. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 72.* Em. Sà *verb. Religio num. 11.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 10. num. 1.* Miranda *part. 1. quæst. 25. art. 8.* Ratio, quia per professionem homo voluntariè mundo moritur, & omninò se tradit Deo, quòad animam, & quòad corpus, in holocaustum perfectissimum, ex quo prouenit magnum meritum; & per consequens fit remissio plena omnium peccatorũ, quòad pęnas debitas Deo. S. Tho. *2. 2. quæst. 189. art. 3.* Campanil. *in Diuersorio iur. Canonici rub. 12. cap. 10. num. 1.*

2 Secũdus effectus est, quòd in professione extinguuntur omnia vota, tam realia, quàm personalia ante ipsam facta, quia mutantur in votum Religionis; & ità Textus *in cap. Scripturæ 6. de voto.* S. Tho. *2. 2. quæst. 88. art. 12.* Azor. *part. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 2.* Miranda *tom. 1. quæst. 25. art. 7.* Barthol. à Sancto Fausto *in Thesau. Relig. lib. 5. quæst. 313.* & alij. Et ideò vota dicuntur extingui per professionem per modum solutionis, cùm vouens renũciet omnibus rebus, & tradat se Deo in perpetuum; ideò plenissimè censetur satisfacere.

3 Tertius effectus est, quòd per professionem tollitur irregularitas proueniens ex defectu Natalium, sed solùm in ordine ad suscipiendos Ordines. Azor *part. 2. lib. 6. cap. 3. quæst. 10.* Auila *de Censuris part. 7. disp. 10. dub. 3.* Non tamen fit habilis ad Prælaturas Religionis, vt patet *ex cap. 1. de filijs Presbyterorũ*; & ità Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 3.* Nauar. *consil. 3. num. 2.* Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 3. quæst. 3.* Suar. *de Censuris tom. 2. disp. 50. sect. 2. num. 15.* Sayrus *de Censuris lib. 6. cap. 11. num. 3.* & alij. Et solus Papa potest dispensare cum Illegitimo in ordine ad Prælaturas. Cou. *de Sponsalibus part. 2. cap. 8. num. 4.* Tambur. *de iur. Abbatum tom. 1. disp. 5. quæst. 4. num. 7.* & alij. Nec etiam Illegitimus per professionem fit capax successionis paternæ, ita vt Monasterium succedere possit; & ità plures apud Pelizar *tract. 3. cap. 4. num. 39.*

4 Quartus effectus est, quòd filius liberatur à patria potestate, quia transit omninò in Superioris potestatem; ac proindè Patria potestas in ipsum cessabit: quod tamen intelligendum est in ijs solis, in quibus esset vtile ipsi filio liberari à patria potestate, quia secùs in ijs, in quibus inesset eius damnum.

5 Quintus effectus, professio tollit maculã quoad actus temporales. Vndè ineptus ad testificandum eo, quod periurij, aut furti damnatus est, efficitur per professionem aptus ad testimonium ferendum.

6 Sextus effectus per professionem, deletur præterita filij ingratitudo, ac proindè per illam nõ potest ampliùs à Patre exhęredari; ità per Textum *ex cap. Non liceat 19. quæst. 3.* & ità Sanchez *Mor. lib. 5. cap. 5. nu. 32.* Fr. Em. *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 77. art. 3.* Campanil. *rubr. 12. cap. 10. num. 5.*

7 Septi-

7 Septimò, per professionem dissoluuntur Sponsalia, & Matrimonium ratum antea factum: Secùs verò, si matrimonium sit consummatū. Ratio, quia per consummationem matrimonij, Coniuges sunt effecti vna caro, quæ non potest separari, nisi per mortem alterius.

8 Per professionem vacant beneficia Ecclesiastica, & pensiones, si quæ profitens habet. Sanchez *lib.7. mor.cap.22. num.2.* Ratio, quia sicut morte naturali vacant beneficia; ità etiam professione, quæ est mors ciuilis. Sanchez *loco citato nu.6.* & censentur vacare ipso iure.

9 Per professionem Religiosus semèl Deo consecratus, non potest desinere esse Religiosus; & ideò matrimonium contractū à Religioso post professionem emissam in Religione approbata, absque Summi Pontificis dispensatione, est irritum iure Canonico, eo, quòd Ecclesia sanciuerit, vt qui Religionem professi sunt, habiles ad matrimonium ampliùs non sint; & ità colligitur *ex cap. Quod votum de voto redemptione*, & ibi plures Doctores.

TITVLVS XXXXVIII.
Vinculum Professionis Religiosæ an sit indissolubile.

SVMMARIVM.

1 *Ex parte profitentis, vinculum Religionis, est indissolubile.*
2 *Item ex parte Religionis non potest dissolui.*
3 *Mutuo consensu contrahentium, non dissoluitur professio.*
4 *Pontifex potest dispensare cum Religioso, quòd pro aliquo tempore non sit Monachus.*
† *Non potest Papa Religioso dare licentiam contrahendi, vt habita prole redeat ad Monasterium.*
5 *Non dissoluitur professio ex eo, quòd professus promoueatur ad Episcopatum, &c.*
6 *In casu vrgentissimæ necessitatis, non potest Episcopus dissoluere professionem.*
7 *Papa potest dispensare cum Religioso, vt vxorem ducat.*
† *Item potest dispensare in substantia professionis, &c.*
8 *Nullus professus potest præscribere contrà professionem.*

1 EX parte profitentis, vinculum Religionis est indissolubile, & ità communitèr omnes Doctores: Ratio, quia Religiosus per suam professionem se dedit Deo, & per consequens ab ista deditione non potest ampliùs recedere, cùm sit perpetua; tùm etiam, quia sicut vinculum matrimonij consummati est indissolubile, ità etiam vinculum professionis, cum sit quoddam matrimonium spirituale.

2 Vinculū professionis, ex parte Religionis, est indissolubile quòad proprietatem, seu vinculū obligationis: Ratio, quia inter Religiosum, & Religionem in professione intercedit contractus indissolubilis, ergò sicut iste contractus ex parte Religiosi nō potest dissolui, ità nec etiam ex parte Religionis: dixi quòad proprietatē, &c. quia quòad vsum potest aliquando dissolui, cùm Religio, posita iusta causa, possit aliquem à se repellere.

3 Vinculum professionis non potest dissolui mutuo consensu contrahentium: ità communitèr Doctores: Ratio colligitur ex praxi Religionum, in quibus de mutuo consensu nunquam quis à Religione discessit: & licèt vinculum professionis accipiat suam indissolubilitatem à voluntate contrahentium, tamen mutuo consensu non potest dissolui, cùm Religiosus nō possit ampliùs retractare traditionem, nec Religio dominium acceptatum retrahere possit.

4 Pontifex potest dispēsare cum Religioso, & facere, quod pro aliquo tempore, vel ad semper, Monachus non sit Monachus, & ità de facto Papa cum pluribus Monachis, & Monialibus dispensauit; & ità Sanchez *lib.8. de matrimonio disput.8* Toletus *lib.4. cap.18. §.9.* Henriq. *lib.12. cap.5. num.7.* Valentia *2.2. disput.6. quæst.7. par.7.* Lessius *lib. 2. cap.40. n.141.* Layman *lib.4. tract.5. cap .2. n.8.* & alij quamplures; Non potest Papa Religioso dare licentiam contrahendi tali cōditione, vt habita prole, redeat ad Religionem, etiam renuente vxore: Ratio, quia matrimonij vinculum est perpetuum, & indissolubile, & per consequens, renuente vxore, non potest dissolui secùs verò dicendum erit, si vxor consenserit, dummodò vxor manens in sæculo, vel ingrediatur Religionem, vel voueat castitatem.

5 Nō dissoluitur vinculum professionis ex eo, quòd professus promoueatur ad Episcopatum, Cardinalatum, aut etiam Papatum; Ità S. Thomas *2.2. quæst.185. art. 8.* & alij communitèr: Ratio, quia status Religionis non repugnat cum enarratis statibus, idcircò assumptus ad Episcopatū, &c. debet deferre habitum Religionis: nō est tamen amplius obligatus ad obseruantiam regulæ, & constitutionem, quia in tali censetur dispensatus, ratione dignitatis Episcopalis, & ità Sanchez *lib.6. mor. cap.6. num.32.* Lessius *lib. 2. cap. 40. num.113.* Castr. Palaus *tract. 17. disput.4. par.24. num.22.*: Si verò Regularis Episcopus electus, iterùm renunciato Episcopatu, reuertatur ad Religionem, ratione dignitatis, non subijcitur ampliùs obedientiæ Prælatorum Religionis, nisi ratione alicuius voti specialis iterùm se illis subijciat, sed de hac re meliùs infrà.

6 Vinculum professionis in casu vrgentissimæ necessitatis non potest ab Episcopo dissolui: Ratio, quia Papa reseruauit sibi talem dispensationem, etiam in casu extremæ necessitatis; tùm etiam, quia nullus Episcoporum ausus fuit hactenus dispensare, quod signum est, non posse.

7 Papa potest dispensare cum Religioso ex iusta causa, vt vxorem ducat, quia potest dispensare in voto castitatis, quod contrahitur ex susceptione Ordinis sacri, & per consequens potest dispensare cum Religioso, vt contrahat matrimonium: Ratio, quia vota sunt eodem modo solennia,

nia, ergò sicut in vno potest dispensare, ità & in alio: Item Papa speculatiuè loquendo, potest dispensare in substantia professionis Religiosæ absque eo, quod dispenset in votis, v.g. commutando vota solennia in simplicia, auferendo Religiosum à potestate Religionis: practicè verò, & moralitèr loquendo, ex defectu legitimę causæ ad dispensandum requisitæ, non potest sic dispensare, cùm ad dispensandum requiratur causa, vt communitèr docent Doctores.

8 Nullus professus potest præscribere contrà professionem à se missam; ità vt ad illam non teneatur, v.g. manendo per multos annos extrà Ordinem, dimisso habitu, &c.: Ratio colligitur *ex cap. Sicut nobis de regular.* cùm votum, & professio dicant perseuerantiam vsque ad finem; vndè talis Religiosus manens in sæculo esset apostata, & tamquàm apostata deberet puniri; & ità communitèr Doctores.

TITVLVS XLIX.

De iure reclamandi, quod habent Religiosi in casu, quo prætendant inualidam professionem emisisse.

SVMMARIVM.

1 *Ius reclamandi contrà professionem conceditur in Cōcilio Tridentino.*
2 *Coram quibus debeat fieri reclamatio.*
3 *Quid sit sancitum de iure nouo, &c.*
4 *In quibus casibus Regularis possit reclamare.*
5 *Regularis, qui vult reclamare, non debet deponere habitum, &c.*
6 *Sunt plures causæ, in quibus licitum est reclamare extrà quinquennium.*
7 *Quando debeat incipere quinquennium datum ad reclamandum.*
8 *Religiosus, qui laborat perpetuo impedimento, semper potest reclamare.*
9 *Quando professio iterùm facienda est, &c. an requiratur nouus consensus.*

1 IVs ad reclamandum contrà professionem conceditur in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 19. de regularibus*, his verbis, *Quicumque Regularis, prætendat, se per vim, aut metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur nisi intrà quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non alitèr nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario: Quod si anteà habitum spontè dimiserit nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquàm apostata puniatur, interim verò nullo suæ Religionis priuilegio iuuetur, &c.*, quo iure possunt vti omnes Regulares, vt patet ex particula apposita in Decreto Concil. *Quicumque regularis*, quę importat vniuersalitatem, & ideò comprehendit omnes, etiam Ordinum militariū, & Monialium, cùm masculinum contineat & fœmininum.

2 Iuxtà Concilium Tridentinum reclamatio debet fieri coram Superiore suo, & Ordinario loci, & nomine Superioris, intelligitur Superior immediatus conuentus; nomine verò Ordinarij, Episcopus, in cuius Diœcesi Religiosus habebat domicilium, antequàm ingrederetur Religionē, vel eius Vicarius generalis: intelligitur etiam Abbas, qui habet iurisdictionem quasi Episcopalem; Capitulum, sede vacante, & eorum Vicarij; & ità Bonacin. *quæst. 2. de clausura Monialium par. 10. difficult. 3. num. 3.* licèt alij magis probabilitèr dicant, spectare ad immediatum Superiorem Religiosi, & ad Episcopum illius loci, in quo professus est reclamans; ità Barbos. *de potestate Episcopi allegat. 104. num. 12.*

3 De iure nouo, ex Decreto Sacræ Congregationis in Vrbani VIII. edicto, statuitur, ne prætendentes nullitatem professionis ex eo, quod non sit facta in loco designato, quoquo modo audiantur, neque intrà quinquennium, nisi deductis coram Sacra Cōgregatione proprijs iuribus, Vndè patet, nunc temporis non esse reclamādum, in isto casu particulari coram Superiore, &c., sed coram Sacra Congregatione: quod Decretum non habet locum in cæteris casibus, sed solùm quando quis reclamat de nullitate professionis ex eo, quod Nouitiatum fecit, aut professionem in loco non designato, iuxta Decretum Clementis VIII. quia sic reclamatio fieret ex alio titulo, debet enim fieri iuxtà Decretum Concilij Tridentini.

4 Regulares in casibus subsequentibus possunt reclamare de nullitate professionis: Primò, ex defectu consensus: Secundò, ex defectu integri Nouitiatus: Tertiò, ex defectu legitimæ ætatis: Quartò, ex defectu legitimi Prælati professionē acceptantis, vel ex alijs causis prouenientibus à iure communi, vel specialis Religionis, cum hac differentia, quod quando professio est irrita iure communi; non datur facultas reclamandi, nisi intrà quinquēnium, quod si sit irrita iure speciali, tunc potest reclamare etiam post quinquennium.

5 Regularis, qui vult reclamare, nō debet deponere habitū Religionis, ea Cōcil. Tridentino *sess. 25. cap. 19.*, quod statuit dimittentem habitum nullo modo debere audiri, nisi reassumat habitum, post cuius reassumptionem potest audiri; ità Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 64.* Diana *par. 3. tract. 2. resolut. 53.* Debet causas nullitatis coram legitimo Superiore deducere, de quo fuit dictum suprà: quæ reclamatio debet fieri intrà quinquennium à die professionis numerandum.

6 Dantur plures casus, in quibus licitum est reclamare, etiam transacto quinquennio: Primus est ignorantia nullitatis professionis emissæ, aut si fuerit aliquod impedimentum, ob quod Religiosus non potuit

tuit

tuit reclamare in quinquennio, dummodò ignorantia, & impedimentum sufficientèr probetur, quia Concilium, quod præscribit quinquennium ad reclamandum, intelligendum est, dummodò potest. Rodriq. *tom. 3. quæst. 17. art. 16.* Portell. *de dubijs regularium verbo Professio nu. 45.* Azor. *par. 1. lib. 12. cap. 4. quæst. 10.* & alij. Licet alij dicāt ad hoc, vt quis transacto quinquennio, possit audiri, obtinendum esse rescriptum esse à Papa, postulando, vt restituatur in integrum, & assignetur nouum tempus ad reclamandum, & sic videtur in praxi; verùm prior sententia est probabilis, & etiam sequenda, quia Concilium nititur præsumptione ratificationis, intrà tempus quinquennij & hæc præsumptio non habet locum, durante ignorantia, & impotentia reclamādi, & per consequens in iudicio, potest etiā in transacto quinquennio audiri, & in foro conscientiæ, cum re vera non ratificauerint professionem, & cum audientia, transacto quinquēnio, denegetur, ob præsumptionem ratificationis, cum non detur in eo, qui habuit ignorantiam nullitatis professionis, vel si de nullitate habuit scientiam, non poterit commodè reclamare.

7 Dubium est, an quinquennium datum ad reclamandū debeat incipere à die professionis, an verò à die scientiæ nullitatis professionis. Azor. *loco citato*, Syluest. *verbo Beneficium 2. num. 7.* & alij affirmant, quinquennium concessum ad reclamandum, computandum esse à die scientiæ, alij verò non à die scientiæ, sed à die professionis, sed dicendum est à die scientiæ computandum esse tempus assignatum ad petendam restitutionem in integrum.

8 Religiosus, qui laborat perpetuo impedimento irritante professionem, potest reclamare, etiam transacto quinquennio: Ratio; quia Concilium denegat audiri, transacto quinquennio, ob præsumptionē ratificationis, quæ non datur in eo, qui laborat perpetuo impedimento dirimente, cum eius præsumptus consensus non possit validare professionē inualidam ratione perpetui impedimenti irritantis ipsam. Ita Nauar. *lib. 3 consiliorum de regular. consil. 26. num. 12.* Pelizar. *tract. 3. cap. 2. sect. 2.* & cum eo plures *citat num. 46.*

9 Dubium est, an cum professio iterum facienda est, vel quādo ratificatur, requiratur nouus consensus ad ipsius valorem, tàm Religionis, quàm Religiosi. Ad quod respondeo, distinguendo, aut professio fuit nulla ex defectu irritāte solius profitentis, vel ex defectu vtriusque partis, scilicèt recipientis, & recepti; in primo casu nouus consensus Prælati non est necessarius, sed sufficit prior moralitèr permanens: Ratio, quia ille consensus fuit validus; Ita Sanchez *de matrim. disput. 37. num. 60. & 61.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 66.* Em. Sà *verbo Religio num. 23.* & alij. In secundo casu necessarius est nouus consensus vtriusque partis, vt v. g. quando annus probationis non fuit expletus; quia cum hoc impedimentum simplicitèr fuit introductum à Concilio Tridentino, consequens est per huiusmodi defectum vtriusq; partis voluntatem irritam fieri, & ideò tunc necessaria erit noua voluntas, etiam ex parte Prælati ad professionem; Ità Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 4. quæst. 7.* Sanchez *loco citato num. 63.*

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Potest Prælatus expellere eum, qui scit inualidè professum fuisse, &c.*
2 *Iudicium reclamationis potest extrà quinquennium finiri, &c.*
3 *Essentia huius iudicij, in quo consistat.*
4 *Prælatus potest dimittere eum, quem scit nullitèr professum.*
5 *Religiosus inualidè professus, quando teneatur ratificare professionem, &c.*
6 *Ad ratificandam professionem, quæ requirantur.*
7 *Peccat mortalitèr, qui reclamat contrà professionem validam.*

1 Potest Religio expellere eum, quem scit inualidè professum fuisse, si nolit ratificare professionem: Ratio, quia Religio non tenetur alere, &c., nisi eos, qui sunt validè professi, & per consequens cùm isti sint inualidè professi, aut debent ipsam ratificare, aut si nolint, Religio potest eos expellere.

2 Iudicium reclamationis inceptum in quinquennio potest extrà ipsum finiri: Ratio, quia sicut Iudex re non integra, finito officio, potest prosequi; ità in isto casu, finito quinquennio potest Iudex prosequi judicium.

3 De essentia huius Iudicij est, quod concurrant tamquàm Iudices, Ordinarius, & Superior Regularis, ideòque est nulla sententia, si feratur ab vno sine alio, vt colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 19. de reformatione.* Vndè si vnus illorum procedat, altero nolente, acta sunt nulla: Ratio; quia causa simplicitèr delegata duobus, non tenet sententia vnius.

4 Prælatus potest occultè post quinquennium dimittere eū, quē scit nullitèr professum, & professionem non ratificasse: Ratio, quia ei dando licentiam, nemini affert iniuriam, non Religioni, cùm non sit verus professus, non professo reclamanti, quia re vera constat, eum non esse professum.

5 Religiosus inualidè professus, qui transacto quiennio, non ratificauit professionem, & ei denegatur tàm audientia, quàm beneficium restitutionis in integrum, tenetur ratificare professionem, & seruare regulam, vt possit gaudere priuilegijs Religionis in foro conscientiæ non tenetur; ità Pelizar. *loco citato num. 56.* licet teneatur in foro externo.

6 Ad ratificandam professionem inualidam duo requiruntur. Primò, quod professus habeat scientiam de nullitate professionis, & quod formalitèr intēdat profiteri,

fiteri; quòd verò sit necessaria notitia de nullitate professionis, patet, quia voluntas per ratificationem non fertur in incognitum, non est tamen necessarius nouus annus probationis, cùm iam expertus sit austeritates Religionis, cuius causa fit annus Nouitiatus, & Religio sit etiam experta eius mores, & iudicauerit eum habilem, & sufficientem ad Religionem: quòd verò necesse sit, quod per ratificationem formaliter intendat profiteri: Ratio est, quia contractus accipiunt suam specificationem ab intentione agentium.

7 Peccat mortaliter, & incurrit in pœnas apostatarum reclamans contrà professionem validam: Ratio, quia sic reclamando, censetur velle apostatare à Religione.

TITVLVS L.

De obligationibus, quæ consurgunt inter Religionem, & Religiosum.

SVMMARIVM.

1 *Obligationes Religionis circà Religiosum.*
2 *Quando Superior cum periculo vitæ teneatur ministrare Sacramenta.*
3 *Religio tenetur ministrare Religiosis omnia necessaria ad victum, &c.*
4 *Item necessaria, vt possint vacare studijs, &c.*
5 *Religio tenetur redimere Religiosum captum à Turcis.*
6 *Non tenetur ex contractu inito à Religioso, &c.*
7 *Tenetur extremis necessitatibus parentum succurrere.*

1 PRima obligatio Religionis est, quòd tenetur procurare bonum, tàm spirituale, quàm temporale suorum Religiosorum: Ratio, quia Religio debet suppeditare omnia media necessaria Religiosis ad finem intentum à Religione, quia est perfectio ipsius Religiosi, & per consequens primò tenetur procurare bonum spirituale, nimirùm media spiritualia illi ministrare; deindè tenetur procurare illi bonum temporale, nimirùm ministrare illi media temporalia, tribuendo necessaria ad victum, vestitum, &c.

2 In eo casu, in quo Parochus tenetur cum periculo vitæ ministrare suis Parochianis, tenetur etiam, aut per se, aut per alium Superior Monasterij, seu Conuentus: Ratio, quia, & ipse Superior tenetur Parochus suorum Religiosorum, & per consequens tenetur sub peccato, ad quæ tenetur Parochus, & in defectu Superioris tenentur Prouinciales, sicut obligatur Episcopus deficiente Parocho, &c. Tenentur etiam Prælati procurare obseruantiam regulæ, & constitutionum à suis subditis, &c., & quidem si regula, &c. obliget ad mortale, tenentur & ipsi sub mortali; secùs verò si obligent ad obseruantiam sine peccato. Quod si aliquis Religiosus sit incorrigibilis, potest ipsum dimittere à Religione, ne totum deuastet ouile.

3 Religio tenetur ministrare Religiosis omnia necessaria ad victum, & vestitum, & potiùs abundantiùs, quàm parciùs, iuxtà dictum D. Bernardi, *Vbi non est abundantia, ibi non est obseruantia*; & ideò ex iustitia tenetur illis ministrare necessaria, cùm inter Religionem, & Religiosum sit reciprocus contractus, quo Religiosus se obligat ad inseruiendum Monasterio, Religio verò se obligat ad illum alendum, &c. Vndè Religiosus, qui suam indigentiam proposuit Superiori, iste verò noluit prouidere, aut cum maxima difficultate prouidet, potest illam occultè accipere, vel de rebus Monasterijs surripere, vt eam sibi emat, &c.: Ratio, quia Prælatus iniustè denegat, cùm teneatur ex iustitia prouidere necessaria ad victum, vestitum, &c. Petrus Nauar. *lib. 3. de restitutione cap. 1. num.* 201 Castropal. *lib. 9. cap. 16. num.* 20. & alij plures. Apostatis, & eiectis non tenetur Religio ministrare necessaria, nisi ad Religionem redeant.

4 Religio tenetur ministrare necessaria Religiosis, vt possint vacare studijs, si Religio sit ex ijs, quæ vacant studio: Ratio, quia Religio est sicut pater, qui filiis debet prouidere non modò necessaria ad victū, &c. sed etiam ad hoc, vt possint operam dare studijs; tùm quia, qui vult finem, censetur etiam velle media proportionata fini, at cum Religio intendat finem scientiæ, sequitur etiam teneri ad prouidenda media ad hoc, vt acquirant scientiam, qui est finis intentus à Religione.

5 Tenetur Religio ex charitate, & ex pietate redimere Religiosum captum à Turcis, & in seruitutem redactum, si id præstari possit, moderatis expensis; secùs verò non: Ratio primæ partis est, quia Religio se habet loco patris, qui ad id teneretur; Ratio secundæ partis est, quia pietas non obligat ad aliquid faciendum cum notabili iactura bonorum. Azor. *par. 2. lib. 2. cap. 3. quæst. 9.* & alij.

6 Religio non tenetur ex contractu inito à Religioso, nisi cedat in vtilitatem Monasterij, aut factus sit de licentia Superioris: Ratio, quia Monasterium se habet loco pupilli, aut minoris, qui non tenetur ad contractus, nisi sint in eius fauorem facti: tenetur tamen Monasterium soluere debita Religiosi existentis in vniuersitatibus, dummodò iustè, & rationabiliter fuerint facta.

7 Religio tenetur succurrere extremis necessitatibus parentum professi Religiosi, si talis indigentia præcessit professionem filij Religiosi: Ratio, quia filius, stante tali indigentia, non poterat profiteri, & Religio tenebatur ipsum dimittere; secùs verò si indigentia subsecuta sit professionem.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus tenetur tendere ad perfectionem.*
2 *Quidquid acquirit, acquirit Monasterio.*
3 *An possit acceptare eleemosynam sibi oblatam.*
4 *Quando teneatur pati sectionem alicuius membri.*
5 *Non potest sibi abbreuiare vitam.*
6 *Tenetur defendere propriam famam.*

1 Religiosus ex vi suæ professionis tenetur tendere ad perfectionem per ea opera, quæ sunt præscripta in regula, quia Religio est status hominum tendentium ad perfectionem: tenetur itē obedire Prælatis, cùm Religiosus non habeat nec velle, nec nolle, non tamen ex vi suæ professionis, vel ex iustitia tenetur se exercere in Monasterijs, quæ ei præcipiuntur à Prelato, sed solùm virtute obedientiæ: Ratio, quia ex vi suæ professionis non se obligat ex iustitia, nisi ad id, quod vouet; non vouet autem, nisi paupertatem, obediētiam, & castitatem, & per consequens, &c. Excipitur tamen casus, in quo Superior iubeat virtute Sanctæ obedientiæ, quia tunc Religiosus tenetur ex iustitia obedire.

2 Religiosus, ex vi suæ professionis, quidquid acquirit, acquirit Monasterio, & ità communitèr Doctores: Ratio, quia ratione voti paupertatis, est incapax dominij, & ideò tamquàm pauper tenetur conseruare bona Monasterij sibi ad vsum permissa, & in illis conseruādis debet vti diligentia, quam communitèr solent homines adhibere in custodiendis proprijs rebus.

3 Religiosus tenetur acceptare eleemosynam sibi factam, aut munera sibi oblata, & alitèr faciendo, peccat cōtrà charitatem. Sanchez *lib 6. de matrim. disp. 4. num. 7.* Facund. *lib. 7. Decalogi cap. 7. num. 5.* & alij: Ratio, quia recusando, priuat Monasterium ea vtilitate, quæ ei proueniret ex oblata eleemosyna.

4 Religiosus, si nolit, non tenetur pati exceptione alicuius mēbri, sub peccato mortali, nisi fortè Religiosus esset valdè necessarius Reipublicæ, & Religioni; Ità Petrus Nauar. *lib. 2. de restitut. cap. 3. num. 102.* Lessius *lib. 2. cap. 9. num. 96.*: Ratio est, quia non tenetur cum tanto dolore tueri vitam, nisi in casu excepto, quod esset valdè Vtilis Reipublicæ, & Religioni.

5 Religiosi non possunt sibi abbreuiare vitam per abstinentiam, aliasque corporis afflictiones, imò mortalitèr peccant ij, qui immoderatis abstinētijs vitam abbreuiant, & quantò magis Religiosus est vtilis Reipublicæ, & Religioni, tantò magis tenetur tueri vitam.

6 Tenētur etiam Religiosi defendere propriam famam: Primò, quia ex fama illius pendet fama Religionis: Secundò, quia magis obligatur ad ipsam defendendam, quia tenetur proximo prodesse, & non defendendo famam, ad id se facit ineptum. Vndè si fuerit infamatus, non potest condonare restitutionem famę sub pœna peccati mortalis, sine licentia Superioris ob rationes allatas.

TITVLVS LI.

De votis Religiosorum in communi.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit votum.*
2 *Quæ requirantur ad votum.*
3 *Duplex est votum.*
4 *Religiosus electus in Episcopatum tenetur seruare vota.*
5 *Religiosus peccat transgrediendo vota.*
6 *Vouens Religionem determinatam potest æquè arctam ingredi.*
7 *An debeat ingredi Religionem, quando non admittitur, nisi ad statum Laicalem.*
8 *Vota Religiosorum possunt irritari à Superiore.*

1 Votum est promissio Deo deliberatè facta de aliquo meliori bono, vndè ad votum requiruntur promissio siuè interna, siuè externa, siuè implicita, siuè explicita: requiritur etiam deliberatio, quātum sufficit ad peccatum mortale, vel virtualis, vel formalis; virtualis est, quæ fundatur in aliqua formali elicita, quæ præcessit, & adhùc perseuerat; formalis est, quæ de præsenti elicitur.

2 Ad valorem voti requiritur quod sit liberū, ea libertate, quæ sufficit ad peccādū. Vndè vota facta metu incusso à causa extrinseca ad ipsum extorquendum, sunt inualida, si metus sit cadens in constantem Virum; secùs autem sunt valida, sicut etiam si metus erit à causa intrinseca.

3 Votum Religiosum est duplex, solenne, & simplex: solenne est, quod emittūt omnes Religiosi profitendo: votum simplex, quod consistit in simplici promissione, est, quod emittunt Patres Societatis Iesu coram Superiore priuatim, &c. Solennitas voti consistit in certis ceremonijs, ac solennitatibus præsumptis. Votum simplex Religiosi non tenet, si fiat ex prauo fine, quia in isto casu non censetur de re meliori.

4 Religiosus electus Episcopus, obligatus est seruare vota essentialia Religionis, cū post assumptionē ad Episcopatum, re vera, maneat Religiosus, licèt eximatur ab obedientia Prælatorum Ordinis.

5 Religiosus, qui vouit seruare vota facta, peccat semèl ipsum transgrediendo. Ratio, quia votum seruandi vota Religiosa, nil aliud est, quam confirmare votum iam à se factum: Item Religiosus pęnitens votorum factorum, peccat mortalitèr, dummodò taliter pęniteat, vt statuat, & proponat ea non seruare; secùs verò si ita non statuat.

6 Vouens determinatam Religionem, potest æquè arctam ingredi; ità Sanchez *in Sum lib. 4. cap. 16. num. 26.* Ratio, quia potest propria auctoritate votum factum commutare in æquale: Qui verò vouit Religionem, sed non admittitur, nisi ad statum Laicalem, dubium est, an teneatur illam ingredi. Ad quod respondeo, distinguendo, aut vouens præditus est conditionibus requisitis ad Sacros Ordines, aut non? si habeat eas conditiones, non tenetur ingredi Religionem, nisi admittatur ad statum Clericalem; si verò ijs conditionibus ornatus non sit, tenetur ingredi ad quemcumque statum admittatur, nisi aliter coniiciatur de mente vouentis; ità Azor. *1. p. lib. 11. cap. 22. qu. 4.* Sotus *lib. 7. quæst. 2. art. 11.* Sanchez *cap. 16. num. 56.* & alij. Qui verò vouit

uit aliquam determinatam Religionem,& ad illam nõ fuit admissus, liber est ab obligatione voti; ità communitèr Doctores. Ratio, quia votum non obligat ad impossibile vltrà intẽtionem vouentis; Vouens autem non se obligauit ad Religionem, à qua repellitur; modò tamen non stet per ipsum vouentem, ne recipiatur, quia si per ipsum stat ne recipiatur, non est liber ab obligatione voti. Item modò passus sit repulsam simplicitèr ab ijs, ad quos pertinet admissio, quia si solùm ad determinatum tempus passus sit repulsam, tenetur eo elapso, volentibus Religiosis, ingredi Religionem; & tenetur expectare vsque ad illud tempus; ità Nauar. *cap.* 12. *num.* 4. Reginal *lib.*18.*num.*379. & 380. Valentia 2.2. *disp.*6.*quæst.*6.*p.*4. Sanchez *lib* 4.*cap.*16.*num.*52. & alij. Qui verò vouit Religionem in generali, si ad vnam non admittitur, tenetur aliam adire; alioquin non adimplet votũ: non tenetur tamen adire Monasteria extrà Prouinciam, & propriam Religionem polita, vt ab illis admittatur, nisi expresśè, vel tacitè intenderit se obligare ad illa; ità Syluest. *Verbo Religio* 2. *quæst.* 16. Aragon. 2.2.*quæst.*88. *art.*3. Valentia *disp.* 6.*quæst.*6.*p.*4. Sanchez *cap.*16. *nu.*44. & alij.

7 Omnia vota Religiosorum irritari possunt à Prælato, excepto voto arctioris Religionis; ità Angelus *Verb. Votum* 2.*num.*3. & alij apud Suarez *lib.* 6. *de Voto cap.* 7. apud Sanchez *lib.*4. *cap.*33. & apud alios, etiam si essent facta ante Religionis ingressum, quamuis non videatur necessaria irritatio, cùm omnia vota personalia essent per professionem Religionis approbatæ, nam iure communi commutantur in votum perpetuum Religionis. *cap. Sacrosanctæ de Voto,& Voti redemptione*: ità Azor. *lib.*11. *cap.*17. *quæst.*27. Syluest. *verb. Votum* 4. *quæst.*7. Clauis Regia *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 11. & alij; etiamsi Superior in Votum factum consenserit; ità Lessius *lib.*2. *cap.*40. *dub.*13. *num.* 76. Reginal. *lib.*18. *num.* 304. Nauar. *cap.*12. *num.*36. & alij. Ratio, quia Superior, præstatione cõsensus, non desijt esse Superior, nec potestatem amisit.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Vouere Religionem est opus meritorium.*
2 *Vouens strictiorem Religionem non potest ingredi Laxiorem.*
3 *Vouens aliquam Religionem non tenetur ipsam ingredi, si in ipsa non obseruantur essentialia.*
4 *Vouens Religionem non censetur se obligasse ad perseuerantiam.*
5 *Vouens Religionem, & perseuerantiam tenetur in ea profiteri.*
6 *Si ab ea dimittatur,&c. non tenetur aliam ingredi.*
7 *Contrahens matrimonium post votum emissum Religionis, non debet illud consumare,&c.*
8 *Vouens Religionem post Sponsalia, tenetur ingredi Religionem.*
9 *Votum emissum in Religione dirimit matrimonium.*

1 Vouere Religionem est opus meritorium; & qui vouit Religionem, non satisfacit voto, ingrediendo Religionem militarem, etiam Sancti Ioannis Baptistæ. Ratio, quia vouens Religionem, regularitèr intendit vouere statum hominum viuentium in communi sub Regula approbata à Sancta Ecclesia, qualis nõ est status Equitum militarium, etiam Sancti Ioannis Baptistæ; ità Sanch. *lib.*4. *moralium cap.*16.*nu.* 12., licèt plures sentiant, satisfacere voto, ingrediendo Religionem militarem Sancti Ioannis Baptistæ, quia, re vera, est Religio.

2 Vouens strictiorem Religionem, absque dispensatione non potest ingredi laxiorem. S. Thom. 2.2.*quæst. vltima art.* 8. Nauar. *cap.* 12. *num.* 48. De licentia Papæ, potest ingredi laxiorem: qui verò vouit laxiorem, satisfacit, ingrediendo strictiorem, cũ quilibet propria auctoritate possit commutare sua vota in melius, & in æquale.

3 Vouens Religionem determinatam, nõ tenetur ipsam ingredi, si in ea non obseruentur essentialia Religionis. Ratio est, quia daretur magnum periculum peruersionis, vt docet Nauar. *cap.*12.*num.*46. Reginal. *lib* 18.*num.*380. & alij.

4 Vouens Religionem, non censetur se obligasse ad perseuerantiam, modò inter vouendum, nihil de perseuerantia deliberauerit; Ideò anno probationis finito, potest egredi absque violatione voti; ità S. Thom. 2.2.*quæst.*189. *art.*4. & alij communitèr. Ratio, quia per votum non censetur renunciare fauori sibi à iure concesso, vt post experimentum anni possit eligere quod sibi magis placuerit. Regularitèr non debet recedere absque iusta causa, quia votum non fit propter susceptionem habitus Nouitiorum, sed ob statum Religionis.

5 Vouens Religionem,& perseuerantiam, in ea tenetur profiteri; & si absque iusta causa discederet, esset transgressor voti. Ratio, quia non vouit simplicitèr Religionem, sed etiam perseuerãtiam in ea; Ideòque vt satisfaciat, debet suscipere habitũ, & perseuerare: si verò, iusta causa, discedat, non violat votum. Ratio, quia votum censetur emissum sub hac tacita cõditione, nisi aliqua iusta causa interueniat, aut superueniat aliqua notabilis difficultas, &c. ità Peliz. *tract.* 4. *cap.*1. *sect.*2. *num.* 62. & alij.

6 Ingrediens Religionem ratione voti emissi; si ab ea dimittatur ob morbum, nõ tenetur alteram ingredi, nisi vouerit etiã perseuerantiam. Ratio, quia ingrediendo Religionem, satisfecit voto; & iusta causa fuit dimissus, nimirùm ob infirmitatem,&c. Dixi, nisi simùl vouerit perseuerantiam; quia ex opinione multorum, tenetur aliam ingredi, vt satisfaciat voto: est tamen probabilis opinio dicentium, nõ teneri aliam ingredi, quia vouens præsumitur, se solum voluisse obligare ad profitendum, si receptus semèl in probatione, per ipsum non steterit.

7 Qui post votum Religionis contrahit matrimonium, non debet illud consumare; & si consumet, peccat mortaliter, cùm se reddat impotentē ad ampliùs exequēdū votum. Consumato matrimonio prima vice, potest pòsteà absque scrupulo reddere, & petere debitum. Ratio, quia ob primam consumationem, executio voti facta est illi impossibilis, licèt coniux velit ingredi Religionē, cū teneatur ipsi dare facultatem, & simùl ingredi Religionem; ità Lessius *lib.2.cap.41.num* 47. Suarez *tom.2. de Religione lib.4 cap.5.* Portella *de dub. Regular. verb. Votum.* Bonacin. *de Leg. disp.4. quæst.2.p.5. §.6. nu.19.* Qui verò vouit Religionem post consumatum matrimonium, vt illud statim impleat absque consensu Vxoris, votum est irritum, cùm censeatur de re illicita: si verò vouit vt illud impleat de consensu Vxoris, valet votum non absolutè, sed sub conditione, si Vxor præstare voluerit consensum: si verò voueat, referendo votum ad tempus, quo illud poterit exequi, votum est validum, & tenetur illud implere, statim à coniugio fuerit factus liber.

8 Qui vouit Religionem post sponsalia, etiam iurata, tenetur ingredi Religionem. Ratio, quia per votum Religionis dissoluuntur sponsalia; & ità communitèr Doctores: Quòd si ingressus sit Religionem, & discesserit, non profitendo, tenetur implere sponsalia, si aliter Sponsus instet. Ratio, quia ablatum fuit impedimenrum, ob quod nō tenebatur state Sponsalibus. Qui verò post votū Religionis, corrūpit fœminā nescientem de voto, promissione futuri matrimonij, non tenetur ingredi Religionem; sed debet fœminam taliter violatam ducere. Ratio, quia ex iustitia, tenetur resarcire damnum illatum; & obligatio ex iustitia, præualet obligationi Religionis, per quam tenetur vouens exequi votum; & non est necessarium in isto casu petere dispensationem, cùm executio voti sit facta illicita.

9 Votum castitatis emissum in Religione approbata, dirimit matrimonium etiam consumatum, factum post ipsam professionem; & consequentèr Religiosus professus, inualidè contrahit matrimonium; & propositio est de fide, definita in Concilio Viēnensi. *Clem. Unica de Consanguinitate:* in Tridentino *sess.24. Can.9.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Episcopus, qui post votum Religionis, suscipit Episcopatum.*
2 *Vouens Religionem, si ab ea repellatur, an teneatur seruare castitatem.*
3 *Votum Religionis, quando implendum.*
4 *Quando quis non teneatur ad votum Religionis.*
5 *Obligatio voti cessat per notabilem mutationem, &c.*
6 *Item per commutationem, &c.*
7 *Ex voto alieno non potest quis obligari ingredi Religionem.*
8 *In quatuor casibus votum personale est per alium implendum.*

1 EPiscopus peccat mortaliter, qui post votum Religionis suscipit Episcopatū absque dispēsatione Papæ; & ità Layman. *lib.4 tract 5. cap.6. num.15.* & alij ab eo citati. licèt alij aliter sentiant, hoc ducti fundamento, quòd status Episcopalis perfectior sit statu Religionis.

2 Qui vouit Religionem, & castitatem, si repellatur à Religione, tenetur seruare castitatem, si illam principalitèr vouit cū Religione; quia secùs si vouit ipsam accessoriè cùm Religione, iuxtà regulam iuris, *Destructo principali, destruitur accessorium.*

3 Votum Religionis, quando nullum tempus est præfixum ad ipsum implēdum, debet impleri quamprimùm commodè potest moraliter: si verò præfixum sit tempus, debet impleri intra tempus præfixum, cùm votum impleri debeat iuxtà intentionem vouentis, à qua pendet tota obligatio voti; & licèt vouens non ingrediatur Religionem tempore præfixo; non tamen cessat obligatio voti, cùm præfixo temporis, non sit apposita ad finiendam obligationem; sed solùm ad illam sollicitandam, nè vltrà differatur, quòd tamen intelligendū est, nisi alitèr constet de intentione vouentis.

4 Non tenetur ad Religionem, qui quando vouit, cogitabat de statu Clericali; tamen ad Religionem non potest admitti, nisi vt Laicus. Ratio, quia votum non obligat vltrà intentionem vouentis; & hoc ipso, quòd vouens nec tacitè, nec expressè intendit ingredi Religionem tāquàm Laicus, nō debet ad id censeri obligatus; ità Lessius *lib.2.cap.41.nu.45.* Portella *de dubijs Regular. verb. Votum num.* 40. & alij.

5 Obligatio voti Religionis cessat per notabilem mutationem, quæ si fuisset præuisa, vouens non vouisset, cùm votum non obliget vltrà intentionem vouentis. Molina *tom.2 disp.272.* Nauar. *cap* 18. *num* 7. Suar. *tom.2. de Relig. lib.4. de Voto cap.19 nu.4* Henriq. *lib.11. cap.14. num.1.* Secundò, cessat votum per cessationē causæ finalis, V. gr. Si quis voueret Religionem, vt possit vacare saluti spirituali proximorum, &c. Ratio, quia cessante causa finali, deficit intentio vouentis. Tertiò, ob defectum conditionis appositæ voto, vt si quis voueat Religionem, si conualescat, vel si Pater consenserit, &c. Ratio, quia cùm obligatio voti dependeat à conditione, censetur imperfecta, & suspensa; ideòque non afficit vouentem, nisi postquàm conditio est purificata. Quartò, cessat etiam per irritationem factam à Tutore, &c. Si vouens sit impubes, vel ab alio habente potestatem dominatiuam suprà vouentem: Imò votum factum ab impubere, potest irritari ab habēte potestatem dominatiuam suprà eum, etiam post adeptam potestatem, modò votum, adepta pubertate, non confirmauerit. Ratio, quia cū primæua natura, & obligatio voti ob imperfectionem ætatis dependeat à Patre, &c., retinet semper talem imperfectionem, nisi posteà de no-

uo

uo confirmetur; ità Reginal. *lib. 18. nu. 318.* Non possunt tamen vota facta in puberrate irritari, nisi præiudicent gubernationi domus, vel iuri Patris, &c. ità Suar. *cap. 5. num. 3.* Lessius *loco citato num. 85.* Reginal. *loco citato num. 317.*

6 Cessat etiam votum per commutationẽ, quæ non est facienda, nisi de auctoritate Papæ, si sit votum simpliciter Religionis, non pœnale, aut conditionale, aut disiunctiuum, aut Religionis non approbatæ, aut de perseuerando in Religione; quia talia vota non cadunt sub reseruatione: Potest tamen Episcopus in aliquibus casibus dispensare super vota Papæ reseruata, quando adest impedimentum adeundi Papam; & necessitas sic postulet: Item in simili casu potest commutare votum Religionis ex Epicheia, qua rationabiliter præsumitur Papam non intendere reseruare sibi vota in casu magnæ necessitatis, & cum dispendio fidelium.

7 Ad ingrediendam Religionem non potest quis obligari ex voto alieno. Ratio, quia votum Religionis est personale, & non potest afficere nisi personam vouentem. Vndè filius non implens votum Religionis factum à Patre, non dicitur violator voti: Item votum parentum vouentium, seu offerentium infantes Religioni, non obligat infantes, nisi infantes illud ratificauerint, seu approbauerint. Ratio, quia in ijs, quæ pertinent ad vitæ statum quilibet est sui iuris. Suarez *lib. 4. cap. 11.* Sylvius *2. 2. quæst. 88. art. 3. quæst. 3.* Nauar. *cap. 12. num. 47.* & alij.

8 In quatuor casibus, habens votum personale, tenetur per alium implere; Primus, quando vouens intendebat expressè se obligare ad implendum per alium, casu, quo per se non posset. Secundus, quando qui vouit certus erat, nullatenùs posse per se ipsum votum implere. Tertius, quando votum eius cõditionis est, vt per alium exequi possit. Quartus, quando votum, etsi videatur personale, obligat tamen instar realis, vt est votum, quod Episcopi emittunt in sua consecratione, visitandi limina Apostolorum.

TITVLVS LII.

Ad quid obliget Votum obedientiæ.

SVMMARIVM.

1 *Obedientia quid sit.*
2 *Eius obligatio.*
3 *Quando non obliget.*
4 *Religiosus quando non teneatur obedire.*
5 *Obedientiæ gradus.*
6 *Prælatus non potest præcipere actus merè internos.*

1 Votum Religiosæ obedientiæ est promissio, qua Religiosus propriam, subijciens voluntatem Prælato Regulari se obligat ad parendum in omnibus, quæ possunt cadere sub obiectum virtutis obedientiæ: Et primò obligat ad præcepta regulæ. Vndè non tenetur aliquid facere contrà regulam, & mandatum Superioris, ex contemptu: Censetur autem ex contemptu aliquid facere contrà Regulam, vel præceptum Superioris, qui culpabiliter ex malitia aliquid contrà operatur.

2 Secundò, tenetur ad omnia, quæ Superior iuxtà regulam præcipit; & quidem si præcipit in virtute Sanctæ Obedientiæ, tenetur obedire sub peccato mortali: secùs autem, non tenetur sub mortali, nisi aliundè constet, præceptum obligare ad mortale: si verò Superior aliquid præcipiat contrà regulam, constitutionis, &c., non tenetur inferior obtemperare, nisi fortè in tali casu possit dispensare, & legitima causa præcipiendi subsit.

3 Tertio, si præcipiat aliquid suprà regulam, vt facere aliquid, vbi sit manifestum periculum mortis, infirmitatis, seruitutis, &c. ieiunare longo tempore, abstinere à carnibus, quando regula, vel constitutiones id non præscribunt, non tenetur inferior obedire, quia Superior non potest obligare subditum ad maiorem perfectionem, quæ nõ sit saltem virtualiter præscripta in regula: In pœnam alicuius delicti commissi possunt à Superiore imponi, vel si putentur necessaria ad seruanda vota, vt præcipitur clausura Monialibus: Itẽ Religiosi tenentur obedire, quando reformatur Religio, si reformatio fiat in essentialibus. Ratio, quia tale præceptum censetur iuxtà regulam, & Religiosus tenetur obedire in ijs omnibus, quæ sunt iuxtà regulam.

4 Religiosus, secluso scandalo, non tenetur obedire, quando præceptum fundatur in falsa præsumptione, vt si Religioso imponatur pœna pro delicto, quod verè non commisit: quod si illa pœna sit secretò exequenda, non tenetur subditus ad illam: si verò in publico, tenetur ad eam, ad euitandũ aliorũ scandalum: An subditus teneatur obedire Prælato dubio de legitima potestate, sunt ex vtraque parte opiniones probabiles, si verò subditus dubitet; an res præcepta sit licita, in eo casu tenetur subditus obedire.

5 Obedientiæ sunt plures gradus: Primus est, exterius exequi præceptum Superioris. Secundus est, voluntatem omninò subijcere. Tertius, subijcere iudicium iudicio Superioris: Obediẽtia debet esse prompta absque excusatione, fortis, perseuerans, & voluntaria.

6 Prælatus potest consulere actus merè internos, sed non potest eos præcipere, nisi actus internus possit habere connexionẽ cum actu externo. Ratio, quia eius est præcipere actus internos, cuius est de illis iudicare; at Ecclesia non potest iudicare de actibus merè internis, ergò nec etiam potest eos præcipere.

TITVLVS LIII.

Ad quid obliget Votum Castitatis?

SVMMARIVM.

1 *Votum Castitatis ad quid obliget?*

2 *Quibus virtutibus conseruetur?*

1 VOtum Castitatis obligat primò, abstinere à coniugio; deindè abstinere ab omni actu interno, & externo, qui sit contrà castitatem. Peccatum Religiosi contrà castitatem duas habet malitias; vnam contrà virtutem castitatis, & alteram contra votum: Vndè votum castitatis est de essentia status Religiosi; & ità S. Thomas 2. 2. *quest.* 186. *art.* 6. Ratio est, quia de ratione status Religiosi est, vt eius professores sint in statu perfectionis: Ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis, quæ obligatio contrahitur per votum.

2 Castitas Religiosa conseruatur per humilitatem, per sobrietatē, per carnis mortificationem, per vitationem occasionum, per resistentiam tentationum, per feruentem Dei dilectionem, per mortis meditationem, & inferni pęnarum: Et ideò remoti in suis Monasterijs sedeāt, & ab omni humana conuersatione abstineant, hoc est, à mulierum, & malorum hominum familiaritatibus; Nam mulierum aspectus, confabulationes, &c., sæpè hominum pudicam mentem perturbant, & varias Diaboli tentationes inducunt: Et ideò castitas conseruatur per euitationem occasionum, &c. Vndè custodia non modo à magnis culpis, sed etiam à leuioribus contrà hanc virtutem, multùm iuuat, iuxtà illud, *Qui spernit modica, paulatim decidet:* Item multùm iuuat oratio ad continentiam tuendam, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det illi suam gratiam. Sacramenta pęnitentiæ, & Eucharistiæ conferunt magnam vim ad animam in suo nitore conseruandam.

TITVLVS LIV.

Paupertas Religiosa ad quid obliget.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio voti paupertatis.*
2 *Licentia Superioris, vt excuset Religiosum, debet esse voluntaria.*
3 *Religiosus sine licentia non potest dare alteri pecuniam, &c.*
4 *In aliquibus casibus potest dare.*
5 *Tenetur conseruare res suo vsui concessas.*
6 *Non facit contrà votum paupertatis recipiendo pecunias in depositum, &c.*
7 *Nec etiam si accipit pecuniam distribuendam pauperibus.*
8 *Peccat accipiendo de rebus Monasterij, vt det extraneo, &c.*
9 *Peccat accipiendo aliquid ab extraneis, vt sibi acquirat.*
10 *Non peccat accipiendo pecuniam ad emendos libros, &c.*
11 *Qualis debeat esse consensus Superioris, &c.*

1 VOtum paupertatis obligat Religiosū, vt nihil velit habere, possidere, vel vti, tamquàm proprium; & ideò peccat Religiosus contrà votum paupertatis, qui in Monasterio, vel foris, sine licentia Superioris expressa, vel tacita, aliquid retinet, vel occultat, nisi aliter per consuetudinem introductum sit in Religione, quia tolerantia Superioris æquiualet licentiæ tacitæ.

2 Vt licentia Superioris tacita, vel expressa excuset Religiosū à transgressione præcepti requiritur, vt illa sit voluntaria; & ideò si Superior concederet licentiam aliquid retinendi vi, metu, & nimijs blanditijs, tunc Religiosus non excusaretur à transgressione Regulæ, seu voti paupertatis.

3 Religiosus absque Superiori, licentia nō potest alteri dare pecuniam, quam cùm itinere posset expendere, conseruauit sibi, subtrahendo de victu necessaria; ità Syluest. *Verb. Religio* 6. *quest.* 7. Sotus *lib.* 4. *de iust. quest.* 1. *art.* 1. & alij. Ratio, quia ageret contrà intentionem Superioris, qui solùm cōcedit pecuniam ob necessitatem itineris: quod tamen intelligendum est, nisi aliter per consuetudinem sit introductum in Religione.

4 Dantur aliqui casus, in quibus licet Religioso sine licētia Superioris aliquid dare in eleemosynam. Primus est, cùm pauper eget extremè, nec aditus patet ad Superiorem. Secundus, quando pauper graui necessitate laborat, nec etiam patet recursus ad Superiorem. Tertius, quando Religiosus cum debita Superioris licentia moratur extrà Monasterium, studiorum causa, &c., tunc de pecunia sibi assignata ad sustentationem, potest eleemosynas largiri, quasi alij eiusdem Ordinis, & conditionis erogare solent. Quartus, quando Religiosus habet administrationem alicuius Villæ, vt quotannis certam aliquam pensionem Monasterio eroget, & cætera suo vsui cedant, quia, hic soluta pensione, de reliquo potest facere eleemosynā: Item si à Monasterio Religioso sit aliqua summa assignata ad viuendum, potest de ipsa pensione facere eleemosynam.

5 Religiosus ex vi voti paupertatis, tenetur diligentèr conseruare, & custodire res suo vsui legitimè concessas; & ideò contrà votum delinquit, si per culpam, aut negligentiam latam, res supradictas amittat, aut destruat. Lessius *lib.* 2. *cap* 41. Nō peccat tamen Religiosus contrà iustitiā, si recuset sibi oblata intuitu Monasterij, sed solùm contrà charitatem; ità apud Dianam *tract. de paupert. Religiosa resol.* 8. licèt Religiosus Ordinis capacis hæreditatis nō possit propria auctoritate repudiare hæreditatem sibi relictam, cùm ea immediatè acquiratur Monasterio.

6 Religiosus non peccat contrà votum paupertatis, recipiendo pecunias extraneorum in depositum sine Prælati licentia, licèt possit esse contrà obedientiam, ob decentiam status Religiosi, si occultè fiat; ità Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 25. Item nō peccat contrà votum paupertatis Religiosus, qui aliquem rogat, vt deponat pecuniam apud tertiam personam, qua in

suis

suis necessitatibus possit cum licentia Superioris vti. Ratio, quia in tali casu nullū acquirit dominium absque licentia Superioris; & nullus intercedit vsus proprietarius: quod etiam dicendum est, si Religiosus habeat apud se depositam pecuniam, animo tamen non acquirendi earum dominium.

7 Non peccat contrà votum paupertatis Religiosus, qui recipit pecuniam distribuendam pauperibus. Ratio, quia solùm illa administratio, & possessio aduersatur voto paupertatis, quæ est nomine proprio sine licentia Superioris; tùm etiam quia non distribuit pecuniam, tamquàm proprietarius, sed solùm tamquàm administrator alterius; & per consequens non censetur exercere actum dominij, & proprietatis.

8 Peccat mortaliter Religiosus, qui ex rebus Monasterij in notabili quantitate aliquid accipit, vt det extraneo: quæ autem censeatur notabilis quantitas, non conueniunt Doctores: Conueniunt tamen in hoc, quòd maior quantitas requiratur in Religioso ad constituendum peccatum, quam in filijs: Item peccat, accipiendo de bonis Monasterij modica, quando peruenit ad summam notabilem.

9 Peccat Religiosus contrà votum paupertatis, si absque licentia Superioris accipit aliquid ab extraneis, vt sibi acquirat, si quantitas sit notabilis: Ratio, quia talis receptio est actus proprietatis, si fiat absq; licentia Superioris, & Religiosus non potest habere proprium. Ex licẽtia Superioris non peccat contrà votum paupertatis accipiendo ab extraneis, vt sibi acquirat, cùm ex eius licentia possit habere peculiũ, dummodò tamen ex licentia Superioris illud expendat in vsus honestos, & non vanos, & superfluos: non incurrit tamen pœnas contrà proprietarios, si Religiosus peculium expenderet in vsus vanos, ac superfluos ex licentia Superioris, cùm pœnæ solùm statutæ sint contrà expendentes peculium in vsus vanos absque Superioris licentia. Causa concedendi peculium duplex est, necessitas, & vtilitas grauis, publica, vel priuata, & peccat mortalitèr Prelatus concedens peculium absque causa.

10 Non peccat contrà votum paupertatis Religiosus, qui ab exteris accipit pecuniã ad emendos libros, dummodò libros emptos in cella palã expositos teneat: Ratio, quia eos cẽsetur acquisiuisse Monasterio, & non sibi; secùs autem si eos occultè teneret, quia tunc censerentur sibi, & non Monasterio acquisiti. Diana *tract. de paupertate resolut.* 26. Nec etiam peccat Religiosus habens pecuniam in vna re, & expendit in aliam, dummodò ea res licita sit, & honesta, & vtilior, & melior censeatur, quia in isto casu Superior non censetur rationabilitèr inuitus, quòad substantiam; licèt aliquo modo possit esse quoad modum.

11 Consensus Superioris præsumptus liberat Regulares à vitio proprietatis, etiamsi Superior facilè aditi possit; licèt meliùs sit habere licẽtiam Superioris expressam. Consensus præsumptus, seù tacitus præsumitur; primò, ex consuetudine: Secundò, ex qualitate Superioris: Tertiò, ex qualitate subditi: Quartò, ex rebus, vt v.g. si sint leuiores, &c.: Quintò, ex facto ipso, vt si talis dispensatio in commodum, & vtilitatem Monasterij cedat.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus non potest sine licentia commutare res sibi concessas.*

2 *Nec consanguineis potest remittere pecuniam sibi debitam.*

3 *Nec etiam potest transferre res sibi concessas de Monasterio ad Monasterium, &c.*

4 *An peccet occultando pecuniam.*

† *Vel accipiendo de bonis Monasterij, &c.*

5 *Non facit contrà paupertatem, qui pecuniam oblatam, & externè solum acceptatam Amico dat.*

6 *Peccat retinendo pecuniam datam pro pauperibus.*

7 *Quomodò peccent, qui ex regula, &c. prohibentur tangere pecuniam.*

8 *Religiosus beneficiatus potest ex pondere fructus beneficij.*

9 *Cui acquirat.*

10 *Cuius sit legatum relictum Religioso, &c., vt apud ipsos pertineat.*

11 *Pœna contrà proprietarios.*

12 *Prælatus non potest concedere Religioso vsum irreuocabilem alicuius rei.*

1 PEccat mortalitèr contrà votum paupertatis Religiosus, qui inscio Superiore, commutat res sibi ad vsum concessas in aliam proprio vsui applicatam, v.g. formando ex Sindone, linteola, &c.: Ratio, quia talis commutatio est actus dominij; tùm etiam, quia in isto casu Superior potest esse notabilitèr inuitus.

2 Peccat contrà votum paupertatis Religiosus, qui suis consanguineis sine licentia sui Superioris remittit summam pecuniæ sibi debitam: Ratio, quia talis remissio censetur quædam donatio, *cap. Veniens de testibus*: Donatio autem non potest fieri à Religioso sine licentia.

3 Peccat contrà votum paupertatis Religiosus, qui de vno Monasterio ad aliud deferr absque licentia Superioris, res sibi ad vsum concessas; eo, quod iura Monasteriorum sint distincta, nisi Monasterij sit consuetudo contraria, cui standum est: Item non peccat contrà votum paupertatis, qui res sibi ad vsum concessas occultat, quando per aliquod tempus commoraturus est extra Monasterium, non quidem quòd dubitet fore, vt Superior illas sibi auferat, sed quia timet, ne ab alijs aliquid ei surripiatur: Si verò illa occultet, credens quod Superior illam auferat, tùnc peccat contrà votũ paupertatis, quia exercet actum dominij independentem à voluntate Superioris, quia repugnat voto paupertatis: sicut nec etiam peccat, qui rem habitam de licentia Prælati superioris

tis occultat Prælato inferiori: Ratio, quia Prælatus inferior nequit reuocare facultatem concessam à Prælato superiori.

4 Non peccat Religiosus, qui occultat pecuniam, vt in necessitatibus possit sibi prouidere, v.g. tempore infirmitatis, probabiliter sciens, Monasterium non prouidere; sicut nec etiam censetur peccare peccato furti, accipiens de rebus Monasterij, vt sibi prouideat, v. g. tempore infirmitatis, &c., vel de victu, & vestitu, vt dictum fuit.

5 Non facit contrà votū paupertatis Religiosus, qui pecuniam oblatam ab amico externè, indicat se acceptare; cum animo verè non intendat acceptare, eamque largitur tertiæ personæ tamquàm nomine amici illam dantis: Ratio, quia Religiosus in isto casu non acceptat pecuniam tamquam suam, neque tamquàm dominium habens dat amico, sed nomine tertiæ personæ dantis. Vndè cùm non exerceat actū dominij, non apparet, cur dici debeat violare votum paupertatis: nec refert quod amicus, cui datur pecunia, credat, à Religioso fuisse acceptatam, quia hæc falsa præsumptio non inducit proprietatem, aut dominium in Religioso.

6 Violat votum paupertatis Religiosus, qui pecuniam datam pro pauperibus pro se retinet absque licentia Superioris: Item peccat peccato furti, applicando sibi eleemosynā petitam pro certo paupere ex licentia Ordinarij: Ratio, quia ille pauper acquisiuit ius irreuocabile ad illam, stante quod Ordinarius, ex Concilio Tridentino *sess.22.cap.* 8. *& 9. de reform.* habet curam pauperum, & locorum piorum.

7 Religiosus, cui ex regula, aut constitutionibus prohibitum est tangere pecuniā: si illam tāgit solùm cum actu physico, v.g. deferēdo ipsam ad Sacristiam, vel ad Procuratorem, &c., non censetur peccare cōtrà regulam: si verò tangat ipsam cum actu politico, quo pecunia detinetur, aut capitur tamquàm pretium rei, peccat contrà regulam, & potest dici proprietarius de iure positiuo. Item talis Religiosus facit contrà regulam, si pecuniam tangat, non immediatè, sed mediatè inuolutam, scilicèt in papyro, vel sudariolo, vel in longiori itinere, eam secum deferat intrà peram, in qua habet suas sarcinulas, vt manuscripta, &c., vt paratā habeat pecuniam ad expensas ordinarias itineris, extrahendam non à Religioso, sed ab extraneo: Ratio, quia in tali casu datur fraus, & dolus, quę nemini debent patrocinari, cùm prohibitio regulæ, ne tangatur pecunia, æquè procedat de contactu immediato, ac de mediato: item dolus, & fraus datur, ferēdo pecuniam in pera, quia perindè est, ac ipsam retinere apud se, licèt aliqui in tali casu excusent Religiosum à violatione statuti, ratione necessitatis.

8 Religiosus beneficiatus redditum beneficij administrationem habet, tùm ad sui sustentationem, tùm ad alia opera pia, licèt beneficium manuale sit, quia pro tempore, quo beneficium manuale iustè obtinet, fructuum administrationem habet ex Canone *de vita, & honestate Clericorum*, & si beneficium regulare sit, standum est cōsuetudini Ordinis.

9 Religiosus habens beneficium extrà Monasterium, si aliquid acquirit, non Monasterio, sed beneficio acquirit, *cap. Statutum* 18. *quæst.*1. Sanchez *lib.*7. *cap.*32. *num.* 76. Vndè redditus beneficij, qui post amotionem beneficiati supersunt, ad Ecclesiam, vel beneficium, cui seruiuit, & cuius intuitu acquisiti fuerunt, pertinent: quæ autem Religiosus beneficiarius extrà Monasterium aliundè acquirit, v.g. ex eleemosynis, hæreditate, &c., Monasterio acquirunt, si bonorum in communi capax sit, quę tamen intelligenda sunt de beneficijs; quę de mensa Monasterij non sunt, seù ipsorum Monasteriorum; quo casu Monachus non dicitur acquirere Monasterio, sed tribuere suum, ex speciali applicatione ei facta: verùm quamuis beneficia pleno iure ad Monasterium, seù ad eius Abbatem spectarent, si tamen eorum redditus, & prouentus Mensæ Abbatiali, siuè Monasterio applicati non essent, tunc regularis beneficiarius, suæ Ecclesiæ, non Monasterio acquireret, vt patet *in Clement. vnica de supplenda negligentia Prælatorum*.

10 Legatum relictum religioso, vel Moniali hac conditione, vt ad ipsos, non autem ad Monasterium pertineat, benignè est interpretandum, & voluntas testatoris explicanda est eo modo, quo subsistere, & seruari possit, nempè vt vsus, seù commoditas ad Religiosum, vel Monialem pertineat dependenter à Prælati, vel Abbatissæ consensu: Ratio, quia verba in contractibus intelligenda sunt, secundùm conditionem personæ, ad quam diriguntur; cùm autem hæc verba dirigantur ad Religiosum, vel Monialem, qui proprietatis sunt prorsus incapaces, & solum vsum habere possunt; idcircò verba intelligenda sunt quòad vsum, non autem quòad proprietatem: si verò relictum esset legatum conditione, vt pertineat ad Religiosum, vel Monialem, quòad dominium, & nullo modo quòad Monasterium, nō valet, cùm clarè appareat, noluisse testatorem relinquere Monasterio; & ità Sylvest. *verbo Religio* 8. *quæst.*5. Rodriq. *in compend. resolut.* 88. *num.* 4. Vndè si legatum relictum esset Religioso, vel Moniali conditione, vt Prælatus, vel Abbatissa in tali legato intromittere non se debeant, adhùc Prælatus potest ad libitum disponere, etiā inuito subdito de tali legato in vtilitatem Conuentus, & solùm tenetur ipsi Religioso in necessarijs subuenire, sicut alijs subditis, iuxtà Decretum Concilij Tridentini *sess.* 25. *cap.*2. *de reformatione*, quia relicta Monacho, censentur relicta Monasterio, cōtrà quod ius testator nihil valet disponere, quia adiectio pœnæ actui, interdicto est ipso iure nulla.

11 Pœnæ decretæ cōtrà proprietarios, sunt tres: Prima, vt sepeliatur in sterquilinio, qui tempore mortis fuerit inuentus proprietarius,

ptierarius: Secunda, vt à Monasterio expellatur, sed hæc non est ampliùs in vsu. Tertia, sit priuatus biennio voce actiua, &c., atque iuxtà constitutiones Ordinis puniatur, quæ non incurritur ante sententiam, nec à dantibus, sed solùm à retinentibus.

11 Non potest Prælatus Religioso alicuius rei vsum irreuocabilem concedere, quia Prælatus nihil Religioso concedere potest, quod repugnet voto paupertatis, sed habere vsum alicuius rei irreuocabilem, repugnat voto; ergò, &c.

TITVLVS LV.

De transitu de vna Religione ad aliam.

SVMMARIVM.

1 *Licitum est transire de vna Religione ad aliam.*
2 *Vt transitus sit licitus, quæ requirantur.*
3 *Regularis quomodò possit transire ad laxiorem.*
4 *Quidam Mendicantes ex priuilegio, possunt transire ad non Mendicantes.*
5 *Cassinenses, & Cistercienses vt possint transire ad Carthusianos, quid requiratur.*
6 *Monachus, qui vouit perseuerantiam, potest etiam transire ad strictiorem.*
7 *Religiosus eiectus potest transire ad strictiorem.*
8 *Pœna contrà Religiosos transeuntes ad aliam Religionem.*

1 Licitum est Religiosis transire de vna Religione ad aliam strictiorem: Ratio, quia quilibet habet ius perfectioris vitæ capessendæ, vt saluti propriæ consulatur, Religio autem, ad quam fit transitus, debet esse arctior, licèt non perfectior. Vndè omnibus Religiosis conceditur trãsitus ad Religionem Carthusianorum, quia ratione solitudinis, censetur omnium arctissima.

2 Plures conditiones requiruntur in eo, qui vult transire de vna Religione ad aliã: Prima, ne Religiosis sit interdictus transitus de vna Religione ad aliam: Secunda, ne transitus fiat ex temeritate, &c., & nè fiat cum detrimento, & iactura Religionis, à qua receditur: Tertia, vt transitus fiat ad perfectiorem Religionem, & illa in isto casu dicitur perfectior, quæ est arctior: Quarta, vt petatur licentia à Prælato, qui tenetur eam dare, & si non det, hoc ipso ius conceditur; quæ tamen licentia non requiritur tamquàm de essentia transitus, sed vt transitus rectè fiat: nunc verò extat Decretum Sacræ Congregationis editum sub Vrbano VIII. anno 1624. vbi statuitur, vt de cætero nullus permittatur ad Religionem strictiorem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licẽtiam petit, & tùnc Regularis rectè se trãsferat ad arctiorem, quod vt re ipsa adimpleat, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.

3 Regularis de licentia sui Prælati potest transire ad laxiorem Religionem, si iusta causa subsit, & in eo casu non suffi-cit petijsse facultatem, sed oportet obtinuisse, quia ius aliter non concedit licentiam. Mirand. *tom. 1. quæst. 31. art.* 3. & alij. Et causa debet esse iusta, vt v. gr. longa infirmitas, debilitas corporis, &c. quia sine causa, nec Summus Pontifex illam cõcedere potest.

4 Mendicantes licèt non possint transire ad Religiones non mendicantes, etiam de licentia sui Generalis absque facultate Pontificis; tamen ex priuilegio, quidam possunt dare licentiam.

5 Monachi Cassinenses, & Cistercienses non possunt ad aliam Ordinem transire, etiam ad Carthusiam, sine consensu Capituli Generalis, aut Præsidentis, aut Visitatorum, &c. nec etiam auctoritate Apostolica, nisi expressè fiat mentio in litteris de personis, & Religione, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda contrà recipientes, seu retinentes, qui intrà triduum, Monachum receptum non restituerint; ità ex Constitutione Eugenij IV., quæ habetur in compendio priuilegiorum Cister.

6 Monachi possunt transire ad strictiorẽ Religionẽ, etiamsi emiserint votum perseuerandi in propria Religione laxiori, &c. Ratio, quia tale votum non tenet, cùm non censeatur de re meliori, & sit impeditiuum maioris boni, quale est trãsire à Religione laxiori ad strictiorem, & perfectiorem.

7 Religiosus eiectus in perpetuum à Religione, potest propria auctoritate transire ad laxiorem; ità Em. Sà. *Verb. Religio nu.* 40. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 12. & alij apud Sanchez *lib. 6. moralium cap* 9. *nu* 360. Ratio, quia sicut liberè potest manere in sæculo, à fortiori, multo magis potest transire ad Religionem etiam laxiorem.

8 Pœnæ contrà Religiosos transeuntes ad aliam Religionem, sunt Primò, incapacitas quorumcumque beneficiorum sæcularium, etiam Curatorum. Ex Tridentino *sess. 14. cap.* 11. Sanch. *lib. 6. moralium cap. 7. nu.* 10. Secundò, Mendicantes transeuntes ad nõ Mendicantes, etiam cum facultate Pontificis, priuantur voce actiua, & passiua, inhabiles efficiuntur ad Prælaturas, administrationes, & quælibet officia non solùm intrà Religionem; verùm etiam extrà. Nomine officij, intelliguntur ea omnia, quæ in Religione habent nomen officij, vt est officiũ Œconomi, Cellarij, Prædicatoris, Confessarij, Lectoris Theologiæ, &c., Curam animarum pro se, vel pro alijs exercere non possunt, quia priuantur voce actiua, & passiua in Capitulo, videlicèt, quòad homines in electionibus, & tractatibus, non autem quòad onera, &c.

TITVLVS LVI.

De Religiosis eiectis, & fugitiuis.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus potest expelli à Religione.*
2 *Ad quem pertineat facultas expellendi.*

3 *Eiectus*

3 *Eiectus debet seruare vota.*
4 *Fugitiuus quis dicatur.*
5 *Qui fugit ad Superiorem, non dicitur fugitiuus, &c.*
6 *Religiosus eiectus, non tenetur aliam Religionem ingredi.*

1 Religiosus, iusta causa, potest expelli à Religione: iusta causa expellendi est incorrigibilitas: ad censendum aliquem incorrigibilem, vt possit expelli, non satis est, vt in delictis perseueret, sed requiritur vt anno in carceribus probetur in ieiunio, &c., & si post huiusmodi probationem non resipuerit, tunc incorrigibilis censetur, & potest expelli; ità ex Decreto Sacræ Congregationis, de mandato speciali Vrbani VIII. *die 21. Septemb.* 1624.

2 Facultas expellendi Religiosum pertinet solùm ad Capitulum generale, vel ad Generalem, de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendorum à Capitulo generali, formato processu, iuxtà præscriptum Canonis.

3 Religiosus eiectus tenetur seruare vota substantialia, cùm remaneat obligatus ad seruandam castitatem, licèt à votis paupertatis, & obedientiæ, in aliqua parte sit dispensatus: est in perpetuum suspensus, & ab Ordinibus susceptis, & suscipiendis.

4 Fugitiuus dicitur, qui à Monasterio discedit per aliquod tempus, qui si reuertatur, benignè, non autem rigidè est recipiēdus, vt dicitur in Decreto Sacræ Congr. citato: Fugitiuus etiam dicitur ille, qui à Carceribus fugit, licet in aliquibus casibus possit fugere; vt v. gr. si sit mutilandus, vel morte plectendus, vel si sententia sit iniusta, aut si iusta, modus eam exequendi sit iniustus.

5 Religiosus, qui fugit à Superiore immediato ad Superiorem ipsius, vt eximatur ab aliqua iniusta vexatione, quam iniustè ab immediato Superiore patitur, non est censendus fugitiuus, nec pœnis fugitiuorū puniri debet, modò certò constet de iniqua vexatione, nec alia ratione valeat se eximere ab ira, quàm adeundo Superiorē, nam iure naturæ, cuilibet competit sua defensio, nec est contrà Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 4. *de Regularibus*; quod vetat Religiosis discedere Monasterio, etiam ob causā adeūdi Superiorem; & ità Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 50. *num.* 4. & alij. Et Doctores, qui contrarium docent, intelligēdi sunt, quādo certò non constat de iniustitia grauaminis: & licèt Ordinarius possit iustè capere talem Regularem, non tamen iustè potest eum retinere, si fidem faceret, se grauatum appellasse; ità Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 56. & alij.

6 Religiosus in perpetuum eiectus, non tenetur aliam Religionem ingredi, nisi fortè eiectus fuerit sub hac conditione, vt transiret ad aliam Religionem, quia tunc tenetur adimplere conditionem, quam promisit.

TITVLVS LVII.

De obligationibus Regularium, si fiant Cardinales, Episcopi, Abbates, &c.

SVMMARIVM.

1 *Obligationes Regularium, si fiant Cardinales, &c.*
2 *Votum obedientiæ quomodo remaneat.*
3 *Regularis factus Episcopus an possit disponere de fructibus, &c.*
4 *Tenentur ferre habitum Religionis.*
5 *Item ad obseruantiam Regulæ, &c.*

1 Religiosi assumpti ad Cardinalatum, Episcopatum, Abbatiam, &c. extrà Ordinem manent veri Religiosi. Ratio, quia dispositio ad aliquam perfectionem nō tollitur ipsa adueniente; status autem Religiosus comparatur ad huiusmodi Dignitates, sicut dispositio ad perfectionem; ità S. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. Suarez *tom.* 4. *de Religione tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 16. & alij. Vndè Religiosi, qui ad tales Dignitates assumuntur, non absoluuntur à votis obediētiæ, castitatis, & paupertatis, in Religione emissis; tùm etiam quia post assumptionē ad Dignitates manent verè Religiosi sicut anteà; hæc verò vota sunt de essentia status Religiosi.

2 Votum obedientiæ non manet respectu Prælatorum Regularium; sed respectu Papæ; ità vt præter generalem obedientiam debitam ab omnibus fidelibus Sūmo Pontifici, teneantur etiam vi voti in Religione emissi. Henriq. *lib. de Sacram. Ordinis cap.* 33. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 16. Quōad votum paupertatis, manet obligatio sicut anteà. Ratio, quia per Dignitates non datur illis dominium rerum Ecclesiasticarum, sed solùm administratio ex volūtate Papæ, quod non repugnat voto paupertatis; ità Lessius *lib.* 2. *de iustitia cap.* 40. *dub.* 14. & alij. Et ideò quidquid acquirit, non sibi, sed Ecclesiæ acquirit, cui præficitur. Sanchez *de precept. Decalogi lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 8.

3 Potest tamen Religiosus factus Episcopus disponere inter viuos de redditibus sui Episcopatus eodem modo, quo Episcopus Secularis. Ratio, quia de redditibus potest viuendo disponere in honestos vsus.

4 Tenentur Religiosi assumpti ad Dignitates ferre habitum suæ Religionis. Ratio, quia obligatio portandi illum nō procedit solùm ex regula, & cōstitutionibus, sed etiam ex iure canonico, & ex consuetudine rationabili in signum obligationis ad vota regularia. Em. Sà. *in Summa Verb. Episcopus.* Henriq. *lib.* 10. *de Sacram. Ordinis cap.* 23. *num.* 5. Possunt tamen, retento colore habitus suæ Religionis, se conformare cū Episcopis Sæcularibus in forma, seu figura illius. *Ex concess. Clement. VIII.* Verùm si Religiosi assumpti ad Dignitates non ferant habitum suæ Religionis, non incidūt in excommunicationem à iure latam cōtrà Religiosos habitum suæ Religionis dimittentes, eo, quod Textus *in cap.* 2. *in* 6. *in* Cle-

Clerici, vel Monachi; vbi talis excommunicario statuitur, solùm loqui videtur de Religioso sub obedientia Prælati Regularis existente; ità plures apud Lezanam *de oblig. Regular. assumptorum, &c. cap. 17. num 9*.

5 Religiosi assumpti ad Dignitates tenentur ad obseruantias Regulares suæ Regulæ, Constitutionum, &c., quæ non repugnant muneri, quod gerunt; ità S. Thom. 2.2. *quæst.* 185. *art.* 8. Syluest. *verb. Religio 6. quæst.* 10. & alij. Non tenentur tamen soluere Diuinum Officium, iuxtà præscriptum suæ Regulæ, sed Ecclesiæ suæ, cùm constituantur caput illius.

TITVLVS LVIII.

De obligatione Prælatorum Regularium, priuilegijs, &c.

SVMMARIVM.

1 *Quam iurisdictionem habeant Prælati Regulares.*
2 *Tenentur ad obseruantiam Regulæ, &c.*
3 *Possunt reseruare sibi casus.*
4 *A quibus censuris Papæ reseruatis possint absoluere.*
5 *Possunt dispensare in irregularitatibus, &c.*
6 *Possunt irritare vota suorum subditorum, & commutare.*
7 *Possunt dispensare in præceptis Ecclesiasticis.*
† *Non possunt dispensare cum Illegitimis, &c.*
8 *Tenentur vti diligentia, vt Officium Diuinum persoluatur.*

1 PRælati Religiosorum legitimè electi habent iurisdictionem ordinariã quasi Episcopalem in suos subditos; ità Doctores in Clement. *de rebus Ecclesiæ nõ alienan.* Ratio, quia non subduntur Episcopis, sed Papę. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2.* Vt autem quis eligi possit ad Prælaturas, præter conditiones suarum Constitutionum, requiritur primò ætas legitima, quæ ad minus debet esse vigintiquinque annorum, iuxtà caput, *Cùm in cunctis de electione*. Secundò, quòd sit Sacerdos, & Professus; ità *in cap. Cum ad nostrã de Elect.* Tertiò, quòd sit legitimus; illegitimus enim non potest esse, nisi ex dispẽsatione Papę: nec etiã possunt eligi, qui homicidium perpetrarunt, iuxtà Decretum Concilij Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. Possunt tamen retinere beneficia, quæ actu habent, cùm hoc non prohibeatur in dicto Decreto Concilij. Nauar. *in Manuali cap. 27. num. 249.*

2 Tenentur Prælati ad obseruantiam Regulæ Constitutionum sicut alij, non modò quòad vim directiuam, sed etiam coactionem: tenentur etiam suos subditos corrigere, & punire pęna corporali proportionata eorum delictis; & ideò ad cognoscenda delicta possunt procedere iuridicè, per viam accusationis iudicialis, denunciationis, & inquisitionis; non tamen possunt interrogare de aliquo delicto in particulari, nisi præcedat informatio, aliàs fieret iniuria, nec Iudex procederet iuridicè.

3 Possunt Prælati Religiosorum reseruare sibi casus suorum subditorum; ità vt solùm ab ipsis absoluantur: quos autem casus possint sibi reseruare, patet ex Decreto Clemen. VIII. anno 1593. Possunt item Prælati excommunicare suos subditos, & reseruare sibi absolutionem. Nec possunt Religiosi confiteri, nisi Confessarijs approbatis à Superiore Monasterij: In itinere verò, iuxtà præscriptum Constitutionum agendum erit.

4 Possunt etiam Prælati Regulares absoluere suos subditos à censuris reseruatis Papæ, quarum absolutio iure committitur Episcopis, qualis est excommunicatio, *Si quis suadente, &c.* A censuris autem, quæ ex speciali commissione committuntur Episcopis, non possunt absoluere, quia hæc facultas non committitur Episcopis, vt Episcopis, sed vt Legatis Sedis Apostolicæ: A casibus autem Summo Pontifici reseruatis possunt absoluere, qui absoluendi habent priuilegium.

5 Prælati Regularium possunt dispensare cùm sibi subditis in irregularitatibus. Primò in omnibus illis, in quibus possunt Episcopi cum sibi subiectis. Secundò, ex priuilegio Summorum Pontificum Sixti IV., Pij V., & aliorum. Item possunt dispensare cum subditis in foro conscientię, in pęnis omnibus contractis ex quibuslibet delictis, quales sunt inhabilitationes ad officia, Dignitates, &c. priuationes officiorum, Dignitatum vocis actiuæ, &c. dummodò casus non sint Papæ reseruati.

6 Possunt etiam Prælati Regularium irritare vota suorum subditorum, & commutare. Ratio, quia hoc spectat ad potestatem iurisdictionis, quàm habent: itẽ dispensare in votis simplicibus, quia habent iurisdictionem quasi Episcopalem. Item in voto trãseundi ad arctiorem Religionem, quia non censetur simplicitèr votum Religionis, sed arctioris Religionis. Item possunt irritare, dispensare, & commutare iuramenta. Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 19. & 20.* & alij.

7 Possunt etiã dispensare in præceptis Ecclesiasticis, vt possunt Episcopi. Non possunt tamen dispensare cum Illegitimis ad officia, & Dignitates, nisi habeant speciale priuilegium: quando verò Illegitimus dispensatus fuit ad beneficia sæcularia, si fiat Religiosus, non eget noua dispensatione, ad Prælaturas illa dispensatio est sufficiens. Miranda *in Manuali Prælatorum, tom. 2. quæst. 2. art. 5.* si verò dispensatum solùm fuit, vt beneficium obtineret, tunc indiget noua dispensatione ad officia Ordinis, quia illa prior non se extendit ad beneficia Ordinis, cùm solum se extendat ad beneficium curatum. Nauar. *lib. 4. Consil. tit. Qui filij sunt legitimi, Consil. 1.*

8 Tenentur etiam Superiores sub mortali facere, vt officium Diuinum debitis horis persoluatur in Conuentibus. Clementina 1. *de celebratione Missarum*. Caietanus *verbo Hora* §. 4. Med. *Cod. de Oratione, quæst. de Oratione Canonica, dub. 1.* & alij. Tenentur etiam Prælati Regulares ad alia plura spectantia ad paupertatem, vitam communem, largi-

largitionem munerum, &c. Ex Decreto Concilij Trident. Clementis VIII. Pauli V., & aliorum Pontificum.

TITVLVS LIX.

De obligationibus Religiosorum, ratione suę regulę, constitutionum, &c.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi tenentur obseruare suam regulam.*
2 *Quando est relaxata, quomodo teneantur eam obseruare.*
3 *Ieiunia regulæ, &c. obligant Religiosos ante vigesimumprimum annum.*
4 *Religiosus tenetur etiam obseruare constitutiones, &c.*
5 *Quæ requirantur ad hoc, vt constitutiones, &c. obligent in conscientia.*
6 *Quando transgressio constitutionum, &c. sit mortalis.*
7 *Quando consuetudo non seruandi constitutiones, sit mortalis.*
8 *Consuetudo legitimè præscripta tollit legem.*
9 *Pœna priuationis officiorum, &c. in foro conscientiæ quomodò incurrantur.*

1 QVilibet Religiosus tenetur suam regulā obseruare, eo, quod ipsam profiteatur, & secundum eam promittat obedientiam; tùm etiam, quia Pontifices approbantes illam, præcipiunt etiam explicitè, vel saltem implicitè illius obseruantiam: non tenentur tamen Religiosi obseruare omnia contenta in regula sub mortali, sed quædam sub mortali, quędam alia sub veniali: Ratio, quia regula præscribit quædam sub mortali, quædam verò non. Ità D. Thomas 2.2. *quæst.* 186. *art.* 9. Vasquez 1.2. *disp.* 162. *cap.* 4. *num.* 16. & alij.

2 Quando regula Religionis est relaxata quòad substantialia, Religiosi tenentur eā obseruare, non sic, sed in suo pristino rigore, quando verò non est relaxata quòad substantialia, sed solùm quòad alias substantias regulares non peccant Religiosi obseruando illam sic relaxatam: Ratio, quia nullo modo se obligarunt, nisi ad regulam, prout erat in vsu, & prout de facto obseruabatur.

3 Quamuis ieiunia Ecclesiæ non obligent ante 21. annum, tamen ieiunia regulæ, & constitutionum obligant professos iuuenes ante illam ætatē: Ratio, quia ipsi quòad hoc se voluntariè obligarunt per professionem voti, obedientiæ, & regulæ. Azor. *lib.* 7. *cap.* 29. *quæst.* 3. Sanchez *lib.* 4. *de præcept. Decalogi cap.* 11. *num.* 56. & alij.

4 Non modò Religiosus tenetur seruare regulam suæ professionis, sed etiā cōstitutiones, seù ordinationes in Religione factas: Ratio, quia in Religione possūt cōdi statuta, seù cōstitutiones obligātes in cōscientia, quia in Religione est potestas regendi, & gubernandi Religiosos, ad quam spectat facultas condendi leges, seù constitutiones. Vasquez 1.2 *disp.* 153. *cap.* 1.

5 Ad hoc vt constitutiones, seù statuta obligent in conscientia, debent esse de rebus concernentibus explicitè, vel implicitè regulam; & ideò non debent ad maiorem perfectionem asperitates obligare, obligant verò constitutiones, sicut dictum est de regula, aliquando sub mortali, & aliquando sub veniali, & aliquando non ad culpam, sed solùm ad pœnam: quando verò obligant solum ad pœnam, indirectè obligant ad culpam: Ratio, quia adhùc tales constitutiones obligant in conscientia ad patiendum pœnam impositam, & dant ius Superiori ad patiendum transgressionem illorum tali pœna, & per consequens constitutiones obligant indirectè ad culpam. Suar. *tom.* 4. *de religione tract.* 8. *lib.* 2. *num.* 6.

6 Quando autem in constitutionibus, statutis, &c. præcipitur aliquid sub censura, transgressio illius est mortalis: Ratio, quia censura est pœna grauissima, quæ non imponitur, nisi ob culpam mortalem: quod etiam dicendum est, si aliquid præciperetur sub pœna corporali graui: Ratio, quia tales pœnæ non imponuntur, nisi ob culpam mortalem.

7 Consuetudo non seruandi constitutiones, seù statuta, quæ non obligant ad mortale, non facit ex se, quòd transgressio sit peccatum mortale: Ratio, quia actus replicati sunt eiusdem speciei, ac proindè eiusdem malitiæ: si ergò prima transgressio constitutionis fuit tantùm peccatum veniale, etiamsi millies replicetur, non fiet mortale; Ità S. Thomas 2.2. *quæst.* 186. *art.* 9. Caiet. *ibidem*; ratione verò periculi, cui se exponit transgrediens, contemnendi illas, potest fieri mortalis. Azor. *lib.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 11.

8 Consuetudo legitimè præscripta potest tollere legem contrariam, aut constitutionem, seù statutum, quod erat priùs in Religione: Ratio, quia consuetudo hoc modo censetur noua lex, aut constitutio Religionis. Rodriq. *tom.* 1. *quæst. regular. quæst.* 69. *art.* 1. Miranda *man. prælat. tom.* 2. *quæst.* 28. & alij.

9 Pœnę priuationis officiorum, dignitatū, graduū, & administrationum, &c., seù inhabilitatis ad illa, seù aliæ, quæ apponi solent in constitutionibus, & statutis Religionum, etiamsi ponantur sub verbis, *ipso facto, ipso iure, eo ipso*, aut similibus, non incurruntur in foro interiori conscientiæ, nisi præmissa declaratione Superioris, quò ad minùs constet, Religiosum perpetrasse illud crimen, propter quod imponuntur tales pœnę: quando verò adduntur illę particulæ, *absque vlla declaratione, absque vlla sententia, ante declarationem, sententiam, &c.*, tùnc obligant reum ad tales pœnas, etiam in foro interiori, & conscientiæ soluendas, licèt opinio contraria sit etiam probabilis.

TITVLVS LX.

De obligationibus Regularium ad constitutiones, & decreta Summorum Pontificum, &c.

SVMMARIVM.

1 *Prohibitum est regularibus alienare bona Monasterij, &c.*
2 *In Ecclesijs non debent permittere pauperes mendicantes tempore Diuinorum Officiorum.*
3 *Religiosi non possunt admittere intrà septa Monasterij mulieres.*
† *Quæ excludantur.*
4 *Pœna Religiosorum admittentes fœminas intrà septa Monasterij.*
5 *Non possunt Religiosi recurrere ad personas extraneas, &c.*
6 *Quomodo in Processionibus debeant circumferre Crucem.*

1 PRohibitum est regularibus alienare bona Monasterij à Paulo II. in extrauaganti *ambitiosè* sub pœna excommunicationis: Item Prælatum alienantem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ab ingressu Ecclesiæ interdicit; alios verò Prælatos inferiores, suis officijs, & dignitatibus ipso facto, absque alia declaratione, priuatos esse denunciat, & huiusmodi contractus nullius valoris esse declarat: & quia regularibus varia priuilegia fuerunt concessa; ideò Sacra Congregatio Concilij in Decreto iussu Vrbani VIII. edito *anno 1624. die 7. Septembris*, abrogatis omnibus priuilegijs, quomodolibet Religionibus concessis, prohibet regularibus alienationem bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum; omne pactum, per quod dominium transfertur, census perpetuos, & vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltrà triennium, concessionem in feudum, vel in emphyteusim, præterquàm in casibus à iure permissis, absque ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ túnc obtinebũt, vocis actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterùm obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, ac relaxandi facultate, pœnis nihilominùs Apost. constit. & præsertim felicis recordationis Pauli II., quæ incipit *Ambitiosè* in suo robore permansuris: alienationes verò, & pacta, census, &c. contrà huiusmodi prohibitionem facienda Sanctitatis suæ auctoritate ipso iure nulla, atque irrita decernit.

2 Pius V. in Bulla, quæ incipit *Cum primum*, anno 1566. edita, præcepit in virtute Sanctæ Obedientiæ Religiosis, siuè claustralibus, siuè regularibus, vt in Ecclesijs suis deputent aliquem, qui pauperes mendicantes per Ecclesias eleemosynam quærentes, tẽpore Missarum, Prædicationum, aliorumque Diuinorum Officiorum forâs ejciãt. Peyrinus *tom. 1. priuil. minim. constitut. 4.*

3 Prohibitum est viris Religiosis admittere intrà septa Monasterij fœminas cuiuscumque status, & conditionis existant ex motu proprio Pij V. edito anno 1570., qui incipit *Regularium personarum*, & ex constitutione Gregorij XIII., quæ incipit *Vbi gratia*, etiam sine prætextu alicuius facultatis; quia Pius V. in constitutione, quæ incipit *Decet Romanum Pontificem* edita 1570. declarat, talem esse mentem suam, vt etiã declarat Gregorius XIII. talem esse suam mentem: Verùm in tali prohibitione nõ includuntur puellæ paruulæ, sicut etiam filiæ Imperatorum, Reginarum: Item possunt mulieres ingredi, quando in eis Missæ, vel alia Diuina Officia celebrantur, & cum Processiones fiunt, & quando Christi-fidelium cadauera ibi sepeliuntur. Ità Pius V. in constitutione *Decet Romanum Pontificem*, quæ fuit data intuitu, & fauore Cõgregationis Montis Virginis, quem fauorem habent illæ Religiones, quæ in priuilegijs participant.

4 Pœnæ, quas incurrunt Religiosi, admittentes fœminas in sua Monasteria, sunt priuationis officiorum, quæ in præsenti obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis à Diuinis, ipso facto, sine alia declaratione. Gregorius XIII. addit excommunicationem Pontifici reseruatam. Rodriq. *tom. 1. quæst. 48. art. 1.* Sanchez *lib. 6. cap. 17. à num. 33.*

5 Prohibitum est Religiosis recurrere ad personas extraneas pro consequendis honoribus, dignitatibus, &c. Gregorius XIII. in Bulla *Cum nihil magis*, Clemens VIII. in alia Bulla *Religiosos viros*, anno 1592. edita, Paulus V. in Bulla edita 1607. *Quoniam nemo*, & in alijs.

6 Regulares debẽt in Processionibus Crucem ferre cum panno, seù velo, & non licet regularibus processionalitèr cũ Cruce Parochiam intrare ad deferenda, & eleuanda defunctorum funera, vel illa leuare, & deferre, nisi expectato Parocho, eoque ibidem præsente; si tamen ipse alitèr non consentiat fieri, & permittat, vel nisi requisitus venire, expressè omninò recuset. Quaranta *in summa, verbo Priuileg. regular.*

TITVLVS LXI.

In quibus tenentur obedire Religiosi Episcopis, & Principibus sæcularibus.

SVMMARIVM.

1 *Qui Religiosi teneantur obedire Episcopis.*
2 *Priuilegio exemptionis non possunt renunciare.*
3 *Possunt Episcopi visitare Ecclesias Parochiales, &c.*
† *Qui regulares possint ab Episcopo puniri.*
4 *Quomodò Religiosi teneantur obedire Decretis Synodalibus.*
5 *Quibus legibus ciuilibus subdantur.*
6 *Indulgentia, quas Episcopi ferunt, prosunt regularibus.*

1 RElígiosi non exempti tenentur obedire Episcopis ex voto obedientiæ: Ratio, quia Episcopi sunt veri Prælati ipsorum, illisque immittunt votum obedientiæ. Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 1. num.* 11. Religiosi verò exempti non tenentur ex vi voti obedientiæ, obedire Episcopis; Ità Syluest. *verbo Obedientia quæst.* 8. & alij: Ratio, quia cùm non sint Prælati regulares, illis ex vi voti non debetur obedientia.

2 Priuilegio exemptionis non possunt renunciare Religiosi, cùm sit priuilegium concessum statui, & nō Religiosis: possunt tamen Religiosi ab Episcopis dispensari in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, iuxtà Decretum *Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6.*: Ratio, quia licèt Religiosi sint exempti ab Episcopis, quòad iurisdictionem ordinariam, quòad actus tamen proprios Episcoporū, & in quibus non subduntur iurisdictioni suorum Prælatorum, quales sunt huiusmodi dispensationes, possunt esse illis subiecti. Suarez *tom. 4. de religione tract. 8. lib. 2. cap. 12. num. 12.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 39. num. 32.* & alij.

3 Possunt etiam Episcopi, non obstante priuilegio exemptionis, Parochiales Ecclesias regularium visitare, & illarum curam gerentes, & circà illam delinquentes punire; Ità in Concilio Lateranensi sub Leone X., & qualitèr hoc sit faciendum, explicat Concilium Tridentinum *sess. 7. de reformat. cap. 7.*: Ratio, quia tàm regulares, quàm seculares curam exercentes subsunt immediatè in ijs, quæ ad curam pertinent, & Sacramentorum administrationē, Episcopis; ità Trident. *sess. 25. cap. 11.*: Item in Cōcilio Tridentino *sess. 25. cap. 4.* Regulares, qui sine mandato in scriptis suorum Superiorum, extrà suos Conuentus reperti fuerint, tamquàm desertores sui instituti, ab Ordinarijs locorum puniantur: Item qui studiorum causa, ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantùm habitent, alioquin ab Ordinarijs contrà eos procedatur: Item *ex eodem Concilio sess. 25. de reformat. cap. 18.* conceditur Episcopis, vt per censuras possint procedere contrà regulares dantes, vel accipientes pro ingressu Nouitij, aliquid.

4 Tenentur Religiosi obedire constitutionibus Synodalibus, obseruantiæ regulari non derogantibus, non quidem debito obedientiæ, sed debito, & iure naturali, quo sicut partes, & membra illius populi, tenentur se toti corpori conformare. Vasquez 1. 2. *disp. 167. num. 33.* Sanchez *lib. 4. Decal. cap. 18. num. 21.*

5 Quamuis Religiosi exempti sint à iurisdictione sæcularium Iudicum, *cap. Diligentèr de foro competent. cap. Si Clerici de iudicijs*, non sunt tamen exempti à legibus ciuilibus, quæ non sunt contrà libertatem Ecclesiæ, sed ad bonam Reipublicæ administrationem sunt institutæ: subduntur tamen illis legibus solùm, quòad vim directiuam, nō autem quòad vim coactiuam. Rodriq. *tom. 1. quæst. regular. quæst. 66. art. 2.* Subduntur itidē legibus ciuilibus irritantibus contractus, & testamenta, nisi tali conditione, & modo fiant, quo irritationes non sunt pœnæ, sed dispositiones legum ad consulendum bono Reipublicæ. Vasquez 1. 2. *quæst 96. art. 2. disput. 167.* Sanchez *lib. 7. decalog. cap. 3. num. 20.* & alij. Item subduntur legi statuenti pretium rerum venialium, prohibenti venationem, vel piscationem certo tempore.

6 Indulgentiæ quas Episcopi ferunt, prosunt regularibus, quia cùm exemptio sit inducta in fauorem Religiosorum, non debet illis aliquod incommodum afferre, quod esset, si indulgentias Episcopales lucrari non possent. Nauar. *tract. de Indulgentijs notabili 31. num. 12.* Bellarmin. *tract. de indulgentijs lib. 1. cap. 11. quæst. 3.*

TITVLVS LXII.

De Conseruatoribus Religionum.

SVMMARIVM.

1 *Quis sit Conseruator.*
2 *Quæ persona possit constitui Conseruator.*
3 *Electi Conseruatores, &c. tenentur acceptare tale munus.*
4 *Conseruatores, in quibus casibus possint procedere.*
5 *Conseruatorum auctoritas non potest impediri, &c.*

1 COnseruator, secūdùm ius commune, perindè est, ac Iudex delegatus à Papa ad defendendos aliquos contrà manifestas iniurias, iudiciali non vtens indagine; Ità in *cap. Statuimus de officio Iudicis delegat. in 6.* Azor. *tom. 2. lib. 5. cap. 35. quæst. 1.* Datur etiam Conseruator ad tuendos regulares ab iniurijs illis illatis, eorum iura, bona, &c. defendendo.

2 Quælibet persona Ecclesiastica in dignitate constituta potest eligi in Conseruatorem: qui verò solum personatum habet, non potest eligi in Conseruatorem, cùm priuilegia solùm faciant mentionem de dignitate, non autem de personatu, vt videre est apud Lezanam *de conseruatoribus relig. cap. 11.*

3 Tenentur Conseruatores electi à Regularibus acceptare tale munus, non solùm ex charitate, sed etiam ex speciali mādato Summi Pontificis, qui id ipsis præcipit, quare rei erunt peccati mortalis, absque causa non acceptando tales Conseruatorias. Rodriq. *tom. 1. quæst. Regularium, quæst. 65. art. 4.*, & designato Conseruatore pro vna causa, non potest pro ea alius nominari. Rodriq. *loco citato art. 5.*

4 Conseruatores, attento iure communi, solùm possunt procedere contrà manifestas iniurias, & violentias; ità deciditur in *cap. 1. & vlt. de offic. Iud. delegati in 6.* Dicitur autem manifesta iniuria illa, quæ per facti euidentiam ità notoria est, vt examinatione non egeat, vel si egeat, probari potest clarè, & certitudinaliter per multos testes, ità vt negari non possit: violentia verò dicitur iniuria cum vi, & impetu personis, vel rebus facta, & in dictis

causis,

caufis, non folùm poffunt procedere contrà Clericos, fed etiam contrà Laicos. Rodriquez *tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 65. art. 11.* quia verba priuilegiorū, vniuerfalia sūt, & comprehendentia Laicos. Miranda *tom. 2. quæſt. 47. art. 7.*

5 Conferuatorum auctoritas non poteft impediri, nec ab Ordinarijs, nec à Legatis de Latere in eorum iurifdictione, fed in caufis fibi commiffis: maiores funt prædictis Ordinarijs, & Legatis: quare contrà prædictos, & etiam Nuncios Apoftolicos tueri fe poterunt Regulares per fuos Conferuatores, fi ad hoc fe extenderint eorū Conferuatoriæ. Lezana *tom. 1. de Conferuatoribus agit Fuſius.*

TITVLVS LXIII.

De Patronis Monafteriorum, feu Ecclefiarum Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Iuſpatronatus quid ſit.*
† *Duplex eſt.*
2 *Iuſpatronatus à Laicis præſcribi poteſt.*
3 *Iuſpatronatus habet multa à iure Canonico.*
4 *Eccleſia Iuripatronatus ſine conſenſu patroni, non poteſt vniri.*
5 *In quibus caſibus poſſit ad alium tranſire.*

1 Iuſpatronatus eſt poteftas alicui cōceffa præfentandi, inftituendi ad beneficium Ecclefiafticum in Ecclefia pro eo, qui eam fundauit, conftruxit, vel dotauit. Rodriquez *tom. 2. quæſt. regularium, quæſt. 122. art. 1.* Vndè patronus erit ille, qui habuerit tale ius; & Patronus Monafteriorum Regularium ille, qui habuerit tale ius in Monafterijs, feu Ecclefijs Regularium. Hoc autem Iuſpatronatus eft duplex, Ecclefiafticum, & Laicum; Ecclefiafticum eft, quòd competit perfonæ Ecclefiæ, vel ratione Dignitatis, aut beneficij fui, vel ratione fundationis, conftructionis, vel dotationis à fe factæ ex bonis Ecclefiafticis: Laicum eft quod conuenit alicui, feu Laicæ, fiue Ecclefiafticæ perfonæ, ratione fundationis, &c. ex bonis proprijs, fiue Patrimonialibus. Layman. *in Theolog. morali lib. 2. tract. 2. cap. 13. num. 4.* Et ideò patronus dicitur ille, qui in Monafterijs, feu prædictis Ecclefijs illud acquifiuit vno ex tribus modis fuprà enarratis. Francifcus Leo *in Theſauro for. Eccl. p. 2. cap. 6. num. 25.* Barbofa *de offic. & poteſt. Epiſ. allegat. 70. num. 1.*

2 Poteft Iuſpatronatus à Laicis præfcriptione acquiri. *Ex cap. Querelam de electione. Et ex cap. Generali 13.* tamen præfcriptio nō poteft habere locum in electione Prælatorum, quia nulla confuetudine, aut præfcriptione iuuari poteft patronus ad habendum fuffragium in aliqua electione Prælati Regularis. Ratio, quia id effet expreffè contrà Canones.

3 Iuſpatronatus habet multa ex iure Canonico, ratione quorum, honorificum, vtile, & onerofum dicitur; Honorificum quia patrono conuenientia obfequia tribuere debet; & præfertim illi conceditur honorificus locus in Ecclefia: Vtile, quia fi patronus ad egeftatem deueniat, Ecclefia debet ei fuccurrere maiori cura, & obligatione, quàm alijs pauperibus: Item & defuncto fuffragijs, orationibus, &c. Onerofum autem, quia patronus poteft licitè defendere fuam Ecclefiam, ne eius bona dilapidētur, modo præfcripto, *in cap. Filijs 16. quæſt. 7.*

4 Ecclefia, quæ eft iurifpatronatus non poteft vniri alteri Ecclefiæ fine confenfu patroni, nec etiam abfque labe Simoniæ poteft vendi. *ex cap. De iure, & ex cap. Præterea:* eft enim aliquod fpirituale beneficium, ad quod conferendum ordinatur: tamen ex fe quamuis non poffit vendi; poteft tamen tranfire cum re vendita, dummodò ratione illius, cariùs res non vendatur; ità Tabiena *verb. Iuſpatronatus.* Suar. *tom. 1. de Religione lib. 4. de Simon. cap. 28. num. 12. & 13.*

5 In tribus cafibus folum Iuſpatronatus poteft de vno ad alium tranfire. Primò hæreditario, fiue neceffario, fiue voluntario. *cap. Conſiderandum, & cap. Si plures.* Secundò, per liberalem Donationem, quia vnufquifque poteft in alium transferre ius fuum. *cap. Circà, de Iurepatronat.* Requiritur tamen in ifto cafu confenfus Epifcopi, nifi Donatio fiat loco Religiofo, vt colligitur *ex cap. Vnico, de Iurepatron.* Tertiò
† eft, quando transfertur Iuſpatronatus cū re vendita, iuxtà *cap. Ex litteris, & cap. Cum ſæculum de Iur. patron.* fed de hac re locuti fumus eum de beneficijs patronatus, &c.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum, De Regular. &c.

SVMMARIVM.

1 *Ingredientis Religionem conditiones.*
† *Impubes ingreſſus Religionē, quando reuocari poſſit.*
2 *Vtens habitu Monachali, &c. poteſt cogi, vt fiat Monachus.*
† *Nouitius, actibus profeſſorum ſpontè ſe ingerens, cenſetur profeſſus.*
3 *In quibus Religionibus non admittantur pueri ante decimumquartum annum.*
† *Ciſtercienſes non poſſunt tranſire ad aliud Monaſterium ſine licentia.*
† *Profeſſio facta ante decimumquartum annum, non obligat.*
4 *Habitum Profeſſorum recipiens, &c. ad priorem ſtatum redire non poteſt.*
5 *Canonicus Regularis poteſt effici Monachus.*
† *Minor 14. annis profitendo, non obligatur Religioni, niſi factus maior, ratum habuerit.*

1 NVllus admittitur ad Religionem, nifi volēs, & in ætate legitima. *ex cap. Nul-*
† *lus 1. de Regularibus, &c.* Impubes Monafterium ingreffus de confenfu parentum, fi parentes intrà annum reclament, eo tranfacto, non poffunt ampliùs illud reuocare; fi verò pubes factus, fit Religionem ingreffus per vim, fi ipfe, vel parētes intrà annum non reclamant, reuocari ampliùs ab ipfis non poteft. *Ex cap. Si quis 2. &c. de Regularibus, &c.*

Qui habitu, & nomine se fingunt Monachos, eo non sint, cogi debent, vt verè fiant, vel veri Clerici. *Ex cap. Vt Clerici* 3. Vidua si sponte velum conuersionis sibi imponit, & inter velatas in Ecclesia oblationem Deo obtulit, debet retinere habitum Religionis, velit nolit, etiamsi iuret, sibi impositum, velamen vt deponeret. *Ex cap. Vidua* 4. Item Nouitius se proprijs professorum actibus ingerens, censetur professus. *Ex cap. eisaen.*

3 In Religionibus Insularum non admittuntur pueri ad Religionem ante decimum-octauum annum, eo, quòd ibi asperior obseruantia vigeat. *Ex cap. Quia in Insulis est.* Cistercienses non possunt transire ad aliud Monasterium sine licentia sui Abbatis; si secus fecerit, redire ad suum Monasterium, cogendus est. *Ex cap. Non est* 7. Professio facta ante decimumquartum annum, non obligat; & si post decimumquartum annum suscipiat habitum professorum, & ante triduum dimiserit sine sufficienti probatione, non est professus, quia sine deliberatione præsumitur. *Ex cap. Ad nostram* 8.

4 Suscipientes habitum Religionis, animo perseuerandi ante professionem, non possunt ad priorem statum redire; & si illius Religionis austeritates ferre non possunt, coguntur transire ad minorem Religionem, nec assumi debent ampliùs in Ecclesijs Secularium: In anno probationis possunt redire ad priorem statum in eadem veste, qua venerunt. *Ex cap. Super eo* 9.

5 Canonicus sæcularis potest effici Monachus, si Religio, ad quam trãsit, est strictior sua; & si non strictior, redire debet ad suam. *Ex cap. Sane* 10. Oblatus Religioni à parentibus, si profitetur ante decimũ quartum annum, professio est nulla; & ideò potest exire, nisi factus maior, illam ratificauerit.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Filia minor 12. annis à parentibus Monasterio tradita, si maior facta sponte velatur, ad sæculum redire non potest.*
2 *Professio facta sine susceptione habitus, valet.*
† *Pater si cum bonis suis, & filio impubere, se obtulit Monasterio, si filius factus maior recedat, potest petere bona paterna, &c.*
3 *Professio furiosi quomodo valeat.*
† *Quæ requirantur ad professionem.*
4 *Professionem faciens, ad obseruantiam Regularem compellitur, licèt in claustro nunquam permanserit.*
† *Licitum est Religioso transire ad strictiorem Religionem, &c.*
† *Religiosus non potest relinquere Prælatum, &c. vt fiat Religiosus.*
5 *Vir, & Vxor iurantes separationem, &c. transeunt ad secundas nuptias, quando cogendi sunt, vt reuertantur ad primas.*
6 *Suscipiens habitum Nouitij ante professionem, potest redire ad sæculum.*
† *Licitè possunt ad Ordines promoueri, &c.*
† *Habitum Monachalem per annum gestans, quando habeatur pro Monacho.*
7 *Nouitij intra annum probationis, ad sæculum redire possunt.*
† *Religiosi fugitiui sunt requirendi, &c.*

1 PVella, quæ ante decimum annum accepit habitum Religionis cum benedictione solita, si in ætate debita ratam habet professionem, non potest ampliùs relinquere habitum; sed si nubilis sumpsit habitum coactè, potest relinquere. *cap. Cùm virum* 12. *de Regularibus.*

2 Professio facta ratione infirmitatis sine habitu in manu Abbatis, est valida, quia habitus non facit Monachum, sed professio Regularis. *Ex cap. Porrectum* 13. Pater, si cum suis bonis, & filio impubere se tradat Monasterio; & filius factus maior non vult esse Monachus, exire potest ex Monasterio, & petere bona paterna, quæ ex successione sibi proueniunt. *Ex cap. Cum simus* 14.

3 Non valet professio furiosi, nisi factus mentis compos professionem ratam habeat. *Ex cap. 1. Sicut* 15. Professio facta, nondùm elapso anno nouitiatus, valet, quia annus probationis est inductus ad fauorẽ vtriusque partis, nimirùm Nouitij, & Monasterij. *Ex cap. Ad Apostolicam* 16. Post verò Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 15. nullus vnquàm potest profiteri, nisi post expletum suæ probationis annũ, nec huiusmodi terminus, & probationis tempus, etiam ex consensu Nouitij, & Monasterij, potest renunciari, aut remitti, sub pœna nullitatis ipsius professionis.

4 Qui facta professione, in Claustro nunquam mansit, sed in sæculo, & cum vsu suorum bonorum, est cogendus per excõmunicationem ad habitum Regularem. *Ex cap. 2. sicut nobis* 17. Licitum est cuilibet Religioso, zelo sanctioris vitæ, transire ad strictiorem Religionem, petita priùs licẽtia sui Prælati, quamnis non obtenta, quãuis prima Religio habeat priuilegium, vt suus Regularis non possit transire ad aliũ locum, etiam prætextu arctioris Religionis, ipsis inuitis, quia priuilegium intelligitur, ne quis temerè, vel leuitate, in iacturam, vel iniuriam sui Ordinis, ad alium se transferat, & non pro eo, qui cũ humilitate, & veritate, licentiam petit, quam Prælatus non debet proterue negare. Itẽ nullus Præsul præsumat relinquere Prælatum absque licentia Papæ, quia communis vtilitas præfertur speciali vtilitati. *Ex cap. Licet* 18.

5 Quando Vir, & Vxor iurant separationem, quia Vir dicit, se cognouisse auitam Vxoris, ac proindè separati transeunt ad secundas nuptias, cogendi sunt, vt illis relictis, reuertantur ad primas, quia impedimentum non erat probatum; & si quid habent contrà propriũ matrimonium, debent proponere, vel ambo ingredi Religionem. *Ex cap. Veniens* 19.

6 Monasterium ingrediens, sumendo habitum

bitum Nouitij, potest intrà tempus probationis redire ad Sæculum : si verò ingrediatur animo seruiendi Deo in habitu Regulari, non potest: sed si non placet illa Religio, debet ad aliam transire, licèt laxiorem. *Ex cap. Consul.* 20. Nouitij ad Sæculum redeuntes, licitè possunt ad Ordines promoueri, & in Ecclesia ministrare. *Ex cap. Postulasti* 21. Habitum Monachalem per annum gestans, licèt nõ faciat expressam professionem, post annum habetur Monachus; & cogendus censuris, vt seruet regulam. *Ex cap. Ex parte* 22.

7 Nouitij intrà annum probationis, liberè ad sæculum redire possunt, nisi professionem fecerint tacitè, vel expressè, vel appareat, illos vitam mutare voluisse, & Deo seruire. *Ex cap. Statuimus* 23. Religiosi fugitiui ianuatim sunt requirendi, & cogendi, vt ad Monasterium reuertantur. *Ex cap. Ne Religiosi* 24.

P A R A G. III.

Textus Sacrorum Canonum, De Conuers. Coniugat.

S V M M A R I V M.

1 *Quando Maritus ingreditur Religionem, Uxor quid debeat facere.*

† *Matrimonium ratum dissoluitur per professionem, &c.*

2 *Professionem faciens inuita Vxore, si ad illam redeat, ea mortua, non cogitur redire ad Monasterium.*

3 *Quando vnus Coniux ingreditur in Religionem, remanens in sæculo, debet continentiam vouere, &c.*

† *Coniugatus, absque licentia Vxoris ordinari nequit, nisi Vxor voueat castitatem, &c.*

† *Item non potest promoueri ad Episcopatum, &c.*

4 *Sponsa de præsenti, si vult ingredi Religionem ante copulam, intrà duos menses debet ingredi.*

† *Uxoratus non potest transire ad Religionem, nisi Uxor priùs voueat castitatem.*

5 *Coniugatus, qui, consentiente Vxore, facit professionē, cum alia contrahere non potest, etiam si Monasterium non intrauerit.*

† *Professus Religionem, Uxore viuente, & dissimulante, ea mortua, non potest aliam ducere.*

6 *Coniux, quæ vouit continentiam, tenetur reddere debitum, si ad tempus vouit.*

† *Vt Coniux fiat Religiosus, quæ in altero requirantur.*

7 *Sponsalia de præsenti, dissoluuntur solùm per professionem.*

† *Maritus factus Monachus, à Coniuge adultera reuocari non potest.*

8 *Vxor, quæ decepta consentit vt Maritus profiteretur, non potest ipsum reuocare, si fornicetur.*

† *Potest ipsum repetere, si licentia fuit metu extorta.*

† *Vxor professi non compellitur ingredi Monasterium, &c.*

9 *Adultera pœnitens, quando in Monasterio collocari debeat.*

† *Coniuges si se inuicem absoluunt, ingrediendo Religionem vnus, altera potest ipsum repetere.*

10 *Vxor quando possit intrare Monasterium ob fornicationem spiritualem Mariti.*

1 VIr, si de licentia Vxoris ingreditur, & profitetur Religionem, Vxor etiam Religionem tenetur ingredi, vel promittere perpetuam castitatem seruare; & si hæc non vult facere, Vir est reuocandus è Monasterio ab Episcopo. *Ex cap. Præterea* 1. *de conuers. Coniugat.* Matrimonij rati † vinculum omnino dissoluitur per Religionis solennem professionem alterius Sponsi, & Coniux manens in sæculo, est omninò à † vinculo solutus, quia cùm non fuerint effecti vna caro, potest vnus trãsire ad Deũ, & alter remanere in sæculo. *Ex cap. Verum* 2.

2 Professionem qui facit, inuita Vxore, & deindè cogitur ad illam redire, non compellitur denuò Monasterium ingredi: Matrimonium verò aliud contrahere non potest, quia licèt votum nõ teneat, quòad redditionem debiti; tenet tamen quòad peticionem. *Ex cap. Quidam intrauit* 3.

3 Coniux vnus non potest ingredi Religionem, altero manente in sæculo; sed si Vxor ita senex est, & sterilis, vt sine suspicione possit manere in sæculo, potest Episcopus dispensare vt, ea manente in sæculo, & castitatem promittẽte, Vir eius transeat ad Religionem, vel ambo profi-
† teantur. *Ex cap. Cum sis* 4. Vxoratus non est promouẽdus ad Sacros Ordines, nisi Vxor voueat castitatem, & Virum absoluat. *Ex*
† *cap. Coniugatus* 5. Item Vxoratus non potest promoueri ad Episcopatum, nisi priùs Vxor Religionem profiteatur. *Ex cap. Sanè* 6.

4 Sponsa si post matrimonium ratum vult ingredi Religionem, cautionem debet dare, vt intrà duos menses ingrediatur, vel redeat ad suum Virum: at si transeat ad Religionem, vterque restituat alteri, quæ ab eo noscitur accepisse. *cap. Ex*
† *publico* 7. Vxoratus non debet ingredi Religionem, nisi priùs eius Vxor voueat castitatem, vel ità sit senex, vt nulla sit suspicio transeundi ad secundas nuptias. *Ex cap. Uxoratus* 8.

5 Coniugatus, qui de cõsensu Vxoris professionem emisit, & deindè mansit cum Vxore, quæ nõ vouit, nec ingressa est Religionem, quia erat iuuenis, ea mortua, non potest denuò contrahere matrimonium; & si contrahat, inualidè contrahit, & debet compelli ingredi Monasterium.
† *Ex cap.* 1. *Ex parte* 9. Professus Religionem, Vxore viuente, & dissimulãte, & mortua, non potest aliam ducere; & si ducit, debet eam relinquere, & ingredi Religionem. *Ex cap. Consuluit* 10.

6 Vxor, quæ continentiam vouit, consentiente marito, ad tempus, debet reddere debitum marito petenti. *Ex cap. Carissimus* 11. Secùs verò si Vxor vouisset continen-
† tiam perpetuam. Coniux si altero inscio, profiteatur, non potest à Religione recedere, nisi viro repetente: reductus tamen nõ cogitur, altero mortuo, redire ad Monasterium. *Ex cap. Placet* 12. Coniux non potest fieri Religiosus sine altero, vel si sit

ſine ſuſpicione continentiæ, & voueat. *Ex cap. Ad Apoſtolicam* 13.

7 Sponſalia de præſenti diſſoluuntur ſolùm per profeſſionem in Religione, & nõ per votum perpetuæ continentiæ ſeruandæ in ſæculo. *Ex cap. 2. Ex parte* 14.
† Maritus factus profeſſus non poteſt reuocari à Muliere adultera. *Ex cap. Conſtitutus* 15. Et innocenti Coniugi licitum eſt tranſire ad Religionem, inuito adultero. Sanchez *de matrim. lib. 10. diſput.* 11. Reginal. *lib. 31. num. 327.* & alij.

8 Vxor, quæ decepta conſenſit, vt Maritus profiteretur, & ipſa deindè fornicatur, non poteſt poſt fornicationem petere Virum, ſi ipſe profeſſus innocens ſit. *Ex cap. Veniens* 16.
† Poteſt tamen Vxor Virum repetere, quando licentia fuit metu graui extorta. *Ex cap. Accedens* 17.
† Vxor, quæ dedit licentiam Marito ingrediẽdi Religionem, non poteſt compelli ingredi Religionem, quia ſi id illi expreſſum fuiſſet, non conſenſiſſet. *Ex cap. Significauit* 18.

9 Vxor, quæ ob adulterium ſeparata fuit à Marito, & conuerſa, ſi Maritus non vult eam recipere, eſt collocanda in Monaſterio cum Religioſis fœminis, vt ibi perpetuam pœnitentiam agat. *Ex cap. Gaudemus* 19. Coniuges, ſi inuicem ſibi dederunt licentiam, & promittunt continentiam, & alter ingreditur Religionem, alter alterũ non poteſt repetere, imò compelli debet vitam mutare, niſi ſit ſenex. *Ex cap. Dudũ* 20.

10 Maritus fidelis, ſi fiat infidelis, & per ſentẽtiam Iudicis fuit factum diuortium, propter fornicationem ſpiritualẽ quòad Thorum, Mulier, quæ remanſit fidelis, poteſt fieri profeſſa, inuito viro, qui reuerſus fuit ad fidem. *Ex cap. Mulier* 21.

PARAG. IV.

Textus Sacrorum Canonum. De Voto, & Voti Redemp. &c.

SVMMARIVM.

1 *Vota poſſunt iuſta cauſa in aliud commutari.*
† *Votum Hieroſolymitanum, ſolus Papa diſpenſat.*
2 *Verba ſimplicia non faciunt aliquem ad votum obligari, &c.*
† *Votum omne mutabile eſt in Votum Religionis.*
† *Voti vltra-marini executio poteſt auctoritate Papæ differri.*
† *Eccleſia compellit heredem, &c. ad executionem voti vltra-marini, ad quod ſe obligauit pro Defuncto.*
3 *Papa commutat Votum vltra-marinum in vigilias, &c.*
† *Dilatio quando concedatur impedito Votum exequi vltrà marinum.*
4 *Votum Terræ Sanctæ non poteſt redimi niſi per Papam.*
† *Non ſatisfacit voto Religionis Epiſcopatum ſuſcipiendo.*
† *Prælatus profeſſus poteſt votum vltra-marinum emittere.*

1 EPiſcopus poteſt cõmutare vota ſuorum ſubditorum in ſua Diœceſi; & in commutando debet conſiderare qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis. *Ex cap. Peregrinationis* 1. *de Voto, & Voti, &c.*
† Papa vero diſpenſat in voto Hieroſolymitano, in ijs maximè, qui in ætate puerili vouerunt, & commutat in eleemoſynas; & conſulit, vt vouens nutriat pauperem, dùm viuit. *Ex cap. Venientis* 2.

2 Proponens in animo fieri Religioſus, & cum hoc propoſito dicit, non morabor diù in mundo, non dicitur vouiſſe, *ex cap. Litteraturam* 3.
† Vota omnia mutãtur in votum Religionis, *ex cap. Scripturæ* 4., quia temporale obſequium mutatur in perpetuum.
† Voti vltra-marini executio de licẽtia Papæ differri poteſt ex iuſta cauſa, *ex cap. Non eſt* 5.
† Eccleſia compellere poteſt hæredem, qui promiſit explere votum vltra-marinum defuncti excommunicatione, & priuatione hæreditatis, *ex cap. Licet* 6.

3 Papa commutat votum vltra-marinum in vigilias, orationes, &c., etiam quæ debet facere, ſed deuotiùs tùnc maximè cum ceſſat cauſa, quæ induxit ad vouendum, ità etiam quoad expenſas faciẽdas in eundo, redeundo, &c. *ex cap. Magnæ* 7.
† Impedito pro infirmitate ad tempus exequi votum vltra-marinum, dilatio conceditur: perpetuò verò impedito inducitur redẽptio, & expenſæ faciendæ mitti debent in ſubſidium Terræ Sanctæ, & pro labore iniungi aliæ pœnitentiæ, *ex cap. Quod ſuper his* 8.

4 Commutatio voti Terræ Sanctæ ſpectat ad ſolum Summum Pontificem, vel ad illos, quibus ſpecialitèr committit, *cap. Ex multa* 9.
† Religionem ingredi vouens, non ſatisfacit, Epiſcopatũ ſuſcipiendo, ſed debet priùs Religionem intrare, quàm Epiſcopum fieri, *ex cap. Per tuas* 10.
† Prælatus regularis profeſſus poteſt votum vltra-marinum emittere, & ſecum ferre vigeſimam prouentuum Eccleſiæ, dummodò tamen eius abſentia, Eccleſia non enormitèr læderetur, *ex cap. Poſtulaſtis* 11.

PARAG. V.

Textus Sacrorum Canonum de ſtatu Monachorum.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non debet moleſtare Monaſteria, niſi cauſa diſciplinæ.*
† *Monachi non debent recipi in Monaſterio pro pretio, &c.*
2 *Ciſtercienſes debent redire ad primam obſeruantiam.*
† *Canonicus regularis proprietarius, &c. non debet in Cœmeterio ſepeliri, &c.*
3 *Canonicus regularis poteſt præfici Parochialibus.*
† *Monachi, quibus caſibus, &c. uti debeant.*
4 *Obſeruanda in Capitulo Prouinciali.*
5 *Viſitatores Monachorum aut corrigere debent.*

1 EPiſcopus non debet moleſtare Monaſteria, niſi cauſa diſciplinæ, nec debet acccipere ſibi ea, quæ ſunt oblata Monachis à fidelibus, *ex cap. Theodoſius* 1. *de ſtatu Monachorum*, Monachi non ponantur ſinguli per villas, & oppida, vel Parochiales Eccleſias,

clesias, sed maneant cum aliquibus Fratribus: In Monasterio non accipiantur pro pretio, alitèr receptus, à Sacris Ordinibus arceatur, & recipiens ab officio suspendatur: nec permittantur habere peculium, nisi pro administratione ei iniuncta, & sit ab Abbate permissum, & qui secùs fecerit, ab Altaris communione remouetur, & sic decedens, à sepultura, & Fratrum communione priuatur; Prior nullus fiat, vel custos, mediante pretio; si secùs, dans, & accipiens priuantur sacro ministerio, *ex cap. Monachi* 2.

2 Cisterciences, qui declinaufit ab Institutō, debent redire ad primam Institutionē, & id etiam tenētur facere domus, seu Monasteria illis aggregata; *ex cap. Recolentes* 3. Regularis Canonicus, qui proprietarius moritur, nō est sepeliendus in Cœmeterio, & si de facto sepultus fuit, est exhumandus, si id sine scandalo fieri potest, *ex cap. Super* 4.

3 Canonicus regularis potest præfici in Ecclesijs Parochialibus, seu Curatis sæcularibus, *ex cap. Quod Dei* 5. Monachi non debent vti lineis camisijs, nec possidere proprium aliquo modo, & si Monachus non restituit, de Monasterio expellatur; & si cum proprietate moritur, proprietas cum ipso sepeliatur in sterquilinio; In Oratorio, Refectorio, & Dormitorio semper silentium seruatur: in Claustris verò certis horis, & locis seruetur secundùm consuetudinem. In Refectorio nullus vescatur carne, sed nec extrà, nisi in Infirmaria. Abbas in solemnitatibus non egrediatur cū multis ad edendas carnes, & in camera sua potest Abbas modò hos, & modò illos vocare, & dare carnes. Debiles, & infirmi non in cubiculis, sed in Infirmaria edant. Potest etiam Abbas in Refectorio prouidere alicui delicato, vel infirmo de aliquo cibo particulari. Abbas non potest super proprietate, & vtilitate dispensare, imò nec Summus Pontifex *ex cap. Cum ad Monasterium* 6.

4 Capitulum Prouinciale regularium singulis triennijs debet fieri in vno Monasterio, ad hoc apto, & qui non consueuerunt facere Capitulum, ducāt secum duos Abbates Cisterciences pro consilio, & auxilio: Conuenientes viuant communitèr, eligant visitatores, qui visitent Abbatias, &c. reforment, corrigant, &c.: Idem seruent Canonici regulares: Item Diœcesani reforment Monasteria sibi subiecta, nec sinant grauari à Visitatoribus *ex cap. In singulis* 7.

5 Visitatores inquirant Monachos delinquentes; faciant per Abbates corrigi, & si Abbates in corrigendo sunt negligentes, publicè in Capitulo generali puniantur, *ex cap. Ea, quæ* 8.

PARAGR. VI.

Textus Sacrorum Canonum de Religiosis domibus.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia consecranda, quando dubitatur, cuius Diœcesis sit, à quo debeat consecrari.*

2 *Papa, quando vnit Ecclesiam, &c. nulli derogat.*

† *Episcopo sunt omnia loca pia subiecta.*

3 *Locus pius auctoritate Episcopi fundatus est Religio-sus.*

4 *Religiosa loca per Religiosos debent ordinari.*

† *Episcopus cedens iura Episcopalia, &c. non est simoniacus.*

5 *Episcopus petens aliquam Ecclesiam, &c. quam iurisdictionem obtineat, &c.*

6 *Monasterium est subiectum Episcopo Diœcesano, &c.*

† *Excommunicatio, &c. non valet post legitimam appellationem.*

7 *Religionem nouam non licet constituere, &c.*

1 QVando consecranda est Ecclesia posita inter duos Episcopatus, & dubitatur, in cuius Diœcesi existat, ille Episcopus eam consecrabit, ad quem incolæ illius loci, priùs quàm Ecclesia esset fabricata concurrebant pro Baptismo, & pro alijs Sacramentis *ex cap. Nunc autem* 1. *de Religiosis domibus*, &c.: Ratio, quia Ecclesiæ non definiuntur terminis, sed collatione Sacramentorum.

2 Papa, quando vnit Ecclesiam, quæ est in vna Diœcesi, Monasterio, quod est in altera, iurisdictio illius Ecclesiæ remanet penes Episcopum primæ Diœcesis, quia Papa non affert præiudicium vlli Episcopo, *ex cap. Quia* 2. Omnia loca pia alienius Diœcesis subijciuntur Episcopo loci, in quo sunt, & ab eo debent ordinari ad finem, in quem sunt Instituta, *ex cap. De xenodochijs* 3.

3 Locus, auctoritate Episcopi, destinatus ad vsum hospitalitatis, ad mundanos vsus redire non debet, quia est Religiosus, sicut nec vestes, & alia vtensilia ad cultum Religionis per Pontificem deputata, *ex cap. Ad hæc* 4.

4 Monasteria sunt ordinanda per Regulares, nec possunt transferri ad Clericos sæculares, nisi regularibus deficientibus, *ex cap. Inter quatuor* 5. Episcopus cedens alicui Monasterio iura Episcopalia alicuius, ei, Ecclesia debet soluere pensionem *ex cap. Constitutus* 6.

5 Episcopus petens Ecclesiam in spiritualibus, & temporalibus, obtinet in spiritualibus, & temporalibus, eo ipso, quòd probat, illam esse in Diœcesi, si non appareat exēpta, sed in temporalibus succumbit, nisi aliter probet de iure suo per instrumentum, *ex cap. Cum venerabilis* 7.

6 Monasterium est subiectum Episcopo, in cuius Diœcesi situm est, nisi probetur exemptum per legitimam præscriptionem *ex cap. Cum dilectus* 8. Excommunicatio, suspensio, & interdictum lata in exemptos, non valet post legitimam appellationem *ex eodem cap.*

7 Reli-

7 Religionem nouam non licet constituere, sed si vult esse Religiosus, ingrediatur vnam de approbatis, nec in duobus Monasterijs debet residere vnus Abbas *ex eodem cap.*: Item qui vult fundare nouam domum Religionis, Regulam, & Institutionem de approbatis sumere tenetur *ex cap. Ne nimia* 9.

PARAG. VII.

Textus Sacrorum Canonum de Capellis Monachorum.

SVMMARIVM.

1 *Monasterium, quando habet curam, in ea debet praeficere Clericum saecularem.*

2 *Ecclesia non Cathedralis, quando vendicat sibi plura iura, quae debeat obtinere.*

† *Monachi non possunt singuli commorari in Prioratibus, &c.*

3 *Ordinarius potest compellere censuris Abbates, &c., vt Monachos ad claustrum reuocent, &c.*

4 *Presbyteri, qui à Monachis praesentantur pro iure, &c. non possunt à Monachis amoueri, &c.*

Monasterium, quando habet populum sibi subiectum, curam animarũ per Monachos exercere non potest, sed Clericus saecularis instituti debet ab Episcopo, qui populum regat, *ex cap. In Ecclesijs de capell. Monach.* Hodie tamen, sic disponente Concilio Tridentino *sess. 25. de regularibus cap. 11.* in Monasterijs, quibus imminet cura animarum, personae tàm saeculares, quàm regulares huiusmodi curam exercentes subsunt in ijs, quae pertinent ad curam, correctioni, visitationi, &c. Episcoporum; nec Curatus aliquis potest deputari, nisi de eorumdem Ordinariorum cõsensu, & praeuio examine per examinatores Synodales faciendo.

2 Ecclesia non Cathedralis, quando vindicat sibi plura iura in alia Ecclesia, solùm ea obtinebit, quę probabit sibi deberi praescriptione, vel alio legitimo modo: non † tamen quoad alia *ex cap. Dilectus* 2. Monachi non possunt singuli commorari in Prioratibus Monachorum, etiam de priuilegio Sedis Apostolicae, nisi in eo fiat mentio Concilij Lateranensis *ex cap. Ex parte* 3.

3 Ordinarius debet compellere censuris Abbates, vt Monachos à Prioratibus reuocent ad claustrum, ponendo in eis Clericos saeculares, vel eis socios adiungant Monachos, cum quibus possint regulariter viuere *ex cap. Ad audientiam* 4.

4 Presbyteri, qui à Monachis praesentantur pro cura animarum in Ecclesijs sibi subiectis, & ab Episcopo sunt instituti, debent esse perpetui, nec possunt à Monachis amoueri, non obstante quocumque priuilegio, vel consuetudine: sed si subsit causa rationabilis, vt amoueantur, debent amoueri ab Ordinario, *ex cap. Presbyteri vnicè de capell. Monach. in 6.*

PARAGR. VIII.

Decreta Summorum Pontificum de Regularibus.

Regulares cuiuscumque Ordinis, etiam Mendicãtium, quantumuis Sedis Apostolicae sint Capellani, Superioribus suis sunt subiecti. Gregorius XI. *constitut. incip. Pro Romanis, V. Id. Nouembris* 1373.

Regulares cuiuscumque Ordinis, quantumuis exempti, de haeresi suspecti, puniuntur ab Inquisitoribus haereticae, prauitatis. Pius IV. *constitut. 51. incip. Pastoris 1. Aprilis* 1562. & Paulus V. *constitut. 26. incip. Romanus pridie Kal. Septembris* 1606.

Regulares in suis Ecclesijs, quando Diuina celebrantur officia, pauperes mendicare non permittant Pius V. *constit. Cum primum Kal. Aprilis* 1566.

Regularium numerus cuique Monasterio, & Conuentui praefigendus est. Paulus V. *constit. 9. incip. Sanctissimus 4. Decemb.* 1605.

Regulares Clerici, qui ante professionem factam ad Sacros Ordines promouentur, ipso facto suspensi sunt, & ità actus Ordinũ susceptorum exercendo fiunt irregulares. Pius V. *in constit. incip. Romanus Pont. sub dat. pridie idus Octobris* 1568. Gregorius XIII. exemit ab hac constitutione Patres Societatis Iesu.

Regulares saecularium confessiones audire non possunt, nisi praeuio examine, ab Ordinarijs approbati fuerint. Pius V. *constit. 133. incip. Romani, octauo idus Augusti* 1571. & etiam à suis Superioribus. Clemens VIII. *constit. 115. incip. Quecumque 7. Decembr.* 1604.

Religionem arctiorem, qui ingredi voueruñt Canonicorum Regularium Congregationẽ intrare possunt. Iulius II. *constit. 30. incip. Inter ceteros 4. Non. Aprilis* 1512.

Religionem aliquam qui in genere vouerũt, si Clericorum Regularium Congregationem intrent, voto satisfaciunt. Clemens VII. *in constitut. 38. incip. Dudum 7. Martij* 1533.

Religionem ingredi non possunt illegitimi, criminosi publici, nisi facta diligente inquisitione de vita, & moribus. Sixtus V. *constit. 71. incip. Cum de omnibus 6. Kal. Decembris* 1587.

Regulariũ Superiores non cognoscunt causas suorum subditorum, ad officium Sanctissimae Inquisitionis spectantes. Paulus V. *constitut. 26. incip. Romanus Kalendas Septembris* 1606.

Decreta Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium. De Regularibus.

Regulares vtriusque sexus, & tàm Nouitij, quàm Professi, comprehenduntur sub constitutione Pontificis, qua munerum largitio interdicitur. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regular. *in S. Seuerina 23. Iulij* 1603.

Regulares ad interueniendum orationi quadraginta horarum in Cathedrali, nõ possunt

funt Ordinarij constringere. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regul. *in Salernitana anno 1581.*

Regulares exercentes curã animarum, subsunt iurisdictioni visitationi, ac correctioni Episcoporum, in ijs tamen, quæ ad dictam curam pertinent. S. Congr. Episc. & Regul. *sub die 6. February 1627.*

Regularibus facultas audiēdarum confessionum ad beneplacitum per Ordinarios cōcessa, potest quandocumque reuocari. Sacra Congregatio Episc. & Regular. *in Papien. 12. Marty 1619.*

Regularibus ad strictiorem Religionem trāsire volētibus, si beneuolos in ea inueniūt receptatores, ac deuotionis feruore ductis sufficit petita, licet non obtenta à suis Superioribus licentia *sub die 13. Septembris 1583.*

Regulares Ordinum Mendicantium nō possunt transire ad aliam Religionem, præterquàm ad Carthusianos, &c. *ad general. Carthus. mense Marty 1596.*

Religiosus appellare debet à Superiore locali ad Prouincialem; à Prouinciali ad generalem; à generali ad Protectorem; à Protectore ad Sacram Congregationem, & à Sacra Congregatione ad Summum Pontificem. S. Congr. Regul.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij de Regularibus.

Regulares in Ciuitatibus existentes, Conseruatores sibi eligere debent, coram quibus inueniantur.

Regulares in die Paschatis Sãctissimam Eucharistiam administrare non possunt. *2. Marty 1619.*

Regulares vtriusque sexus non possunt retinere propriã, sed omnia debent dare suis Superioribus, à quibus primò subueniendum est necessitatibus eorum; reliquum verò conferendum in vsum Monasterij.

Regularis, qui legitimè renunciauit suis bonis, Coniunctorum, & iuri succedendi etiam in bonis parentum, factus Episcopus recuperat ius succedendi, etiam quoad renunciata, ad fauorem tamen suę Ecclesię *die 11. Ianuary 1631.*

Regulares curam animarum sæcularium exercentes, in emolumentis legitimè percipiendis prohiberi possunt per Episcopum, nec cedant taxam ab eo præscriptam *18. Septembris 1625.*

Regulares sunt incapaces beneficij simplicis, etiamsi essent Canonici Regulares, non autem beneficij curati.

Regulares Clerici etiã Ordinum militariū, ad concursum Parochialium admittendi non sunt.

Regulares tenentur ad decimas Parochiali pro prædijs ad eos prouenientibus, pro quibus decimæ soluebantur. *sub die 18. Decembris 1627.*

Regularis suspensus à Diuinis potest eligere, quia in Regularibus electio non pendet ab ordine, sed à regularitate. *in Minimorum 7. Septembris 1628.*

Regulares non possunt in Sabbato Sancto benedicere domos, cum non possint hoc munus extrà suum Conuentum exercere. *sub die 23. Nouembris 1619.*

Regularis deducens intrà quinquenniū nullitatem professionis, tenetur eam probare coniunctim coram proprio Superiore regulari illius Monasterij, in quo professionem emisit, & coram Ordinario illius loci, in quo professus est. *in nullius 1. Decembris 1593.*

Regulares non possunt aggregare suæ regulæ personas in articulo mortis constitutas. S. Congr. Rit. *in Spoletana terræ demisso 20. Iuny 1609.*

Regularem exemptum, qui ob notorium delictum in censuras incidit, potest Episcopus denunciare pro publico, & excommunicato, vt tamquàm talis euitetur ab omnibus. *29. Ianuary 1633.*

Regularis ad audiendas confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopò approbatus minimè potest audire confessiones Monialium alterius Monasterij. *anno 1623.*

Regulares ab Episcopo antecessore, præuio examine, approbatos potest modernus Episcopus pro maiori conscientiæ suæ quiete rursus examinare. *in Albanen. 5. February 1628.*

Regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prędicare volentes, non tenentur ab Episcopo licentiam obtinere, sed solùm se præsentare, & ab eo benedictionem petere.

Regulares Monasterij vltrà medium milliare à Ciuitate distantis non possunt ab Episcopo compelli accedere ad processiones.

Regulares in Processionibus debent Clerum sæcularem anteire. *30. Augusti 1602.*

Decreta Sacræ Congregationis Rit. de Regul.

Regulares in Processionibus incedūt post Confraternitates Laicorum *7. Augusti 1621.*

Regulares possunt cogi etiam, per censuras accedere ad publicas Processiones, etiam exempti. *24. Septembr. 1605.*

Regulares non possunt facere Processiones cum Sanctissimo Sacramento per limites Parochiæ, & Ecclesiæ Collegiatę. *28. Augusti 1615.*

Regulares non possunt impedire, quominùs Episcopus per suos Canonicos cantari faciat Missas in eorum Ecclesijs, etiam exēptis, ad quas dirigantur, & terminentur Processiones. *in Firmana 25. Ianuary 1603.*

Regulares cuiuscumque Ordinis, quotiescūque absque Sacræ Congregationis licentia Moniales alloqui reperti fuerint, carcerari debent, &c. *in Fauentina 7. Marty 1617.*

Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasteria Monialium regularibus subiectarum, ibique in loco colloquijs destinato cum Moniali colloquens, potest vigore cōstitutionis Gregorij XV. à Diœcesano Episcopo, tãquàm Sedis Apostoli-

cæ

cæ Delegato puniri. Sacra Congr. Concil. *anno 1624.*

Religiosi, qui in canone, vel in precibus, tacito nomine Antistitis, suos Superiores nominant, contrà charitatem faciunt. 12. *Nouembris* 1605.

TITVLVS LXIV.

De Religionibus in particulari. Et primò de Monachis.

1 ERant olim statim à tempore Apostolorum, qui Monasticam, & Religiosã vitam colerent, sicuti testatur Philo Iudæus *in libro de vita contemplatiua*; & Dionysius Areopagita *lib. de Eccles. Hierarc.* expressam de Monachorum vita, perfectione, ac solenni professione mentionem facit.

2 Verùm, procedente tempore, cùm feruor ille Christianorum, secundùm Apostolicam formam viuentium remitteretur, ij, *Quibus adhuc Apostolicus inerat feruor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes à Ciuitatibus, in locis Suburbanis commanere cœperunt*, ait Cassianus *collat. 18. cap.* 5. Posteà verò vlteriùs progressi, qui maioris perfectionis studiosi erant, in solitudinem, seu Eremũ intrarunt; & ità fecit Sanctus Antonius, vt refert Sãctus Athanasius in vita ipsius, quo duce, ac instructore, quamplurima ibi Monachorum habitacula, seu Monasteria ædificata fuerunt; ad exemplum Antonij Hilarion in Palæstina Zenobia fundauit. Item Pachomius, & alij Sancti Patres: eodem fermè tempore Basilius in Græcia, non tantùm Religiosos visos in Monasteria collegit, sed etiam certam viuendi Regulam eisdem præscripsit, cùm anteà nullis certis Regulis, sed tùm interna Spiritus Sancti monitione, tùm traditionibus, quas à maioribus, & senioribus acceperant; tùm etiam Superiorum suorum viua voce, & iussu ducerentur, sicuti testatur Hieronymus Platus *de bono statu Religionis lib. 2. cap.* 22. Miranda *in Manuali Prælatorum tom 1. quæst. 4. artic.* 10.

3 Institutum igitur primum Monachorũ viuentium sub Regula, est Sancti Basilij, ab eodem Sancto institutum anno Domini 369. Pontifice Felice II. Imperatore Iuliano Apostata: vestiuntur eius Monachi nigro colore.

4 Sub hac Religione militant omnes Monachi Græcæ, & Orientalis Ecclesiæ. Eius Institutum in Italiam translatum fuit: habet hæc Congregatio aliqua Monasteria, & inter alia Monasterium propè Romam, quod dicitur *Grotta-Ferrata*. In meliorem, ac arctiorem disciplinam redacti sũt per Gregorium XIII. perfruuntur singulis Indultis Cõgregationis Cassinensis: exempti sunt à iurisdictione Ordinariorum, & Commendatorum, qui Regulam Ordinis non sunt professi, & eorum generalis Abbas eandem potestatem, ac iurisdictionem habet, quàm cæteri Abbates generales in suos Ordines, vt statuit Gregorius XIII. *Constitut. 58. incip. Benedictus, Kal. Nouembr.* 1577.

5 Secundum Institutum Monachorũ sub Regula viuentium, est Institutum Sancti Benedicti, ab eodem fundatum anno Domini 500. sub Pontifice Symmaco, sub quo militant plures Congregationes Monachorum, quarum prima est Congregatio Cluniacensium in Gallia, quæ anno Domini nongẽtesimo decimotertio, ab Odone Cluniacense Abbate initium sumpsit, & nomẽ à Monasterio Cluni. Vestiũtur Monachi eodem habitu, quo Benedictini, nimirùm nigro.

6 Ex eodem Sancti Benedicti Ordine orta est Congregatio Camaldulensium, autore Romualdo Rauẽnate, Viro Sãctissimo, qui circà annum nongentesimum sexagesimum septimũ, in ipso Appennino Congregationem suam fundauit, sub Pontifice Ioanne XIII. Imperatoribus Occidentis, Othone; Orientis, Nicephalo Phoca.

7 Camaldulensium Congregationem primus omnium approbauit Alexander II. *Constitutione prima incip. Nulli. 29. Octobris* 1562. vestiuntur Monachi albo colore, tunica, scapulari, & pallio: reguntur ab vno Generali, qui vsque ad tempora Leonis X. eligebatur perpetuus; exindè ad trienniũ eligitur Leo X. *Constit. incip. Etsi à Summo, sub dat. 4. Non. Iulij* 1513.

8 Ex eodem Sancti Benedicti Ordine orta est Congregatio Monachorum Vallisvmbrosæ: Huic initiũ dedit Ioãnes Gualbertus Florentinus, qui inimico, quem in sui potestatem habebat, per Christi mortem, quæ eo ipso die colebatur, salutẽ deposcenti, non solùm pepercit, sed etiam eũ amplexatus, loco Fratris, quem is occiderat, accipere se dixit: quod factum tantoperè Deo placuit, vt eo statim proximam ædem Sacram Sancti Miniatis ingresso, lignea Imago Christi in Cruce pendentis, ad quẽ supplex orabat, quasi ei abblãdiens, caput inflexerit: qui posteà Religiosæ vitæ amore, & studio permotus, Congregationem suam instituit, quæ ex eo, quod in Valle rarissimis arboribus consita instituta fuit; idcircò dicta fuit Congregatio Monachorum Vallis-vmbrosæ: vtuntur Monachi nigris vestibus, vt Benedictini; intus verò, albis.

9 Monachi Carthusiẽses fundati fuerunt à Sancto Brunone sexdecim annis ante Institutionem Congregationis Cisterciẽsis: sectantur arctissimè vitæ Institutum: à carnibus perpetuò abstinent, etiam cùm morbo tenentur: silentium perpetuò obseruant: vtuntur veste alba; eorum Ordinem approbauit Alexander III. *in Constit. 7. incip. Cùm vos. 4. Nonas Septembr.* 1176.

10 Cisterciensium Congregatio etiam ex Benedicti Ordine emanauit anno millesimo, & nonagesimo octauo. Instituta fuit à Sancto Roberto Monacho Benedictino, Cœnobij Molismen. Abbate, sub Pontif. Vrbano II. Imperatoribus Occidentis, Henrico IV; Orientis, Alexio Commeno; & quia Robertus reuocatus fuit ad Monasteriũ Molismen. Monasterio Cisterc. Stephanus suffectus fuit: quindecim deindè

de annis exactis, Bernardus Dei nutu ad Stephanum venit, & in Cisterciensi Cœnobio, cùm triginta Socijs, sese Monasticę vitæ addixit: Bernardi verò mira virtute, & Sanctitate, ità est Ordo Cisterciensis auctus, vt dimissis in totum terrarum orbem Monachis, centum sexaginta Monasteria viuens ipse Bernardus exstruxerit. Induuntur Monachi tunica alba, scapulari nigro: vtuntur etiam cucula alba, seu etiam nigra; obseruant Regulam Sancti Benedicti, sũt exempti à iurisdictione Ordinariorum, & solutione quorumcunque Ordinum, &c. Anno Domini 1588. reformatus fuit Ordo, & Instit. à Ioanne de la Barriera; & Instituta Congregatio dicta Beatæ Marię Fulien. sic dicta ex eo, quod originẽ habuit in Monasterio Beatæ Marię Fulien., quę posteà diuisa fuit in duas Cõgregationes, Gallorum, scilicet, & Italorum. Congregatio Gallorum retinuit nomen Beatæ Mariæ Fuliensis; Congregatio Italorum sortita est nomen Reformatorum Diui Bernardi: participant in priuilegiis Ordinis: sunt exempti à iurisdictione Ordinariorũ, &c.; regũtur vnaquæque à suo Generali: induuntur cuculla alba, & cincti incedunt.

11 Grandimontensium Ordo, sub Regula Sancti Benedicti, institutus est à Stephano Albanensi apud Lemouicenses, qui ipsius Ordinis primam Sedem, & Domiciliũ, in quodam Monte fixit, circà annum millesimum septuagesimumsextum: eorum habitus vilis est, & totus ad pœnitentiam compositus, cùm aliquando ex Loricis ferreis constaret.

12 Humiliatorũ Ordo, sub Regula quoque Sancti Benedicti fuit: cępit circà annum millesimum centesimum nonagesimumsextum: suam originem duxit à quibusdã Viris nobilibus Mediolanẽsibus, qui post dirutam patriam iussi abire exules in Germaniam; indè precibus, & humilitate regressi in Mediolanum iterum adepti sunt: quia verò vestibus albis induti, postliminium impetrarunt, eisdem vestibus, Deo seruire decreuerunt anno citato, Pontifice Cęlestino III. Imperatoribus Occidentis, Henrico; Orientis Alexio.

13 Gulielmitarum Ordo institutus fuit à Gulielmo Vercellensi, Viro nobilissimo, anno 1134. Pontifice Calisto II. Imperatore Occidentis, Henrico V. Orientis, Emanuele Commeno. Hic Oratoriũ Beatę Virgini Dei genitrici exstruxit, ad quem multi Sanctitatis fama permoti conuenerunt; & ipse sub Sancti Benedicti Regula Ordinem instituit, quem Ordinem Alexander III. sua auctoritate confirmauit.

14 Ordo Syluestrinorum est sub Regula Sancti Benedicti: institutus fuit à Sancto Syluestro Canonico Oximano, qui fuit Monachus Vallis-vmbrosæ, anno 1231. Pontifice Gregorio VIIII. confirmatus est ab Innocentio IV. anno 1258.

15 Cęlestinorum Ordo institutus fuit à Petro Moronio Heremita In Regno Neapolitano, Pontifice Gregorio X. Imperatoribus Occidentis, Rodolpho I. Orientis, Michaele Paleologo; quem Ordinẽ Gregorius X. approbauit anno 1274. Dictus est Ordo Cęlestinorum, quia Petrus ille eius Institutor, viginti post annis, ad Summum Pontificatum electus, Cęlestini V. nomen accepit: vndè hic nomen toti eius familię impositum mansit. Monachi, nigra veste vtuntur cum in publicum prodeunt: sunt exempti à iurisdictione Ordinariorũ, &c.

16 Oliuetanorum Ordo, sub Regula quoq; Sancti Benedicti viuit, ac militat, & dicitur Oliuetanorum à Monte Oliuarum in Comitatu Ilcinensi, non longè à Senis, vbi primũ eius Monasterium erectum est: institutus fuit à Bernardo Ptolomeo, Senatore nobilissimo Senensi, vnà cum alijs duobus socijs, Ambrosio Piccolhomineo, Patritio de Patritijs, anno 1319. Pontifice Ioanne XXII. qui anno 1324. Ordinem cõfirmauit; Imperatoribus Occidentis, Ludouico IV. Orientis, Andronico: vtuntur albis vestibus; gaudent exemptione à iurisdictione Ordinariorum, &c.

17 Monachi Cassinenses, priùs dicti Sanctæ Iustinæ à primo eius Monasterio, & totius Familiæ capite Patauij, sub patrocinio Sanctæ Iustinæ Virginis, & Martyris, instituti fuerunt à Ludouico Balbo Benedictino Ordinis Cluniacensis, anno 1410. Pontifice Gregorio XII. Imperatoribus Occidentis, Roberto; Orientis, Andronico III. Desijt hęc Congregatio Sanctæ Iustinæ anno 1504. quòd illi est vnitum Monasterium Cassinense eo pacto, vt Cassinenses in posterum dicerentur.

TITVLVS LXV.
De Mendicantibus.

SVMMARIVM.

1 *Mendicantes quinam dicantur?*
2 *Ordo S. Pauli primi Heremitæ, à quo institutus*
† *A quo Confirmatus?*
3 *Ordo B. M. de Mercede, à quo institutus?*
4 *Ordo Sanctiss. Trinitatis, à quo institutus?*
5 *Ordo Seruorum B. M. V. à quo institutus?*
6 *Ordo Carmelitarum, à quo originem duxerit?*
7 *Congregatio Carmelitarum Excalceatorum, à quo inceperit?*
8 *Ordo Heremitarum S. Augustini, quando institutus?*
9 *Ordo S. Francisci Assisiatis, à quo initium habuerit?*
10 *Conuentuales vndè dicti?*
11 *Obseruantes à quo cæperint?*
12 *Tertiarij itidem.*
13 *Capucini à quo originem habuerint?*
14 *Ordo Minimorum S. Francisci de Paula, à quo cæperint?*
15 *Ordo Cruciferorum, à quo institutus?*
16 *Fratres Sancti Ambrosij ad Nemus, vndè cæperint?*
17 *Ordo Iesuatorum, à quo institutus?*
18 *Ordo Sanctæ Brigitæ, à quo cæperit?*
19 *Ordo Heremitarum Sancti Hieronymi, à quo institutus?*

1 Præ-

1 PRæter Monachos sunt etiam in Ecclesia Dei alij Religiosi, qui Mendicantes dicuntur ex eo, quòd nequaquam sit illis permissum, fundos, prædia, possessiones, annuos redditus possidere, sed ex eleemosynis sibi datis, vel ostiatim quęsitis victũ, & alimenta comparant; quorum primus est Prædicatorum Ordo, institutus à Sancto Dominico Hispano, Canonico Regulari Sancti Augustini, anno Domini 1205. Pontifice Innocentio III. Imperatoribus Occidentis, Philippo; Orientis, Balduino. Approbatus fuit hic Ordo solenniter ab Honorio III. in sua *Constit. secunda incip. Religiosam. 11. Kal. Ianuar.* 1216. Vtuntur tunica cum scapulari candido, cum pallio nigro: habent priuilegium exemptionis a iurisdictione Ordinariorum; præcedunt alijs Religiosis cuiuscunque Ordinis Mendicantium. Pius V. *Constit. 71. incip. Diuina. 27. Augusti* 1566.

2 Ordo Sancti Pauli primi Heremitæ institutus est à Beato Eusebio Stigoniensi in Regno Vngariæ, anno 1215. Pontifice Innocentio III. Imperatoribus Occidentis, † Federico II. Orientis Henrico VII. Confirmatus fuit hic Ordo sub Regula Sancti Augustini à Fratre Gentili de Monte-Florum, Cardinali Familiæ Franciscanæ, Legato Clementis V. apud Vngaros, anno 1308. Induuntur albo panno, scapulari integros humeros contegente, sed qui medias tibias vix attingat.

3 Ordo Beatę Marię de Mercede, Redemptionis captiuorum, institutus fuit à Iacobo Aragonorum Rege, adiuuantibus Sancto Raymundo de Pennafort, & Beato Petro Nolasco. A Gregorio VIIII. confirmatus fuit die 18. Ianuar. 1230. & Regulam Sancti Augustini eos profiteri voluit idē Gregorius IX. *in sua Constitutione incip. Deuotionis. 16. Kal. Februarij* 1235. Occupantur in redemptione captiuorum, adduntque in professione quartum votum, quòd in Saracenorum potestate in pignus, si necesse fuerit, ad redemptionem Christifidelium, detenri manebunt. Est etiam in hoc Ordine Congregatio quædam Excalceata, seu Reformata, quę initium habuit anno 1603. sollicitante R. Patre Ioanne-Baptista à Sãcto Sacramento, eiusdem Ordinis Religioso: illam confirmauit Paulus V. *sua Constit. incip. Inter omnes. 19. Kal. Septembris* 1606.

4 Ordo Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorũ, institutus fuit à duobus Anachoretis, Ioanne de Matta, & Felice; quem approbauit Innocentius III. *Constit. 9. incip. Operante. 14. Kal. Iulij* 1209. & confirmarunt plures Pontifices, vt testatur Gregorius XIII. *in sua Constit. incip. Reginini militantis. 19. Martij* 1575. Occupantur ex instituto suo in redimendis captiuis, ex seruitio infidelium; vndè eleemosynas pro dicto opere quærere possunt: gaudet priuilegio exemptionis, &c.

5 Ordo Seruorum Beatæ Marię institutus fuit à Septem Nobilibus Viris Florentinis sub Regula Sancti Augustini, Pontifice Gregorio IX. Imperatoribus Occidentis Federico II. Orientis Balduino II. induuntur vestibus nigris; ferunt tunicam tantùm cum scapulari, & pallio nigro; illum approbauit Benedictus XI. *Constit. prima incip. Dum leuamus 3. Idus February* 1303.

6 Ordo Carmelitarum suam originē habuit in Monte Carmelo, qui vltimam Regulam, quam nunc seruant, acceperũt ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano, antequàm Vrbs Hierosolyma caperetur à Saladino Ægypti Sultano, anno circà 1171. Confirmata est Regula Carmelitana, vnà cum Religione ab Alexandro III. anno 1180. moderata est Regula quoad ieiunia, & esum carnis ab Innocentio III. *vt in eius Constit 6. incip Quæ honorem, anno* 1247. & *ab Eugenio IV. vt in eius Constit. III. incip. Romanis. 15. Kal. Martij* 1431. à quo etiam acceperunt Carmelitani pallium album.

7 Congregatio Carmelitarum Excalceatorum incepit à Sancta Theresia. Habuit Generalem proprium illi datum à Clemente VIII. *vt Constit. et eius Constit. 71. sub dat. Romæ 20. Septembr.* 1593. Carmelitarum huiusmodi Excalceatorũ Congregatio in Italia, ab Hispanica separatur, licèt fruatur ijsdem priuilegijs, quibus Hispanica Congregatio perfruitur: eius Religiosi, ad processiones accedere non coguntur: gaudent priuilegio exemptionis, &c.

8 Heremitarum Sãcti Augustini Ordo institutus fuit sub Alexandro IV. *vt in eius Constit. 6. incip. Licèt. 4 Non. May* 1256. Confirmatus fuit à subsequentibus Pontificibus, vt patet in multorum Bullis, quas cumulauit Frater Laurentius in suo Bullario Augustiniano: Sunt etiam Heremitæ Excalceati Sancti Augustini.

9 Ordo Sancti Francisci Assisiatis institutus fuit ab eodem Sancto Francisco anno 1208. Innocentio III. Pontifice; Imperatoribus Orientis Othone IV. Orientis Roberto: diuisus est totus Ordo Franciscanus in quatuor Congregationes, Conuentualium scilicèt, Obseruantiũ, de Pęnitentia, Capucinorum: vnaquæque habet suum Generalem distinctum, ab alia independentem.

10 Conuentuales dicti sunt à Magnificis ædificijs, ac Claustris erectis; vnde quandoque Claustrales appellabantur. Impetrarunt priuilegium ab Innocentio IV. anno 1244 vt bona in communi possiderent, & exindè profiteri cœperunt Regulam cum limitatione priuilegiorũ; gaudent priuilegio exemptionis, &c.

11 Obseruantes cœperunt industria, & zelo cuiusdam Fratris Pauli Laici, & Leo X. *Constit. 23. incip. Item. 4. Kal. Iuny* 1517. à Conuentualibus seiunxit, & eorum Ministrũ generalem ad sex annos eligi posse statuit.

12 Tertiarij de Penitentia instituti fuerunt à Sancto Francisco, post institutionem primi Ordinis, & secundi Sanctæ Claræ; qui idcircò dicitur Tertius, eumque de Penitentia nominauit, & Pius V. *in sua Constit. incip. Ea est, 5. Nonas Iunij* 1568. Voluit vt vni-

voluerit Generalem, & Prouincialis Ministros Ordinis Fratrum Minorū de Obseruantia, tanquàm Superiores agnoscerent,& eis obedirent, licèt Sixtus V. *in sua Constit. incip. Romanus Pontifex. 29. Martij 1586.* restituerit Tertium Ordinem in pristinum statum, vt possit,sicut priùs, Generalē per triennium creare ex ijs Tertiarijs. Sūt alij Reformati, qui cæperunt in Gallia anno Domini 1595. vacant prædicationibus cōferentijs,& cōtrouersijs in Hæreticos,&c.

13 Ordo Capucinorum, suam originem duxit à quibusdam Fratribus Minoribus de Obseruantia,anno 1525. Dicuntur Capucini à Capucio oblongo, & accuminato, quod gerunt ad imitationem Sancti Francisci, cuius contendunt fuisse illum habitum. Approbatus fuit hic Ordo à Clemente VII. *Constit. 21. incip. Religionis zelus, anno 1528.* vbi concedit quod possint barbā deferre,& habitum cum capucio quadrato gestare teneantur.

14 Ordo Minimorum Sancti Francisci de Paula, institutus fuit ab eodem Sancto Francisco de Paula anno 1436. Pontifice Eugenio IV. Imperatoribus Occidentis, Sigismundo,Orientis,Ioanne Paleologo: Eius professores emittunt quartum votū de abstinentia Quadragesimali, idest de non edendo, extra infirmitatem, & necessitatem, per totam vitam,ea, quæ in Quadragesima vetantur: fruuntur exemptione à iurisdictione Ordinariorum, &c.

15 Ordo Cruciferorum institutus fuit à quinque Viris valdè Pijs Ordinis Ecclesiastici, Pontifice Innocentio IV. qui cōfirmauit Ordinem sub Regula Sancti Augustini.

16 Fratres Sancti Ambrosij ad Nemus instituti fuerunt à tribus Nobilibus Viris Mediolanensibus, sub inuocatione Sancti Ambrosij, in loco extra moros,vbi tempore Sancti Ambrosij,Nemus erat; & idcircò dicuntur ad Nemus; instituti fuerunt sub Regula Sancti Augustini, anno 1431. Pontifice Eugenio IV. *vt in eius Cōstit. 22. incip. Regimini. 4. Non. Octobris 1441.* Vniti postea fuerunt cum Fratribus Sancti Barnabæ à Sixto V. quam vnionem approbauit, & confirmauit Paulus V. *Constit. 15. incip. Pastoralis. 21. Ianuar. 1606.*

17 Ordo Iesuatorum institutus fuit à Ioanne Columbino Senensi, sub Regula Sancti Augustini, Pontifice Innocentio VI. Imperatoribus Occidentis, Carolo IV.; Orientis, Calo Ioanne: illum approbauit Martinus V. *Constit. 11. incip. Pia postulatio. 3. Kal. Nouembr. 1428.* dicuntur Iesuati, eo quod ità à Pueris vocari solerēt,vel quod frequens esset in ore primorum Patrum nomen Iesus.

18 Ordo Sanctæ Brigitæ institutus fuit ab eadem Sancta Brigita, sub Regula Sancti Augustini, Pontifice Vrbano V. Imperatoribus Occidentis,Carolo; Orientis,Calo Ioanne.

19 Ordo Heremitarum Sancti Hieronymi per Hispaniam,institutus, seu reformatus fuit sub Regula Sancti Augustini à Domino Petro Fernandez, nobili Castellano Petri Regis Castellæ, anno 1370. Pontifice Vrbano V. Imperatori Occidentis, Carolo IV.; Orientis Calo Ioanne; licèt alij Fundatorem, seu Reformatorē faciāt Patrem Lupum de Olmetto Hispanum, & alij Fundatorem faciunt: vtuntur tunica alba, scapulari,& capucio camelino: gaudent priuilegio exemptionis,&c.

TITVLVS LXVI.

De Canonicis Regularibus.

SVMMARIVM

1 *Canonici Regulares Lateranenses vndè dicti?*
2 *Ordo Canonicorum Regularium Præmonstratentium, à quo institutus?*
3 *Ordo Canonicorum S. Antonij,à quo cæperint?*
4 *Ordo Canonicorum Mantuanorum vndè initium habuerit?*
5 *Ordo Canonicorum S. Saluatoris, vndè initium habuerit?*
6 *Canonici S. Spiritus, à quo instituti?*
7 *Canonici S. Georgij in Alga, à quo inceperint?*

1 SVnt etiam alij Religiosi in EcclesiaDei, qui Canonici Regulares appellantur, sub Regula Sancti Augustini. Quorum primi sunt Canonici Lateranenses,sic appellati ab Ecclesia Sancti Ioannis Laterani in Vrbe: induuntur Canonici Regulares Lateranenses, tunica alba, Rochetto ex bisso, pileum nigrum portant: sunt exempti à iurisdictione Ordinariorū, &c.

2 Ordo Canonicorum Regularium Præmonstratentium,institutus fuit à Norberto Episcopo, posteà Magdeburgensi Germaniæ Primate,sub Regula Sancti Augustini, anno 1120. Pontifice Calysto II, Imperatoribus Occidentis,Henrico V.Orientis, Ioanne Canneno: Confirmatus fuit ab Honorio II. *in sua Constit. incip. Honorius Episcopus. sub dat. Kal. Martij 1126.* Vtuntur albis vestibus, & aliquando rochettum deferunt tenuissimi lini, maximè dum Diuinis,festiuis diebus, in Ecclesia intersunt cùm almussia ex pellibus agninis albis.

3 Ordo Canonicorum Regularium Sancti Antonij initium habuit à nobilissimis Viris Gastone, & Girino, siuè Girondo eiusdem Gastonis filio, ex Viennensi, seu Delphinatu Prouincia oriundis, sedente Vrbano II. circà annum 1095. Pontifice Gregorio VII.Imperatoribus Occidentis, Henrico IV. Orientis, Alexio Conneno, sub Regula Sancti Augustini; vt constat *ex Constitutione Bonifacij VIII. incip. Sanè inter dilectos. 17. Kal. Iunij*; in qua etiam illis strictè præcipit signum *Tau* deferre.

4 Ordo Canonicorum Regularium Mantuanorum à Sancto Marco institutus fertur; licèt Monasterium eius Vrbis fundauerit Henricus, anno 1150. Pontifice Eugenio III., Imperatoribus Occidētis,Conrado III.; Orientis,Connenō. Possidet iste Ordo, solummodò duo Monasteria, vnū Mantuæ,& alterū Neli propè Patauium.

5 Ordo Canonicorum Regularium Sancti Saluatoris sic dictum à primo Monasterio,quod habuit sub nomine Saluatoris

Y in

in Silua, lacus non longè à Senis, institutus fuit à Fratre Stephano, Heremita Sancti Augustini, Pontifice Gregorio XII, Imperatoribus Occidētis, Roberto; Orientis, Andronico III. Gregorius XII. *Constit. 2. incip. Excitat. Non. Decembris* 1407. dicitur etiam hęc Cōgregatio *Scopettina*, à Monasterio, quod initio institutionis habuit propè muros Florentiæ, sub nomine Sancti Donati Episcopi Fesulani: vtuntur vestibus albis; vt Canonici Lateranenses præterquàm quod patientiam portant, & pallium nigrum deferunt, cùm foras procedunt: sunt exempti à iurisdictione Ordinariorum, &c.

6 Ordo Canonicorum Sancti Spiritus in Saxia, institutus fuit ab Innocentio III. anno 1198., Imperatoribus Occidentis, Herico IV.; Orientis, Alexio; Angelo, Curant hi Religiosi hospitalitatem, & inseruiunt ægrotis: exempti sunt à iurisdictione Ordinariorum, & subsunt iurisdictioni Præceptoris Hospitalis Sancti Spiritus, quem Summus Pontifex designat: vtuntur habitu nigro Sacerdotali: ferunt Crucem in pectore ex Holoserico albo, iuxtà formam, quam portant Equites Sācti Ioannis Melitensis, præterquàm quod hastile magnum duo habet ligna trāuersa, atque duplicem efformat Crucem, quarum Superior minor sit, inferior maior.

7 Ordo Canonicorum Sancti Georgij in Alga, sic dictus ab Alga parua insula distante duobus milliaribus à Venetijs; institutus fuit à D. Antonio Corario Bononiensi, & Episcopo Ostiensi, anno 1408. Pontifice Gregorio XII., Imperatoribus Occidentis, Roberto; Orientis, Andronico III. Vtuntur habitu cęruleo; idcircò etiam dicuntur Canonici cęrulei: hunc Ordinem approbauit Gregorius XII. *Constit. 2. incip. Iliis, 5. Kal. Iuly* 1406.

TITVLVS LXVII.

De Clericis Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Congregatio Theatinorum, à quo fundata?*
2 *Societas IESV, à quo instituta?*
3 *Clerici ministrantes infirmis, à quo ceperint?*
4 *Clerici Regulares S. Pauli, à quo fundati?*
5 *Clerici Regulares minores, à quo initium habuerint?*
6 *Congregatio Clericorum Somascha, undè ortum habuerit?*
7 *Congregatio Clericorum Matris Dei, à quo instituta?*
8 *Congregatio Clericorum Pauperum Matris Dei, à quo inceperit?*

1 PRæter enumeratos Religiosos sūt etiā alij Clerici Regulares Religiosi in Ecclesia Dei: quorum prima est Congregatio Theatinorum, fundata à B. Caietano Thienæo; & tribus alijs pijs viris. Sunt exempti à iurisdictione Ordinariorum, &c.

2 Ordo Clericorum Societatis Iesu, fundatus est à Sancto Ignatio de Loyola nobili Cantabro; & approbatus fuit à Paulo III. *Constit. 25. incip. Regimini. 5. Kal. Octobris* 1540. Et hæc Familia tres habet Classes; quarum prima est Religiosorum approbatorum; & continet omnes, qui exacto biennio Nouitiatus, vota Scolastichorum emittunt, castitatis, paupertatis, & obedietiæ, simplicia tamen: secunda Classis est Religiosorum formatorum; in ea sunt Coadiutores, quos vocant spirituales in Spiritualibus exercitijs circà proximos, occupatos in audiendis confessionibus, &c. sunt etiam in hac secunda Classe Coadiutores temporales formati, quorum officium est seruire Societati in temporalibus: tertia Classis est professorum, quorū duplex genus est. Alij sunt professi trium votorum solennium castitatis, paupertatis, &c. Alij, & obedientiæ addunt quartū, circà missiones, ex Summi Pontificis decreto: in his præcipuè sita est Societas, legendo, concionando, disputando, &c. emittunt etiam alia vota simplicia, vt verbi gratia, non ambiendi Dignitatem extrà, vel intrà Societatem; sunt exempti à iurisdictione Ordinariorum, &c.

3 Clerici Regulares ministrantes infirmis instituti fuerunt à Camillo de Lellis Sacerdote Neapolitano anno 1586. Pontifice Sixto V., Imperatore Occidētis Rodulpho II., Tyranno Orientis Amurat. III., & à Gregorio XIV; *constitut. 17. incip. Illius 11. Kal. Octobris* 1591. sub instituto Religionis eorum Congregatio approbata fuit, & exempti à iurisdictione Ordinariorum; seruiunt infirmis, tàm circà spiritualia, quàm circà corporalia.

4 Clerici Regulares S. Pauli instituti fuerunt à nob. Viris Iacobo-Antonio Morigia, Antonio-Maria Zacaria, & Bartholomæo Ferrario, Mediolanensib., & approbati à Clemente VII. *constit. 37. incip. Vota* 18. *Febr.* 1533. emittunt tria vota substantialia, sunt sub protectione Sedis Apostol. &c., eximuntur à iurisdictione Ordinariorum.

5 Clerici regulares minores instituti fuerunt ab Augustino Adorno Sacerdote Ianuensi cum Augustino, & Francisco de Caracciolis Sacerdotibus Neapolitanis, emittunt quatuor vota: substantialia in communi, & Clericali habitu viuere debent. Sixtus V. *constit. 81 incip. Sacra* 1. *Iuly* 1588.

6 Congregatio Clericorum Regularium Somalchæ ortum habuit ab Æmiliano Patritio Veneto anno 1528. Pontifice Clemente VII. Imperatore Occidentis Carolo, Tyranno Orientis Solimano, & nomē habuit à Somalcha exiguo Pago, vbi primùm illius fundamēta sunt iacta. Pius V. in Religionem, cooptauit, & sub Regula S. Augustini reposuit, concedens facultatem emittendi tria solennia vota, & nomen congregationis imposuit, videlicet Clericorum Somalchæ, vt in eius *constitut. incip. Iniunctum* 8. *idus Decembris* 1568. vtuntur habitu simili Societatis Iesu: sunt exempti à iurisdictione Ordinariorum.

7 Congregatio Clericorum Matris Dei, Lucæ primitùs erecta, instituta fuit à Patre Ioanne Leonardo sub Gregorio XIII. anno

anno 1574. fuit approbata hæc Congregatio a Clemente VIII. eamque exemit à iurisdictione Ordinariorum: emittunt vota simplicia, vigore litterarum Clementis VIII., Gregorius verò XV. de consilio Sacræ Congregationis Cardinalium, negotijs Episcoporum, & Regularium præpositę huiusmodi Congregationem in Religionem trium votorum solennium approbauit, prout in litteris in forma Breuis *sub die 3. Nouembris 1621.*

8 Congregatio Clericorum pauperũ Matris Dei instituta fuit à Iosepho Calatantio ex Regno Aragoniæ, & à Paulo V. fuit cõfirmata, prout in litteris in forma Breuis *sub. die 4. Ianuarij 1614* eius officium est, nullo stipendio, mercede, &c. Pueros in primis elementis, grammatica, computo, præcipuè in fidei Catholicæ rudimentis erudire; bonis, & pijs moribus imbuere, &c. Hanc Cõgregationem Gregorius XV. *constitut. 14. incip. In supremo 18. Nouembris 1621.* in Religionem trium votorum solenniter approbauit: sunt exempti à iurisdictione Ordinariorum, &c.

TITVLVS LXVIII.
De Abbatissis, & Monialibus.

SVMMARIVM.

1 *Requisita in puella, quæ Monialis debet fieri.*
2 *Cuius ætatis debeat esse.*
3 *Debet examinari ab Episcopo, vel eius Vicario.*
4 *Ante susceptionem habitus, si non est confirmata, debet confirmari.*
5 *Non potest renunciare anno approbationis.*
6 *In Monasterio quis numerus Monialium debeat esse.*
7 *Debet habere dotem sufficientem.*
8 *Non licet Monasterio aliquid accipere pro susceptione habitus.*
9 *Quando non soluitur dos tempore præfixo, potest Monasterium aliquid accipere, ratione damni, &c.*
10 *Dos quomodo debeat solui.*
11 *Ætas requisita ad professionem.*
† *Abbatissa cum Capitulo Nouitiam admittere debet.*
12 *Varia genera Monialium.*

1 Antiquitùs Monasteria Monialiũ erãt extrà Vrbes, & regimini Monachorum subiacebant: in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 5.* statutum fuit, vt earum Monasteria in Ciuitates transferrentur; antiquitùs Moniales, sanctimoniales, siuè Sorores appellabantur, in cuius fauorem multa à Sãctis Patribus fuerunt statuta; & ideò in primis puella, quæ Monasterium, seruiendi Deo causa, vult ingredi; liberè, & voluntariè debet ipsum ingredi. Vndè non sunt metu ad id compellendæ, *ex cap. Sicut eadem causa*, sicut etiam volentes non sunt impediendæ; & ideò Concilium Tridentinum decernit, nè puellis volentibus ingredi Religionem ius inferatur, & ideò peccant mortaliter cogentes puellas ad Religionem; & ita Ledesma *de statu Religio-sorum cap. 5.* Reginald. *lib. 18. num. 373.* Sayrus *in Claui regia lib. 6. cap. 9. num. 2.*: & ideò ad euitandum hoc, Concilium Tridentinum statuit excommunicatione cogentibus puellas ad Religionem: quod intelligendum est de vi coactiua, & non inductiua. Excipitur tamẽ casus, quando quis spontè vouit Religionem: Secundò, quando coniux conscius de dispositione iuris, consẽsit alterum ingredi Religionem: Tertiò, quando quis delictum commisit, propter quod necesse est, ipsum in Monasteriũ detrudi. Nec etiam excommunicationem incurrunt cogentes fœminas ad Monasteriũ ingressum, non vt profiteatur, nec vt habitum sumat, sed vt ibi sæculari retento habitu educetur, donèc sit apta matrimonio. Nauar. *consil. 56. de sententia excommunicat.* Berol. *in praxi Episcop. par. 1. verbo Moniales §. 13.* Suar. *tom. 5. de censuris disp. 23. sess. 5. nu. 1.* Sanch. *de præceptis Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 4. num. 12.*

2 Puella ante 12. annum non est admittenda ad habitum Religionis, cùm ante talem ætatem non censeatur habere iudicium requisitum ad electionem talis status; Ità Vgol. *de offic. & potest. Episcopi cap. 21. §. 1.* Azor. *par. 1. lib. 18. cap. 18. quæst. 55. & 56.* Naldus *verbo habitus num. 6.* & alij.

3 Puella, completo 12. anno, non priùs debet admitti in Monasterium, quin priùs ab Episcopo, vel eius Vicario examinetur, & eius voluntas diligentèr exploretur, an libera, vel coacta ingrediatur Monasteriũ, & ideò Episcopus, vt liberiùs puella voluntatem suam declaret, curabit, ipsam in locum commodum duci, prout magis expedire iudicabit; quę exploratio voluntatis non modò facienda est ante susceptionem habitus, verùm etiam ante professionem, quàm Monasterium ab eius iurisdictione exemptum existat; Ità Sacra Congregatio *in Liman. 19. Septembris 1625.*, & Episcopus compellere debet Monialium Abbatissam Ecclesiasticis censuris, ne sinat, Nouitiam professionẽ emittere, nisi priùs ipsum certiorem faciat, vt voluntatem puellæ explorare valeat, iuxtà pręscriptum Concilij Tridentini *sess. 25. de regular.* Requiruntur etiã plures aliæ qualitates in puella, quæ vult habitum Religionis assumere, nimirùm quòd non patiatur defectum, tàm ex parte corporis, quàm animæ, &c.

4 Antequàm puella habitum regularem suscipiat, debet, si non sit confirmata, confirmari, vt ex Sacra Congregatione refert Gauan. *in man. Episcoporum verbo Moniales §. Monialium receptio num. 36.*, & puella sic inducta debet deferre habitum Religionis per totum annum probationis. Azor. *1. par. cap. 2. quæst. 9* Reginald. *lib. 18. num. 384.* & alij.

5 Nouitia post Concilium Tridentinum, non potest renunciare anno probationis, cum necessariò requiratur, ex eodem Concilio *sess. 25. de regular. cap. 15.*, qui annus probationis debet esse cõpletus, & continuus, & non interpollatus; Ità Em. Rodriq. *in sum. tom. 2. cap. 8. num. 4.* Em. Sà *verbo Religio num. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 7.* Naldus *in sum. verbo Nouitius num. 4.*

6 In Monasterijs debet esse ille numerus præfixus Monialium, vt ex redditibus Monasterij sustentari valeant; ità habetur *in cap. Periculoso*, & *cap. Vnico* §. *Sanè de statu regularium*, qui numerus non dicitur augeri per Cõuersas. Numerus Monialium præfigendus est ab Ordinario in Monasterijs sibi subiectis: in ijs verò, quæ regularibus subiecta sunt, præfixio debet fieri ab Ordinario, cum interuentu tamen Superioris regularis, Sacra Congregatio Episcopo. Dertonensi *sub die 17. Martij* 1603.

7 Puellę, quæ vult ingredi Monasterium, debetur dos, cùm leges constituerint non modò filiæ nubenti, verùm etiam Monasterium ingredienti, dotem; Ità Baldus *l. fin. Cod. de dot. promiss.* & auth. *nisi rogati*. Felin. *in cap. Ecclesia num. 79.*, & in constitutione dotis seruanda est consuetudo: & ideò in pactis, & conuentionibus pro dote, nulla committitur simonia; & ità Rodriq. *quæst. regularium tom. 2 quæst* 48. *art.* 1. Suar. *tom. 1. de religione lib. 4. cap. 17. num.* 16. Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 13 num. 15.*, & opulentia Monasterij non obstat, quia simonia speciem sortitur ex obiecto, nempè quia spiritualis professio ipsa venditur pro re temporali, quod in isto casu non habet locum, cùm dos non accipiatur pro professione, sed pro victu; Ità Syluest. *verbo Simonia*. Nauar. *in man. cap. 27. num.* 3 Rodriq. *loco citato art.* 2. Tambur. *de iure Abbatissarum disput* 5 *quæst. 3. nu. 3.*, quæ dos taxanda est à Superiore Monasterij, cùm talis taxatio pertineat ad vtilitatem Monialium, idcircò in ea taxanda, consideranda est qualitas personæ, & Monasterij; & ideo possunt Superiores limitare dotes Monialium, etiam ipsis contradicentibus, ne augumentata dotium quãtitate, aliquæ aptæ, & habiles ab ingressu Religionis retrahãtur, & aliç inhabiles, & minùs aptę, propter excessum dotis, cum Religionis detrimento recipiantur; Ità Conar. *de sponsalibus 2. par. cap.* 3 Em. Rodriq. *loco citato art.* 3.

8 Non licet Monasterio aliquid recipere sub nomine dotis, vt patet ex Concilio Tridentino *sess. 25. de regular. cap. 16.*, licèt ratione victus, aut ratione mutui, vel accõmodati, possit aliquid accipere à parentibus, vel tutoribus, &c.: & licèt decretum generalitèr loquatur, tamẽ verba generalia debent limitari iuxtà intentione legis, cùm mutuum, & accommodatum non fiãt in ordine ad professionem, sed amicitiæ causa, & in Concilio prohibentur illæ receptiones pecuniæ, quæ sunt in ordine ad professionem; & ità nobiscum Suarez *de relig. tom. 3. tract. 7. lib. 5. cap. 9. nu.* 16. Em. Rodriq. *loco citato art.* 5. Villabos. *in sum. tom. 3. tract. 35. difficult. 19. num* 4.

9 Monasteriũ potest, ratione damni emergentis, quod patitur ex non solutione dotis, tempore præfixo, aliquid accipere, dummodò tamen non magis accipiatur, quàm par sit, & iustitia postulet: imò licet Monasterio, pro damno emergẽte paciści quantitatem pecuniæ, donèc Monasterio dos soluatur; ità Em. Rodriq. *loco citato art.* 7. Tambur. *loco citato quæst.* 6.

10 Regularitèr dos debet solui in pecunia, & nõ in assignatione bonorum stabilium, aut censuum, vt respondit Sacra Congregatio Episcopo Camerin. *sub die* 28 *Maij* 1588. Dixi regularitèr, quia de consensu Episcopi, potest solui in assignatione bonorum stabilium, aut census.

11 Nouitiæ non debent admitti ad professionem ante 16. annum, aliàs professio nulla erit ex Concilio Tridentino *sess. 25. de regular. cap.* 15. Abbatissa cum Capitulo eam admittere debent ad professionem cum licentia Superioris; professio tamen Monialium in Monasterijs Episcopo subiectis, fieri solet coram Episcopo, vel eius Vicario, præuio tamen assensu maioris partis Capituli; Nouitia ad professionem admitti consentiens, & contradicente maiori parte Capituli, ad professionem non est admittenda; nec toto Conuentu repugnãte, Abbatissa potest illam ad professionẽ recipere, nec Abbatissa repugnante. Abbas *in cap. Cum in Ecclesia*, Rodriq. *tom. 3. quæst. 17. art.* 7. Tambur. *loco citato disput. 6. quæst. 5. num.* 4.

12 Moniales quædam dicuntur relatæ, nimirùm Choro, & cultui Diuino dedicatæ, quorum status fuit antiquissimus in Ecclesia: quædam aliæ dicuntur Conuersæ, quæ in Monasterijs viuentes, & clausuram seruantes, Monialibus velatis seruiunt in Monasterijs: Monasterij emittunt solennia vota, vt velatæ, & sunt veræ, & propriæ Religiosæ, & in ijs admittendis ad Nouitiatum, aut ad professionem, omnia seruari debent, quæ seruantur in acceptatione, & professione velatarum: sunt etiã aliç Conuersæ, quæ non emittunt tria essentialia vota, nec tenentur ad clausuram, sed sunt seruitrices; siuè Conuersæ pro quæstu, & ad eleemosynas colligẽdas egredi possunt, quæ tamen binæ incedere debent, nec ab inuicem separari, dùm necessariam pro Monialibus stipem colligunt; quæ debent esse probatæ vitæ, & annorum saltèm 40.; neque extrà Monasterium pernoctare debent, vt declarauit Sacra Congregatio 14. *Aprilis* 1615. Sunt etiam quædam aliæ Moniales domi habitantes, quæ dicuntur Tertiatæ Religionum, Mãtellatæ, Cor igiatæ, &c. quæ non sunt veræ, & propriæ Religiosæ, cùm non emittunt vota essentialia, nec teneantur ad clausuram, sed solùm in spiritualibus viuunt sub obedientia Superioris alicuius Monasterij, & sub obedientia Ordinarij, in ciuilibus, & criminalibus non sunt exẽptæ, vt Religiosæ, sed subduntur Iudicibus sæcularibus, sicut aliç fœminæ, nec fruuntur Canone, *Si quis suadente, &c.*, & ità Suarez *de censuris disput. 22. sect. 1. num.* 28. Ioannes Dela Cruz *de statu relig. lib. 1. cap 2. dub. 3.*, nec etiam gaudent priuilegijs, & gratijs Religionum: si verò collegialitèr viuant, & voto castitatis adstringantur sub decenti habitu regularium, gaudent priuilegijs fratrum, quorum regulæ sunt adscriptæ ex Leone X. *sub anno* 1616. 1618. Possunt, & debent etiam, inuito, ac minimè requi-

requisito Parocho, in Ecclesijs Fratrum sepeliri; secùs verò si supradictis qualitatibus careant; ità refert decisum à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium. Gauant. *in man Episcoporum verbo Eucharistia num.12.*, vbi ait, quòd mulieres collegialitèr viuētes, seù cum claustralibus degentes, tùm etiam mulieres virginalem, seù cœlibem vitam ducentes, expresso voto non solenni, & sub decenti habitu regularium, gaudēt priuilegijs Fratrū, quorum tertiæ regulæ habitum gestant. Sunt etiam quædam mulieres, quæ simùl congregantur, & instar Canonicorum regularium viuunt, ac Diuinas laudes, & preces recitare, & cantare solent, & vulgò dicuntur Canonistę sæculares, quæ degunt in Germania, Belgio, & Lotharingia, &c., quæ possunt è Monasterio exire, & matrimonium cōtrahere, excepta Abbatissa, Priorissa, & Sacrista, quæ perpetuam virginitatem vouent, cui tenētur aliæ obtemperare, eiusque salubria mandata obseruare. Sunt etiam aliæ, quę dicuntur oblatæ, seù donatæ, quæ propriè non sunt Religiosæ, quia vt ait Nauar. *lib. 2. consil. de statu Monachorum consil. 6.*, nullo se voto obedientię, aut castitatis adstringūt, nec clausuræ legibus subijciuntur, & per consequens nō sunt Religiosæ. Alię etiam sunt, quę dicūtur pœnitētes, seù Couertitę, quę induuntur albis vestibus, & eo ipso, quo ingrediuntur Monasteriū, possunt professionem emittere, iuxtà constitutionē emanatam à Sancta Sede, quam refert Tamburinus *disput. 7. quæst. 6.*, quę per Concilium Tridentinum non fuit sublata. Sunt etiam aliquæ mulieres, quę dicuntur inclusę, quę domibus se includunt, vt pœnitentiam agant, & Deo liberiùs deseruiant, quæ si in communi viuant, & sub obedientia Superioris, &c. gaudent priuilegio fori, vt refert Barbosa *iur. vniuers. Ecclesiastici lib. 1. cap. 9. nu. 43* Secùs dicendum est de alijs mulieribus, quæ in domibus suis priuatam vitam ducunt.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Moniales tenentur ad obseruantiam votorum.*
† *An possit habere peculium.*
2 *Non possunt possidere datum, &c. tamquàm proprium, & &c.*
3 *Possunt conficere aliquid magni valoris, quando subministrantur necessaria, &c.*
† *An peccent cōtrà votum paupertatis faciendo eleemosynam de pecunia sibi data à parentibus.*
4 *Monialis tenetur ex voto ad castitatem.*
5 *Item obligatur ad votum obedientiæ.*
† *In quibus casibus non teneatur obedire.*
6 *Quomodo teneatur obedire Abbatissæ.*
7 *Abbatissa nō potest præcipere in Virtute Sanctæ Obedientiæ.*
† *Item nec sub pœna excommunicationis.*

1 MOniales tenentur ad obseruantiam votorum, & ideò primariò tenentur ad votum paupertatis, tamen votum non obstat, quominùs possint habere aliquod peculiū, vel annuos redditus, de licētia tamen Abbatissæ, & ad nutum eius reuocabiles, supposita tamen iusta causa, & ità plures citati à Tamburino *disput. 8. quæst. 1.*
† *num. 13.* Imò licitum est ex licentia Pontificis, emittere professionem sub hac conditione, quod possint habere peculiū quòad vsum facti, quia vt sic non est habere dominium, dummodò nō habeant peculium tamquàm propriū, sed solùm quòad simplicem vsum: Secundo, quod illud habeāt cum licentia expressa, vel saltem tacita Abbatissæ: Tertiò, vt peculium sicut annuus redditus sint moderati; ità vt non excedant qualitatem personæ: Quartò, quod peculium, & annui redditus sint incorporati bonis Monasterij: Quintò, quòd ad nutū Abbatissę sint reuocabiles: Sextò, quod Moniales illis redditibus non malè vtantur, sed solùm pro proprijs vsibus, & necessitatibus: Septimò, quod Monialis non teneat peculiū penès se, sed in loco deputato ad depositum: Octauò, quod Monialis de licentia Abbatissæ recipiat de peculio in loco publico depositato.

2 Moniales nō possunt possidere relictum, vel datum tamquàm proprium, sed est expendēdum ab Officialibus publicis Monasterij, imò datum debet consignari Abbatissę, vel de eius licentia retineri, vel expendi: licet tamen Moniali, cui Pater, vel consanguineus aliquid dedit, ad sui libitum, expendendum, de licentia Abbatissæ, sæculari tradere illud, vt dominium illius remaneat apud sęcularem, & quotannis illi aliquid soluat, atque ea defuncta, illud quòad dominium remaneat apud sęcularem, pręcipuè si donans noluerit rei Moniali, donatæ dominium transferri Monasterio, sed omninò cedere in Monialis vsum, quia tùnc Monialis non acquirit dominium, aut proprietatem, sed solùm facti ex licentia Superioris; Ità Vega *tom. 2. sum. cap. 32. casu 19.* Sanchez *lib. 7. cap. 22. num. 16.* Hieronymus Rodriq. *in compend. quæst. regular. resol. 98 num. 9.* & alij citati à Tambur. *disp. 8 quæst. 4. num. 7.*

3 Monialis sua industria potest conficere aliquid, etiam magni valoris pro consanguineis, aut familiaribus, dummodò subministrent necessaria, vt res conficiatur, & de licentia Abbatissæ; ità Bonacin. *in tract. var. d. disput. 3. put. 1. num. 5.* Sfortia *in selectis consiliis. parent. Monorum. 396.* quia Clemens VIII. in sua Bulla *de largitione munerum* prohibet tantùm largitionem munerum de pecunijs, vel de alijs rebus iam Monasterio acquisitis; in isto casu nulla fit largitio de pecunijs, vel de bonis acquisitis Monasterio, cùm ipsi subministrent omnia necessaria: Item potest Monialis de licentia Abbatissę aliquid elargiri sęcularibus, vel Religiosis, quia quod fit cum licentia, non est contrà paupertatis votum:
† Item non peccat contrà votum paupertatis Monialis, quæ accipit pecuniam à parentibus, vel alijs, vt eam in eleemosynā largiatur; & ità Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 7. num. 4.*

num. 4. Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro relig. lib* 8. *quæst.* 109. *num.* 2. & alij: Ratio, quia Monialis recipiendo dictam pecuniam cū intentione largiendi ipsam in eleemosynam, non acceptauit dominium illius, & proprietatem, sed tantùm illam recepit nomine alieno: Item Moniales, de licentia Abbatissę, possūt inter se munera largiri, & in isto casu sufficit licentia tacita; ita Diana *de paupertate religiosa resol.* 18., vbi ait, largitionē munerū intelligendam esse prohibitā in ordine ad Religiosos, in qbus ambitio timere pōt, vt patet in verbis supradictæ Bullę, *Ne praua ambitione impulsi*; cùm autē in Monialibus non habeat locū ista pręsumptio, sequitur etiam, Bullam in Monialibus non habere locum, cùm lex fundata in pręsumptione non habeat locum in foro conscientiæ, vbi ipsa non datur.

4 Monialis tenetur ex voto ad castitatem seruandam, & ideò Monialis virgo tenetur ad virginitatem, & castitatem; non virgo, tenetur solùm ad castitatem. Vndè Moniales facientes contrà votum castitatis, committunt sacrilegium, & pęnis grauibus puniuntur, nimirùm carcere perpetuo, *cap. Impudica* 17. *quæst.* 1. Marsil. *in l.* 1. *Cod. de raptu virginum num.* 57., & in antiquis Concilijs erant statutæ pœnæ contrà raptores Monialium, earumque castitatem inuasores, præsertim in Concilio Turonen. *sub anno Christi* 557. Imò malediciiur ab Ecclesia, qui ausus fuerit violare Monialem, vt videre est apud Romanum Pontificem *de benedict. & consecr. virginum*.

5 Monialis etiam obligatur ad votū obedientiæ, & non modò obligatur ad obedientiam formalem, sed etiam ad materialem, non solùm ad expressam, sed etiam ad tacitam, & interpretatiuam, & nō obedientes peccant, iuxta qualitatem transgressionis, cùm pręceptum obedientiæ obliget semper ad culpam, ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 104. *art.* 2. Sanch. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. Vndè Monialis suis Prælatis tenetur obedire, dummodò non præcipiant aliquid contrà mandata Dei, cùm magis oporteat Deo obedire, quàm hominibus: nec etiam tenentur obedire, quando præceptum Superioris est cōtrà ius Canonicum, & Summorum Pontificum Decreta, aut contrà ordinationem Ecclesiæ, cùm inferior non possit aliquid præcipere contrà ius, & decreta Superiorum: † Item non tenētur propter eamdem rationem obedire, si aliquid præsumatur contrà regulam, constitutiones, aut statuta Religionis. Vndè duobus Prælatis contraria præcipientibus, non licet obedire minori, relicto maiori. Vndè Moniales tenentur potiùs obedire Episcopo, quàm Abbatissæ, quia est earū Prælatus, & maior Superior: Nec etiam Monialis tenetur obedire Superiori præcipiēti actus merè internos: Ratio, quia actus merè interni nō possunt esse materia obedientiæ, cùm non subiaceant iurisdictioni Superiorum.

6 Moniales tenentur obedire Abbatissæ eo modo, & ratione, qua filiæ tenentur obedire suis parentibus, cùm Abbatissa nō habeat potestatem spiritualem, sed solùm domesticam, & gubernatiuam, vt mater-familias in filios, & proindè ad instar solùm matris-familias possunt Monialibus pręcipere, & eius præcepta obligant iuxtà rei, & materiæ imperatæ qualitatem. Sotus *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 2. *art.* 4. Syluest. *verbo Abbatissa*, & alij.

7 Abbatissa nō potest præcipere Monialibus in virtute Spiritus-sancti, seu in virtute Sanctæ obedientiæ, & si præcipit, præceptum non tenet, neque obligat: Ratio, quia præcipere in virtute Sanctæ Obediētiæ, ad solos Prælatos Ecclesiasticos spectat, potestate spirituali præditos; cùm autem Abbatissa non habeat potestatem spiritualem, sequitur, ipsam non posse præcipere in virtute Spiritus-sancti, seù in virtute Sanctæ Obedientię; nec Prælati possunt committere Abbatissæ, vt pręcipiat virtute Spiritus-sancti, &c., cùm fœmina sit incapax rei spiritualis, idcircò talis potestas illi delegari non potest, licèt Monialibus possit imponere pręceptum, vt obediant Abbatissæ sub mortali, in materia graui: † Item Abbatissa non potest præcipere aliquid Monialibus sub pœna excōmunicationis, vel alterius censurę: Ratio, quia tale præceptum importat iurisdictionem spiritualem, cuius fœminæ sunt incapaces. Sotus *in* 4. *dist.* 20. *art.* 4. Henriq. *lib.* 6. *de pœnis num.* 4.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Moniales tenentur obseruare suam regulam.*

† *Sub qua culpa.*

2 *Non tenentur obedire Abbatissæ aliquid præcipienti suprà regulam, nec contrà.*

3 *Moniales gaudent priuilegijs suarum Religionum.*

4 *Moniales, quomodò sint exemptæ à solutione decimarum.*

5 *Moniales gaudent priuilegio fori.*

† *Item Nouitia, & Conuersa, &c.*

6 *Gaudent priuilegio Canonis, &c.*

1 MOniales tenentur obseruare regulam approbatam à Summo Pontifice, secundùm quam sunt professę. Non tenētur tamen Moniales obseruare sub peccato mortali omnia, quæ continentur sub regula, sed debent ipsam obseruare iuxtà † pręscriptum ipsius, quia regula quędam pręscribit obseruari sub mortali, alia verò sub veniali, alia verò ad nullam culpā. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. Vasquez *par.* 2. *disp.* 162. *cap.* 4. *num.* 16. & alij.

2 Monialis non tenetur obedire Abbatissę aliquid pręcipienti suprà regulam: Ratio, quia cùm subiugatio voluntatis fuerit libera, non potest ad amplius cogi, quàm ad quod se liberè subiugauit; idcircò cùm solùm se subiugauerit ad seruanda statuta † regulę, idcircò ad ea solùm obseruanda potest cogi: neque etiam tenetur Monialis obedire Abbatissæ præcipienti aliquid cōtrà regulam, vt ait S. Thomas 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5.

art. 5. S. Antonin. 3. *par. tit.* 16. *cap.* 2. Nauar. *in sum. cap.* 23. *num.* 30. Si verò pręceptum Abbatissæ referretur ad obseruantiam regulę, tùnc Monialis teneretur obedire: Ratio, quia tale pręceptum censetur medium necessarium ad obseruantiam regulæ.

3 Moniales gaudent priuilegijs illarū Religionum, quibus subiectæ sunt, cùm sint pars Religionis. D. Antoninus 3. *p. tit.* 16. *cap.* 3. Paludan. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 2. *nu.* 17. Syluest. *verb. Religio* 3. *quæst* 3. Angelus *verb. Nouitium, num.* 6. Quod etiam dicendum est de Monialibus subiectis Ordinarijs, quia licèt Papa emancipauerit ipsas à Religione; non tamen abstulit ius fruendi priuilegijs Religioni concessis, quibus anteà fruebantur. Syluest. *loco citato quæst.* 3. Barthol. à Sancto Fausto *in Thesauro Relig. lib.* 5. *quæst.* 364.

4 Moniales omnes sunt exemptæ à solutione decimarum; ità habetur *in Extrauagāti Bonifacij VIII., quæ incipit Decimas*; ità Miranda *in Man. Prælatorum quæst.* 49. *art.* 13. vbi refert plura priuilegia: quod intelligendū est de bonis, quæ antiquitùs possident, nō autem de emptis nouitèr: Deindè aut decimæ sunt impositæ rebus, quę ab initio fuerunt concessæ; vel traditæ tali pacto, vt eis decimę soluātur, & tunc ad quoscūque peruenerint, etiamsi mēdicantes sint, tenentur ea soluere: si verò debeantur Parochis pro administratione Sacramentorum, non tenētur eas soluere, cum ijs Sacramenta Parochus non administret, dūmodò potiantur priuilegijs non soluendi decimas.

5 Moniales gaudent priuilegio fori; Item Nouitiæ, & Conuersæ Bonacin. *de Censuris in Bulla Cœnæ disp.* 1. *quæst.* 16. *p.* 3. *num.* 9 Barbosa *Iur. Eccl. lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 40. & communitèr Doctores: Item gaudent Sorores Tertij Ordinis Sancti Francisci, dummodò gestent habitum Religionis, & Collegialiter in communi viuant. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 36. Molina *de iust. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 40. *num.* 4. Diana *resol. mor p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 84., vbi ait. *Ex Cōstitutione Leonis X.* Sorores dict Tertij Ordinis habitū gestātes, etiā in proprijs, aut consanguineorū domibus habitantes, aut seorsim, gaudere dictis priuilegijs: Itē gaudere mulieres, quæ se occludūt in aliquibus domibus, aut pęnitentiā agūt, si communem vitam ducant sub vnius obedientia, etiamsi nullā emitrat professionē.

6 Moniales gaudent etiā priuilegio Canonis, *Si quis suadente*, quia sub nomine Clerici, non modò veniunt Religiosi vtriusque sexus, sed etiam Nouitij, &c. & ideò Canonis priuilegio gaudent, & se inuicem percutiētes, etiam exemptæ possunt ab Episcopo absolui. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *n.* 7. Suarez *tom.* 5. *de cēsuris disp.* 28. *sect.* 1. *num.* 9. Sayrus *in Floribus decis. de foro competen decis. xlv.* Galeta *in Margarita casuum conscientiæ verb. Nouitius*, & alij.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 MOniales omnes tenentur ad clausuram, ita vt ab ipsa egredi minimè possint, nisi constet, eas laborare tali morbo euidenti, vt non valcant ampliùs cum alijs, absque graui periculo, commorari; ità Innocentius VIII. *in cap. Periculoso*: Quę constitutio, vt affirmat Io. Andreas in Regno Galliæ non fuit recepta: In Cōcilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 1. *de Regularibus*; fuit innouata Constitutio Bonifacij VIII. vbi vniuersis Episcopis præcipitur, sub obtestatione Diuini Iudicij, &c. clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligentèr restitui, & vbi inuiolata est, conseruari, maximè curent; inobedientes cēsuris Ecclesiasticis cogant, inuocato etiā ad hoc auxilio brachij sæcularis. Pius V. Cōstitutionem Bonifacij VIII., & Decretum Concilij Tridentini confirmans, specialem edidit Bullam, quæ incipit, *Circà Pastoralis*; quā confirmauit Gregorius XIII. *anno* 1572. 3. *Kalendas Ianuarij in Bulla, quæ incipit, Deo Sacris.*

2 Omnes Moniales cuiuscunque Religionis tenentur seruare clausuram, etiamsi in earum fundatione haberent priuilegia ad eam non seruandam: Mulieres in cōmuni viuentes, si non emiserūt vota substantialia Religionis, non tenentur ad clausuram, quia iura prædicta loquuntur tantum de Monialibus, quæ propriè, & verè Religiosæ sunt, & cùm tales Mulieres non sint propriè Religiosæ; idcircò ad eas non extenditur Constitutio, & Decretum: Nec etiam oblatæ Mulieres tenentur ad clausuram, cum non sint verę Moniales, & cum emittant vota substantialia Religionis. Nauar. *lib.* 3. *Consil. tit. de Regular. Consil.* 81. Grassius *p.* 1 *decis. cap.* 23. *n.* 12. Nouitiæ etiam non tenentur ad clausuram, quia iura loquuntur solùm de expressè, vel tacitè professis: Conuersæ verò tenentur ad clausuram perpetuam, si sint professæ, vt expressè præcipit Grego-

rius

rius XIII. in Constitutione, quę incipit, *Deo Sacris.*

3 Concilium Viennen. *Can. 6.* sub anno Christi 755. apposuit quosdam casus, quibus licitũ erat Monialibus egredi à clausura: Bonifacius VIII. in supracitata cõstitutione, statuit, vt Moniales è Monasterio non egrediantur, nisi constet, eas laborare tali morbo euidenti, vt non valeant cum alijs, absque graui periculo, & sine scandalo, commorari. Et Concilium Trident. *sess. 25. de Regularibus cap. 5.* statuit, quod nemini Monialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa approbanda ab Episcopo: & Pius V. in duabus Constitutionibus; prima, quæ incipit, *Circà Pastoralis.* Posteriore *Decori, & honestati* exprimit casus, in quibus licitũ sit Monialibus exire à clausura, qui sunt tres, causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut Epidemiæ: Sunt etiam alij casus his consimiles, in quibus Moniales exire possunt è clausura; Primus, tempore belli, possunt Moniales è Monasterio exire, seq; in locũ tutum recipere, quando probabile periculũ est, ne nõ exeuntes graui damno afficiantur. Azor. *p. 1. lib. 13. cap. 8. quæs. 1.* Secundus casus est impetus magni torrentis, vel fluminis, aut communis alienis ædificijs ruina. In tali casu possunt Moniales exire è Monasterio. Sfortia *in Select. Constit. Pontif. theorem. 228.* Tertius casus, si Monasterium de licentia Episcopi in alium locum transferatur, iuxtà Decretum Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 5.* Quartus, Abbatissa etiam potest exire, quando propter feudũ tenetur præstare iuramentum fidelitatis alicui Domino sæculari, si illud per Procuratorem præstare nequit: illa etiam tunc potest cùm honesta societate exire, modò statim præstito iuramento, reuertatur. Sanchez *in precep. Decal. lib. 6. cap. 16. nu. 53.* Miranda *de Sacris Monialibus quæst. 3. art. 2.* Bonacin. *de Clausura quæst. 1. p. 9. num. 9.* Quintus, possunt Moniales de licentia suorum Superiorum transire de Monasterio ad Monasterium, causa nouæ fundationis, vel reformationis, vel correctionis. Nauarrus *in cap. Statuimus num. 48. & consil. 57. nu. 6. de Regularibus:* Zerola *in praxi verbo Monialis, §. 16.* Sanchez *cap. 16. à num. 46.*, Sic etiam possunt Moniales ad perfectiorem Religionem transire; vt referunt plures citati à Sanchez *de præcept. Decal. lib. 6. cap. 7. num. 6.* Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesaur. Relig. lib. 5. quæst. 224.* Sextus casus est, quando Conuersæ egrediuntur ad eleemosynas petendas; qui casus rarò nunc temporis contingere potest, cùm aliter prouisũ sit Monialibus, ex Constitutione Gregorij XIII., quæ incipit *Deo Sacris.* Sunt etiã alij sex casus cõcessi Monialibus Sanctæ Claræ ab Vrbano IV., qui non fuerunt reuocati à Pio V. in sua Constitutione; quorũ primus est ineuitabilis, & periculosa necessitas, vt incendij, incursus hostilis, &c. Secundus, quando Moniales mittuntur ad fundandum, vel reformandum Monasterium. Tertius, causa regiminis, vt quando Monialis mittitur, vt Abbatissæ officio in alio Monasterio fungatur. Quartus, causa correctionis, vt quando Monialis in suo Monasterio aliqua cura commodè corrigi non potest, ad aliud Monasteriũ, correctionis causa, transfertur. Sanchez *lib. 6. cap. 15. num. 47.* Miranda *de Sacris Monialibus quæst. 3. art. 2.* Quintus casus est alicuius grauis dispendij euitandi causa, vt si Monialis contagiosa constituta sit, & alijs immineat periculum. Sextus casus est, quando de mandato Superioris, totus Conuentus in aliud Monasterium transfertur, qui omnes videntur coincidere cùm Superioribus.

4 Non est licitum Monialibus egredi è Monasterio causa medendi morbo periculoso; ità vt desperaretur eius salus, ea non egressa, nisi morbus adeò contagiosus esset, vt alias inficeret; ità Guttierez *cap. 14. num. 7.* Sanchez *cap. 15. num. 39.* Zerola *in praxi Episcop. p. 2. verb. Moniales.* Miranda *de Sacris Monialibus quæst. 4. art. 4.* Portella *in dub. Regular. verb. Clausura Monialium.* Villabos *in Sum. p. 2. tract. 35. difficultate 45.* Item non potest egredi, vt visitet nepotes, & curam eorum gerat, etiamsi Nepotes omnibus propinquis destituti sint. Armendàrius *in Addit. ad recopil. leg.* Nauar. *lib. 2. tit. 18.* Campanil. *cap. 16. num. 22.* Similitèr non potest egredi Abbatissa, vt visitet Ecclesiæ ædificium an illi placeat, vel vt Cęmentarijs significet, qua forma construendum sit, vt docet Sanchez *cap. 15. num. 52.*

5 In omnibus casibus supradictis requiritur licentia ad exeundum è Monasterio, nisi periculum sit in mora, & Superior sit ita absens, vt facilè ad eum mitti non possit, quia tunc præsumitur tacita ipsius licentia, cùm hic casus censeatur per Epicheiam exceptus; ità Tambur. *de iur. Abbatis. disp. 20. quæst 5. num. 2.* & cum eo plures citati; quæ licentia Monialibus Episcopo subiectis, petenda est ab ipso Episcopo, vel eius Vicario. In Monasterijs vero, quæ Regularibus subduntur, petenda est à Superiore Ordinis, vel à Prouinciali, vel ab alio Prælato immediato: Pręterea etiã ab Episcopo, vel illius Vicario, vt habetur in Concilio Trident *sess. 25. cap. 5.*, & in Bulla Pij V., quæ incipit, *Decorum, & honestati*; nisi talis facultas excipiatur, & non sit concessa Vicario. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi,* extendit facultatem ad Vicarium Capitularem *p. 3. allegat. 102. num. 28.*

6 Moniales exeuntes è Monasterio sine debita licentia, sunt ipso facto excommunicatæ excommunicatione maiori latæ sententiæ, Papæ reseruata; ità Nauarrus *in cap. Statuimus num. 57.* Azor. *p. 1. lib. 13. cap. 8. quæs. 1.* Miranda *de Sacris Monialibus quæst. 3. art. 6.* Sanchez *in præcept. Decal. lib 6. cap. 5. nu. 72.* Bonac. *de Clausura quæst. 1. p. 8. num. 6.* Item incurrunt etiam pęnam priuationis officiorum, Dignitatum, &c. & inhabilitatẽ ad illa in posterum obtinenda: Verùm hæc posterior pęna non obligat in con-

scientia

scientia ante Iudicis sententiam. Ratio, quia pœnæ, quæ ad sui executionẽ requirunt actionem externam hominis, non incurruntur ante Iudicis sententiam; ità Nauarrus *in expositione Bullæ de dat. & permut. num.* 44. Sanchez *loco citato num.* 64. & alij.

7 Solus Summus Pontifex, quando egressus est publicus, potest absoluere, & habilitare ad officia, & Dignitates; quando verò factum est occultum; Episcopus in eo casu potest absoluere, vel habens à Concilio facultatem. Ex Concil. Triden *sess.* 24. *cap.* 6., vbi omnes casus occulti ibi conceduntur; ità Bonacin. *p.* 5 *num.* 1. Sanchez *loco citatum.* 76., quod etiam dicendũ est de Abbatibus, vel alijs Superioribus habẽtibus iurisdictionẽ quasi Episcopalẽ: Itẽ absoluere possunt Regulares habentes priuilegium absoluẽdi à casibus Sũmo Pontifici reseruatis, etiam si delictum ad forũ contentiosum deductum sit; ità Bonacin. *loco citato num.* 2. Item possunt Regulares absoluere in foro conscientiæ, qui priuilegium habent absolutè absoluendi à Sũmo Pontifice in conscientia, etiam si delictum sit publicum, & deductum ad forũ contentiosum. Bonacin. *loco citato.* Sanchez *de præceptis Decalogi lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 43. Item solus Papa potest habilitare ad Dignitates, & officia; & ex Concilio Tridentino *sess.* 24. Episcopus potest dispensare, quando delictum est occultum: & virtute priuilegiorum possunt Abbates, & Regulares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & etiam Superiores locales, vt sẽtit Rodriq. *tom.* 1 *quæst. Regular. quæst.* 2. *num.* 17. Sorbus *verb. Ingressus in Monasterium* 11. Bonac. *loco citata num.* 5.

8 Vt Monialis possit transferri de vno Monasterio ad aliud, plura requiruntur. Primò, vt antequàm Monialis à primo Monasterio egrediatur, secundum sit paratum. Secundò, vt dotem à cæteris Monialibus præstari solitam persoluat. Tertiò, vt spes illi auferatur redeundi ad primum Monasterium: quæ conditiones non sunt requirendæ in Monialibus egredientibus è Monasterio causa fundãdi, & ædificandi nouum Monasterium, vel vt præsint Monialibus alterius Monasterij in officio Abbatissæ, seu Magistræ Nouitiarũ. Quartò, vt translatio fiat cùm comitantibus Matronis consanguineis ab vno ad aliud Monasterium, recta via proficiscentibus, ita vt non pernoctent, nisi in domibus honestis, &c.

9 Quando Monialis transfertur ad aliud Monasterium voluntariè, vel ad suam instantiam, vel ad instantiam Monasterij, non debet transferre dotem, vel alia bona acquisita post professionem. Ratio, quia talia bona fuerunt tradita ratione professionis; cùm verò professionem emiserit in priori Monasterio, sequitur talia bona fuisse illi acquisita; & per consequens Monasterium esse absolutè Dominum illorum bonorum. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 12. Nauar. *Comment.* 4. *de Regularibus num.* 24. Rodriq. *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 77. *art.* 2. Bonacina *de Clausura quæst.* 2. *p.* 9. §. 4. *difficult.* 3. *propos.* 2. *num.* 6. Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Relig. lib.* 2. *quæst.* 375. Si verò secundum Monasterium fuit coactum illam recipere, Dos etiam illi soluenda erit, cùm non sit consentaneum, quod secundum Monasterium, quod inuoluntariè illam recipit, patiatur damnũ alimentorum, ilam gratis alendo; ità etiã quia hoc elicitur, *ex cap. Delapsis* 16 *quæst.* 6. & *cap. Si quis rapuerit* 27 *quæst.* 1. & Authen. *de Sanctissimis Episc.* §. *penultimo.* Secundum Monasterium acquirit Dominium eorũ, quæ in illo Monasterio à Moniali acquiruntur. Nauar. *in cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 1. *num.* 31. Em. Rodriq. *quæst. Regular. tom.* 2. *quæst.* 78. *art.* 2. Azor. 1. *p. lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 3. Molin. *de iust. tract.* 2. *disp.* 140. & alij. Si verò Monialis tempore Nouitiatus, ante professionem transeat ad aliud Monasterium, tunc trãsfert secum dotem, & alia bona, si quæ habet, cùm priori Monasterio non censeatur ius acquisitum ante professionem. Legatum verò relictum Moniali cum cõditione, quæ solùm impleta fuit, quando fuit translata ad secundum Monasteriũ, ipsi debetur, & non priori. Sanchez *de præcept. Decal. lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 41. & alij ab ipso citati.

10 Quod licet dos, & bona Monialis translatæ pertineant ad primum Monasterium, vnde fuit translata, tamen vsusfructus pertinet ad secundum, & ità plures citati à Tamburino *disput.* 21. *quæst.* 8. *num.* 1. Item vsusfructus debetur secundo Monasterio, si Monasterium fuit coactum ad recipiendam Monialem, cùm etiam non sit sẽ iustum, vt secundum Monasterium patiatur alimẽtorum iacturam, qui vsusfructus debet esse in ea quantitate; quæ arbitrio prudentis sufficiat ad congruam Monialis sustentationem, nisi fortè eius seruitus taliter esset vtilis Monasterio, vt ipsa alimẽta adæquet, in quo casu non debetur vsusfructus posteriori Monasterio, sed priori; ità Tabiena *verbo Religio qu.* 27. Azor. 1. *par lib.* 12 *cap.* 15 *quæst.* 3. Em. Rodriq. *tom.* 3 *quæst. regular. quæst.* 5. *art.* 5. Syluest. *verbo Religio quæst.* 10. & alij.

11 Moniales translatæ ad Monasterium alterius Religionis debent denuò anno integro illam experiri, vt validè in illa profiteantur; ità Nauar. *consil.* 61 *num.* 4 & *consil.* 62. *num.* 5. *de regular.* Lessius *de iustitia lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 13. Azor. 1 *par. lib.* 12. *cap.* 14. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 31. *art.* 2. Bartholomęus à S. Fausto *lib. citata, quæst.* 371. *num.* 1. Em. Sà *verbo Religio num.* 35., & ità Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de regular. cap.* 15., & ità Rota censuit, quod Monialis vnius Monasterij, vbi ad aliud transfertur, si non emittit professionem in secundo Monasterio, non sit Monialis illius.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Ingredi in Monasteria Monialium est prohibitum.*
2 *Pœna ingredientium Monasteria Monialium, &c.*

3 *Sub*

3 *Sub hac pœna non includuntur infantes, &c.*
4 *A quibus danda sit licentia ingrediendi Monasteria Monialium.*
5 *Abbatissa non potest dare talem licentiam.*
6 *Licentia debet esse specialis.*
7 *Confessarius, quando habeat iustam causam ingrediendi clausuram.*
8 *Ianua Cellæ debet esse aperta, quando Confessarius audit confessionem infirmi.*
9 *Prætextu sepeliendi Monialem, an possit ingredi clausuram, &c.*
10 *Quinam alij possint ingredi clausuram.*
11 *Iudices, &c. ad expellendum malefactorem, an possit ingredi clausuram.*

1 INgressus in Monasteria Monialium extat prohibitus *in cap. Periculoso*, vbi prohibetur facultas ingrediendi Monasteriũ, nisi cum manifesta, & rationabili causa, & cum licentia Superioris, ad quem spectat, & in Concilio Tridentino prohibetur talis ingressus, his verbis, *Ingredi autem intrà septa Monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis, & conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine licentia Episcopi, vel Superioris in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda:* quę excommunicatio iure communi non est reseruata, dummodò non sit ingressus ob malum finem, quia solummodò violatio clausuræ ob malum finem est casus reseruatus. Bonacin. *de clausura quæst. 4. par. 5. num. 2.*, & Gregorius XIII. In sua constitutione declarauit, quòd etiã Prę̨lati, vel alij Monialium curam habentes earum Monasteria non possint ingredi, nisi in casibus necessarijs; ita plures apud Barbosam *Iudicis Ecclesiastici lib. 1. cap. 44. num. 93.*

2 Præsumentes ingredi Monasteria Monialium prætextu facultatis obtentę à Sũmo Pontifice in casibus non necessarijs, incurrunt excommunicationem, & priuationem beneficiorum, & dignitatum ex cõstitutione Gregorij XIII. Item Abbatissę, & Superiores permittẽtes, aliquam personam ingredi huiusmodi Monasteria, prętextu dictarum facultatum ante Bullã Gregorij XIII. concessarum, incurrunt similitèr dictam excommunicationem, & priuationem, &c., quod etiam habetur ex Bulla Pauli V., quę incipit *Monialium statui.* At dictam excommunicationem incurrẽdam requiritur mala fides, quia si quis putaret habere legitimam causam, & licentiam, licèt ipsam non haberet, non ligaretur excommunicatione, sicut nec Monialis illum admittens, vt suprà citata Bulla Pauli V., in qua excommunicantur admittẽtes cum præsumptione, & dolo, prętextu licentię Superioris, citrà vrgentem necessitatem, & ità Suarez *de censuris disput. 22. sect. 6. nu. 14.* Nauar. *in manuali cap. 27.* Azor. *1. par. lib. 13. cap. 8. quæst. 6.* & alij.: intrantes verò clausuram sine presumpta facultate, Incurrunt cẽsuram cõminatam in Concilio Tridentino *cap. 5.*, quę non est reseruata; & ingredi permittentes clausuram Monialium absque licentia, non tamen prętextu facultatis, non ligantur excommunicatione Papę reseruata, cùm in constitutione Gregorij XIII. solùm excommunicentur prę̨sumentes ingredi prętextu licentiarũ. Sayrus *de censuris lib. 3. cap. 31. num. 10.* Miranda *de sacris Monialibus quæst. 2. art. 10.* Sanchez *in decal. lib. 10. cap. 16. num. 79.* Portella *de dubijs regular. verbo Abbatissa admittenda num. 1.* Similitèr incurrunt in excommunicationem ingredi facientes viros, vel fœminas in Monasteria Monialium prętextu facultatum, & prędictis pœnis afficiuntur per Bullam Gregorij XIII., in qua excommunicatione comprehenduntur omnes aliquo modo cooperantes tàm Superiores, quàm inferiores, & Paulus V. reuocauit omnes licentias à se, vel à suis antecessoribus datas ingrediendi Monasteria Monialium, aut cum Monialibus conuersandi, & sub pœna excommunicationis, priuatione officiorum, & inhabilitate ipso facto prohibuit Abbatissis, &c., nè eas admitterre, seù introducere prę̨sumant.

3 Sub hac prohibitione non includuntur infantes discretione carentes, quia in Monasterijs possunt admitti absque alicuius censuræ vinculum. Henriq. *in sum. lib. 13. cap. 42. §. 3.* Gamber. *de casibus reseruatis cap. 25. casu 6. num. 37.* Comitulus *respons. moral. lib. 6. quæst. 19.* Azor. *2. par. lib. 13. cap. 8. quæst. 5.* Em. Rodriq. *tom. 1. quæst. 46. art. 1* & alij. Fœminę, quę sunt in discordia cum maritis, & eorum sęuitiam timent, si sunt in Monasterijs, debent tolerari, iuxtà Concilium Tridentinum *cap. 5.*; in posterum verò non sunt recipiendę. Zerol. *par. 1. verbo Moniales §. 12.* Campanil. *cap. 16. num. 30.* Matribus non potest dari licentia ingrediendi Monasteria Monialium, etiam ad inuisẽdas filias morti proximas. Zerola *loco citato §. 8.* Quaranta *verbo Monasteria Monialium*, Em. Rodriq. *tom. 1. quæst. 46. art. 11.* Miranda *de sacris Monialibus quæst. 2. art. 8.* Viduę non sunt recipiendę ad habitandum in Monasterio, nisi Moniales fieri velint. Miranda *quæst. 2. art. 6.* Campanil. *cap. 16. num. 30.*: fatui verò si ingrediantur Monasterium, excommunicationem incurrunt, sicut recipientes eos: si verò sint omninò fatui, ità vt non fruantur luce interualla, non incurrunt ipsi excommunicationem, quia sunt culpę incapaces; incurrunt tamen eos recipientes, quia contrauenerũt prohibitioni, cùm ipsi Monialibus possint esse occasio peccandi. Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 10. num. 5.* Barbos. *de officio, & potestate Episc. par. 3. allegat. 102. num. 52.* Bonacin. *de clausura Monialium quæst. 4. par. 1. num. 7.*

4 Licentia ingrediẽdi Monasteria subiecta Ordinario danda est ab Episcopo, vel eius Vicario: si verò Monasteria sint immediatè subiecta Summo Pontifici, licentia danda est ab Episcopo, tãquàm à Delegato Papę, in casibus tamen necessitatis, & ità Armendar. *in addit. ad recopill. leg.* Nauar. *refert decisum lib. 2. tit. 18.* Barbosa *de offic. & potestate Episc. allegat. 102. num. 38.* Suarez *tom. 4. de relig. cap. 10. num. 21.* & alij communitèr. Facultas verò ingrediendi Monasteria Monialium regularibus subiectarum, spectat ad earum Prę̨latos, non autem ad Episcopum.

pum. Azor. 1. *par. lib. 13. cap. 8. quaest. 7.* Em. Rodriq. *tom. 1. quaest. regular quaest. 46. art. 2.* Campanil. *in divers. iur. can. rubr. 12. cap. 16. num. 31.* Bonacin. *loco citato num. 3.* & alij. Et non modò Superiores regulares possunt dare talem facultatem, sed etiam Superiores locales, si alicui Monasterio præsint, aut etiam simplex Sacerdos, aut regularis, siuè sęcularis, si præsit alicui Monasterio, vel auctoritate Episcopali, vel Prælati regularis.

5 Abbatissa licèt sit vera Superior sui Monasterij, non tamen potest dare sęcularibus, aut alijs licentiam ingrediendi Monasterium: Ratio, quia solùs ille potest dare licentiam ingrediendi clausuram, qui potest illam indicere, cùm autem id Abbatissa non possit, sequitur, ipsam non posse in ea dispensare, & ità Rodriq. *tom. 1. quaest. regul. quaest. 46. art. 2.* Azor. *par. 1. lib. 13. cap. 8. quaest. 6.* Sanchez *lib. 6. cap. 16. nu. 22.* Bonacin. *de clausura Monialium quaest. 4. par. 2. num 5* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. num. 14.*

6 Licentia ingrediendi Monasteria debet esse specialis, & non sufficit generalis. Sanchez *lib. 6. cap. 16. num. 28.* Miranda *de sacris Monialibus quaest. 2. art. 2.* Bonacina *loco citato par. 3 num. 8.* Quę licentia in scriptis concedenda est, quia alitèr ingredientes incurrunt excommunicationem. Sanchez *cap. 16. num. 3.* Bonacin *par. 3. num. 3.* Miranda *quaest. 3. art. 2.* etiamsi causa ingressus sit iusta, & legitima. Excipitur tamen casus repentinę necessitatis, quia hic casus per epicheiam videtur exceptus. Em. Rodriq. *tom. 1. quaest. regular. quaest. 46. art. 2.* Azor. *par. 1 lib. 13. cap. 8. quaest. 8.* Bonacin. *quaest. 4. par. 3. num. 2.* Sanchez *in Decal. cap. 16 num 34.*

7 Confessarius habet iustam causam ingrediendi Monasterium, quando ingreditur audiendi causa confessionem alicuius Monialis, quę tenetur confiteri ex præcepto regulę, aut ex particulari ipsius deuotione, quę commodè in loco solito non potest confiteri, vt quia est surda, vel ob infirmitatem decumbit in lecto, & ità Em. Rodriq. *tom. 1. quaest. regular quaest. 47. art. 4.* Miranda *par. 2. art. 7.* Bonacin *de clausura Monialium quaest. 4. par. 4.* Item Confessarius, siuè regularis, quando ingreditur ad ministrandam Eucharistiam, vel Sacramentum Extremę vnctionis, potest ingredi cum socio, qui Sacramenti ministerio inseruiat, & tùnc pro socio non requiritur specialis licentia, quia in illo casu comprehenditur socius in priuilegio Confessarij ob connexionem actionis.

8 Confessario audiente confessionem alicuius Monialis, ianua cellę debet manere aperta, & Moniales, quę comitantur Confessarium, debent manere ad ianuam cellę, vt Confessarius, & infirma ab eis commodè videri possit: si verò infirma commodè ad confessionale possit accedere, tùnc Confessarius Monasterium ingredi non potest, vt pœnitentię sacramentum ei ministret: ingressus Monasterium, rectà via ire, & redire debet, nec in aliam Monasterij partem reuerti debet. Administrato Sacramento Extremę-vnctionis, ac commendata Deo anima infirmę, Confessarius non ampliùs illic moretur, sed Monialibus sit cura eam hortādi ad benè moriendum.

9 Confessarius non debet ingredi Monasterium prætextu sepeliēdi Monialem, aut funerale peragendi, vt decreuit Sacra Cōgregatio *die 13. Septembris 1583.* In quibusdam Monasterijs S. Claræ Cōfessarius ingreditur, exequias obiturus: in Gallia item ingreditur Monasterium, cum nonnullis Sacerdotibus idē obiturus: Itē Confessarius non debet ingredi Monasterium prætextu cellas Monialium, aut alia loca aspergendi aqua benedicta in die Sabbati Sancti, vel ęliā alio tēpore, vt declarauit eadem S. Congregatio Ror. supracitata: quæ reprobit in domo Confessarij, non permittantur, & si quę sunt, tollantur. Eadem Sacra Congregatio.

10 Medici, Chirurghi, &c. cum necessitas vrget, possunt ingredi Monasterium, & debent sociari à duabus Monialibus ad id deputatis, imò Monialis dubitans de sua valetudine, potest iubere, Medicum accersiri propè lectum: Item Æconomo licet ingredi Monasterium ad quærēda instrumēta in Archiuio Monasterij posita, quādo per Moniales quæri non possunt: Pharmacopola potest etiam ingredi Monasterium ad instruendas Moniales ad Pharmaca componenda. Baiuli habent iustam causam ingrediendi, dum aliquod onus in Monasterium deferunt, quod a Monialibus commodè portari non potest. Miranda *de sacris Monialibus quaest 2. art. 17.* Sanchez *in decal. cap. 16 num. 16.* Bonacin. *de clausura Monialium par 4 num. 8* Operarij possunt cum licentia ingredi Monasterium pro opere exercendo, quod extra commodè fieri non potest, vt fabri lignarij, &c. Miranda *quaest. 2. art. 1.*, & huiusmodi licentię, quę supradictis conceduntur, concedi possunt ad tres menses, quibus transactis, reuocari debēt, vt censuit Sacra Congregatio in vna Camerinen. 28. *Martij* 1588. & qui habent licentiam ingrediendi pro vno seruitio, si pro alio ingrediantur, incurrunt excommunicationem; Ità Tambur. *disp. 24. quaest. 6. num. 4.*

11 Iudices, aliqui viri possunt ingredi Monasterium ad expellendum malefactorem, si alitèr expelli non possit. Em. Rodriq. *tom. quaest. 47. art. 4.* Sanchez *cap. 16. num. 7.* Bonac. *par. 4. num. 13.* Omnes isti, finito officio, per quod ingressi sūt clausuram, si adhuc permaneant, peccant, si per notabile spatium temporis ibi permaneant, & incurrunt excommunicationem, secundùm Bonacinam *par. 4. num. 12.* Secùs verò si breuitèr ibi permaneant.

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Monialium possunt ingredi earum Monasteria, &c.*

2 *Cardinales non habentes iurisdictionem, &c. non possunt ingredi Monasteria Monialium.*

ducere

† *Episcopus ingrediendo Monasteria, &c. potest conducere Religiosos viros, &c.*
3 *Matres, &c. non possunt visitare filias Moniales infirmas.*
4 *Quid requiratur in mulieri, qua habet priuilegium ingrediendi Monasteria Monialium.*
† *Qui censeantur habere tale priuilegium.*

1 PRælati Monialium, siue sæculares, siuè regulares possunt ingredi Monasterium, visitationis gratia. Miranda *quæst. 2. art. 14.*, Possunt ingredi, vt visitent officinas, dormitorium, cellas, supellectilem, ædificium construendum, &c. Sanchez *cap. 16. num. 54.* Miranda *quæst. 2. art. 14.* Bonac. *par. 4. num 6.*, & finita visitatione, possunt ingredi Capitulum Conuentus, vbi visitationem publicent: Poterunt etiam ingredi in aliis casibus necessariis, & vrgentibus, quia cùm ipsi possint in his cum aliis dispensare, poterunt etiam cum seipsis. Miranda *quæst. 2. art. 14.*, quod tamen intelligendum est; vt ingressus sit pro tali vrgenti necessitate, pro quali ipsi ad ingrediendum aliis licentiam darent. Nauar. *consil 9 de statu Monachorum*, Miranda *quæst. 2. art. 14*, & colligitur ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit *Dubijs*. Poterût etiam ingredi, causa eligendi Abbatissam; quoties magna subornationis suspicio haberetur; ità vt canonicè electio non fieret, si non esset ingressus Prælati Nauar. *commend. 4. de regular. num. 54.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 10. num. 25.* Barbosa *de officio, & potestate Episc. allegat. 102. nu. 46.* Miranda *quæst. 2. art. 15.* Cessante causa subornationis, ingredi non possunt. Barbos. *iur. Eccles. cap. 44. num. 151.* referens Decretum Sacræ Congregationis *sub die 13. Septembris 1583* Non licet Superiori clausuram ingredi, prætextu dandi habitum Nouitijs, vel recipiendi ad professionem, vel occasione benedicendi, aut consecrandi Abbatissas, nisi in casu supradicto subornationis. Sanchez *lib. 16. cap. 16. nu. 50.* Miranda *de sacris Monialibus qu. 2. art. 15.*

2 Cardinales, Episcopi, &c. non possunt ingredi Monasteria Monialium, quæ eorum iurisdictioni minimè subsunt, *ex cap. Periculoso de statu regular.* & ex Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. cap. 5.*; & ex motu Pij V., qui incipit *Circa Pastoralis*, & ex Bullis Gregorij XIII., quæ incipiunt, *Vbi gratia, & Sanctimonialium*; & licèt sit priuilegium concessum Cardinalibus ab Vrbano IV. his verbis, *Si quis de S.R. E. Cardinalibus, &c.* ingrediendi Monasteria S Claræ, cum deuotione tamen, & reuerentia, &c., ex quibus verbis à fortiori dicitur, quòd si habent facultatem ingrediendi Monasteria S. Claræ, quæ sunt strictioris clausuræ, ergò eis licebit ingredi alia Monasteria Monialium; Miranda *loco citato*, credit, hoc priuilegium esse reuocatum à Concilio Tridentino, & constitutionibus suprà citatis. Et ideo nunc temporis nô possût sine speciali Sedis Apostolicæ licentia ingredi Monasterium; nec etiam Vice-Legatus potest ingredi Monasteria Monialium sine licentia Episcopi, ex Decreto Sacræ Congregationis Cardinalium 9. *Martij 1604* Episcopus, ingrediendo Monasteria Monialium, potest ex constitutione Gregorij XIII. comitari ab aliquibus Religiosis hominibus, licèt in eadem constitutione numerus non statuatur. An possit secum ducere matronas seniores; virtutibus Christianis insignes, respondeo ex Victorello *pagina 39*, hoc consuetudine esse receptum in aliquibus Prouinciis, vt matronæ seniores à Prælato intrà septa Monialium adeunti, quasi comites adhibeantur: Superiores verò regulares debent commitari à duobus, vel tribus Fratribus, quando ingrediuntur Monasteria Monialium in casibus necessarijs. Corduba *in addit. ad compend priuileg. verbo Ingredi Monasteria Monialium §. 6.* A Gregorio XIII. sunt statutæ pœnæ contrà Superiores ingredientes Claustra Monialium absque necessitate: Prælati verò regulares afficiuntur excommunicatione, ingredientes Monasterium Monialium vltrà dictos casus necessitatis: ità plures apud Tamburinum *disput. 24. quæst. u. num 4.*

3 Matribus, & Sororibus non est licitum ingredi Monasteria Monialium, vt ægrotantes filias, vel sorores visitent. Ratio, quia talis ingressus non est necessarius ad medelam Monialis; Imo potiùs potest esse illi offensiuus, cû possit distrahere Monialem ab intensione amoris, & charitatis, quam erga Deum in eo casu habere debet; ità Tambur. *disp. 25. quæst. 17.* Item incurrunt excommunicationem feminæ, quæ ingrediuntur clausuram Monialium. *Ex cap. Periculoso de statu Regular. in 6.* & ex Constitutione Pij V., quæ incipit *Circa Pastoralis*. Et ideò prohibitum est à Sacra Congregatione, nè Femina nobilis, idest Marchionissa, vel Ducissa ingrediatur Claustra Monialium; & ità Barbosa *de offic. & potest. Episc allegat. 102. num 67.* Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 30.* Miranda *de Sacris Monialibus quæst. 2. art. 7.*

4 Mulieres, quæ habent à Summo Pontifice priuilegium ingrediendi claustra Monialium, non possunt ingredi, nisi habito priùs consensu Monialium capitulariter præstito per suffragia secreta, iuxtà Bullâ Vrbani VIII., qui côsensus satis est, quod sit præstitus à maiori parte Monialium Capitularium, iuxtà *caput 1. de iis*, quæ fiût à maiori parte Capituli. Imperatores, Imperatrices, Reges, & Reginæ, possunt ingredi Monasteria Monialium, vel etiam filij, & filiæ eorum. Ratio colligitur ex Constitutione Gregorij XIII., quæ incipit *Vbi gratia*; In qua postquam dixit, personas cuiuique conditionis ea prohibitione comprehendi, addit, id esse verum, licèt illæ personæ sint Marchionissæ, & Ducissæ, quo loquendi modo indicatur, nô prohiberi Imperatores, Reges, & Reginas, Filios, & Filias; ingredi prædicta Monasteria, cùm sint personæ altioris, & eminentioris Dignitatis, & gradus; ità Rodriq. *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 48. art. 1*, & non solum ipse personæ ingredi possunt, sed etiâ perso-

personæ, quæ eos committantur, cùm nõ sit credibile, Summum Pontificem velle, eas personas ingredi sine proprio comitatu, & sic videtur in vsu.

PARAGR. VI.

SVMMARIVM.

1 *Prohibitum est omnibus accedere ad Monasteria Monialium.*

2 *Item prohibetur Religiosis, &c.*

† *Episcopus non potest dare licentiam Regularibus colloquendi cum Monialibus.*

3 *Item prohibetur Equitibus Sancti Ioannis-Baptistæ accedere ad Monasteria Monialium.*

4 *Episcopus extrà Diœcesim non potest colloqui cum Monialibus, &c.*

5 *Pœna contra Clericos frequentantes Monasteria Monialium.*

6 *Item pœna pro Regularibus accedentibus ad Monasteria Monialium.*

7 *Excommunicatio lata contrà accedentes ad Monasteria Monialium, quos liget.*

† *An paruitas materiæ excuset ab excommunicatione, &c.*

1 OMnibus, absque rationabili causa, prohibitum est accedere ad Monasteria Monialium; & constat ex textu Alexandri III. in Concilio Lateranen. *Monasteria Monialium, &c.* vbi contrà Clericum frequentantem Monasteria Monialium, si monitus ab Episcopo, non destiterit, ferenda est suspensio, vt patet ex verbis; *Si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis*; idest suspendatur ab officio Ecclesiastico: si vero fuerit Laicus, excommunicatio ferenda est contrà illum: quando verò Clericus, vel Laicus dicatur frequentare Monasteria, Doctores variè loquuntur. Zerola *p.1. verb. Moniales, §.7.* Gratian. *discept. foren. cap 393. num.18.* & alij, asserunt, ex duabus vicibus præsumi frequentiam colloquendi cum Monialibus. Nauar. *in cap. Statuimus.* Campanil. *cap. 16. num. 40.* Sanchez *lib. 6. cap.16. num. 100.*: Alij affirmant, iudicio Prudentum relinquendum esse, quod cẽsetur probabilius.

2 Omnibus Religiosis prohibetur accessus ad Monasteria Monialium, *in capite Definimus*; & in Concilio Hispalensi *cap. 11.* in Concil. Paris. *6.*, & ex Decreto Sac. Congregationis sub Sixto V. imposita est pęna priuationis officiorum vocis actiuę, & passiuæ, ipso facto incurrenda; quod Decretum non modò obligat ad pęnas supradictas, sed etiam ad peccatum mortale: vt declarauit Sacra Congregatio *die prima Iuly* 1606. his verbis. *Sacra Congregatio, attentis narratis, ac dubio præfato maturè discusso, ac examinato, censuit, ac declarauit; Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contrà formam Decreti, quo huiusmodi accessus per Sacram Congregationem prohibetur, vltrà pœnas priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis.* Episcopus non potest Regularibus dare licentiam colloquendi cum Monialibus, cùm talis facultas reseruata sit Sacræ Congregationi. Posteà Sacra Congregatio 12. *Kalendas Decembris* 1623. dedit Episcopis facultatem, vt licentiam dare possint Religiosis colloquendi cum Monialibus in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, quatuor vicibus in anno, exceptis diebus Festiuis, aut in Aduentu, Quadragesima, Feria sexta, Sabbato, Vigilijs, &c.

3 Prohibitum etiam est Equitibus, Militibus Sancti Ioannis-Baptistæ accedere sine debita licentia ad Monasteria Monialiũ, colloquendi causa cum ipsis, sine licentia Sacræ Congregationis; quia sunt verè Religiosi vouentes tria substantialia vota Religionis: & gaudent priuilegio Clericali; nempè Canonis, & fori immunitate; & ità censuit Sacra Congregatio in vna Tranen. 28. *Ianuary* 1603. Sub tali tamẽ Decreto non comprehenduntur Regulares scribentes litteras Monialibus; licèt Episcopus possit prohibere, nè scribantur; & etiam sub aliqua Censura; & ità Tambur *disp.25. quæs.10.*

4 Episcopus etiam extrà Diœcesim non potest alloqui Moniales sibi coniunctas in primo gradu consanguinitatis, absque licentia Ordinarij, in cuius Diœcesi situm est Monasterium: quòd si aliter faceret, incurreret etiã ipse in pœnas contrà alloquentes Moniales, contrà formam Decreti Concilij Tridentini *sess.25. cap.5. de Regular.* Quod fuit confirmatum per Sacram Cõgregationem rescribentem Archiepiscopo Baren. vt videre est apud Tambur. *disp. 25. quæs.2.*

5 Clerici sæculares frequentantes Monasteria Monialium sine licentia Episcopi, possunt ab ipso suspendi; & excommunicari, si post admonitionem non destiterint. *Ex cap. …t Clericorum, & cap. Monasteria, de vita, & honestate Clericorum.* Possunt etiam Laici excommunicari excommunicatione comminatoria, quam non incurrunt, nisi admoniti, nolint desistere: Et licèt Episcopus possit ferre excommunicationem contrà accedẽtes ad Monasteria Monialium, etiam si Monasterium sit exemptum. Ratio, quia licet Monasterium sit exemptum, tamen præuaricatio statuti fit in loco non exempto; & ideircò ligantur excommunicatione: tamen non incurrerent excommunicationem, colloquendo cum Monialibus exemptis, si quę lata esset ab Episcopo, quia talis collocutio fit in loco exempto, in quo Episcopus non habet iurisdictionem, licèt aliqui aliter sentiant, cùm Episcopus faciat talem prohibitionem tamquàm Sedis Apostolicæ Delegatus, virtute Concilij Tridentini citati; & Constitutionis Bonifacij VIII. *in cap. Periculoso de Stat. Regular. in 6.* ità Nauar. *in cap. Statuimus num.55.* & alij.

6 Regularis, qui compertus fuerit colloqui cùm Moniali, potest carcerari, eiusq; Superioribus, vt castigetur, consignari, & ab ipsis declaretur priuatus voce actiua, & passiua. Regularis etiam accedens absque legitima licentia ad Monasteriũ Monialium Regularibus subiectarum, à Diœcesano Episcopo, tamquàm Sedis Aposto-

licæ, Delegato potest puniri. Sacra Congregatio Cardinalium, Sacri Cōcilij Tridentini interpretum, ità censuit, quā Congregationis sententiam Vrbanus VIII. approbauit.

7 Excommunicatio lata contrà accedentes ad colloquendū Monialibus, non afficit illum, qui è domo proxima Monasterio alloquitur Monialem intrà clausuram existentem. Ratio, quia cùm excommunicatio sit odiosa, strictè est interpretanda; ità Henriquez *lib. 13. cap. 26. num. 2.* Diana *resol. moral. tract. 2. de dubijs Regular. resol. 48.* Est tamen excommunicatus, qui loquitur cū Moniali audiente, sed non respondente, quia verè ipse facit contrà prohibitionē: non est tamen excommunicata Monialis, quæ solùm audit, & non loquitur; quia nō facit actum prohibitum sub censura: Quī autem per nutus, &c. aut per tertiam personam Monialem alloquitur, non incurrit pœnas, cùm verè non censeatur transgredi præceptum, quod est contrà loquētes; Odiosa autem sunt restringenda in propria significatione verborum. Diana *loco citato*; sicut etiam non incurrit excommunicationem loquens per interpretem cum Moniali, lingua, quam ipsa non intelligat, sed aliquis assistens Moniali sensum, explicat Diana *loco citato*. Item non incurrit excommunicationem, loquens cum Abbatissis. Ratio, quia nomine Monialiū, in odiosis non venit Abbatissa. Diana *loco citato*. Sicut etiam nomine Monialium nō venit Nouitia. Item non incurrit excommunicationem latam ab Episcopo, ne quis Monialibus scribat, si epistola scripta non peruenit ad Monialem, etiam si sensus illius per tertiam personam sit illi relatus. Ratio, quia verba sunt intelligenda cum suo effectu; & ità plures citati apud Tambur. *disp. 25. quæst. 8.* Similitèr non incurrit excommunicationem loquens per breue spatium cum Monialibus, idest per spatiū vnius *Miserere*, & aliquid etiam amplius de rebus indifferentibus, ratione paruitatis materiæ: Imò accedens ad Monasterium vna, aut altera vice, excusatur ab incurrenda censura, ratione paruitatis materiæ; quia iste talis non dicitur propriè frequentare; & ità Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 33. num. 119* Bonacin. *de Monialibus p. 3. nu. 1.* & alij. Item secundùm Bonacinam *de Censuris disp. 1. p. 4. num. 7.* Excusantur etiam pueri ante decimumquartum annū completum accedentes ad Monasteria Monialium colloquendi causa, quia in huiusmodi pueris, vel puellis non datur ratio, ob quam fuit lata excommunicatio; & lex fundata in præsumptione, non obligat in conscientia, vbi non datur ratio præsumptionis.

PARAGR. VII.

SVMMARIVM.

1 *Omnes Religiosæ caput suum velare consueuerunt.*
† *Quot sint velamina Monialium.*
† *Consecratio differt à professione.*
† *Quibus temporibus Virgo consecratur.*
2 *Quæ Virgines consecrandæ.*

1 Omnes Religiosæ, ex consuetudine antiqua, caput suum velare consueuerunt; & ideò Apostolus ait, quod Mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum; & ideò ait, non decere Mulierem non velatam orare: Sex autem sunt velamina Monialium. Primū est probationis, quod datur quando suscipitur habitus Nouitiatus, & est albi coloris. Secundum est professionis, quod datur quando solennis votorum professio fit, quæ non fit, nisi expleto decimo-sexto anno. Ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Regular. cap. 15.*, & est nigri coloris, siue puella, quæ profitetur sit Virgo, siue non; & antequàm profiteatur, debet examinari ab Episcopo, quo motiuo velit profiteri, & an voluntariè profiteatur. Tertium velū est consecrationis, quod dabatur Virginibus post vigesimumquintum annum completum ab Episcopo, quod solùm Virginibus datur: antiquitùs dabatur cum quadam pompa, & solennitate, quæ ampliùs non est in vsu; vt norat Barbosa *iur. Eccl. cap. 44. lib. 1. num. 21.* Differt autem Consecratio à professione, nam velum professionis datur etiam non Virginibus; Velū autem cōsecrationis, Virginibus tantùm. Secundò, ab Episcopo tantùm possunt Virgines consecrari; Professio verò potest fieri in manibus simplicis Sacerdotis; non tamen potest fieri in manibus Mulieris, quamuis sit Abbatissa. *Ex cap. Puella, &c.* quæ velum professionis non potest imponere; Imò potiùs tenetur Mulier professura sumere velum de Altari, quàm de manibus Mulieris. *Ex cap. Viduas 27. quæst. 1.* Tertiò, differunt, quia Monialis corrupta, etiam per vim, & sine propria culpa, non est consecrāda; & tamen ad professionem admitti potest; tùm etiam quia nō omnes Moniales professæ possunt consecrari; quia Monialis ex Ordine Mendicantium, non consecratur, nisi habeat priuilegium consecrari. Fieri autem debet Virginum consecratio, secundùm antiquos Canones in Festo Epiphaniæ, & in tota Octaua Resurrectionis, & in natalibus Apostolorum, & in diebus Dominicis, & graui interueniēte infirmitate, etiam alijs temporibus: est autem Virginum consecratio Ordinis Episcopalis; & non potest delegari, nisi habenti illum Ordinem. Sbroz. *de offic. Vicarij. lib. 2. quæst. 8. num. 2.* Quartum verò est ordinationis, quo Monialis in Diaconissā ordinatur: olim non dabatur ante quadragesimum annum; hodie verò huiusmodi ordinatio, vnā cum consecratione præstatur velo isto ordinationis: Moniales non accipiunt vllum Ordinem Ecclesiasticum, cùm Mulieres sint incapaces ordinationis propriè dictæ. Quintū velum est Prælationis, quod olim Abbatissis in sexagesimo anno ætatis suæ dabatur, quasi prudentioribus. *Ex cap. Iuuenculæ 20. quæst. 1.* Vltimum velum, est continen-

tiæ, & obseruationis, quod Viduis tātummodo datur, præter illud, quod habuerūt quando ingressæ sunt Religionem.

2 Nunc illæ Virgines sunt consecrandæ, quarum laudabilis est conuersatio; & quę in Religione approbata professionē emiserunt. Tabien. *verb. Virginis consecratio.* Syluest. *verb. Consecratio Virginum*; & quia consecratio spectat ad carnis integritatem; idcirco Viduæ consecrari nequeunt. *cap. Vidua 20. quæst. 1. & cap. De Viduis 27. quæst. 1.* Et quia Virginitas duplex est; vna fructuosa, & meritoria, quæ est in anima; & altera physica, quæ est in corpore; ad consecrationem talis est physica, licèt fructuosa, & meritoria non adsit; sicut etiam consecrari potest puella, quæ ante discretionis annos commisit aliquid delectabile circa opera carnis: non sunt tamen cōsecrandæ Virgines, quæ in ebrietate, &c. fuerunt stupratæ; ita Armilla *verb. Virginis consecratio* §. 1. Syluest. *loco citato*; etiamsi per vim corruptæ fuerint, & mentem incorruptam retinuerint. Ratio, quia ad consecrationē requiritur integritas carnis, quæ in talibus non est. Si verò talis Virgo per vim corrupta certa sit, se nullo modo delectationi consensisse, & res sit occulta, videtur tunc posse cōsecrari, quia censetur incorrupta corruptione voluntaria: Sicut etiam potest consecrari Monialis, quæ publicè habetur vt Virgo, licèt occultè fuerit corrupta. Ratio, quia in foro exteriori Virgo appellari potest, quę in communi existimatione, talis est, & in foro externo; ideo est innocens, qui re vera probatur innocens, non obstante scientia contraria occulta; ità Suarez *tom. 4. de Religione tract. 9. lib. 1. cap. 11. num 9.* Et ideo Episcopus, aut Abbas, qui solum habent notitiam lapsus per confessionem Sacramentalem, non possunt negare consecrationem fœminæ petenti, quia violarent sigillum confessionis: si similiter sciat per secretam reuelationem extrà confessionē ipsius fœminæ; aut alterius, non tenetur expellere illam; sed debet ipsam consecrare; & ità plures citàti à Suarez *loco citato.* Item Monialis, quæ se polluit per voluntariam seminis effusionem, potest consecrari, si carnis integritatē retineat. Ratio, quia re vera adhùc est Virgo, quia, vt suppono, retinuit integrum claustrum; tùm etiam quia apud homines censetur Virgo, licèt non coram Deo; est tamen Virgo statu, licèt non sit Virgo virtute.

P A R A G. VIII.

S V M M A R I V M.

1 *Moniales habent ius eligendi Abbatissam.*
† *Qualitates requisitæ in eligenda Abbatissa.*
2 *Electio quomodo debeat fieri.*
3 *Moniales possunt compromittere electionem Abbatissæ in Episcopum.*
4 *Illegitima non potest eligi in Abbatissam.*
5 *Non Virgo non potest eligi.*
6 *Nec item Monialis bigama.*
7 *Officium Abbatissatus, non est perpetuum.*
8 *Quale officium sit Abbatissæ in Monasterio.*
† *Potest cum Monialibus dispensare circa ieiunia Regulæ, &c.*
9 *Abbatissa non est capax iurisdictionis spiritualis.*
10 *Potest irritare vota Monialium, &c.*
† *Non tamen potest vota commutare, &c.*
11 *Habet liberam bonorum sui Monasterij administrationem.*
12 *Ad constructionem Monasteriorum Monialium; quæ requirantur.*
13 *Antiquitus Moniales Parochis erant subiectæ.*
14 *Confessarij Monialium debent singulis triennijs mutari.*
15 *In Monasterijs Monialium, puellæ recipi possunt educationis gratia.*
16 *Quæ requirantur, vt possint recipi, &c.*
17 *Cogentes puellas ad ingressum Monasterij, an incurrant excommunicationem.*

1 MOniales habent ius eligendi propriā Abbatissam. Plures qualitates desiderantur in ea, quæ eligitur in Abbatissam. Primò requiritur quòd sit professa expressè, & non tacitè illius Monasterij, cui præficitur, & in eo laudabiliter per aliquod annorum spatium vixerit; & iuxtà Concilium Tridentinum, debet esse annorum saltem quadraginta; & quæ post professionem, octo annos laudabilitèr in Monasterio vixerit, in qua ætate non potest Episcopus dispensare; ità plures citati à Tambur. *disp. 28. quæst. 2. num. 6.*

2 Vt electio Abbatissæ sit valida, debet fieri per vota secreta Ex Concilio Tridentino *sess. 23. de Regular. cap. 6.* nec Episcopus potest dispensare, vt aliter fiat. Omnes Moniales professæ habent ius ferendi votum in electione Abbatissæ, quod debent dare Moniali, cuius mores noti sint, & probati, & cuius vita non ignoretur. Electioni Abbatissæ debet præsidere Episcopus, vel alius ab eo deputatus; & si in electione contingeret, vt Moniales essent discordes; tunc Episcopi, & alij Superiores habent ius vnam nominandi, quam magis idoneam iudicauerint; ità rescripsit Sacra Congregatio Cardinalium Episcopo Assisien *die 20. Nouemb.* 1595. ità apud Piac. *in prax. Episc. p. 2. cap. 3. num. 57.* Verùm antequàm Episcopus, & alij Superiores deueniant ad talem electionem, debēt Monialibus tempus competens ad se accordandum assignare, quo transacto, ad electionem poterit deuenire: ex eadem Sac. Congregatione *in vna Cremonensi 12. Octobris* 1592. apud Piac. *loco citato.* Pendente tali discordia, non potest Episcopus, vel alius Superior votum pro electione Abbatissæ dare, cùm hoc sit prohibitum per Sacram Cōgregationem Cardinaliū, Concilij Tridentini interpretum; vt refert Tambur. *disp. 28. quæst. 6. num. 6.*

3 Omnes Moniales possunt compromittere electionem Abbatissæ in Episcopum, vel in alium Prælatum; ità *ex cap. Causam de electione.* Quādo vero electio fit per suffragia, numerus votorū sufficiens ad electionem Abbatissæ est duarum partium ex tribus, nisi alitèr sit consuetudine re-

ceptum, aut in proprijs statutis, constitutionibus, &c. aliter decernatur; vt verbi gratia, sufficiat medietas votorum, &c.

4 In Abbatissam, seclusis priuilegijs, illegitima eligi non potest, vel etiam in Priorissam, absque Apostolica dispensatione. Maiol. *de irregular. lib. 1. cap.* 10. Mendoza *de Signatura gratia tit. de dispens.* Viuald. *in Candelabro p. 3. cap. 5. nu.* 10. Naldus *in Sum. verb. Abbatissa, num.* 2. Nauar. *in man. cap. 27. num.* 201. Suarez *tom. 5. de Censuris disp. 10. sect.* 3. & alij plures citati à Barbosa; & Tambur. *disp. 28. quæst. 11. num.* 1. Sacra Congregatio *sub die 27. Aprilis* 1630. censuit, electionem illegitimę in Abbatissam esse irritam, & nullã.

Non Virgo, non potest eligi in Abbatissam; ità *ex cap. Iuuencula 20. quæst.* 1. Mendoza *de Signatura gratia tit. dispensatio pro corrupta.* Calderin. *cõsil. 3 de offic. Vicarij.* Decian. *cap. Causa matrimonij num.* 17. Sylua *de benefic. p. 4. quæst. 7. num.* 7. Viuald. *cap. 5. nu.* 13. & alij plures; licèt plures sequantur opinionem contrariam, nimirũm non Verginem posse eligi in Abbatissam, aut quod sit Virgo, solum habere locum in Abbatissis, quæ benedicuntur, vel consecrantur; non autẽ in alijs; sed prior sententia est probabilior propter plures conuenientias, quia si Virgo non esset, liberè non posset Moniales hortari in ijs, quæ spectant ad Virginitatem, & continentiam seruandam; tùm quia indecens videtur Virginibus præesse non Virgo. Tambur. *quæst.* 12.

6 Monialis bigama nõ potest eligi in Abbatissam; ità Maiol. *loco citato nu.* 4. Viuald. *cap. 5. num.* 8. & alij, propter conuenientiã allatam. Ratio, quia sicut viri bigami sũt incapaces Prælaturæ; ità & Mulieres. Dicitur autem Bigama illa, quæ post castitatis votum præuaricata est; tùm etiam quia in Italia nunquàm fuit consuetudo eligendi in Abbatissam nõ Virginem, aut Bigamam: & quia infames infamia iuris, aut facti, non possunt eligi ad dignitates, & honores; Idcircò Monialis infamis, non potest eligi in Abbatissam. Maiol *loco citato num.* 12. Viuald. *cap. 5. num.* 11. Nauar. *consil. 2. de Regular. num.* 60. Barbosa *iur. Eccles. cap. 25. num.* 23.

7 Electa in Abbatissam, non potest in officio Abbatissatus esse perpetua; ex Constit. Nicolai V. incipiente, *Digna reddimur.* Et ex Constit. Gregorij XIII. incipiente, *Exposui debitum.* Vndè Abbatissa electa cõtrà formam prędictę Constitutionis, non poterit exercere suum officium; quia electio facta erit nullius roboris, nec etiam si fuerit electa ad beneplacitum Monialiũ. Extat etiam Constitutio Sixti V., quæ incipit, *Et communis cura Pastoralis*, edita 27. Iulij 1587., quæ prohibet Abbatissis Ordinũ Minorum, vt vltrà triennium in officio Abbatissatus non perdurent, & per alterum triennium debeant vacare: hæ Cõstitutiones non habent locum in Abbatissis, quæ fiunt per præsentationem, & Institutionem, quia talis Institutio, & Confirmatio est perpetua. Portella *verb. Abbatissa num.* 10. vbi ait, primam fundationem alienius Conuentus Sanctæ Claræ posse perseuerare in officio Abbatissæ per viginti annos, per Statuta Ordinis; & Hieronymus Rodriq. resoluit *resol. 2. nu.* 7. post expletos viginti annos, posse præfatam Fundatricem iterùm in Abbatissam eligi.

8 Officium Abbatissæ in Monasterio, est idem quod Abbatis, aut Generalis in Monachos; quia Abbatissæ competunt omnia iura Abbatialia, quæ competunt Abbati, exceptis ijs, quę repugnant fęminæ statui; Et licèt antiquitùs posset visitare Monasteria sibi subdita, eaq; legitimè impedita, liceret per virum omni exceptione maiorem visitare; nunc ex Decreto Concilij Tridentini *sess. 25. de Regular. cap.* 5. non ampliùs potest. Em. Rodriq. *tom. 2 quæst. Regular. quæst 5. art.* 10. licẽ potest cum Monialibus dispensare circà ieiunia Regulæ, & circà esum carnium, & lacticinia, &c. quando cognouerit, Moniales non posse commodè huiusmodi ieiunia, & abstinentias seruare, cùm hæc non sit propriè dispensatio, dimanans à potestate spirituali, cuius est incapax fęmina, vt infrà dicetur.

9 Abbatissa debet certiorem facere Episcopum de tempore professionis Virginum, ante mensem, iuxtà Decretum Concilij Tridentini *sess. 25. de regular. cap.* 7.

10 Abbatissa non est capax iurisdictionis spiritualis, nec potestatis ordinis, vt docent omnes Theologi *in 4. dist. 19. & 25* & interpretes iuris Canonici *in cap. Dilecta de maior. & obed.*, nec etiam ipsis, quamuis doctis potest delegari facultas leges spirituales ferendi, licèt Papa fœminis talem auctoritatem possit delegare, & ità plures Theologi, & Iuris-periti, quod probant *in cap. Dilecta.* licèt ab istis, hęc potiùs dicãtur ad ostẽsionem plenitudinis potestatis Papæ. Vndè Abbatissa, de iure communi, non potest excommunicare, suspendere, & interdicere suas Moniales, licèt secundùm aliquos, possit præcipere suis Presbyteris, vt Moniales delinquentes excommunicẽt, illasque absoluant.

11 Abbatissa potest irritare vota Monialium ratione potestatis dominatiuæ, eo modo, quo Pater, &c. potest irritare vota filiorum, & Maritus vota suæ Vxoris; ità plures citati apud Tambur. *disp. 32. quæst. 6. num.* 2., non tamen potest vota commutare, aut in ipsis dispensare, cùm hæc pertineant ad potestatem spiritualem. Non potest Monialibus sibi subditis benedicere, cùm benedictionis munus ortum habeat à clauium potestate, cujus Monialis est incapax; nec etiam potest prædicare, cùm talis functio ab Apostolo sit fœminis prohibita, & in hoc, iuxtà Abbatem *in cap. Decernimus de iudic.*, non potest dispensari à Pręlato Pontifice inferiori, sed solùm spectat ad Papam, cùm tanta sit eius potestas, vt etiam possit contrà Decretum Apostoli dispensare, sicut de facto dispensauit: Potest tamen Abbatissa, secundùm regulam D. Benedicti, legere in Choro Euãgelium, & Moniales sibi subditas mouere, & exhortari.

hortari

hortari in Capitulo.

12 Abbatissa habet liberam bonorum sui Monasterij administrationem, & ideò per Abbatissam, & Moniales disponuntur res Monasterij, sicut per Abbatem, & suos Religiosos. Nauar. *de regular. commend.* 3 *num.* 4. Card. *consil.* 13. *num.* 15. licèt nunc in rebus magni momenti habeant relationem ad Episcopum, seu alios Superiores earum.

13 Monasteria Monialium sine auctoritate Episcopi construi non debent, & præter licentiam Episcopi, requiritur etiam licētia Papæ, cùm Concilium Tridentinum non abrogauerit ius commune, *cap.* 1 *de excess. Prælat.* & *cap. vnico de Religios. domibus in* 6. Quod etiam confirmauit Vrbanus VIII. *constitut.* 25. incipiente *Romanus Pontifex.* sub dat. apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris *die* 28. *Augusti* 1624. Antiquitùs construebantur Monasteria, vt dictū fuit, in solitudinibus, nè populari accessu illarū deuotio impediretur. Hodie verò Monasteria Monialium extra Ciuitatē construi prohibentur, & quæ extrà Ciuitatem consistunt in Ciuitatē, aut Oppidum reuocātur, nè malorum hominum prædæ, & alijs facinoribus sint, absque custodia exposita, Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de reformat. cap.* 5. Vndè Sacra Congregatio negotijs Episcoporum, & Regulariū præposita censuit Monasteria Monialium non esse eligenda, nisi de consensu Ordinariorum, & duntaxat in ijs locis, quæ muro cincta sunt.

14 Quamuis Moniales antiquitùs iure communi Parocho essent subiectæ, ita vt ab ipsis reciperent Sacramenta, tamen nunc temporis sunt exemptæ, & nō à Parocho, sed à proprio Sacerdote tenentur Sacramenta recipere, & ideò nunc sepeliuntur in proprijs Monasterijs tam velatæ, quàm seruientes, in sepulchro ad id deputato, in quo mulieres laicæ non possunt sepeliri, etiamsi sint nobiles, & legatum relinquentes, mandauerint sepeliri in sepultura Monialiū, & ità declarauit Sacra Congregatio *die prima Martij* 1588., & in vna Ragusina 16. *Iunij eiusdem anni*. Tertiariæ verò S. Francisci, &c. habitantes in proprijs domibus possunt in quacumque Ecclesia eligere sibi sepulturā, etiā in quacumque Ecclesia aliorum Ordinum, ex Concilio Lateranensi *sess.* 11.: Quod si decedant, nō electa sepultura, debent sepeliri in Parochia, seu in sepulchris suorum maiorum, si quæ habent, & Sacra Congregatio statuit *die* 12. *May, & 23. Nouembris* 1582., quod Tertiariæ domi habitantes non sepeliātur in Ecclesijs regulatium, nisi ibi eligerent sepulturam, etiamsi habitum gestent.

15 Confessarij Monialium debent singulis triennijs mutari. Monialibus debent dari Confessarij extraordinarij ter, aut quater in anno, in cōmuni, non autem in particulari: regulariter Ordinarij nō possunt vti regularibus pro cōfessionibus ordinarijs, in casu necessitatis possunt, in quibus casibus possūt ingredi clausurā, vt dictū fuit.

16 In Monasterijs Monialium puellę recipi possunt educationis gratia, & ità docent plures citati à Tambur. *disput.* 1. *quæst.* 1. *num.* 2., & videtur in praxi, dummodo Monasterium statutum nō habeat cōtrarium, quia cuiuslibet Monasterij instituta seruanda sunt; ità tamen vt puellę non admittantur, nisi de consensu Superioris, & Abbatissę cum Monialibus capitulariter, imò hodie requiritur licentia Sac. Congr.: Secundò, quod non recipiantur puellæ suprà numerum præfixum à Sacra Congregatione: Tertiò, quod puellæ vtantur habitū modesto: Quartò, quod recipiatur sola sine ancilla: Quintò, quod expleuerit septimum annum, sique minor 25. annis: Sextò, quod puellæ intrà Monasterium habitent in loco separato à dormitorio Monialiū: Septimò, quòd puellæ teneātur ad clausuram, sicut Moniales: Octauò, quod in quolibet semestri pro dictis puellis alimenta anticipatè soluantur: Vltimò, quod licentia à Sacra Congregatione obtineatur.

17 Cogētes puellas ad ingressum Monasterij, non vt habitū regularē sumant, sed vt, sæculari habitu retēto, educentur, donēc aptæ sint matrimonio, incidunt in excommunicationem Concilij Tridentini *sess.* 25. *de regular. cap.* 18., vt tenent plures citati à Tambur. *quæst.* 4. licèt alij loquantur cum limitatione. Verum cùm Concilium loquatur absolutè, non assignatur ratio, cur istæ limitationes apponantur: in vno casu potest vna limitatio habere locum, quod si parentes cogant puellas impuberes ingredi Monasterium, educationis causa, nō incurrunt excommunicationem: si verò puellæ puberes cogantur ingredi Monasterium, educationis causa, ligantur dicta excommunicatione.

P A R A G. IX.

S V M M A R I V M.

1 *Requisita in Monasterio, vt Moniales perfectam vitam traducant.*
2 *Quæ documenta debeat amplecti.*
3 *Debent etiam seruare silentium, &c.*
4 *Sex sunt, quæ Moniales metuere debent.*

1 VT sacræ Virgines ad perfectam, & absolutam omnium virtutum regulam, quatenùs humanitùs fieri potest, vitam traducant, circa quatuor inuigilādū erit: Primò, vt ordinarij, & extraordinarij Confessarij sint probi, & docti, ac in spirituali vita exercitati: Secundò, vt earum perfectæ, & Nouitiarum Magistræ bonitate, & disciplina polleant, cum ex earum bonitate, & idonea qualitate totius Religionis, & Monasterij bonum, & fœlicitas pendeat; Siquidem ad eam spectat docere Nouitias de ijs, quæ professæ facilè tenentur, simulque quæ Religionis sunt: Tertiò, inuigilandum est, vt Laicorum confabulationes deuitent, *cap. Diffinimus* 18. *quæst.* 2. Quartò, audendumest, vt propriæ ætatis virium ab eis radicitùs amputetur.

2 Monialis, quæ desiderat perfectionem, & documenta amplecti debet, primò

bet amare castitatem Virginis: quæ veræ virgines sunt, verecundamur non solùm facere, sed etiam cogitare, quæ turpia sũt, & animam maculant; ità D. Thomas 2.2. *quæst. 151. art. 4.*: Secundò debet amare paupertatem, quæ est expedita ad Deum via, & ideò Moniales in paupertate debẽt gloriari, quia Christus noster Saluator eam amplexus fuit, quam tantùm diligit Deus, vt filij sui ea patientia coronentur, & diuites cœlestis gloriæ euadant: Tertiò, debent amare obedientiam, quæ castitatis est indiuidua comes, si enim à Religiosarum legum obedientia, vel tantillum discedatur, maximam necesse est aperiri ianuam ad paupertatis perniciem, & totius regularis disciplinæ, quæ ab ea pendet: nihil aliud est obedire, quàm exequi quidquid fuerit ad salutem suam vtilitèr imperatum.

3 Debet etiam Monialis seruare silentium, quod in Monasterio statutis temporibus obseruari solet; silentium enim est materia orationis, amicus silẽtij appropinquat Deo, & colloquens cum ipso, illuminatur: & ideò Hieronymus ait, *Sit sermo Virginis prudens, modestus, rarus, nec tàm eloquentia, quàm pudore.*

4 Sex autem sunt, quæ Moniales metuere debent, & ab illis summoperè cauere, vt meritum virginitatis consequantur: Primum est, vt eum virginitate non dominetur superbia, sed humilitas. Vndè D. Bernardus dicit, *Sine humilitate, audeo dicere, nec Mariæ Virginitas Deo placuisset*: Secundò, euitare debent charitatis defectus, quoniã secundùm Bernardum, castitas sine charitate, lãpas est sine oleo; subtrahe oleum, lampas non lucet: Tertiò, euitare etiam debent tepiditatem Dei seruitio: Quartò, sint perseuerantes in bonis operationibus. Vndè Bernardus dixit, *Stude perseuerantiæ, quæ sola coronatur*: Quintò maculam peccati timeant, vt ait Salomon, *Tamquàm à facie colubri, fuge peccatum*: Sextò, sæpè confiteantur sua peccata, & rarò habeant colloquium cum hominibus.

PARAG. X.
Textus Sacrorum Canonum. De statu Regulari.

SVMMARIVM.

1 *Moniales professæ, &c. in quibus casibus à clausura egredi possint.*
2 *In Monasterijs quot moniales debeant assumi.*
† *Abbatissa, &c. quando è Monasterio possit egredi.*
† *Episcopi, si opus sit, cogant per censuras Dominos temporales, vt in suis Tribunalibus, &c. causa Monialium tractentur per Procuratores.*
† *Ordinarij clausuram procurare debent.*

1 Moniales quæcumque, tacitè, vel expressè professæ, clausura è Monasterij egredi non possunt, nisi constet, eas laborare morbo euidenti, quòd non possint cum alijs absque graui scandalo, & periculo commorari, nec alicui detur facultas ingrediendi clausuram à Superiore, nisi cum manifesta, & rationabili causa, *ex cap. Periculoso 1. de statu regularium in 6.*

2 Item in Monasterijs non Mendicantium tot sorores sumantur, quot sine penuria possint sustentari, *ex eodem cap.* Item Abbatissa, vel Priorissa, quæ propter feudum tenetur præstare iuramentum fidelitatis alicui Domino sæculari, si per Procuratorem illud præstare nequit, potest cum honesta societate exire, modò statim præstito iuramento, reuertatur, *ex cap. citato.*
† Item Episcopi, si opus sit, cogant per censuras Dominos temporales, vt in suis Tribunalibus, & curijs causæ Monialium tractentur per Procuratores, vt spirituales, *ex cap. citato*: Item Ordinarij locorum in subiectis Monasterijs propria, in exemptis, Apostolica auctoritate clausuram procurare debent, nec est propter hoc in alijs casibus iurisdictio in exẽptos illis attributa, *ex cap. citato*, quod Decretum innouatum fuit per Concil. Trid. *sess. 25. de regular. cap. 5.*

PARAGR. XI.
Decreta Summorum Pontificum. De Abbatissis.

Abbatissæ quorumcunque Ordinum in Italia, non possunt esse perpetuæ, sed triennales, duntaxàt, & exacto triennio, postquàm regere desierunt, iterum eligi poterunt, seruata forma Concilij Trid. Gregorius XIII. *Constit. 80. incip. Exposcit, prima Ianuarij 1583.*

Abbatissarum, seu Priorissarum electionibus, potest Episcopus vnà cum Superioribus Regularibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere nulla tamen Monasteriorum impensa. Gregorius XV. *Const. incip. Inscrutabili, sub dat. Nonis Februarij 1622.*

Decreta Sac. Congreg. Episc. De Abbatissis.

Abbatissæ, vel Priorissæ officia obire non possunt Viduę, absq; speciali Sedis Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis licentia. *29. Ianuar. 1585.*

Abbatissæ Soror non prohibetur de iure succedere in officio Sorori, si Canonicè eligatur, dummodò non adsit impedimẽtum legitimum circà eius personam, vel prohibeatur per Constitutiones Ordinis. *19. Aprilis 1619.*

Abbatissæ relationi simplicitèr standum nõ est, vt puella recipi possit educationis causa in Monasterijs Monialium, nisi pręcedat omniũ consensus singulariter pręstitus. S. Congr. Episcop. & Regul. *In Amelien. 4. Ianuarij 1608.*

Abbatissę in electione, ex tripartito numero Monialium, duæ partes concurrere debent, nisi fuerit alia consuetudo loci; & si fuerint discordes, potest Episcopus nominare

minare vnam quam magis idoneam iudicauerit. *In Assisien. 20. Nouembris 1585.*

Decreta Sacræ Congreg. Concil. De Abbatissis.

Abbatissa debet habere 40. annos ætatis, & 8. professionis, expressæ in laudabili vita: quod si talis non reperiatur in eodem Conuentu, sitque inconueniens, alteram de alio adducere, debet excedere saltem 30. annos ætatis, & 5. professionis.

Abbatissæ electio facta per vota non secreta, per ignorantiam Decreti Concil. *sess. 25. de Regular. cap. 6.*, non valet; nec Episcopus potest dispensare, vt valeat.

In electione Abbatissæ, non possunt Monialiũ scrutatores supplere pro numero vocum requisitarum in huiusmodi electione, seu in casu discordiæ, *sub die 24. Maij 1621.*

Abbatissis Monialium ipsis Regularibus subiectarũ prohibere potest Episcopus sub censuris, &c., ne, quę puella professionem emittat, nisi prius explorata illius voluntate ab Ordinario, ad præscriptum Concil. Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 17. 4. Decembr. 1627.*

In Abbatissæ electione, potest Episcopus cũ suo Vicario, seu Secretario, vel alio ab ipso assumpto vota singularum Monialiũ ore tenus expressa audire. Sac. Cogreg. Conc.

Ababtissæ electionis diem, tenentur Regulares Episcopo significare, eumque vsq; per infinitum tempus expectare, si ante ipse expressè declarauerit, se vti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumq; electionibus per se, vel per alium interesse, & præsidere, &c. *anno 1626.*

Abbatissas cõfirmandi ius minimè fuit Episcopis, per Constitutionem Gregorij XV. *de exemptorum priuilegijs*, attributum. *anno 1623.*

Abbatissa noua, non debet ad Episcopatum deduci, vt benedicatur. 28. *Augusti 1615.*

PARAG. XII.

Decreta Sacrę Congregationis Concilij. De Monialibus.

Moniales, nec ad professionem, neque ad Chorum admitti debent, nisi legere nouerint. *12. Ianuarij 1604.*

Moniales post lapsum annum probationis, non tamen omissa professione, minimè impediuntur renunciare bonis suis per duos menses ante professionem. *21. Augusti 1627.*

Moniales ante 16. annum in mortis articulo non potest de consensu Monasterij emittere professionem ad effectum, vt Monasterium succedat in dote, & bonis. *in Monasterij-regalis 13. Nouembris 1627.*

Monialis Nouitia non est admittenda ad professionem ante 16. ætatis annum completum.

Moniales in suis Monasterijs puellas, educationis causa, nisi eadem Monasteria capacia, & pro dictis puellis educandis loca particularia destinata, & constituta sint, retinere, & respectiuè recipere non possunt. *26. Ianuarij 1615.*

Monialium scrutatores in electione Abbatissarum, & aliarum Superiorum non possunt supplere pro numero vocum requisitarum in huiusmodi electione, seu in casu discordiæ. *sub die 24. Maij 1621.*

Monialium nulli conceditur facultas disponẽdi de sedibus suis post obitũ, sed eę, dum vacauerint, Superiorum arbitrio alijs Monialibus in ordine senioribus distribui debent *26. Ianuarij 1604.*

Monialibus nullatenus recipere licet pecunias, vel aliam rem anticipatè ad computum eleemosynæ dotalis, quam quæuis puella, habitum Monachalem suscepturà, persoluere debet; alioquin tàm recipientes, quàm persoluentes, Anathemati Decreto Sacri Concilij Tridentini *sess. 25. de regular. cap. 16.* contento, sunt subiecti. *In Camerinen. anno 1580.*

Moniales, Sedi Apostolicæ subiectæ, ab Episcopo sunt gubernandæ spirituali gubernio, sed non temporali.

Moniales, in Ciuitate sitatę, sed alieno Episcopo subiectæ, visitari debent ab Episcopo Diœcesis.

Moniales ad consecrationem non admittũtur, nisi 25. anno ætatis completo; ijs autem Monialibus, quæ sunt in Ordine Mendicantium, cùm consecrari non consueuerint, huiusmodi consecratio non conceditur.

Monialibus subiectis regularibus, potest Episcopus in casu negligentiæ, dare Confessarium ordinarium eiusdem Ordinis, & ex causa alterius Ordinis, & etiam sæcularem. *in Cameracen. 20. Decembris 1631.*

Moniales, quæ eius Ordinis sunt, qui requirit professionem; si tacitam professionem emiserunt, & si palàm, & expressè hęc facienda non fuit, cogendæ non sunt, vt expressè profiteantur.

Monialium exemptarum Clausuram potest Episcopus visitare, quotiès voluerit, etiã sine præsentia suorum Superiorum. Sac. Congr. Conc. *in Vercellen. 22. Aprilis 1617.*

Monialiũ septa ingredi nullus potest ad cõspergendum Cellas Monialium, aut alia loca, aqua benedicta in die Sabbati Sãcti, aut quolibet alio tempore. *13. Septembris 1583.*

Monialium Monasterio superiores intrà clausuram ingredi non possunt, etiam prætextu interueniẽdi electioni Abbatissæ, vel Priorissæ, aut examinandi Moniales particulares, sub censuris à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificijs, præsertim Gregorij XIII. cùm hæc ad Monasteriorum crates peragi valeant. *In Syracusana 16. Octobris 1600.*

Monialium in Monasteria ingredi, deinceps non permittitur Mulieribus sæcularibus, nè quidem Fundatricibus, aut Donatricibus ad breue, vel ad longum tempus, etiamsi à Sede Apostolica, hoc esset eis spe-

specialiter Indultum cùm Pauli V. Constitutione *anno 1612. edita*, id fuerit in genere renocatum.

Monialibus licentiam concedere exeundi à clausura non licet Ordinarijs, in alijs quàtumuis grauibus casibus in, constitutione Pij V. non contentis, nisi in casu lepræ, magni Incendij, & epidimiæ: nomine autem epidimiæ, quicumque morbus popularis contagiosus intelligetur ad numerum Hispaniæ. 8. *Nouembris* 1594.

Monialis nō potest egredi, pvt ne otum suorum curam gerat, etiamsi nepotes omninibus alijs propinquis destituti sint.

Monialis nulla energumena intrà Monasterij septa à quocumque Presbytero sæculari, vel regulari, etiam Confessario exorcizetur, sed ad Ecclesiam exteriorem eiusdem Monasterij, obtenta priùs à Sacra Congregatione licētia, ea de causa deducatur, vel transferatur: in translatione autem huiusmodi, sicut & in actu exorcizationis, honestæ personæ cōsanguineæ, vel aliæ mulieres prouectæ ætatis, ac probæ conuersationis, energumenæ committentur, &c.

Moniales, quæ de licentia Sacra Congregatio recipiuntur supra numerum in quolibet Monasterio constitutum, non subrogantur in locum Monialium decedētium intrà numerū, nec impediuntur, quin aliæ in locū earumdem demortuarū intrà numerum recipi possint; imò eędem sic suprà numerum receptæ, ne impediant huiusmodi loca, remanent semper supernumerariæ, licèt in cæteris nihil ab alijs differant. 2. *Iulij* 1602.

Moniales, res etiam parui momenti, sibi donatas, vt alias acquisitas, vti proprias retinere non possunt, sed Superiori illas tradere debent.

Moniales, vbi ad aliud Monasterium ex iusta causa transferendæ sunt, translatio debet fieri in aurora, vt illę à paucis conspici possint, atque à personis grauibus, & honestis, & sanguine eis proximioribus deducantur.

Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium. De Nouitiatibus.

Monialis Nouitiæ habitum suscipere nō debet puella, quæ 12. annum non compleuit. Sacra Congr. Episcop. & Regul. *in Neapolitana anno* 1582.

Monialium duæ partes concurrere debent in electione Abbatissæ, nisi alia fuerit cōsuetudo, & si fuerint discordes, poterit Episcopus nominare vnam, quam magis idoneam iudicauerit. *in Assisien. 2. Nouembris* 1585.

Moniales ab vno Monasterio non transferunt locorum Ordinarij, aut Superiores regulares, in Monasteria recenter erecta pro Nouitiarum in eo introducendarum institutione, nisi obtenta licentia à Sede Apostolica, vel à Sacra Congregatione speciali facultate. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium. *in Derton. 27. May* 1603.

Decreta Summorum Pontificum. De Monialibus.

Moniales tacitè, vel expressè Religionē professæ clausuram seruare tenentur. Pius V. *const. 8. incip. Circà Pastoralis 4. Kal. Iuny* 1566.

Moniales cuiuscumque Ordinis Regularium à decimis, subsidiis, alijsque oneribus exemit Pius IV. *constitut. 5. Incip. De statu Nonis Aprilis* 1560.

Moniales cuiuscumque Ordinis Regularium ab hospitatione militum exemit Pius V. *constitut. 148. incip. Cùm sicut* 1572.

Monialium Monasteria mulieribus ingredi interdixit Gregorius XIII. *constit. 28. incip. Vbi gratiæ ædibus Iuny* 1575. & Paulus V. *constitut. 74. incip. Monialium 10. Iuly* 1612.

Monialium consensus, sine quo mulieres sæculares licentia Monasteria ingrediendi vti non possunt, expressè, capitulariter, & per secreta suffragia de cætero haberi debet, vt illis valeant, vti Vrbanus VIII. *constitut. 29. incip. Sacrosanctum 27. Octobris* 1624.

Moniales non possunt egredi ianua, quæ est pro clausura ad claudendum ostium propè viam. Gregorius XIII. *constit. 8. incip. Deo sacris 3. Kal. Ianuary* 1572.

PARAG. XIII.

Decretum Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium pro Puellis, quæ recipiuntur in Monasterijs.

Puella ad habitum Monachalem non admittatur, nisi 12. ætatis anno completo absque Sacræ Congregationis licentia. *in Neapolitana anno 1582. & 1. Martij* 1608.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij pro Puellis, &c.

Puella, quæ 12. annum non compleuit, non potest dispensari, vt habitum in Monasterio suscipiat.

Puellæ, quæ sumpserunt sacrum habitum in aliquo Monasterio Monialium, debet ab Ordinario certus dietum numerus 15., vel 20. præfigi, intrà quem deliberent, vt tum velint profiteri, vel non si noluerint; remittendæ sunt ad domos consanguineorum, vel affinium.

Puellæ ad professionem non sunt admittendæ ante 16. ætatis annum completum.

Puellas, educationis causa, in Monialiū Monasteria introduci nullatenus permittant Episcopi, nisi habita licentia Sacræ Congregationis, & quod adsit consensus Monialium, & quod earum habitatio seorsim dormitorio, & habitatione Professarū, & Noui-

Monialatum sit, & sint infrà annum 25. ætatis suæ ingrediantur solæ, modesto vtantur vestitu, clausuræ legibus, Monialium instar, sint obstrictæ, & si vnquam è Monasterio egressæ fuerint, ad illud nunquam redire permittantur absque Sac. Congreg. licentia.

Puellæ recipi non possunt educationis causa in Monasterijs Monialium, nisi præcedat omnium consensus singulariter præstitus, & non est standum simpliciter relationi Abbatissæ. *in Amelien. 4. Ianuary* 1608.

Puella, causa educationis, in Monasteri, s recipi non possunt minores septennio, & maiores 25.

Puella, causa educationis, in Monasterio recepta, si postquàm præterijt tempus 25. annorum, intra quod illic morari conceditur ex causa educationis, statim non reingrediatur, nec ipsa, nec quenis alia censuram incurrit, sed potest Episcopus terminū constituere, intrà quem eligat Puella, vtrum velit Monialis fieri, aut è Monasterio egredi. Sacra Congregatio Concilij.

P A R A G. XIV.

Decreta Summorum Pontificum, ac Sacræ Congregationis de Monasterijs Monialium.

Monasteria Monialium mulieres ingredi, prætextu cuiuscis licentiæ, non possunt. Gregorius XIII. *constitut.* 28 *incip. Vbi gratia idibus Iunij* 1575. Paulus V. *constit.* 74. *incip. Monialium* 10. *Iuly* 1612.

Monasteria Monialium inuiolata seruari, & violata restitui curare debent Episcopi. Gregorius XV. *constitut.* 18. *incip. Inscrutabili Nonis February* 1622.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij. De Monasterijs Monialium.

Monasteria Monialium ingrediendi licentia matribus præstari non potest ad inuisendas filias morti proximas.

Monasterij Monialium translatio ob scandalum, vel propter supereminentem aeris pestilètis causam, debet fieri ad aliud eiusdem Ordinis simul cum introitibus, & redditibus, quos illud habebat.

Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium. De Monasterijs.

Monasteria Monialium non erigantur, nisi Ordinarijs locorum consentientibus, & nisi in ijs dunraxat locis, quæ muro cincta sunt, & in quibus adest Presbyterorum sæcularium, vel regularium copia ad audiendas earum confessiones. Sac. Cong. Episcop. & Regul.

Monasteria Monialium, absque speciali Sedis Apostolicæ indulto, erigi non possunt, nec in eis erectis absque Ordinarij loci licentia celebrari. *in Vicentina* 10. *Aprilis* 1615.

TITVLVS LXIX.

De fauore Canonis, *Si quis Suadēte, &c.* Ecclesiasticis concesso.

S V M M A R I V M.

1 *Qui fauores sint Ecclesiasticis concessi.*
2 *Nomine Clericorum, qui intelligantur.*
3 *Qui priuentur fauore Canonis.*
4 *Percutiens Clericum, &c. est excommunicatus.*
5 *Item detinens Clericum in custodia publica, &c.*
6 *Item qui veneno occidit Clericum.*
7 *Quando quis non subijciatur excommunicationi.*
† *Mandans, &c. percussionem Clerici, est excommunicatus.*
† *Item ratam habens ipsam percussionem.*
9 *Percutiens Clericum consentientem, est excommunicatus.*
† *Item participans cum excommunicato mortuo.*
10 *Est excommunicatus, qui potuit prohibere percussionem, & non prohibuit, &c.*

1 CVM de Iure communi competat Ecclesiasticis duo præcipuè fauores, Canonis, videlicet, & Fori; nūc quidem videndum est de fauore Canonis Ecclesiasticorum; quo si quis violentas manus in Clericum, seu Monialem inijcere, *Diabolo suadente* præsumpserit, Anathematis fulmine eo ipso subiaceat, à quo non possit, nisi per Romanum Pontificem absolui.

2 Nomine Clerici intelligitur initiatus prima tonsura, aut aliquo Ordine etiamsi coniugatus sit, modò gerat habitum Clericalem, & tonsuram, & non sit Bigamus; quia Bigamus priuatur priuilegio Clericali. *cap. Clericos dist.* 21. *& cap. Cum contingat de ætate, & qualitate Ordinand. & cap. Vnico de Clerico coniugato*. Priuilegio Clericali non priuatur Clericus coniugatus, qui côtraxit matrimonium cùm Virgine, quamuis deseruerit habitum, & tonsuram, quæ postea reassumpsit, pœnitentia adductus; pœnitentia enim illi prodesse debet. Sylvester *verbo Excommunicatio 6. num. 4.* Nauar. *cap.* 27. *num* 79. Comin. *disp.* 30. *dub.* 15. *num* 175.

3 Priuatur priuilegio Clericali Clericus realiter degradatus incorrigibilis, qui se ioculatorem, &c. faceret, qui prætermissis Diuinis Officijs, se immisceret; & ter monitus non resipisceret. Item qui publicè exercet officium Macellarij, Tabernarij, &c. si post trinam admonitionem non destiterit.

4 Percutiens Clericum, incurrit ipso facto excommunicationem. *cap. Si quis suadente, &c.*, etiam si Clericus sit degradatus verbaliter tantùm, quia adhùc gaudet priuilegio Clericali. Itē qui percutit Clericum excōmunicatum, irregularem, vel alia censura irretitum, quia adhùc fruitur priuilegio Clericali. Item, qui percutit Clericum, qui post susceptionem Sacrorū Ordinum, contraxit matrimonium; quia per

per contractum matrimonij non amisit priuilegium.

5 Detinens Clericum in custodia publica, vel in loco priuato, ex quo non possit exire, incurrit excommunicationem. *cap. Nuper*. Item si fiat vis rebus inhærentibus Clerico, vt si spoliaretur vestibus, vel qui rem aliquam violenter eripit è manu Clerici, vel violenter inijcit manus in frenū equi, cui Clericus insidet, aut frangit frenum equi, dùm Clericus eo vtitur, aut ità insequitur Clericum, vt cogatur se præcipitem dare in fluuium, ad se se eripiendum è manibus insequentis.

6 Ille etiam incurrit excommunicationē, qui occidit Clericum per cibum, vel potū veneno infectum. Ratio, quia, cùm huiusmodi actio sit violenta, dissoluit compositum: secus autem dicendum de Moniali grauida, quæ sibi propinat potionem mortiferam fœtus; quia ista actio licet sit iniuriosa fœtui; non est tamen iniuriosa statui Ecclesiastico. Auila *2.p. cap.5. disp. 3. dub.12.*

7 Qui verbis, aut etiam factis absque manuum iniectione infert iniuriam Clerico, non subijcitur excommunicationi Canonis; sicut etiam qui Clerico dormiēti furatur zonam, quā cingitur, aut pallium, vel pileum, quo tegitur, aut pecuniam, quā habet in Marsupio, vel Marsupium ipsum præscindit. Ratio, quia in istis casibus nō datur violentia redundans in personam Clerici, sed solùm dolus; sicut etiam non subijcitur, qui per metum absque vlla vi, vel tactu, cogit Clericum exire; non enim dicitur manus violentas in Clericum inijcere.

8 Mandans, siue consulens percussionem Clerici, est ipso facto excommunicatus; quod tamen non procedit, si mandans reuocauerit mandatum; & reuocatio mandati innotuit mādatario, re integra. Gloss. *in cap. Tibi Domine verb. Curare.* & *in cap. Cum quis verb. Mandato.* Sicut etiam non incurrit excommunicationem, si moriatur ante executionem. Gloss. *in cap. Mulieres verb Auctoritate*. Sayrus *Thes. casuum conscien. lib. 1. cap. 8. num. 12.* quia mandatum morte extinguitur. Item incurrit excommunicationem ratam habens percussionem Clerici, suo nomine factam; ità *cap. Cum quis*, & ibi Gloss. *Verb. Suo nomine, de sententia excomm. in 6.* Felin. *in cap. Mulieres* 4. Ratio, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. *cap. Ratihabitio de reg. iur.* etiamsi ratum habens non dederit mandatum; ità Molina *disp.51. num.4. & tom.4. tract. 3. disp. 33.* Non erit excommunicatus, qui ratam habet percussionem non suo nomine factam. *cap. Cum quis*; quod si internè solùm ratificet percussionem suo nomine factam, & non externè, tunc ratam habens, licèt coram Ecclesia non sit excommunicatus; quia sicut non respicit; ità nec etiam punit actus internos; erit tamen coram Deo. Gloss. *in cap. Cum quis verb. Suo nomine*. In ratum habente, vt incurrat excommunicationem, requiruntur tria. Primò, quòd potuerit eam mandare. Secundò, vt ipsam ratam habeat per signum externum. Tertiò, vt sciat, percussionem esse factam suo nomine.

9 Qui percutit Clericum consentientem, est excommunicatus. *cap. Cum contingat*. Caiet. *verb. Excommunicatio cap. 10.* Conin. *cap.24. dub.5. num.178.* Reginald *lib.1. num.209.* Ratio, quia Clericus consentire nequit, cùm iniuria fiat toti statui Clericali: Clericum patiens percuti, non est ipso facto excommunicatus, sed excommunicandus. *cap. Contingit num. 7.* Percutiens Clericum mortuum, est etiam excommunicatus. Felin. *in cap. A nobis* 2. Boer. *decis.16. num.12.* Riccius *de iure personarum lib. 4. cap.60. num 9.* & alij: Nam & participans corpori mortuo excommunicati, excommunicationem incurrit. Abbas *in cap. A nobis*. Participatur autem cum mortuo excommunicato, si eius cadauer lauaretur, vngeretur, vestiretur, associaretur ad sepulturam, traderetur Ecclesiasticæ sepulturæ, preces fierent pro ipso ex his, & ex alijs, inducitur excommunicatio ciuilis.

10 Incurrit etiam excommunicationē Canonis, qui potuit prohibere percussionē, & non prohibuit. *cap. Quanta*; & ibi Glos. Couar. *in Clem. Si furiosus p. 2. §. 2. num. 7.* quod intelligitur non solùm de eo, qui habet potestatem in verberante, sed etiā de eo, qui dolosè non prohibet. Hostien. *in cap. Quanta*, & alij.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Clericus percutiens se ipsum, est excommunicatus.*
2 *Cooperantes ad percussionem Clerici, sunt excommunicati.*
3 *Priuilegio Canonis gaudent etiam Monachi.*
† *Monachorum nomine, qui veniant.*
4 *Tertiarij, &c. quomodo gaudeant priuilegio Canonis.*
5 *Item Heremita.*
† *Percutiens Clericum mortuum, est excommunicatus.*
6 *Casus, in quibus percutiens Clericum, non est excommunicatus.*

1 Clericus, qui se iniuriosè percutit, est excommunicatus, ex communi Doctorū sententia; ità *cap. Contingit*; & ibi Abbas *nu.6.* Felin. *nu. 1.* Farinac. *de homicid. quæst. 108.* Nauar. *in Man. cap.18. num.11.* Riccius *in prax. resol p.2. resol.472. num.1.* Ratio, quia se percutiendo, facit iniuriam statui Clericali, in cuius fauorem concessum est priuilegium.

2 Præbentes auxilium percussioni Clerici, sunt ipso facto excōmunicati. *cap Quanta*; & ibi Hostien. *num.1.* Abb. *num.3.* Felin. *num.1.*

3 Huiusmodi priuilegio non modò gaudent Clerici, sed etiam Monachi: nomine Monachorū intelligūtur non solùm professi, sed etiam nouitij: Item Moniales *cap. de Monialibus, de sententia excommunicationis* tam professi, quàm conuersi, etiamsi professionem non emittant, etiam nouitiæ, dummodò non vacent domi more

Lai-

Laicorum. Item Milites Hierosolymitani Sancti Ioannis, gaudent fauore Canonis. *cap. Canonica de sententia excommunicationis*; quia verè sunt Religiosi, nam emittunt tria vota essentialia Religionis. Molin. *tom. 4. tract. 3. disp. 50 num 5.* Sanchez *in Summa lib. 4. cap. 26.* & alij Reliqui verò Milites, qui non viuunt in communi, nec emittũt tria vota, non gaudent fauore Canonis.

4 Tertiarij S. Francisci, vel S. Dominici gaudent priuilegio Canonis, si se emancipattur obsequijs Religionis, & viuant sub obedientia Superioris; quia secùs si domi viuant sine obedientia; sicut etiam tali fauore gaudent illi homines, quia sumpto habitu Religioso, adhibentur ad seruitia, & obsequia Monialium, ad petendam pro ipsis eleemosynam.

5 Heremitæ, qui in communi viuunt, vel in aliqua Congregatione, gaudent priuilegio Canonis: Gaudent etiam priuilegio Canonis Clerici suspensi, seu interdicti, aut excommunicati. *cap. Dilectum*, & ibi Gloss. 81. *dist.* Hostien. *in cap. Contingit 1. num. 7.* Item Clericus depositus. Innocen. *in cap. Ex parte.* Percutiens Clericum pluribus vicibus, vnam tantum incurrit excommunicationem, si fiat eodem impetu iræ. Abbas *in cap. Cum contingat num. 8. de sententia excommunication.* secùs si percutiat pluribus vicibus ex internallo, quia tunc percutiens ligaretur pluribus excommunicationibus. Coul. *lib. 2. var. resol. cap. 10. num. 8.*

6 Sunt plures casus, in quibus percutiens Clericum, nõ incurrit excommunicationem; Primus, si Clericus percutiatur ioco, & non ex ira. Secundus, cùm quis percutit Clericum, ignorans, ipsum esse Clericum, quæ ignorãtia requiritur, quòd sit inuincibilis. Tertius est, quando percussio, siue iniectio violenta manus fuit inuoluntaria, & non deliberata Quartus, ratione vrgentis necessitatis, vt cùm quis fugiens inimicum insequentem casu percutit Clericum. Quintus, cùm quis percutit incontinẽter, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, cùm vim vi repellere omnes leges, & iura permittant. Sextus, cùm quis percutit Clericum disciplinæ, & correctionis gratia, dummodò correctio sit moderata; & ità Pater, Tutor, & Magister, Submagister, possunt percutere Discipulum Clericum. Septimus, si inuentus fuerit Clericus turpiter agens cum vxore, filia, sorore, vel matre; quia si is Clericum percutiat, non incurrit excommunicationem, cùm talis percussio non præsumatur facta, *suadente Diabolo*, sed vehementi passione. Molina *tom. 4. de iustitia tract. 3. disp. 73. num. 3.* Nauar. *cap. 27. num. 84.* Em. Sà *de excommunicationibus Papa reseruatis num. 2.* & alij. Si Clericus inueniretur cum prædictis personis non in actu turpi, sed in osculis, tactibus, &c. in loco suspecto, excusatur etiam ab excommunicatione illum percutiens, maximè quãdo Clericus iam fuisset monitus. Hostien. *cap. Cum voluntate num. 8.* & Gloss. *in cap. Consuluerit verb. Gratiam fecerit.* Angel. *verb. Excommunicatio 5. §. 18.* quia sunt antecedentia copulæ; secùs verò, si inueniretur nõ taliter conuersans, aut si easdem Mulieres deosculaetur in publico, iuxtà consuetudinẽ Patriæ. Excusatur etiam ab excommunicatione percutiens Clericum, qui ter monitus à suo Superiore, non defert tonsuram, & habitum; quia talis sic incedens, amittit priuilegium Clericale. Item percutiens Clericum, qui se immiscet negotijs secularibus; & ter monitus, non vult desistere. Nonus, quando quis percutit Clericum, qui dimisso habitu Clericali, fert arma, nec se correxit ter monitus Ratio, quia talis ammittit fauorem Clericalem. Item qui percutit Clericum, qui se Ioculatorem, Mimum, aut Scurram, facit per annum; talis enim caret fauore Clericali. Decimus, quando quis percutit Clericum coniugatum, qui publicè exercet officiũ Cauponis, vel Macellarij; & ter monitus, non vult desistere; aut si desistit, iterùm illud assumpsit: talis enim amittit fauorẽ Clericalem; ità Angel. *verbo Clericus 9 nu. 7.* Slyuest. *eodem verbo 3. quæst. 3.* Nauar. *cap. 27. nu. 80.*: secùs si non sit coniugatus, & gerat habitum, & tonsuram. Vndecimus, quando quis percutit Bigamũ: Bigamus enim caret omni fauore Clericali. *cap. Vnico de Clerico coniug. in 6.* & *cap. Vnico de Bigamis in 6.* Duodecimus, quando Ostiarius, aut alius Officialis Principum, turbam arcendo, simul arcet Clericum. *cap. Si verò 2. de sententia excommunicationis.* Ratio, quia huiusmodi violentia, respectu Clerici, censetur casualis. Decimustertius; non sunt excommunicari percutientes Mulieres Canonicè intrantes in Religione non approbata, cũ ipsæ mulieres non sint habitu Religiosæ, neque professione; ità Ioannes Andr. *in cap. Dilecta de maior. & obed.* Decimusquartus, non incurrit excommunicationem, qui percutit Clericum, in minoribus constitutum, factum Militem, seu Mercatorẽ; quia talis perdit fauorem Clericalem. *cap. Cum audientia*, & *cap. Contingit 2. de sententia excommunicationis.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Quæ percussio sit sufficiens ad incurrẽdam censuram.*
2 *Percussio triplex, &c.*
3 *Percussio leuis ex circumstantia facti fit aliquando grauis.*
4 *Percussio mediocris, quæ sit.*
5 *Item percussio grauis.*
† *Quæ sit percussio grauis.*
6 *Quæ sit percussio, quæ inducat excommunicationem.*

1 NON quælibet percussio, siue actio violenta sufficit, vt quis Canonis cẽsuram incurrat, sed requiritur, quòd talis sit, vt sufficiat ad peccatum mortale. Item actio debet pertingere ipsam personam Ecclesiasticam.

2 Iniuria illata Clerico potest esse leuis, mediocris, & grauis: Leuis est illa, qua quis percutit Clericum manu, pede, baculo,

lo, vel lapide, & ex percussione non relinquitur signum, aut livor in carne, nec per ipsam fit alicuius membri mutilatio, vel dentium fractio, vel multi sanguinis effusio, nisi forte ex naribus, aut ex aliqua alia parte, ex qua sanguis facilè erumpere solet. Nauar. *cap. 22. num. 92.* Molin. *disp. 57. num. 1.* Filliuc. *tract. 15. cap. 1. quæst. 8.* Reginald. *lib. 1. num. 242.* & alij.

3 Percussio leuis ex circumstantia facti, aliquando grauis est; vt v. g. ratione personæ, vt si quis percutiat Patrem, Prælatum, &c., vel temporis, vt si fiat in Ecclesia, tempore, quo celebratur Sacrum, loci, vt si fiat in loco publico.

4 Percussio mediocris est media inter leuem, & grauem, siue enormem, qualis est illa, qua dens extrahitur, vel capillorum copia euellitur, aut sigillatio carnis relinquitur, aut sanguinis copia effunditur, absque graui læsione, vel absque graui iniuria.

5 Percussio grauis, vel enormis illa est, quæ est cum graui læsione, vel graui iniuria; exempli gr. cum membri mutilatione, aut cum magna sanguinis effusione, quæ non proueniat è naribus, sed aliunde, aut cum magno vulnere, aut ictu, quamuis parum sanguinis exeat, qualis est etiā illa, quæ fit in suum Superiorem, vel in alium Prælatum in Dignitate constitutū, nisi forte percussio, seu violentia sit tam parua, vt moraliter non censeatur enormis: Similiter censetur grauis illa percussio, ex qua oritur magnum scandalum, vt quando quis percutit Clericum in publico coram sæcularibus, vel coram Prælato, aut in Ecclesia, aut coram alia persona in dignitate constituta; aut quando percutitur Sacerdos Sacris indutus; aut quando Clericus diu iniustè detinetur in teterrimo carcere; aut quando percussio est valdè ignominiosa, attentis qualitatibus personæ, vt quando personæ in dignitate constitutæ impingitur alapa, &c.

6 Percussio Clerici facta à prauo animo peccaminoso, mortaliter non inducit excommunicationem, si ex parte operis percussio fuerit leuis. Ratio, quia actus exterior debet esse mortalis, & grauis, non solum per relationem ad actum internū, sed etiam secundum operis externi quantitatem; excommunicatio enim non imponitur nisi ob actum externum mortalē; illud enim directè solum iurisdictioni Ecclesiæ subiacet. Portella *in dubijs Regular. num. 11.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. num. 7.* & alij.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Solus Papa potest absoluere ab excommunicatione ob percussionem Clerici.*
† *Ab excommunicatione leui, potest Episcopus.*
2 *In aliquibus casibus potest Episcopus absoluere à percussione mediocri, &c.*
3 *Quomodo absoluantur habentes impedimentum.*
4 *Episcopus potest absoluere à percussione enormi, quando delictum est occultum.*
5 *Excommunicatus, cui debeat satisfacere.*
6 *Regularis percutiens Regularem, &c. à quo debeat absolui.*
7 *Laicus percutiens Religiosum, à quo debeat absolui.*
8 *In mortis articulo, quilibet potest absoluere, &c.*
† *Quis dicatur mortis articulus.*

1 SOlus Summus Pontifex regulariter potest absoluere ab excommunicatione cōtracta ob percussionem Clerici, & violentam manuum iniectionem in Clericum; ita *cap. Si quis suadente quæst. 4. cap. Cum illorum de sent. excomm.* Sub nomine Papæ, comprehenditur etiam Legatus Papæ à Latere. *ex cap. Ad eminentiam de sent. excommunicationis*; quod intelligendum est de percussione enormi, & mediocri; quia à leui Episcopus absoluere potest. *ex cap. Peruenit de sententia excommunicationis*; & non modò potest absoluere per se, sed etiam per alium. Ratio, quia talis facultas absoluendi est ordinaria, quæ potest delegari, ex communi DD. sententia. Cæteri verò Prælati, etiā si habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, à percussione leui non possunt absoluere. Ratio, quia *in cap. Peruenit* dicitur *Tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendam*; Nullus autem inferior Episcopo appellatur frater Papæ, sed filius: Vicarius tamē Generalis, videtur per se ipsum posse absoluere, & dare alijs facultatem absoluendi, nam ipse est Iudex ordinarius, & facit vnum Tribunal cum Episcopo; ita Molin. *tom. 4. tract. 3. disp. 52. num. 1* Reginald. *lib. 1. num. 238.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 7. num. 11.* Hinc sequitur, Abbatem, Priorem, Guardianum, seu Præpositum Monasterij, seu alium quemcumque, modò sit supremus Superior Monasterij, posse à dicta excommunicatione suos subditos absoluere. *cap. Cum illorum, & cap. Canonica, de sent. excommunicationis*; non solum per se ipsos, sed etiam per alios: Supremus enim Monasterij Superior, est in hac re Iudex ordinarius. *cap. vlt. de offic. Iud. ordinar.* ita Sylues. *verbo Absolutio 4. num. 3.* Molina *disp. 59.* Reginald. *lib. 1. num. 258.* & alij.

2 Plures sunt casus, in quibus Episcopus potest absoluere à percussione mediocri, etiam enormi: Primus, potest absoluere Clericos in communi viuentes, qui se percussione mediocri affecerunt, *cap. Quoniam, de vita, & honestate Cleric.* Secundus, potest absoluere impuberes, qui se ad inuicem percusserunt, quia ætas eos excusat, *cap. Quoniam, &c.* etiamsi petant absolutionem postquam facti sunt puberes: Tertius, potest absoluere Ianitorem Principis, qui arcendo turbam, percussit Clericum mediocriter, *cap. Si verò, de sententia excommunicationis*, Nauar. *cap. 27. num. 92.* Filliuc. *tract. 15. cap. 1. num. 99.*, secus si ex ira, & mala intentione percutiat: Quartus, potest absoluere habentem legitimum impedimentum, propter quod excommunicatus non potest Summum Pontificem adire sine periculo vitæ: Quintus, potest absoluere, qui est in periculo mortis, *cap. Si quis suadente 17. quæst. 4. cap.*

4. *cap. non dubium, cap. Quid de iis. cap. Quoniam de sentent. excommunicat. cap. Pastoralis.* : Sextus potest absoluere mulieres, cuiuscuis ætatis, conditionis sint, *cap. Mulieres, & cap. Quodtius de sentent. excommunicationis*: Vltimò, potest absoluere habentes quodlibet impedimentum ad iter conficiendum, vt v. g. habentes inimicitias, delicatos, qui laborem itineris sustinere non possunt: Item inopes, qui grauati egestate, Romam accedere nō possunt, nisi stipem ostiatim quærant: Item absoluere potest senes, qui ratione ætatis Romam accedere non possunt, *cap. Ex nositur, & cap. Quamuis, de sentent. excommunicationis*, etiamsi percussio fuerit enormis, cùm iura indistinctè loquantur: Potest item absoluere debiles, vt cum quis ob debilitatem pedum, vel alterius membri, Romam adire non possit, *cap. Ea nositur.*

Habentes impedimētum perpetuum absolutè ab Episcopo absolui possunt, absq; obligatione se præsentandi: Qui verò sunt absoluti ob impedimentum temporale, eo sublato, tenentur se præsentare Sūmo Pontifici, &c. Clerici collegialiter viuentes absolutè absoluuntur, & ideò non tenentur se præsentare.

4 Episcopus potest absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem, modò delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum. Molina *disp. 64.* & alij: Ratio deducitur ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 6.*

5 Habens priuilegium absoluendi, satisfacta parte, debet satisfacere primò Clerico percusso, vel percussionis obtinere cōdonationem: Secundò, debet satisfacere Ecclesiæ, quā exhibebit, ostendendo se esse paratum ad acceptandam pœnitentiam, cum proposito non amplius in futurum percutiendi Clericum.

6 Regularis percutiens regularem eiusdē Monasterij, à Prælato absolui potest: si verò percutiat Regularē alterius Monasterij, per Abbatem vtriusq; Monasterij absolui debet, *cap. Cum illorū §. si verò claustralis*; Quòd si Religiosus percutiat Clericum, debet absolui à Prælato Regulari, & à Prælato Clerici sæcularis, *cap. Religiosi de sentent. excommunicat.*, nisi percussio enormis fuerit, quia tunc à Summo Pontifice debet absolui: Si verò Religiosus percutiat suum Abbatem, à Papa solo potest absolui, quia est enormis, *cap. Cum illorum.*: Si verò alium Abbatem percutiat, si percussio est enormis, Papæ est reseruata: Quòd si Abbas percutiat suum subditum, excedendo moderamen, potest absoluere à suo Superiore regulari.

7 Laicus percutiens Regularem, debet absolui ab Ordinario eiusdem Laici, non autem à Superiore ipsius Regularis. Riccius *in praxi resolu. par. 1. resolut. 439.*

8 In mortis articulo quilibet Sacerdos absoluere potest à quacumque excommunicatione, tàm facti, quàm iuris. D. Thomas *in 4. dist. 18. & dist. 20.* Syluest. *verbo Absolutio 1. num. 8.* Mortis autem articulus dicitur non solùm periculum mortis, sed etiam quodlibet periculum probabiliter vicinū morti, vt si quis timet hostem, vel prædonem, vel crudelitatem potentis, vel si nauigaturus sit per loca periculosa, aut per insidiosa transiturus; in quibus euidentia imminent pericula, siue condemnatus ad mortem, & ducendus ad patibulum: Item si quis obsideatur in loco, vbi tela iaciuntur. Hostiens. *in cap. Quid de iis num. 1. de sent. excommunicat. verbo Absolutio 1. num. 8.* & alij.

TITVLVS LXX.
De fauore Ecclesiasticorum personali.

SVMMARIVM.

1 *Fauor Clericalis est triplex.*
2 *Quid sit fauor personalis.*
3 *Clericus non obligatur vi coactiua seruare leges Principum.*
4 *Clerici etiam in minoribus sunt exempti à iurisdictione secularium.*
5 *Clericus non potest iudicari à laica potestate.*
6 *Principes non possunt reuocare priuilegium immunitatis.*
7 *Clerici non possunt renunciare priuilegio, &c.*
8 *Statutum, quo prohibetur, ne bona alienentur in Ecclesiasticos, est inualidum.*
9 *Item quod de nouo non ædificentur Monasteria.*
10 *Statutum Laicorum, &c. non potest ligare Clericum.*
11 *Possunt tamen Laici ad fauorem Clericorum disponere.*

1 IAm dictum fuit de fauore Canonis Ecclesiasticorum, nunc libet discurrere de fauore Clericorum fori, quem triplicem esse censeo, personalem, realem, & mixtū, de quibus *in Genesi*: & 1. *de personali tangente personam ipsius Clerici.*

2 Fauor personalis consistit in eo, quòd nullus Princeps, vel Iudex sæcularis Clericum quouis modo iudicare possit: Auth. *Statuimus Cod. de Episcopis, & Clericis*; & ideò Ecclesiastici sunt exempti à statutis sæcularium, cùm non sint eorum subditi, quia Clerici Iure Diuino, à ciuili potestate sunt exempti, sicut etiam à iure Canonico; ita Gloss. *in cap. Si Imperator dist. 96.* Gloss. *in cap. Quamquam de censibus in 6.* Innocent. *in cap. 2. de maior. & obed.* Nauar. *in cap. Nouit*, & alij.

3 Licèt Clericus non obligetur vi coactiua seruare leges Principum; tamen vi directiua in bonum commune tenentur eas seruare, quando non repugnant libertati Ecclesiasticæ.

4 Non modo constituti in Ordinibus sacris, sed etiam in minoribus cōstituti, sunt exempti à iurisdictione sæcularium, & etiā si solùm prima Tonsura sint insigniti, *l. Presbyteros Cod. de Episcopis, & Clericis cap. 1. de foro compet.* Abbas *in cap. Clerici nu. 5*, Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de reformat.* Nouitij quoque Religiosorum gaudent priuilegio Fori: Item Clerici coniugati, si cum Virgine contraxerunt, & habitum Clericalem, & Tonsuram deferant, quia secùs si non deferant habitum, & Tonsuram, *cap. 1. de Cleric. coniugat. in 6.*, quod etiam dicendum est de Equitibus Hierosolymita-

nis S. Ioannis, quia connumerantur inter personas Ecclesiasticas, *cap. Quisquis.*

5 Clericus consuetudine immemorabili non potest iudicari à laica potestate: ità Doctores, *in cap. Clerici.* De consensu, & licentia Summi Pontificis potest Laicus iudicare Clericum: Ratio, quia Papa potest dispensare in his; posita iusta causa. Iudex Laicus non potest punire Clericum consentientem: Ratio, quia sic decernitur, *in cap. Diligente de foro compet.*

6 Principes non possunt reuocare priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ; ità Molina *tom. 1. tract. 2. disput. 31.* Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 4. num. 35.*: Ratio, quia non potest reuocare priuilegium, quod est de Iure Diuino, & supposito quòd sit de iure humano, Princeps non potest id reuocare: Ratio, quia quod semel concessum est, non potest ampliùs repeti. Summus Pontifex non potest in totum huic iuri renunciare, quia ipse non est supremus Dominus bonorum Ecclesiasticorum, sed Christus, & ideo nõ potest pro suo libitu ea donare, vel alienare. Diana *tract. 2. de immunitate Ecclesiastica resolut. 2.*

7 Ecclesiastici non possunt renunciare tali priuilegio, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus; ità *can. Placuit extrà de foro compet.*: Ratio, quia priuilegium nõ est concessum personis, sed statui Ecclesiastico, cui nullus potest cedere, vt patet *ex cap. Si diligenti de foro compet.*, ergò, &c.

8 Condere statutum, vt immobilia alienentur in extraneos, intelligendo nè alienetur in Ecclesiasticos est contrà libertatẽ Ecclesiæ, & ità Duardus *in Bulla Cœnæ dub. 2. cap. 15. quæst. 3. num. 83.* Reginaldus *lib. 3. cap. 23. num. 359.* Filliuc. *tom. 2. tract. 16. cap. 10.*: Ratio, quia tale statutum prohibet Ecclesiasticis, quod nec naturali Iure, & Diuino prohibitum est; sicut etiam censetur esse contrà libertatem Ecclesiæ, si Princeps condat statutum, ne suis priuilegijs potiantur ij, qui sibi subditi non sunt, intelligendo Ecclesiasticos, quia illis denegatur priuilegium, quod de iure communi illi conuenit.

9 Statutum Principis, quòd de nouo non ædificentur Monasteria, est contrà libertatem Ecclesiæ: Ratio, quia tali statuto diminuitur cultus Diuinus; ità si statutum esset sub conditione, nè Monasteria ædificentur sine licẽtia sæcularium: Ratio, quia restringit priuilegia concessa à Deo, & Papa, & Imperatore. Statutũ Principis duobus modis potest esse contrarium libertati Ecclesiasticæ: Primò, si directè editum sit de rebus, & personis Ecclesiasticis, cum expressa derogatione Iuris Ecclesiastici: Secundò, si statutum verbis quidem disponat de personis Laicis, re autem ipsa redundat, & ordinetur ad Ecclesiasticorum, vel Ecclesiæ læsionem.

10 Statutum Laicorum singulariter loquẽs per verba præceptiua, & prohibitiua, non potest ligare Ecclesiasticum: Ratio, quia condere statutum est actus iurisdictionis, cùm autem Laicis sit interdicta iurisdictio supra Ecclesiasticos, vtiq; Laicus non potest condere statutum, quod liget Ecclesiasticos, statutum enim assumit vires à potestate, & iurisdictione statuentium, *cap. A nobis de sentent. excommunicationis, & cap. Vt animarum.*

11 Licèt Laici non possint de sua lege ligare Ecclesiasticos, possunt nihilominùs ipsi Laici fauorabiliter ad fauorem Ecclesiasticorum disponere. Geminian. *cap. fin. de officio Delegati in 6.* Statutis Laicorum ordinatis in bonum commune tenentur Ecclesiastici non vi coactiua, sed vi directiua, eo, quod præcipitur aliquid, quod alioqui est Iuris naturalis, seù Diuini, vel Canonici, atque ità ligantur, non lege, sed ratione, qua lex mouetur; ità Bellet. *de exempt. Cleric. à statutis sæcularium §. 2. num. 35.*

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Statutum prohibens, annonam extrà deferri, non ligat Clericos.*

2 *Nec item quo quis non possit emere alium salem, &c. quàm à se præscriptum.*

3 *Item statutum prohibens alienationem in Ecclesiasticum.*

4 *Nec item valet, si prohibet legatà fieri ad pias causas.*

5 *Statutum Laicorum de successione ab intestato, &c. non comprehendit hæreditatem Clerici.*

6 *Antequam res transferatur ad Clericos, possunt constitui tributariæ, &c.*

7 *Statutum Laicorum non ligat Clericos, quia non habet vires in non subditum.*

8 *Statutum adimens Monachis ius succedendi, non valet.*

9 *Statutum prohibens aliquem testari, nisi seruatis certis solennitatibus, non comprehendit testantem ad pias causas.*

1 EDictum Laicorum prohibens, annonam extrà territorium deferri, non ligat Ecclesiasticos, quo minùs extrahere possint illa, quæ colligunt. Nauar. *consil. 3. de constitut.* Cou. *in reg. possessor 2. par. §. 4. num. 8.* Sicut etiam non ligaret, si disponeret, quòd omnes accederent ad molendinũ aliquod particulare: Item non ligaret Ecclesiasticos statutum, quod prohiberet, ne Ciues accederent ad furnos, seù molendina Ecclesiasticorum, vel Ecclesiarum. Cou. *in reg. possessor par. 2. §. 4. num. 8 & 9.*

2 Edictum, quo quis non possit vti, nec emere alium salem, aut aliquid aliud, quã à se præscriptũ, nõ ligat Ecclesiasticos pro vsu domus suæ, possũt enim de dictis rebus sibi prouidere, vbi voluerint: Item Clerici non tenentur edicto, quòd de contractu soluatur gabella Principi, nec tenẽtur Clerici vendendo vinum, &c., quæ colligunt ex beneficijs aliquid soluere, quod intelligẽdum est, dummodò non negotientur, quia secus si negotiationem exercent. Doctores *in clemen. de censibus.*

3 Statutum Laicorum prohibens alienationem in non subditum, non comprehendit Ecclesiasticos, quin possint aliena-

re bona in forenses, qui non sint subditi, seu quod subditus non possit alienare in Ecclesiasticos, ità plures apud Bellerum §. 4. num. 1., & multò minùs valebit tale statutum, si directè, & expressè prohibeat, nè fiat alienatio in Ecclesiam, siuè in Ecclesiasticas personas, cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, vt lite pendente nihil innouetur: & licèt verba prohibitiua statuti dirigatur in subditos, si tamen subditus prohibetur alienare in Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ prohibentur emere, ex natura correlatiuorum, nam dispositio in vno correlatiuo censetur dispositio in alio l. vnica Cod. de contract. lib. 11.

4 Nec item valet statutum Laicorum, si prohiberet legata fieri ad pias causas. Decius in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 1. quæst. 3. Item si prohiberet donari, aut legari Ecclesijs, seu disponeret pro legatis, & donationibus stabilium à fidelibus factis Ecclesijs, aut alijs pijs locis eorum extimatio illis assignetur. Bellètus num. 15.: Item non valet statutum adimens Monachis ius succedendi. Decius loco citato 188. de constitut. Quòd si tale statutum non succedendi esset approbatum à Papa, tunc valeret contrà Ecclesiasticos, & Ecclesias, cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, vbi Abbas num. 5. Hostiens. in cap. Cum Laicis num. 10. de rebus Ecclesiæ non alienandis: Statutum verò, quod stantibus masculis, filia non succedat, habet etiam locum in Ecclesiastico. Abbas in cap. Quod Clerici num. 42. Felin. in cap. Sancta Maria num 8. Si verò statutum fieret post susceptum Clericatum, vel postquàm filia est effecta Monialis, tùnc non ligat neque Moniales.

5 Statutum Laicorum de successione ab intestato, excludens fœminas propter masculos, non comprehendit hæreditatem Clerici. Decius in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 218. Quòd si Clericus iniuit contractū, antequàm assumeret Clericatum, ligabitur statuto, siuè consuetudine Laicorum, respectu illius contractus; ità vt sit iudicandum secundùm illud ius, etiam in foro Ecclesiastico. Ioannes Andreas in cap. Sine culpa de reg. iur. in 6. Abbas in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 25.

6 Antequàm res transferantur ad Ecclesiasticos, possunt constitui tributariæ; & posteà ita transeunt cùm illo onere tributi. Bartol. in Authen. Item nulla Communitas, C. de Epif. & Cleric. & in lege Rescripto, ff de muner. & honor. Archidiaconus in cap. 1. de immunit. Eccl. Non valet tamen statutū, quod omnia prædia territorij essēt tributaria, quia quæ posteà à Laicis ad Ecclesiam transirent, non obligarentur propter generalitatem istius statuti. Bald. in leg. Neminem, Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 76. quia statim, ac res transit ad Ecclesiam, eximitur à registro Communitatis. Si autem Communitas habeat aliqua bona pertinentia ad Vniuersitatem ipsam Laicorum, V. g. Pascua potest facere statutū, quod omnes teneātur annuatim soluere certam quantitatē, pro subleuandis oneribus ipsius Communitatis; & tunc Clerici, si voluerint mittere animalia ad illa pascua, tenētur soluere. Abbas consil. 6. num. 1. p. 1. Purpurat. consil. 324. volum. 1. num. 10.

7 Statutum Laicorum regulariter non ligat Clericos, quia non potest habere vires in non subditū; Clericus autē est non subditus. Rot. decis. 303. nu. 21. & 36., licèt statutū habilitans, vel inhabilitans feratur in absentem. Ratio, quia tale ius respicit personam, & habet ipsam qualificare, vel inhabilitare, vbique locorum. Bald. in l. Conctos num. 13. & alij: neque attenditur territorium quoad ligandos subditos. leg. fori de decret. ab Ordinarijs faciend. leg. 2. de cemere & mercat.

8 Statutum adimens Monachis ius succedendi, non valet; & ideò iniquum est statutum, quo cauetur, quòd ingrediens Religionem, non succedat parentibus; & ità plures apud Belletum de exempt. Cleric. à statutis sæcularium, §. 1. num. 17. Vndè statutum, quòd stantibus masculis, filia non succedat; habet etiam locum in Clerico, & in Monacho. Abbas in cap. Quod Clerici nu. 42. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ nu. 87. Natta consil. 44. num. 5. vol. 1., & cum eo plures citati; Modò statutum non sit factum post susceptum Clericatum, vel postquàm filia effecta est Monialis, vt dictum fuit; ità apud Belletum loco citato num. 25.

9 Statutum prohibens, aliquem testari, nisi seruatis certis solennitatibus, non comprehendit testantem ad pias causas, quia tunc, fauore piæ causæ, valebit testamentum, quamuis non fuerint seruatæ illæ solennitates. Bald. in leg. Generali. Alexand. consil. 105. Decius consil. 104. & alij.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 Iudex sæcularis non potest extrahere Reum ab Ecclesia, &c.
2 Non potest Clericus à Iudice Laico iudicari, &c.
3 Item non potest cogere Clericum, &c.
4 Non potest punire Apostatas.
5 Potest capere Clericum in fragranti crimine repertum.
6 Casus, in quibus Clericus potest à Iudice sæculari capi.
7 Quot horas in carceribus possit ipsum retinere.
8 Non potest punire eum, qui deliquit, dum habebat beneficium, &c.
9 Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui facto à Laico.
† Neque Iudex sæcularis, &c.
† Iudex in crimine hæresis, &c. tenetur stare processui facto ab Inquisitore.

1 IVdex sæcularis non potest extrahere reum ab Ecclesia, etiamsi notoriè constet, eum non gaudere immunitate Ecclesiastica; & ità colligitur Constitutione Gregorij XIV. & ità Filliuc. tom. 1. tract. 15. cap. 6. n. 154. Duardus in Bulla Cœnæ cap. 15. quæst. 16. num. 31. & alij: & si hoc facerent, incurrerent excommunicationem. De consensu Pontificis potest Iudex laicus punire Cle-

Clericum; ità Salas *de leg. disp. 14. sect. 9.* Vasquez *1. 2. disp. 167.* Lessius *lib. 2. cap 33. dub. 5. num. 39.* Ambrosin. *de immunitate cap. 18. nu 8.* & alij. Non potest tamen cùm iudicare de consensu Episcopi; quia Episcopus nō potest dispensare in ijs, quæ sunt de iure communi, vt est fauor Clericorum.

2 Non potest Clericus à Iudice laico iudicari, qui tamquam heres successit in bona laici, ratione illorum bonorum, etiam si lis inchoata fuisset contrà Laicum, coram Iudice laico. Ratio, quia Clericus est exemptus; & ideò Clericus, qui in iudicio sæculari depositum recepit, non potest pro restitutione depositi coram Iudice laico conueniri, vel cogi ad restituendū depositum; ità Surdus *lib. 3. consil. 396 num. 3.* Ambrosin. *de immunit. cap. 20. nu. 53.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib 2. can. 15. quæst. 11. num. 36.*

3 Iudex sæcularis non potest cogere Clericum, vt triticum suum vendat tempore necessitatis, sed recurrendum est ad Iudicem Ecclesiasticum, nisi talis sit necessitas, vt periculum sit in mora, aut per Epicheiam censeatur concessum, quia in tali casu poterit triticum extrahere, non vi iurisdictionis; quia Iudices sæculares non habet auctoritatem in Clericos, sed ob instans periculum, & de facto iuris.

4 Iudex sæcularis nō potest punire Apostatas; & ità Bannes *2. 2. quæst. 12. art. 1.* Valent. *tom. 3. disp. 1. quæst. 11. p 1.* Caiet. *2. 2. quæst. 10. art. 1.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 21. quæst. 3.* & alij.

5 Potest Iudex sæcularis capere Clericū in fragranti crimine repertum, & ipsum ducere ad Superiorem; ità Bonac. *de leg. disp. 10. quæst. 2. p. 1. §. 1.* Nauar. *in Man. cap. 17. nu. 83* Graffius *in decisionibus p. 1. lib. 4. cap. 18. num. 152.* Ortiz. *in Sum. cap. 4. num. 9.* & alij. Ratio, quia nihil fit contrà immunitatem Ecclesiæ; ità Menoch. *de arbitr. casu 18.* Iulius Clarus *lib. 5. quæst. 28. num 6.* Ambrosin. *cap. 18. nu. 31.* Regnald *lib. 19. num. 90.* Diana *tract. 2. de immunit. resol. 11.*

6 Plures sunt casus, in quibus potest Clericus à Iudice sæculari capi. Primus, quādo capitur propter delictum commissum, ad effectum illum remittendi ad Iudicem Ecclesiasticum; quia in tali casu, si de fuga sit suspectus, capi, & carcerari potest. Glo. *in cap. Cùm non ab homine.* Secūdus casus, quādo agitur de delicto committendo; & tūc vt obuietur delicto futuro, potest Clericus per Laicum capi. Abbas *in cap. Cùm non ab homine num. 11.* Tertius casus, quando capitur per familiam sæcularem, de mandato Iudicis Ecclesiastici. *cap. Vt famæ, §. fin.* Decius *in cap. Cùm non ab homine 46.* Quartus casus est, quòd licitè potest Iudex Laicus capere Clericum debitorem ex causa ciuili, si de fuga sit suspectus. Felin. *in cap. Cū non ab homine num. 1.* Abbas *in cap. Vt famæ nu. 6. de sententia excommunicationis.* Si verò Clericus offerat cautionem idoneam, tunc Laicus debet illam acceptare, & non illū capere. Baldus *in cap. Cùm ab homine.* Quintus, familia Iudicis sæcularis potest etiam capere Clericum incedentem diu, seu noctu cum armis prohibitis, & illum ducere ad Iudicem Ecclesiasticum, vt puniatur. Abbas *in cap. Cùm non ab homine num. 15.* Con. *practicar. quæst. cap. 37. num. 7.*

7 In casibus, in quibus Laicus potest capere Clericum, non potest ipsum in carceribus retinere vltrà 20. horas. Abbas *in cap. Cùm ab homine num. 11.* & de communi testatu Farinac. *quæst. 8. num. 118.*

8 Non potest Iudex laicus punire eū, qui deliquit, dum habebat beneficium Ecclesiasticum, & posteà contraxit matrimonium. Ratio, quia tempore delicti, subijciebatur foro Ecclesiastico, quia erat Clericus; & consequenter immunis à laica potestate; sicut etiam qui tempore nouitiatus delictum commisit, non potest relicto habitu ob delictum in nouitiatu cōmissum, à laico puniri; ità Berald. *in addit. ad Iulium Clarum quæst. 36. num. 46.* sed debet puniri à Pontifice, vel à Prælato Religionis, quod est etiam dicendum de sæculari, qui coram Iudice Laico conuictus, qui posteà factus est Clericus, si re vera habebat animum clericandi, mutare forum, & liberari à Laica potestate. Ratio, quia status Ecclesiasticus liberat à iurisdictione Iudicis sæcularis. Oldrad. *consil. 4.* Marta *de Iurisdictione p. 4. 121. num. 11.* Secùs verò si habitum Clericalem assumpsit in fraudem, nimirùm vt se eximeret à iurisdictione sæculari; quia tunc non liberatur à Iudice sæculari; ratio ad cognoscendum, an assumpserit habitum in fraudem est, quando post diffamationem, vel post accusationem seù inquisitionem, vel citationē, vel contumaciam, siue condemnationem assumatur. *l fin. §. de bonis eorum, qui sibi mortem consciuerunt. l. fin. de re militari.* Rodriq. *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 2. art. 3.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 11. num. 6.* Riccius *in prax. resol. p. 2. resol. 59.*

9 Iudex Ecclesiasticus non tenetur stare processui facto à Iudice laico contrà Clericum, qui remittitur Curiæ Ecclesiasticę. Baldus *in cap. Ad si Clerici num. 2.* & ibi Doctores; sed debet de nouo inchoare processum: neque Iudex sæcularis, quando ei remittitur reus condemnatus, tenetur stare processui per Iudicem Ecclesiasticum factum contrà ipsum reum. Abbas *in cap. Ea quæ num. 13. de statu Monach.* Neque tenetur imponere pœnam ipsi reo impositam ad voluntatem Ecclesiæ, sed prout ipsi videbitur. Abbas *in cap. Cùm non ab homine num. 9. de iudic.* Fallit tamen in crimine hæresis, in quo tenetur stare processui per Inquisitorem factum. Abbas *loco citato.* Felin. *in cap. Si Clerici num. 4.* quia crimen hæresis est adeò merè Ecclesiasticū, vt Iudex sæcularis nullo modo possit de eo cognoscere, sed sola nuda executio ad eum pertinet; ità Franch. *in cap. Inquisitionis num. 3. de hæretic. in 6.*

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Iudex Laicus non potest cognoscere de hæresi.*
2 *In crimine vsuræ datur locus præuentioni.*
3 *Casus mixti fori, qui dicantur.*

4 In

4 In causis mixti fori non tenetur Iudex Ecclesiasticus praeferre processum Laici.
5 In causa decimarum in quaestione iuris, non potest Laicus cognoscere.
6 Conductor decimarum coram vtroque Iudice potest conueniri.
7 Princeps saecularis in quo casu potest cogere Clericum ad praestandum sibi iuramentum.
8 Iudex consuetudinem inducens, &c. contrà libertatem Ecclesiae, est excommunicatus.
9 Clericus, qui in bona Laici successit, &c. non potest à Laico iudicari.
10 Clericus, qui se immiscet enormitatibus, &c. à Laico potest puniri.
11 Enormia delicta, quae dicantur.

1 IVdex Laicus non potest cognoscere in crimine haeresis; ità *cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus de heret. cap. Vt Inquisitionis, §. Prohibemus de heret. in 6.* Abbas *in cap. Cum sit num.19.* Azor. *p.1.lib.8.cap.18.quaest.2.* Felin. *in cap. Cum sit num.* 1. *de foro competen.* Item non potest cognoscere de sortilegio, quãdo haeresim continet; sed eius cognitio ad solum Iudicem Ecclesiasticũ spectat. *cap. Accusatus, §. sanè, cum negotium de hereticis in 6.* Farinac. *de heresi quaest.*8. Tunc sortilegium dicitur continere haeresim, quando consuluntur, & inuocantur Demones ad futura noscenda, vel in eo admiscentur Sacramenta, vel Sacramentalia, &c.

2 Quia crimen vsurae est mixti fori, ideircò datur locus praeuentioni, & idcireò tã mandato Iudicis Ecclesiastici, quàm Saecularis, potest compelli ad restitutionem vsurarum, si quas acceperit, & respectu illius delicti puniri. Salon. 2. 2. *tom.* 2. *quaest. 78. art* 3. Reginald. *tom.* 2. *lib.33. cap.9. sect.5 nu. 93*; quod intelligendum est, quando agitur de quaestione facti, quia quando quaestio est iuris, spectat ad Iudicem Ecclesiasticum. Marta *de iurisdict. p.2. cap.7. nu.11.* Syluest *verb. Vsura 9.* & alij: quod etiam dicendum est de adulterio, cùm sit crimen mixti fori; & ità Canonistae *in cap. Gaudemus, de diuort* Cou *p.2. cap.7.§.7.* Layman. *in Theolog. morali lib.4. tract.9. cap.2. num.55.*

3 Casus mixti fori dicuntur delicta, quae lege Canonica, & Imperiali sunt prohibita. Abbas *in cap. Cum sit.* Decian. *in tract. crim tit.4. cap.26 num* 63. Primus casus mixti fori, est casus sortilegij. Secundus, est cõcubinatus. Tertius, est adulterium. Quartus, est stuprum. Quintus, est sodomia. Sextus, est sacrilegium. Septimus, est obseruatio iuramenti in contractu appositi de obseruando contractu. Octauus, est vsura. Nonus casus, sunt blasphemiae. Decimus, est decimarum. Vndecimus, est imagines verberantium, lacerãtium, &c. Duodecimus, est contrà ludentes aleis in publicis, vel priuatis domibus. Decimustertius, est falsificatio litterarum Apostolicarum. Decimusquartus, est cum quis contrahit matrimonium cum secunda, viuente prima. Decimusquintus, est lenocinium cum propria vxore. Decimussextus, est fornicatio simplex, quae iure canonico est prohibita. Clarus §. *fornicatio.*

4 In causis mixti fori non tenetur Iudex Ecclesiasticus praebere processus Iudicibus saecularibus, à quibus auxilium petit; ità Moneta *de Iudicibus cap.8. num* 261. Anguianus *in tract. de leg. lib.3. controu.31 nu.7.* & alij.

5 In quaestione iuris non potest Iudex laicus cognoscere in causa decimarum, si enim quaestio sit facti, Iudex laicus competens erit, & ex mixti fori, vt v.gr. si talis percepit, aut soluit decimas, &c.; & ità Facundez *praecept.5. lib.30 cap.5. nu* 1. *&* 2., licèt plures teneant opinionem contrariã, nimirùm, quando agitur de quaestione facti, pertinere etiam ad Iudicem Ecclesiasticum; & ità Homobonus *de examine Ecclesiasticorum p.2. tract.8 cap* 8. *quaest.24.* Azor. *p.1. lib.7 cap.36. quaest.5.* Ratio est, quia causa Decimarum, quae sit iuris, siue facti, Ecclesiastica causa, est; Causa autẽ spiritualis, & Ecclesiastica coram Iudice Ecclesiastico agenda est. *cap. Parech anus de Decimis*; & ità decernitur. *cap. Ad hoc de Decimis.*

6 Conductor Decimarum, coram vtroq; Iudice conueniri potest; quia talis causa est mixti fori; & per consequens datur locus praeuentioni. Germonius *de Sacrorum immunitate lib. 3. cap.19. num.97.* Licèt Azor. *p.1. lib 7 cap.36 quaest.3* doceat, spectare solũ ad Iudicem Ecclesiasticum, cùm ortum habeat ex iure decimarum, quod ius spirituale, ac Ecclesiasticum est, non autem ciuile, & profanum. Cou. *practicarum quaest. cap.35* Gutrier. *pract. quaest. lib.3. quaest.16.* affirmant, coram Iudice laico debere conueniri; quae opinio, nõ censetur probabilis: etiam si Decimae sint saecularibus datae in Feudum, earum cognitio spectat ad Iudicem Ecclesiasticum; ità Azor. *p.1. lib 7. cap.26. quaest.3.* Facundez *precept.5. lib.3. cap.5. num.* 1 *&* 2.

7 Princeps saecularis non potest cogere Clericum ad sibi praestandum iuramentũ fidelitatis, nisi pro feudalibus, quae habent ab ipso; quia Clerici etiam in dignitate constituti pro feudis, quae habent ab ipso Principe saeculari, tenentur praestare iuramentum. *cap. Vnic. §. Verùm, de statu Regularium in 6.*

8 Iudex consuetudinem inducens, vel ea introducta vtens contrà libertatem Ecclesiasticam, incidit in excommunicationem Bullae Coenae; & ità Sayrus *de Censibus lib.3. cap.19 num* 10. Sousa *cap.16. disp.81. nu.6.* Licèt plures sentiant, non incidere in excommunicationem Bullae. Ratio, quia Bulla loquitur de statutis, & decretis, nõ autem de consuetudinibus; sed solùm in censuram latam *in cap. Nouerit.*

9 Non potest Clericus, qui tamquàm haeres, in bona Laici successit, ratione illorũ bonorum à Iudice saeculari iudicari, etiã si lis inchoata esset contrà Laicum corã Iudice laico; ratio, quia Clericus est exemptus.

10 Vt Clericus, qui se enormitatibus immiscet, possit puniri à Iudice laico, plura requiruntur; Primò, vt praecesserit trina admonitio: Secundò, quòd non incedat in habitu: Tertiò, quòd se immisceat

enormitatibus: Quartò, quòd in illis frequentauerit; Quintò, quòd in illis sit deprehensus. Sextò, quòd post monitionem fuerit incorrigibilis. Rodriq. *tom.2.quast.2. art.5.* Bonac. *de leg.disp.10.quast.2.num.5.* Angelus *verb. Clericus 10.nu.1.* Tabien. *verb. Excommunicatio 5. num. 25.* Deprehensus autem dicitur, si in fragranti fuerit captus. *l. palàm. §. qua in Adulterio, ff. de ritu nuptiarum. cap. Si quis Diaconus*; vel si ipse antequàm opponat de priuilegio Clericali, crimen fateatur, seu de eo sit legitimè conuictus, vel si crimen sit adeò notorium de facto, vt nullus sit inficiationi locus. *cap. Si quis Diaconus. cap. Tua.* Septimò, vt delicta sint enormia.

11 Enormia delicta de iure ciuili dicuntur ea, quæ cum dolo in magnum damnum, & iniuriam alterius perpetrantur. *l. Auxilium, §. in delictis, ff. de minor.* De Iure Canonico dicuntur enormia illa, in quibus post peractam pęnitentiam non consueuit dispensari. *cap. Ut si Clerici de Iudic.*, & illa quæ ad normam plenè redire non valent, in quibus semper aliquid remanet de pęna, quæ saltem ordinis executionem, & beneficij retentionem impediat, vt homicidium, hæresis, &c.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Iudex Laicus potest punire Clericum incedentem sine habitu, & Tonsura.*

2 *Ut non possit puniri, debet deferre habitum, & Tonsuram copulatinè.*

3 *Clericus coniugatus, vt gaudeat priuilegio Canonis, debet deferre habitum, & Tonsuram.*

4 *Non spectat ad Iudicem Laicum cognoscere de habitu Clericali, &c.*

5 *Nec etiam cognoscere, an captus criminosus sit Clericus.*

6 *Allegans aliquem esse Clericum, debet probare.*

7 *Iudex Laicus non potest punire Clericum delinquentem in officio sęculari.*

8 *Iudex Ecclesiasticus potest cognoscere de re emphyteotica, quam Laicus tenet.*

† *Item potest cognoscere de iure-patronatus Laicorum.*

† *Item in causa decimarum datarum in feudum sęcularibus.*

1 IVdex Laicus potest punire Clericum incedentem sine habitu, & Tonsura: si trina monitione pręcedente, adhùc in cõtumacia non deferendi persistat. *cap. fin. de vita, & honestate Cleric. cap. In audientia,* & *cap. Contingit 2. de sent. excommunicat.* Talis enim quis præsumitur, qualis in habitu reperitur: huiusmodi autem trina monitio debet fieri à Iudice Ecclesiastico, *cap. In audiẽtia,* & *cap. contingit.*. Quod si in Synodo erit constitutio deferendi habitum, & Tonsuram, huiusmodi constitutio supplet pro trina monitione, *cap.1. de locat. cap.2. de constit. in 6.*

2 Clericus, vt non possit puniri à Iudice Laico; requiritur, vt deferat habitum, & Tonsuram copulatiuè, Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6.* Verùm Clericus in sacris constitutus, & si non deferat habitum, & Tonsuram, non tamen potest puniri à Iudice Laico, quia non amittit priuilegiũ Clericale; si verò solùm sit in minoribus constitutus, post trinam monitionem, priuatur priuilegio Fori, *cap. In audientia de sent. excommunicat.*

3 In Clerico coniugato, vt possit gaudere priuilegio Canonis; requiritur etiã, quòd deferat habitum, & Tonsuram copulatiuè, *cap. 1. de Clerico coniugat. in 6.* Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6.*, & incedens in habitu Clericali coniugatus gaudet priuilegio Canonis, & fori: tamen non habet immunitatem quòad gabellas, munera sęcularia, & alia regalia, *cap. 1. de Clerico coniugato:* Mortua vxore, censetur etiam immunis, & liber à solutione gabellarum, & gaudet omnibus priuilegijs, quibus gaudent Clerici. Abbas *in cap. Clericus 2. nu. 4. de vita, & honestate Clericorum.*

4 Non spectat ad Iudicem Laicum, sed ad Ecclesiasticum, quando vertitur controuersia super vestibus, & habitu Clericali: Ratio, quia habitus est quid accessorium à spirituali; Item Iudex Laicus non potest cognoscere, an Clericus vestitus habitu Clericali, gaudeat priuilegio Fori, sed talis cognitio spectat ad Iudicem Ecclesiasticum. Pereira *de manu regia par. 2. cap. 44.* putat *per caput Si Iudex de sent. excommun.* non esse licitum Laicis cognoscere quæstionẽ iuris, sed facti; vt est cognitio de habitu Clericali, sed contrarium tenẽdum; quam sententiam tenent plures citati à Diana *tract. 1. de immunitate Eccles. resolut. 1.*

5 Quando captus est Clericus criminosus, & controuertitur, vtrùm sit Clericus, vel non, huiusmodi cognitio non spectat ad Iudicem Laicum, sed Ecclesiasticum, *cap. 1. si Iudex Laicus,* quæ cognitio debet fieri vocato, & citato Iudice sæculari, & eo, cuius interest, *cap. Si Iudex Laicus.*: sed si captus, incedebat in habitu Laicali, & Laicus existimabatur, tùnc potest detineri per Iudicem sæcularem, donéc sit cognitum per Iudicem Ecclesiasticum: dùm autem pendet cognitio coram Iudice Ecclesiastico, debet Iudex sæcularis supersedere à progressu in causa delicti, *cap. Si Iudex Laicus,* licèt possit custodiri in carceribus, si pro Laico captus fuit; secùs si publicè habebatur pro Clerico, quia tùnc est remittendus ad Iudicem Ecclesiasticum incontinenti, etiam ante cognitionem Clericatus, *cap. Si Iudex Laicus.* Non potest tamen eum examinare, quia si id faceret, acta non valerent, tamquàm à Iudice incompetenti facta, *cap. At si Clerici.* Potest tamen Iudex sæcularis cognoscere, an Clericus cõiugatus per ipsum detentus contraxerit cum vna, & Virgine, & habitum detulerit Clericalem, priùs quàm remittatur. Rot. *decis. 3. de sent. excommunicat.*

6 Allegans aliquem esse Clericum, debet probare illum esse Clericum, quia nemo præsumitur Clericus; Clericatus enim nõ est qualitas, quæ insit à natura, sed extrinsecùs venit, *cap. Presbyteri 68. dist. cap. Legum 2. quæst.*

quæſt. 1. Probatur Clericatus multis modis: Primò, per publicum instrumentum Ordinationis, & litteras commendatitias proprij Episcopi mentionem facientes de Ordine, *cap. Legum 2. quæſt. 3. §. ſi qua per calumniam*, Gloſſ. *in cap. Si Iudex Laicus*, Felin. *in cap. Poſt ſeſſionem num.* 5. & alij, etiam per litteras Episcopi ordinantis, licèt non proprij Episcopi.

7 Iudex ſæcularis non poteſt punire Clericum delinquentem in ſuo officio ſæculari: Ratio, quia miniſtrando talia officia, nō priuatur priuilegio Clericali, ſed illud retinet, & ideò non poteſt in iudiciū à Laico ad reddēdam rationem vocari; ita Bonacina *in Bulla Cœnæ diſput.* 5. *num.* 17. Paulus Squillas *de priuilegijs Clericorum cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 83.

8 Iudex Eccleſiaſticus poteſt iudicare de re emphyteutica, quā Laicus tenet: Item licèt ius-patronatus Laicorum non ſit propriè ſpirituale, tamen quia eſt annexum ſpirituali, ideò ſuper illo iudicat ſolùm Iudex Eccleſiaſticus: Item poſſeſſio rei ſpiritualis licèt ſit merè Laicalis, attamen ſolùm etiā de poſſeſſione cognoſcit Iudex Eccleſiaſticus, quemadmodum de ipſa proprietate, non autem Laicus; cùm qualitas ſpiritualitatis abſorbeat qualitatem temporalitatis. Similitèr cauſa decimarum datarum in feudum ſæcularibus diſcutienda eſt coram Iudice Eccleſiaſtico, licèt enim dominium huiuſmodi decimarum omninò ſpectet ad Laicos, & feudum cenſeatur ſęculare, tamen quia oritur, & dependet à iure ſpirituali, & Eccleſiaſtico, non poteſt Iudex Laicus de illis cognoſcere: Item poſſeſſorium matrimonij, quamuis agatur inter perſonas merè Laicales, tamen quia habet admixtam cauſam, & titulum ſpiritualitatis definiēdum eſt à iure Eccleſiaſtico, ratione connexionis dominij vtilis cum directo. Emphyteuta Eccleſię non tenetur ad collectas, & onera realia, ſtatuto Laicorum ſuper rebus, & bonis impoſita. Hæc omnia deciſa fuerunt in Sacra Rota Roman. *die* 28. *Martij* 1631. coram Illuſtriſs. Merlino.

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Iudex Eccleſiaſticus debet cognoſcere, an reus gaudeat immunitate.*
2 *Iudex Laicus non poteſt auferre triticum à Clericis, &c.*
3 *Clericus negotiator tenetur ſoluere gabellas.*
4 *Iudex Laicus in ciuilibus poteſt exercere iuriſdictionem circà Clericos coniugatos.*
5 *Non poteſt compellere Clericum ad reſtituendum depoſitum.*
6 *Nec poteſt capere animalia Clericorum.*
7 *Non poteſt punire Clericum in defectum iuſtitiæ Eccleſiaſticæ.*
8 *Non poteſt ejcere Clericum turbantem Rempublicam.*
9 *Non poteſt expoliare Clericum armis, &c.*
10 *Non poteſt ad ſuum Tribunal auocare cauſas Eccleſiaſticorum.*
11 *Non licet recurrere ad Laicos, ob negligentiam Iudicum Eccleſiaſticorum.*

1 SPectat ad Iudicem Eccleſiaſticum cognoſcere, an Reus gaudeat immunitate Eccleſiaſtica; ità Loterius *de benefic. tom.* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 13. *num.* 96. & alij: Ratio, quia cauſa immunitatis cùm ſit Eccleſiaſtica, à Iudicibus Eccleſiaſticis videri debet: neque in fauorem Laici valet conſuetudo in cōtrarium, vt conſtat ex conſtitut. Gregorij XIV., ſicut etiam ſolùm ſpectat ad Iudicē Eccleſiaſticum cognoſcere, an locus ſit ſacer, aut profanus; ità Marta *de iuriſdict. par.* 2. *cap.* 50. *num.* 4. & alij.

2 Iudex Laicus non poteſt auferre triticum a Clericis exportantibus extrà territorium Principis: quòd ſi auferat, facit contrà libertatem Eccleſiaſticam, & incidit in excommunicationem: Ratio, quia Clericus, vi coactiua, non tenetur ſtatutis Laicorum; ità Megalla *in* 3. *par. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 36. Alterius *de cenſuris tom.* 1 *diſput.* 16. *dub.* 5. Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſariorum diſput.* 33. *quæſt.* 20. Vvaler. *in differen. vtriuſque Fori diff.* 3. *num.* 4. *verbo Clericus*. Azor. *par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 19. *quæſt.* 3., citati à Diana *tract.* 2. *de immunitate reſolut.* 16.

3 Clericus negotiator tenetur ſoluere gabellas ante trinam admonitionem; ità habetur *in cap. Quamquam*, & docet Malderus *in* 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 9. Thurianus *tom.* 2. *in* 2. 2. *diſput.* 44. *dub.* 4. *num.* 12. Portell. *in dubijs regular. verbo Tributum num.* 5.

4 Iudex ſæcularis poteſt in ciuilibus tantùm exercere iuriſdictionem circà Clericos coniugatos; ità Cou. *practicarum quæſt. cap.* 31. *num.* 7. Guttier. *pract. quæſt. lib.* 1. *qu.* 5. *nu.* 3. Coriolan. *in Bulla Cœnæ excomm.* 16. & alij: Ratio colligitur *ex cap. vnico de Clerico coniug.*, vbi ſolum conceditur Clericis coniugatis priuilegium Canonis, & Fori.

5 Iudex Laicus nō poteſt compellere Clericum ad reſtituendum depoſitum, etiamſi ſe obligauerit reſtituere in Tribunalibus Iudicis ſæcularis; ità Surdus *lib.* 3. *conſil.* 396. *num.* 33. Ambroſin. *de immunit. Eccleſ. cap.* 20. *num.* 53. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 35. *quæſt.* 11. *num.* 36.

6 Nec poteſt Iudex Laicus capere animalia Clericorum inferentia damnum: Ratio, quia Iudex ſæcularis non poteſt procedere contrà perſonam Clerici, neque contrà res ipſius, & per conſequens, &c.; ità Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 3. *cap. vnico dub.* 31. & alij: Item nō poteſt cogere Clericum, qui ſpoliauit Laicum ſua poſſeſſione, ad reſtitutionem: Ratio, quia non poteſt cogi, & iudicari, niſi per Iudicem Eccleſiaſticum, & non per Iudicem Laicum; Ità Paulus Squillas *de priuilegijs Clericorum cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 73. Math. de Afflict. *deciſ.* 25.: Item non poteſt priuare Clericum bonis temporalibus ex eo, quòd Clericus vſurpauit ſibi iuriſdictionem temporalem: Ratio patet ex ſupradictis.

7 Iudex Laicus non poteſt punire Clericū in defectum iuſtitiæ Eccleſiaſticæ; ità *cap. Qualiter, & quando de iudicijs; cap. Placuit, cap.*

Chri-

Christianus, cap. Licèt ex suscepto, cap. Clericum 11. quaest.1.; Potest tamen Iudex Ecclesiasticus supplere defectum iustitiæ sæcularis: Ratio, quia Iudex Ecclesiasticus, saltem indirectè, potest exercere iudicia ciuilia, & politica per ordinem ad salutem animarum; tùm quia Iudex Ecclesiasticus est Superior Laico, & consequentèr ipsius negligentia suppleri potest per Iudicem Ecclesiasticum.

8 Iudex Laicus non potest eijcere è Republica Clericum turbantem ipsam: Ratio, quia Clerici sunt exempti à Laica potestate. Vndè si sit eijciendus, recurrendum est ad Iudicem Ecclesiasticum, vt causa cognita, contrà ipsum procedat: Item tenetur Iudex Laicus restituere reum, auctoritate Episcopi, extractum ab Ecclesia, si constet, illum non commisisse delictum, per quod iuxtà Bullam Gregorij XIV. sit extrahendus: Ratio, quia tali delinquenti verè debebatur immunitas, & per errorem ab ea fuit exclusus, & traditus Curiæ sæculari, & ex altera parte constat, Episcopi sententiam esse iniustam, & re integra, illi immunitas seruari debet; ità Io. Anton. de Maximis *resol. tom.1. cap.136.*

9 Iudex Laicus non potest expoliare Clericum armis prohibitis: Ratio, quia expoliatio armorum infert aliquam violentiã, quam Iudex Laicus in Clericum, propria auctoritate, exercere non potest; ità Suar. *de defensione fidei lib.4. quaest. 34. num. 14.*, & ob eamdem rationem non potest Laicus expoliare Clericum venantem canibus, vel alijs instrumentis.

10 Iudex Laicus auocans ad suum Tribunal causas Ecclesiasticorum, non excusatur ab excommunicatione, ex tolerantia Summi Pontificis: Ratio, quia simplex tolerantia, dùm Superior commodè obstare non potest, priuilegium nõ inducit, tùm quia nulla adest tolerantia, cùm Summi Pontifices excludãt omnes prætextus. Caietan. *verbo excommunicatio cap.30.* Duardus *in Bulla Cœna cap.15. quaest.3. num.22.* Alterius *lib.5. disput.25. cap.2.* & alij.

11 Ob negligentiam Iudicum Ecclesiasticorum non licet recurrere ad Laicos: Ratio, quia Laici non habent potestatem in Clericum; tùm etiam, quia Laicus ordinaria potestate non potest iurisdictionem in Clericos exercere, cùm Clerici sint exempti, sed solùm ex commissione Iudicum Ecclesiasticorum; & in casu grauaminis, recurrendum est ad Superiorem, & denique ad Summum Pontificem, licèt alij alitèr loquantur: Item Iudex Laicus non potest cognoscere causam, cum agitur, vt Clericus recuperet Ecclesiæ possessionem, à qua per vim, &c. fuit eiectus, vel retineat beneficij possessionem. Bezantius *in tract. de immunitate Ecclesiastica disput. 15.* Duardus *in Bulla Cœna lib.5. cap.15. quaest.19. num.* 47. Azor. *par.1. lib.5. cap.14. quaest.* 1. Ratio, quia causa de beneficio, si agatur de possessorio, siuè petitorio, est spiritualis.

PARAGR. VI.

SVMMARIVM.

1 *Clericus, qui falsa mensura vtitur, non potest à Laico puniri.*
2 *Clericus beneficiatus, &c. semper gaudet priuilegio Fori.*
3 *Sicut etiam Clerici inseruientes Ecclesijs, &c.*
4 *Procedens occultè Ecclesiasticum, est excommunicatus.*
5 *Tribus modis offenditur libertas Ecclesiastica.*
6 *Laicus inferens iniuriam Clerico, à quo debeat puniri.*

1 Clericus, qui falsa mensura vendit triticum, non potest à Iudice Laico puniri: Ratio, quia licèt Clerici sint violatores legum ciuilium, tamè non possunt puniri à Magistratu Laicali. Vasquez *in par.1. tom.3. disput.169. num.* 29. Salas *de legibus disput. 14. sect.2. num.106.* & alij. Vi directiua tenentur Clerici obedire legibus ciuilibus ordinariis in bonum commune: nec Clericus falsum testimonium dicens, puniri potest à Laica potestate, quia in Clericum potestatem non habet; & ità Guttierez *practicarum quaest. lib. 1. quaest.* 24. Duard. *in Bulla Cœna lib.2. can.15. qu.11.*

2 Clericus habens beneficium, licèt Tonsuram, & habitum non deferat, gaudet priuilegio Fori, quia etiamsi dimittat habitum, & Tonsuram, re vera, est Clericus; ità Rodriq. *in sum. tom.1. cap.55.*, Guttier. *practicar. quaest. lib. 1. quaest.* 7. Bobadilla *in politica tom.1. lib.2. cap.18. num.* 101. Bonacin. *de legibus disput.10. quaest.2. punct.* 1. §. 4. *num.* 10., etiamsi Clericus habeat tantùm titulum beneficij, & collationem, non autem possessionem eiusdem: Ratio, quia per solam collationem, & titulum beneficij, etiam sine eius possessione, quis dicitur beneficium habere.

3 Clerici inseruientes Ecclesijs de mandato Episcopi, vt fiant Clerici, licèt habitum, & Tonsuram non deferant, gaudent priuilegio Fori. Gloss. *2. in cap.2.*: Ratio, quia quamuis non sint in aliquo ordine Ecclesiastico, tamen tamquam de Ecclesiasticis, quoad iurisdictionem, est iudicãdum: Item gaudent Religiosi vtriusque sexus profitentes Regulam aliquam approbatam à Summo Pontifice, *cap. fin. de Religiosis domibus*: Item Conuersi, siuè Professi, siuè non, dummodò sint Deo dicati. Nouitij quoque Religiosorum gaudent eodem priuilegio: Itẽ Clerici coniugati, si cum Virgine contraxerint, & habitum Clericalem, Tonsuramque deferant. Similitèr Equites Hierosolymitani S. Ioannis, qui connumerantur inter personas Ecclesiasticas.

4 Facit contrà libertatem Ecclesiæ, & incidit in excommunicationem Bullæ Iudex sæcularis procedans occultè Ecclesiasticum, etiamsi secretò id faciat animo prælentandi processum Summo Pontifici, vel alij Prælato; ità Filliuc. *tom.2. tract. 10. cap.11. num.* 312. Sousa *in Bulla Cœna cap.20. disp.95.*, licèt limitet hoc, quòd quando id faciat, si nõ est aditus ad Prælatum

latum, qui iuridicè informare possit de facto criminali, & est periculum in mora; tunc potest Iudex sæcularis secretò processum facere, animo præsentandi vt supra: secus verò in alijs casibus; quod valdè notandum est à Iudicibus Laicis.

5 Tribus modis offenditur libertas Ecclesiastica: Primò, ex prætenso officio, vel ad instantiam aliorum directè, vel indirectè trahere personas Ecclesiasticas, &c. Secundò extrahi facere prædictas personas. Tertiò, est procurare vt trahantur.

6 Laicus inferens iniuriam Clerico, debet puniri ab vtroque Iudice, laico, & Ecclesiastico. Ratio, quia vtrique foro lata fuit iniuria, & contrà ius Canonicũ, & contrà ius ciuile, & ideò ab vtroque iudicari debet, cùm delictũ sub vna ratione subijciatur foro Ecclesiastico, & secundũ aliam, foro laicali, cùm alia sit iurisdictio fori Ecclesiastici, & alia fori laicalis. Molina *tom.4. tract.3. disp.43.* Couar. *2. var. cap.10. num.6.* Graffius *1. p. lib.4. cap.28. nu.140.* Marta *de iurisdictione p.3. casu 119.* Duard. *in Bulla Cœnæ can.26. quæst.5. num.2.*

PARAG. VII.

SVMMARIVM.

1 *Clericus degradatus potest iudicari à Laica potestate, &c.*
2 *Item Clericus bigamus.*
3 *Et qui habitum Clericalem suscepit in fraudem, &c.*
4 *In causa feudi.*
5 *In casu reconuentionis.*
6 *Cum enormitatibus se immiscet.*
7 *Quando effectus est incorrigibilis.*
8 *Clericus beneficiatus, licèt non deferat habitum, &c. gaudet priuilegio fori.*
† *Clericus in minoribus, vt gaudeat priuilegio fori, quid requiratur.*
9 *Si inseruiat alteri Ecclesiæ, quam præscripta ab Episcopo, non gaudet priuilegio, &c.*
10 *Impediens Prælatum, ne sua iurisdictione vtatur, cui periculo se exponat.*
11 *Vt incurrat tale periculum, qua auctoritate debet impediri.*

1 Dantur plures casus, in quibus Clericus potest iudicari à Laica potestate; Primus est cùm Clericus fuerit degradatus realiter; tunc enim traditur brachio sæculari iudicandus, & puniendus. *cap. Degradatus de pœnis in 6.*

2 Secundus casus, cum Clericus est bigamus, quando scilicet duxit Viduam, aut quando mortua prima, quam Virginem duxerat, duxit aliam: Clericus enim bigamus bigamia verâ, vel interpretatiua, omnia priuilegia Clericorum amittit. *cap. Vnico de Bigamis in 6.*

3 Cum Clericus Clericalem habitũ sumpsit in fraudem, vt sæculare iudicium effugeret, vt dictum fuit.

4 In causa feudi, nam Vassallus, quamuis Clericus, in ijs, quæ pertinent ad feudum, subijcitur Domino feudi, quamuis sæculari. *cap. Verum, de foro competen.* & *cap. Cæterum de iudicijs*, siue agatur de petitorio, de proprietate ipsius feudi, siuè possessorio de sola possessione feudi, non tamquàm Ecclesiasticus, sed tamquàm Vassallus; ità Suarez *de immunitate lib.12. cap.14. num.12.* Clauis-Regia *lib.12. cap.8. num.9.* Marta *de iurisdict. p.4. casu 89. num.5.*

5 In casu reconuentionis, nam si Clericus in ciuilibus conueniat Laicum coram Iudice laico, poterit Laicus conuentus reconuenire Clericum in materia ciuili corà eodẽ Iudice; ità Decian. *tract. criminali lib.4. cap.9. num.17.* Ambrosin. *cap.20. num.35.* Reginald. *lib.9. num.359.* Graff. *lib.4. decis. cap.18. num.114.*

6 Cum Clericus enormitatibus se immiscet, modo, quo fuit dictum.

7 Cum Clericus effectus est incorrigibilis; & ille dicitur incorrigibilis, qui postquàm condemnatus est, in similia, & in peiora delicta labitur, & Superioris correctionem refugit; requiritur sententia declaratoria, ad hoc, vt non gaudeat priuilegio fori.

8 Clericus, iuxtà Concilium Trident. *sess.23. cap.6. de reformat.* non gaudet priuilegio fori, nisi sit beneficiatus, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ, ex mandato Episcopi inseruiat, aut sit in aliqua Schola, & Vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versetur; & non satis est, quod inseruierit bis, aut ter; quia Concilium Trid. requirit perseuerantiam seruitij, vt patet ex verbis, *Nisi Clericalem habitum, & tonsuram deferens, Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat*, vbi Verbum *Inseruiat*, importat moralem perseuerantiam, saltem pro maiori parte; ità Cenedo *lib.2. pract. quæst. quæst.4. num.25.* Riccius *in praxi decis.388.* & alij.

9 Si Clericus in minoribus constitutus inseruiat alteri Ecclesiæ, quàm illi, cui Episcopus inseruire præcepit, non gaudet priuilegio fori. Ratio, quia Summus Pontifex præscribit Clerico volenti priuilegio fori gaudere, vt inseruiat illi Ecclesiæ, quam ipse designauit, nec satis est, quòd inseruiat in temporalibus, sed in spiritualibus inseruire debet, quia Concilium loquitur de isto seruitio. Couar. *2. var. cap.2. num.9.* & alij.

10 Impediens Prælatum, quem dubitat, iurisdictione iustè vti, exponit se periculo faciendi contrà libertatem Ecclesiæ; & per consequens, incurrendi excommunicationem, quia fieri potest, vt Prælatus sua iurisdictione iustè vtatur, & in dubio, censendus est, iustè vti, quia in fauorem Superioris non præsumitur delictum; & sicut impediens in foro externo iudicatur excommunicatus; ità etiam in foro conscientiæ iudicari debet.

11 Ad incurrendam excommunicationem, non satis est impedire Prælatum, ne sua iurisdictione vtatur, priuatâ auctoritate; sed auctoritate publica debet impediri. Ratio est, quia Canon prohibens sub excom-

communicatione impedientes, &c. videtur continuare cum antecedenti. In antecedenti autem fermo eft de perfonis publicam auctoritatem Laicam exercentibus; ità Graf. *p.1.lib.4.cap.19. nu.139.* Nauar. *in Manuali cap. 27. num.69. & 70.* Suarez *disp. 21.num.75.* Filliuc. *tract.16.cap.10. quaef.10.num. 277.* & alij.

TITVLVS LXXI.

De exemptione bonorum Ecclefiafticorum à tributis, &c.

SVMMARIVM.

1 *Bona Ecclefiafticorum funt immunia à collectis, &c. iure Diuino, &c.*
2 *Aggrauantes, & Exigentes, &c. faciunt contrà immunitatem.*
3 *Non eft contrà immunitatem, qui aliquid exigit tamquàm pretium fui laboris.*
4 *Nec item qui aliquid accepit à Clerico fponte dãte.*
5 *Confulentes, &c. incurrunt excommunicationem.*
6 *Clerici in minoribus an gaudeant immunitate.*
7 *Bona Nouitiorum funt exempta.*
8 *Clericus quando teneatur ad reparationem viarum.*
9 *Item ad reparationem murorum.*
† *Quæ requirantur ad impofitionem tributi.*

1 BOna Ecclefiafticorum funt immunia à collectis, taleis, &c., tàm iuris Diuini, quàm humani Sanctionibus, ità *cap. Quamquàm de Cenfibus.* Abbas *confil. 13. nu. 1.*, & ex pluribus alijs locis: quæ Sanctiones innouatæ fuerunt per Concilium Tridẽt. *feff 25 de reformat.cap.20.*. Quod iure Diuino exempta fint omnes Canoniftæ affirmant, & conftat ex pluribus Doctoribus citatis à Suarez *lib. 4. de immunitate cap.8.nu.16.* quã fententiam Theologi defendunt, Sotus *in 4.dift.25.nu 2.quaeft.2.* Molina *de iuftitia difp.70.* Suarez contrà Regem Angliæ *lib. 4. cap.9.* Layman. *in Theolog. morali lib.4. tract.9.cap.8. num.1* Azor. *p.1.lib.5.cap.10.* Sayrus *de cenfuris lib.3. cap. 22. num. 9.* & alij. Quod verò iure ciuili bona fint exempta ab oneribus, &c. conftat ex Authentica, *Nulla Communitas, Cod. de Epif. & Cleric.*, & ex lege *Placet, de Sacrofanctis Ecclefijs, leg. Presbyteros,* & *leg Omnes, §. Priuilegium, Cod. de Epifc. & Cleric.* Conftat etiam de iure Canonico, *Ex cap. Non minus,* & *cap. Aduerfus, de immunitate Ecclefiaftica. ex cap. Generaliter, &c.*

2 Non modo faciunt contrà Immunitatem Ecclefiafticam, qui aggrauant bona Ecclefiafticorũ tributis, & oneribus, &c., fed etiam qui ea impofita exigunt; & per confequens incurrunt etiam in excommunicationem Bullæ, vt patet ex verbis Bullæ; *Imponunt, & Decretis etiam exquifitis modis exigunt;* Qui verò exigunt aliquid ab Ecclefiafticis ipfis, nec eorum bonis impofitum, non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, fed incurrũt excommunicationem. *cap. Quamquàm*, quæ excommunicatio non cenfetur referuata, iuxtà caput *Nuper de fenten. excommunicationis;* fatisfacta prius parte, *vt in cap. Quamquàm decernitur;* ità Sayrus *lib.22, num.30.* Quaranta *verbo Vectigal* Duard. *in Bulla Cœnæ cap. 16. quaeft. 15. num. 1.* Suarez *difp. 23. fect.4. num. 21.* Tol. *lib.1. cap. 71.* & alij.

3 Non facit contrà priuilegium fori, qui exigit aliquid à Clericis, non tamquàm onus, fed tamquàm pretium fui laboris; nec item contrà immunitatem, nec incidet in excommunicationem. Ratio, quia Summus Pontifex folùm prohibet exigi taleas, &c. à Clericis, quatenus onera sũt, non quatenus funt pretium laboris, & operis: Secùs verò fi aliquid exigat tamquàm tributum, vt fi ratione trãfitus, exegerit pedagium; ità Alterius *difp. 19. cap. 3.* Suarez *difp.33 fect.4.num.2* Filliuc. *tract.16.cap. 21.quaef.2.* Duard. *quaeft.25.num.2.*

4 Accipiẽs aliquem à Clerico fponte dãte, non facit contrà immunitatem Ecclefiç, dummodò fpontaneum fit abfolutum. Ratio, quia quilibet eft rerum fuarũ moderator, & arbiter, & volenti non fit iniuria: Si verò id accipiat tamquàm fibi debitum ob impofitionem onerum, etiamfi recipiat abfque coactione, aut præuia petitione, facit contrà immunitatem, quia id non cenfetur recipere à fponte dante fimpliciter, fed fecundùm quid.

5 Item incurrunt excommunicationem confilium præftantes, fuadentes, & hortantes, &c. ad imponenda onera pro rebus Ecclefiafticis, vel ab Ecclefiafticis perfonis, vt patet ex verbis Bullæ.

6 Omnes Clerici, etiamfi folùm fint initiati prima tonfura, gaudent priuilegio, vt eorũ bona fint exempta à tributis, &c. & habetur *in cap. Quamquàm de cenfibus in 6.* ità Cou. *cap 31.practicar.quaeft.nu.9.* Reginald. *lib.31. de abfol. excommunicationis num. 366.* Leffius *lib. 2. cap. 33. dub. 5. num. 27.* An Princeps poffit exigere tributa à Clericis non habentibus requifita Concilij, quidam affirmant; & ità Layman. *in Theolog. moral. lib.4. tract.9. cap. 6. num.3* Suarez contrà Regem Angliæ *lib 4. cap. 27. num. 14.* Reginal. *tom.1. lib.9.cap 25.nu.376.* Azor. *p.3. lib 5 cap.19.quaef. 6.* & alij plures. Alij verò negant; & ità Leffius *lib 2 cap.33.dub 9. num.38.* Molin. *tom. 3.tract.2. difp.276.* Garzias *de benefic. tom.1.cap. 3.p 2. nu.5.* & alij Ratio, quia de iure communi Clerici funt exempti à folutione gabellarum, & ius nouum Concilij Tridentini non obftat, nàm loquitur tantùm de priuilegio fori: Immunitas verò tributis poteft habere rationem omninò diuerfam: fed quæ fit noftra fententia, alibi dictum fuit.

7 Bona Nouitiorum funt exempta, & ideò tributis, &c. grauari non poffunt; ità Molina *tom.1. difp.671.nu.2.* Malderus *in 2.2.tract. 1.cap.6. dub.8.* Thurian. *in 2.2. tom.2. difp.44 dub.4. nu.12.* Bartholomæus à Sancto Fausto *in Speculo Confeffariorum difp.33.quaeft.14.* Ratio, quia Nouitij gaudent priuilegio Canonis, & fori; ergò etiam eorum bona debent gaudere priuilegio exemptionis.

8 Clerici tenentur ad gabellam, quæ ponitur pro reparatione viarum, Pontium, &c. quando illa reparatio æquè principaliter refpicit, tàm Clericos, quàm Laicos;

& ità

& itá Felin. *in cap. Sancta Maria num. 106. de constit.* Vasquez *de Success. lib. 3. limit. 7. num. 18.* Viualdus *in candelabro aureo super Bullam Cœna casu 18. num 3.* Henriquez *in Sum. lib. 10 cap. 15. num. 5.* Secus verò dicendum, si illa reparatio æquè principaliièr non respiciat Clericos, vt respicit Laicos; quia in isto casu Clerici non tenentur. Hostien. *in Sum. tit. de immunit. Ecclesiæ parag. quibus.* Layman. *in Theolog. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 6. num. 6.*

9 Neque tenentur Clerici ad collectam pro reparatione murorum Ciuitatis, &c. impositam, nisi sponte illā subire velint, appprobante tamen Episcopo, & Clero, consultoq; Romano Pontifice; & vbi Laicorum non suppetunt facultates; & itá plures apud Belletum *de exemptione Cleric. & eor. bon. à muneribus publicis, §. 2. num. 5.* Dixi, approbante Episcopo, & Clero; quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet; & ideò ad impositionem talis tributi hæc requiruntur; Primò, quòd adsit magna necessitas; Secundò, communis vtilitas: Tertiò, quòd sit tale onus, ad quod sustinendum, non sufficiant Laici: Quartò, quòd ad huiusmodi onus imponendū vocetur totus Clerus, vt cōsentiat: Quintò, quòd onus imponatur, consulto Papa. Sextò, quòd ad tale onus soluendū Clerici compellantur ab Episcopo, aut suo Superiore. *cap. Non minus.* Gloss. *in cap. Generaliter verb. Necessitatis 16. quæst. 1.* Et quando supradicta subsidia porriguntur per Clericos, debent tunc Laici ea humelitèr recipere, & deuotè, & cum gratiarum actione; itá *cap. Non minus, & cap. Aduersus.* Hostien. *in Sum. tit. de immunit. Ecclesiæ, §. quibus muneribus.* Barbat. *consil. 1. num. 103.*

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Clericus pro bonis acquisitis an teneatur soluere tributum.*
2 *Pro bonis patrimonialibus non tenetur soluere.*
3 *Item quando tamquàm heres succedit Patri.*
4 *Tenetur soluere quando Dominus prò se, & suis hæredibus promisit tributum soluturum.*
5 *Super bonis Clericorum non potest imponi tributum, nisi de consensu Cleri.*
6 *Emphyteuta an teneatur soluere tributum.*
7 *Clericus non tenetur ad pedagia.*
8 *Clerici an teneantur soluere pro suis animalibus.*
9 *Tenentur etiam ad solutionem Medicorum, Camparorum, &c.*

1 CLerici pro bonis acquisitis, secundū opinionem plurium Doctorum, tenentur soluere onus certum, & inuariabile. Ratio, quia non efficiūtur libera à solutione illius oneris ex eo, quod acquirātur à Clerico; itá *cap. Si tributum, & cap. Magnum.* Abbas *in cap Quòd Clerici num. 41. de foro competen.* Felin. *in cap. Sancta Maria num. 75.* Guttierez *pract. quæst. lib. 1. quæst. 3. nu. 15.* Azor. *p. 1. lib. 5. cap. 13. quæst. 1.* Ratio, quia onus annexum rei transit cum sua causa: Si verò huiusmodi onus esset incertum, & variabile, prout sunt descriptiones bonorum, quæ nunc fiunt, &c. corruit huiusmodi onus statim, ac bona perueniunt ad Clericos; ita *cap. Nouerint 10 quæst. 1. cap. 1. §. Volentes,* & plures citati apud Beller. *de exemptione Clericorum, & eorum bonorum à muneribus publicis, §. 3. num. 3.* Ratio, quia mutatione personæ, mutatur onus. Abbas *ex cap. Litteris num. 25.* quia tale onus non est propriè reale; sed conuenit rebus propter personas, quæ sub Principis iurisdictione existentes lege Tributi obligari possunt.

2 Pro bonis patrimonialibus Clerici non tenentur soluere tributum; itá *cap. Eccles. 12. quæst. 2. cap. Similitèr;* itá Duard. *in Bulla Cœna lib. 3. can. 18. quæst. 7.* Lessius *lib. 2. cap 23. num. 19.* Molin. *tom. 3. tract. 2. disp. 32. nu. 2.* Reginald. *tom. 1. tract. 16. cap. 11. num. 297.* Layman. *lib 4. tract 9. cap. 6. num. 9.* Riccius *p. 2 decis. 209 num. 3.* Syluest. *verbo Immunitas 1. num. 16,* Alterius *de censuris tom. 2. disp. 19. lib. 8. cap. 8. dub. 4.* & aliq. Ratio, quia res Clericorum gaudent eodem priuilegio, quo res Ecclesiarum. Glo. *in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ verb. Ecclesiasticæ. in cap. Episcopus verb. Subsidium de præbendis. in cap. ex litteris verb. Obligat. de pignor.,* & *in cap. Similiter verb. Eccles. 16. quæst. 1.*

3 Si Clericus succedit Patri, non tenetur ad collectas, etiamsi Pater teneretur, & bona catastrata sint. Ratio, quia bona sunt accessoria ad personam. *Authen. ingress. Cod. de Sacrosanct. Ecclesijs,* & si persona est exēpta, bona etiā exēpta dicūtur, quia accessoriū sequitur naturam principalis, *cap. Accessoriū in 6.;* tùm etiam, quia in imponendis collectis, mutata persona, mutatur status rei, & consideratur qualitas noui possessoris; ideò cùm Clericus sit persona priuilegiata, & exempta, etiā res ipsius erunt exemptæ, quia eius persona inspicitur.

4 Bona in Ecclesiasticos translata tenentur soluere tributum, quoties Dominus illorum bonorum promisit pro se, & suis hæredibus soluturum tributum: Ratio, quia posita huiusmodi promissione, contracta est obligatio realis, non solùm afficiens personas ipsas Laicas, verùm etiam bona in Ecclesiasticos translata; onus autē reale bonorum transit ad ipsum possessorem. Reginaldus *lib. 9. num. 380.;* cùm quisque rerum suarum moderator, & arbiter sit, & potest legare bona sua hac conditione, vt soluant collectas, licèt alij alitèr sentiant, quorum opinio censetur etiam probabilis.

5 Super bonis Clericorum non potest imponi tributum, nisi de consensu Cleri, supposita etiam necessitate publica: Ratio, quia talis necessitas non sufficit ad obligandum Clerum; itá Rodriquez *in sum. tom. 2. cap. 185. nu. 13.* Petrus Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 7. cap. 2.* Azor. *par. 3. cap. 19. quæst. 11.* Salon. *tom 2. in 2. 2. quæst. 78 art. 5.* & alij.

6 Emphyteutæ, qui bona Ecclesiarum in emphyteusim acceperunt, tenētur ad collectas, &c., quæ imponuntur solùm pro dominio vtili: Ratio, quia priuilegium immunitatis est concessum solùm Ecclesiasticis personis, & ipsorum bonis, ac fructibus. Bona autem emphyteutica non sunt

sunt Ecclesiasticorum, quoad dominium vtile, quia per contractum emphyteuticū, dominium vtile est separatum à dominio directo, & in emphyteutā translatum est, consequentèr ad ipsum pertinent vsusfructus; & ideò tàm fructus, quàm dominium vtile subiectum est iurisdictioni Principis sæcularis.

7 Clerici non tenentur soluere pedagia, seù vectigalia pro rebus, quę in eorumdem Clericorum, & familiæ vsum vehuntur, *l. Vniuersi de vectigal.* Boer. *decis. 263. num. 8.* Surdus *consil. 41. num. 2.*, nec in isto casu valet consuetudo in contrarium; imò exigentes sunt excommunicati, & obligantur ad restitutionem; *cap. Quamquam de censibus in 6.*, sicut etiam incurrit excommunicationem imponens tributum soluēdum super animalibus pro rata, cùm impositio talis tributi, & exactio vertatur in præiudicium Ecclesiæ. Verùm si colonus Ecclesiasticus habeat bona, nomine proprio, allibrata, & per culturā illorum sint necessaria animalia, pro ipsis obligatur ad ratam soluere tributum.

8 Si Clerici animalia ad pascua Communitatis mittant, cogi possunt ad soluendū, prout alij. Purpurat *consil. 324.* Item custodes animalium Clericorum, qui cum animalibus dant damnum in alicuius agris, possunt accusari, & puniri à Laicis, quia hoc non respicit personas Clericorum, sed Laicorum custodum, qui sunt causa damni, & ità puniuntur ex facto, & delicto proprio; ità apud Belletum *de exemptione Clericorum, & eorum bonorum, &c. §. 6. num. 5.*; secùs autem vbi statutum animalibus Ecclesiæ communia pascua denegaret.

9 Tenentur Clerici ad solutionem Medicorum Communitatis, si eorum opera vti voluerint: Item ad contributionem pro purgatione, & refectione putei, quē habet vicinia cōmunem cum ipsis Clericis. Specul. *in tit. de censibus §. nunc dicendum num. 10.*: Itē tenentur Clerici concurrere ad soluēdum onus, quod debetur Campario, qui custodit agros tàm Laicorum, quàm Ecclesiæ; Natta *consil. 311.*, quod non potest appellari onus, sed merces Saltuarij, ad quam mercedem, & Ecclesia, & omnes Iure Diuino tenentur, iuxtà illud, *Dignus est operarius mercede sua, cap. 1. de sepulturis Clem. 2. §. verùm.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Coloni Ecclesiasticorum sunt immunes à solutione gabellarum.*
2 *Tenentur ea soluere pro bonis eorum nomine allibratis.*
3 *Conductores bonorum Ecclesiasticorum non gaudent priuilegijs Ecclesiæ.*
4 *Laici ementes aliquid à Clericis non sunt immunes à gabellis.*
5 *In quibus casibus teneatur Clericus soluere gabellas.*
6 *Consuetudo non tribuit ius Laicis imponendi collectas, &c.*

1 COloni Ecclesiasticorum sunt immunes à solutione gabellarum, &c. tàm realium, quàm personaliū: Si onus imponatur simplicitèr pro fructibus perceptis ex bonis Ecclesiasticis: Ratio, quia huiusmodi onerum impositio vertet in damnū Ecclesię, & consequentèr huiusmodi onus censetur Ecclesiasticis impositum: si verò imponatur onus pro fructibus separatis à solo nō sūt immunes, quia fructus separati à solo nō dicuntur Ecclesiæ, nec in eius dominio, sed ipsorum Colonorum priuatorum, & Laicalium personarum, propter quod de illis, ac de rebus prosedis solent exigi vectigalia; ità Surdus *consil. 301. num. 8.* Bursat. *consil. 25. num. 3.* Carolus de Graff. *de effectibus Clericatus effect. 3. num. 56.* Altarlut *disput. 19. cap. 6. dub. 5.* & alij quamplures: Ratio, quia separatorum est separata ratio.

2 Coloni Ecclesiasticorum tenentur soluere tributa pro bonis, eorum nomine allibratis. Rebuff. *in l. 2. num. 2. & 3.* & alij.

3 Conductores bonorum Ecclesiasticorū non gaudent priuilegijs Ecclesiæ, & Clericorum, quoad immunitatem pro fructibus perceptis ex dictis bonis. Gloss. *in Clemen. præsenti*, Felin. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 2. num. 99. de constitut.* Decius *in cap. Sanè num. 7. & 8. de priuileg.*: Ratio, quia tale vectigal, &c. soluitur ratione fructuum, fructus autem percepti sunt ipsorum cōductorum, aliāq; sumunt naturam, ac cùm essent solo coniuncti. Excipitur tamē casus, si gabella esset ità excessiua, vt magna cum difficultate, & magno cum detrimento Clerici inuenirēt conductores, & cogerentur minoris locare, quam alij sæculares, quia tùnc conductores gaudebunt priuilegijs Clericorum. Felin. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ.*

4 Et licèt Clerici sint immunes à gabellis, tamen Laici, qui emunt à Clericis, *v. g.* frumētum, non sunt immunes: Ratio, quia vbi persona est causa priuilegij, mutata persona, extinguitur priuilegiū, nisi quando emptio facta fuisset pacto, quòd sumptibus Clerici venditoris deferatur res empta ad talem locum. Graff. *de effectu Clericali effect. 3. num. 9.* vbi plures citat.

5 In subsequentibus casibus tenetur Clericus soluere gabellas: Primò, quādò Clericus est coniugatus, quia Clericus Latinus cōiugatus caret omni priuilegio Clericali, excepto priuilegio Canonis, *cap. Clericis de Clericis coniugat. in 6.*: Secundò, Clericus feudatarius in his, quæ pertinent ad feudum, subijcitur Domino feudi, licèt sæculari: Tertiò, quando Clericus exercet negotiationem, ex rebus, quas negotiationis causa aduehit, tenetur soluere gabellas, vt habetur *in cap. Quamquam*: Quartò, quando Clericus acquirit bona, seù possessiones affectas aliquo certo, & ordinario onere soluendi censum Principi, &c. quia tùnc Clerici tenentur illud soluere: secùs autem de nouo, quod de nouo imponitur, vel de extraordinario, vt dictum fuit: Quintò, cum imponitur de licentia Summi Pontificis.

6 Consuetudo non tribuit ius Laicis imponendi

ponēdi collēctas Ecclesiasticis: Ratio, quia Ecclesiastici, Iure Diuino, immunes sunt ab oneribus; cōsuetudo autē nō potest derogare Iuri Diuino; ità habetur expressè *in cap. Quāquam de censibus*, & ità Filliuc. *tract. 16. cap. 11. quaest. 2. num. 293.* Suarez *lib. 4. de immunitate cap. 32.* Reginal. *lib. 9. num. 381.*

PARAG. III.
Textus Sacrorum Canonum. De immunitate.

SVMMARIVM.

1 *Iudex Laicus non debet hospitium quaerere in domibus Ecclesiasticis.*
† *Necessitatis tempore, non debet aliquis excusari à custodia Ciuitatis, &c.*
† *Rustici Ecclesiae non possunt deserere rura Ecclesiae, & alienos agros colant.*
2 *Laici collectas imponentes Clericis, sunt excommunicati, sicut & fautores.*
† *Quando Clericus teneatur praebere subsidium Laico.*
3 *Causae sanguinis in Ecclesijs, &c. agitari non debent.*
4 *Quando Reus ab Ecclesia possit extrahi.*
5 *Clerici non debent collectari, nisi consulatur Papa.*
† *Statuta, quibus imponuntur Clericis collecta, sunt nulla.*
† *Excommunicatus, &c., nisi satisfecerit, semper remanet excommunicatus.*
6 *Praelati, qui pro procuratione, &c. plus extorquent, quam impendant, tenentur ad restitutionem.*
† *Item Superior si negligens est pro executione statuti,*
7 *Ecclesia solum benedicta gaudet immunitate, &c.*
† *Delinquens in Ecclesia spe immunitatis, immunitate non gaudet.*

1 IVdex Laicus, vel Minister non debent vindicare Placitum, aut hospitium in domibus Ecclesiarum, sed constituere debent domos in locis publicis, in quibus Placitum teneant, & hospitentur, *ex cap. Vt in domibus 1. de immunitate Ecclesiarum.* Necessitatis tempore non debet aliquis ex Ecclesia excusari à murorum, seu Ciuitatis cu-
† stodia, *ex cap. Peruenit 2.* Rustici Ecclesiç non
† possunt deserere agros Ecclesiae, & colere agros priuatorum, *ex cap. Iudicatum 3.*

2 Laici collectas imponentes Clericis, vel Ecclesijs, vel eorum iurisdictionem vsurpantes, si moniti nōn desistant, excommunicati sunt cum eorum fautoribus, *ex cap. Non minus 4.* Quando verò non suppetunt
† facultates Laicorum, & adsit magna necessitas, tùnc Episcopus, consentiente Clero, potest eis necessaria praebere subsidia *ex eodem cap.* Cur requiratur consensus Cleri est, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

3 Causae sanguinis in Ecclesijs, & Cœmiterijs agitari non debent, quia vbi constituta est tutela refugij, absurdum est, ibi iudicium sanguinis exerceri, *ex cap. Cùm Ecclesia 5.*

4 Reus criminis ad Ecclesiam confugiēs, non est indè extrahendus, nec damnandus ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem, nisi fuerit publicus latro, vel depopulator agrorū, qui obsidet publicas vias, & itinera frequentata insidijs aggressionis, *ex cap. Inter alia 6.*: Si verò seruus fugiat ad Ecclesiā, & tùnc Dominus iuret Clericis de impunitate Serui, reddi debet Domino, etiam inuitus *ex eodem cap.*

5 Clerici non debent collectari, etiam quando non suppetunt facultates Laicorum, nisi priùs consulatur Papa, *ex cap. Ad-*
† *uersus 7.*: Item statuta, quibus imponuntur
† Clericis collectae, sunt nulla: Item excommunicatus ob praedicta, nisi satisfecerit, remaner excommunicatus, etiamsi relinquat officium, *ex eodem cap.*

6 Praelati, qui pro procuratione, vel seruitio impendendo, à Legato plus extorquent, quàm impendant, extorta restituere debent pauperibus, *ex cap. Quia plerique 8.*
† Item Superior, apud quem fit querela, si negligens est pro executione huius statuti, canonicè puniri debet, *ex eodem cap.*

7 Ecclesia solùm benedicta, etiamsi non sit consecrata, si in ea Diuina Officia celebrentur, gaudet immunitate, quia est dedicata cultui Diuino, & ideò non profa-
† nanda, *ex cap. Ecclesia 9.* Delinquens in Ecclesia, vel eius Cœmeterio spe immunitatis, immunitate non gaudet, quia reddit se ea indignum, *ex cap. Immunitatem 10.*

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiasticis non licet imponere collectas pro bonis acquisitis, & acquirendis.*
2 *In Ecclesijs, quomodo debeat orationibus insisti.*
3 *Imponentes taleas, &c. Ecclesiasticis, sunt excommunicati.*
† *Vniuersitates verò supponuntur interdicto.*
4 *Excommunicati sunt impedientes, nè impetrentur litterae à Sancta Sede Apostolica.*
5 *Domini temporales prohibentes subditis, nè cum Ecclesiasticis contrahant, sunt excommunicati.*

1 IVrisdictionem, vel iustitiam temporalem obtinentibus, siuè exercentibus nō licet imponere collectas, &c. Ecclesiis, seù personis Ecclesiasticis, vel exigere ab eisdem pro bonis legitimè acquisitis, vel in posterùm acquirendis, etiamsi huiusmodi bona sint in ipsorum districtu; nec licet eis coarctare Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas ad distrahendum, vel alienandum, vel extrà manum suam ponendum dicta bona iam acquisita, vel acquirenda, *ex cap. Quia nonnulli de immunitate Ecclesiarum in 6.*

2 Ad Ecclesias debet esse humilis, & deuotus ingressus, in eis quieta conuersatio Deo grata, & hominibus placita; debet orationibus insisti, exclusis clamoribus, & seditionibus: ibi debent cessare vana colloquia, & confabulationes, & omnia, quae possunt turbare Diuina Officia, vel Deum offendere, *ex cap. Decet 2.*: Item in Ecclesijs, & Cœmeterijs cessare debent negotiationes, nundinae, & tumultus Fori, strepitus Iudicij saecularis, & omnis causa maximè criminalis; ità vt processus Iudicum saecularium, & sententiae sint nullae, *ex eodem cap.*

3 Papa dolente, refert, quod nonnulli Ecclesiarum Prælati, Ecclesiasticæque personæ timentes, vbi non erat timendum, & quærentes pacem temporalem, acquiescunt Laicis imponentibus taleas, &c. Ecclesiasticis; Omnes igitur Ecclesiastici, qui soluunt, vel promittunt, vel consentiunt, se soluturos sub prędictis, vel alio quouis titulo, prætextu, & colore, necnon etiam Laici, qui ista imponunt, exigunt, vel recipiunt aut faciunt arrestari, vel occupari, & dantes auxilium, &c. eo ipso, excommunicationem incurrunt Papæ reseruatam, *ex cap. Clericis 3.*: Item Vniuersitates Ecclesiastico supponuntur interdicto sine licentia speciali Papæ non tollendo, non obstantibus quibuscumque priuilegijs sub quacumque forma, *ex eodem cap.*, licèt excommunicatio, quòad Clericos soluentes sit sublata *in cap. Quoniam.*

4 Excommunicati sunt, qui impediunt, super causis, quæ ad forum Ecclesiasticum de iure, vel consuetudine pertinent, impetrari litteras à Sancta Sede Apostolica, vel super ipsis, coram Ordinarijs, vel Delegatis Ecclesiasticis litigari, *ex cap. Quoniam 4.*

5 Domini temporales prohibentes suis subditis, nè cum personis Ecclesiasticis contrahant, vel communia obsequia exhibeant, sunt excommunicati ipso iure, *ex cap. Eos 5.*

Finis Tertij Libri.

DE HIERARCHIA ET IVRE *ECCLESIÆ MILITANTIS* LIBER QVARTVS. PARS SECVNDA.

De Principibus, & alijs Dignitatibus sæcularibus Ecclesiæ militantis.

TITVLVS I. De Imperio, & Imperatore Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Duplex est status personarum.*
† *Item duplex potestas.*
2 *Potestas ciuilis duplex.*
3 *Potestas Ecclesiastica item duplex.*
4 *Potestas ciuilis deriuata est à iure naturali.*
5 *Vndè nam sit Imperatoris potestas.*
6 *Imperator non per successionem habet Imperium.*
7 *Electores Imperatoris qui sint.*
8 *Electus in Imperatorem debet confirmari à Papa.*
9 *Coronatur Imperator triplici Corona.*

1 CVM duplex sit status personarum, Ecclesiasticus, & sæcularis: Ideirò etiam duplex potestas in Mundo, siuè Ecclesia militãte reperitur: Vna Ecclesiastica, & altera ciuilis: Per Ecclesiasticã potestatem reguntur homines in ijs, quæ ad rei Religionem pertinent; per potestatem verò ciuilem reguntur homines in ijs, quæ spectant ad pacem temporalem, salutem, vtilitatem, &c.

2 Potestas ciuilis duplex est, vna suprema, & altera inferior, & non suprema: Suprema potestas est, quæ in temporalibus non agnoscit Superiorem, vt est Imperatoria, vel Regalis potestas, & quam etiam habẽt liberæ Ciuitates, & aliqui Principes, Duces, Marchiones, &c. Inferior verò, & non suprema est, quam habent ij, qui in temporalibus ciuilem Superiorem agnoscunt; quales sunt multi Principes, & Duces, Imperatoris, Regis, vel alterius Principis ditioni subiecti.

3 Ecclesiastica potestas itidem duplex est. Vna supernaturalis Ordinis, & Diuini Iuris, qua homines ad finem supernaturalẽ per remedia supernaturalia diriguntur, qualis est, qua Sacramenta administrantur, sacrificia fiunt, Deo offeruntur, peccata remittuntur, &c. Altera potestas est naturalis Iuris, & Ordinis: Item, & humani, qua homines ad finẽ tantùm naturalẽ, vel humanũ, quamuis Ecclesiasticũ, opera, & ministerio Sacerdotum, per ea, quę sunt humani, vel naturalis Ordinis, referũtur.

4 Potestas ciuilis deriuauit ex ipso iure naturali, quia iuris naturalis, siuè gentium est, vt homines societate quadam coniuncti viuant; At Societas persistere, & conseruari nõ potest, nisi quidam præsint, qui cæteros in pace, concordia, & charitate contineant. Vndè iure gentium sunt Ciuitates, & Republicæ fundatæ, creati Magistratus, latæ, & sanctæ leges, iudicia constituta, quibus sontes puniuntur, innocentes defenduntur, cuique tribuitur, quod suũ est; & in his omnibus cõsistit ciuilis potestas, & ideò Imperator dicitur iure gentium esse institutus, quia vt ait Cicero *lib. 3. de Regibus*, sine Imperio, nec domus vlla, nec Ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stat, nec ipse Mundus potest, & S. Thomas *lib. 1. de regimine Principum cap. 1.*, ait, esse naturale homini, vt in Societate multorum viuat, & necesse esse, vt sit in hominibus, per quod multitudo regatur, nam cum vnus, &c. id, quod sibi congruum est, prouideat, multitudo in diuersa dispergitur. Vndè Salomon ait, *Vbi non est gubernator, dissipatur populus.* Hinc & Iulius Cæsar apud Dionem, præclarè scripsit, Naturam, duas necessarias res, easque salutares humano generi comparasse, vt alij cum Imperio essent, & alij

eis subijcerentur, nihilq; esse, quod circa hæc, vt minimo quidem spatio perdurare queat.

5 Licèt sint diuersæ opiniones, vndè nam sit Imperatoris potestas, & iurisdictio, an sit proximè, & immediatè à Deo, an verò à Summo Pontifice, an proximè, & immediatè à populo, quia multi iuris interpretes sentiunt, Imperatoris potestatem esse à Deo proximam, eo, quod Imperium cœperit ante Romanum Pontificem; sed Doctores iuris Pontificij asserūt, Imperatoris potestatem, & iurisdictionem pendere proximè à Romano Pontifice, quoniam ipsi data est à Deo omnis potestas gubernandi, & administrandi Ecclesiam, & per consequens potestatem, & iurisdictionem Imperatoris pendere à Summo Pontifice.

6 Imperator non per successionem habet Imperium, sed ex iure Canonico per electionem; & ità colligitur *ex cap. Venerabilem de electione*, illis verbis. *Verùm illis Principibus ius, & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodò promouendum recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure, & antiqua consuetudine noscitur pertinere*, cùm ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit. Vndè Iuris Canonici est, vt Imperium non per hæreditariam successionem, sed per electionem habeatur.

7 Electores Romani Imperij, qui fuerunt instituti per Gregorium V. fuerunt quatuor Duces, quatuor Marchiones, quatuor Lantgrauij, quatuor Burgauij, quatuor Comites, quatuor Liberi, quatuor Milites, Ciuitates quatuor, Villæ quatuor, Rustici quatuor; licèt alij nominent solum septem Electores, tres scilicèt spirituales, Archiepiscopū Moguntinū, Germaniæ Cancellarium; Archiepiscopū Treuirensem, Galliæ Cancellarium; Archiepiscopū Coloniensis, Italiæ Cancellariū, & quatuor temporales, Marchionē Brangdeburgensem Camerarium, Comitē Palatinū Dapiferū Ducē Saxonum, Ensis portitorem, Ducē Bohemiæ, quē his additum ferunt ad tollendas Electorum discordias. His ergò sic electus, tunc Cæsar, & Rex Romanorum est appellatus, demùm verò Imperator, & Augustus, si eum Romanus Pontifex confirmat, & coronat.

8 Electus in Imperatorem debet iure cōmuni confirmari à Papa, & ità colligitur *ex cap. Venerabilem de electione*, & ità August. Triumph. *de potest. Papæ quæst. 38. art. 11.* Gloss. *in cap. legimus dist. 93.* & alij. Debet etiam Sacro Oleo perfundi, & ità ex Clement. 1. *de iure iur.* & *ex cap. Venerabilem de electione*. Debet etiam vngi à Summo Pōtifice, non in capite, sed in brachio dextro, vel humero, aut armo, *cap. 1. de Sacra vnctione*, & vngitur signo Crucis impresso, quia per Crucem est victoria nostra, in æde Sancti Petri, ad Altare Sancti Mauritij, vt dicit liber *sacrar. cerem. sect. 5. cap. 3.* quem citat Castald. *de Imperat. quæst. 24. num. 5.* Et non modò vngitur, sed etiam consecratur, vt colligitur *ex cap. Venerabilem de elect.* & ex Clement. *5. de iure iur.* qua etiam ratione vocatur Sacratissimus.

9 Coronatur etiam Imperator triplici Corona: Primò Corona ferrea per Archiepiscopum Coloniensem in Ciuitate, quæ dicitur Aquisgrana, Coloniensis Diœcesis, & ista Corona significat potētiam, & fortitudinem: Secundò coronatur Corona argentea, quæ significat claram, & mundam in eo iustitiam, & de ista coronatur per Archiepiscopum Mediolanensem in Ecclesia Modeciensi, Mediolanensis Diœcesis: Tertiò coronatur Corona aurea, & significat maioritatem, & eius excellentiā super omnes mortales in tuitione Reipublicæ, & ista Corona debet coronari per Summum Pontificem in Ecclesia Sancti Petri.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Electus in Romanum Imperatorem, ante confirmationem non dicitur absolutè Romanus Imperator.*
2 *Imperator non habet dominium proprietatis super bona suorum Subditorum.*
3 *Nec dominium iurisdictionis super totum Orbem.*
4 *Nec item habet ius conferendi beneficia.*
5 *Nomen Regum antiquius est nomine Imperatoris.*

1 Electus in Romanum Imperatorem, ante confirmationem Summi Pontificis, non dicitur absolutè Romanus Imperator, sed Imperator futurus, siuè nominatus, aut electus, & ità apud Azorium *p. 2. lib. 10. cap. 6.*

2 Imperator non habet dominium proprietatis super bona suorum Subditorum: Ratio, quia omnis Princeps legitimus habet potestatem à Republica, ex cuius electione, & cōmuni cōsēsu eligitur, sed nulla Respublica transtulit in suū Principem dominium proprietatis bonorum suorū Ciuium, ergò, &c. Tùm etiam quia, qui habet dominium proprietatis alicuius rei, pro suo arbitratu, potest illo vti; at Princeps pro suo arbitratu non potest vti bonis suorum Subditorum, sed solùm in casu, quo ratio boni communis exigit, ergò, &c.

3 Imperator neque de iure, neque de facto dominium habet, seù iurisdictionē super totū Orbem: Ratio, quia sequeretur, quod omnes Reges, & Principes essent ei subiecti in temporalibus tamquam superiori, & vniuersali Domino, sed hoc est falsum, ergò, &c. & ita Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 5.* Molina *tom. 1. disp. 30.* Bannes *2. 2. art. 1. & 4.* & alij. Verùm licet Imperator non sit Dominus in temporalibus totius Mundi, nec supremam potestatem iurisdictionis super omnes Reges habeat, nihilominus tamen secundùm quid, & quantum ad aliquid, Superior est omnibus Principibus Christianis quoàd dignitatem Imperialem. Est etiam Primatius fidei protector, & dicitur etiam Vicarius Dei in temporalibus: Item Sanctissimus, & no-

& nobilissimus Rex *in l. quaris ff. de natalibus restituendis* dicitur filius Ecclesiæ.

4 Nec item Imperator habet ius in conferendis beneficijs, aut dignitatibus Ecclesiasticis, ità colligitur *ex cap. Cum ad Verum distinct. 96.* illis verbis *Ne illa feliciter Imperator rebus Diuinis præsidere videretur, qui esset sæcularibus negotijs implicatus*, ex cap. *Conuenior 23. quæst. vlt.* dicitur Ea, quæ Diuina sunt Imperatoriæ Maiestati non esse subiecta, *& cap. Duo sunt*, & cap. *Si Imperator dist 96.* Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ in Ecclesia disponenda sunt pertinere non ad sæculi potestates, &c. Nec etiam Imperator ex consuetudine in his rebus supradictis potest aliquid iuris habere, *cap. Messana, cap. Sacrosancta de electione.* Nec etiam vi præsumptionis potest tale ius conferendi beneficia acquirere, vel eligendi Clericos beneficiarios nominandi, designandi, & offerendi, &c. ad beneficia: Ratio, quia spiritualia Laici iure præscribere non possunt; quoniam possidere nequeunt, Gloss. & DD. *in cap. Causam*, quia ius spirituale in Laicos non cadit, *cap. Sacrosancta*, & *cap. Messana*. Et ideò Imperator in rebus spiritualibus, vel annexis, &c. non habet iurisdictionem, nec de illis aliquid statuere potest.

5 Nomen Regum antiquius est nomine Imperatoris, cùm antiquitus plures essent Reges, & nullus erat Imperator, & nulla de Imperatore fiebat mentio, cùm nullum esset adhuc Imperium, sed postea per multa tempora, & post legem nouam, id est post Testamentum nouum, Incepit Imperium; Et ideò noui Testamenti tempore non fit mentio de Imperio, nec de Imperatore, sed solùm de Regibus, cùm habeatur *1. Petri cap. 2. Deum colite, Regem honorificate; & illud subditi estote omnipotenti, sinè Regi tamquam præexcellenti, & Ducibus ab eo missis.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Prima qualitas Imperatoris est Religio.*
2 *Reijcitur ab Imperio Schysmaticus, Sacrilegus, & Tyrannus.*
3 *In Imperatore requiritur etiam scientia.*
† *Item aliæ virtutes, &c.*
4 *Imperator debet esse prudens, fortis, &c.*
5 *Officium primum Imperatoris est Ecclesiam defedere.*
6 *Imperator emittit iuramentum in manibus Pontificis.*
7 *Secundum officium Imperatoris est iura Papæ non vsurpare, &c.*
8 *Imperator debet habere Consiliarios, &c.*
† *Qualitates Consiliariorum.*

1 Prima conditio, quæ requiritur in Imperatore est, quòd sit fidelis, vt *in cap. Venerabilem*: Ratio, quia Regnum suũ Dominus faciente fructum mandat; tùm etiam, quia Imperium est Ecclesiæ Principatus, qui à Saluatore nostro vero Principe, & Rege Regum dependet. Quapropter, & illi tradendus est, qui Christi vestigia sequitur: *cap. 1. de Hæreticis in 6.* Id verò decreuit Ecclesia Catholica, quòd non solùm Infideles ad Regnum sint inhabiles, sed etiam Hæretici, vt *in cap. Venerabilem.*

2 Reijcitur etiam ab Imperio Schysmaticus, vt *in cap. Venerabilem.* Sunt autem Schysmatici, qui ab vnitate Ecclesiæ discesserunt: Sacrilegi pariter à Principatu remouentur; Pro Sacrilego intelligitur, qui personas Ecclesiasticas, bona sacra, & immunitatem Ecclesiæ violat. Repellitur etiam Tyrannus, quia eius regimen non ordinatur ad bonum commune, sed tantùm ipsius regentis, quia Deus Tyrannos odit, & eos regnare non patitur, licèt aliquando eorum Imperia permittantur in vindictam malefactorum; præmium verò bonorum. S. Ambros. *lib. 4. de Abel, & Cain cap. 4.* S. Augustinus *contrà Manichæos* exponens verba Apostoli *ad Romanos 15.* Et ideò *Iob 34.* dicitur. *Deus regnare facit Hypocritam propter peccata Populi.* Et ideò præcipuum fundamentum in electione Imperatoris est Religio Christiana, quę opponitur impedimentis infidelitatis, & omnibus criminibus.

3 Requiritur etiam in Imperatore scientia, quia constituitur à Deo, vt faciat Iudicium, & Iustitiam, & ideò scientia in eo necessaria est, quia ab ea veniunt leges, correctiones, pœnæ delictorum, præmia bonorum, monitiones, & consi- † lia, &c. Ornantur etiam Imperatores prudentia, fortitudine, mansuetudine, iustitia, temperantia, alijsque virtutibus moralibus, tàm ad regimen pertinentibus, quàm ad bonos, & sanctos mores inducentibus: Requiritur prudentia, quia est necessaria ad benè viuendum; Nam benè viuere constituit in benè operari; Ad benè operandum requiritur electio recta, quæ versatur circà ea, quæ sunt ad finem.

4 Ità Imperator constituitur prudens, vt Populo necessaria pro tempore prouidere possit, ac euitare pericula, conseruare pacem, & legem, &c. Alia virtus requisita est fortitudo, quæ firmat animum aduersus Mundi aduersitates; actus autem fortitudinis sunt duo; agere scilicet, & sustinere: Item requiritur Temperantia, quæ est rationis in libidinẽ, atque in alios non rectos impetus animi, firma, & moderata dominatio. Requiritur etiam Iustitia, quæ voluntatem rectificat, cuius partes sunt, declinare à malo, & facere bonum.

5 Officium Imperatoris est: Primò Romanam Ecclesiam defendere; ità legitur in Clementina vnica *de iure-iur.* his verbis. *Tallis Sacrosanctis Euangelijs iuramentum firmamus, quod eamdem Ecclesiam, & Fidem Catholicam, pura fide, totisque viribus conseruares reuerenter, & etiam defensares*, &c. Et hoc est primum iuramentum, quod emittit Imperator in susceptione Coronæ ferreæ, quo promittit etiam manutenere semper, atque seruare priuilegia omnia per Prædecessores suos

Imperatores prædictæ Romanæ Ecclesiæ, & alijs quibuslibet Ecclesijs quocunque tempore concessa: Iurat pariter, non alienare bona Imperij: emittit etiam secundum iuramentum in manibus Pontificis, dum coronatur Corona aurea, talis tenoris. *Ego N. Romanorum Rex, annuente Deo futurus Imperator, promitto, &c. coram Deo, ac Petro, me de cætero protectorem, & defensorem fore Summi Pontificis, & huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & vtilitatibus suis, custodiendo, & conseruando possessiones, honores, & iura eius, quantū Diuino suffultus adiutorio fuero, secundum vires, & posse meum, recta, & pura fide: Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia*, ex Clement. *vnica de iure iurando.*

7 Secundùm officium Imperatoris est, iura Papæ non vsurpare, temporalia, & spiritualia. Non potest residere in Vrbe Romæ *cap. Constantinus dist. 96.* his verbis; *Constantinus Imperator Coronam, & omnem Regiam dignitatem in Vrbe Romana, & Italia, & in partibus Occidentalibus Apostolico concessit, &c.* Plenitudine suæ potestatis non debet vti in præiudicium subditorum, nisi ex causa: Caueat ne aliena Regna, & Dominia iniustè quærat. Sunt & plura alia, quæ decent Imperatorem, de quibus, &c.

8 Imperator debet habere Consiliarios prouectæ ætatis, prudentes: Ratio, quia prudentia senectutis comes est. Requiritur etiam vt probi sint, & spectatæ vitæ, vt nulla prauæ voluptatis, aut priuati affectus labes illorū consilium, sententiamque afficiat. Vnde Federicus Imperator dicebat, *Vtinam Consiliarij mei in Palatij vestibulo duas res deponerent; Sic enim & ipsi recta consulerent, & mihi etiam de eorum Consilijs iudicare esset facillimum:* Interrogantibus autem, quę nam res illæ essent; *Adulatio* dicebat, & *Dissimulatio*. Requiritur tertiò, vt sint taciturni. Quartò, quòd in Consilijs sit dicendi libertas: Miserrimè quidem faciunt Consiliarij, qui nihil respondent, nisi quod cupiditati interrogantis lenocinatur. Quintò requiritur earum rerum peritia, ad quas tractandas accessuri sunt. Vnde requiritur, vt Consiliarius sit de rebus publicis edoctus, & de illis experientiam habeat; Idcircò necesse est, vt Consiliarij Historiarum libris se dedant, ac diligenter operam nanent, quo rerum gestarum cognitionem, & ciuiles obseruationes sibi comparent; quia lectione harum, lux omnis prudentiæ, ab ea Consilij, & deliberationis publicę norma, pendet cùm nihil aliud sit Historia, quam disciplina, & exercitatio ad res ciuiles, & quia Poesis valdè est affinis Historiæ, & ad eundem finem prudentię tendit; Idcircò fas erit, Consiliarium etiam Poesi ornatum esse. Requiritur vltimò in Consiliario charitas, & studiosa voluntas cōmunis boni: charitas puram intentionem exigit, & constantem voluntatem ea tantùm suadendi, vel dissuadendi, quæ ad bonum publicum ordinātur, vt neque vllius gratia, neque proprij lucri spe, neq; damni metu, mentem suam dimouere sinant; Omnes quippè, qui de rebus dubijs consultant, vacui esse debent affectibus, non enim facilè animus verum prævidet, vbi illa officiunt, & ideò Tacitus *Pessimum veri affectus, & Iudicij venenum est sua cuique vtilitas.*

PARAGR. III.

SVMMARIVM.

1 *Imperator Cancellarium debet habere.*
2 *Proprium officium Cancellarij quod sit.*
3 *Cancellarius præsidet super omnes alios Regni.*
† *Varijs titulis magnificis decoratur.*
4 *Duo genera sunt Cancellariorum.*
5 *In Germania tres Archiepiscopi sunt insigniti honore Archicancellarij.*
6 *Requisita in Cancellario.*

1 Imperator Cancellarium debet habere, cuius officium est rescripta, & priuilegia per Principem concessa, aut concedenda Sigillo Regio munire, examinare, emendare, & delere: Et ideò Budæus; *Munus est eius, atque primæ partis sunt videre, vt nulla Principis Constitutio, nulla Sanctio, nullum Diploma, nullum Rescriptum, nullo Codicilli Regy, non è Republica, atque etiam dignitate Reipublicæ principalique exeant:* Et ideò Cancellarius dicitur Vicarius Principis, cuius censura, aut stylo, Maiestas Principum acta sua eximi numquam voluit; quod officium est antiquum.

2 Proprium est Cancellarij signare petitiones Sigillo Imperatoris, &c. quia Cancellarius retinet, & gubernat Sigillum, eiusque vsum, & ius tenet, & non modò officium est Cancellarij petitiones Sigillo signare, & rescripta, sed etiam subscribere propria manu: Ratio autem subscriptionis Cancellarij est, quia cor, oculus, manus sui Principis nominatur; Et ideò regere in rebus ciuilibus, & rogaris omnia Consilia, & actionis Imperatoris debet.

3 Cancellarius omnes alios Regni, seu Principatus Consiliarios præcedere debet, & Primus post Imperatorem, Regem, &c. sedet. Verùm si Regis, aut Principis adsit filius, sedet ad dexteram, & Consiliarius ad sinistram: Officium Cancellarij nominibus, & titulis magnificis decoratur in Imperio Germanorum, nomine Archiconsiliarij: In Hispania Cancellarius maximus: In Gallia, Polonia, & apud Regiam Celsitudinem Ducis Sabaudiæ, Cancellarius Magnus dicitur. Sicut etiam apud alios Principes, Illustris, Magnificus Amplissimus appellatur; Neque enim hæc nomina duntaxat ad speciem sunt excogitata, sed etiam ostendunt quo amore, quo cultu Cancellarios suos haberi velint, cùm veluti partes corporis sui eos tueri, atque propugnare debeant, ex quo illud consequi necesse est, vt si qua iniuria fortè Cancellarius affectus sit, eadem quoque Principi illata esse censeatur.

4 Duo genera sunt Cancellariorum, ex Germano Kircnerio *de officio, & dignitate Can-*

Cancellarij, alij sunt maiores, qui in Regnis, Prouincijs, & Principatibus nullum superiorem agnoscunt: Minores illi sunt, qui in eo munere, seù dignitate Superiorem agnoscunt; Et ideò Vice-cancellarij, seù Pro-cancellarij appellantur.

5 In Germania, ordinatione Caroli Magni, sunt tres Archiepiscopi insigniti honore Archicancellarij; Antistes Moguntinus, Germaniæ est Archicancellarius; Episcopus Treuirensis est Archicancellarius Galliæ; Episcopus Coloniensis est Archicancellarius Italiæ.

6 Cùm nulli boni Imperij, ac Principatus Instrumentum maius existat, quàm bonus Cancellarius, qui Regni verè pretiosissimus Thesaurus, & Principis non modò amicus; verùm etiam parens, & singulare donum: Idcircò ille debet esse præditus probitate morum, charitate, & communis boni studiosa voluntate; cùm iuxta Vaticiniū Capitolinū, melius sit Reipublicæ habere Principem malum, quàm Consiliarium; quia si Consiliarius erit malus, Principis quoque animum natura bonum in deterius trahet; Et è contrario, si Cōsiliarius erit bonus, Regem, vel Principem, & si malum, in bonum trahet, & vertet. Secundò requiritur in Cancellario litterarum scientia, & cognitio, quia mens Principis est: Idcircò callere debet scientias, & doctrinas. Tertiò requiritur; quòd Cancellarius Historiarum peritus sit, & lectione huius rerum gestarum cognitionem, & ciuiles obseruationes sibi cōparet; in ijs .n. sine labore reperitur, quod alij magno labore quæsierāt; hinc bonorum virtutes, & improborum vitia percipiuntur; hinc vitæ humanæ vicissitudines rerumque aduertuntur; hinc totius æui instabilitates, & imperiorum casus, ac præcipitia cognoscuntur; hinc malorum pœnæ, & bonorum præmia discuntur: & quia Poesis valdè affinis est Historiæ, & ad eumdem finem prudentiæ tendit; Idcircò fas erit, Cancellarium etiam Poesi ornatum esse. Quartò requiritur in Cancellario eloquentia, & dicendi libertas, cùm ad ipsum spectet præ alijs in publico loqui, & orare, & ad ipsum spectet in Consilijs liberè, ac sincerè loqui pro communi bono: Facilè deuiat à Iustitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit; vnde spectat ad Cancellarium, serpētia in Republica mala, quæ ambitioso artificio Principibus celari solent, aperire, & iuxtà Solonis Præceptum, consulere non quæ suauissima, sed quæ optima sint. Quintò requiritur, quòd sit laureatus, & ideò quasi semper Cancellarius legitur electus ex Iuris-consultorum Academia; Et idcircò debet nosse omnes Iuris publici rationes, vt nihil omninò sit eorum, quæ Principem nosse oportet, quod ex eo non possit peti. Sextò debet esse præditus prudentia politica, vt consulere possit Principi, & Reipublicæ; est enim Prudētia, *Politica opportunitas idoneorum ad agendum temporum, & causa, vt rectè agantur omnia*, illa si quidem in omnibus rebus modum accomodatum locis, personis, & temporibus dirigit; Illa intellectum, atque iudicium tamquam luce quadam vniuersali illustrat, vt omnia ea cognoscere, ac perspicere possit, quæ ad officium pertinent, omnia discernere, honesta ab inhonestis, vtilia à noxijs, iusta ab iniustis, separare; Illa Consilij promptitudinem, & dexteritatem largitur, & intellectum ad delectum in cunctis negotijs rectè applicar illa, totius vitæ norma, & moderatrix est. Nihil itaque præstabilius Reipublicæ dari potest, quam prudens Cancellarius, qui Principi suo rectè consulere possit. Septimò in Cancellario requiritur fides; fides autem, cùm Deo primùm omnium summa, & maxima debeatur; idcircò omnibus iuramentis, nexis, oblationibus, quæ hominibus fiunt, etsi ea non excipiatur, semper tamen excepta esse intelligitur; fundamentum enim humanæ fidei, fides Diuina est, sine qua nihil ritè, nihil prouidentèr homines auspicari possunt. Præter hanc, requiritur in Cancellario fides ciuilis, quæ maximè in eo consistit, vt Cācellarius Principē, & Rēpublicā suam sincero amore ac debita pietate, & integritate summa prosequatur; fidei autem vltrà studium, diligentia, industria, vigilantia, assiduitas, omniaque reliqua muneri fideliter obeundo necessaria committantur. Octauò in Cancellario requiritur Iustitia: *Fides*, vt loquitur Tullius, *Fundamentum est Iustitiæ*; & idcircò Cancellarius Sācta Iustitiæ debet esse studiosus, & ornatus; ità vt Principem consulat, quod iustum est, circà Rēpublicam iudicium, & iustitiam faciat, & curam adhibeat, vt leges inuiolatas seruet, & ideò Montanus de Cancellario loquens, ait. *Cum excelso iustitia Tribunali praesse*: Vltimò requiritur in Cancellario constātia, & fortitudo, cū bis tamquàm thorace indutū; & lorica Achillæa ante alios armatum esse oporteat; ità vt pro iustitia, & æquitate nihil non periculi suscipiat, nihil quod ad munus suum pertinere arbitrabitur timidè, & trepidè agat; sed animo libero id, quod æquū est, arbitrabitur, defendet, imitatus exemplū Thomæ Mori Angliæ Cancellarij, qui potiùs mori voluit, quàm Regis iniquissimæ sententiæ manum præstare: & ideò cauere debet, ne vllo humano affectu proprium iudicium peruerti patiatur, iuxtà illud, quod præfatus Morus dicere solebat, Nihil apud eum inter amicū, & inimicum interfuisse, quo minùs iustè, & fortitèr iudicaret. Alphonius Aragoniæ prudentissimus Rex dicebat, Si se nasci cōtigisset temporibus, quibus Romana Respublica florebat, se constructurum è Regione Curiæ templum Ioui Positorio, in quo priùs quàm venirent Patres in Senatum, iram, odium, &c. deponerent, ne humano affectu iudicium, seù consilium peruertatur.

TITV-

TITVLVS II.
De Regnis, & Regibus Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Reges iure gentium sunt instituti.*
2 *Tria sunt genera gubernandæ Reipublicæ.*
† *Monarchia est omnium optima.*
3 *Ex Regibus quidam coronandi sunt, &c.*
4 *Expedit Reipublicæ habere Regem per successionem.*
5 *Regnum Primogenito debetur.*
6 *Rex non potest primogenitum priuare Regno.*
7 *Primogenitus Clericus succedit in Regno.*
† *Secùs verò, si sit Monachus.*
8 *Succedit in Regno Patris filius natus, antequàm Pater Rex esset.*

1 REges, iure gentiũ, sunt instituti à Deo, qui erga humanũ genus vice sua funguntur. Vndè Plato in Prothagora ait. *Congregati homines sibi inuicem nocebant, se inuicem damnis, & iniurijs afficiebãt:* Necesse igitur fuit, vt congregati in officio vnius, Imperio cõtinerentur; & ideò constituta fuerunt Regna, Reges creati, vt essent alij alijs priores, & posteriores, qui præsiderent, & qui subessent, qui imperarent, & qui parerent, & ideò Regna, & Reges in generali sunt de iure gentium instituti; in speciali verò iure ciuili, & non naturali sunt instituti: singulæ enim Ciuitates, hos, vel illos Reges sibi elegerunt.

2 Tria Reipublicæ gubernandæ genera à scriptoribus tradita sunt; aut enim Rempublicam gubernat vnus; aut pauci, aut
† multi. Monarchia est optima Reipublicæ administrandæ ratio, & forma; ità S. Thomas *lib. 1. de regim. Principum cap. 1.* Ægidius Romanus *in tract. de regimine Principum lib. 3. cap. 3.*: Ratio, quia quo plures gubernãt, eo magis voluntate dissidẽt; tùm etiam, quo magis potestas vnitur, eò robustior, & fortior est; tùm etiam, quia Monarchiam ipsa natura dictat, & ostendit; quia in corpore animalis est vnum cerebrum, à quo omnes sensus reguntur; vnum cor, à quo omnis corporis motus pendet; vnum caput, à quo cætera membra diriguntur, sic in Mundo vnus Sol, qui præest diei; vna Luna, quæ præest nocti; vnum primum Cœlum, & vnus primus motus, à quo reliqui Cœli, & motus gubernantur.

3 Ex Regibus quidam coronandi sunt, & quidam non; illi autem, qui sunt coronandi, priùs sunt inungendi oleo, &c. & tale priuilegium habent ab antiquo. Rex Hierosolymitanus coronatur, & vngitur: Rex Francorum coronatur, & vngitur: Rex Anglię coronatur, & vngitur; omnes alij, nec coronantur, nec vnguntur.

4 Magis expedit Reipublicæ Regem successione suscipere, quàm suffragio quærere; nam in primis filij Regum sunt benè nati, benè educati, & instituti; deinde populo sunt magis grati, & chari, quàm externi: diliguntur tamquam alumni, & consortes. Ægidius Romanus *de regimine Principum lib. 3. par. 2. cap. 2.* *Tres,* inquit, *sunt potissimæ rationes, quibus probatur, melius esse, vt per successionem Regnum accipiatur: Prima sumitur ex ipso Rege, qui Regnum administrat, nam ex ipso, quod in Regno est filius successurus, ipsum Regnum administrat, & curat tamquam Regnum suum, ac proprium, vtpote in suis filijs, ac posteris duraturum: Secunda ratio, ducitur ex filio, qui in Regno succedit, nam filius imitatur mores Patris, & exemplo paternæ administrationis formam seruandam curat: Tertia ratio sumitur ex ipso populo, qui regitur: Consuetudo est altera natura, ergo Imperium, & Principatus vsu ipso, & consuetudine fiunt quasi naturales, & populus assuetus imperijs patrum filiorum, & nepotum, quasi naturaliter paret, quò autem magis voluntarium aliquid est, eò est facilius, iucundius, & gratius.*

5 Regnum, quod ratione sanguinis, ad filium defertur, Primogenito debetur; ità colligitur *ex cap. Licèt de voto, & voti redemptione,* & ex pluribus alijs iuribus, & historijs: si verò eodem partu gemini nati sint, ille succedit, qui primò fuit in lucem editus, vt contigit in Iacob, & Esau, *Genes. 25.* Quod si non apparet manifestè, quis eorum in lucẽ prior prodiderit, Io. Andreas *in addit. ad speculatorem lib. 4. cap. 31. de feudis,* ait, *Si pares sint consilio, prudentia, &c. Res poterit sorti committi, vel Pater poterit vnum alteri præferre, vt locus sit gratiæ: si verò pares non sint, prudentiori, & digniori dandum est Regnum:* Ratio autem, cur Primogenitus succedat, est, quia est cæteris honorabilior, & ætate maior, ac proindè prudentior, &c.

6 Rex non potest Primogenitum pro arbitrio suo Regno priuare; ità Innocent. *in cap. Licèt de voto, & voti redempt.* & alij; nec etiã potest Regnum suo nutu diuidere, dando vnam partem vni filiorum, & aliam alij, & multò minùs extraneo: Quod si Rex plura Regna habeat, de consensu filiorum poterit Regnum vni, & alterum alteri dare, quia tùnc Regnum non diuidit. Martinus Laudens. *de primogen.* Anton. Corset. *de potest. regia par. 2. quæst. 7.*

7 Si Primogenitus sit Clericus, etiam succedit in Regno, nisi adsit consuetudo contraria, vel obstet statutum aliquod particulare. Ità Martinus Laudens. *quæst. 3.* Albericus *in authent. Ingressi de sacrosanctis Ecclesijs*
† *num. 6.* Quod si Primogenitus factus fuerit Monachus, in Regno nõ succedit, nec Regnum ad Monasterium transit, sed ad natu secundum; vel si frater nullus extet, ad alium sanguine propinquiorem; ità Baldus *in l. Deo nobis §. hoc etiam Cod. de Episcopis, & Clericis,* & Gloss. *in cap. Scripsit nobis Theotheus 27. quæst. 2.* ait, *Eò ipso, quod quis efficitur Monachus, desinit esse Rex, Imperator, &c.*

8 Licèt sit communis opinio Iurisconsultorum, vt refert Antonius Corset. *de potestate regia,* quòd filius natus, antequam Pater Rex esset, non possit dici filius Regis, nec possit in Regno succedere, tamquàm natu maximus, tamen dicendum est, ipsum succedere in Regno Patris: Ratio, quia filius, ratione sanguinis, succedit in Regno, & filij ante, & post dignitatem Regiam nati, eiusdem sanguinis, & generis sunt, & eiusdem Patris filij; ergò maximus natu,

quam-

quamuis ante Regnum genitus, iure succedit, præcipuè verò si Regnum deferatur Primogenito iure sanguinis, & non iure hæreditario.

9 In spiritualibus Reges sunt subiecti Sūmo Pontifici, quia eius oues sunt; Reges verò, & Principes, qui in temporalibus nullum Superiorem agnoscunt, non sunt subiecti in temporalibus Summo Pōtifici: Ratio, quia ipsi in temporalibus habent supremam auctoritatem, & nullum in iurisdictione temporali agnoscunt Superiorem, & Regnum habent à Deo, & non à Romano Pontifice, iuxtà illud *Per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Requisita in Principe.*
2 *Regia potestas est immediatè à Republica, & mediatè à Deo.*
† *Suprema ciuilis potestas deriuat à naturali potestate.*

1 Oportet Principem pluribus virtutibus ornatum esse: Primò, requiritur in eo pietas, & religio, nempè vt benè de Deo sentiat, & vt rectum cultum ei exhibeat: Secundò, requiritur clementia, & lenitas, humanitas, mansuetudo. Vndè Antoninus Imperator dicebat, *Nihil est, quod Imperatorem Romanum magis commendet gentibus, quàm clementia:* Tertia virtus Regum est liberalitas, de qua dixit Polybius, *Principis est, benefaciendo vniuersis, liberalitate, & clementia sponte subiectos gubernare.* Alexander Magnus interrogatus, quis optimus Principum esset? *Qui,* inquit, *amicos donis retinet, & inimicos beneficijs amicos facit:* Quarta virtus Principū est iustitia; iustitia namq; est Principatus arx; & ideò Regum, & Principum officium est proprium, facere iudicium, & iustitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium: quod noscens Beatus Amedeus Dux Sabaudiæ, Regijs, ac Serenissimis Successoribus hoc memoriale reliquit. *Facite iustitiam, & iudicium; diligite pauperes, & Dominus dabit pacem in finibus vestris:* Quinta virtus in Principe requisita est fortitudo, quæ quidem apparet maximè in rebus aduersis, & periculosis; *Magni enim, & fortis animi est,* ait Cicero *in libro de officijs, Nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod omninè accidere potest, intolerandum putare:* Sexta virtus, quæ in Regibus elucere debet, est prudentia. Illud in more positum, vt ad Reipublicæ administrationem, ad res bellicas, & ad alia grauia negotia, in quibus ciuium salus, & communis vtilitas continetur, qui aut prudentes essent, aut prudentiæ opinionem haberent, deligerētur. Duo sunt, quæ ab egregijs Principibus expetuntur, sanctitas domi; in armis fortitudo, & vbique prudentia: Septima virtus Regum, & Principum est scientia, quia cum Regum, Ducum, ac Principum sit, populos sibi subiectos ad obseruantiā legum inducere in via, iustitia regere, ab excessibus cohibere, in virtutibus, in pacifico statu conseruare, de omnibus rectè iudicare, atque ad optatum finem perducere, clarè constat, sapientiam esse illis necessariam: Octaua Regis virtus est magnificentia, cuius est impensis, & sumptibus non parcere, Regum est magnifica Templa extruere, Cœnobia ædificare, Academias publicas erigere, Dei ministros sustentare, pauperum inopiam subleuare, captiuos redimere, viduas, & orphanos alere, Hospitales, domos communes, pietatis ergò, construere, &c. Nona Regum virtus est magnanimitas, cuius proprium est magna, & excelsa virtutum opera præstare: Decima virtus Principum, & Regum est, facere eum consilio sapientum, quæ faciunt.

2 Regia potestas est immediatè à Republica, & mediatè à Deo per potestatem, quā Reipublicæ concessit, vt sibi deligeret ciuilem potestatem, prout vellet, & expedire iudicaret. Quare descendit à lumine naturali: est tamen simpliciter de iure humano Reipublicæ, pro arbitratu, sibi deligentis, nō solùm personam, aut personas, quibus tribuat potestatem, sed etiam modum, quantitatem, ac durationem talis potestatis. † sicuti enim leges Summi Pontificis deriuant à potestate, quam Iure Diuino habet ad eas condendas, sunt tamen simpliciter de iure humano; ità etiam suprema ciuilis potestas, quam pro arbitratu sibi Respublica eligit, deriuat à naturali potestate, quam ad illud constituendum habet, est tamen de iure humano.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Reges, &c. habent supremam auctoritatem in suis Regnis.*
2 *In rebus spiritualibus nullam habent auctoritatem.*
3 *Absque concessione Papæ non est capax rerum spiritualium.*
4 *Princeps Christianus non potest fauere infidelibus.*
5 *Princeps statuendo pretium iustum, obligat etiam Clericos.*
6 *Quando possit frumentum Clericorum accipere.*
7 *Super bona Ecclesiasticorum non potest tributum imponere.*
† *Nec item super bona patrimonialia Clericorum.*
8 *Non potest grauare collectis colonos Ecclesiasticorum.*

1 Reges, & Principes in suis Principatibus supremam auctoritatē habent, sicut Imperator à suo Imperio. Azor *par. 2. lib. 11. cap. 5.* quam habent à Republica, seù Popolo; & ideò pro suo Regno possunt ferre leges obligantes subditos, ad quas tamen ipse non obligatur vi coactiua, sed solùm vi directiua, quæ fundatur in iure naturæ: nec eadem ratione tenetur seruare leges à suis antecessoribus latas, nec etiam statuta Regnorum, ac Prouinciarum, &c.

2 Reges, & Principes, &c. in rebus spiritualibus

libus nullam habet auctoritatem directè, & indirectè; & ideò non possunt ferre legē circà matrimonium, quia est Sacramentū, nec circà accessoria de substantia principalis: circà verò accidētalia, potest, vt circà dotem, &c.; ità Riccius *par.3.decis.*178. & alij; nec etiam potest condere legem circà ea, quæ pertinent ad exequias respicientes cultum Diuinum, aut animarum salutem, &c.; circà ea, quæ respiciunt abusum, & non cultum Diuinum, potest. Reginaldus *tom. 1. lib. 9. cap.*23.*num.*360. Naldus *in summa verbo Statutum*, & alij; nec etiam potest facere legem, ne quis alloquatur Monialem, quia aduersatur libertati Ecclesiæ; nec potest promulgare legem ab alio factam, quę res Ecclesiasticas tangat; ità Bonacin. *de censuris disp.*1.*quæst.*16.*sect.*5.*punct.*1.*num.*7.: Item Princeps non potest auctoritatiuè litteras Apostolicas à Legato, vel Nuncio exigere, vt illas cognoscat, vel illarum executionem impediat; potest tamen illas petere, vt sciat, an verus Legatus sit.

3 Licèt Princeps, ex concessione Papæ, sit capax rerum spiritualium, &c., vt docet Gloss. *in cap. Decernimus*, non potest tamen absque concessione Papæ ferre legem circà spiritualia, aut quæ directè, aut indirectè obliget, aut aggrauet Ecclesiasticos: & Ideò non potest punire Clericum delinquentem, ratione officij ab ipsomet Principe concesso; ità Bonacina *de legib. disput.* 10.*quæst.*2.*punct.*1.§.1.*num.*24. Ambrosin. *de immunitate Ecclesiastica cap* 20. *num.* 54. Duardus *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 15. *quæst.* 21. *num.*173. & alij. Nec potest permittere in suo Principatu liberam Religionem, quia concedere talem licentiam, est nutrire dissentiones, &c.: Potest tamen in aliqua Ciuitate non admittere in Episcopum personam sibi suspectam, de qua non possit cōfidere. Gloss. 1.*in cap. Nullus* 61.*dist.* Innocent. *in cap. Super ijs num.* 8. & alij; quod tamen de facto Princeps facere nequit absque licentia Papæ. Belletus *disquisit. Cleric. de discipl. Clericali cap.* 1.§.15.*cap.*25.

4 Princeps Christianus non potest fauorem præstare infidelibus contrà Principē Christianum: Ratio, quia infideles non habent, vt plurimùm, iustum titulum bellum gerendi contrà Principem Christianum, nullo autem iure licitum est cooperari actioni iniustæ.

5 Princeps statuens pretium iustum, obligat etiam Clericos ad illud seruandum: Ratio, quia Clerici vi directiua tenentur leges ob bonum commune ordinatas, & non repugnantes libertati Ecclesiæ. Nauar. *in man. cap.*23.*num.*88. Valentia *tom.*4.*disp.* 9.*quæst.*7.*punct.*4. Azor. *par.*1.*lib.*5.*cap.*12.& alij, & contra-facientes peccant contrà iustitiam.

6 Princeps, quando adest necessitas, & nō adest recursus ad Superiorem Ecclesiasticum, & periculum est in mora, potest frumentum Clericorum ab eorum areis extrahere, & vendere, non vi iurisdictionis, sed ob instans periculum de facto iuris.

7 Princeps nō potest imponere tributum, &c. super bona Ecclesiasticorum: Ratio, quia huiusmodi bona, vt dictum fuit, sunt immunia, nec super bona patrimonialia Clericorum, quia gaudent priuilegio bonorum Ecclesiasticorum. Super bona Clericorum, qui fraude assumpserūt habitum Clericalem, idest non animo perseuerandi, si constet de fraude, potest imponere tributum, &c., secùs verò si accepissent habitum animo perseuerandi, & postea mutata voluntate, ipsum dimisissent, pro eo tempore non tenentur soluere tributū, &c., quia re vera, erant Clerici, & ideò gaudebant quolibet priuilegio Clericali.

8 Princeps non potest grauare Colonos Ecclesiasticorum, collectis, &c., vt fuit dictum suprà: Ratio, quià cùm Colonus non sit Dominus, nec possessor prædij grauari non potest. Nata *consil.* 419., & si grauaretur, esset contrà bonum Ecclesiæ: Pro parte colonica separata à solo potest, grauari, quia fructus separati à solo non sunt ampliùs sub dominio Ecclesiæ, quia spectant ad colonum: Item nō potest grauare Emphyteutam Ecclesiæ pro dominio directo, sed pro dominio vtili, modo, quo fuit dictum, &c.

TITVLVS III.

De Ducibus Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Dux varijs modis dicitur.*
2 *Longobardi sunt primi, qui introduxerunt dignitatem Ducum, &c.*
3 *Carolus Magnus, deuictis Longobardis, eorum Ducatus Patritijs concessit.*
4 *Inter Duces, quidam superiores agnoscunt, quidam non.*
5 *Duces creare, spectat ad Imperatorem, &c.*
† *Quidam Duces suffragio, & electione constituuntur.*

1 DVx varijs modis appellatur. Antiquitùs Dux dicebatur, qui summum in militia imperium obtinebat. Item Dux appellabatur, cui pars imperij ab altero Superiore mandata erat: Sic à Cæsare appellabātur, qui Legati ipsius erant, & Imperatore absente, summam potestatem habebant: Aliquando Duces dicebātur, qui Summum Imperium obtinebant: Comites verò ij, cui pars imperij mandata erat. Posteà verò Duces dicti sunt, quibus Populus, aut Rex regionis alicuius administrandæ potestatem dedit. Caroli Magni tempore, Duces dicebantur, quibus duodecim Comites suberant sub eius dominio. Item Duces appellantur Regionis, aut Prouinciæ Præfecti, siuè Præsides electi; ità Gregor. Turonens. *lib.* 9. *cap.* 7. cum Ducatum Vrbium Turonēs. atque Pictauij administrauit: At verò ab Imperatoribus Romanis, presertim à Carolo Magno, & posteris, qui deindè sunt consecuti Ducatus nomine: Dignitas Regalis est, quæ à Rege, siuè Imperatore conceditur.

2 Lon-

1 Longobardi fuerunt primi, qui Ducum dignitatem, & titulum in Italiam introduxerunt. Vnde postea in ipso Romano Imperio remansit, & inde ad alia Christianorũ Regna emanauit. Italiã Longobardi aduersus Narsetē inuaserant: In qua Ducatus quatuor insignes, & primarios cõstituerunt, nimirùm Ducatum Foroliuiensem, Ducatum Spoletanum, Ducatum Beneuentanum, & Ducatum Taurinensem: Fuerunt deinde alij Ducatus constituti.

3 Carolus Magnus, deuictis Longobardis, eorum Regnum in Italia sibi vendicauit, & Ducatus à Longobardis in Italia constitutos patritijs viris concessit, & cùm Longobardi anteà Ducatus darent ad vitam eorum, quibus dabant non perpetuò ad eorum posteros transituros, nullum in eis Ius Filijs, & Nepotibus conueniebat. Carolus Magnus cœpit dignitatem concedere eo iure, vt transiret in posteros: ità tamen, vt Duces iure-iurando se Imperatori obligarent; & hinc nati sunt feudorum vsus; quòd Institutum perseuerauit etiam temporibus aliorum Imperatorum. Vnde temporibus Caroli Magni, & aliorum Imperatorum, & Regum, creati sunt multi Duces per Italiã, Galliam, & Germaniam, & ideò origo Ducatuum est antiquissima.

4 Inter Duces sunt quidam, qui in ciuilibus, & temporalibus supremam habent potestatem, & iurisdictionem instar Regum, & hi Regibus subiecti non sunt. Alij sunt, qui in Ciuilibus, &c. non habent supremam auctoritatem, & iurisdictionem: & hi Regibus subiecti sunt: tales sunt multi Duces in Gallia, Hispania, &c.

5 Duces creare, est Imperatorum, Regum, & Romanorum Pontificum, præsertim in locis, & Prouincijs Romanæ Ecclesiæ temporali potestati subiectis. At verò quidam Duces sunt, qui electione, & suffragio constituuntur, vt Dux Venetus, Dux Genuensis: hi verò Duces suprema auctoritate carent, quia ea est penès Rempublicam, siuè Senatum. Habent tamen prærogatiuam honoris in omnibus.

TITVLVS IV.
De Marchionibus Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Marchio vnde dicatur.*
2 *Marchio regulariter præcedit Comites.*

1 MArchio dicitur à Marcha, & Marcha limitem significat, & Marchio est ille, qui limiti certo Regni cum imperio præest: Verùm factum est, vt Marchiones dicantur, qui vni Ciuitati, vel Oppido præsunt.

2 Regulariter Marchio præcedit Comitem: Primò enim ponitur Dux, deindè Marchio, & tertiò Comes; At in Germania, & Gallia Comites Marchionibus præferuntur, præcipuè verò quando Comites Galliæ sunt de sanguine Regio, aut sunt Pares Franciæ; cùm sanguis Regalis semper omnibus præferatur: In Italia verò Marchio præcedit Comitem: qui verò est Marchio, & Comes, præfertur ei, qui simplicitèr est Marchio, quia duo vincula arctiùs ligant, quàm vnum.

TITVLVS V.
De Comitibus Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Comites, qui dicebantur.*
2 *Comes Baroni præfertur.*
3 *Comites Sacrarum Largitionum, qui fint.*
† *Comites rerum priuatarum, &c. qui fint.*
4 *Comites creare, est Imperatoris, &c.*
5 *Sunt quidam Comites, qui dignitatem habent à Iure.*
6 *Dux, Marchio, Comes expulsus à Ducatu, &c. retinet dignitatem.*

1 COmites aliquando dicebantur, qui Imperatorē comitabantur in bello, vel Regem, &c. Fuere item Comites Sacrarũ Largitionum, & rerum priuatarum Comites, & Sacri Palatij, qui creantur à Principe ad legitimandum, & creandum Tabelliones; licèt non sint propriè Comites, cùm non habeant territorium: Tamen, quia habent voluntariam iurisdictionem, præferuntur alijs non habentibus Comitatum cum territorio. Comes verò propriè dicitur, qui habet specialem dignitatem ab Imperatore, Rege, vel Romano Pontifice. Vnde *cap. 1. tit. quis dicatur Dux, Marchio, Comes lib. 2. feud.* habetur. *Qui verò de aliquo Comitatu inuestitus est, dicitur Comes, & habet iurisdictionem cum administratione.*

2 Comes Baroni præfertur, & dicitur Regalem dignitatem habere, idest quam Reges, & Principes concedere solent. Rex habet sub se Duces decem; Dux decem Marchiones; Mãrchio habet sub se decem Comites; Comites decem Barones; Baro decem Feudatarios; sed hæc modò in vsu non sunt, quia sunt Reges, qui sub se nullos Duces habent; & sunt Marchiones, quibus nulli Comites parent, nullisq; Comitibus præsunt, & sunt Comites, qui alios Comites in sua ditione, seù Comitatu habent.

3 Comites Sacrarum Largitionum dicebantur, qui Thesauris Sacris, idest Imperatoris, & augustalibus pecunijs præerant, qui quidem liberalitatis, & donorum curam gerebant, vt docet Cassiodor. *lib. 6. de Comitiua Sacrarum Largitionum*: Qui etiam dicebantur Comites Sacri Palatij. Comites rerum priuatarum erant Gubernatores priuatæ substantiæ Principibus, vt colligitur ex Cassiodoro *lib. 6. in formulis.* Comes Sacri Patrimonij is erat, qui patrimonium Principis curabat. Cassiod. *loco citato.* Comes Sacri Palatij præerat Palatio Imperatoris. Cassiodor. *ibidem.* Comes

mes Sacri Stabuli erat equorum Præfectus, & Rector; Comes Militum, qui Militibus præerat, & in partibus Orientum duo erant, vnus per Ægyptum, & alter per Isauriam. Comes Oreorum erat curator Pistrini Principis, &c. quorum omnium fit mentio in Cassiodoro *loco cit.*

4 Marchiones, Comites creare, est Imperatoris, Regum, Romanorum Pontificū: Ac proinde prædictæ dignitates Regales esse dicuntur, quia eas dare, Supremi Principis est. Potest etiam Imperator, & Romanus Pontifex, vel Dux in sua Ditione alicui concedere, nomen, & titulum Magni Ducis, vel Magni Marchionis, vel Comitis: ità tamen, vt fiat saluo, & integro iure cæterorum Ducum, Marchionum, & Comitum, quia Princeps non potest concedere priuilegium, quod iuri cæterorum noceat, & aliquando prædictæ dignitates conceduntur Iure Feudi, & aliquando non, vt sunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, qui Superiorem in ciuilibus non agnoscunt, nec Vrbem, Oppidum, Castrum ab vllo acceperunt.

5 Sunt etiam alij Comites, qui habent dignitatem Comitatus à iure, & non à Principe, vt est Doctor, qui legit viginti annos, secundùm Gloss. *in l. 1. C. de professor. qui in Vrbe Constantinopoli lib. 12. & in 1. consist. Cod.* Præcedere debet Milites, & Barones, cùm pari passu ambulent lex mortua, & lex viua; cùm ergò Comes sine territorio à lege viua, videlicèt à Principe creatus, præcedere debeat alios non Comites; sic etiam Comes à lege mortua creatus. Comes non recognoscens Superiorem, equiparatur Principi: si verò Superiorem recognoscat, comparatur Præsidi. Edicta recognoscentium Superiorem sunt Ius prætorium, & statuta: Si vero non recognoscant Superiorem, sunt Ius ciuile.

6 Dux, Marchio, Comes expulsus à Ducatu, Marchionatu, & Comitatu, retinet dignitatē, itaut sedere debeat in loco Ducum, Marchionum, Comitum; quoniam ex quo inuestiti fuerunt de Ducatu, &c. retinent dignitatem: ità Cassaneus 5. *p. consideratione* 49. & alij ab eo citati.

TITVLVS VI.
De militaribus Religionibus Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Milites Religiosi, qui dicantur.*
2 *Primus Ordo Militaris quis sit.*
3 *Ordo Militaris Sancti Ioannis Melitensis quo tempore fuit institutus.*
4 *Item Ordo Sanctæ Mariæ Theutonicorum.*
5 *Ordo Sancti Iacobi apud Hispanos.*
6 *Ordo Equitum Templariorum.*
7 *Ordo Militum Calatraue quo tempore, & à quo fuit institutus.*
8 *Item Ordo Militum Sanctæ Mariæ Mercedis.*
9 *Ordo Sanctæ Mariæ gloriosæ.*
10 *Ordo Militum Sancti Benedicti de Auis.*
11 *Ordo Militum Sancti Mauritij, &c.*
12 *Ordo Sancti Stephani, &c.*
13 *Ordo Militaris Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo.*
14 *Supradicti Ordines gaudent priuilegijs, &c.*

1 Milites Religiosi vocantur ij, qui tribus votis adstricti, ad militandum contrà Infideles sunt instituti, quales sunt Ordines Sancti Ioannis Baptistæ, Sancti Iacobi, Calatraue, Alcantare, &c. Inter quos tria hominum genera reperiuntur: Alij sunt viri nobiles, qui tamquàm Sacri Milites cum Infidelibus dimicant: Alij sunt Clerici, qui ad Diuina Ministeria obeunda recepti in ipsorum Ordinum domibus, in Choro cantant Diuinas Laudes, Missas dicunt, Confessiones audiūt: Alij sunt qui ad modum conuersorum, Religionum Monachalium, seu Mendicantium, tùm Clericis, tùm Militibus in obsequijs domesticis inseruiūt: Sunt quoque alij Ordines Militares, qui tantùm duo vota emittunt, Religionis videlicèt Obedientiæ, & Castitatis coniugalis, quales sunt Sancti Mauritij, & Stephani.

2 Primus Ordo Militaris institutus, est Sancti Lazari de *Anno* 361. confirmatus ab Honorio III. *Anno* 1120. & Gregorio IX. qui illis tradidit Regulam Sancti Augustini seruandam: quod Institutum Alexander IV. Nicolaus III. Clemens IV. Ioannes XXII. Gregorius X. ditarunt multis priuilegijs, & possessionibus. In Gallia Pontificatu Pij IV. hæc Militia planè extincta fuerat: Illam tamen in pristinum splendorem reducere conatus est *Anno* 1565. Eius Magistrum creauit Ianolum Castillionæum Mediolanensem, cōfirmatis antecessorum priuilegijs: Mortuo Castillionæo, vnitus est Ordo Sancti Lazari Ordini Sancti Mauritij Thebeæ Legionis Ducis, ex præscripto Gregorij XIII.

3 Ordo Militaris Sancti Ioannis Melitensis institutus fuit sub Regula Sancti Augustini *Anno* 1099. & confirmatus fuit *Anno* 1120. à Calyxto II. & Honorio II. qui à Pontificibus, pluribus priuilegijs decoratus fuit: Antiquitùs dicebātur Rhodienses, quia principalior locus eorum Religionis erat Insula Rhodiensis à Turcis vi armorum erepta, quam per *Annos* 214. retinuerunt; nimirùm vsque ad *Annum* 1522. 25. *Decembris*: qua die post obsidionem multorum mensium, eā iterum Turcæ recuperauerunt. Deinde quia Insulam Melitensem dono acceperunt à Carolo V. idcircò Melitenses sunt dicti: Ferunt habitum nigrum, cum Cruce alba in pectore, sunt verè Religiosi, quia emittunt tria vota essentialia Religionis: & ità Rodriq. *tom. 1. quæst. regular. quæst. 1. art. 6.* Suarez *tom. 4. de religione tract. 9 lib. 1. cap. 4. num* 5. & alij.

4 Ordo Sanctę Marię Theutonicorum sic dictus, eo quod sub patrocinio Beatissimæ Virg. Marię à Theutonicis, & pro natione Theutonica, fuit institutus *Anno* 1119. sub Pontifice Calyxto II. Eius officium erat excipere Peregrinos, & pro Christiana Fide certare. Teguntur pallio albo cum nigra

nigra Cruce subtur, & tunica nigra. Ex statuto, nullus, nisi Theutonicus in illius Militia esse potest, & clarus parentibus: sunt valdè diuites in Germania.

5 Ordo Sancti Iacobi apud Hispanos Institutus sub Regula Sancti Augustini, & ab Alexandro III. fuit approbatus. Sunt vestiti veste candida, cum Cruce rubra in formam gladij effigiata. Est etiam alius Ordo S. Iacobi apud Lusitanos, qui eandem Regulam habet, & eundem habitum, licèt in Cruce sit aliqua differentia.

6 Ordo Equitum Templariorum cœpit *Anno Domini* 1117. sub Pontifice Gelasio II. Hierosolymis: & quia habitabant in parte Templi; ideircò Templarij dicebantur. Hi primùm deuotionis gratia non longè à Sepulcro Domini habitantes, Christianos peregrinos hospitio cum charitate suscipiebant, atque eos per sacra loca armati ducebant, & comitabantur: vtebantur mantellis albis cum Cruce rubea; Durauit hæc Religio fere 200. Annos, & maximas facultates, & Oppida quamplurima vbique gentium possedit.

7 Ordo Militum Calatrauæ institutus fuit à Rege Sanctio, Anno 1160. nigrum amictū cum Cruce rubra portant: sub Ordine Cisterciensi profitentur, & etiam Milites Iesu Christi, quos vt refert Platina, Ioannes XX. sub Dionysio Rege 1325. instituit, vt ex officio, Saracenorum insultibus Beticam eo tempore tenentium resisterent: Crucem rubram affigunt pallio, cuius Ordinis est Gubernator Abbas Alcobatiæ, Congregationis Cisterciensis, qui habet auctoritatem coërcibendi, & exauthorandi Milites; & fruuntur gratijs, & priuilegijs Ordinis Cisterciensis.

8 Ordo Militum Sanctæ Mariæ Mercedis institutus fuit à Iacobo Primo Rege Aragoniæ, quibus captiuos redimere onus incumberent, sub Regula Sancti Augustini, Anno 1218. sub Pontifice Honorio III. Pallio vtuntur albo cum Cruce nigra. Item fundatus fuit ab eodem Iacobo Ordo Militum Montesiæ cum pallio albo, & Cruce rubra, & vtramque militiam confirmauit Gregorius IX.

9 Ordo Sanctæ Mariæ gloriosæ apud Italos institutus fuit à Fratre Bartholomæo Viticinio Veneto, Ordinis Prædicatorum, eius posteà Vrbis Episcopo, Anno 1233. Pontifice Gregorio IX. Vtuntur hi Milites tunica alba, & subcineritia toga: Crucem purpuream in campo albo duabus supra positis telis præferunt; vt Viduarum, & Pupillorum tutelam susciperent, vt paci, & concordiæ inter homines inseruirent; & per Italiam floret eius Institutum, & maximè Bononiæ, & Mutinę. Baronius *Annal. Eccles. tom. 13. Anno Domini* 1261. *num.* 12.

10 Ordo Militum Sancti Benedicti de Auis institutus fuit in Regno Lusitaniæ.

11 Ordo Militum Sancti Mauritij Ducis Legionis Thebæorum institutus fuit à Serenissimo Emanuele Philiberto Duce Sabaudiæ Anno 1572. cui à Gregorio XIII. Militia Sancti Lazari fuit vnita Anno 1572. In Bulla *Pro Commissa.* Vnde Milites vulgò dicuntur *Sanctorum Mauritij, & Lazari*: Vouent castitatem coniugalem, & obedientiam; ægrotos in suo Hospitali cum charitate suscipiunt: sunt verè Religiosi: ferunt vtriusque Ordinis tesseram, nimirū Crucem candidam Sancti Mauritij, & intrà Crucem viridem Sancti Lazari ad angulos: sunt sub regimine Ducis Sabaudię, qui est eorum perpetuus Magnus Magister, & administrator. Gregorius XIII. *in citata constit.* 7.

12 Ordo Sancti Stephani institutus fuit à Cosmo Medices, Magno Hetruriæ Duce, & fuit primus Magnus Magister, *Anno Domini* 1562. Eius Milites castitatem coniugalem vouent, vt constat ex Bulla Pij IV. Profitentur regulam Sancti Benedicti: sunt exempti ab Ordinariorum iurisdictione, & à solutione decimarum, & aliorum onerum. Pius V. *constit.* 46. *incip. Hic, qua Kal. Febr.* 1562.

13 Ordo Militaris Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo institutus fuit à Philiberto Nerestano Gallo, viro Militia insigni, sub Regula Sancti Augustini *Anno Christi* 1609. Pontifice Paulo V. regnante in Gallia Henrico IV. Incorporatus est huic Ordini Ordo Militaris Sancti Lazari per Gallias. Fuit primus Magister institutus dictus Nerestanus, qui eodem Anno, vt testatur Menerius *tit. de Equitibus Sanctæ Mariæ, &c.* in Monasterio sub Vrbano Sancti Lazari, Canonicorum Regularium Sancti Augustini, nonnullos Equites creauit, designata omnibus pro Tessera, Cruce violacea, Virginis Marię effigie insignita, ex collo pendente, pariterque Chlamydi affixa. isti Milites à nuptijs non arcentur.

14 Gaudent huiusmodi Militares Ordines varijs priuilegijs à Sede Apostolica concessis. Milites Sancti Ioannis ab Anastasio IV. Pio IV. &c. à visitatione Episcoporum exempti sunt: Et eorū Ecclesiæ, ex priuilegio Summorum Pontificum, prætterquam si sint curatæ, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij apud Armendarium *in addit. ad recopil. reg. Nauar. lib.* 1. *tit.* 6. *de visitatione, lib.* 5. §. 2. *nu.* 6. Milites Sācti Iacobi obtinuerunt, vt non obstante constitutione Pij V. qua illis sublatæ erant licentiæ, facultates ad testandum, nihilominus testari possint, ex vi prædictarum facultatum: declaratum etiam dicitur à Sacra Congregatione, non emittentes tria vota substantialia, non esse incapaces beneficiorum sæcularium, siuè simplicium, siuè curatorum, siuè pensionum. Garzias *in addit. ad suum tract. de beneficijs p.* 1. *cap.* 4. *num.* 22. Milites de Calatraua, & Alcantara fruuntur priuilegijs, & gratijs Ordini Cisterciensi concessis. Milites Sancti Benedicti de Auis fruuntur priuilegijs concessis, & concedendis Militibus Sancti Iacobi de Calatraua. Milites SS. Mauritij, & Lazari fruuntur priuilegijs concessis à Pio IV. in Bulla *Interesse duas*, Sancti Lazari nimirum, & Sancti Mauritij pri-

uilegijs, & gratijs concessis in Bulla *Pro Commissa* à Gregorio XIII. Milites Sancti Stephani decorati etiam sunt pluribus priuilegijs à Pio IV. Item Ordo Militaris Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo plura priuilegia obtinuit à Paulo V. quæ non fuerunt reuocata ab eodem in generali reuocatione facta, quia reuocatio fuit facta *Anno* 1606. & concessio 1607. Ordo Militaris Militiæ Christianæ sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatę, & Regula Sancti Francisci Institutus, plura etiam priuilegia concessa habet, videlicet exemptione à iurisdictione Ordinariorum, facultatem ad habendum pensiones certæ quantitatis pecuniæ, &c.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Milites, &c. subsunt Magno Magistro, &c.*
2 *Preceptoria Sancti Ioannis-Baptistæ dantur in titulum.*
3 *Item Preceptoria aliorum ordinum.*
4 *Milites Commendatarij sunt Domini bonorum, &c.*
5 *Milites Sancti Ioannis-Baptistæ sunt veri Religiosi.*
† *Milites aliorum Ordinum, &c. sunt Religiosi lato, &c.*
6 *Per ingressum Religionis Sancti Ioannis potest dissolui matrimonium ratum.*
7 *Milites, qui contrahunt matrimonium non comprehensi sub Decreto Concily, &c.*
8 *In Iure non veniunt nomine Regularium, nisi, qui tribus votis sunt adstricti.*
9 *Commendatarij faciunt fructus suos.*
10 *Milites Sancti Ioannis non possunt testari, &c.*

1 Milites Ordinum Militarium subsunt Magno Magistro Militię, & Religionis: Habent annexa beneficia simplicia Ecclesiastica, & ius exigendi annuos redditus ob Ministerium, & Officium, quod prestant, & dantur ad vitam ipsius Militis, quę beneficia vulgo dicuntur, Preceptorię, seu Commendę.

2 Preceptorię Religionis Hierosolymitana sunt verè tituli, & beneficia Ecclesiastica: & ità Puteus *decis* 391. Flaminius Paril. *de confiden. quæst.* 17. *num.* 3 Garzias *de beneficijs p.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. & alij. Nec obstat quod prędictę Preceptorię sint ad nutum amouibiles: nihilominùs aptitudine sunt perpetuæ, nisi eas obtinentes amoueantur; & de his iudicatur, vt de perpetuis; prout sunt de sui natura, cùm conferantur in titulum, & possint impetrari; & ideò declarauit Gregor. XIII. Preceptorias huiusmodi Militię, & Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani vacare per promotionem ad Episcopatum, vt in sua Cōstitutione 82. incipiēte *Cùm nostra*, sub Dat. 3. *Kalendas Maij* 1583. & earum resignationes esse publicandas, sicut aliorum beneficiorum. Flam. Paril. *de resignatione benefic. lib.* 11. *quæst.* 3. *num.* 106.

3 Et non solùm Preceptorię Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani sūt beneficia Ecclesiastica, sed etiam Preceptorię Ordinum Calatrauę, Alcantarę, Sancti Mauritij, & Lazari, &c. In quibus Milites non profitentur nisi castitatem coniugalem. Azor. *p.* 2 *lib.* 3 *cap.* 26. *quæst.* 9 Nauar. *de redditib. Eccles. quæst.* 1 Paril. *de resignatione benefic. p.* 1. *cap.* 4 *num.* 6 licèt plures teneāt opinionem contrariam, nimirùm tales Commendas non esse propriè beneficia Ecclesiastica, quia non dantur propter officium Ecclesiasticum, sed propter operam omninò temporalem, nimirum propter Militiam; sed hęc ratio mihi non probatur, quia cùm isti Milites sint verè Religiosi, Militaris Instituti, ob seruitium Ecclesię, sequitur illis Commendas dari ob seruitium Ecclesiasticum, nimirùm ob ministerium militandi aduersus hostes Christi, & Ecclesiæ.

4 Milites Commendatarij sunt Domini quorumcunque bonorum ante, & post professionem acquisitorum: ac proindè possunt de illis disponere, ac de proprijs bonis tàm patrimonialibus, quàm quocunque titulo acquisitis: ità Em. Rodriquez *quæst. regular. tom* 3. *quæst.* 29. *art.* 7. Molina *de iust. tom.* 1. *disp.* 141. Ratio, quia sicut non profitentur omnimodam castitatem: ità nec perfectam paupertatem, sed illam solùm, quæ hodie consueta est ab illis seruari, & per consequens possunt testari nō minùs quam sæculares, tàm de bonis patrimonialibus, quàm de redditibus Commendarum, ex priuilegio Innocētij VIII. & Clementis VII. Nec obstat, Pium V. reuocasse licentias ijs concessas ad testandum, quia talis Constitutio fuit solùm recepta quoad Milites Sancti Ioannis, non autem quoad alios: Tum etiam, quia Gregorius XIII. concessit licentiam testandi iuxtà pristinam eorum cōsuetudinem: ità Molina *de iustitia tom.* 3. *disput.* 604. Sanch. *in precepto Decalogi tom.* 2. *lib.* 7. *cap* 8. *num.* 30. & alij. Non gaudent tamen priuilegio Militum in testando; nisi actu sint in bello, seu in Castris contra hostes Fidei pugnātes: ità Hieronymus Rodriq. *in Compend. quæst. regul. resol.* 135. *num.* 8. alios citans. Vndè cùm huiusmodi Commenda sit res sacra, circà eam datur simonia; & ità Azor. *p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 6. *quæst.* 3. Nicolaus Garzias *cap.* 4. *num.* 7. Raphael à Turre *de relig. tom.* 2. *quæst.* 100. *art.* 4. *disp.* 3. Flam. Paril. *tractat. de confidentia quæst.* 11.

5 Milites Sancti Ioannis-Baptistę verè sūt Religiosi, quia habent omnia requisita ad cōstituendum aliquem Religiosum, emittunt tria vota essentialia Religioni, & viuunt in communi: de alijs verò Ordinibus Militarib. dubiū est, an sint verè, & proprij Religiosi. Ad quod respondeo, quod hoc nomen, Religiosus, dupliciter accipitur, strictè, & latè: strictè dicitur ille Religiosus, qui emittit tria vota substantialia Religioni, viuit in cōmuni, &c.: latè dicitur Religiosus, qui licèt emittat tria vota substantialia, non tamen ea emittit in toto rigore, sed cum aliqua relaxatione, & dispositione; Priori modo ex communi Doctorum sententia, Milites Sancti Ioannis-Bapistę sūt verè, & proprij Religiosi, ob-

ob rationem supra latam: Secundò modo Equites Alcantaræ, Calatrauæ, Sancti Mauritij, & Lazari, Sancti Stephani, sunt etiam Religiosi: Verùm, quia illa nō emittunt in toto rigore, sed cum aliqua relaxatione, & dispensatione, nimirùm castitatem coniugalem, & paupertatem secundùm dispensationem, & consuetudinem introductam; hinc est, quòd non sint Religiosi priori modo, sed posteriori, & eorum Militia dicitur Religio. Vndè si quis voueret Religionem, satisfaceret, ingrediendo Religionem Sancti Ioannis, non tamen satisfaceret ingrediendo aliam Religionem Militarem, in qua licitum sit contrahere matrimonium; ità Sotus *de iust. lib. 7. quæst. 5. art. 3.* Aragon *2. 2. quæst. 88. art. 11.* Fr. Em. *in summa p. 2. cap. 97. num. 8.* Azor. *lib. 13. cap. 3. quæst. 2.* & alij.

6 Propter eandem rationem matrimonium ratum potest dissolui, per ingressū in Religionem Militarem Sancti Ioannis Baptistæ, non autem per ingressum, & professionem alterius Religionis Militaris. Nauar. *cons. 3. de conuersione coniugat.* Henriq. *in sum. lib. 11. cap. 8. §. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 18. num. 8.* Hieronym. Rodriq. *in compendio quæst. regular. resol. 28. num. 13.* Barbosa *Iur. Eccles. lib. 3. cap. 7. num. 32.*

7 Milites Religiosi, qui contrahunt matrimonium, non comprehenduntur sub Decreto Concilij Tridentini *sess. 25. de regular. cap. 15. de non emittenda professione* ante decimumsextum ætatis Annum, neque ante expletū probationis Annum: ità Flam. Parif. *de resignatione benefic. lib. 6. quæst. 2. nu. 117.* Azo. *lib. 13. cap. 4. quæst. 2.* Sanchez *de matrim. disput. 44. num. 8.* & alij citati à Barbosa *loco citato num. 33.* Milites verò Hierosolymitani comprehenduntur sub tali Decreto, Flam. *quæst. 2. num. 110.* Azor. *cap. 4. quæst. 2.* Armendarius *in addit. ad Recopil. leg.* Nauar. *lib. 2. tit. 18.* Bartholom. de Vechijs *in praxi obseruanda in admittend. ad Religionis statum Nouitijs disp. 11. dub. 2. num. 40.*

8 In iure communi, nomine Regularium non veniunt nisi illi Milites, qui profitentur Regulam Instituti, & qui tribus votis sunt adstricti: Milites verò illi, qui solùm castitatem coniugalem profitentur; non veniunt nomine Regularium, licèt veniat latè nomine Religiosorum, cùm profiteantur Religionem, &c. Præcipuè verò in fauorabilibus, & ideò isti Milites in multis Constitutionibus Pontificum appellantur Religiosi.

9 Milites Commendatarij faciunt fructus suæ Commendæ suos, ac liberè eos in vsu licito impendere possunt, qua licèt paupertatem profiteantur, tamen Ordo illis concessit, vt annuos redditus ad vitā commendatam habeant, ex quibus fructus in suos vsus iure percipere possunt, & de ipsis disponere: Et quia Religiosi sūt, non impendunt eos fructus tamquam rerum suarum partus, sed tamquam fructus ex re aliena, videlicet ex bonis ipsius Ordinis iure perceptos, & suorum Superiorum consensu, & Papæ dispositione. Verùm si huiusmodi fructus impendant in vanos, & superfluos vsus in notabili quantitate, non modò peccant, sed etiam obligantur ad restitutionem: Ratio, quia non sunt stipendia Militaria, sed bona ipsorum ordinum Militarium, quæ commendantur Sacris Militibus, vt ea administrent, & in bonos vsus impendant.

10 Milites Sancti Ioannis Hierosolymitani non possunt testari de fructibus suæ Commendæ, eo quòd solenne paupertatis votum emiserint; cum licentia Romani Pontificis, possunt: At verò Milites, solùm vouentes castitatem coniugalem, quoniā matrimonio copulantur, & filios suscipiunt, priuilegio Summi Pontificis testari possunt.

TITVLVS VII.

De Militia, & alijs Militibus Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Status Militum fuit antiquissimus, &c.*
2 *Ad licitam militiam tria requiruntur.*
3 *Dubius de iustitia causa, an possit bellum mouere.*
4 *Satisfactio oblata ab hostibus, an debeat acceptari.*
5 *Bellum non potest esse iustum ex vtraque parte.*
6 *In bello ea licent, quæ ordinantur ad victoriam.*
7 *Innocentes, tempore belli, quando possint expoliari suis bonis.*
† *Non possunt tamen directè occidi.*
8 *Cuius sint capta in bello.*
9 *Vrbes possunt dari militibus in prædam.*
10 *Licitum est in bello captos redigere in seruitutem.*

1 Status militum antiquissimus fuit, laudabilis, & necessarius; sicut enim humanum corpus sine manibus, vt sit perfectum, constare nequit; ità Respublica sine militibus subsistere non potest, cùm per militiam mali coercëatur, boni verò sublenentur: & ideò Plato in libris, quos de Republica scripsit, cùm cæteros status in Ciuitate statuisset, vnum necessarium genus hominum longè cæteris antepofuit, qui arma tenerent, ciuesque, aliosque ab hostibus tutarentur, quibus mirifica priuilegia tribuit, cùm ad conseruationem Reipublicæ duo sint necessaria, nempè leges, & arma, & vnum ope alterius maximè egere; ideòq; licitum est militare, quia simpliciter militare, non est delictū, sed solùm propter prædā militare, est peccatum, vt *in cap. Militare 23. quæst. 1.* Dauid militiā exercuit; Moyses contra Pharaonem, & alij, de quibus in veteri lege. Vndè Augustinus *ad Bonifacium*, inquit, *Noli existimare, neminem placere posse, qui armis bellicis ministrat.* Vndè concurrentibus requisitis, militia est licita, vt *in cap. citato Militare*, & probatur etiam ex pluribus locis scripturæ, vt *Iudic 3.*, vbi Dei consilio Israelitæ instituuntur ad bella cum Cananæis, & pluribus alijs locis.

2 Ad licitam militiam, tria requiruntur: Primò, auctoritas Superioris indicentis bellum: Secundò, iusta causa, videlicet

propter iniuriam propulsandam, & pœnã inferendam: Tertiò, recta intentio, vt mali coerceantur, & boni subleuentur. Item tres sunt conditiones belli defensiui: Prima est, vt is, qui bellum infert, nolit desistere, etiam rogatus: Secũda, iusta causa suscipiendi tale bellum: Tertia, bona intentio: auctoritas Superioris non est necessaria in bello defensiuo.

3 Dubius de iustitia causæ, nõ potest bellum mouere ante diligentem inquisitionẽ, si de causa possessionis agatur, cùm in dubijs melior sit conditio possidentis, & ideò possidens rem, potest se tueri, vt se defendat.

4 Si post vnum, vel alterum conflictum hostes offerant idoneam satisfactionem, Syluest. *verbo Bellum 1. quæst. 12.* ait, quod Princeps tenetur eam acceptare, & non acceptando, tenetur ad restitutionem damnorum secutorum; quam sententiam plures amplectuntur. Caiet. *in summa verbo Bellum* ait, eum non peccare, nec teneri ad restitutionẽ, quia hostes post bellum inchoatum non sunt ampliùs in potestate satisfaciendi. Bellarmin. ait, quòd Princeps, qui non acceptat satisfactionem, siuè antè, si post bellum inchoatum, non peccat contrà Iustitiam, sed solùm contrà charitatem.

5 Ex natura rei, & per se loquẽdo, bellum non potest esse iustum ex vtraque parte: Ratio, quia actus contrarij circà idem nõ possunt ex se pertinere ad eamdem virtutem; Per accidens verò, & ob inuincibilem ignorantiam, potest bellum esse iustum ex vtraque parte, fieri enim potest, vt vna pars pugnet pro recuperanda re, quæ verè sit sua; & altera pro eadem retinenda, quã inuincibilitèr ignoret esse alienam; ità Azor *3. par. lib. 2. cap. 7. quæst. 10.* & alij, sed bona fide putet ad se pertinere.

6 In bello, omnia illa licuerint, quæ accõmodata sunt, aut ad rem ablatam recuperandam, vel compensationem faciendam, aut ad vindictam sumendam pro modo culpæ, aut ad pacem componendam, & stabiliendam, quia in actione iusta licitum est adhibere ea omnia media, quæ necessaria sunt, & apta ad finẽ consequendum: Vndè seclusis mendacijs, licitum est procurare victorias per insidias tàm in bello offensiuo, quàm defensiuo; licitum etiam vltrà compensationẽ iustam rerum, inferre damna hostibus ad vindicandam iniuriam illatam, & pro stabilienda pace in futurum. Em. Sà *verbo Verùm num. 15.* Syluest. *verbo Bellum 1. quæst. 8.* Azor. *loco cit. quæst. 14 & 15.*

7 Innocentes, tempore belli, possunt expoliari bonis suis, quando ex eis creduntur iuuandi, vel muniendi inimici: non tamen licet in bello directè, & per se occidere innocentem, iuxtà illud *Exodi cap. 23. Insontem, & iustum nõ occides.* Est tamẽ licitum indirectè ad mortem innocentis cooperari; ità Molina *4. tract. 3. disput. 10.* Petrus Nauar. *lib. 2. de restitutione cap. 3. num. 120.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 9.* & alij ab eo citati; & ideò Respublica, seù Princeps ad liberandam Ciuitatem ab obsidione, vel à periculo mortis, potest tradere innocentem occidenti eum, & ad mortem petenti: Item si obsidens aliquam Ciuitatem dicat, se nolle desistere ab obsidione, nisi illi tradatur talis puella ad ipsam stuprandam, Respublica, siuè Princeps non potest eam inuitam tradere, cùm adsit periculum animæ, licèt ob negationem adesset periculum euersionis illius Ciuitatis: Potest tamẽ ob bonum Ciuitatis, eã ex Vrbe expellere, & illam non tueri; cùm Ciuitas non obligetur cum tanto suo periculo eam defendere, vel tueri. Item licitum est in bello iusto bombardis subuertere Mœnia, vel Turrim, qua multi innocentes opprimuntur, quando talis euersio necessaria est ad victoriam. Item facere Cuniculos, eosque incendere, quamuis ex tali incensione multi innocentes moriantur.

8 Seclusa contraria consuetudine, mobilia ab hostibus capta, iure gentium, sunt militum capientium. *leg. si quid in bello ff. de captiuis.* Res verò sunt Principis indicent is bellum. Non possunt tamẽ emi vili pretio ea, quæ ab aduersarijs iniustè capta sunt, nam priores Dñi non amiserunt dominium per iniustam bonorum extractionem, & rapinam, etiamsi priores Domini nunquã essent recuperaturi talia bona, non enim ob id amittunt dominium rerum suarum: si autem verisimile sit, ea nunquam peruentura ad priores Dominos, vt ordinariè euenit, possumus illa emere, etiam vili pretio, animo, vt Domino comparenti eadem restituamus pro eodem pretio, sin minùs nobis eadem retineamus; sic enim vtilitèr gerimus negotium Dominorum, qui non censentur rationabilitèr inuiti; ità Molina *disp. 122.* Reginald. *lib. 22. cap. 8. sect. 4. num. 117.* & alij.

9 In bello iusto, quando victoria alitèr obtineri non potest, possunt dari Vrbes militibus in prædam, quia aliquãdo necessarium est milites excitare præmio: Item post partam victoriam, quandoque licitũ est eisdem pœnis afficere pugnantes iniustè, quibus poterant affici in ipso Conflictu, dummodò hoc conducat ad finem belli. Azor. *3. par. lib. 2. quæst. 13.* Victoria *de bello num. 44.* Item parta victoria, ad terrendas alias Ciuitates hostiles, & ad animandos milites ad noua bella, licitum est militi Ciuitatem diripiendam tradere. Molina *disp. 122.* Azor. *loco citato*, & alij. Cauendum est tamen tùnc à direptione Ecclesiarum, & occisione innocentium. Possunt etiam occidi obsides, quibus non est data fides de salute, si comperti fuerint nocentes; ità Em. Sà *verbo Bellum*, & alij: Si vero sint innocentes, non possunt occidi, etiamsi illi, qui eos miserunt, non stent promissis; ità Molina *loco citato*.

10 Licitum est in bello captos redigere in seruitutem: Ratio est, quia licitum est eos occidere; ergò multò magis redigere in seruitutem, quod mitiùs est. Innocentes, qui non sunt membra Reipublicæ non possunt

sunt capi, & in seruitutem redigi, nisi fortè per accidens, quando periculum est, nè coniungātur hostibus, vt ipsis subsidium præstent. Christiani verò, iure belli, etiam possunt fieri serui; more tamen recepto, non fiunt serui, sed retineri tātùm possunt, donèc pretio redimantur; ità ex Co: *regula peccatum §.11.num.6.*, & ex Azorio *quæst. 24.* Quòd verū est inter Christianos, nam inter infideles adhùc ius gentium contrariò vsu abrogatum non est: licitum tamen est ab illis fugere, vt in patriam redeant, & se constituant in libertate, non tamen est licitum fugere, vt intrà infidelium confinia vagentur, aut connumerentur. Co. *lib.1.var. cap.2.num.10.* & àlij.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Duplex est militia sæcularis.*
2 *Quæ requirantur in Duce exercitus.*
3 *Partes virtutis militaris, quæ sint.*
4 *Princeps, quem teneatur eligere in Ducem exercitus.*
† *In præferendo vnum alteri, quæ debeant respici.*
5 *Post Ducem exercitus sunt plures Officiales.*
† *Obedientia requiritur in bello.*
6 *Capitanei obligantur impedire milites, nè Ecclesias offendant, &c.*
7 *Capitanei non possunt ab incolis aliquid accipere suprà taxam, &c.*
8 *Capitanei, qui militibus mutuant pecunias, an possint aliquid accipere supr à sortem.*
9 *Duces, &c., quando bellum est iniustum, non possunt comburere segetes, &c.*
10 *Duces, &c., an possint pro delictis vulnerare milites.*
11 *Capitanei ad gradus societatis, an teneantur assumere dignίores.*
12 *Capitanei pugnantes in bello iniusto possunt retinere stipendium.*
13 *Capitanei possunt cogere suos milites diebus festiuis construere aggeres, &c.*

1 DVplex est militia sæcularis, equestris, & pedestris: Equestris est, in qua cum equitibus ad bellū vadūt; Pedestris, in qua cum peditibus ad bellū vadūt. *l. Ac caligato milite in gloss. Cod. de nuptijs.* Pedestres milites dicūtur ij, qui habēt caligas de corio. Inter milites equestres sunt multæ dignitates: quidā sūt in maiori dignitate, vt sūt Duces, & Principes militum, & isti sunt in primo gradu, & dicuntur Duces à ducendo, quia debent ordines instruere, tempora ostendere, & tramites, per quos sit eundum, &c. Vndè maximam scientiam de re militari debent habere; ità vt nihil de re militari habeant incognitum, & Cicero refert, in Duce exercitus quatuor inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, authoritatē, & fœlicitatem; & deindè addit, *Virtutes Ducum sunt labor in negotijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo, &c.* Vndè Duci omnes obedire tenentur, quæ obedientia consistit in reuerentiam exhibendo, in mandato suscipiendo, &c.

2 Scientia rei militaris consistit in cognitione itinerum, locorum, personarum, &c., & in cognitione omnium rerum ad vsum militarem pertinentium, & acquiritur per solertiam, vigilantiam, assiduitatem locorum, per doctrinam, & lectionem librorum de re militari, & per reliqua omnia ad rem militarem pertinentia: Præmittitur etiam in Duce scientia rei militaris ex ætate, tempore, natione, loco, præceptore, & experientia, &c.

3 Partes virtutis militaris sunt, sapientia in consulendo, consilium in prouidendo, industria in agendo, celeritas in exequēdo, astutia, siuè sagacitas in stratagemmatibus, solertia, & vigilantia cum assiduitate, & patientia laborum. In virtute rei militaris etiam continentur humanitas, modestia, clementia, suauitas, facilitas, temperantia cunctis in rebus, innocentia, fides, liberalitas, atque iustitia.

4 De iure non tenetur Princeps eligere in Ducem exercitus seniorem, ditiorem, nobiliorem, &c.; sed debet eligere eum, in quo sunt virtutes militares supradictæ, & eum qui diutiùs militauerit, & qui propter notitiam rei militaris tali dignitate

† censetur dignus. In præferendo vnum alteri, in actu militari, Primò, debet inspici fides: Secundò, scientia rei militaris: Tertiò, virtus, siuè præstantia: Quartò, authoritas: Quintò, fidelitas: Sextò, dignitas, & honor: Septimò, ætas, & tempus: Octauò, nobilitas, &c.

5 Post Ducem exercitus sunt plures Officiales, nimirùm, Locum-tenens, Mareschales, & post ipsos sunt Capitanei, qui aliquando præsunt centum, aliquando quinquanginta hominibus. Requiritur etiam in istis scientia, & peritia rei milita-

† ris: Item obedientia, vt scilicèt in ijs, quæ pertinent ad militarem disciplinam, obtemperent; siquidem summa militiæ laus est obedientiam exhibere: debent etiam inter se esse vnanimes, & concordes, & suscipere bellum iustum. Verùm possunt milites, cum à suo Principe conuocantur, militiæ nomen salua religione, & iustè dare, nisi certò de belli iniustitia constet, nec enim ad subditos milites spectat bellorum causas examinare, sed hoc Principum, & Consiliariorum munus est: Si verò milites Principum non subijciantur, Militiæ adscribi minimè possunt, si de belli iniustitia probabilitér dubitent.

6 Debent etiam Capitanei impedire suos milites, ne Ecclesijs afferant iniuriam; aliàs Dei vindictam experientur: Item debent eos impedire, nè iniustè afferant damnum proximo; nec tempore resignationis suorum militum debent, vt plura stipendia recipiant, repræsētare fictos milites, qui vulgò dicuntur *Passa-volanti*, nec debent contrà mentem Principis accipere pecuniam à Communitatibus, nè apud eos cum suis militibus diuersentur, sed milites aliò trāsferant. Verum si saltem consensus tacitus

† Principis adesset, id posset fieri: Item non possūt facere sibi assignare plures domos,

 & ab

& ab alijs, accepto stipendio, ad vnam tantùm diuertunt, quia faciunt contrà iustitiam.

7 Non possunt Capitanei militum regulariter aliquid accipere ab incolis suprà taxam: Posita iusta causa, possunt, vt v.g. si molestè gerant, & curent, ne incolę vexentur à militibus, &c.: Ratio, quia hæc sunt appretiabilia pecunia; quando autem taxa facta à Principe non est iusta, & sufficiens ad sustentationem ipsius, potest paciscendo, reducere ipsam ad æqualitatem; ità vt sufficiat ad sustentationem: Ratio, quia sic paciscendo, vtitur iure suo, & nemini facit iniuriam. Quando verò militibus non soluitur stipendium, & eorū opera necessaria est ad gubernationem Reipulica; tùnc possunt aliquid accipere, vt viuāt, etiam inuitis incolis: Ratio est, quia cùm seruiant Reipublicæ, & ab ipsa nullum accipiant stipendium, debent ex iustitia à particularibus Reipublicæ saltem ali, dummodò tamen vnus magis non grauetur, quàm alius.

8 Capitanei, qui militibus suis mutuant pecunias, non possunt præcisè, lucro cessante, &c vltra sortem pro dilatione aliquid accipere ab eis: Item Capitanei non possunt militibus absque iusta, & rationabili causa dare licentiam relinquendi castra, præsertim quando milites sunt valdè necessarij: Ratio, quia concedendo talem facultatem, possunt esse causa alicuius dāni Reipublicæ, vel Principi, & quando licentia est danda, causa ægritudinis, iustè, & maturè procedere debent.

9 Duces cum suis militibus, si bellum sit iniustum, non possunt comburere segetes, aut incidere arbores, alioquin incidentes tenētur ad restitutionem damnorum, quæ Domini passi sunt: Si verò bellum sit iustū, possunt comburere, & incidere, quando combustio, & incisio est necessaria ad victoriam, seù ad agendum bellum securè; quando verò talis combustio, & incisio nō est necessaria ad victoriam, si fiat, obligati sunt ad restitutionem damnorum.

10 Duces, seù Capitanei possunt pro delictis in acie commissis vulnerare suos milites: Ratio, quia delicta militum, tempore belli, subita punitione indigent, nec præposteram indigent emendationem: si verò delinquunt extrà aciem, si delicta sunt militaria, & hæc possunt non modò à Capitaneis, sed etiam ab alijs Officialibus militum puniri; Si verò non sunt militaria, vt sunt furta iam commissa, &c. debent à Ministris iustitiæ puniri; ità Crispoltus *in suis casibus militaribus*.

11 Capitaneus ad gradus societatis tenetur assumere digniores: iusta autem causa, potest assumere dignum, relicto digniore: Ratio, quia iusta causa, anteponendo dignum digniori, facit, vt non sit iniustitia in assumptione.

12 Capitanei militum pugnantes in bello iniusto possunt retinere stipēdium: Ratio, quia labores, & pericula, quæ passi fuerūt, sunt appretiabilia pecunia; tùm etiā quia nulla fit iniuria illi, qui dedit, accipiendo, & retinendo stipendium, cùm ipse obligetur illi ex contractu soluere, & sicut iustè dat, ita alter potest iustè retinere; ità Syluest. *verbo Restitutio 2. quæst. 2.* Bonacin. *de restit. disput. 1. quæst. 3. par. 3. propos. 1.*, & cum eo plures citati.

13 Possunt Capitanei cogere milites diebus festiuis construere aggeres; ità Sylueft. *verbo Dominica quæst. 5.* Nauar. *cap. 13. num. 6* Clauis-regia *lib. 7. cap. 2.* & alij: Ratio, quia Ecclesia non obligat, quando iudicio prudentis adest necessitas laborandi.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Conditio prima militis.*
2 *Milites debent seruare præceptum Christi* Lucæ 3. cap. 5.
† *Officiales militum possunt eos vulnerare.*
3 *Milites non debent accipere stipendium, si militare noluerint.*
† *Quando possunt à Castris discedere.*
4 *Milites non debent adscribi militia propter prædam.*
5 *Iniustè capta ab hostibus debent restituere.*
6 *Non possunt aliquid accipere supra taxam.*
7 *Accipientes aliquid in Ecclesia tenentur restituere.*
8 *Quando possit vti compensatione.*
9 *A militibus non possunt emi vuliori pretio, quæ ab hostibus iniustè capta sunt.*
10 *In milite requiritur obedientia.*
11 *Non debent se inuicem ad duellum prouocare.*
12 *In milite requiritur fortitudo corporis.*
13 *Vbi habeant domicilium.*

1 INdirectè plures conditiones requiruntur, vt rectè, & iustè militia exerceri possit: Prima est religio, scilicèt in militian di munere primò Dei honorem, & gloriam simùl, ac pacis bonum intendat: Secunda est iustitia, vt scilicèt bellū tātùm iustū suscipiatur. Verū miles subditus dubitans de iustitia belli, potest militare, si dubium sit speculatiuum; si verò dubium sit practicum, debet illud deponere, & putare suum Principem habere iustam causam pugnandi, cum ad ipsum non pertineat examinare causam belli, an sit iusta, aut iniusta, sed certo debet credere, Principem habere iustam causam ad pugnandum; & ità Gabriel *in 4. dist. 32.* Maior. *ibidem quæst. 20.* Siluius *2. 2. quæst. 40. art. 1.* & alij. Extranei dubitantes de iustitia belli, possunt dubium deponere, & iudicare, Principem habere iustam causam faciendi bellum, & deposito dubio, licitè potest, sicut & subditus, militare, & pugnare. Petrus Nauar. *de restitut. lib. 2. cap. 3. num. 273.* Suarez *de charitate disput. 13. sect. 6. num. 11.* Ad iustitiam pertinet, vt à rerum Ecclesiasticarum inuasione abstineant; ità vt nemini, quàm hostibus damnum inferant, &c.

2 Requiritur etiam in Militibus, vt seruēt illud præceptum, quod Christus dedit, quando eum Milites interroga bant, vt habetur Lucæ 3. *cap. 5 Quid faciemus, & nos? &c.* & ait illis, *Neminem concutiatis, & calum-*

niatis

niam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris; Et ideò Milites nemini debent damnum inferre, præcipuè verò innocentibus, vt Infantibus, Mulieribus, Clericis, Religiosis, &c. Imò nec etiam loca hostium deprędari possunt absque Ducis licentia.

3 Milites non debent accipere stipēdia, si militare noluerint, & ideò miles nullo modo potest castra relinquere sine debi a licētia Ducis, causa inuisendi parētes infirmos, aut alia causa: Ratio, quia bonum publicum præferendum est priuato, & consequentèr seruitus Reipublicæ anteponenda est obligationi parētum; & charitatis Ordo primò respicit Deum; Secundò Rempublicam: Tertiò Parentes: & ità Crispoltus *in suis casibus militaribus*, & Ferrettus *de re militari tit. de obedientia*. Itē nullo modo possunt milites Castra deserere, si eis stipendium non soluatur à Ducibus: Ratio deducitur ex iuramento, quo iurant seruire tempore belli; habent tamen ius petendi stipendium, cùm etiā quia in supplementum stipendij assignantur eis aliquæ rationes, nimirùm certa quantitas panis, vt possint sibi subuenire. Milites verò, qui à carceribus fugiunt, non possunt dici Castrorum desertores; Vndè qui fugiunt è carceribus, non sunt puniendi pœna, vt puniuntur Castrorum desertores: Item non possunt milites, qui à Ducibus pecuniam acceperunt, vt militiæ adscribantur, resilire, antequam adscribantur, sine Ducis licentia: ità Crispoltus *in suis casibus militaribus*: Ratio, quia contractus fuit perfectè completus, & consequentèr, qui accepit pecuniam, resilire non potest.

4 Milites non debent asseribi militię propter prædam, & ideò quando illis non soluitur stipendium, non est licitum vexare hospites, in quorum domibus manent, furando, & accipiendo eorum bona, vel ab ipsis extorquendo pecuniam: Ratio, quia eorum bona non remanent obligata militibus pro stipendio: ità Caiet. *verbo Bellum*. neque dissimulatio, vel auctoritas Principis excusat, nisi id fiat in pœnam: iustè infligendam nocentibus. Excipitur tamen ab ista Doctrina, si consuetudo loci obtineat, vt hospites militibus dent vtensilia, v.g. habitationem, ligna, &c. Secundò si adesit summa necessitas, itaut milites non possint viuere, nisi accipiendo alimenta necessaria, quia tūc pręsumitur tacitus consensus Principis, qui æquiualet impositioni tributi iusta causā; obligatur tamen Princeps ad damnum resarciendum, quantum moralitèr potest, si iniusta detentio stipendij eorum causa fuit; Si verò sine suā culpa secutum fuit, non obligatur.

5 Milites iniustè capta ab hostibus debent prioribus Dominis restituere: Ratio, quia Domini non amiserunt dominium, & res censetur clamare pro Domino: tùm etiā, quia accipiendo ea ab hostibus, acquirūt ius, quale hostes habebant possidendo; cùm autem ipsi nō habuerint verum dominium, sequitur, eos accipiendo, non acquirere dominium. Bona iniustè capta ab hostibus, & ità militibus recuperata, eis restituentibus, tenentur Domini non ex iustitia, sed ex quadam æquitate aliquid militibus dare: Ratio, quia milites se exposuerunt periculo in eo, in quo non obligantur ex iustitia: & ideò merentur aliquid accipere.

6 Non possunt Milites aliquid accipere supra taxam à Principe factam per hospitium, &c. & si aliquid accipiunt, tenentur restituere, quia illis voluntariè non datur simpliciter, sed secundùm quid: Item si aliquid accipiunt supra taxam, ad cuitandas molestias, quarum ipsi causa sunt, non possunt acceptum retinere, cùm culpa nemini patrocinetur.

7 Milites accipientes aliquid in Ecclesia, tenentur id restituere: & ità communiter Doctores: non priuantur tamen immunitate, si adulteria, &c. committant in Ecclesia, quia hic casus non exprimitur in Bulla; Si verò occidant, vel mutilent in Ecclesia priuantur immunitate.

8 Milites, qui extraordinaria seruitia faciunt, possunt sibi facere compensationem: Ratio, quia illa seruitia sunt pretio æstimabilia; non possunt tamen Milites in bonis rusticorum vti compensatione ob stipendium ordinarium non solutum, vel ob seruitia extraordinaria præstita, quia eorum bona non sunt pro Principe obligata, nisi huiusmodi compensatio concederetur militibus ob delictum Incolarum, eo, quòd eis talis pœna infligeretur. Similitèr nec Duces, nec Centuriones possunt sibi facere compensationē in stipendijs suorum militum, quia compensatio debet fieri in bonis debitoris.

9 A Militibus non possunt emi viliori pretio, quę ab hostibus iniustè capta sunt, quia priores Domini non amiserunt dominium: si autem verisimile esset, nunquam peruentura ad Dominos priores, vt ordinariè euenit, possunt illa emi vili pretio, animo, vt comparente Domino, illi res restituantur eodem pretio, sic enim vtilitèr geritur negotium Dominorum, qui non censentur rationabilitèr inuiti: ità Molina *tom. 1. disput. 116.* Reginal. *lib. 21. cap. 8. sect. 4. num. 117.* & alij.

10 Requiritur etiam in milite obedientia, vt scilicèt obediant suis Ducibus, & nihil faciant contrà Ducis præceptum, & inter milites inobedientia solet acritèr puniri: & ideò sine Ducis præcepto non possunt aggredi hostes, quia iussionibus Ducis Exercitus parendum est, & si quis contemnat, etiam si rem prosperè gesserit, capite puniendus est. *l. 3. §. in bello ff. de re militari.* Manlius Torquatus filium proprium occidere fecit ob violatam disciplinam militarem; Papyrius Dictator Fabium Rutilium Magistrum Equitum, quia aduersùs edictum eius quamprosperè pugnauerat, virgis iussit cædi, securi percussurus, cumque fugientem Romam secutus, pro cuius vita Senatus postcà rogatus

gatus fuit; & ideò Ioseph Hebræus *lib. 2. de bello Iudaico cap. 25.* scribit, duabus potissimùm rebus Romanos ad tantam peruenisse potentiam, obedientia, & armorum exercitatione.

11 Requiritur item in militibus ne se inuicem ad duellum, vel singulare certamen prouocent, & nè arguatur ignauiæ non potest acceptare bellum ab alio milite oblatum: Ratio, quia Lex Dei, & Ecclesiæ semper est anteponenda, & contrà ipsam nullo modo est operandum; & quòd arguatur ignauię, non est ratio ad ipsum acceptandum; & ideò patientia in militibus est antidotum vitæ, quam tempore obsidionis debent exercere: est tamen licitum secluso homicidio vesci carnibus humanis in obsidione alicuius ciuitatis, quamuis iure naturæ sit prohibitum; tamen in extrema necessitate cessat talis prohibitio. Potest etiam Officialis militum ab areis Clericorum triticum accipere, & vendere, non vi iurisdictionis, sed per ratihabitionem, & epichæiam, tenentes, in tali casu necessitatis, per ratihabitionem, &c. habere iurisdictionem: sicut etiam per epichæiam, quando non adest recursus ad Superiorem Ecclesiasticum, in casu extremę necessitatis, possũt extrahere frumẽtum, &c. accolatum ex Ecclesia.

12 Vltimò requiritur in milite fortitudo corporis, & animi, est enim fortitudo aggressio terribilium, vbi mors imminet, propter bonum commune saluandum; & ideò à militia repelluntur segnes, pigri, voluptatibus dediti, &c. Et ideò, qui se ascribit militiæ, debet habere decimumquartum annum completum, quia in hac ætate sunt habiles ad ferenda arma. Filiusfamilias potest, inuitis parentibus, militare, nisi parentes sint in extrema necessitate, itaut indigeant opera filiorum ad viuendum: Ratio, quia magis obligat præceptum succurrendi parentibus, quàm Patriæ; cum primum sit de iure naturæ; secundum, de iure gentiũ, & positiuo. Et licèt regularitèr vir, inuita vxore, non possit ire ad bellum, tamen quando adest mãdatum Principis, vel necessitatis Reipublicæ, tenetur ire: Ratio primæ partis est, quia non adest causa sufficiens separandi se ab onere: Ratio secundæ partis est, quia quisque tenetur obedire mandatis Principum, & ob Patriæ defensionem, exponere se periculo mortis, quando agitur de bono publico Reipublicæ.

13 Milites habent domicilium in ea Diœcesi, in qua perpetuò manent, aut in qua nati sunt, aut Parentes habent; vel in qua præsidij causa permanent: ità Sanchez *lib. 1. moralium cap. 37. & lib. 3. de matrimonio disp. 23. num. 12.* Siluestr. *verbo Domicilium*, & communitèr Doctores. Habent quasi domicilium in ea Diœcesi, in qua gerendi causa bellum, manent, vel præsidij causa; & ideò tenentur seruare leges illius loci, in quo habent domicilium, vel quasi: Ratio, quia censentur habitantes illius loci.

TITVLVS VIII.
De alijs statibus Ecclesiæ militantis.

SVMMARIVM.

1 *Status coniugatorum est à Deo.*
2 *Triplex finis matrimonij.*
3 *Requisita ad iustitiam matrimonij.*
4 *Non est peccatum accedere ad vxorem grauidam.*
5 *Maritus dubitans de validitate matrimonij, quid debeat facere.*
6 *Maritus factus impotens an possit petere.*
7 *Peccat occidendo vxorem in adulterio deprehensam.*
8 *Baptizans proprium filium an priuetur iure petẽdi.*
9 *Maritus, & vxor debent simul cohabitare.*
10 *Quibus alijs causis dissoluatur matrimonium.*
11 *Dissoluto matrimonio per adulterium, non potest vir alteram ducere.*
12 *Heresis, &c. est causa sufficiens diuortij.*
13 *Vir, & vxor debent se inuicem diligere.*
14 *Debent sibi inuicem compati.*
15 *Vxor quando teneatur dotare filias.*
† *Tenetur sequi virum mutantem domicilium.*
16 *Vxor quando possit contrahere nouum matrimonium.*
17 *Non licèt vxori potum sterilitatis accipere.*
† *Quam pœnam incurrat supponendo partum.*

1 PRimus status Ecclesiæ militantis est status coniugatorum, cuius Deus fuit institutor, cùm in Paradiso terrestri primos nostros Parentes hoc contractus vinculo coniunxit, & Christus Dominus illud inter Sacramenta connumerauit, & sua præsentia decorauit, cum nuptijs in Cana Galileæ interesse voluit.

2 Tribus de causis matrimonium fuit à Deo institutum: Prima ob prolis generationem: Secunda in concupiscentiæ remedium: Tertia ob mutuum obsequium viri, & vxoris: Quod matrimonium triplicem habet statum; quoddam matrimonium nuncupatur legitimum; quod legali institutione, vel iuxtà consuetudinem Prouinciæ contrahitur: Aliud est matrimonium ratum, quod sine solennitate, sed solo affectu contrahitur: Alterum est legitimum, & ratum, vt quando vxor à parentibus traditur, à Sacerdote benedicitur, & mutuo consensu perficitur.

3 Ad iustitiam matrimonij plura requiruntur: Primò, quòd Thorus purus, & immaculatus seruetur, & qui illũ violãt, Sacramentum offendunt, rumpunt fidem, fit iniuria proximo, & legem Dei violant, *cap. Omne 27. quæst. 2.* D. Thomas *2. 2. quæst. 15. art. 4.* Quod cum ità seruetur, & inuicem debitum coniugale debent persoluere, vt proles ad Dei honorem nascatur. Sancta res est matrimonium, & propterea sanctè, & qua decet modestia, tractandum est. Sunt tamen aliquæ causæ: quæ excusant à redditione debiti, de quibus alibi diximus.

4 Non est peccatum accedere ad vxorẽ grauidam, &c. Sanchez *lib. 5. disput. 21. nu. 2.* Nec maritus potest denegare debitũ vxori petenti, nè proles multiplicetur, quia fa-

faceret contrà iustitiam matrimonij priuando vxorem iure suo, dummodo tamen non adsit periculum abortus. Potest etiam maritus accedere ad vxorem, delectationis gratia, quia vtitur iure suo, cùm possit è corpore vxoris percipere quamlibet licitam delectationem. Pontius *de matrimonio lib. 1. cap. 21. num. 6. & 7.* Item potest vti matrimonio, causa valetudinis seruandæ, & vitandæ fornicationis, cùm non modò matrimonium sit institutum ad generationem filiorum, sed etiam in remedium concupiscentiæ.

5 Maritus, qui bona fide contraxit matrimonium, & posteà cœpit dubitare de eius validitate, non potest petere debitum, antequam vsus sit diligentia ad sciendam veritatē: Ratio, quia ageret contrà cōscientiam, propter dubitationem: Potest tamen reddere debitum vxori non dubitanti, & si postquam vsus est diligentia ad sciendam veritatem, adhuc remaneat dubius, potest reddere, & petere debitum: quia in isto casu melior est conditio possidentis. Si verò mala fide contraxit matrimonium, non potest petere debitum: Ratio, quia per matrimonium mala fide contractum non acquisiuit ius petendi debitum: potest tamen reddere vxori bona fide petenti, quia ob malam fidem alterius non priuatur iure suo: quòd si vterque mala fide contraxit, neuter potest reddere, vel petere. Coninc. *disput.* 34. & alij. Item maritus, qui opinatur adesse impedimentum, potest reddere debitum coniugi bona fide petenti. Guttier. &c. *cap.* 50. Sanch. *lib.* 5. *disput.* 44.

6 Maritus factus impotens ex infirmitate, itaut præ infirmitate non possit reddere debitum, non potest petere: Ratio, quia petitio debiti frustratur suo fine; Item maritus sanus non tenetur reddere debitum vxori laboranti morbo leproso, aut alio morbo contagioso, quando adest periculum infectionis: Ratio, quia redditio debiti non obligat cum tanto periculo. Durandus *in 4. dist. 32. quæst. 1.* Caiet. *in summa, verbo matrimonium cap. vlt.* & alij. Imò ab vxore laborante morbo contagioso, perpetuò vir potest se separare, cùm non teneatur cohabitare cum periculo infectionis.

7 Licèt maritus possit occidere vxorem in adulterio comprehensam, tamen peccat eam occidendo: Ratio, quia lex intendit solùm concedere, vt id impunè fiat propter iustum, nimiumque dolorem, quo lacessitus id efficit, non verò intendit facere maritum Ministrum Iustitiç ad eam pœnam infligendam, ante sententiā Iudicis: ità apud Molinam *disput. 7. num. 2. tract. 3. de iustitia.*

8 Maritus, qui in casu necessitatis baptizat proprium filium, non priuatur iure petendi debitum, cùm non contrahat cognationem cum vxore, & ideò non priuatur iure petendi: extrà verò casum necessitatis, baptizando filium, priuatur iure petendi debitum, quia contrahit cognationem spiritualem cum vxore. Item priuatur maritus iure petendi, qui cum ipsa contrahit affinitatem ex eo, quod habuit copulam cum cōsanguinea suæ vxoris in primo, vel secundo gradu: non contrahit tamen cognationem, si vltrà secundum gradum habet copulam: ità apud Sanchez *lib. 9. disp. 64. num.* 34. & alij.

9 Maritus, & vxor debent simul cohabitare, & indiuiduam vitæ consuetudinem retinere, nec se inuicem tàm quoad Thorum, quàm quoad habitationem, sine iusta causa seiungere: ità Toletus *in summa lib. 5. cap. 2.* Reginald. *lib. 31. cap. 40.* & alij. Potest tamen maritus separari ab vxore laborante morbo contagioso, quando ex cohabitatione probabiliter timet infectionem: ità Em. Sà *verb. Diuortium coniug.* Sanch. *lib. 9. disput. 24. num.* 29. Valentia *tom. 4. disput. 10. puncl. 3.* Item maritus potest separari ab vxore quoad Thorū, & habitationē, ob adulteriū coniugis: ità *cap. Significasti, cap. Gaudemus de diuort.* Requiritur tamen, quod adulteriū sit certū, & polita certitudine, propria auctoritate potest facere diuortiū, quia iure naturæ, frangenti fidem, fides seruanda non est. Diuortium tamen non potest fieri, quando vterque coniux commisit adulterium: Ratio, quia paria delicta mutua compensatione abolentur: Secundò, quādo vir dedit vxori causam adulterij: Tertiò, quando vxor commisit adulterium tantùm materialiter, credens illum, cum quo commisit adulterium, proprium virum: Quartò, quando vxor cognita fuit per violentiā: Ratio, quia in isto casu nulla adest culpa mulieris, cùm copula non fuerit voluntaria: Quintò, quando coniux innocens alteri condonauit adulterium: & tunc censetur condonasse, quando sciens ipsum, reddidit, aut petijt debitum: Ratio, quia per condonationem cessit iuri suo.

10 Præter adulterium, matrimonium etiā dissoluitur quoad Thorum, & habitationem, per eas omnes species luxuriæ, in quibus coniux diuidit carnem suam cum alio: Ratio, quia matrimoniū eò tendit, vt coniuges efficiantur vna caro, qui antē vnit cum alio, per copulam perfectam, suam carnem, illam diuidit cum alio ab vxore sua: & per consequens violat fidē, & iustitiam matrimonij; Et ideò alter nō tenetur fidem seruare cohabitando, & reddendo debitum: ità Filliuc. *tract. de Sacram. matrim. cap. 10. num. 367.* & alij. Per eas species luxuriæ, in quibus caro non diuiditur, non dissoluitur matrimonium, quia in illis nō violatur fides matrimonij.

11 Licèt vir innocens possit, etiam inuita adultera, transire ad Religionem, vt patet *ex cap. Agatosa 27 quæst. 2.* & cap. *Constitutus de conuers. coniugat.*, tamen non licet viro dimittenti vxorem propter adulteriū, viuente ipsa, aliam ducere: ità colligitur ex Math. *cap.* 19. & probatur ex pluribus locis citatis à Cou. *de matrim. 2. p. §. 6.* Ratio, quia per adulterium, matrimonium non dissoluitur quoad vinculum, licèt possint sepa-

separari quoad habitationem, & Thorum, vt communiter docent Doctores.

12 Hæresis, vel Apostasia à fide est causa sufficiens diuortij: ità colligitur *ex cap. fin. de conuers. coniugat*, cap. *Quanto de diuortio*, cap. *Non solum*, cap. *de Idolatria 28. quæst. 1.* Ob periculum peruersionis coniugis Catholici, vt dicitur in *cap. 2. de Diuortio*, non est necesse quòd periculum sit imminens, sed satis est: quòd sit sufficiens.

13 Coniuges debent se inuicem diligere viri, vt ait Apostolus *ad Ephes. 5.* tenentur diligere vxores, sicuti Christus dilexit Ecclesiam, & è contra vxores debent diligere suos viros, & illis esse subiectæ in rebus licitis. Et ideò maritus non debet proferre verba contumeliosa in vxorem, quia facit contrà præceptum charitatis; non debet ipsam percutere absque causa propter eandem rationem, nec debet ei denegare alimenta, quia non diceretur illius curam habere, etiamsi ipsam ducat absque mentione dotis, quia eam non petendo, censetur cessisse iuri suo, & personam ipsam vxoris accepisse pro dote. Molina *de iustit. & iur. disput. 425.* & alij.

14 Debent sibi inuicem compati, & alter alterius onera portare: Item tenentur ambo ad bonam educationem filiorum, & eos bonis moribus, & Christianis disciplinis, & virtutibus instruere, & corrigere, quando errant: Item vxor potest, viuente marito, facere eleemosynam secundùm suum statum: Ratio, quia vir tenetur præstare vxori non modò alimenta, sed etiam quæ spectant ad recreationem honestam, & eleemosynam.

15 Vxor non tenetur dotare filias, cùm hoc sit munus mariti: si vero maritus non habebat, tenetur ipsa dotem constituere. Molina *disput. 424.* Surd. *consil. 393.* & alij. Tenetur etiam sequi virum mutantem domicilium, dummodò non extet pactum in contrarium, *cap. Vnaquæque 13. qu. 2.*: Si verò extet causa rationabilis, non tenetur illum sequi, vt quando non potest illum sequi absque periculo animæ, &c.

16 Vxor non potest per absentiam viri cõtrahere matrimonium cum alio, nisi de morte illius habeat certitudinem moralē, quæ non habetur per absentiam multorũ annorum, sicuti non habetur etiam per solam famam, cùm oriatur ex auctore incerto, nisi fortè existant alia indicia, vt non remaneat locus dubitandi. Sanch. *lib. 2. de matrimon. disput. 46.* Sailcet *verbo Matrimonium 8. quæst. 13.* & alij. Potest cum alio contrahere, quando fama est, ingressum esse prælium, & non amplius comparuisse, & fama est, ipsum perijsse; aut quando per litteras eorum, qui prælio interfuerũt, acceptum est, ipsum esse mortuum. Henriq. *lib. 10. cap. 6.* & alij. Vnus testis non est sufficiens ad probandam mortem, nisi fortè adsint aliæ cõiecturæ, vel nisi vir sit mortuus in loco ità distanti, vt non facilè possint haberi aliæ probationes de morte mariti.

17 Non licet vxori potum sterilitatis accipere ex eo, quia filijs abundat, cùm nullo bono fine honestati possit; cùm, data opera, impediatur semen à suo naturali effectu; ità D. Thomas *in 4. dist. 31.* Caietan. *2. 2. quæst. 154 art. 1.* Tabiena *verbo Matrimonium*, & alij. Vxor, quæ partum supponit, committit crimen falsi, & potest accusari criminaliter ad pœnam *legis Corneliæ, de crimine falsi* à viro suo, & ab hæredibus viri, qui nõ sunt filij talis vxoris, & successuri essent ei viro in bonis illius, excluso eo, de quo contendunt esse partum suppositum; reliqui verò accusare non possunt eam mulierem de crimine falsi. Sunt etiam plures aliæ obligationes inter virum, & vxorem, de quibus alibi dictum fuit.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Virginitas multis modis sumitur.*
† *Sex sunt, quæ virgines cauere debent.*
2 *Duo remedia ad seruandam virginitatem.*
3. *Debent virgines euitare otium.*

1 Secundus status Ecclesiæ militantis est status Virginum, Virginitas multis modis sumitur: Primò, pro integritate carnis: Secundò, pro pudicitia mentis cum integritate carnis: Tertiò, pro pudicitia mẽtis cum integritate carnis in proposito, & actu voluntario. Sex autem sunt, quæ Virgines cauere debent: Primò, vt cùm virginitate non dominetur superbia, sed humilitas. Vndè Bernardus *Sine humilitate, audeo dicere, nec Mariæ virginitas Deo placuisset*: Secundò, euitare debent charitatis defectus; castitas sine charitate, lampas est sine oleo: Tertiò, euitare debent tepiditatem in Dei seruitio, quia in alba veste macula est turpior: Quarto, sint perseuerantes in bonis operibus. Vndè Bernardus, *Sterilis perseuerantia, quæ sola coronatur*: Quintò, maculam peccati timeant. Vndè Salomon, *Tamquam à facie colubri fuge peccatum*: Sextò, vt sæpè confiteantur peccata.

2 Duo remedia necessaria sunt ad seruandã virginitatē: Primum, vt fugiāt conuersationes humanas, quia conuersationibus relaxatur animus à custodia thesauri, & virgines semper debent esse pauidæ, nè Thesaurum castitatis amittant. Ideò timenda debēt semper cauere, & tuta etiam pertimescere, scientes se in vasibus fictilibus Thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse viuere Angelicè inter homines, & in terris more cœlestium conuersari, & in carne cœlibem vitam agere. Secundum, est orario, vt orationibus, ac sanctis operibus vacent; cum enim carnis impugnationes, vel ex Diaboli suggestione, vel ex cibi, & potus redundantia, vel ex aspectu, & conuersatione oriantur, contrà primum adhibenda est oratio, contrà secundum, ieiunium, contrà, tertium custodia oculorum, quoniam libido maximè aspectu concitatur, iuxtà illud Poetæ, *Si nescis, oculi sunt in amore Duces.*

3 Debent etiam Virgines euitare otium, perpetuum pudicitiæ aduersarium, nam cùm

cùm otium, & quies omnibus vitijs viam sternant, maximè eam sternũt venereæ libidini. Vndè Theophrastus ait, *Amorem animæ esse otiosum affectum.* Debẽt etiam sordidorum librorum lectionem vitare, quibus sæpenumero verborum lenocinio animus inficitur. Item debent vitare spectacula, quę impudicitias repræsentant, quæ ad libidinem inuitant.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Vidua qualis debeat esse.*
2 *Qualitas veræ viduæ.*
3 *Quid cauere debeat.*
4 *Viduæ cui relictum est legatum, conditione, si castè vixerit, an possit ipsum retinere, transeundo ad secundas nuptias.*
5 *Vidua, cui relictum est legatum, conditione, non transeundi ad nuptias, an possit ipsum retinere, si committat fornicationem.*

1 EX morte alterius coniugum, viduitatis oritur status; Vidua enim dicitur, cuius maritus ex humanis decessit, cui statui, cũ Dei mos sit nulli præstãtiùs opitulari, quã ei, quę agnoscit humanis esse destitutum prętidijs maximè fauet Deus: & ideò Principibus, &c., cunctisque hominibus pręcepit, vt viduarum causas tuerentur, & ne eas opprimerent, aut molestia aliqua afficerent. Et ideò Viduæ resignato corde viduitatẽ à Deo immissam debent accipere, & vacare debent castitati, sicut & Virgines, quia D. Paulus has solas viduas, quę sanctam vitam degunt, laude, & commendatione dignas esse asserit illis verbis *ad Timoth. 5. Viduas honorate, quæ verè viduæ sunt*; quia istæ Viduæ, quæ Deo seruiunt, & continẽtem vitam degunt, & à mundi voluptatibus, & delicijs abstinent, & à caducis rebus animum, & amorem abducunt, & totum in Deum conferunt ad instar Annæ Prophetissæ, & Iudith religiosè viuentes, & in Dei operibus assiduè, meritis, & orationibus Sanctam Ecclesiam adiuuant.

2 Ad hoc, vt aliqua matrona sit verè vidua, oportet, vt eius vita virtutibus sit redimita: Primò, quòd sit deuota: Secundò, vt in domo sit operosa, & familiam suam ex Diuinæ legis pręscriptione regat: Tertiò, vt resistendo peccato, sit victoriosa: Quartò, superfluum cultum corporis, & vanum ornatum respuere debet: Quintò, Viduas ab otio, & loquacitate cauere oportet: Sextò, si filios habent, eos debent Christianæ educationi insistere, & domui suæ benè præesse: Item pietatis, & misericordiæ operibus incumbere, & Christi pauperes eleemosynis, quatenùs per proprias facultates licet, fouere: Item frequenter confiteri, & Sacrosanctam Eucharistiam sumere.

3 Cauere maximè debet sensibilitèr delectari in præsenti de actu coniugij præterito, quia cùm actus coniugij per mortẽ mariti sit factus impossibilis, ità nec de præsenti potest de actu coniugij præterito delectationem percipere.

4 Vidua, cui relictum est legatum tali conditione, si castè vixerit, potest ipsum retinere, transeundo ad secundas nuptias; si conditio fuit apposita à consanguineis ipsius vxoris; ità Sanchez *lib. 7. de matrimonio disput. 71.*, & cum eo plures citat; quod etiã dicendum est, si relictum fuerit ab aliquo extraneo: Si verò legatum cum tali conditione relictum sit à viro, vel à filijs, non potest ipsum retinere, transeundo ad secundas nuptias; ità Sanchez *loco citato*: Ratio, quia illa conditio apponitur tãquàm causa finalis, cùm secundæ nuptiæ soleant primis viris, & filijs esse odiosæ.

5 Vidua, cui relictum est legatum, conditione non transeundi ad secũdas nuptias, ipsum non amittit per fornicationem. Sãchez *de matrimon. disput. 91. num. 41.* Nauar. *cap. 25. num. 3.* & alij: Ratio, quia legatum explicandum est iuxtà verborum significationẽ, verba autẽ non significant, legatum amitti per fornicationem, sed solùm per secundas nuptias.

Finis Tertij Libri.



DE HIERARCHIA ET IVRE ECCLESIÆ MILITANTIS LIBER QVARTVS.

PARS PRIMA.

De rebus Ecclesiæ militantis.

Libro præcedenti explicauimus ius personarum Ecclesiasticarum, &c. Nunc venio ad rerum Ecclesiasticarum explicationem, quæ vel sunt spirituales, vel temporales: Spirituales sunt, quæ spiritui inseruiunt, atque animæ causa sunt institutæ, vt Sacramenta Ecclesiæ, &c.: Temporales sunt, que non tàm spiritui, quàm corporis gratia pro Ecclesiasticis ministerijs, sacrorumque ministrorum vsu sunt comparatæ: vt sunt prædia, domus, &c., de quibus omnibus hoc libro tractabimus. Et primò de Sacramentis.

TITVLVS I. De Sacramentis in genere.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentum apud antiquos varijs modis sumitur.*
2 *Sacramentum est signum ex institutione Diuina.*
3 *Proprium est Sacramentorum significare rem sacram.*
4 *Sacramenta sunt septem.*
5 *In quo statu fuerunt necessariù Sacramenta.*
† *Differentia inter Sacramenta veteris, & nouæ legis.*
6 *Sacramenta nouæ legis non sunt absolutè necessaria.*
7 *Necessarium est duplex.*
8 *Necessarium ex suppositione, est etiam duplex.*

1 Sacramentum apud antiquos varijs modis sumitur, pro pignore, iuramento, &c. Apud Theologos sumitur pro signo rei sacræ. Vndè ad rationem Sacramenti tria requiruntur: Primò, vt sit signũ sensibile: Secundò, vt sacræ rei sit signum: Tertiò, vt aliquam sanctitatem conferat eo vtenti; & ideò prætermissis alijs definitionibus, sic definitur. Sacramentum est signum sacrum, non solùm significans, verùm etiam infallibilitèr efficiens rem sacram, sanctificans homines. Bonacin. *de sacram. punct. 1. propos. vnica num. 1.*

2 Sacramentum est signum ex institutione Diuina significans & rem sacram, & hominem sanctificans: & quia signa sunt in duplici differentia, quædam quæ habent similitudinem cum rebus, ad quas significandas instituuntur non quidem conuenientiæ, sed proportionabilitatis; Alia verò, quæ non habent hanc similitudinem, Sacramenta sunt signa priori modo.

3 Proprium est Sacramentorum significare rem sacram, quæ est gratia formalitèr sanctificans homines; ideircò dicitur in eius definitione, significans & efficiẽs rem sacram. Triplicitèr Sacramentum potest dici signum, scilicet rammemoratiuè, demonstratiuè, & prognosticè: est signũ rammemoratiuum passionis, demonstratiuum gratiæ, prognosticum gloriæ. Toletus *lib. 2. cap. 15. num. 3.* Saytus *de sacramentis lib. 1. cap. 2. num. 2.*

4 Sacramenta sunt septem, nec plura, nec pauciora, ex quibus quædam sunt necessaria, sine quibus salus obtineri nõ potest, vt Baptismus, omnibus generatis ex Adamo; Pœnitentia omnibus post Baptismum relapsis in peccatũ mortale. Cõfirmatio, Eucharistia, & Extrema-vnctio sunt solummodò necessaria ad benè esse. Ordo, & Matrimonium dicuntur Sacramenta voluntaria.

5 In

5 In statu innocentiæ non fuerunt Sacramenta; In statu verò naturæ fuit aliquod remedium institutum pro paruulis à Deo, quod fuit in aliquo actu externo, qui esset veluti exterior professio fidei. Ità Filliuc. *tract. 1. cap. 3. quæst.* 14. Valentia *tom. 4. disput. 3. quæst. 2. punct. 2.* & alij. Pro adultis verò fuit sacrificium in statu legis scriptæ. Fuerunt etiam aliqua Sacramenta, videlicèt Circumcisio, Sacrificium Agni Paschalis, & alia, quæ fuerunt propriè Sacramenta; licèt differant à Sacramentis nouæ legis: Primo, quia illa fuerunt difficiliora: Secundò, vmbræ nostrorum: Tertiò, non cōferebant gratiam ex opere operato: Quartò, non introducebant ad gloriam: Quintò, non faciebant de attrito contritum: Sextò, non habebant determinatam formam verborum.

6 Sacramenta nouæ legis non sunt absolutè, & simplicitèr necessaria ad salutem, quia virtus Diuina non est alligata Sacramētis; potuisset enim alia media ad nostrā salutem instituere, nosque sine Sacramentis ad Cœli gloriam euehere: ex quibus quædam sunt necessaria necessitate medij, vt Baptismus saltem in voto pro adultis, & pro paruulis re ipsa; Alia sunt necessaria necessitate præcepti; vt Eucharistia, Confirmatio, & Extrema-vnctio, Ordo, & Matrimonium, quę, vt dictum fuit, sunt Sacramenta voluntaria.

7 Necessarium duplicitèr dicitur: Primò, absolutè, & ex natura, idest quo prętermisso, salus non potest obtineri, neque per absolutam Dei potentiam: Secundo, ex suppositione, idest supposita Christi institutione, quod etiam duplex est: Primò, necessarium necessitate medij, quo prætermisso, salus non obtinetur iuxtà legem Dei ordinariam: Secundò, necessarium necessitate præcepti, quod oblata opportunitate præstandum est, nisi aliqua rationabilis causa excuset.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Omnia Sacramenta constant ex materia, & forma.*
2 *Materia est duplex.*
3 *Sacramenta constant determinatis rebus, &c.*
4 *Forma Sacramentorum est ex Diuina institutione.*
5 *Forma, quibus modis varietur.*
6 *Eadem materia, & forma vbique terrarum est sufficiens.*
7 *Tota forma proferenda est ab vno Ministro.*
8 *Inter materiam, & formam requiritur moralis coniunctio.*
9 *Præcisa necessitate, non potest quis uti materia dubia.*
10 *Quid faciendum, quando dubitatio de validitate Sacramenti.*

1 Omnia Sacramenta nouæ legis constant ex materia, & forma, vel rebus, & verbis; Vnde in omni Sacramento requiritur res sensibilis: Ratio, quia de ratione Sacramentorum est, vt sint essentialitèr signa apud homines, atque adeò humana, sed huiusmodi signa, vt patet ex definitione signi, debent esse sensibilia; ergo, &c.

2 In Sacramentis duplex reperitur materia, proxima, & remota: Materia remota dicitur illa, quæ in Sacramentum assumitur, seu circà actus, & cœremonias Ecclesiasticas versatur; vt in Baptismo, aqua naturalis; in Confirmatione Chrisma benedictum; in Eucharistia, panis, & vinum aquā mixtum; in Pœnitentia peccata; in Ordine instrumentum, quod porrigitur; in matrimonio personæ habiles; in Extrema-vnctione, oleū cōsecratum: Materia proxima dicitur ipse actus, vt ablutio in Baptismo; Vnctio in Confirmatione, & Extrema-vnctione; in Eucharistia species panis; in Pœnitentia sunt actus pœnitentis; in Ordine est porrectio instrumenti; in Matrimonio est traditio corporum.

3 Omnia Sacramenta nouæ legis constant determinatis rebus, & verbis consecratorijs à Christo institutis, & hoc est de fide; & licèt materia, & forma Sacramētorum sint à Deo, vel à Christo institutæ, non tamen singulæ quoad speciem, sed aliquæ quoad genus tantùm, determinandæ quoad speciem ab ipsis Apostolis, vel Ecclesia.

4 Item ex Diuina institutione est forma, quæ necessario adhibenda est in Sacramentis, quæ forma sunt verba; quæ si substantialitèr varientur, Sacramenta non subsistunt; si autem solum accidentalitèr varientur, Sacramenta validè conficiuntur, cum accidentalis mutatio non variet substantiam rei.

5 Multis modis possunt variari verba in Sacramentis apposita: Primò, additione verborum, vt si quis baptizando dicat. *Ego te baptizo in nomine Patris, qui te creauit, Filij, qui te redemit, &c.* Secundo, diminutione, vt si quis baptizando dicat, *Te baptizo in nomine Patris, &c.* omissa particula *Ego*: Tertiò, alteratione verborum, vt si quis balbutiendo dicat vnam litterā loco alterius: Quartò, transpositione verborum, vt si quis dicat baptizando. *In nomine Patris, &c baptizo te*: Quinto, interpolatione verborum, vt si inter vnum verbum, & alterum intercedat tempus, vel aliud loquatur, quod non pertineat ad formam: Sextò, verbis sinonymis, vt si loco verbi *Baptizo*, dicat *Abluo*: Septimò, verbis æquiuocis.

6 Eadem materia, & forma vbique terrarum sufficit ad validitatem Sacramenti, & ità communitèr Doctores. Ratio, quia sicut Christus vnam Ecclesiam instituit; ità Sacramenta: & licèt Græci vtantur diuersa forma in Baptismo, & pane fermentato in conficiendo Sacramento Eucharistiæ, tamen hæc non confertur mutatio substantialis, sed accidentalis.

7 Tota forma proferenda est ab vno Ministro: Ratio, quia aliàs quin redderetur sensus falsus formæ, nam si quis in Baptismo diceret, *Ego te baptizo*, & alius subiungeret, *In nomine Patris, &c.* vere non baptizaret, quia falsum diceret, cùm primus omit-teret

terer ea verba, *In nomine Patris, &c.*, nec alter baptizaret, qui solùm diceret. *In nomine Patris, &c.*

8 In conficiendis Sacramentis requiritur moralis cöiunctio inter materiam, & formam: Ratio est, quia inter materiam, & formam Sacramenti requiritur ea coniũctio, quæ necessaria est ad veritatem verborum, sed ad veritatem verborum necessarium est, ea saltem, quoad aliquam partem proferri, eum applicatur materia; ergò ad Sacramentum requiritur aliquam partem materiæ esse simul eum, aliqua parte formæ; alioquin falsa esset enunciatio verborum, nisi eum illis eodē tempore concurrat proxima materia Sacramenti. Sylvest. *verbo Baptismus* 5. §. 2. Navar. *in man. cap. 22. num. 7.* & alij.

9 Grauitèr peccat, qui præcisa necessitate, in Sacramentis vtitur materia, vel forma dubia: Ratio, quia exponit se periculo faciendi Sacramentum irritum, quod perindè est, ac inualidè facere, quod est peccare mortalitèr; Ità Suarez *disput. 16. sect. 2.* Henriq. *cap. 9. num. 13.* Conin. *quæst. 60. art. 8. num. 50.* In casu necessitatis, quando Minister non habet materiam certam, potest vti materia dubia, vel probabili.

10 Quando dubitatur de validitate Sacramenti, est iterùm ministrandum sub conditione: Ratio, quia adest iusta causa ipsum denuò ministrandi sub conditione; rùm etiam, quia vtilitèr geritur negotium suscipientis Sacramētum, cùm fieri possit, vt iterata ministratione Sacramēti saluetur; Ità D. Thomas *3. p. quæst. 66. art. 9.* Valent. *tom. 4. disput. 4. quæst. 1. punct. 4.* Em. Sà *verbo Baptismus num. 3.* & alij. Secùs verò dicendum, quando adest leue dubium, nam iteratio Sacramenti facta sine causa, videtur quædam irrisio Sacramenti, & graue peccatũ ex suo genere. Vndè non sunt rebaptizandi, quos domi constat fuisse baptizatos à parentibus, vel, &c., sed solùm in Ecclesia supplendæ sunt solennitates; Ità Suarez *disput. 31. sect. 6.* Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 9.* & alij communitèr. Secus verò dicendũ de infantibus arreptis à Barbaris, si dubitatur, an fuerint baptizati, isti sunt baptizandi sub conditione: Idem dicendum est de infantibus expositis sine vllo testimonio indicante, ipsos esse baptizatos: verùm in isto casu sufficit vnus testis, de quo non sit probabilis suspicio mendacij. Suarez *quæst. 66. art. 10.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Deus est primarius institutor Sacramentorum.*
2 *Christus, quomodo dicatur auctor Sacramentorum.*
3 *Ministri, quomodo concurrant ad Sacramentum.*
4 *Christus Ecclesiæ non communicauit potestatem excellentiæ.*
5 *Angeli an possint esse Ministri Sacramentorum.*
6 *Solus homo est sufficiens Minister.*
7 *Probitas Ministri non est necessaria ad validam Sacramentorum administrationem.*
8 *Irreuerentia circà Sacramenta quot modis contingat.*
9 *Exercens functionem Ordinum in peccato, an peccet.*
10 *Qui in peccato mortali pluribus administrat, quot peccata committat.*
11 *Sacerdos debet constitui in gratia, antequam administret Sacramenta.*
12 *An liceat recipere Sacramentum ab excommunicato.*

1 Deus est primarius Auctor, & Institutor Sacramentorum, quia solus Deus est Auctor gratiæ, & solus illabitur animæ, Vndè potest dici causa Sacramentorum auctoritatiuè, quia solus est Auctor gratiæ sanctificantis, & solus confert Sacramentis virtutem sanctificandi homines; Ità D. Thomas *quæst. 64.* Reginaldus *lib. 26. num. 32.* Suarez *disp. 12. sect. 1.* & alij. Homo verò per modum instrumenti cùm illam operetur per modum Ministri, cujus eadem est ratio, ac instrumenti.

2 Christus, secundùm quod Deus, operatur interiorem effectum Sacramenti per potestatem auctoritatis; secundùm quod homo, meritoriè, mediante passione, & instrumentalitèr per potestatem instrumenti principalis, quæ dicitur potestas excellentiæ, quæ consistit in merito, sanctificatione, &c., quia eius bonitas erat instrumentum conjunctum Verbo; & ideò solus Deus, & Christus, vt Deus, est causa physica efficiens principalis effectus Sacramenti; causa verò meritoria principalis est Christus, vt Deus homo: causa instrumentalis principalis immediatè attingens effectum est Christus, vt homo, per potestatem excellentiæ; Causa verò instrumentalis, & minùs principalis attingens, mediatè tantùm effectum est homo.

3 Quòd Ministri mediatè tantùm attingāt productionem gratiæ, patet, quia Sacerdotes sunt causa gratiæ, quatenus conficiunt Sacramenta, & proferunt verba Sacramentalia, quæ deindè Deus assumit, vt Instrumenta ad producendum effectum Sacramenti; & ideò mediatè tantùm influunt in effectum.

4 Christus Deus po[...] potestatem excellentiæ Apostolis, & Ecclesiæ communicare, non tamen de facto illam communicauit, cùm non expediret ob nostram vtilitatem, ne spes nostra in homine poneretur. Potestas auctoritatis instituendi Sacramenta est prorsus incommunicabilis, cùm dicat omnimodam independentiam, quæ soli Deo competit.

5 Angeli, de lege Dei ordinaria, non possunt esse Ministri Sacramentorum; ex dispēsatione Diuina possunt, quia virtus Diuina non est alligata: si tamen certò constaret de voluntate Dei supplere volentis personam Ministri, quam voluntatem presupponere deberemus, quoties constaret, Sacramentum aliquod esse ministratum à bonis Angelis, secus verò si à malis.

6 Solus homo est necessarius sufficiens Minister Sacramentorum; & ità omnes Theologi, & colligitur ex Math. 28 Luc. 22. Ioann. 29., quod intelligendum est de hominibus

minibus ab Ecclesia ritè ordinatis.

7 Ad validam Sacramentorum administrationem probitas Ministri non est necessaria; est tamen necessaria ad licitam Sacramentorum administrationem Vndè mortalitèr peccat Minister deputatus, & consecratus, si in peccato mortali Sacramentum aliquod administret, si Eucharistiam consecret, &c.: Ratio, quia Minister deputatus, & consecratus ad Sacramenta administranda specialem gratiam recipit ad illa dignè administranda; ergò mortalitèr peccat, administrando ea in peccato mortali, cùm in re graui faciat contrà id, ad quod est specialitèr deputatus cum gratia speciali.

8 Irreuerentia circà Sacramenta pluribus modis contingit: Primò, indignè illa suscipiendo, sine dispositione requisita: Secundò, irreuerentèr illa tractando: Tertiò, vtendo Sacramentis ad malum finem: Quartò, omittendo, vel mutando scientèr, vel ex negligentia culpabili requisita ad confectionem Sacramẽti: Vltimò conficiendo, & ministrando Sacramenta in peccato mortali.

9 Exercens functionem Ordinum minorum in peccato mortali, & maiorum etiã per se loquendo, non peccat mortalitèr, præcisa administratione Sacramentorum facta à Ministro deputato, & consecrato; ità Diana *de sacram. resol. 195. & 196.*

10 Qui in peccato mortali pluribus administrat Sacramentum, quod ministrando conficitur, vt Sacramentum Pœnitentiæ, &c., tot peccata committit, quot sunt ministrationes distinctæ: Ratio, quia censetur indignè administrare, & conficere plura Sacramenta: si verò administratio fiat Sacramenti iam confecti, pluribus administrans Sacramentum, committit solùm vnum peccatum: Ratio, quia illæ distinctæ administrationes moralitèr censentur vna actio, & ratione Sacramenti confecti, & ratione administrantis Sacramentum. Conin. *de sacramentis quæst. 64. art. 6. dub. 1.* & alij.

11 Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis, debet curare, vt in gratia constituatur, antequàm administret Sacramenta, quam obrem si aduertat se solùm attritum, debet contritionis actum elicere, & si non potest, debet recipere Sacramentum Pœnitentiæ, quia debet assumere media, quibus ad gratiam sanctificantem disponatur, nè Sacramenta indignè pertractet. Verùm si certò sciat, se esse in gratia per contritionem, non est necesse, quòd recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, cùm non extet ius naturale, vel humanum, vel Diuinum, quo probetur teneri Sacramentum Pœnitentiæ recipere, quoties est in gratia per actum contritionis, excepto casu, quo quis recepturus est Eucharistiam; ità Didacus Nugnus *quæst. 64. art. 6. diff. 3.* Suarez *disput. 16. sect. 3.* Reginaldus *lib. 26. num. 57.* & alij.

12 Ab excommunicato vitando, extrà casum necessitatis, non licet petere Sacramenta; in casu necessitatis licet recipere, & petere Baptismum pro se, & suo paruulo, & Sacramentum Pœnitentiæ, &c. Ab excommunicato ab Ecclesia tolerato, licet recipere Sacramenta, primò, in casu necessitatis, etiamsi ille non sit paratus: extrà casum necessitatis licet etiam petere, si adsint hæ conditiones, primò, rationabilis petendi causa, v.g. vtilitas spiritualis, &c.; Secundò, si non sit commoditas alterius Ministri, qui sine peccato possit ministrare; Tertiò, si petatur à Ministro, tempore, quo Minister potest benè ministrare, si vult, quia potest liberari à peccato mortali per contritionem, vel absolui ab excommunicatione: Quartò, si Minister ex malitia nolit tollere impedimentum, propter quod sine peccato non potest ministrare Sacramentum.

PARAGR. III.

SVMMARIVM.

1 *Fides non est necessaria ad validam Sacramentorum administrationem.*
2 *Est tamen necessaria ad licitam.*
3 *Intentio requiritur de essentia Sacramenti.*
4 *Intentio est triplex.*
5 *Quæ intentio requiratur.*
6 *Peruersa intentio, &c. non suppletur à Deo.*
7 *Non irritatur Sacramentum ex eo, quod Minister non intendat conferre fructum.*
8 *Intentio debet dirigi ad materiam præsentem, &c.*

1 Fides non est necessaria ad validam Sacramentorum administrationem: Ratio, quia infidelis potest ministrare vera Sacramenta, quia Minister non operatur virtute propria, sed in virtute Christi; tùm etiam, quia Minister Sacramentorum, quamuis sit improbus, vel etiam hæreticus, habet potestatem conficiendi Sacramenta, retinet enim characterem indelebilem, per quem confertur potestas conficiendi Sacramenta, & per quem operatur in virtute Dei, qui potestatem collatam non aufert per peccatum.

2 Quamuis fides non sit necessaria ad validam Sacramẽtorum administrationem, tamen est necessaria ad licitam administrationem, & consequentèr administrans Sacramenta sine fide, peccat mortalitèr, si ea administret, tamquàm Minister deputatus, quia in re graui facit contrà id, ad quod est specialitèr deputatus cum gratia speciali; secùs verò si ad id non sit specialitèr deputatus: vndè Laicus in peccato mortali ministrans Sacramentum Baptismi, non peccat mortalitèr, quia non ministrat ex officio, & vt Minister consecratus, ità S. Thomas *quæst. 64. art. 6.* Coninchus *quæst. 64. art. 6.* Victoria *de sacramentis quæst. 29.* Sayrus *lib. 2. cap. 7. quæst. 1. art. 2. & 4.* Verùm si extrà casum necessitatis baptizaret, peccaret mortalitèr, indignè administrando Sacramentum in peccato mortali, sicut etiam si solemnitèr ministraret.

3 Ad perfectionem Sacramenti requiritur intentio Ministri, & hæc non tantum san-

ctificandi, sed etiam perficiendi Sacramentum, nec sufficit intentio faciendi actum exteriorem, sed requiritur intentio conficiendi Sacramentum, saltem implicitè; v.g. faciendi id, quod Christus instituit, vel Ecclesia: Ratio, quia ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad esse Sacramentale, & tollat indifferentiam verborum, & actionum; talis autem est intentio faciendi, quod intendit Ecclesia; ità Suarez *disput. 13. sect. 2.* Bellarm. *de sacram. cap 27.* Valent. *tom. 4. disput. 3. quæst. 1. punct. 2.* Henriquez *lib. 1. cap. 10.* Sayrus *lib. 1. de sacram. cap. 4.* & alij.

4 Intentio cùm sit actus liberæ voluntatis in finem, triplex est, habitualis, virtualis, & actualis; Actualis est, quando quis actualitèr intendit, & vult conficere Sacramentum, dùm illud conficit; Virtualis est, quæ postquàm actualis præcessit, adhùc virtualis perseverat aliquo opere inchoato, virtute actualis intentionis, nec est moralitèr intercepta per oppositam intentionem, aut per longam temporis moram interpositam, vel alia ratione; Habitualis est, qua quis facit aliquid ex habitu, nulla præcedente intentione. Dividitur etiam intentio in absolutam, & conditionatam; intentio absoluta est, qua quis intendit aliquid facere absque vlla conditione; conditionata est, qua quis intendit aliquid facere sub conditione.

5 Ad conficiendum Sacramentum non sufficit intentio remota in causa, neque conditionata de futuro, sed requiritur vel conditionata de præsenti, vel de præterito, quæ statim transit in absolutam, vel absoluta, non tamen quæcumq; sufficiens est pura, si sit habitualis: neque est necessaria intentio actualis, licèt sit laudabilis; sed sufficit intẽtio virtualis, ex communi Doctorum sententia. Quod verò intentio actualis non sit absolutè necessaria, patet, quia si esset necessaria, Deus nos obligasset ad impossibile, cùm impossibile sit, aliquem semper actualitèr intendere, vel attendere; ità S. Thomas *quæst. 64. art. 9.* Bellarm. *lib. 1. de sacramen. cap. 28.* Vivald. *cap 3. de sacramentis,* & alij. Quòd verò intentio habitualis non sit sufficiens, patet etiã; quia ad Sacramentum conficiendum requiritur intentio elicita à voluntate, talis autẽ non est intentio habitualis; ergò, &c.

6 Peruersa intentio Ministri non suppletur à Deo; ità Naldus *in summ. verbo Sacramentum num. 10* Henriq. *lib. 1. cap. 10. num. 9.* Ratio, quia quod Deus suppleat, non fundatur vlla lege, promissione, &c. Licèt alij contrariam sentiant, cùm non videatur instum, cum, qui bona fide accedit, ob solam malitiam Ministri, priuari Sacramento, & eius fructu.

7 Non irritatur Sacramentum ex eo, quòd Minister solùm intendat conferre Sacramentum, non autem fructum Sacramenti: Ratio, quia posito Sacramento, nihil Minister potest circa illius effectum, vt illum impediat, vel dimidiet, aut suspendat, quia Sacramentum operatur per modum causæ naturalis, quę circà passum benè dispositum operatur necessario.

8 Intentio Ministri in conficiendis Sacramentis debet dirigi ad materiam præsentem, vel personam, nec debet se quis restringere, vt non velit facere Sacramentum, si persona non sit illa, quam existimat, quia exponeret se periculo nihil faciẽdi, vt v.g. si se determinaret ad Petrum, ità vt excluderet omnem alium, qui a tùnc si esset alius, v.g. Paulus, Sacramentum esset nullum: si sit tantùm error personę materialitèr, non nocet, dummodò adsit practica intentio, quia scilicèt velit absolutè conferre Sacramentum huic personę, quã habet præsentem. Excipitur tamen matrimonium, in quo intentio debet dirigi ad determinatam personam, ità vt illius error sit substantialis, eò, quòd sit contractus oneribus plenus: Henriq. *lib. 1. cap. 10. num. 6* Toletus *lib. 2. cap. 20* Graff. *2. par. lib. 1. cap. 33 num. 33* Bonac. *tom. 1. disput. 2. quæst. 2. pun. 4. num. 26.* Filliuc. *tract. 1. num. 79.* & alij.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Peccatori publico non sunt ministranda Sacramenta.*
2 *Item quando est vehemens suspicio, suscepturum non esse in statu gratiæ.*
3 *Peccatori publico ob metum mortis possunt administrari Sacramenta.*
4 *An liceat petere Sacramentum à Ministro, qui est in peccato mortali.*
5 *Petens Sacramenta ab excommunicato tolerato, non peccat.*
6 *Peccat, qui ab excommunicato vitando contritio petit Sacramenta.*
7 *Sacramenta administrata ab excommunicato an sint valida.*

1 PEccatori publico indignè petenti non sunt administranda Sacramenta: Ratio, quia Sacramenta sunt fidelitèr administranda; non administrarentur fidelitèr, si peccatori publico indignè petenti administrarentur: Peccatori verò occulto petenti Sacramenta non sunt administranda, quando petit priuatè; secùs verò si publicè petat, cùm non debeat expelli à confessione, ob peccatum occultum.

2 Quando est vehemens suspicio, aliquem non esse in statu gratiæ, non est illi administrandum Sacramentum, donèc constet de rei veritate, & de emendatione; secùs verò si suspicio sit leuis, quia tùnc non est repellendus, cùm dubia in meliorem partem sint explicanda, & in dubijs fauorabilior pars sit tenenda; ità S. Thomas *dist. 9. quæst. 1.* Reginaldus *lib. 29. num. 55.* Suar. *disp. 67. sect. 6.* Henriq. *cap. 56. num 5.*

3 Peccatori publico ob metũ mortis possunt administrari Sacramenta: Ratio, quia sicut possunt administrari peccatori occulto ad euitandam ipsius infamiam; ità etiam licet administrare peccatori publico ad euitandam ipsius administrantis mortem.

4 Præcisa necessitate, vel alia rationabili causa,

causa, non licet petere Sacramentum à Ministro, quem scimus esse administraturum in peccato mortali: Ratio, quia id esset cooperari peccato proximi, quod ex charitate impedire tenemus. Reginaldus *lib.1.num.165.* Sotus *in 4.dist.1.quæst.5.art.6.* Posita necessitate, vel alia rationabili causa, possumus petere Sacramenta à quolibet Ministro iurisdictionem habente, etiamsi sciamus, illum esse administraturum in peccato mortali; ità S. Thomas *quæst.4.art.6.* Henriq. *cap.23.num.1.* Sayrus *lib.2. de sacram. cap.8. quæst.1.art.2.& 3.* Valentia *tom.4 disput.3. quæst.5.punct.3.* Sanch. *lib.7. de matrim. disp.9.n.8.*

5 Petens Sacramenta ab excommunicato tolerato non peccat, etiamsi sciat, illum esse excommunicatum, siuè sit Parochus, siuè non, siuè sit paratus administrare, siuè non; ità Sanchez *de matrimonio lib.7. disput. 9. num.* 8. Sotus *in 4. disput. 22. quæst.1. num. 4.* & alij: Ratio, quia petens vtitur iure suo.

6 Peccat mortalitèr, qui petit Sacramenta ab excommunicato vitando, qui iam resipuit à delicto, si absque iusta causa petat; ità Vasquez *tom.4. in 3. par. dub.2. tract. de excommunicatione*, Sotus *in 4. dist 22. qu. 1. art.1.* Suar. *disp.9. sect.2. n.2.* & alij: Ratio, quia licèt côtritus, remanet tamē adhùc excommunicatus ab Ecclesia, quòad vsque absoluatur, licèt plures sequantur opinionem contrariam.

7 Sacramenta administrata ab excommunicato tolerato valida sunt; ità Vasquez *in tract. de excommun. dub. 3.* & alij communitèr: Ratio est, quia Sacramēta valida sunt, quoties adest materia, forma, & intentio Ministri, sed hæc omnia adsunt, dùm excommunicatus ministrat Sacramenta; ergò Sacramenta administrata ab excommunicato tolerato valida sunt: Item quælibet Sacramenta administrata ab excommunicato vitādo valida sunt, excepto Sacramento Pœnitentiæ; ità Henriq. *lib. 13. cap.10. num.2.* Filliuc. *tract. 12. cap. 3. quæst. 9.* & alij. Dixi, excepto Sacramento Pœnitentiæ, quia excommunicatus vitandus caret iurisdictione, quæ requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ.

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Duplex est Sacramentorum effectus.*
2 *Gratia dupliciter confertur.*
3 *Sacramenta, an habeant vim conferendi primam gratiam.*
4 *In adultis requiritur intentio.*
5 *Requiritur etiam dispositio vna in intellectu, & altera in voluntate.*
6 *Sacramenta, quomodò producant æqualem gratiam.*
7 *Gratia, quæ confertur, non est diuersa.*
8 *Non producunt gratiam ante susceptionem Sacramenti.*
9 *Producunt suum effectum in instanti.*
10 *Quomodò sint causa gratiæ.*
11 *Sacramenta causant gratiam, etiam vt instrumenta physica.*
12 *An sint instrumenta per intrinsecam virtutem, aut, &c.*

1 DVplex est Sacramentorū effectus: Primus, præcipuus, & communis omnibus Sacramētis effectus, est gratia, quæ nihil aliud est, quā donum quoddā supernaturale, quo efficimur Deo grati; quod donum est qualitas quædam inhærens in anima, per quam fit iusta coram eo, ideòque digna vita æterna; quæ gratia dicitur iustificans: Secundus effectus est character, de quo parag. seq.

2 Gratia duplicitèr confertur: Primò, ex opere operato: Secundò, ex opere operantis. Confertur gratia ex opere operato, quando confertur, non solùm ob dispositionem suscipientis, sed propter aliquid aliud externum institutum à Deo ad conferendam gratiam vltrà meritum, &c. Tùnc dicitur gratia côferri ex opere operantis, quando confertur solùm ob meritum, & dispositionem suscipientis.

3 Sacramenta nouę legis habent vim conferendi nouam gratiam non ponentibus obicem, secundùm communem rationem Sacramenti, & ex Diuina virtute, & eleuatione: Baptismus tamen, & Pœnitentia ex propria, & specifica ratione, & directè causant primam gratiam; reliqua verò solùm ex accidenti, & dispositiuè, quatenùs disponunt suscipientes ad primam gratiam; per se autem, & directè conferunt augmentum gratiæ.

4 Ad valorem Sacramenti in adultis requiritur intentio suscipiendi, saltem interpretatiua, quia per Sacramenta homines initiantur, & consecrantur Deo, vt in eius Ecclesia, & cultu stabiles perseuerent, vnde congruum est, vt proprium consensum afferant, si eius capaces sint: At verò paruuli, & amentes cùm propriam voluntatem afferre non possint, Sacramenta suscipiunt in fide, ac voluntate parentum.

5 Ad recipienda Sacramenta, quæ conferunt primam gratiam, duplex requiritur dispositio, vna in intellectu, & altera in voluntate: in Intellectù requiritur Fides, cùm sine Fide impossibile sit placere Deo: in Voluntate requiritur attritio, per quā aliquo modo peccatum odio habeatur.

6 Sacramenta in subiecto æquè disposito conferunt æqualem gratiam: Ratio, quia Sacramenta habent effectum definitum ex certa lege, & promissione; Ergo si ex parte suscipientis sit æqualitas, etiam effectus erit æqualis. Verùm suscipientes sacramenta cum inęquali dispositione, inęqualem gratiam recipiunt ex Concilio Tridentino *sess. 7.* quia agens naturale inæqualiter operatur in subiecto inæqualitèr disposito; & ideò gratia per Sacramenta collata adultis potest esse maior, & minor, iuxtà dispositionem suscipientis: ità S. Bonauentura *dist.4. art. 1. quæst.3.* Corduba *lib. 1. quæst. 3.*

7 Gratia, quæ confertur in Sacramentis non est diuersa essentialiter, sed est eiusdem speciei in omnibus Sacramentis: accidentalitèr tamen est diuersa.

8 Sacramenta nunquam producunt gratiam ante susceptionem Sacramenti, quia

 pro-

promiſſio de gratia ſuſcipienda, non eſt niſi per ſuſceptionem Sacramenti. Nec obſtat, quòd Baptiſmus in voto deleat peccatum originale, & infundat gratiam, quia gratia in iſto caſu non eſt effectus Sacramenti, ſed contritionis, & diſpoſitionis ipſius operantis.

9 Sacramenta producunt ſuum effectum in inſtanti: Ratio, quia Sacramenta producunt ſuum effectum, quando materia, & forma habent perfectam ſignificationem; Cùm autem ſit perfecta eſſentialiter in termino prolationis verborum, ſequitur, in eo inſtanti producere gratiam.

10 Sacramenta ſunt cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ: Ratio, quia illa eſt cauſa moralis inſtrumentalis, cuius intuitu cauſa phyſica aliquid producit, ſed Deus intuitu Sacramentorum repræſentantium merita Chriſti, producit gratiam, ergò, &c.

11 Sacramenta non ſolùm poſſunt cauſare, ſed de facto cauſant gratiam, & alios effectus ſacramentales nõ ſolùm vt inſtrumenta Chriſti moralia, ſed etiam phyſica verè producentia gratiam immediatè: ità Bellarm. *lib de Sacram. cap. 16. num.* 4. Henriq. *lib. 1. cap. 16. num.* 4. Vaſq. *diſput. 13.* Ratio, quia modus cauſandi gratiam, & faciendi miracula in humanitate Chriſti phyſicus eſt; ergò dicendum eſt, etiã Sacramenta poſſe, & de facto cauſare gratiam, tamquam inſtrumenta phyſica.

12 Probabile licèt ſit, de facto Sacramenta eſſe inſtrumenta phyſica per virtutem intrinſecam, naturali eorum intuitu ſuperadditam: tamen probabiliùs eſt, eſſe inſtrumenta phyſica gratiæ per virtutem intrinſecam ab eorum entitate naturaliter indiſtinctam, ideſt per potentiam obedientialem: Ratio, quia de facto in rebus datur potentia obedientialis, non diſtincta realitèr ab eorum entitate, ſed hæc poteſt eſſe ſufficienter inſtrumentum phyſicum Dei reſpectu gratiæ; ergò, &c.

PARAGR. VI.

SVMMARIVM.

1 *Secundus effectus Sacramenti.*
2 *Quid ſit character.*
3 *Effectus characteris quot ſint.*
4 *Characteres an differant inter ſe.*
5 *Solus homo eſt capax Sacramentorum.*
6 *Quæ connexio inter characteres.*

1 SEcundus effectus Sacramentorum eſt character, quia Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, præter gratiam, imprimunt etiam characterem in anima; & eſt definitum in Concilio Florentino, & Tridentino *ſeſſ. 7. can. 9.* Et ità communitèr Doctores.

2 Character eſt qualitas ſupernaturalis, realitèr ab anima diſtincta, & ei diuinitùs infuſa, qua homo redditur aptus ad Sacramenta ſuſcipienda, vel adminiſtranda, & alia Diuini cultus opera: ità S. Thomas *3. p. quæſt. 63. art. 2.* Valen. *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 1.* Henriq. *lib. 1. cap. 13.* Suarez *tom. 3. diſp. 11. ſect. 2.*

3 Effectus characteris ſunt quinque: Primus, quod ſit indelebilis: Secundus, quòd conſecret animam velut Templum Deo: Tertius, quòd per illum tranſit homo in ius Dei: Quartus, per eum aſſimilamur Chriſto, & ab alijs diſtinguimur: Quintus, quia homo diſponitur ad alia Sacramenta ſuſcipienda, vel miniſtranda.

4 Characteres Sacramenti Baptiſmi, Cõfirmationis, & Ordinis differunt ſpecie: characteres verò ſingulorum ordinum nõ videntur inter ſe ſpecie diſtingui, quia ſinguli ordinantur ad vnum complectum characterem Sacerdotis, & ad eundem finem.

5 Soli homines, dùm agunt in hac vita, ſunt capaces Sacramẽtorum: Ratio, quia Sacramenta ſunt inſtituta ad ſalutem hominis; & per conſequens ſolus homo, quatenùs viator, poteſt eſſe capax Sacramentorum, quia ſolus ipſe, quatenùs viator, tendit ad ſalutem; & idcircò Angeli non ſunt capaces Sacramentorum, quia non ſunt viatores; tùm etiam, quia ſunt creaturæ ſpirituales, & Sacramenta conſiſtunt in rebus materialibus.

6 Inter charactere Baptiſmis, Confirmationis, & ordinis, eſt neceſſaria connexio: Ratio, quia Confirmatio, & Ordo neceſſariò ſupponunt Baptiſmum. Quamobrem ſi Confirmatio, vel Ordo conferatur non baptizato, inualidè conferretur. *cap. Veniens de Presbytero non baptizato.* Character verò Ordinis non habet connexionem cum charactere Confirmationis: nam Ordo ſi conferatur alicui non Confirmato, tenet. Item characteres Ordinum non habent neceſſariam connexionem inter ſe, quia Ordines tenent, ſi per ſaltum conferantur. *cap. Verò, de Clerico per ſaltum promoto*; Excepto charactere Epiſcopatus, qui neceſſariò ſupponit characterem Sacerdotis. Character ſemel ſuſceptus, ſemper durat, neque ammittitur per peccatum, aut degradationem, vel per mortem, ex Concilio Florentino, & Tridentino *ſeſſ. 3. can. 9.*

TITVLVS II.
De Baptiſmo.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmus quot modis ſumatur.*
2 *Baptiſmus triplex.*
3 *Baptiſmus quo tempore fuit inſtitutus.*
4 *Baptiſmus eſt medium ſimpliciter neceſſarium.*
5 *In adultis eſt neceſſarius in re, vel in voto.*
6 *Non modò eſt neceſſarius neceſſitate medij, ſed etiam præcepti.*
7 *Exiſtentes in partibus remotis an poſſint ſaluari.*
8 *Obligatio recipiendi Baptiſmum quando urgeat.*

1 BAptiſmus eſt vox Græca, & propriè ſignificat immerſionem in aquam, habet enim Baptiſmus varia nomina: Dicitur primò Lauacrum, & Vnctio: Secundò,

dò, dicitur Regeneratio, quia per illum fit prima sanctificatio: Tertiò, dicitur Character, Signaculum, Sigillum, seu Spiritualis Circumcisio: Quartò; dicitur etiam Custodia, Præsidium, Hostia pro peccato, & Crux, quia in eo crucifigitur homo vetus: Quintò, dicitur Illuminatio, & Ianua Sacramentorum, quia per illum homo ingreditur ad cætera Sacramenta.

2 Triplex Baptismus à Doctoribus assignatur, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptismus Fluminis est Sacramentum consistens in ablutione corporis exteriori, supràscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem.

3 Baptismus fuit institutus ante Christi Passionem, non modò quoad designationem materiæ; verùm etiam quoad traditionem formæ, & efficaciam: Quando Christus fuit in Iordano baptizatus, tunc fuit indicata materia, idest aqua; fuit etiã indicata forma, quæ est inuocatio Sanctissimæ Trinitatis, nam persona Patris indicata fuit in voce ipsius, persona Filij illis verbis, *Hic est Filius meus dilectus, &c.* persona Spiritus-Sancti per speciem, & figuram Columbæ; & per apertionem Cœlorum demonstratus fuit effectus Sacramenti Baptismi; ità S. Thomas 3. *p. quæst. 66. art. 2.* Bellarm. *tom. 3. lib. de Baptismo cap. 5.* Sayrus *de Sacram. in genere lib. 2. cap. 2. quæst. 3. art. 1.* Petrus Ledesma *in Sum. de Sacram. Baptismo cap.* 2. Valen. *tom. 4. quæst.* 1. & alij.

4 Baptismus est medium simpliciter necessarium ad salutem, remissionem peccatorum, & gloriam consequendam. Cõcil. Trident. *sess. 7. can. 5.* Valen. *tom. 4. disp. 4. quæst. 3. punct.* 4. Reginald. *lib. 27. num. 7.* Tolet. *lib. 2. cap. 21.* Vasquez 3. *p. disp. 152. cap. 2.* Ratio, quia omnes nascuntur filij iræ, & in peccato originali, & indigent aliquo medio, quo salui fiant; Medium autem non est aliud præter Baptismum, vt patet ex illo. Ioan. 3. *Nisi quis renatus*, &c.

5 In adultis, ad assequendam primam gratiam necessarius est Baptismus, in re, vel in voto: ille autem dicitur habere Baptismum in voto, qui facit aliquid, in quo cõtinetur votum, & propositũ Baptismi suscipiendi, saltem implicitum, vt quando quis accedit ad aliquem locum baptizādi causa, dicitur habere Baptismum in voto.

6 Baptismus non modò est necessarius necessitate medij; sed etiam necessitate præcepti, tùm quia, quod est necessarium necessitate medij, est etiam necessariũ necessitate præcepti, & ideò obligat adultos, vt quamprimùm commode possint, moraliter loquendo, Baptismum suscipiant, vel saltem non multo tempore differant: nam adulti, differendo Baptismum, exponunt se periculo damnationis. Coninch. *de Sacram. quæst. 68. art. 3. num. 57.* & alij. Licèt ad vitandum periculum mortis, posset quis differre Baptismum, cùm nemo obligetur illum statim recipere cum periculo mortis.

7 Existẽtes in partibus remotis cum ignorantia inuincibili Baptismi, saluari possunt, dummodò seruent legem naturæ: Ratio, quia credibile est, Deum seruanti legem naturæ daturum lumen, & speciale auxilium, quo se valeat ad ipsum conuertere: ità S. Thomas 2. 2. *quæst. 10. art. 4.* & alij.

8 Obligatio recipiendi Baptismum respectu eorum, quibus fuerat promulgatus, est post Christi Passionem, etiamsi Euangelium nondum esset omnibus promulgatum, quia in morte Christi cessauit lex vetus, & incepit noua: Generaliter verò obligatio Baptismi incepit post sufficientem Euãgelij promulgationẽ factam Vniuerso Mundo, quæ promulgatio, secundùm aliquos, fuit facta in die Pentecostes, quo tẽpore Apostoli prædicauerunt varijs linguis omni nationi Iudæorum concurrentium: Secundùm verò alios, obligatio cœpit post excidium Hierusalem, quod accidit *Anno* 40. post Christi Passionem, quo tempore Apostoli Euangelium toto Orbe prædicauerant. Suarez *tom.* 3. *disp. 27 sect. 4. & disp 31. sect.* 1. Vasq. 3. *p. disp.* 149. *cap.* 3. Coninc. *quæst. 60. art. 2. dub.* 2. Bellarm. *de Baptism. cap.* 5.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Materia Baptismi duplex.*
2 *Aqua naturalis alterata non est sufficiens.*
3 *Extrà necessitatem non licet vti materia dubia.*
4 *Materia proxima Baptismi quæ sit.*
5 *Quæ pars corporis debeat ablui.*
6 *Infans inuolutus secundinis potest baptizari.*

1 Materia Baptismi duplex est proxima, & remota: Materia remota est aqua naturalis, seu elementaris: ità Concil. Trident. *sess. 7 can. 2. de Baptismo.* Bellarm. *lib. 1. de Baptismo cap.* 2. Reginald. *lib. 25. nu.* 10. Suarez 3. *part. disp.* 20. *sect.* 7. Henriq. *lib. 21. cap. 6. n.* 2. & Layman. *lib. 5 tract. 2. cap. 3. n.* 1. & alij. Vndè validè baptizaret, qui vteretur aqua maris, putei, fontis, pluuiæ, balnei, etiam si ex Sulphure emanet, siuè calida sit, siuè frigida, siuè alba, siuè nigra: ità Val. *disp. 4. tom. 4. quæst. 1. p.* 2. Suarez *de Sacramentis quæst. 66. art. 4. disp. 20. sect.* 7. Viualdus *de Baptismo cap. 2. num.* 4. Ratio, quia talis aqua est naturalis. Item validè baptizaret, si aqua produceret à niue, aut gelu, aut à sale, quia talis aqua censetur naturalis: glacies autem non censetur materia sufficiens, nisi liquefiat, & in aquam redeat: ità S. Thomas 3 *part. quæst. 66, artic. 4. num.* 3. Syluester *eodem verbo* 1. *quæst.* 2. & 3. Tabien. *eodem verb. n.* 8. & alij: Ratio, quia ad hoc vt sit sufficiẽs ad baptizandum, debet esse naturalis, fluida, & non alterata: cum autem glacies non sit aqua fluida, hinc est quod non sit ad baptizandum sufficiens, nisi liquefiat.

2 Qui vteretur aqua naturali, quæ ità alterata, & mixta esset cum alio corpore, aut liquore, vt ampliùs non sit apta ad ab-

abluendum validè non baptizat; Vndè brodium, aut lixiuium benè decoctum, aut lutum, aut vinum modica mixtum aqua, &c. nō possunt inseruire pro Baptismi materia: Ratio est, quia cùm sint nimis alterata, &c. non censentur amplius aquæ naturales. Vndè peccant peccato sacrilegij, qui vtuntur tali aqua, cùm exponant se periculo faciendi Sacramentum irritum.

3 Non licet, præcisa necessitate, vti materia, de qua dubitatur an sit aqua naturalis, & materia apta Baptismi, quia adest periculum faciendi Sacramentum irritum, ac inualidum. In necessitate verò licitum est, quando non adest aqua naturalis, & certa; nam melius est, aliquem baptizari eā materia de qua dubium est, an sit apta, & sufficiens ad Baptismum, quàm nullo modo baptizari: ità Possevin. *de Baptismo num.* 5. & alij communitèr. Verùm baptizatus cum aqua dubia, si superuiuat, rebaptizandus est cum materia solita, & consueta.

4 Materia proxima Baptismi est ablutio. Ità omnes Theologi, & patet etiam ex verbis *Matth. vlt.* Requiritur tamen, vt ablutio tāgat corpus baptizandi, quia aqua, quæ non tangit corpus, non dicitur ipsum abluere: Secundò, requiritur, vt talis contactus sit successiuus cum diffusione partium aquæ per partes corporis ad hoc, vt dicatur ipsum abluere: ità Suarez *tom. 3. disp.* 20. Reginald. *lib.* 27 *num.* 14. Coninc. *qu.66. art.* 4. Camerota *de Baptismo cap.2. dub.* 2. Vndè aqua si solùm capillos tangat, non esset baptizatus, cùm re vera nō possit dici, quòd homo esset ablutus, cùm capilli non censeantur partes integrales corporis, sicut etiā non esset verus Baptismus si Infans sit inuolutus corio, &c. aut charta virgine, ità vt aqua non possit ad eum pertrāsire: si verò aqua per poros ad ipsum pertingeret, re vera esset Baptizatus: ità Syluester *verb. Baptismus 4. nu.*2. Bartholom. ab Angelo *de Baptismo §.*102. & alij.

5 Ad validitatem Baptismi illa pars corporis debet ablui, qua abluta, verum sit dicere, hominem ablutum secundùm moralem existimationem. Vndè si caput abluatur, verus est Baptismus, quia cùm sit præcipua pars corporis, in qua sensus, ac ratio vigēt, ea abluta homo potest dici ablutus. S. Thomas *quæst.68. art.*11. Scotus *in* 4. *quæst.*3. Gabriel *ibidem quæst.*1. *art.*3. *dub.*2. Syluest. *verb. Baptismus*, Angel. *eod. verbo* 4. *nu.*2. & alij. Verùm si alia pars corporis abluatur, v.g. manus, vel pes extrà necessitatem, non videtur validus Baptismus; si verò propter necessitatem, repetendus est: ità S. Thomas *in* 4. *distinct.* 6. Antonin. 3. *p. tit.*4. *cap.* 13. Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vnic. art.* 11. Angelus *verb. Baptismus* 6. *n.*3. Armilla *eod. verbo n.*27. Syluest. *verb. Baptismus* 4. *quæst.*2. Toletus *lib.*2. *cap.*58. *num.*8. & alij. Imo in necessitate potest etiam inuolutus secundinis Baptizari: ità Præposit. 3. *p. quæst.*66. *art.* 8. *num* 90. Diana 5. *part. tract.*3. *resol.*4. & alij. Ratio, quia huiusmodi pellis cēsetur pars hominis, & ea abluta homo censetur ablui: ità Præpositus citatus: Quamuis postea sit sub conditione rebaptizandus, si periculum euadat, & secundùm hanc opinionem, si puer sic baptizatus illicò moriatur, in Ecclesia sepeliendus est: Nam cùm pro validitate Baptismi adsit opinio probabilis, non est, cur dictus infans debeat carere sepultura Ecclesiastica. Vasq. *tom.* 3. *disp.* 145 *num.* 31. Diana. *parte* 5. *tract.* 3. *resol.* 111. & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Infans in vtero matris, an possit baptizari.*
2 *In vtero matris est capax Baptismi flaminis, & sanguinis.*
3 *An liceat baptizare deijciendo infantem in fluuium, &c.*
4 *Quæ quantitas aquæ sufficiat ad baptizandum.*
5 *Baptismus multipliciter potest fieri.*
6 *Quis sit ordinarius modus baptizandi.*
7 *Sacramentum perficitur per quamlibet ablutionem.*

1 INfans in vtero matris non potest baptizari, & per consequens baptizatus in vtero matris, non potest in Cœmeterio sepeliri, quia re vera non est baptizatus; cùm nō sit ablutus: Verùm si arte, & opera obstetricis, aqua sic immitti possit, vt pertingeret vsque ad infantem, addita debita verborum forma, infans cēseretur baptizatus, licèt propter incertitudinem rebaptizandus sit sub conditione, si in lucem edatur viuus.

2 Infans in vtero matris, licèt regularitèr non sit capax baptismi fluminis; tamen cēsetur capax Baptismi flaminis, quia Deus potest ipsum sanctificare, sicut sanctificauit Hieremiam in vtero matris, non enim potestas ipsius alligata est Sacramentis: est etiam capax Baptismi sanguinis, vt si pro fide Christi mater occidatur, etiamsi intentio interfectoris feratur tantùm in matrem, tamen de se extenditur ad infantem, quem illa gestat in vtero, cuius mors sequitur ex illius morte, & ità sentire videtur D. Thomas 3. *par. quæst.*68. *art.* 11.

3 Quamuis illicitum sit regularitèr proijcere infantem in fluuium, vel puteum, baptizandi causa, cùm nunquàm liceat directè occidere innocentem; tamen si infanti probabilitèr nasciruro, timeatur acceleratio mortis ex infusione aquæ etiā modicæ, potest tunc, & debet exigua vitæ corporalis vsura negligi, maioris spiritualis iacturam cauendi causa. Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. Vasquez *disput.*145. *cap.*3. Diana *part.* 5. *tract.*3. *resolut.*8. Vndè in hoc casu baptizans, causando mortem, vel ipsam accelerando, non fit irregularis.

4 Illa quantitas sufficit ad baptizandum, quæ sufficit ad abluendam corporis partem, qua abluta, homo potest dici ablutus, & cùm sufficiat parua quantitas, idcircò, sequitur, paruam quantitatem sufficere ad Baptismum, cùm ea parua quantitas possit successiuè applicari. Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.*1.

quæst. 1 punct. 2. Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. Viualdus *cap.* 2. *num.* 4., licèt plures sentiant, ad Baptismum sufficere vnam guttam aquę, dummodo tangat baptizatum; Imò in necessitate sufficere ad baptismum, digitis in aqua iniectis, signare, aut tergere infantem, quia in isto casu saluatur vera ablutio facta per aquam.

5 Baptismus tripliciter potest fieri, per immersionem, per infusionem aquæ, aut per aspersionem, & quocumque modo fiat, validè administratur: Ratio, quia his modis potest homo sufficientèr denunciari ablutus. Verum in administratione Baptismi seruanda est consuetudo Ecclesiæ, cùm vnusquisque teneatur se ritibus suæ Ecclesiæ conformare; ità Sotus *in* 4. *dist.* 10 *quæst. vnica art.* 4 Henriq. *cap.* 7. *num.* 4. Tabien. *verbo Baptismus num* 3. & alij.

6 Ordinarius modus conferendi Baptismum est per immersionē, & peccat Sacerdos trinam immersionem omittens: colligitur *in cap. Si quis Presbyter de consecrat. dist.* 4.

7 Perficitur tamē Sacramentum post primam ablutionem, dummodo post ipsam forma sufficienter prolata sit: Ratio, quia adsunt omnia requisita ad Baptismum, nimirum materia, forma, & intentio; & ità Caiet. *quæst.* 66. *art.* 6. & alij. Vndè si moriatur infans post primam immersionem prolata forma, puer censetur baptizatus ob rationem allatam; imò Minister, qui intendit conferre Baptismum post primam immersionem; si in prima, aut secunda immersione proferat integrè formam, Sacramentum Baptismi censetur perfectum, dummodò habuerit intentionē faciendi, quod facit Ecclesia: Ratio, quia talis intentio Ministri fundatur super consuetudinem Ecclesiæ, in Baptismo vtētis trina immersione, non tamquàm essentiali, sed tamē quàm accidentali; ità vt intentio Ministri respiciat trinam immersionem, non tamquam essentialem, sed tamquàm accidentalem ritum Sacramenti: secùs dicendum erit, si Minister crederet, trinā immersionem esse de essentia Sacramenti, & ipsum non perfici, nisi post trinam immersionem, quia tùnc Sacramentum esset inualidum ex defectu intentionis; ità Caiet. *loco citato* Pesant. *quæst.* 66. *art.* 3. & alij.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Quaenam sit forma Baptismi.*
2 *Actus baptizantis debet necessariò exprimi in forma.*
3 *Baptizandus non debet necessariò exprimi.*
4 *Vnitas Diuinæ Essentiæ est exprimenda.*
5 *Ad substantiam Sacramenti, &c. requiritur expressè inuocatio Sanctissimæ Trinitatis.*
6 *Inualidus est Baptismus, quando administratur cum mutatione essentiali formæ.*
7 *Validus est Baptismus, si dicatur In nomine Patris, Verbi, & Spiritus sancti.*
8 *Baptismus administratus In nomine Beatæ Virginis, &c. quomodo sit inualidus.*
9 *Quando in forma fit notabilis interruptio, inualidus est Baptismus.*

1 FOrma Baptismi in Ecclesijs Occidentalibus consueta hæc est, *Ego te baptizo In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen*, & colligitur ex verbis *Math.* 28., vbi dicitur, *Baptizantes eos In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Forma Græcorum in Sacramēto Baptismi hæc est; *Baptizetur seruus Christi In nomine Patris, &c.*, quæ forma valida ad conficiendum Baptismum.

2 Actus baptizantis contentus in verbo *Baptizo*, debet necessariò exprimi in forma, idque ex triplici capite: Primò, vt inuocatio Trinitatis ipsi actui baptizādi applicetur, & ita determinetur ad Sacramentalē vsum: Secundò, vt per formam significetur effectus Sacramenti, mediante actione Ministri: Tertiò, vt significatio formæ sit clarior.

3 Persona baptizantis non debet necessariò exprimi in forma de necessitate Sacramenti, cùm satis exprimatur in verbo *Baptizo*, seù *baptizatur*; & ità Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. & alij. Persona verò, quæ baptizatur, debet exprimi, siuè dicatur, *Baptizo te*, siuè *baptizo hunc, &c.*; tùm etiam, quia actus baptizandi practicè non significatur, vt hic, & nunc exercitus, si nō exprimeretur persona, quæ baptizatur; ità ex Concilio Florentino colligitur. Suarez *disput.* 21 *sect.* 2. Camerota *de baptismo cap.* 9. *dub.* 3. Toletus *lib.* 2. *cap.* 19. *nu.* 5. Pitigianus *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 4. & alij.

4 Vnitas Diuinæ Essentiæ etiam exprimenda est in forma Baptismi, cum dicitur *In nomine*. Hoc enim verbum ostendit vnitatem essentiæ; vndè si quis baptizando diceret, *Ego te baptizo In nomine Patris, &c. In nomine Filij, &c.* secundùm multos Doctores, inualidè baptizaret, quia dicendo sic, non ostenditur vnitas Diuinæ Essentiæ; ità Suarez *disput.* 21. *sect.* 3. Reginaldus *lib* 15. *num.* 30. Grafsius 2. *par lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 26. & alij: Item si diceretur, *Baptizo te in Patre, & Filio, &c.* vel *cum Patre, & Filio, &c.* vel *per Patrem*, vel *In nomine Patris, per Filium, &c.* Ratio, quia significatur diuersitas essentiæ, aut certè vnitas non satis exprimitur.

5 Ad substantiam Sacramenti Baptismi requiritur expressa inuocatio Sanctissimæ Trinitatis, vt patet ex verbis Christi, *Baptizantes eos In nomine Patris, &c.* Ratio est, quia cùm Baptismus sit Sacramentum fidei, & ianua in Ecclesiam Christi, debet eius externa professio correspondere fidei internæ; at qui ingressurus est in Ecclesiā Christi, debet habere explicitam fidem trium personarum; ergo eiusdem etiam fidei in Baptismo explicita confessio fieri debet; ità S. Thomas *quæst.* 66. *art.* 6. S. Bonauentura *in* 4. *dist.* 3. *art.* 2. *quæst.* 2. Richardus *ibidem*, Sotus *ibidem in quæst* 3. §. 3. Durandus *ibidem quæst.* 2. *num* 8. & 9. Bellarmin. *de baptismo cap* 3. Suarez *disput.* 21. *sect.* 3. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 10. & alij.

6 Inualidus est Baptismus, quādo administratur cum mutatione essētiali formę, vt v.g. si assumantur verba habentia sensum distinctū à sensu, qui cōtinetur sub verbis formæ;

formæ: si verò mutatio fit tantùm accidētalis, validus fit Baptismus; ità Toletus *lib. 2. cap. 19. num. 4* Pitigianus *dist. 3. quæst. 2 art. 2. &* 13. De essentia Baptismi sunt tantùm hæc verba, *Baptizo te In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-sancti.* Vndè validè baptizaret, qui vteretur forma Græcorum, vt v. g. *Baptizaris tu*, vel *baptizetur iste*, vel *baptizetur hic, &c.* Ratio, quia talis mutatio est solùm accidentalis: qui verò baptizando diceret, *Ego te baptizo In nomine Genitoris Geniti, & Spirati*, inualidè baptizaret: Ratio, quia non vtitur forma à Christo instituta sub nominibus relatiuis Patris, & Filij, & Spiritus sancti; & ità S. Thomas *quæst. 66. art. 5* Philiarchus *2. par. lib. 1. cap. 7* Rodriq. *in summ. cap. 25.* Camerota *tract. 2. de baptismo cap. 3 dub.* 8. Toletus *lib. 2. cap. 19. num. 7.* & alij; licèt plures teneant opinionem contrariam, nimirùm, validè baptizare, cùm hæc verba videātur sinonyma, saltem quoad principalem significationem, cùm nomine Genitoris intelligatur Pater; nomine Geniti, Filius; & nomine Spirati, Spiritus sanctus; & idcircò sensus non videtur substantialitèr mutatus.

7 Validus est Baptismus, si dicatur, *Ego te baptizo In nomine Patris, Verbi, & Spiritus-sancti* quia Verbum, & Filius censentur verba sinonyma, sicut etiam validè baptizaret, qui diceret, *Ego te baptizo In nomine Patris omnipotentis, & Filij vnigeniti, & Spiritus sancti paraclyti*, quia non censetur mutare sensum substantialitèr.

8 Inualidus est Baptismus collatus in nomine B. Virginis, & Sanctorum; si baptizans intendat conferre Baptismum in virtute B. Virginis, aut Sanctorum; nam adest mutatio substantialis in verbis formę cum errore cōtrario significationi verborum: si vero intendat conferre Baptismum per intercessionem Beatissimæ Virginis, aut Sanctorum, validè baptizaret, quia sensus formæ non mutatur substantialitèr; ità S. Thomas *quæst. 60. art. 8* Sotus *dist. 1. quæst. 2. art. 8.* Suarez *disp. 2. sect. 3* & alij.

9 Inualidus est etiam Baptismus, quando verborum fit notabilis interruptio, siuè per simplicem cessationem, siuè per alterius actionis interpretationem; ità S Thomas *quæst. 60. art. 8.* Richardus *in 4. dist. 3. art. 2.* & alij; secùs vero si modica fiat interruptio.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Possunt plures vnica aspersione baptizari.*
2 *An Baptismus sit validus, quando duo simùl baptizant.*
3 *Et quid dicendum, quando simùl concurrunt mutus, & manibus mancus.*
4 *An sit validus baptismus, quando quis putat baptizare fæminam, & baptizat masculum.*

1 POssunt plures vnica aspersione baptizari, dicendo, *Ego te baptizo In nomine Patris, &c.*, modò singuli aspergantur aqua, quia non mutatur sensus formæ, & dicuntur plura baptismata subiectiuè, cùm sint subiecta Baptismi, & distinctio numerica baptismatum desumitur à subiecto, in quo recipitur Baptismus, & quamuis forma sit vna formalitèr, tamē virtualitèr, & æquipollentèr, est multiplex; ità Vasq. *3 p. qu. 67. art. 6. disp. 148. num. 2.*

2 Quando duo simùl baptizāt, ità vt vterque non solùm abluat, verùm etiam verba proferat, tùnc si quilibet intendat baptizare, independentèr ab intentione alterius, validè baptizat, cùm adsit debita forma, intentio, & materia: si verò intendat baptizare dependentèr ab intentione alterius, non validè baptizat, siuè singuli dicant, *Ego te baptizo*, siuè *nos te baptizamus*, quia in vtroque casu falsa est forma, quia neuter per se baptizat, ex defectu intentionis; S. Thomas *quæst. 66. art. 5.* Bellarm. *de baptismo cap. 3.* & alij.

3 Inualidus est Baptismus, quando duo concurrunt ad baptizandum, mutus, & manibus mancus; ità vt mutus infundat aquam, & carens manibus proferat formam: Ratio est, quia qui profert formam non abluendo, falsitatem diceret, & ideò nullum efficeret Sacramentum; licèt plures in casu necessitatis alitèr sentiant; baptizandus tamen esset iterùm, si euadat mortis periculum.

4 Quando quis putat baptizare fœminam, & baptizat masculum, aut putat se baptizare Ioannem, & baptizat Petrum, validè baptizat, quia licèt Minister speculatiuè erret, tamen practicè non errat, cùm dirigat intentionem suam in præsentem personam; ità Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 8.* Sayrus *de sacram. in genere lib. 2. cap. 4. quæst. 6.* Reginaldus *quæst. 26. num. 42.* Victoria *de baptismo quæst. 34.* Vasquez *3. par. quæst. 63. disput. 138.* Syluest. *verbo Baptismus 3 quæst. 15.* Tabiena *eodem verbo 6. num. 12.*: Si verò in intentione exprimeretur, quòd non vult baptizare alium, nisi quem putat baptizare, tùnc Sacramentum collatum cum errore personæ, vel sexus, esset inualidum, ex defectu intentionis; & in hoc differt Baptismus, vt dictum fuit, à matrimonio, quia per errorem personæ redditur irritum matrimonium, quia contrahens matrimoniū hic, & nunc intendit contrahere cum tali persona peculiaritèr sibi proposita; Baptizans verò non respicit, nec respicere debet personas particulares, secundùm conditiones indiuiduas, sed potiùs intentio debet ferri circà subiectum præsens, quodcunque illud sit; & ità Bonacina *de sacramentis disput. 2. quæst. 2. punct. 4. num. 26.* & alij ab eo citati.

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Quisnam sit Minister Sacramenti Baptismi.*
2 *Duplex est Minister Baptismi.*
3 *Baptizans extra casum necessitatis, si ex officio ei non competit, peccat.*
4 *Ordo seruandus in ministrando Baptismum.*
5. *In Ministro Baptismi requiritur intentio.*

6 Laicus

6 *Laicus baptizans in peccato mortali non peccat.*
7 *Sacerdos administrans Baptismum in peccato mortali sine solennitate, non peccat.*
8 *Validus est Baptismus, quando post infusionem aquæ pronunciatur forma.*
9 *In Baptismo est adhibendus Patrinus.*
10 *In Baptismo priuato an sit adhibendus.*
11 *Scienter rebaptizans peccat mortaliter.*

1 QViuis homo, ratione præditus potest esse Minister Sacramenti Baptismi. Hæc propositio est de fide, & sumitur ex cap. vlt. Mathæi. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & *ex cap. Firmiter de summa Trinitate*, & ità D. Thomas *quæst. 77. art. 3.* Scotus *in 4. dist. 5. quæst. 1.* Richardus *ibidem dist. 5. art. 4. quæst. 1. & 5.* : Ratio, quia cùm Baptismus sit Sacramentum magnæ necessitatis, Christus voluit pro Ministro Baptismi constituere quemlibet hominem rationis vsum habentem, siuè sit fœmina, siuè etiā hæreticus, aut paganus, dummodò baptizando habeat intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia.

2 Duplex est Minister Baptismi: Primus dicitur Minister solennitatis, cui competit ex officio ipsum ministrare cum debita solennitate; Alter dicitur Minister necessitatis, ad quem solùm spectat in aliqua necessitate, vel in casu contingenti baptizare. Minister ex officio est solus Sacerdos, isque Parochus, quia solus Sacerdos habet potestatem in Corpus Christi verum, & per consequens solus ipse habet in mysticum, ex commissione Episcopi, vel etiam proprij Sacerdotis. Etiam Diaconi solenniter baptizare possunt, licèt hoc tempore non sit in vsu.

3 Quicumque extrà necessitatis casū baptizat, cui id iure, seu ex officio non competit, peccat mortaliter; ità Tertullianus *de Baptismo cap. 17.* Augustinus *lib. 2. contrà Epist. Parmen. cap. 13.*

4 Ordo seruandus in ministrando Baptismum tempore necessitatis est, vt præsente viro, femina non baptizet, nec Laicus præsente Clerico, nec Clericus, licèt Diaconus, præsente Sacerdote, quia Sacerdos est deputatus ex officio; ità Em. Sà *verbo Baptismus num. 7.* Henriquez *cap. 28.* Rodriquez *in summa cap. 25. de baptismo*, Toletus *lib. 2. cap. 19. num 8.* & alij.

5 In Ministro Baptismi requiritur intētio, quia actus administrandi Baptismum est actus humanus, ad quē requiritur intētio.

6 Laicus in necessitate baptizans in peccato mortali non peccat mortaliter: Ratio est, quia non est Minister consecratus; sicut etiam non peccat mortaliter, qui eleuat Eucharistiā de terra in peccato mortali, aut qui in peccato mortali transfert ipsam de vno loco ad alium: Ratio, quia talis translatio non est propria actus Ordinis, seu administratio Sacramenti, sed potiùs actus officij proprij.

7 Sacerdos ministrans Sacramētum Baptismi in peccato mortali sine solennitate non peccat mortaliter, quia in isto casu non administrat ex officio, & vt Minister consecratus; ità S. Thomas *quæst. 64. art. 6.* Coninch. *quæst. 64. art. 6.* Victoria *de sacram. quæst. 19.* Sayrus *lib. 2. cap. 7. quæst. 1. art. 2. & 4.* Quòd si extrà necessitatem sine solēnitate baptizaret in peccato mortali, peccaret mortaliter indignè administrando Sacramentum.

8 Validus est Baptismus, in quo Parochus post infusionem aquæ immediatè pronunciat formam: Ratio, quia forma in isto casu moraliter coniungitur cum materia; ità Layman *in theologia morali lib. 5. cap. 7. tract. 2. num. 5.*

9 In Baptismo est adhibendus Patrinus, cuius officium sit leuare de sacro Fonte, & solenniter spondere pro Infante, contracta simùl obligatione instruendi baptizatum in rebus fidei tempore necessitatis, quoties Infans non habeat parentes, vel Parochum, qui de rebus ad fidem pertinentibus ipsum instruere possint; ità S. Thomas *3. par. quæst. 67. art. 8.* Suarez *tom. 1. de sacram. qu. 67.* Reginald. *lib. 27. num. 3.* Em. Sà *verbo Baptismus num. 15.* & alij.

10 In Baptismo priuato non est adhibēdus Patrinus, cùm nō constet de vllo præcepto Ecclesiæ, & ideò licèt aliquis in isto casu teneat Infantem, dùm baptizatur, non tamen fungitur officio Patrini, cùm censeatur in isto casu solùm materialiter cum tenere.

11 Scienter alium rebaptizans peccat mortaliter; ità *ex cap. Non licet*: Ratio, quia fit contrà substantiam Sacramenti, dùm subiecto incapaci administratur, & præter peccatum mortale, incurrit etiam irregularitatem, vt communiter docent Theologi Canonistæ, & Summistæ, & fundatur *in cap. 2. de Apostolis.*

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Qui sit subiectum Baptismi.*
2 *Quando Baptismus sit suscipiendus.*
3 *An sit validus Baptismus collatus absque consensu parentum.*
4 *Filij infidelium an possint inuitis parentibus baptizari.*
5 *Filius natus ex vno parente infideli potest, altero inuito, baptizari.*
6 *Filij infidelium tributarij, &c. an possint baptizari, &c.*
7 *Filij hæreticorum Catholicè possunt baptizari.*
8 *In Adultis, quæ Dispositio requiratur.*

1 SOlus homo viator nondùm baptizatus tàm paruulus, quàm adultus, est subiectum Baptismi. Hæc assertio est de Fide, & sumitur *ex cap. vlt.* Mathæi. *Euntes docete omnes gentes, &c.* Ratio, quia homines ità creantur, vt possint esse capaces salutis æternæ; Salus autem, & vita hominibus post Euangelij promulgationem ordinariè non contingit sine Baptismo. Vndè sequitur, Satyrum, aut genitum ex fœmina, & Bruto, &c. non esse capaces Baptismi, quia propriè non est homo: ità Henriq. *cap. 21.* Monstrum verò genitum ex

ex fœmina, & viro, est capax Baptismi, quia est homo constans ex anima, & corpore: Imo si dubitetur an habeat duplicem animam, vt si habeat duo capita cum vno pectore, vel duo pectora sub vno capite, duplex baptismus conferendus est, vnus absolutè in ea parte, qua perfectius est caput, vel pectus apparet, & alter sub conditione in altera parte: ità Reginald. *lib. 27. num. 65.* Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 9.* Toletus *lib. 2. cap. 21.* Syluester *verb. Baptismus 3. quæst. 10.*

2 Adulti quamprimum commodè possunt, tenentur suscipere Baptismum: Parentes infantum præcepto Ecclesiæ introducto, obligantur ad illos, quāprimùm fieri potest, ad Sacrum Baptismū offerēdos, attenta consuetudine cuiusque loci: ità Suarez *disp. 25. sect. 2. §. vlt.* Henriq. *lib. 2. cap. 4 num. 3.*

3 Validus est Baptismus collatus infanti absq; consensu parentum, cùm adsint materia, forma, & intentio: ità Henriq. *cap. 25.* Coninc. *quæst. 68. art. 10. num. 66.* Filij infidelium validè baptizantur, parentibus non consentientibus, vel etiam repugnantibus, dummodò vsum rationis habeant: ità S. Antonin. *3. p. tit. 14. §. 6.* Caiet. *2. 2. quæst. 10. art. 12.* & alij. Ratio, quia cùm sint sui iuris in ijs, quæ pertinent ad bonum animæ, habent ius petendi, quod sibi necessarium est ad salutem: nec tenentur patri obedire in ijs, quæ sibi, & Deo contraria sunt.

4 Filij infidelium nunquam baptizatorum non possunt, inuitis parentibus, baptizari, quia vel paruuli abstrahuntur à cura, & potestate parentum in Christiana Fide post Baptismum educandi, vel non abstrahuntur, sed parentibus posteà restituuntur: Primum fieri non potest sine iustitiæ violatione, cùm parentibus etiam infidelibus ius, seu potestas in liberos suos cōpetat, quo inuiti expoliari non possunt: Alterum verò fieri non potest sine Christianæ Religionis ignominia, & iniuria, cùm Deo per Baptismum consecrati infantes si infidelibus parentibus restituantur, manifesto periculo Apostasiæ exponantur. Excipitur tamen casus extremæ necessitatis, vt si infans constitutus sit in certo periculo mortis; quia tunc potest baptizari, etiam inuitis parentibus: Ratio, quia in eo casu cessat periculum peruersionis, cùm statim decessurus sit, & proximo extremè indigenti est subueniendū: ità Suarez *disp. 25. sect. 3* Val. *tom. 4. disp. 4. quæst. 3. punct. 3.* Henriq. *cap. 25. num. 2.* & alij.

5 Filius natus ex vno parente tantùm Infideli baptizandus est, etiam inuitis parentibus, dummodò ipse petat baptizari, si sit adultus: Ratio, quia cùm sit subditus Ecclesiæ, sequi debet parentem Christianū: vt habetur *ex cap. Iudæi 28. quæst. 1.* Quòd si non habeat vsum rationis, baptizandus est, si parens Christianus petat ipsum baptizari, etiamsi alter dissentiat, eùm sit melior conditio parentis Christiani, & innocentis: ità Valentia *loco citato.* Henriq. *loco citato num. 4.* Posseuin. *de Baptismo cap. 6. num. 14.* & alij.

6 Filij infidelium, qui non sunt serui, sed tantùm Tributarij, & Vassalli Principis Christianorum, non possunt inuitis parentibus baptizari: Ratio, quia & si Tributarij, &c. sint, habent tamen ius patriæ potestatis in liberos, quo sine iniuria expoliari non possunt, sicut indicat S. Thomas *quæst. 68. art. 10.*, & docet Durandus *in 4. dist. 4. quæst. 6.* Victoria *de Sacram. quæst. 27.* Toletus *lib. 2. cap. 21. num. 2.* Si verò infideles iusto bello, vel alio titulo in Christianorum seruitutem redacti sunt, sicut alia eorum iura, & dominia: ità & ius patriæ potestatis Domino ipsorum, à quo capti tenentur, iure gentium acquiritur, qui proindè paruulos ipsis auferre, alijs donare, vendere, & consequenter baptizare, inuitis parentibus iure potest.

7 Licitum est baptizare Catholicè filios Hæreticorum, etiam inuitis parentibus: ita ex Concil. Tolet. *cap. 56.* relato *in cap. de Iudæis dist. 45.* Ratio, quia Hæretici Ecclesiæ iurisdictioni subiecti sunt, à qua proindè sine iniuria compelli possunt, vt paruulos suos ad Baptismum Catholicorum deferant, & in Fide, ac Religione Catholica instruant; Sin verò id facere recusent, infantes ab eorum cura abstrahi, & baptizari iure possunt.

8 In adultis triplex requiritur dispositio, vt Baptismum suscipiant: Primò, requiritur intentio actualis, vel virtualis suscipiendi Baptismum: Ratio, desumitur ex verbis D. Augustini, *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.* Idest, *nisi consentias, & intendas:* validus tamen esset Baptismus collatus Dormienti, qui ante somnum petierat baptizari, quia hic dicitur habere intentionem habitualem: quod etiam dicendum est de Amente, qui ante amentiam petijt baptizari. Vnde si in baptizato consensus sit metu extortus, etiam ille est inhærens: Ratio, quia metus non tollit intentionem, & voluntarium: Secundo, requiritur in adulto, ad recipiendum Baptismum cum fructu, Fides supernaturalis, vt patet ex verbis Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* fieri tamen potest, vt aliquis non habeat Fidem infusam, & nihilominus recipiat verum Baptismum, & characterem, quamuis non recipiat Fidem, & gratiam, vt quando aliquis instructus ab Hæretico, habet intentionem recipiendi, quod fuit institutum à Christo quidquid vtilius sit. Tertiò, requiritur in adulto ad recipiendum Baptismum cum fructu, attritio: ità Concil. Trident. *sess. 6. cap. 8.* Toletus *lib. 2. cap. 21. num. 5.* Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 6. nu. 4.* & alij: Et hæc attritio debet esse supernaturalis: ità ex Tridentino citato, & ex alijs Doctoribus.

PARAGR. VII.

SVMMARIVM.

1 *Primarius effectus Baptismi quis sit.*
2 *Secundus effectus.*
3 *Tertius effectus.*
4 *Alij effectus.*
5 *Recipiens Baptismum cum peccati venialis complacentia, recipit ipsum, &c.*
6 *Triplex fictio in Baptismo.*
7 *In ministratione Baptismi sunt seruandæ cæremoniæ.*
8 *Quando in Ecclesia sint supplenda.*
9 *Item, quando quis fiat Patrinus; tenendo infantem in Baptismo priuato.*
10 *Patrinus Hæreticus non est adhibendus.*

1 PRimarius effectus Baptismi est gratia habitualis, cum reliquis virtutibus, & donis, quæ gratiam consequuntur, quę gratia primum remittit peccatum originale: vt patet ex Tridentino *sess. 6. cap. 6.* Remittit etiam peccata actualia, quæ cōmissa fuerant ante Baptismum, non tamen remittit commissa post, quia alioqui non esset necessarium aliud remedium præter Baptismum, neque Pœnitentia diceretur secunda tabula post naufragium: itâ S. Thomas 3. *p. quæst. 69. artic. 1.* Reginald. *lib. 27. num. 61.* & alij.

2 Secundus effectus Baptismi est deletio omnis pœnæ ob peccatum constitutæ. Est de fide definitum in Concilio Tridentino *in Decreto Armenorum*, & itâ S. Thomas *quæst. 69. art. 2.* Vndè si quis recepto Baptismo sine obice, moreretur, statim ad Cœlum aduolaret: modò post ipsum non commisisset peccatum: itâ S. Thomas 3. *part quæst. 69. art. 7.* Tabiena *verb. Baptismus 8. num. 6.* Syluester *verb. Baptismus num. 1.*

3 Tertius effectus Baptismi est character, per quem non potest iterari, quamuis fit à Pagano, vel Hæretico collatus, quia character est indelebilis: & itâ colligitur ex Trident. *sess. 7. de Baptismo*, & itâ Valen. tom. 4. *disput. 4. quæst. 1. punct. 4.* Gutierez. 2. *p. lib. 1. cap. 1. num 10.*

4 Sunt etiam alij effectus minùs principales Baptismi, nimirùm apertio Ianuæ Cœlestis, coniunctio hominis cum Christo, subijcere hominem iurisdictioni Ecclesiæ. Vndè baptizatus obligatur ad seruanda præcepta Ecclesiæ, quia implicitè promittit obedientiam Ecclesiæ, tollit etiam irregularitatem ante Baptismum contractam, ex quocumque peccato; confert etiam sanitatem, vt dicitur de lepra Constantini.

5 Recipiens Baptismum cum peccati venialis complacentia, recipit gratiam, & aliorum peccatorum remissionem, non tamen remissionem illius peccati venialis, cùm impossibile sit, peccatum simul fieri, & deleri: itâ Pitigianus *dist. 1. quæst. 6. artic. 2.*

6 Triplex fictio potest in Baptismo contingere: Prima est, cùm quis accedit ad ipsum sine intentione, & hæc facit Sacramentum irritum; Secunda, cùm accedit cum complacentia peccati venialis, & hæc propriè non est fictio: Tertia, quando adest complacentia peccati mortalis, aut etiam qui non habet debitam intentionē. Vndè, qui recipit Baptismum sine debita intentione, debet illum denuò recipere, qui verò recipit Baptismum sine attritione, & fide, satis est, quòd auferat obicem, & denuò eliciat actum attritionis, &c. In eo verò qui accepit Baptismū mala fide, & cum fictione, quæ dicitur cum peccato mortali, requiritur contritio, vel Sacramentum pœnitentiæ ad recipiendum fructum Baptismi.

7 Quando Baptismus publicè administratur, sunt seruandi ritus, &c. ab Ecclesia præscripti: & ideò eos omittere, est peccatum mortale, quamuis ob paruitatem possit esse veniale. Vndè grauitèr peccat qui baptizat solenniter sine aqua benedicta, sicut etiam qui absque necessitate vtitur Chrismate alterius anni. *cap. 1. si quis de Oleo dist. 4.* Nauar. *cap. 22. num. 14.* Em. Sà *verb. Baptismus num. 15.* & alij.

8 Quando quis domi fuit baptizatus sine cæremonijs ab Ecclesia præscriptis, supplendæ sunt solennitates à Parocho in Ecclesia, vt Sacramentum completè administretur, non solùm quoad substantialia: verùm etiam quoad accidentalia, sicuti constat ex praxi Ecclesiæ: & colligitur *ex cap. 1. de Sacramentis non iterandis.*

9 Si aliquis in Baptismo priuato infantē teneat ex proposito, vt Patrini munus obeat, verus Patrinus fieri videtur, atque cognationem spiritualem contrahere: itâ Nauar. *cap. 22. num. 40.* Armila *verb. Matrimonium num. 14.* Coninc. *disp. 32. dub. 2.* Ratio, quia cùm Patrinus designetur non modò propter solennitatem Baptismi, verùm etiam propter obligationem instruendi baptizatum: sequitur, fieri ipsum Patrinum, & consequentèr suscipere obligationem instruendi ipsum, si verè habebat animum fungendi tali munere.

10 Regularitèr non debet adhiberi Patrinus Hæreticus, cùm infans à Catholico baptizatur: Ratio, quia cùm sit Hæreticus, non censetur idoneus ad instruendum infantem in Fide Catholica: Tum, quia infanti immineret periculum peruersionis, in locis, vbi toleratur hæresis. Posita iusta causa, Hæreticus potest fungi officio Patrini, & contrahere cognationem spiritualem: itâ Layman. *de Sacramento Baptismi cap. 9.* licèt illicitè adhibeatur, propter rationes allatas.

PARAG. VIII.
Textus Sacrorum Canonum. De Baptismo.

SVMMARIVM.

1 *Quando puer ex defectu formæ non censeatur baptizatus.*
† *Quando sit rebaptizandus sub conditione.*
2 *Baptismus validè confertur paruulis.*
† *In adultis requiritur consensus.*

† *Nemo potest seipsum baptizare.*
† *Materia remota Baptismi, quæ sit.*
† *Græci invalidè Latinos baptizant, & è contrà.*
3 *Ordinis Characterem non recipit, qui non baptizatus ordinatur.*
† *Baptismus omissio non nocet probabiliter credenti se esse baptizatum.*
† *Ordinari non potest, qui non est baptizatus.*

1 Baptizatus non est puer, si non dicatur, *Ego te baptizo in nomine, &c.* quamuis sit ter immersus in aqua, & dicatur, *In nomine Patris, & Filij, &c.* ex cap. *si quis puerum* 1. *de Baptismo.* Quando dubitatur an aliquis sit baptizatus, est baptizandus sub conditione, si non est baptizatus. *ex cap. De quibus* 2.

2 Baptismus confertur vtiliter paruulis etiamsi non credant, & remittitur eis peccatum originale, *ex cap. Maiores* 3. In adultis verò requiritur consensus, *ex cap. citato.* Nemo, etiam in casu necessitatis, potest seipsum baptizare, *ex cap. Debitum* 4. Materia remota Baptismi est aqua naturalis, *ex cap. Non vt apponeres* 5. Vndè infans in vtero matris non potest baptizari, quia aqua ad illum non potest pertingere, *ex eodem cap.* Græci non possunt rebaptizare Latinos, sicut nec Latini Græcos, *ex cap. licèt* 6.

3 Presbyter, si cognoscatur, quòd non sit baptizatus, iterùm debet baptizari, & ordinari, *ex cap. si quis Presbyter* 1. *de Presbytero non baptizato.* Presbyter non baptizatus, si mori contingat, saluatur, quia perseuerantia in Fide, & confessione Christi est Baptismus in voto, qui soluit peccatum, *ex cap. Apostolicam* 2. Ordinari non potest, qui non est baptizatus, & si de facto ordinetur, non recipit characterem, licèt credatur baptizatus, *ex cap. Veniens* 3.

PARAG. IV.
Decreta Summorum Pontificum. De Baptismo.

Baptismus est differendus in pueris, ob periculum mortis, sed quamprimùm cōmodè fieri potest, conferri debet. Eugenius IV. *constitut.* 23. *incip. Cantate. Pridie Non. Februarij* 1441.

Baptismus, si matris periculum immineat, per Laicum, & mulierem in forma Ecclesiæ, si desit Sacerdos, potest conferri; imò etiam per Paganum, & Hæreticum, dummodò intendat facere id, quod facit Ecclesia. Eugenius IV. *const.* 19. *incip. Exultate* 10 *Kal. Decembris* 1439.

Baptizati Sclaui, si ad Conseruatores Almæ Vrbis pro libertate confugiant libertatem consequuntur, Ciuesque Romani efficiuntur. Pius V. *const.* 17. *incip. Dignum.* 5. *Idus Septembris* 1566.

TITVLVS III.
De Sacramento Confirmationis.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio est Sacramentum.*
2 *Quando fuerit institutum.*
3 *Confirmatio quid sit.*
4 *An sit necessaria.*
5 *Materia remota huius Sacramenti.*
6 *Balsamus est de essentia.*
7 *Materia proxima quæ.*
8 *Quantitas requisita.*
9 *Forma Sacramenti Confirmationis.*
10 *Minister huius Sacramenti.*
11 *Non Sacerdos non potest delegari.*
12 *Subiectum confirmationis est homo.*
13 *Verba formæ non possunt mutari.*
14 *Episcopus non confirmatus potest confirmare.*

1 Confirmatio est Sacramentum ab aliis distinctum, quod proximè succedit Baptismo, non quidem ordine necessitatis, aut dignitatis, sed generationis, vt Henriquez ait *in summ. init. lib.* 3. *cap.* 1. §. 2., quod statim confertur baptizato, vt confirmet Deus illud, quod per Baptismum est operatus.

2 Institutio huius Sacramenti fuit facta à Christo Domino ante ascensionem ipsius in Cœlum, nimirùm in die vltimæ Cœnæ cùm ibi fuerit instituta materia, & forma; & ideò initiatiuè fuit institutum; completa verò fuit huius Sacramenti institutio. *Ioann.* 20., vbi data fuit Apostolis plena potestas ordinationis Sacerdotalis, & Episcopalis; ità Coninch. *quæst.* 15. *art.* 1. *num.* 23. Designatum verò fuit, & non institutum *Matthæi* 19., quando Christus paruulis imponebat manus. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. & alij.

3 Confirmatio est Sacramentum vnctionis Chrismatis consecrati, quo Episcopus frontem Baptizati inungit sub certa verborum forma, ad fidei robur consequendum. Henriq. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 4. & alij.

4 Confirmationis Sacramentum non est necessarium necessitate medij ad salutem, nec necessitate præcepti; Ratio, quia nullibi reperitur hoc præceptum; Vndè fit, vt secluso contemptu, non sit peccatum hoc Sacramentum omittere; ità D. Thomas 3. *par. quæst.* 42. *art.* 8.

5 Materia remota huius Sacramenti est Chrisma, quod conficitur ex oleo oliuarum, & balsamo, & ab Episcopo benedictum; ità Concilium Florentinum *in decreto Eugenij* § *secundum Sacramentum*, & Concilium Tridentinum *sess.* 7. *can.* 2. *de confirmat.*, & communitèr omnes Doctores.

6 Balsamus est de essentia huius Sacramenti, licèt plures alitèr sentiant, sicut etiam necessarium est, vt benedicatur ab Episcopo; tùm quia si habet perpetuus vsus Ecclesiæ, vt patet ex Toletano 8. Carthaginien. Florentino; & ità S. Thomas *quæst.* 72. *art.* 4. Coninch. *ibidem art.* 3. *num.* 43. Suarez *disput.* 33. *sect.* 2. Camerota *de confirmatione cap.* 2. *dub.* 3.

7 Materia proxima Confirmationis est vnctio

ctio Chrismatis in fronte facta manu Episcopi in Crucis figura, & ideò requiritur ad essentiam materiæ proximæ, quòd vnctio fiat manu Episcopi in fronte, & Crucis figura; & ità Suarez *disp. 33. sect. 3.*, sed non est essentiale, quòd vnctio fiat pollice manus dexteræ, quia si contingeret fieri alio digito, etiam manus sinistræ, Sacramentum teneret: In fronte autem illa fit tamquàm in sede verecundiæ, vt scilicèt Confirmatus sine rubore, & verecundia, Christi nomen confiteri possit.

8 Ea quantitas sufficit, quæ potest digito inungi in fronte, ex quo deducitur, modicam quantitatem sufficere ad vnctionem in figura Crucis in fronte eius, qui confirmatur; ità D. Thomas *3. par. quæst. 72. art. 9.* Silvius *ibidem*, Suarez *disp. 33. sect. 3.*

9 Forma Sacramenti Confirmationis hæc est, *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, In nomine Patris, &c.*, & ità communitèr Doctores, & constat ex vsu, & traditione Ecclesiæ; Vnde tria sunt de essentia huius Sacramenti, inuocatio Sanctissimæ Trinitatis expressa: Secundò, est finis, seu effectus gratiæ salutaris, quæ ad spirituale robur animæ per visibilem vnctionem in hoc Sacramento confertur: Tertiò, est spirituale signum, seu character, qui Christiano militi imprimitur.

10 Minister Sacramenti Confirmationis ordinarius est Episcopus consecratus, vt patet ex Concilio Tridentino *sess. 7. de confirmatione*, & *ex cap. De Presbyteris de consecrat. dist. 4.* Dixi Ordinarius, quia simplex Sacerdos, ex commissione Papæ, potest hoc Sacramentum ministrare, tamquàm Minister extraordinarius, *vt ex cap. Peruenit dist. 95.*; & ità Bellarmin. *cap. 12. De confirmatione*, S. Thomas *quæst. 62. art. 11.* Besantius, & Coninch. *ibidem num. 204.* Nauar. *cap. 22. num. 8.* Vasq. *3. par. quæst. 72. art. 3. disp. 219. cap. 1. num. 3.*

11 Nullus inferior Sacerdote potest ministrare hoc Sacramentum, etiam ex commissione Papæ; ità Suarez *disput. 36. sect. 2.*; Episcopus etiamsi fit hæreticus, excommunicatus, aut degradatus, semper retinet potestatem confirmandi; quæ fundatur in charactere Sacerdotali, & Episcopali, qui indelebilis est. Filliuc. *tract. 3. cap. 2. num. 29.* Suarez *disp. 36. sect. 3.*

12 Subiectum capax Confirmationis est homo viator baptizatus; ità Magist. *in 4. dist. 7.* S. Thomas *quæst. 72. art. 8.* Syluest. *verbo Confirmatio num. 4.* & alij; & licèt antiquitùs statim post Baptismum conferretur, nunc solùm confertur pueris, postquàm ad rationis vsum peruenerunt; ità Em. Sà *verbo Baptismus*, Henriq. *cap. 25. num. 2.*

13 Verba, in quibus consistit forma Sacramenti non sunt mutanda; nam si verba quoad sensum substantialem varientur, non validè conficietur Confirmationis Sacramentum. Verùm si aliquis confirmet hac forma, *Confirmatur seruus Christi, validè confirmat*; ità apud Bonac. *de sacram. disp. 3. quæst. vnica punct. 3.*

14 Episcopus non confirmatus potest validè conferre Sacramentum Confirmationis: Ratio, quia habet characterem Ordinis Episcopalis, in quo fundatur potestas confirmandi: Episcopus verò nondum consecratus non potest confirmare, quamuis sit electus ad Episcopatum, quia nondum habet characterem Episcopatus. Non potest tamen Episcopus in sua Diœcesi confirmare subditos alterius Episcopi, quia nullus debet mittere falcem in messem alienam: Verùm si Episcopus confirmat non subditum, excusatur à culpa, & à pœna; ità Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 6.* Em. Sà *verbo Confirmatio num. 2.*: Ratio est, quia præsumendum est, hoc fore gratum Episcopo, licèt alij alitèr sentiant, quorum opinio in praxi videtur tutior.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Amentes possunt confirmari.*
2 *Non confirmatus tenens in Confirmatione, non contrahit cognationem.*
3 *Suscipiens Ordinem ante confirmationem an peccet.*
4 *Quæ dispositio in adultis requiratur.*
5 *Primus effectus huius Sacramenti.*
6 *Secundus effectus.*
7 *Tertius effectus.*
8 *Quid agendum, quando dubitatur, an aliquis sit confirmatus.*
9 *Qui ritus, & cæremoniæ seruandæ in collatione huius Sacramenti.*

1 Amentes perpetui possunt confirmari: Ratio est, quia sunt capaces Sacramenti, & effectus eius, & nulla est Sacramenti irreuerentia, quòd eis conferatur, cùm sint benè dispositi, nisi constet, aliquem mortali peccato obnoxium in amentiam incidisse: Verùm si spes erit recuperandi vsum rationis, tantisper expectandum erit, & ità Gamberan. *de casibus temporis mortis cap. 2. dub. 5.* Villabol. *in sum. tom. 1. tract. 6. diff. 6. num. 5.* Pitigian. *in 4. tom. 1. disput. 6. quæst. 1. art. 8.* Filliuc. *tom. 1. tract. 3. cap. 2. num. 38.* Layman *lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 3.*

2 Si non confirmatus alium teneat in cõfirmatione, non contrahit cognationem cum illo, neque cum parentibus; ità *ex cap. In Baptismate, de consecrat. dist. 4.* Sanchez *de matrimon. tom. 2. lib. 8. disput. 60. num. 19.* Vgolinus *de potestate Episcopi cap. 25. §. 1. num. 2.* Rebellus *par. 2. lib. 3. quæst. 6. num. 6. & 7.* Ponzius *de impedimentis matrim. cap. 24. §. 1.* & alij.

3 Qui primam Tonsuram, vel Ordines suscipit ante confirmationem absque cõtemptu, nõ peccat mortalitèr; Ratio, quia talis omissio non videtur de re grauis, præcisò contemptu, neque ex verbis Concilij Tridentini potest deduci, tale præceptum obligare sub mortali; & ità Nauar. *in cap. 22. num. 9.* Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4.* Suarez *disp. 38. sect. 1.* Valent. *tom. 4. disp. 5. quæst. 2. punct. 3.*

4 In adulto suscipiente Sacramentũ Confirmationis requiritur intentio suscipiendi Sacramentum, saltem interpretatiuè; ità D. Thomas *3. par. quæst. 78. art. 4.* Suarez *3. par. disput. 14. sect. 2.* & alij. In Infante vsum rationis non habente sufficit voluntas

Christi, & Ecclesiæ: Secundò, requiritur fides, vt Sacramentum cum fructu recipiatur: Tertiò, requiritur, vt suscipiens Sacramentum sit in gratia, cùm hoc Sacramentum sit institutum ad conferendam secundam gratiam; ità S. Thomas *3. par. qu. 72. art. 2.* Angel. & Syluest. *verbo Confirmatio num. 4.* Viuald. *de confirmat. cap. 5. num. 22.* & alij.

5 Primus effectus huius Sacramenti est gratia habitualis sanctificans, conferens speciale auxilium ad veram fidem constantèr tenendam, & profitendam: Ratio, quia cùm tale Sacramentum institutum sit ad protestandam fidem, debet per ipsum conferri gratia cum talibus auxilijs, quibus confirmatus valeat fidem profiteri; ità D. Thomas *3 par. qu. 72. art. 7.* Syluest. *verbo Confirmatio num. 2.* & alij.

6 Secundus effectus est character, qui est spirituale quoddam, & indelebile signum, quod susceptione Sacramēti in anima imprimitur, quo Confirmatus insignitur tamquàm Miles Christi, vt aduersus inimici tentationes sit constans pro Christi fide tuenda. D. Thomas *loco citato art. 5.* An talis character sit qualitas noua, re ipsa distincta à charactere baptismali, vel solùm illius quidam modus, & perfectio; respondeo, esse qualitatem realitèr omninò distinctam à charactere Baptismi, & ità colligitur ex Concilijs, & Doctoribus, qui æquè distingunt tres characteres specie distinctos, Baptismi, Confirmationis, & Ordinis.

7 Tertius effectus est cognatio spiritualis, quæ oritur inter confirmatum, & confirmantem.

8 Quando dubitatur, an aliquis sit confirmatus, iterùm confirmandus est sub conditione, si non est confirmatus; ità Suarez *disp. 35. sect. 1.* De isto Sacramento suscipiendo non extat præceptum Diuinum, cùm nō sit necessarium ad salutem, vt docet D. Thomas *quæst. 72. art. 8.*, & licèt Confirmatio possit fieri omni tempore, tamen regularitèr fit diebus Pentecostes.

9 Ritus, & cæremoniæ, quæ debent seruari in collatione huius Sacramenti sunt sequentes: Prima, vt vnctio ex Chrismate fiat in fronte sub signaculo Crucis: Secunda, recitantur orationes cum manus impositione super caput: Tertia, frons Chrismate vncta ligatur vita, quòd fit propter Chrismatis reuerentiam, licèt hęc non videatur amplius in vsu: Quarta, ex decentia tàm confirmans, quàm confirmandus ieiuni accedere debent; licèt nunc consuetudo sit contraria: Quintò, post peractum Sacramētum Pontifex confirmato leuem alapam super genas infligit dicens, *Pax tecum*; tùm vt cōfirmatus intelligat, se armari ad iniurias pro Christo ferendas, tùm vt suscipiens recordetur Sacramenti suscepti, &c.

P A R A G. II.

Decreta Sacrę Congregationis Concilij. De Confirmationis Sacramento.

Confirmationis Sacramentum in alterius Diœcesi non potest Episcopus suis subditis conferre sine licentia Episcopi, in cuius Diœcesi reperitur. Sacra Congreg. Concil.

Confirmationis Sacramentum vt ministret, accersere potest, quem maluerit Catholicum Antistitem Prælatus inferior nullius Diœcesis hăbens iurisdictionem Episcopalem, non obstante *cap. 5. sess. 6. de reformatione.*

Confirmationem administrare debet Episcopus cum Pluuiali, Mitra, Stola, & Baculo Pastorali. *19. Februarij 1585.*

T I T V L V S IV.

De Eucharistia.

S V M M A R I V M.

1 *Eucharistia dicitur bona gratia.*
† *Quibus nominibus appelletur.*
2 *Est Sacramentum.*
† *Quomodò differat ab alijs.*
3 *Sacramenti Eucharistiæ definitio.*
4 *Sacramentum Eucharistiæ est vnicum formalitèr.*
5 *Materia huius Sacramenti.*
6 *Panis triticeus debet esse.*
7 *Quatuor concurrunt ad materiam remotam.*
8 *Materia consecranda debet esse præsens.*
9 *Quomodò debeat esse determinata.*
10 *Panis fermentatus, &c. est materia remota huius Sacramenti.*

1 EVcharistia dicitur quasi bona gratia, vel gratiarū actio; ità *ex can. Multi 84. §. Sacramentum 1. quæst. 1.*, quia illa, quatenùs est sacrificium, Deum recognoscimus, ipsiq; gratiarum actionem pro beneficijs acceptis impendimus; tùm etiam, quia confert gratiam vberiorem præ cæteris Sacramē-
† tis. Dicitur etiam Viaticum, quatenùs per Eucharistiam præparamur ad gloriam. Dicitur etiam Communio, sinè Synaxis, quia Christi-fideles per Eucharistiam vniuntur; ità D. Thomas *3. par. quæst. 73. art. 4.* Toletus *lib. 2. cap. 30.* & alij.

2 Est de fide, Eucharistiam esse Sacramētum, & est definitum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *can. 1.* & in Tridentino *sess. 7.*: quia est sensibile signum ad nostram sāctificationem institutum, quod
† Sacramentum differt ab alijs: Primò, quia reliqua Sacramenta consistunt in vsu, & applicatione materiæ ipsorum ad suscipientem; hoc vero Sacramentum non dependet ab vsu, & applicatione, sed ante vsum habet per consecrationem esse permanēs, quamdiù conseruantur species Sacramentales: Secundò, in alijs Sacramentis sola forma transit, & materia manet immutata; in isto Sacramento materia, & forma transeunt: Tertiò, in cæteris Sacramentis gratia, & Sacramentum non sunt

alitèr

aliter, quàm in suscipiente, in Eucharistia, Sacramentum est extrà suscipientem, & antequàm producat in illo gratiam, quam significat: Quartò, nec materia, & forma sunt partes Sacramenti Eucharistiæ, sed sunt principia consecrationis, & confectionis illius; at in alijs materia, & forma sunt partes illorum in fieri, & in facto esse: Quintò, hoc Sacramentum est effectus formæ, & consecrationis suæ, & ideò manet post desitionem materiæ, & formæ, & consequenter non consistit in actione, sed in re permanente: Sextò, virtus productiua gratiæ in alijs Sacramentis est virtus creata, siuè qualitas superaddita, siuè sit potentia obedientialis formæ, & materiæ; & virtus huius Sacramenti ad animas sanctificandas est corpus Christi: Vltimò, hoc Sacramentum cæteris omnibus dignitate, excellentia præstat, cùm in se contineat fontem omnium bonorum, ratione cuius dicitur summa, & compendium omnium mysteriorum fidei.

3 Sacramentum Eucharistiæ definitur, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ad spiritualem animarum refectionem: ità communitèr DD. Quod fuit institutum à Christo in vltima Cœna, quo tempore panis fermentatus non reperiebatur in omnibus finibus Israel: iuxtà præceptum *Exodi 11. & 12.*

4 Eucharistiæ Sacramentum est vnum formalitèr: ità S. Thomas *quæst. 73.* S. Bonauentura *in 4. dist. 8. art. 2. quæst. 2.* & alij. Ratio, quia habet vnam definitionem, & essentiam, licèt ad eam concurrant variæ res materialitèr distinctæ, tamen omnes conficiunt vnum Sacramentum; tùm etiā quia in Sacramento non requiritur vnitas naturalis, aut materialis, sed tantùm moralis, ex Christi institutione ad vnum finem, & effectum: & ideò licèt ad hoc Sacramentum concurrant duæ diuersæ materiæ, panis, & vinum, ex quibus Sacramentum conficitur; duæ consecrationis formæ, quarum vna per se efficit Christi Corpus, altera verò Sanguinem; item species panis, & species vini; tamen hoc Sacramentum censetur perfectum, atque vnicum morali vnitate, ac perfectione, quatenùs significat vnum sacrificium cruentum, quod Christus in Cruce, Sanguinis sui effusione, & Animæ à Corpore separatione, consummauit: multis etiam alijs rationibus dicitur vnicum.

5 Materia huius Sacramenti est panis, & vinum, vt constat ex Concilio Lateranensi *cap. Firmitèr*, ex Florentino Concilio, *in Decreto Eugenij Papæ III.* Est Sacramentum, & docet S. Thomas *quæst. 74. art. 1.*, quia Christus in his consecrauit corpus, & sanguinem suum. Ad perficiendum hoc Sacramentum, nō est necesse, vtramque materiā concurrere, sed vna ex illis priùs tempore validè consecratur, quàm altera: Illicita tamen est vnius materiæ consecratio sine altera, quia licèt vnius materiæ consecratio non sit de essentia alterius, vtraq; tamen est de integritate sacrificij, cùm de Iure Diuino sit cōsecrare sub vtraque specie, Suarez *disput. 43.*, Siluius *3. par. quæst. 74. art. 1.* & alij; quod præceptum non censetur negatiuum, sed positiuum, quia dantur aliqui casus, in quibus non est obligatio conficiendi sub vtraque specie.

6 Panis debet esse triticeus, quod nomē latè sumitur, vt omne genus frumenti comprehendat, & etiam siliginem comprehendit: non comprehendit tamē milium, auenam, speltam, panicum, lolium, far, & hordeum, quia specie differunt à tritico.

7 Quatuor concurrunt ad materiam remotam huius Sacramenti: Primò, vt ipsa materia absolutè denominetur panis vsitatus hominibus: Secundò, vt sit confectus aqua naturali: Tertiò, vt sit coctus igne per modum assationis: Quartò, vt sit præsens moralitèr, vt possit designari per particulam *Hic*, & *Hoc*. S. Thomas *quæst. 75 art. 6.* Henriq. *lib. 8. cap. 9. num. 2.* & alij.

8 Materia consecranda debet esse præsens Sacerdoti; ità vt possit demonstrari Pronomine *Hoc*. Et ideò Sacerdos non potest consecrare hostiam existentem à tergo, vel post parietem, nisi fortè manu tangatur. Non requiritur, vt materia videatur, nam Sacerdos cæcus, dummodò aliquo sensu materiam percipere possit, vel relatione Ministri certior de illa fieret, verè posset consecrare. Quanta distantia requiratur, nulla certa regula præscribi potest: Sotus ait, ad distantiam decem passuū, valere consecrationem, &c. Cæterùm nihil consultiùs est, quam seruare communem Ecclesiæ vsum. Non requiritur contactus in consecratione; potest enim Sacerdos consecrare hostiam sub corporali, sicut & vinum in calice cooperto, vt docet Sotus *art. 2.* & Henriq. *lib. 8. de Eucharistia cap. 14.* & alij.

9 Materia consecranda, neq; quoad magnitudinem, neque quoad paruitatem, debet determinari, modo conseruetur sub illa substantia panis, & vini. Verùm, licèt ratione quantitatis, non sit determinata, ratione tamen intentionis consecrantis, debet esse determinata; ità Syluest. *verbo Eucharistia 2. quæst. 6.* Henriquez *lib. 8. cap. 14. num. 5.* Suarez *disput. 43. sect. 6.* & alij: Ratio, quia actiones sunt singularium, & circà materiam singularem; ergò ad hoc vt Sacerdos operetur consecrationem, oportet quod per intentionem applicetur eius actio ad determinatam materiam in singulari.

10 Licèt panis tàm fermentatus, quàm azymus sit materia remota Sacramenti, quia panis fermentatus non differt specie ab azymo, & consequentèr validè fit consecratio, siuè fiat in pane azymo, siuè in fermentato, vt docent communitèr Doctores: tamen vnusquisque Sacerdos debet se accommodare suæ Ecclesiæ; ità vt Sacerdos Latinus consecret in azymis, iuxtà cōsuetudinem Ecclesiæ Latinæ, & Christum imitentur, qui in azymis consecrauit, & Apostolos in azymo communicauit; & ità

Vasquez 3.par.disput. 172. num. 172. 173. & 174. Pesantius 3. par. quaest. 14. art. 4. disput. 1 & alij: & ideò grauitèr peccat Sacerdos Latinus, si non conficeret in pane azymo; facit enim contrà consuetudinem, & praeceptum Ecclesiae in re graui, vt colligitur ex cap. Literas de celebratione Missar., & ità Azor. 1. par. lib. 10. cap. 23. quaest. 8. & alij.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Materia sanguinis Christi, quae.*
2 *Vinum congelatum est sufficiens materia.*
3 *Aqua miscenda est vino.*
4 *Quae quantitas sit miscenda.*
5 *Aqua non conuertitur immediatè in sanguinem Christi.*
6 *Guttae vini, quae sunt in Calice, an sint consecratae.*
7 *Aqua, quae ante consecrationem non fuit in vino conuersa, non conuertitur in sanguinem Christi.*

1 Materia necessaria, & sufficiens sanguinis Christi est vinum de vite, siuè sit album, siuè sit rubrum, & cuiuscumque qualitatis sit; ità D. Thomas quaest. 74. art. 5. Azor. lib. 1. tom. 10. cap. 19. Toletus lib. 2. cap. 25. num. 3. & alij. Vndè vinum ex malo punico non sufficit ad hoc Sacramentum, quia non est vinum vitis: mustum ex vuis maturè expressum est sufficiens materia Sacramenti; non tamen conueniens, donèc concoctione purgatum sit fordibus: Ratio, quia mustum purgatum verum est vinum vitis, & vim habet calefaciendi, & inebriandi, & est potabile. Vinum coctum non potest consecrari, quia speciem mutauit, nec amplius simplicitèr est vinum: similitèr vua non potest consecrari, nam potiùs comedi consueuit, quàm potari, & materia huius Sacramenti debet esse potabilis: Item acetum non potest consecrari, quia est vinum substantialitèr corruptum, ac putrefactum. Potest tamen confici hoc Sacramentum ex vino acescente, licèt peccet, qui extrà necessitatem vtitur vino acescente, si dubitetur, an sit verè acetum, quia exponit se periculo consecrandi in materia indebita, & insufficienti; ità Pitigianus dist. 11. quaest. 7. Viualdus de Eucharistia cap. 3. num. 4. & alij.

2 Vinum congelatum est sufficiens materia consecrationis, quia est substantialitèr vinum, & consequentèr per se potabile: Ratio, quia congelatio non corrumpit substantiam vini: verùm si tanta esset congelatio, vt putaretur omninò recessisse à natura vini, non esset omninò consecrandum. Diana p. 3. tract. 6. resol. 100. Filliuc. tract. 4. num. 83. & alij.

3 Ex necessitate praecepti Ecclesiastici, modica quantitas aquae naturalis miscenda est vino consecrando, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 7., & ex perpetua traditione Ecclesiae, quia sic creditur Christum fecisse, & repraesentatio fit aquae, & sanguinis a latere Christi effluxi, significaturque effectus Sacramenti vnio Ecclesiae, videlicèt cum Christo: Dixi, ex necessitate praecepti Ecclesiastici, quia talis mixtio non est necessaria necessitate Sacramenti, quia valida est consecratio facta sine mixtione aquae; licèt peccet Sacerdos, qui praetermitteret talem mixtionem, quia in re graui faceret contrà praeceptum Ecclesiae.

4 Aqua, vt dictum fuit, debet misceri in modica quantitate, & ideo Sacerdos debet aduertere, nè tantam aquae copiam adhibeat, quantum est vinum, imò curare debet, nè quantitas aquae tertiam vini partem excedat. Prǽtereà sufficit quęliber guttula aquae sensibilis, quia sub tali gutta saluatur significatio, propter quam aqua adhibetur; ità S. Thomas quaest. 74. art. 8. Coninch. ibidem num 140. & alij. Circà tempus, quo facienda est aquę mixtio, standum est consuetudini cuiuslibet Ecclesiae; Aliqui enim in principio Missae talem mixtionem faciunt; alij post Euangelium: si verò ex obliuione, Sacerdos aquam non infudit, & illud aduertit ante consecrationem, debet illam statim apponere; si autem, peracta consecratione, aduertat, nō potest eam apponere: Ratio, quia aqua admiscenda est vino, & non sanguini Christi; per acta autem consecratione, est sanguis Christi.

5 Aqua, quae vino miscetur, non conuertitur immediatè in sanguinem Christi, sed mediatè, idest mediante vino, in quod aqua priùs conuertitur, quia totum illud conuertitur in sanguinē Christi: est Innocētij, De celebratione Missarum cap. Cum Marta.

6 Guttae vini, quae sunt in Calice separatae à vino, quod est in fundo Calicis, non sunt consecratae: Ratio, quia ad eas non fertur intentio consecrantis, cùm solùm Sacerdos intendat consecrare vinum, quod per modum vnius in Calice continetur; & ità Layman. tract. 4. cap. 2. de Eucharistia, Diana tract. 4. de sacram. resolut. 32. Verùm si Sacerdos haberet intentionem eas consecrandi, essent consecratae: Ratio, quia illae guttae sunt materia consecrationis.

10 Aqua, quę ante consecrationem non fuit in vinum conuersa, non conuertitur in sanguinem Christi, sed remanet in Calice, secundùm suam substantiam, cùm huiusmodi aqua nō sit materia sanguinis Christi: nec item potest adorari talis aqua, quamuis coniuncta sit cum speciebus continentibus sanguinem Christi; cùm aqua non cōtineat sanguinē Christi; ità Hēriq. cap. 22. n. 4. Syluest. verbo Eucharistia 1. n. 3. & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Forma Sacramenti Corporis Christi.*
2 *Quae variatio formae non conficiat Sacramentum.*
3 *Qui vtitur verbis sinonymis, quomodo conficiat Sacramentum.*
4 *Forma consecrationis sanguinis Christi.*
5 *Verba Canonis quomodò dicantur à Sacerdote.*
6 *Quid significent illae particulae* Hoc, *vel* Hic.
7 *Particula* Hoc, *dupliciter consideratur.*
8 *Effectus prolationis verborum consecrationis.*
9 *Christus, &c. existit sub qualibet parte Hostiae.*
10 *Quomodò existat.*

1 Forma

1 FOrma Sacramenti Corporis Christi hæc est. *Hoc est enim Corpus meum*, ità S. Thomas *quæst.78*, & cum eo communitèr Doctores. Alia verba præcedentia consecrationem, nimirùm, *Qui pridiè quàm pateretur, &c.* Similitèr Dictio *Enim*, non sunt de essentia, sed de necessitate præcepti: vndè illa omittens, peccaret grauitèr, quia faceret contrà vsum Ecclesiæ.

2 Quoties in forma contingit variatio, vt sensus substantialis formæ varietur, non conficitur Sacramentum: si verò accidentalitèr solùm mutet sensum propositionis, validè conficitur Sacramētum, quamuis grauitèr peccet, qui mutat accidentalitèr sensum propositionis. Suar. *disp.59 sect.* 2. Henriq *cap.16.num.5*.

3 Ille validè conficit Sacramentum, qui vtitur verbis sinonymis essentialitèr non mutantibus sensum, vt si dicatur, *Hic cibus est corpus meum*, vel si dicatur, *Hoc est corpus meum*, vel *hic est corpus meum*, modò *Hic* non accipiatur aduerbialitèr, sed loco Pronominis: Ratio, quia adhùc subsistit sensus formæ: Similitèr si dicatur, *Hoc est caro mea*, validè consecratur: Ratio, quia perseuerat essentialitèr sensus propositionis: si verò dicatur, *Hoc est corpus Christi*, vel qui diceret, *Hic panis est corpus meum*, vel *Hoc fit corpus Christi*, vel *Fit corpus meum*, vel *Conficio corpus meum*, vel *Hoc fit corpus meum*, vel *illud est corpus meum*, non conficeretur Sacramentum, quia substantialitèr mutaretur sensus formæ.

4 Forma consecrationis sanguinis Christi in his verbis consistit, *Hic est calix sanguinis mei*; ità cum Magistro *in 4. dist.8.* omnes Doctores: Ratio, quia verba illa plenè, ac sufficiētèr significant conuersionem aquæ in sanguinem Christi, eiusque realem, ac permanentem præsentiam.

5 Quædam verba Canonis dicuntur à Sacerdote historicè, seù recitatiuè, vt sunt verba, *Qui pridiè, &c.* Verba verò, quæ vtriusque formæ essentialia sunt, videlicèt *Hoc est corpus meum*; *Hic est calix sanguinis mei*, dicuntur non tantùm materialitèr, & recitatiuè, sed etiam formalitèr significatiuè, & assertiuè; ità S. Thomas *quæst.78. art.5.*, quia tùnc Sacerdos loquitur in persona Christi.

6 Illæ particulę *Hoc*, vel *Hic* significant contentum sub speciebus, ità vt sensus sit, *Quod continetur sub speciebus, est corpus meum*, & ideò particula *Hoc* directè, & primariò respicit contentum sub speciebus; secundariò respicit accidentia panis, & vini.

7 Particula *Hoc* duplicitèr consideratur: Primò, per se, vt est simplex quidam terminus, & vt sic, non habet determinatam significationem, sed vagam, & indeterminatam: Secundò, potest considerari, vt est terminus, & subiectum huius propositionis, *Hoc est corpus meum*, cuius significatio determinatur à prædicato, & facit vnam integram significationē cum Verbo, & prædicato: Item particula *Hoc* non significat contentum sub speciebus pro eo signo, & tempore, quo ipsa particula profertur, siuè consideretur vt terminus, siuè vt subiectum propositionis: consequentèr non potest pro eo signo, quo profertur, significare panem, quia tunc non habet determinatam significationem, sed suspensam, donèc determinetur à prædicato, idest ab illo verbo *Corpus meum*: à prædicato autem determinatur ad significandum id, cui cōuenire potest prædicatum; cùm autem id, cui prædicatū conuenit, sit Corpus Christi, quod continetur sub speciebus, statim prolato prædicato, sequitur, particulam *Hoc* significare Corpus Christi, & supponere pro Corpore Christi, quod continetur sub speciebus; ità vt sensus sit, *Hoc, quod continetur sub speciebus, est corpus Christi*.

8 Virtute prolationis verborum consecrationis, prolatorum à Sacerdote in persona Christi, fit conuersio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, quæ conuersio dicitur transubstantiatio, idest trāsitus substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi; ità vt post consecrationem nihil omninò remaneat substantiæ panis, & vini: Accidentia tamen ipsorum perseuerant, nempè quantitas, figura, color, sapor, &c. Idque absque subiecto, à quo sustententur; ità vt per nullam substantiæ inhærentiam miraculosè, Diuina virtute, existant. Ità *ex cap. Species*, & *cap. Nos autem, de consecratione, dist. 2.* & *cap. Firmitèr de Summa Trinitate*; ità D. Thomas *quæst. 75. artic. 1.* Valentia *disput. 6. quæst. 3. punct. 1.* Insuper accidentia possunt agere, & producere quidquid producerent cum substantia panis, & vini, nempè vt extinguant famem, vel sitim.

9 Christus verus Deus, & homo, quòad substantiam existit sub qualibet parte Hostiæ, & est de fide; & ità Concilium Tridentinum *sess. 13. can. 3.* & ex verbis Christi *Ioann. 6. Qui manducat me, & ipse viuet propter me; Ego sum panis viuus, &c.*, ex quibus verbis, cùm apertè constet, Christum esse sub speciebus, constat etiam, ipsum existere totum, quòad substantiam, sub qualibet specie perfectè, & non mutilatè; ità Henriquez *lib.8. cap.27. num.4.* Vasquez *tom.2. disp. 188. num.2.* Conin. *qu.75. num.49.* Reginald. *lib. 29. num.37.* & alij.

10 Christus quòad substantiam, & accidentia, non solùm existit sub qualibet specie, verùm etiam sub qualibet parte specierum, & ità definitum est in Tridentino *loco citato*. S. Thomas *3. par. quæst.76. art. 2.* Sotus *in 4. dist.10. quæst.1. art. 2. & 3.* Vinaldus *de Eucharistia cap. 7. num. 15.* & alij. Existit sub speciebus modo quodam admirabili, & ineffabili, eo modo, quo in Cœlis existit; non verò existit modo quantitatiuo, seù per extensionem partium in ordine ad locum.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Sub speciebus panis vi verborum quid contineatur.*
2 *Item sub speciebus vini.*
3 *Præsentia Corporis, &c. Christi dependet à speciebus.*

4 *Item pendet ex speciebus quoad locum.*
5 *Quando incipiat esse sub speciebus panis, &c.*
6 *Aliquo modo mutatur, quando desinit sacramentaliter esse.*
7 *Christus in hoc Sacramento qua adoratione adorandus.*

1 SVb speciebus panis, vi verborum, continetur Corpus Christi, non tanquàm in loco, sed modo quodam speciali proprio huic Sacramento, nimirùm sacramẽtalitèr, seù per modum substãtiæ sub qualibet specie; ità Henriq. *lib. 7. cap. 27. num. 4.* Bellarm. *de Eucharistia lib. 3. cap. 22.* Reginald. *lib. 29. nu. 37.* & alij.

2 Sub speciebus vini, vi verborum, continetur Sanguis Christi: Item per concomitantiam sub speciebus panis continetur sanguis, anima, &c., & sub speciebus vini continetur Corpus, Anima, Diuinitas, &c. & cùm officium quantitatis duplex sit, vnũ distinguere, & ponere ordinem inter partes Corporis; Alterum extendere easdem partes in ordine ad locum; ità vt vna pars sit extrà locũ, in quo est altera; in Eucharistia quãtitas Corporis Christi est solùm priori modo, non autem posteriori, & cõsequentèr Christus dicitur existere sub speciebus modo spirituali, per modũ substantię spiritualis; non autem modo quantitatis; ità S. Thomas *3. par. quest. 76. art. 4.* Henriq. *lib. 8. cap. 25. num. 2.* Tolerus *lib. 2. cap. 27. num. 4.* Vasq. *disput. 44. cap. 2.* & alij.

3 Præsentia Corporis, & Sanguinis Christi dependet à sacramentalibus speciebus, tùm quòad conseruationem, tùm quòad locum, & loci mutationem, quia tamdiù sub talibus speciebus conseruatur præsentia Corporis, & Sanguinis Christi, quamdiù illæ conseruantur; illisque corruptis, desinit præsentia: censetur autem corruptio tùnc contingere, cùm, si panis substantia ibidem fuisset, ea nequiuisset talitèr affecta conseruari, vel cum vermes ex speciebus generantur, &c.

4 Corpus Christi in Eucharistia pendet ex speciebus quòad locum, quia ipsum, ratione earum, censetur determinatè esse in eodem loco, in quo sunt eæ ipsæ species; tùm etiam, quia Corpus Christi per accidens mouetur ad motum specierum, cum quibus eam connexionem habet, vt cum præsentibus præsens sit.

5 Corpus Christi incipit esse sub speciebus panis, &c. in vltimo instanti prolationis verborum, quia tùnc verba prolata significant, Corpus Christi esse sub speciebus, in quo completur essentialitèr significatio verborum, sed hæc completur in vltimo instanti prolationis formæ; ergò, &c.; ità S. Thomas *quest. 77. art. 1.* Henriquez *lib. 8. cap. 25.* Victoria *de Eucharistia num. 6.*

6 Quando Christus desinit in Eucharistia, aliquo modo mutatur accidẽtalitèr, quia desinit esse præsens sacramentalitèr; Præsentia autem est accidẽs reale, siuè sit modus, siuè relatio, & Christus non deserit species, nisi quando succedit alia substantia, quia tùnc sicut non maneret substantia panis; ità nec Christi Corpus: quando autem desinit Christi Corpus, tùnc creatur præcedens materia, vel alia, ad hoc, vt possit fieri noua generatio illius rei, quæ, corruptis speciebus, generatur. S. Thomas *loco citato*.

7 Christus in hoc Sacramento est adorandus cultu interno, ac externo, ac si esset in propria specie: ità ex Concilio Tridentino *cap. 5. can. 6.*, & sic docet vsus Ecclesiæ. Item hoc Sacramentum est adorandum adoratione Latriæ: Ratio, quia est Sacramentum constans ex Christo, & speciebus, Christus autem adorandus est adoratione Latriæ; ergo, &c.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Effectus Eucharistiæ.*
2 *Recipiens Eucharistiam in peccato veniali, recipit augmentum gratiæ, &c.*
3 *Gratia confertur in ipsa functione.*
4 *Dum species sunt in ore Gratia non confertur.*
5 *Effectus Eucharistiæ est incommunicabilis.*
6 *Alij effectus Sacramenti Eucharistiæ.*

1 PRimarius effectus, Eucharistiæ sacramentalitèr sumptæ est augmentũ gratiæ, & ità ex Tridentino *sess. 13.* & *cap. Firmitèr de Summa Trinitate, cap. Cùm Martha, De celebratione Missarum*: Secundus effectus est collatio gratiæ actualis, & specialis auxilij ad peccata vitanda, & hic effectus est infallibilis in ijs, qui debitè disponũtur: Tertius, est remissio venialium, quia datur per modum cibi, qui restaurat deperdita, & id præstat duobus modis, scilicèt ex opere operato, conferendo remissionem absque actuali dispositione, secundo, mediatè, excitando feruorem charitatis: Quartus, est remissio temporalis pœnæ ex eo, quòd excitat actum charitatis, per quem remittitur pœna, iuxta quantitatem ipsius: Quintus, confert etiam primam gratiam per accidens, non ponentibus obicem: Sextus extinguit fomitem peccati.

2 Recipiẽtes Eucharistiam in peccato veniali, recipiunt etiam augmentum gratiæ habitualis: Ratio, quia peccata venialia incompatibilia non sunt cum gratia, & charitate, & consequentèr non impediũt gratiæ, & charitatis augmentum, licèt in susceptione Sacramenti non obtineatur remissio ipsius peccati venialis, quod actu committitur, dùm suscipitur Sacramentum, ità Sotus *dist. 12. quest. 2. art. 8.* Victoria *de Eucharistia num. 76.* & alij.

3 Effectus gratiæ Sacramenti confertur in ipsa sumptione, & manducatione, idest quando aliqua pars Hostiæ deglutita est: Ratio, quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti, sed cibus nutrit, quando transmittitur ad stomachum; ergò, &c.; ità Valentia *tom. 4. disput. 6. quest. 7.* Angles *de Eucharistia qu. 3 art. 11.* Henriquez *cap. 43.* & alij Quod tamen intelligendum est modò suscipiens Eucharistiam sit

in

in statu gratiæ, quia si erit in peccato mortali, gratiam non recipiet, etiamsi post sumptionem vltimæ partis Hostiæ eliciat actum contritionis; ità Bonacina *de Sacramento Eucharistiæ quæst. 4. punct. 2. num. 4.* & alij.

4 Qui diù retinet in ore species sacramentales, ità vt species antequàm deglutiantur, corrumpantur, non recipit fructum Eucharistiæ: Ratio constat ex supradictis, quia Eucharistia non producit effectum, nisi per modum nutrimenti, & applicationem factam suscipienti, sed quando corrumpuntur in ore, non applicantur tùnc suscipienti, nec per modum nutrimenti accipiuntur, ergò Eucharistia tùnc non producit suum effectum.

5 Effectus huius Sacramenti, quatenùs Sacramentum est, est alteri incommunicabilis, prout tamen sacrificium est, habet vim satisfactoriam ex propria institutione.

6 Licèt hoc Sacramentum ex primæua sui institutione institutum sit ad augendam gratiam, tamen aliquando etiam producit primam gratiam, quatenùs mouet recipientem ad actum amoris, & contritionis, quo datur prima gratia; ità Suarez *disput. 63. sect. 2.* Reginaldus *lib. 26. num. 158.* & alij: Item Eucharistia præseruat à mortalibus, vt patet ex Tridentino *sess. 13. cap. 2.* Ratio, quia cùm Eucharistia sumatur per modũ cibi, confert robur, & vitam spirituale, & consequentèr præseruationem à mortalibus: Item Eucharistia cõfert auxiliũ ad rectè operãdum cõtrà fomitẽ peccati, & ad pellendas tentationes: Ratio est, quia Dæmones effugiunt Christum præsentem, & sicut cibus corporalis confert robur ad operandum, ità Eucharistia; ità S. Thomas *3. p. quæst. 79. art. 1.* Suar. *disp. 63. sect. 10.* Reginal. *lib. 29. num. 137.* & alij.

P A R A G. V.

S V M M A R I V M.

1 *Solus Sacerdos est Minister consecrationis.*
2 *Plures Sacerdotes possunt eandem Hostiam consecrare.*
3 *Diaconus in casu necessitatis potest esse Minister.*
† *An Laicus possit esse.*
4 *Sacerdos extra Missæ sacrificium, an possit seipsum communicare.*
5 *Sacerdos, quando possit partem suæ Hostiæ alteri præbere.*
6 *Parochus, quando teneatur ministrare Eucharistiam suis ouibus.*
7 *Sacerdos ministrans Eucharistiam, debet esse in gratia.*
8 *Sacerdos non potest ministrare Eucharistiam, nisi pollutus, & indecens.*

1 SOlus Sacerdos ritè consecratus est Minister consecrationis Sanctissimæ Eucharistiæ; ità ex Tridentino *sess. 13. cap. 8.* S. Thomas *quæst. 72. art. 3.* Richardus *in 4. dist. 13. art. 1. quæst. 3.* Syluest. *verbo Eucharistia 3. quæst. 4.* Suarez *disput. 72. sect. 1.*: Ratio, quia solis Sacerdotibus Christus dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*; ex quo fit, vt quilibet Sacerdos eo ipso, quòd characterem habet Sacerdotalem, potest consecrare, si nõ licitè, tamen validè, etiamsi suspensus, aut degradatus sit, &c. Dũmodo integrè proferat verba consecrationis suprà materiã debitam, cum intentione faciendi, quod Christus instituit; ità S. Thomas *quæst. 82. art. 5.* & alij.

2 Possunt plures Sacerdotes eamdem Hostiam consecrare, si totalitèr concurrant, idest si integrè proferant formam, & quisque habeat intentionem consecrandi, ac si solus proferret formam; Ratio, quia ille plurium concursus Sacerdotum non impedit, quo minùs adsint necessaria ad conficiendum Sacramentum. Verùm si vnus ante alios proferat formam, ille solus conficiet, quia integra forma cadens suprà debitam materiam, cum primùm perficitur, conficit Sacramentum, cùm verba sacramentalia ad modum causæ naturalis necessario operentur; ità S. Thomas *quæst. 82. art. 7.* Conin c. & Nugnus *ibidem*, Henriquez *cap. 54. num. 1.* Suarez *disput. 61. sect. 4.* & alij.

3 Licèt regularitèr Ordinarius Minister deputatus ad ministrãdum Sacramentum Ecclesiæ sit Sacerdos extraordinarius tamen, & in casu necessitatis potest esse Diaconus, vt in articulò mortis: ità S. Thomas *loco citato art. 3.* Rodriq. *in summ. cap. 64.* Toletus *lib. 2. cap. 28. num. 11.* & alij. Et secundùm aliquos, Subdiaconus, & Laicus in articulo mortis sibi, vel alijs poterat Sacramentum Eucharistiæ administrare: Ratio, quia solùm iure humano prohibitum est Laicis tangere Eucharistiam: Ius autem humanum non videtur in tali euentu obligare. Ecclesiæ consuetudo hodie repugnat, quo minus extrà sacrificium aliquis seipsum communicet: & ita Henriquez *lib. 8. cap. 54.* Em. Sà *verb. Eucharistia num. 4.* Viuald. *de Eucharistia Sacramento de vsu, &c. num. 3.* Camerota *de Eucharistia cap. 9. dub. 3.* Bonacin. *disp. 4. quæst. 5. punct. 1. num. 6.* Victoria *de Eucharistia num. 84.* & alij: Ratio, quia non est tanta necessitas Eucharistiæ sumendæ, vt Laicus, & alius, qui non est Sacerdos, vel saltem Diaconus possit, propria auctoritate, in articulo mortis sibi Sacramentum administrare.

4 Sacerdos extrà Missæ sacrificium volẽs ex deuotione communicare, potest sibi Eucharistiam administrare, modò non adsit alius Sacerdos, qui illi administret, nec adsit periculum scandali, quia Sacerdos est Minister ordinarius huius Sacramenti, nec vllum ius extat in contrarium. Suarez *disp. 72. sect. 3.* Rodriq. *in summa cap. 64.* Viuald. *de Eucharistia cap. 10.* & alij.

5 Cùm adest rationabilis causa, Sacerdos non habens aliam hostiam consecratam, præter suam, potest partem suæ hostiæ præbere infirmo, vel etiam sano communicare volenti: Ratio, quia sacrificium non desinit esse perfectum per administrationem huiusmodi particulæ: ità Bartol. ab Angel. *de Missa num. 27.* Em. Sà *verb. Eucharistia num. 25.* Camerota *de Eucharistia cap. 9. dub. 7.* & alij.

6 Parochus tenetur Eucharistiam suis

ouibus

oulbus administrare, non solùm quando tenentur communicare, sed etiam quoties eam rationabilitèr petunt: Si vero irrationabilitèr petant, potest Parochus excusari. Suarez *disp.* 72. *sect.* 5. Reginald. *lib.* 29. *num.* 96. & alij.

7 Sacerdos ministrans Eucharistiam debet esse in gratia: ità Suarez. *disp.* 72. *sect.* 4. Vndè Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis, debet se præparare ad dignè ministrandum per confessionem, vel saltem per contritionem. Sacerdos plures hostias, vel particulas consecrans in peccato mortali; vnum tantùm peccatū committit sacrilegij: Ratio, quia licèt sint plures hostiæ, tamen illa cōsecratio cēsetur solùm moralitèr vna actio: ità Henriq. *lib.* 8. *ca.* 4. Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 31. *quæst.* 10. *&* 11. & alij. Sicut etiam committit vnū peccatum mortale, qui pluribus successiuè administrat Sacramētum Eucharistię; Ratio, quia diuisæ illæ administrationes censentur moralitèr vna actio, quamuis sint actus physicè distincti.

8 Sacerdos chiragra detentus, qui nequit Eucharistiam pollice, & indice ministrare, non potest ipsam alijs digitis administrare: Ratio, quia Sacramentum Eucharistiæ non est absolutè necessarium, & in administratione Sacramenti non absolutè necessarij non est recedendum à consuetudine recepta, & à communi vsu.

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Eucharistia non est danda existenti in peccato mortali.*
2 *Peccatori publico non est danda.*
3 *Occulto peccatori quando sit danda.*
4 *Eucharistia non potest dari suspectis de aliquo crimine, in probationem.*
5 *Aliquando potest denegari ob suspicionem violentam criminis.*
6 *Ob solam suspicionem temerariam non potest denegari.*

1 Minister huius Sacramenti non tenetur dare Eucharistiam existenti in peccato mortali, quia ad fidelem dispensationem pertinet, non dare sanctum canibus, nec communicare peccato alterius. Vndè peccatori publico semper deneganda est Eucharistia, quia talis non habet ius petendi; cùm illius status manifestus sit. Publicus peccator dicitur ille, qui per sententiam condemnatus est de crimine, vel in iudicio confessus est illud, vel factum illius criminosum ità manifestum est, vt nulla tergiuersatione celari possit.

2 Peccatori publico etiam emendato Eucharistiam publicè petent, nō est danda, nisi publicè satisfactionem exhibuerit, vel saltem publicè illius emendatio manifesta sit: Ratio prioris partis est, quòd daretur occasio scandali; Ratio secundæ partis est, quia satisfactio, & emendatio publica sufficiunt ad tollendum scandalum. In tempore mortis non est exigenda manifestior pœnitentia, quā pro ratione circumstantiarum fieri possit.

3 Occulto peccatori publicè petenti administranda est Eucharistia; si occultè autem petat, deneganda est, quia non habet ius, & nullum sequitur scandalum, vel infamia. Verùm Sacerdos ob solam notitiam delicti habitam in confessione, non debet Pœnitenti denegare Sacramentum Eucharistiæ: & ità Valen. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 8. *punct.* 3. Nauar. *cap.* 21 *num.* 5. Paludan. *in* 4. *dist.* 9. *artic.* 1. Sanchez *de matrim.* *tom.* 1 *lib.* 3. *disp.* 36. *num.* 14. Syluest. *verb.* *Eucharistia* 3. *num.* 7. & alij. Ratio, quia Confessarius non debet vti scientia in confessione habita ad dirigēdos externos aliorū actus, nec aliquod faciēdū, vel etiam committendum cum periculo reuelationis directè, vel indirectè confessionis ipsius Pœnitentis, vel cum rigore ipsius, & per consequens non est negandum, &c.

4 Suspectis de aliquo crimine non potest dari Eucharistia in probationē criminis, *ex cap. Consuluisti* 2. *quæst.* 4. & ex cap. *Ex suorum, de purgatione canonica*, & ex cap. *Dilecti de purgat. vulgari.*

5 Sacramentum Eucharistiæ potest alicui denegari ob solam suspicionem violentā criminis; Ratio, quia violenta suspicio nititur talibus signis, & indicijs, quæ licèt non faciant euidētiam rei in se, tamen ad probabile iudiciū ferendū seruiūt, quādo in contrarium nihil est, quod excuset: in articulo autem mortis, si suspectus neget crimen, & ostendat signa bonæ dispositionis; non est illi denegandum Sacramentum, propter periculum faciendi illi iniuriam in tanta necessitate.

6 Ob solam suspicionem temerariam, & probabilem, nunquā negari potest Sacramentum Eucharistiæ petenti: Ratio primæ partis est, quia cùm suspicio temeraria nullo rationabili fundamēto nitatur, improbabilis est, & iniusta: Ratio secundæ partis est, quia licèt habeat sufficiens fundamentum ad excusandum iudicium temerarium, non tamen ad sic firmandum iudicium verum, vt de altero credi debeat, quòd is amiserit ius petendi Sacramentum: tùm etiam quia cùm talis suspicio non possit gignere iudicium certū, sed dubium probabile; in casu autem dubij melior sit conditio possidentis; vtiq; cùm suspectus habeat ius petendi, non potest vllo iure expoliari.

PARAGR. VII.

SVMMARIVM.

1 *Prima qualitas sumentis Eucharistiam.*
2 *Sumenda est in statu gratiæ.*
3 *Qui est in peccato mortali quando teneatur præmittere confessionem.*
4 *In quibus casibus Confessarius dicatur abesse.*
5 *Quæ distantia requiratur inter Pœnitentem, & Confessarium.*
6 *Absentia proprij Confessarij non est ratio differendæ confessionis.*
7 *Habens peccata reseruata, & non reseruata, tenetur*

... tur confiteri ... te servata.

8 *Suscipiens Eucharistiam in peccato mortali committit solùm vnum peccatum.*

5 SVmens Eucharistiam requiritur quòd sit baptizatus, & habeat intentionem sumendi ipsam, saltem virtualem, & implicitam: ità Bonac. *de Sacram. disp. 4. quæst. 6. punct. 1.* & alij. Et ideo pueris, & amentibus, qui non habent lucida interualla nō est danda. Si verò habeant lucida interualla, & eam petierint ante amentiam, illis est danda, modò non adsit periculum vomitus, vel alterius irreuerentiæ, &c. & ità colligitur *ex cap. Quod in te, de pœnitentijs, & remissionibus*, & ita Petrus Ledesma *cap. 13. de Eucharistia*.

2 Requiritur secundò, quòd sumens Eucharistiam sit in statu gratiæ; Vndè peccat peccato sacrilegij accedens ad Eucharistiam sumendam cum peccato mortali, vel etiam cum affectu ad peccatum: ità S. Thomas *quæst. 80. art. 4.* S. Bonauentura *in 4. dist. 9. quæst. 3.* Peccata venialia non impediunt susceptionem huius Sacramenti, & effectum illius: ità S. Thomas *quæst. 79. artic. 8.* imò hoc Sacramentū ex opere operato delet peccata venialia, quibus volūtas suscipientis, neq; actualitèr, neq; virtualitèr inhæret: ità S. Thomas *quæst. 79. art. 4.* & alij.

3 Qui est in peccato mortali tenetur præmittere confessionem, iuxtà illud Pauli *Corinth. 11. Probet autem seipsum homo, &c.* Verùm sunt plures casus, in quibus sumens Eucharistiam excusatur à confessione faciēda: Primus, quando deest copia Confessarij: Secundus, si necessitas vrgeat, vt morituro Viaticum præbeatur, si non adsit alia hostia consecrata; si sacrificium, vel communio sine graui infamia, vel Populi scandalo omitti non possit; si Sacerdos ex officio celebrare teneatur, aut fideles iure suo sacrificium exigāt, & neque per alium id perfici possit. Si Sacerdos post consecrationem recordetur peccati mortalis, debet, elicita contritione, sacrificium prosequi; Si verò ante consecrationem peccatum mortale committat, vel ante commissi memoria incidat, est obligatio ad confitendum, si commodè, & si è nulla infamiæ nota, & scandalo possit; præsertim Canone nondum cœpto; ità docet Sylvest. *verb. Eucharistia 2. quæst. 7.* Nauar. *cap. 25. num. 76.* Suarez *disp. 66. sect. 4.* Licèt plures sequantur opinionem contrariam, quæ sententia practicè probabilis est, nimirùm non esse obligatum confiteri, sed satis esse, quòd eliciat actum contritionis: ità Henriq. *lib. 8. cap. 4. num. 4.* Sotus *in 4. dist. 15. quæst. 2. artic. 6.* & alij.

4 In subsequentibus casibus Confessarius dicitur abesse: Primus verè, quando non adest Confessarius: Secundus, etsi adsit, tamen non habet vllam iurisdictionem, vel timetur grauè periculum ex confessione, vt periculum probabile reuelationis, vel aliud simile, ob quod etiam licet omittere præceptum confessionis semel in anno.

5 Illa distantia sufficit inter Confessarium, & pœnitentem, qua ob itineris difficultatem, vel temporis breuitatem, vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum scandali, vel infamiæ, Confessarius non potest hic, & nunc adiri sine magno incommodo, & regulariter talis distantia relinquenda est, iudicio prudentis viri.

6 Sumens Eucharistiam non potest differre Confessionem ex eo, quòd abest proprius Confessarius, cui solet deuotiùs cōfiteri, si habeat conscientiam peccati mortalis: Ratio est, quia tunc non potest dici in necessitate communicandi sine confessione, cùm habeat copiam alterius Confessarij approbati, & maior deuotio non tollit obligationem præcepti: ità Henriq. *lib. 8. cap. 47.* Suarez *disp. 76. sect. 4.*

7 Habens peccata reseruata, & non reseruata, & necessitatem celebrandi, vel cōmunicandi, si non habeat copiam confitendi peccata reseruata Confessario habenti facultatem, debet confiteri peccata non reseruata, & de reseruatis conteri: quòd debeat non reseruata confiteri, patet, quia cùm habeat copiam Confessarij habentis facultatem, non videtur habere iustam causam, qua se eximat ab obligatione confessionis ante sumptionē Eucharistiæ: Ratio secundæ partis est, quia homo, iuxtà dictum D. Pauli, *Probet autem seipsum homo*, debet se probare; cùm autem non possit per cōfessionem, ob inopiam Confessarij, debet se per contritionem probare: *vt de Pane illo edat, & de Calice bibat*; & in tali casu sufficit attritio, putata contritio.

8 Suscipiēs Eucharistiam in peccato mortali committit solùm vnum peccatum in confessione explicandum, si confessio solùm tunc temporis obligabat per ordinem ad communionem: Ratio, quia vbi est vnū propter aliud, est vnum tantum; sed præceptum confessionis in isto casu, est per ordinem ad communionem dignè sumendam; ergò qui tunc omittit confessionem, videtur committere vnum peccatum: secùs verò dicendum, si alio titulo teneatur ad confessionem, quia tunc duplex peccatum committit, vnum omissionis contrà præceptum confessionis, & alterum commissionis per indignā Eucharistiæ sumptionem: ità Canus *in relectione de Pœnitentia par. 4. concl. 4.* & alij.

PARAG. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Quid debeat facere Laicus, qui postquàm ad lineum accessit, recordatur alicuius peccati.*
2 *Hostia non consecrata nunquàm est danda, &c.*
3 *Sacerdos, qui prætermittit confessionem, quando debeat confiteri.*
4 *Item etiam Laicus.*
5 *Committens peccatum carnale, an possit immediatè communionem recipere.*
6 *Suscepturus Eucharistiam debet esse ieiunus.*
7 *Excusatur in aliquibus casibus.*

7 Comme-

7 *Comedens statim sumpto Eucharistiæ Sacramento, non peccat.*

8 *Dubitans, an aliquid cibi acceperit post mediam noctem, an possit communicare.*

9 *Quando sunt duo horologia, &c., à quo debeat regulari ieiunium.*

1 LAicus, qui ad Linteum accessit communicandi causa, & posteà recordatur alicuius peccati, tenetur recedere, & confiteri, si commodè potest: Ratio, quia ante communionem tenetur præmittere confessionem peccatorum, quorum quis recordatur; si verò nequeat recedere absque scandalo, vel absque alia nota, quia exponeret se periculo infamiæ, indicando alijs, se habere conscientiam peccati mortalis, non tenetur id facere; ità Nauar. *cap. 41. num.* 49. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 46. *num.* 3. Syluest. *verbo Confessio* 2. *num.* 12. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 46. & alij.

2 Hostia non consecrata, nunquàm danda est peccatori indignè petenti, quia in Sacramento veritatis nulla debet esse fictio; tùm etiam, quia daretur occasio idolatrandi astantibus.

3 Sacerdos, qui vrgente necessitate, &c. celebrauit, non præmissa confessione, tenetur quamprimum confiteri, ex Concilio Tridentino *sess.* 13. *cap.* 7. Sacerdos verò, qui ex malitia, vel ignorantia, &c. non prænittit confessionē, non tenetur quamprimùm confiteri: Ratio, quia Concilium *loco citato*, loquitur solùm de Sacerdote celebrante ex necessitate, &c., non præmissa confessione: secùs dicendum est, si per consecrationem recordatus est alicuius peccati, quia tùnc dicitur celebrare, vrgente necessitate: Item si communicet more Laicorum, non præmissa confessione, quia tùnc non tenetur quamprimùm confiteri, cùm Concilium solum loquatur de Sacerdote celebrante, non autem de eo, qui communicatur more Laicorum, ità Suarez *sect.* 7 & alij.

4 Laicus, qui non præmissa confessione, suscipit Eucharistiam, non tenetur quamprimùm confiteri ob rationem allatam; ità Possevinus *de administratione Sacramenti cap.* 5. *num.* 40. Suarez *disput.* 66. *sect.* 7. Coninc. *quæst* 80. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 4. Naldus *verbo Sacerdos num.* 5. & alij.

5 Qui peccatum carnale commisit, regulatitèr tenetur per aliquod spatium temporis abstinere à communione, vt v.g. per diem, etiamsi patrati delicti confessionem emiserit, nisi adsit aliqua iusta causa communicandi: Ratio, quia facit irreuerentiā Sacramento, sic accedendo ad Eucharistiam, cùm huiusmodi peccata soleant impedire deuotionem: si verò aderit iusta causa, poterit eodem die percipere communionem, vt v.g. si aderit dies magnę solennitatis, &c.; ità S. Thomas *quæst.* 80. *art.* 3. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 51. *num.* 3. Suarez *disput.* 68. *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 117 Em. Sà *verbo Missa num.* 25. & alij. Non tenentur coniuges ob copulam licitā abstinere à communione.

6 Suscepturus Eucharistiam, iure Ecclesiastico debet esse ieiunus à media nocte, ità Rodriq. *cap.* 66. *num.* 1. Toletus *lib* 2. *cap.* 35. *num.* 6. & alij communitèr. Et requiritur, quòd sit ieiunus ieiunio naturali. Sunt tamen plures casus, in quibus non ieiunus potest sumere Eucharistiam: Primus, quando in mortis articulo constitutus, debet sumere viaticum: Secundus, quando grauis irreuerentia irroganda esset Eucharistiæ, vt quia iniuriosè tractaretur ab hæreticis: Tertius, quando Missæ sacrificium relinqueretur imperfectum: Quartus, quando necesse est, vt Sacerdos reliquias sumat post iam sumptam ablutionem, quia tùnc huiusmodi reliquiarum sumptio refertur ad vnum, idemque conuiuium, & sacrificium: Quintus, si graue scandalum oriturum sit, nisi aliquis communicet, aut sacrificet, qui ieiunus non est, vt ait Suarez *disp.* 86. *sect.* 5. Leges positiuæ nunquàm tàm seuerè obligant.

7 Non peccat comedēs statim sumpto Eucharistiæ Sacramento, licèt ob maiorem Sacramenti reuerētiam, deceat post communionem aliquantulùm abstinere à cibis; ità S. Thomas *quæst.* 8. *art.* 9. Graff. 1. *par. lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 8. Suarez *disput.* 68. *sect.* 4. & alij.

8 Dubitans, an aliquid cibi, vel potus sumpserit post mediam noctem, non potest communicare, vel celebrare: Ratio, quia possessio stat pro præcepto communicandi, seruato ieiunio naturali; ità Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *disput* 41. *num.* 40. Facundez *præcept.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *num* 18.; licèt Layman *lib.* 1. *tract.* 1 *cap* 5 §. 4. & alij, probabilitèr dicant, posse sustineri, & permitti Sacerdoti, vt in tali casu sacrificet, etiam deuotionis causa, quia lex Ecclesiastica de ieiunio seruando communicaturis non tàm arctè obligat conscietias, in casu dubio; cessante autem obligatione legis Ecclesiasticæ, iam nulla est irreuerentia cum tali dubio celebrare.

9 Quando in Ciuitate sunt duo horologia, si sonuerit vnum, potest quis absque fractione ieiunij comedere, donec aliud sonuerit, quia illa duo horologia sunt, ac si essent duæ opiniones probabiles, quarum vtramque licet sequi, & amplectit quòd si tantum sit vnum horologium, vbi cœpit sonare duodecima, aliquis biberet, licèt quando sonaret vltimus pulsus, desisset bibere, non poterit die sequēti communicare, quia quando primum horę pulsum audiuit, iam est hora expleta, & horologium est tantùm testis id indicans, & licèt diuersi sint pulsus, id euenit, quia nequit vno pulsu hora duodecima indicari, sicuti vno pulsu hora prima indicatur; ità Diana *tract.* 4. *de sacram. resol.* 36.



P 4

PARAG. IX.

SVMMARIVM.

1 *Reliquiæ demibus inhærentes, quando impediant sumptionem Eucharistiæ.*
2 *Qui deglutit papyrum, &c. non frangit ieiunium.*
3 *Susceptурus Eucharistiam non est necesse, quòd dormierit.*
4 *Sacerdos non ieiunus non potest celebrare ad communicandum infirmum.*
5 *Sacerdos non potest consecrare in vna specie.*
6 *Si appareat caro, quid faciendum.*

1 Reliquiæ cibi præcedentis diei inhærentes dentibus, si voluntariè degluitiantur, impediunt sumptionem Eucharistiæ; ità Vasquez *3. par. tom. 3. disput. 11. cap. 4. art. 30.*: Ratio, quia si degluitiantur voluntariè, non sumuntur per modum salivæ: secùs verò dicendum erit, si casu degluitiantur, quia tùnc non dicitur frangi ieiunium naturale, cùm non sumantur per modum cibi, sed salivæ; & ità Filliucius *tom. 1 tract. 4. cap. 8. nu. 136.* Sicut etiam non impedit sumptionem Eucharistiæ aqua attracta per nares, quæ in os transmittitur, quia non fuit sumpta per modum cibi, aut potus. Similitèr si respirando attrahar muscam, quæ cùm non fuerit sumpta per modum cibi, non frangit ieiunium naturale.

2 Potest Eucharistiam sumere, qui deglutijt papyrum, & ceram: Ratio est, quia comedendo papyrum, vel cerā, cēletur nō ea sumere per modum cibi, cùm talis comestio non sit ordinata ad nutritionem; ità Suarez *disput. 68. sect. 4.* Tabien. *verbo Missa num. 44. & 45.* Reginaldus *lib. 29. num. 118. & 119.* Azor. *tom. 1. lib. 10 cap. 30.* & alij.

3 Non est necesse, quòd suscepturus Eucharistiam digesserit cibum, aut dormierit: Ratio, quia hæc non frangunt ieiunium; ità S. Thomas *quæst. 70. art. 8.* Nauar. *cap. 21. num. 53.* Henriq. *lib. 8 cap. 49.*

4 Sacerdos non ieiunus non potest celebrare ad communicādum infirmum, quia hoc Sacramentum non est necessitatis; ità Nauar. *cap. 21. num. 53.* Suarez *disput. 68. sect. 1.* Paludanus *in 4. dist. 8. quæst. 4.* Valentia *tom. 4. disput. 6. quæst. 8. punct. 3.* Henriquez *lib. 9 cap. 4.* & alij apud Bonacinam *loco citato num. 44.*

5 Sacerdos non potest consecrare in vna tātùm specie, quia iniuriam faceret Sacramento; ità *cap. Comperimus de consecrat. dist. 2. quæst. 1. art. 12.*

6 Si appareat in Eucharistia caro soli celebranti, aut communicare volenti, non est sumenda ab illo, cui sic appareat; sed ab alio sumenda est, cui sic non apparear: si verò species carnis omnibus appareant, & perseuerent, nulli danda est, sed inter reliquias est collocanda, & seruanda, & Sacerdos poterit aliam Hostiam consecrare: Ratio, quia communicando, tenetur sacrificium perficere, vt habetur *in cap. Comperimus de consecrat. dist. 2. num. 51.*, & in Candelabro aureo *de sacramento Eucharistiæ num. 51.*

PARAG. X.

Textus Sacrorum Canonum. De custodia Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

1 *Eucharistia, & Chrisma debent fideliter sub clauibus custodiri, & contra facientes sunt puniendi.*
2 *Suppellectiles in Ecclesijs poni non debent, nisi necessitas vrgeat.*
† *Vasa Ecclesiæ, & vestimenta, &c. munda esse debent.*

1 Evcharistia, & Chrisma debent fidelitèr sub clauibus custodiri, & si is, ad quem spectat custodia, incautè illa relinquit, suspendi debet ab officio tribus mensibus, & si pro eius in curia nefādum quid acciderit, grauiori pœna puniri debet, *ex cap. Statuimus 1. de custodia Eucharistiæ.*

2 Suppellectiles Clericorum, vel Laicorum in Ecclesijs admitti non debent, nisi propter hostiles incursus, aut repentina incendia, aut alias vrgentes necessitates; & necessitate cessante, res ad pristina loca reportandæ sunt, *ex cap. Relinqui 2.* Oratoria

† Vasa, Corporalia, Vestimenta, Pallæ Altaris munda, & nitida conseruari debent, quia nimis videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent, etiam in profanis, *ex eodem cap.*

PARAG. XI.

Decretum Summi Pontificis. De Eucharistia.

Evcharistiam sumentes infrà Octauam Paschatis Resurrectionis, aut in die Cœnæ Domini, præcepto Ecclesiæ satisfaciūt. Eugenius IV. *in sua constit. 2. incip. Dispositione 3. Idus Nouembris 1431.*

Decreta Sacræ Congregationis Rit. De Eucharistia.

Evcharistiæ Sacramentum non est singulis diebus exponendum suprà Altare, sed in quibusdam tantùm solennitatibus. *in Placentina in Hispania 4. Martij 1606.*

Eucharistiæ Sacramentum, ex consuetudine, & priuilegio nō decet teneri à Laicorum Confraternitatibus, sine licentia Episcopi *19. Iulij 1604.*

Eucharistiæ Sacramentum, absente Episcopo, debet in Processionibus deferri à prima Dignitate, dūmodo voluerit ità celebrare: quòd si nō celebret, debet Sāctissimum Sacramentum deferre illa Dignitas, seu Canonicus, qui Missam celebrauit. *in Baren. 19. Ianuarij 1608.*

Eucharistiæ Sacramentum à celebrante proprijs manibus deferatur, non obstāte quauis contraria consuetudine: Sacra Congregatio Rituum *in Syracusana Medicæ 2. Iulij 1618.*

Eucharistiæ Sacramentum, dùm eleuatur, Canonici, & Clerus, siuè in Choro existās, siuè

finè Processionaliter incedant, semper debent genuflectere. S. Congr. Rit. *in Oscen.* 2. *Maij* 1620.

Eucharistiæ Sacramentum feria quinta in Cœna Domini sub vnica tantùm claue retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum asseruari debet, & nullo modo apud personas Laicas, & Seculares, cuiuscumque status, gradus, & conditionis. 6. Congreg. Rit. *in Ciuitaten.* 22. *Nouembris* 1631.

TITVLVS V.

De celebratione Missarum.

SVMMARIVM.

1 *Nomine Missæ quid antiquitùs intelligebatur.*
2 *In Missa quot Actiones concurrant.*
3 *Missa definitio.*
4 *Partes essentiales sacrificij.*
5 *Qua oblatio sit de essentia.*
6 *Consumptio est de essentia.*
7 *Sacrificium Missæ, quomodo differat à sacrificio, quod Christus post Cœnam obtulit.*
8 *Sacrificium Missæ conuenit cum sacrificio Crucis.*
9 *Toto genere differt ab omnibus sacrificijs.*

1 Antiquitùs nomen Missæ accipiebatur pro Missione, idest dimissione Cathecumenorum, olim namque in fine Missæ, quæ dicebatur, Cathecumenorum, publica voce Diaconus clamabat, *Ite Missa est*, quibus verbis ab Ecclesia excludebantur Cathecumeni, &c., quibus fas non erat consecrationi Corporis, & Sanguinis Domini nostri interesse. Hinc cœpit sacrificium Missę appellari: nunc verò nomine Missæ intelligitur Actio sacra, qua Corpus Christi, quod Deo in Missa offertur, & à Sacerdote sumitur per communionem: dicitur à Latinis Missa, quia propter consecrationem Christus ad nos mittitur à Patre, & per oblationem, ac sumptionem à nobis remittitur ad Patrem.

2 In Missa sex concurrunt actiones: Prima est oblatio panis, & vini ante consecrationem: Secunda, est consecratio ipsa: Tertia, est oblatio post consecrationem: Quarta, est fractio hostiæ, & mixtio cum speciebus vini: Quinta, est sumptio vtriusque speciei: Sexta, est distributio Sacramenti.

3 Missa definitur *Carremonia sacra, qua res aliqua sacratur, aliquo modo consumitur, & soli Deo offertur in ipsius cultum, & recognitionem supremæ Maiestatis, & excellentiæ*; ità Bonacina *de sacrificio Missæ punct.* 1., Sacrificium verò sic definitur, *Oblatio Deo facta per mutationem alicuius rei sensibilis in signum supremi super res omnes dominy ex publica, & legitima institutione*, in quo offerens est Christus Dominus, idem Sacerdos, & Hostia offerens, & res oblata.

4 Partes essentiales sacrificij sunt consecratio, oblatio, & consumptio: quod consecratio sit pars essentialis sacrificij, patet, quia sacrificium offertur in persona Christi, & ideò non fit sacrificium, quando Sacerdos non consecrat, sed populo ostendit Hostiam pridiè consecratam, quam iis eam sumat, quia deficit consecratio, quæ est essentialis sacrificij; ità Henriquez *lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 2. & alij. Vndè in Feria sexta Parasceues non fit propriè sacrificium, cùm non fiat nouæ Hostiæ consecratio.

5 Oblatio, quæ fit post consecrationem est de essentia sacrificij, quia non censetur sacrificium, donec res offeratur, & proindè si Sacerdos, facta consecratione, moriatur, tenetur alius Sacerdos offerre, & sumere, vt integrum fiat sacrificium.

6 Cōsumptio est de essentia Sacrificij: Ratio, quia de ratione eius sacrificij est, vt sit repręsentatio Passionis Christi; non repręsentaretur autem Passio, & mors Christi, nisi adesset cōsumptio, vt colligitur *ex* 1. *Corinth.* 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, &c.*

7 Sacrificium Missæ differt accidentalitèr à sacrificio, quod Christus post Cœnam obtulit, non essentialitèr: Ratio, quia differunt in re oblata: Secundò, in offerente, nam ibi fuit Christus; in Missa est Sacerdos: Tertiò, in effectu morali, quia tùnc fuit meritorium, & satisfactorium; nunc autem non ità est, quia non est in statu merendi: est tamen instrumentum morale ad applicandum effectum meriti, & satisfactionis inchoatæ in illo sacrificio, & cōsummato in Cruce: Quartò, illud Cœnæ significabat mortem Christi futuram, hoc autem præteritam: Quintò, illud non fuit imago alterius incruenti; nostrum est imago illius.

8 Sacrificium, quod in Missa offertur, cōuenit cum sacrificio Crucis in re oblata, vtrobique enim Christus est. Differt autem in actione sacrificandi, quia illud fuit cum effusione sanguinis; istud autem sine effusione.

9 Sacrificium Missæ differt toto genere ab omnibus sacrificijs legis naturæ, & Mosaycæ, & patet, quia alius est offerens, alia res oblata, & alius modus offerendi, alius etiam modus significandi; & inter illa vetera erat sæpè distinctio specifica, aut etiā generica, vt inter holocausta victimas specificas, oblationes, &c. Differt etiam à sacrificio Crucis sacrificium Missæ, quia ritus offerendi, in quo essentialitèr consistit sacrificium, est valdè diuersus, vt patet, nam in cruce fuit per veram mortem, in Missa per consecrationem: ibi cruentè; & hic incruentè.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Missa confert primam gratiam.*
2 *Non immediatè, sed mediatè.*
3 *Prodest ad spiritualia, & ad temporalia.*
4 *Effectus impetrationis Missæ est varius, &c.*
5 *Est etiam satisfactiuus.*
6 *Valor Missæ triplex.*
7 *Dupliciter dicitur infinitus.*
8 *Prout oblatum à Sacerdote, habet valorem finitum.*
9 *Valor Missæ, vt sacrificium est ex opere operato.*

10 Quo-

10 *Quomodò applicetur.*
11 *Missa improbi Sacerdotis non suffragatur ipsi.*
12 *Minùs prodest, si pro multis offeratur, quàm si pro paucis.*

1 Missæ sacrificium confert primam gratiam, & remissionem mortalium, & ideò dicitur propitiatorium, vt habetur in Trident. *sess. 22. cap. 1.*; & ità colligitur ex Sãctis Patribus: & quòd habeat vim ex opere operato remittendi peccata, est communis Theologorum sententia, apud Suarez *disput. 79. sect. 1.*: Ratio est, quia Christus peculiari ratione instituit hoc sacrificium in remissionem peccatorum.

2 Sacrificium Missæ non confert gratiam remissionis per se, & immediatè; sed tantùm mediatè, quatenùs scilicèt Deus intuitu huius sacrificij, mouet ad contritionem, qua remittitur peccatum mortale; ità S. Thomas *in 4. dist. 12. quæst. 2.* Suarez *disp. 79. sect. 3.* Reginaldus *lib. 29. num. 151.* Azor. *Instr. lib. 10. cap. 20. quæst. 2.*: Item remittit peccata venialia, quatenùs confert speciale auxilium ad eliciendum actum amoris, & contritionis, quibus remittuntur peccata mortalia, & venialia.

3 Sacrificium Missæ non modò prodest ad spiritualia, sed etiam ad temporalia bona impetranda; & ideò dicitur sacrificium impetratorium; & ità Suarez *disp. 79. sect. 7.* Henriq. *lib. 9. cap. 13. § 3.* Valent. *tom. 4. disp. 6. qu. 1. punct. 1. § 23.*

4 Effectus impetrationis sacrificij Missæ non est certus, & varius secundùm variam Ecclesiæ intentionem, aut etiam particularis offerentis: offertur enim aliquando pro viuis, & aliquando pro defunctis: & licèt sacrificium Missæ habeat infinitam dignitatem, & valorem impetrandi, non habet tamen efficaciam producendi effectum infinitum, sed semper finitum, & limitatum, tàm intensiuè, quàm extensiuè; & ità S. Thomas *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 4.* Toletus *lib. 2. cap. 6. num* 8. & alij.

5 Missæ sacrificium ex directa institutione habet vim satisfactiuam, & valet ad remittendam ex opere operato aliquam pœnam temporalem debitam pro peccatis mortalibus, siue venialibus, & ob id dicitur satisfactorium.

6 Valor Missæ triplex est: Primus, dicitur generalis, quem Ecclesia applicat pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, pro Sũmo Pontifice, &c.: Secundus valor specialis, & proprius ipsius Sacerdotis: Tertius est medius, & hic competit ijs, pro quibus Sacerdos intendit specialitèr offerre, & applicare, iuxtà praxim Ecclesiæ; ità Suarez *disp. 79. sect. 9.* Valent. *tom. 4. disp. 6. quæst. 11. punct. 1.* Nauar. *cap. 25. num. 92.*

7 Valor Missę duplicitèr dicitur infinitus, extensiuè, & intensiuè: Valor dicitur infinitus extensiuè, qui nõ tot prodest, quin possit prodesse pluribus: dicitur etiam infinitus intensiuè, ratione rei oblatæ, cùm Christus, qui est hostia, quę in hoc sacrificio offertur, sit infiniti valoris intensiuè, & per consequens sacrificium est infiniti valoris intensiuè.

8 Sacrificium Missæ, prout oblatum à Sacerdote in persona Ecclesiæ, habet valorem finitum, quia quamquam res oblata sit infinita, modus tamen offerendi est finitus, & ab offerente finito.

9 Missa, vt sacrificium est, valorem accipit ex opere operato: si verò consideretur quatenùs includit orationes, &c. valor Missæ respondens precibus, & orationibus est ex opere operantis, quia confertur iuxtà merita, & dispositiones recipiẽtis: non tamen fideles æqualitèr participant fructum sacrificij, sed inæqualitèr, iuxtà dispositionem maiorem illius, pro quo offertur, & iuxtà maiorem, vel minorem participationem ad sacrificium; Sotus *in 4. disp. 13. quæst. 2. artic. 1.* & alij.

10 Fructus Missæ primò applicantur Ministris offerentibus: Secundò, fidelibus cooperantibus ad sacrificium: Tertiò, toti Ecclesiæ, & ijs, pro quibus sacrificium offertur; ad quos recipiendos requiritur gratia habitualis, & viatoris status, qui etiam conuenit existentibus in Purgatorio, cùm quo ad pœnarum remissionem, censeantur esse in via.

11 Missa improbi Sacerdotis pro se offerẽtis non suffragatur ipsi Sacerdoti; Ratio, quia ponit obicem ad fructum sacrificij: quatenùs verò Sacerdos orat nominè Ecclesiæ, ob malam dispositionem Ministri; non minuitur fructus impetrationis: Si verò preces considerentur quatenùs sunt personæ particularis, minus valet Missa mali Sacerdotis, quàm boni: Ratio est, quia Deus peccatores non exaudit, cùm eius actio, quatenùs ab eo proficiscitur, sit mala, Deoque non grata, ideòque misericordiam non meretur.

12 Missæ sacrificium minus prodest, si pro multis offeratur, quàm si pro paucis: ità Coninc. *quæst. 83. artic. 1. dub. 3. num. 64.* & alij. Quod etiam dicendum est de valore Missæ ex opere operato: Ratio, quia quamuis res oblata sit infinita, oblatio tamen est finita, & ab offerente finito: ità D. Thomas *in 3. p. quæst. 79. artic. 1.* Reginal. *lib. 29. num. 157.* Henriq. *lib. 9. cap. 19.* & alij.

P A R A G. II.

S V M M A R I V M.

1 *Missa excommunicati occulti prodest alijs.*
2 *Missa non potest applicari pro excommunicatis.*
3 *Sacerdos in Missa simplicem personam sustinet.*
4 *Missa potest offerri pro iustis, & peccatoribus.*
5 *Item pro Cathecumenis.*
6 *Beatis non prodest sacrificium.*
† *Nec damnatis.*
7 *Fructus incapaci applicatus cui prosit.*
8 *Missa ex opere operato æqualitèr prodest.*
9 *Missa in Altari priuilegiato dicenda, an debeat esse de Requiem.*
10 *An melius sit plures Missas statim dicere pro mortuo.*
12 *Parochus an possit eleemosynam accipere pro Missa dicenda.*

1 Missa Sacerdotis excommunicati ex-communicatione occulta, vel suspensione, vel irregularitate, non solùm prodest alijs; verùm etiam talis Sacerdos excusari potest à peccato, quoties alioquin incurreret grauem infamiam, vel mortis periculum, &c. non celebrando, vel communicando, quia Ecclesia non intendit priuare excommunicatum participatione Sacramẽtorũ, cum tãto incommodo. Henriq. *lib. 9. cap. 18. num. 2* Nauar. *cap. 27. num. 239.* Azor. *1. part. lib. 10. cap. 31. quæst. 6.*

2 Missa non potest applicari pro excommunicatis: Ratio, quia per excommunicationem separantur ab Ecclesia, & ab ea prohibitum est offerre sacrificium pro excommunicatis: In die Veneris Sancti licèt publicè orare pro excommunicatis; tùm quia ille dies ab Ecclesia priuilegiatur: tùm etiam, quia illa die fit memoria Christi mortis, quæ ad omnes, quò ad sufficientiam, pertinuit.

3 Sacerdos in Missa triplicem personam sustinet: Primò immediatè ipsius Christi, cùm actu sacrificat, & sub hac ratione potest applicare fructum ex opere operato etiam excommunicatis: Secundò, gerit publicam personam, cuius legatus est ad Deum, & sic non potest offerre sacrificium pro excommunicatis, cùm ab Ecclesia prohibeatur: Tertiò, gerit personam priuatam, & vt sic potest pro excommunicato in Missa orare, vt conuertatur, &c.

4 Missa potest offerri pro omnibus degentibus in hac vita, siuè sint iusti, siuè peccatores: Ratio, quia cùm sit repræsentatiua mortis Dominicæ, fructus illius pro omnibus offerri potest; cùm Christus pro omnibus sit mortuus: & idcircò offerri potest pro Paganis, cùm pro illis etiam Christus mortuus sit: & Apostolus *1. ad Timoth. 2.* præcepit orationes pro Regibus, qui tunc erant Infideles.

5 Sacrificium Missæ potest offerri pro Cathecumenis viuis, & defunctis: & licèt non prosit illis ex opere operato, tamen quò ad effectum impetrationis, prodest illis, atque tali intentione pro illis offertur: ità Layman. *tract. 5. de sacrific. Missa cap. 9. num. 8.* & alij.

6 Beatis nõ prodest sacrificium, nisi quatenùs per ipsum coluntur, & honorantur, & quatenùs Sanctus gaudet honore, qui in sui memoriam Deo exhibetur. Animabus existentibus in Purgatorio prodest: & ità communitèr Doctores, vt colligitur ex Concilio Trident. *sess. 22. cap. 2. can. 3.*

† Damnatis in Inferno existẽtibus non prodest Missa, quia in Inferno nulla est redẽptio. Paruulis existentibus in Limbo, migrantibus ex hac vita cum peccato originali, non prodest Missa: ità Bellarm. *lib. 2. de Missa cap. 6.* & alij.

7 Fructus sacrificij, qui applicatur incapaci, v.g. Damnato prodest ipsimet sacrificanti, vel offerenti, si habuerit intentionem sibi applicandi huiusmodi fructũ, in defectum alterius; alioquin reponitur in Thesauro Ecclesiæ. Corduba *lib. 3. quæst. 3.* & alij.

8 Quælibet Missa ex opere operato æqualitèr prodest defunctis: ex opere operantis plus valet Missa *de Requiem*: Verùm qui accipit eleemosynam pro dicenda Missa *de Requiem*, & aliam dicit, non tenetur dicere collecta *de Requiem*, cùm dicendo Missam alicuius Sancti, compenset defectum Missę *de Requiem*: ita Nauarrus *in man. cap. 24. num. 10.* Frassinellus *de obligat. Sacerdotum fol. 4. §. 7.* & alii. Peccat tamen, qui absque iusta causa dicit vnam Missam pro alia: Ratio quia fidem datam violat: Si verò iusta causa id faciat, vel Missam non celebret in Altari promisso, non peccat: ità Nauar. *de celebrat. Missarum lib. 3 cons. 6.* Henriq. *lib. 9. cap. 23.* num. 6. Syluest. *verb. Missa 2. num. 8.* & alij.

9 Missa dicenda in Altari priuilegiato nõ debet esse *de Requiem*, nisi exprimatur in Bulla concessionis priuilegij: Ratio, quia Pontifex, qui concedit, vt in illo Altari dicatur Missa pro Defunctis, nõ se restringit ad Missam *de Requiem*: & ità Nauar. *cons. 14. & 37. de Pænitentijs, & Remissionibus*, licèt plures alitèr sentiant.

10 Melius est plures Missas statim dicere post mortem, quò ad liberationem animæ, quàm plures dicere singulis annis diuisim.

11 Parochus illis diebus, quibus non tenetur celebrare, potest pro Missa dicenda eleemosynam accipere: Ratio, quia non censetur deterioris conditionis alijs Sacerdotibus: ità Nauar. *in Man. cap. 25. num. 101.* Possevin. *de officio Curati cap. 2. num. 20.* Sotus *de Iustitia lib. 9. quæst. 6. art. 5.* & alij. Illis verò diebus, quibus tenetur Missam celebrare, non potest eleemosynam accipere pro applicatione Missæ: & ità Sacra Congregatio *in Declaratione Decreti de celebratione Missarum sub Urbano VIII. emanati.*

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Minister sacrificij est Sacerdos.*
2 *Quando debet applicare fructum sacrificij.*
3 *Celebrans in peccato mortali solùm vnum peccatum committit.*
4 *Non celebrando quando peccet mortalitèr.*
5 *Capellanus quando teneatur satisfacere suæ obligationi.*
6 *An possit sacrificium prætermittere.*
7 *Capellanus non Sacerdos peccat accipiendo Capellaniam Sacerdotalem.*
8 *Sacerdos pro Missa dicenda potest eleemosynam accipere.*
9 *Sacerdos, qui tenuem eleemosynam accepit, tenetur pro dante eleemosynam sacrificium applicare.*
10 *Satisfacit celebrando in peccato mortali.*

1 Minister proprius, ex officio, sacrificij Missæ est Sacerdos, quia ille solus est Minister consecrationis, qui debet habere intentionem celebrandi, & fidem, & gratiam, cùm sit Minister consecratus, & depu-

deputatus ad hoc, *cap. firmiter de summa Diuinitate.* Suarez *disp.* 72. *sect.* 4. Reginal. *lib.* 29. *num* 56. Nihilominus si sacrificium offeratur à Sacerdote existente in peccato mortali, prodest, & habet suum effectum, quatenus nomine Ecclesiæ offertur.

2 Fructum sacrificij, qui est ex opere operato debet applicare ante, vel in ipsa consecratione; alioquin frustrà conabitur eum applicare.

3 Sacerdos celebrans in peccato mortali, solùm vnum peccatum committit, consecrando, offerendo, & indignè sumendo: Ratio, quia isti actus sunt subordinati ad sumptionem; at diuersi actus quando sunt subordinati alij alijs, non efficiunt diuersa peccata; ergò, &c. & ità D. Thomas *p.* 3. *quæst.* 72. *artic.* 6. Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 31. *quæst.* 11. Henriq. *lib.* 8. *de Eucharistia cap.* 45. *num.* 3. & alij.

4 Sacerdos non legitimè impeditus, si absque causa nusquam celebret in anno, peccat mortaliter: ità Azor. 1. *p. lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 1. Nauar. *cap.* 25. *num.* 88. Reginal. *lib.* 29. *nu.* 46. Vasquez 3. *par. disp.* 232. Suarez *disp.* 80. *sect.* 1. & alij. Parochus diebus Dominicis, & festis, quibus Populus tenetur audire Missam, tenetur per se, vel per aliũ celebrare, si ipse nequeat: ità Villabos *in Summa par.* 1. *tract.* 8. *dub.* 14. *num.* 5. Siluius 3. *part. quæst.* 83. *art.* 1. Non tamen illis diebus tenetur sacrificium Missæ pro populo applicare, quia obligatio ad celebrandũ, & ad applicandum sacrificium sunt obligationes diuersæ, & potest obligari ad celebrationem, quamuis non obligetur ad applicationem: ità Reginal. *lib.* 25. *nu.* 228. Nauar. *cap.* 25. *num* 92. & alij.

5 Beneficiatus, seu Capellanus tenetur, iuxtà institutionem Capellaniæ, & intentionem fundatoris, Missam celebrare. Vnde si Capellania instituta sit ad celebrandum quotidiè, tenetur quotidiè celebrare, nisi ob iustam causam, &c. Missam ommittat, Graf. *tom.* 2. *consil. lib.* 3. *difficul.* 4. *num.* 4 Reginal. *lib.* 29 *num.* 164. Azor. 1. *part. lib.* 10 *cap.* 22. *quæst.* 7. Suarez. *disp* 80, *sect.* 2. & alij. Si verò Capellania instituta sit ob alium finem, v. g. ob finem psallendi, &c. tunc non est obligatio dicendi Missam. Fillіuc. *de sacrificio cap.* 6. *num* 173.

6 Capellanus potest sacrificium Missæ prætermittere ob infirmitatem; Verùm si infirmitas excedat spatiũ quindecim dierum, tenetur per alium celebrare. Item Capellanus si aliqua iusta causa non potest offerre sacrificium, potest id differre in tempus magis commodum: Ratio, quia sic faciendo, non facit contra rationabilem voluntatem fundatoris, nisi aliter constet de intentione ipsius fundatoris.

7 Capellanus, qui non est Sacerdos, peccat accipiendo Capellaniam, quæ soli Sacerdoti debetur: non tamen obligatur ad restitutionem, si per Sacerdotem satisfecit obligationi Capellaniæ: Ratio prioris partis est, quia facit contrà intentionem fundatoris: Ratio secundę partis est, quia non videtur violasse iustitiam cum damno alterius.

8 Sacerdos potest pro Missa dicenda eleemosynam accipere in sui sustentationem: Ratio, quia dignus est operarius mercede sua. Verùm non debet pecuniam accipere pro ipso sacrificio, aut effectu ipsius, quia talis acceptio esset simoniaca: vt constat *in cap. Cum in Ecclesia*: nam daretur pecunia pro re sacra. Item pro labore dicendi Missam nihil potest accipere, cùm sit immediatè annexus rei sacrę, & simpliciter necessarius ad celebrationem, & immediatè cum Missa coniunctus. Pro labore mediatè cõiuncto, siuè per accidẽs cum Missa, potest aliquid accipere absque labe Simoniæ: Ratio, quia ille labor est merè temporalis, nec est per se intrinsecè coniunctus cum sacrificio, & de tali mercede potest pacisci absque labe Simoniæ: Ratio, quia si licitè potest recipere mercedem pro sui sustentatione, & pro labore per accidens annexo sacrificio Missæ; ita etiam licitè potest de tali mercede pacisci: ità S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *artic* 3. Vgol. *de Simonia tab.* 1. *cap* 9. Corduba *de Casibus conscientiæ, casu* 27 Vasquez *tom.* 3. *disput.* 337 & alij.

9 Sacerdos, qui tenuem eleemosynam accipit pro Missa dicenda, tenetur tantùm sacrificij valorem tradentibus eleemosynam applicare: ità Suarez *disp.* 86. *sect.* 4. Coninc. *quæst.* 83. *art.* 1. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 5 & alij: Ratio, quia tenetur stare conuentioni. Nec potest Sacerdos à diuersis tot parua stipendia exigere, quæ respondeant debitæ eleemosynæ, & vno sacrificio omnibus satisfacere, aut posse minuere numerum Missarum: ità Azor. 3. *par lib.* 12. *cap.* 6. Reginal. *lib.* 23. *num.* 334. & alij.

10 Sacerdos, qui stipendium accepit pro celebratione Missæ, satisfacit celebrando in peccato mortali, quia applicat illum fructum, quem tenetur tamquam Minister publicus applicare.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos diues potest pro Missa dicenda eleemosynam accipere.*
2 *Iustum stipendium Missæ quod sit.*
3 *Sacerdos, qui à spontè dante accipit aliquid supra taxam, non peccat.*
4 *Sacerdos pauper non potest plura stipendia accipere.*
5 *Sacerdos qui gratis promisit Missam, tenetur eam dicere.*
6 *Non potest eleemosynam accipere pro vna re, quæ sibi debetur.*
7 *Qui collegit eleemosynas potest per alios satisfacere, &c.*
7 *Sacerdos, qui est in mora celebrandi, peccat.*
9 *Sacerdos cantando Missam Conuentualem, non satisfacit suæ obligationi.*
10 *Quis possit Missas ad minorem numerum reducere.*
11 *Papa potest dispensare, vt vnico sacrificio satisfaciat pro pluribus stipendijs.*
12 *Super collectas nihil potest accipi.*

1 SAcerdos etiam diues; vel habens pingue patrimonium; potest pro Missa di-

dicenda eleemosynam accipere: & ità cõmunitèr Doctores: Ratio, quia non tenetur gratis Missam pro alijs celebrare, tùm etiam quia diues censetur deterioris conditionis, quàm alij: ità Sotus *lib. 9. quæst. 6. artic. 1.* Vasquez 3. *p. tom. 3. disp. 234.* Reginal. *lib. 23. num. 232.*

2 Iustum stipendium Missæ est, quod per Episcopum loci fuit præscriptum, vel per consuetudinem legitimam introductum, aut arbitrio viri prudentis, deficiente legitima consuetudine: ita Aragon. *2. 2. qu. 85. art. 3.* Caet. *in Summa verb. Simonia*, Nauar. *cap. 25. num. 92.* Reginal. *lib. 23. nu. 232.* & alij.

3 Non peccat Sacerdos, qui accipit à dante aliquid supra taxam præscriptam: Ratio, quia in hoc casu excessus censetur gratis donari: ità Posseuin. *cap. 2. num. 25.* Reginal. *lib. 23. num. 232.* Suarez *disput. 86. sect. 2.* & alij. Peccat, & obligatur ad restitutionem, si ab inuitis importunè eleemosynam supra taxam exigat, quia facit contrà iustitiam. Azor. 3 *p. lib. 12. cap. 6.* Vasquez 3 *p. tom. 3. disp. 239.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 86. sect. 2.* & alij.

4 Sacerdos pauper non potest tot stipendia accipere quot sufficiant ad sui sustentationem: Ratio, quia iniustè acciperet accipiendo supra taxam: Item Sacerdos, qui à viro amicissimo accipit duplicatum stipendium, potest per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei stipendio iusto, si illud duplicatum stipēdium fuit datum intuitu personæ, quia secus non potest excessum præ se retinere.

5 Sacerdos, qui gratis promisit alicui dicere Missam, tenetur sub mortali ipsam dicere: Ratio, quia non celebrando, censetur violare promissionem in materia graui, & per consequens peccare mortalitèr.

6 Sacerdos non potest duas eleemosynas accipere pro Missa dicenda, vna vt applicet valorem medium, & altera vt applicet valorem, qui sibi debetur: Ratio, quia meritum, qd acquirit Sacerdos dicendo Missam est innumerabile: ità Suarez *3. p. disp. 79. sect. 9.* Posseuin. *cap. 2. num. 25.* Rodriquez *1. p. cap. 350.* licèt plures apud Dianam *tract. 14. de celebrat. Missarum resol. 14.* sequatur opinionem contrariam, quorum opinio videtur probabilis, ob rationem, quam obseruat Henriq. *lib. 9. cap. 21. nu. 7.*

7 Sacerdos, qui à pluribus collegit eleemosynam pro Missis dicendis, potest per alios Sacerdotes satisfacere, retenta sibi parte eleemosynarum pro labore, &c. ità Nauar. *cap. 25. num. 91.* Henriq. *lib. 9. de Missa cap. 22. num. 8.* Em. Sà *verb. Missam. 42.* & alij. Modò Sacerdotibus celebrantibus tantum tradat eleemosynæ, quantùm fert communis taxa: Ratio, quia nulli fit iniuria.

8 Mortalitèr peccat Sacerdos, qui est notabilitèr in mora celebrandi Missas pro ijs, à quibus, vel pro quibus stipendium accepit: Ratio, quia huiusmodi dilatio redundat in detrimentum illorum, pro quibus celebrandum est Missæ sacrificium: & ità Reginal. *lib. 23. num. 236.* Henriq. *lib. 9. cap. 22. num. 8.* Syluest. *verb. Missa 1. quæst. 10.* & alij.

9 Sacerdos, qui ratione Capellaniæ tenetur quotidie celebrare, non potest obligationi satisfacere dùm cātat Missā Conuentualem: Ratio, quia Missa Conuentualis debet applicari pro Conuentu, & per consequens per ipsam non potest satisfieri obligationi Capellaniæ, aut eleemosynæ acceptæ, *cap. Cum creatura de celebrat. Missarum.*

10 Post Concilium Tridentinum, Episcopus non potest ad minorē numerum reducere Missas post Concilium relictas: & ità Miranda *tom. 1. quæst. 41. artic. 54.* Rodriq. *in Summa cap. 252. num. 13* Licèt plures sequantur opinionem contrariam, nimirùm posse iusta causa reducere ad minorē numerum Missas relictas etiam post Concilium Tridentinum: Generales Religionū olim poterant reducere Missas ad minorem numerum, nunc verò non possunt: ità Barbosa *de potestate Episcopi p. 2. allegat. 28. num. 12.* Nauar. *cap. 25. nu. 138.* Miranda *tom. 1. quæst. 41. artic. 24.*

11 Romanus Pontifex potest dispensare, vt Sacerdos vnico sacrificio satisfaciat pro pluribus stipendijs, posita iusta causa: ità Azor. *3. p. lib. 12. quæst. 5.* & alij. Ratio, quia Summus Pontifex habet potestatem mutandi voluntatem offerentium eleemosynas, iusta interueniente causa, & sicuti potest ex iusta causa Missas ad minorem numerum reducere: ità etiam potest concedere, vt quis possit pro pluribus stipendijs vnico sacrificio satisfacere.

12 Sacerdos, qui collectam habuit in Missa, non potest pro tali additione eleemosinam accipere: Ratio, quia per collectā non fit communis ille valor specialis sacrificij: ità Henriq. *lib. 9. cap. 23. num. 6.* Reginal. *lib. 23. num. 234.*

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos non potest celebrare, nisi in locis consecratis, &c.*
† *Excipiuntur casus necessitatis.*
2 *Item castra militum, &c.*
3 *Quando Episcopus possit concedere licentiam, &c.*
4 *Priuilegia Mendicantium, &c. non sunt reuocata.*
5 *Non licet celebrare in loco polluto.*
6 *Regulariter semel in die est sacrificandum.*
7 *Hora celebrandi.*
8 *Ex priuilegio, licet ante auroram celebrare.*
9 *In nocte Natiuitatis Domini post Missam quilibet possunt tres alias celebrare.*

1 Ivre communi prohibetur Sacerdos celebrare in alijs locis, præterquàm in locis Episcopi auctoritate consecratis, *cap. Sicut de consecrat. dist. 1.* Dantur aliqui casus, in quibus potest Sacerdos sacrificium offerre in loco non consecrato: Primus est, † necessitatis, iuxtà *cap. Vt concedimus dist. 1.*: Secundus casus est, cum interuenit licentia Epi-

Episcopi ante Concilium Tridentinum, nunc vero post Concilium Tridentinum *sess.* 22. cautum est, ne Episcopi patiantur, in priuatis domibus, atque omninò extrà Ecclesiam, & ad Diuinum cultum tantùm dedicata Oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda, atque visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut à regularibus peragi.

2 Ratione necessitatis, potest in Castris militum, in tentorijs, aut etiam sub dio celebrari, & maximè diebus festis, & quando pugnandum est: Itẽ quãdo ex aliqua causa conuenit tanta multitudo, vt non possit capi intrà locum destinatum ad celebrandum: Tertio, quando nauigantes appellũt ad aliquod littus, & per aliquod tẽpus caruerunt sacrificio Missę, tùnc potest ibi celebrari, cum debita tamen reuerentia, & decentia, & dummodò non adsit aliquod periculum: Item conceditur, si appellant ad littus in die magnæ solennitatis, vt possit ibi celebrari, quãuis per paucos dies conuenerint sacrificio; quia non est conueniens, vt in illa solennitate sacrificio frustrentur. Nauar. *cap.* 25. *num.* 28. & alij.

3 Ex declaratione Sacræ Congregationis apud Barbosam *par.* 2. *de officio, & potestate Episcopi allegat.* 23. *num.* 8. *&* 9. potest Episcopus concedere talem licentiam, quando adest causa rationabilis, ob quam non est licitus egressus è domo, ex quacumque causa id proueniat, dummodo talis causa per notabile tempus duraret, aut cum incidat cum aliqua principaliori solennitate, quia tùnc cùm sit impeditus legitimè accessus ad Ecclesiam, rationabile est, vt pro aliqua vice concedatur huiusmodi licentia, habita tamen ratione qualitatis personarum, & circumstantiarum.

4 Priuilegia Mendicãtium celebrandi extrà Ecclesiam non censentur reuocata per Concilium Tridentinum, & patet ex eo, quod Decretum Concilij non est prohibitiuum actus, sed concessiuum facultatis prohibendi, & dirigitur tantùm ad Episcopos, quos delegat vice Sedis Apostolicæ ad exercendum actum prohibitionis, etiam contrà regulares; Ergo possunt regulares id, quod anteà poterant, quousque ab Episcopis prohibeantur, cum ante talem prohibitionem, nulla exter prohibitio, sed tantùm facultas prohibendi.

5 Est peccatum mortale celebrare in loco polluto, antequam purificetur: Ratio, quia ea pollutio est veluti quædam prohibitio Ecclesiastici Iuris, nè Missæ sacrum, aliavè Officia Diuina fiant in tali Ecclesia.

6 Semèl tantùm in die iure ordinario sacrificare licet, excepto tamen die Natalis Domini, in quo licitum est tres Missas celebrare: Item quando Sacerdos habet duas, vel tres Parochias, & non potest commodè habere Coadiutorem. Ad hunc reduci potest casus penuriæ Sacerdotum in Ciuitate: Tertiùs, quando Sacerdos, qui postquàm se communicauit, admonetur de necessitate infirmi communicandi, & non habet Hostiam consecratam, tùnc videtur posse denuo Missam celebrare; nisi adsit alius Sacerdos celebraturus; si admoneatur, antequàm se communicet, potest pro communione infirmi, Hostiæ particulam reseruare; ità Syluest. *verbo Missa* 1. *quæst.* 7. Grassius 1 *par. lib.* 2. *decis. cap.* 40. *num.* 1. Camerota *de Missæ sacrificio dub.* 13. Henriquez *lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 7. Debet Sacerdos semper esse ieiunus in casu, quo denuò celebret.

7 Hora, seù tempus celebrandi regularitèr incipit ab aurora vsque ad meridiem. Aurora autem dicitur, quando aer incipit illustrari per primam Solis irradiationem, aut paulo ante per quadrantem, seù per dimidiam horam, nam in moralibus, parùm pro nihilo reputatur: ante, Missa non potest celebrari; quia homines non sunt dispositi ad talem actionem, quæ publicè fieri debet; tùm quia in Missa offertur Christus candor lucis æternæ; ergò ante auroram non est celebrandum. S. Thomas 3. *par. quæst.* 83 *art.* 2. Siluius *ibidem quæst.* 4. Suarez *disp.* 80. *sect.* 4 Rodriquez *cap* 249. Vasqu. 3 *par. disp.* 232 & alij.

8 Ex priuilegio, celebrare antè auroram, & post meridiem habent Religiosi; & possunt celebrare per horam, &c. ante diem: possunt etiam per tres horas ante ortum Solis Missas dicere, & post tres horas post meridiem. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *resolut.* 33. *&* 34. Iure communi non est licitum celebrare post meridiem; & ità Doctores communitèr, fundati in consuetudine Ecclesiæ, approbata in rubrica Missalis à Pio V. *constit.* 2 *Quæ incip. Sanctissimus.*

9 In nocte Natiuitatis Domini non modo Sacerdos potest dicere Missam ipsius noctis, imo post Missam medię noctis, possunt immediatè tres Missæ celebrari: Ratio, quia *in cap. Nocte sancta* absolutè conceditur, vt nocte Natiuitatis Missæ celebrẽtur absque vlla distinctione, ergo priuilegium non limitar; ita Suarez *in* 3 *par. tom.* 3. *disput.* 80. *sect.* 4. Layman *lib.* 4 *tract.* 5 *cap.* 4. *num.* 2. Reginaldus *tom.* 2. *cap.* 9. *lib.* 4. *num.* 134. & alij.

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos non peccat, qui ante Officium dicit Missam.*
2 *Quibus diebus non sacrificetur.*
3 *Missa in Altari lapideo consecrato celebrari debet.*
4 *Quæ requirantur ad dicendam Missam.*
5 *Omissio vestium, quando sit peccaminosa mortaliter.*
6 *Extrà casum necessitatis non potest Sacerdos capite cooperto celebrare.*
7 *Ad celebrationem Missæ requiritur lumen.*
8 *Item Missale.*
9 *Sacerdos debet sibi adhibere masculum inseruientem.*
10 *Sacerdos sine Ministro celebrans, quando peccet.*

1 SAcerdos non peccat mortalitèr, qui Missam dicit ante preces Matutinas; ità Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 5. & alij Ratio,

Ratio, quia Matutinales preces, & Diuinum Officium nullam inter se habet connexionem, & nullum ordinem, ità vt illum conuertens, peccet.

2 Feria sexta Hebdomadæ Sanctæ, ex antiqua consuetudine, cùm Ecclesia colat, & exhibeat realem Passionem, & euentum Christi sacrificium, ideo non repræsentat mysticè, seu non immolat incruentè: sinit litèr in Sabbato Sancto, quia Ecclesia toto illo die in ieiunio, & planctu, & repræsentatione Passionis Christi percuerabat; ideircò prohibitum erat iure antiquo celebrare. Feria quinta per se loquendo, licitum est sacrificare: Ratio, quia nullum extat præceptum in contrarium, vel ex lege scripta, vel ex consuetudine, &c.

3 Missa celebrari debet in Ecclesia consecrata ab Episcopo, aut saltem benedicta, & in Altari lapideo consecrato integro, & non enormiter fracto. Per Altare intelligitur id, in quo Hostia sacrificãda immolatur, & dici ur Altare, quasi Alta ara, quod debeat esse lapideum; habetur *in cap. Altaria dist. 1. de consecrat.* Dixi, non enormiter fracto, quia Altare tam fixum, quàm portatile, fractione notabili, amittit consecrationem.

4 Ad Missam celebrandam, præter Ecclesiam, & Altare consecratum, primò requiritur Patena, & Calix consecratus, & Chrismate perunctus, confectus ex auro, argento, vel stanno, non autem ex aurichalcho, vel ere, nè vomitũ prouocet: quę si notabiliter frãgãtur, amittunt cõsecrationem; ità vt nequeant inseruire ad vsum præfixum: quod etiam dicendum est de vestibus, quæ si notabiliter frangantur, ità vt non sint aptæ ad vsum, ad quem sunt destinatæ, amittunt benedictionem; ità Bartholomæus ab Angelo *Dialogo* 5 §. 175. Angelus *verbo Benedictio num.* 3. Armilla *verbo Benedicere num.* 9., & alij, vt v. g. Alba desinit esse benedicta, si ex ipsa abscindatur manica, quamuis postea illi eadem manica suatur: Ratio, quia per abscisionem manicę ità perfringitur, vt nõ sit apta ad vsum, ad quem fuerat destinata, neque amplius retinet priorem figuram: Cingulum verò indiget noua benedictione, si ità perfringatur, vt nulla ipsius pars sufficiat ad cingendum.

5 Omissio harum vestium, præcisa inaduertentia, & magna celebrãdi necessitate, inducit peccatum mortale; ità Vasquez *tom.* 3. *in* 3 *par. disput* 233. *cap.* 3. *num.* 38. Nugnus *tom.* 1. *in* 3 *par. quæst.* 83. *art.* 5., & alij: Ratio, quia in re graui censetur violare vsum, & consuetudinem Ecclesiæ. In casu necessitatis potest Sacerdos sine indumentis benedictis ex præscriptis ab Ecclesia celebrare: Ratio, quia lex positiua, vt est hæc, gerendi habitus benedictos, non obligat in casu necessitatis; ita Petrus Ledesma *in summa tom.* 1. *de sacramento Eucharistiæ cap.* 21 Suarez *in* 3. *par. tom.* 3. *disput.* 83 *sect.* 3. *dub.* 1. Filliuc *tom.* 1. *tract.* 3 *num.* 749.

6 Cauendum est Sacerdoti, nè cooperto capite celebret, saltem tempore consecrationis; in casu necessitatis morbi, aut caluitiei, est licitum celebrare capite cooperto; ità *cap. Nullus Episcopus de consecrat.*, præcisso tamen scandalo, & petita licentia ab Episcopo; licet Gauantus *in comment. ad rubricam Missalis tom.* 1. *par.* 2. doceat, nunc temporis facultatem dispensandi spectare ad Summum Pontificem, & ità declarasse Sacram Congregatione Cardinalium super negotijs Episcoporum *die* 2. *Ianuary* 1590.

7 Ad celebrationem Missæ requiritur lumen, quod, ex consuetudine, conficitur ex cera: in necessitate tamen sufficit lumen ex candela sebacea, vel lucerna ex oleo. Suarez *disp.* 80 *sect.* 6 Reginald *lib.* 29 *num.* 196. Vasq. 3 *par disp.* 233. *cap.* 4 *num.* 25. Toletus *lib.* 2 *cap.* 2.

8 Ad Missam celebrandam requiritur Missale; & Sacerdos recitans sine libro, qui saltem non contineat Canonem, peccat mortaliter, cùm se exponat periculo grauiter errandi; ita Vasq. 3 *p disp.* 233. *cap.* 3. *num.* 26 & 27. Nauar. *cap.* 25. *num.* 83. Henriq. *cap.* 29. *num.* 27. & alij.

9 Requiritur in Missa, quòd Sacerdos adhibeat sibi masculum ministrantem, non autem fœminam, quia iure cautum est, nè fœmina ad Altare adhibeatur; ità Suarez 3. *par. tom.* 3. *disput.* 88. *sect.* 2. Villabos *in summa par* 1. *tract.* 8 *difficul.* 34. *n.* 1. Molphetius *in summa tom.* 1. *tract.* 3 *cap.* 10. *num* 40. Potest tamen fœmina remotè inseruire, & respondere; proximè verò ad Altare accedere, & inseruire, non decet. Suarez *loco citato.*

10 Sacerdos, qui ex rã necessitatem sine Ministro celebrat, peccat mortaliter, quia facit contrà præceptum Ecclesiæ in re graui; licet alij aliter sentiant in die festo, nè ipse, vel populus Missa careat, aut moribundo sit dandum Viaticum. Bonacina *puncto* 9. *num.* 33, Diana *de celebratione Missarum resolut.* 43.

PARAG. VII.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos post communionem aduertenti non adesse vinum in Calice, quid agendum?*

† *In sumptione Calicis, si aduertatur, non fuisse vinum, sed acetum, quid?*

2 *Si quid decidat in Calicē ante consecrationē, quid?*

† *Item si post consecrationem.*

3 *Dubitans, an habuerit intentionem consecrandi, verba consecrationis sunt repetenda.*

4 *Sacerdos ante consecrationem, si nequeat perficere sacrificium, quid?*

† *Item si post consecrationem.*

5 *Sacerdos Missam non potest interrumpere.*

† *In quibus casibus possit.*

6 *Christi-fideles tenentur audire Sacrum.*

7 *Celebrantis prauam intentionem habere non licet.*

8 *Confabulantes, &c. in Missa, an satisfaciant præcepto.*

9 *Quanta distantia excuset ab audienda Missa.*

10 *Celebrans aduertens, se aliquid omisisse in Missa, &c. quid agendum?*

1 Sacerdos, qui sumpto iam Corpore, aduertit, in Calice non esse vinum, sed aquam,

aquam, debet denuò vinum apponere, & consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo, &c.*; ità Suarez *disput.85.sect.1.* Reginaldus *lib.49.num. 213.* & alij. Sacerdos verò, qui in degluticndo Calice, aduertit, nō esse speciem vini, sed solùm acetum, debet potiùs illud deglutire, quàm in Calicē expuere, cùm id non possit facere absque indecentia, & fortasse non sine scandalo adstantium, & præceptum celebrandi cum ieiunio non obligat cum tanta indecentia, vel scandalo.

2 Quando animal, aut aranea decidit in Calicem ante consecrationem, alia materia sumenda est, eaque offerenda, & consecranda: si verò decidat post consecrationem, extrahendum est, & species consecratæ sumendæ sunt, & animal extractū est comburēdum, & eius cineres mittendæ in locum sacrum; ità Sotus *lib. 2. cap.9.* Em. Sa *verbo Missa num. 34.* Tabien. *verbo Missa nu. 33.* & alij.

3 Sacerdos debet repetere verba consecrationis, quando dubitat, an habuerit intentionem consecrandi, formalem, aut virtualem, quia hic defectus est substantialis.

4 Quando Sacerdos moritur, vel graui infirmitate impeditur, ante cōsecrationem, nè sacrificium absoluat, non est per alium Sacerdotem perficiendum; si autem post consecrationem, alius supplere debet, modò sit in gratia, etiamsi ieiunus non sit, incipiendo ab eo loco, vbi alter reliquit: si verò Sacerdos sit in peccato mortali, nec habeat copiam Confessarij, debet, elicito actu contritionis, sacrificium perficere. Henriquez *cap. 40.* Azor. 1. *par. lib.10. cap.33. quæst. 1.* Armilla *verbo Missa num.21.*: Si verò Sacerdos moriatur post susceptionē Hostiæ, alter Sacerdos non tenetur sacrificiū perficere, quia substantia sacrificij videtur perfecta, cum essentia sacrificij, iuxtà aliquos Doctores, saluari possit in sumptione vnius tantùm speciei, licèt alij aliter sentiant.

5 Sacerdos nō potest Missam inchoatā interrūpere: Ratio, quia cū Missa sit vna, ità debet moraliter cōtinuari, vt dicatur moraliter sacrificium vnum. In aliquibus casibus potest tantisper interrumpere Missam: Primus, si recordetur se esse excōmunicatū: Secundus, si sacrificio Missæ intersit excommunicatus vitandus: Tertius, si morbus, vel alia grauis necessitas cogat sacrificium interrumpere; in quo casu debet alius Sacerdos sacrificium perficere, si consecratio iam fuerit facta: Quartus, magna proximi vtilitas, aut necessitas, vt si baptizandus sit Infans in periculo mortis existens, quem mater peperit inter Missarum solennia, cui alia ratione non possit Baptismus conferri, quàm per Sacerdotem celebrantem, vel etiam, si ministrandum sit Sacramentum mortuo in Ecclesia, quando non adsit alius, qui illud administret.

6 Fideles, præcepto Ecclesiastico, tenentur audire Missam; ità *ex cap. Missas de consecrat. dist.1.* & *cap. Omnes fideles*, & ex consuetudine introducta à principio Ecclesiæ: & licèt hoc præceptum sit Ecclesiasticum, est tamen valdè consonum Iuri naturali, aut Diuino, supposita eius institutione: Ratio, quia præceptum sacrificandi est de Iure naturæ, & Diuino esse conforme, constat ex eo, quòd Christus voluit in Ecclesia coli hoc genere sacrificij, iuxtà illud, *Hoc facite, &c.*, & ideo peccant mortaliter non modò, qui Missam non audiunt, sed etiam qui omittunt partem notabilem ipsius; ità Nauar. *cap. 21. num. 1. & 2.* Azor. 1. *par. lib.7. cap.1.* Toletus *cap.8.* Henriquez *cap.25. num.7.* & alij.

7 Habere prauam intentionē in celebrando Missam, est peccatum mortale, vt v. g. Deus aliquem perdat, &c.: Ratio, quia hoc Sacramentum nemini nocet, sed iuuat; ita *cap. Si autem Deus*. Verùm in audiente Missam praua intentio coniuncta cum volūtate audiendi Missam, & attentione, non est contraria huic præcepto, ac proindè satisfacit præcepto, qui habet prauam intentionem. Nauar. *cap. 21. num. 10.* Medin. *quæst. de pœnitent.* iniuncta tempore, quo Missa celebratur: Ratio, quia ille implet substantiam præcepti.

8 Qui notabilitèr confabulatur, dormitat tempore Missæ, non satisfacit præcepto; ità Nauar *cap.21. num.26.* Caiet. *in summa, verbo Festorum violatio*, Barthol. ab Angel. *de Missa*: Ratio, quia licèt materialitèr adimpleat præceptum, formalitèr ipsum non adimplet, & tale præceptum obligat materialitèr, & formalitèr; secùs verò si non impediatur attentio requisita ad audiendam Missam.

9 Non est determinatum in Iure quanta distantia excuset ab audienda Missa, & ità determinandum est arbitrio boni viri, qui consideratis personarum qualitatibus, & circumstantijs, pluuiarum, fluminum, lutorum, &c. indicabit. Distantia trium milliarium, diebus solennioribus, non excusat viros, & mulieres robustas ab audienda Missa; & ità Nauar *lib.2. de ferrreis consf.3.*

10 Quādo Sacerdos aduertit, se aliquid spectans ad integritatem formæ omisisse, debet defectum supplere, vt validum efficiat Sacramentum; ità S.Thomas *quæst.83. art.6.* Tabien. *verbo Missa num.31.*, & alij; & non satisfacit repetendo solùm verbum omissum spectans ad essentiam formæ, sed debet repetere totam formam: Ratio, quia vt Sacramentum efficiatur, requiritur talis significatio, qua effici possit Sacramentū, significatio autē, qua efficitur Sacramentū, non subsistit, si aliquod verbum tantummodò suppleatur, quotiescūque alia verba, vel longum tempus intercessit; ità Bonacina *disput.4. de sacram. quæst. vlt. punct. 10. num. 13.*: Ratio, quia significatio Sacramentorum est practica, cùm faciat significando, & significet efficiendo.

P A-

PARAG. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Confitens peccata tempore Missæ, an satisfaciat præcepto?*
2 *Causæ excusantes ab audienda Missa.*
3 *Impotentia spiritualis excusat etiam ab audienda Missa.*
4 *Item ignorantia tùm iuris, tùm facti.*
5 *Impotentia item moralis excusat.*
6 *Seruientes infirmis excusantur etiam.*
7 *Consuetudo regionis an excuset ab audienda Missa?*
8 *Festum Annunciationis B. Mariæ Virg. si cadat in diem Veneris, aut Sabbati Sancti, an obliget ad Missam audiendam.*

1 QVi confitetur tempore audiendi Missam, non satisfacit præcepto, si Confessio duret per partem notabilem Missæ: Ratio, quia Confessio impedit attentionē necessariam ad audiendam Missam; ità Suarez *disput*.88 *sect*.6. & alij.

2 Sunt plures causæ, quę excusant fideles ab audienda Missa: Prima impotentia est corporalis; vndè ex isto capite excusātur Infirmi, qui timent sibi periculum grauioris morbi. Excusantur etiam, qui nequeūt audire Missam absque detrimento sui, vel proximi, siuè sit detrimentum animæ, siuè corporis, siuè famæ, siuè honoris, siuè lucri, siuè alterius boni. Vndè excusantur nutrices, quæ non possunt ferre puerum lactētem, & qui nequeunt audire Missam, nisi aliquod graue negotium prætermittant, quod in aliud tempus differre nequeunt, vt Cursores, Nautę, Muliones, iter facientes, si audiendo Missam amitterent socios necessarios ad iter peragendum: Item Molitores, Pastores, qui nequeunt sine periculo gregis, aut grauis detrimenti Missam audire. Similitèr, qui in Oppidis, vbi vnica Missa celebratur, remanet domi ad custodiam domus, vel ad cibos præparandos: Item excusat periculum in bonis externis, vt si timeat furtum, si domum solam relinquat, aut si timeat graue incommodum ex auditione Missæ, vt si quis tria milliaria pedibus conficere debeat, vel etiam duo cum pluuijs, tempestate, &c.

3 Impotentia spiritualis excusat etiam ab auditione Missæ, vt est, quæ prouenit ab excommunicatione, interdicto, &c., etiāsi non tollat impedimentum censuræ, non peccat in audiendo Missam, nisi habeat priuilegium audiendi Missam, tempore Interdicti, quia tùnc non excusatur à peccato.

4 Ignorantia tàm iuris, quàm facti excusat ab audienda Missa, vndè excusantur à peccato, qui Missam non audiunt, inuincibilitèr ignorantes, esse diem festum: quod etiam dicendum est de obliuione, dummodo ipsa sit inculpabilis.

5 Impotentia moralis excusat ab auditione Missæ, ideò excusatur fœmina, quæ caret veste honesta conuenienti suæ personæ, aut conuenienti seruitute: Similitèr, qui non potest securus exire domo, vt si timeat se ab hostibus inuadendum, aut à satellitibus comprehendendum: Item excusantur famuli, aut vxor, qui timent rixas, si ad Missas accedant.

6 Excusantur etiam, qui titulo charitatis tenentur seruire infirmis: Item mulier, quę se domi continet, ne sit talis occasio peccandi, licèt ad hoc non teneātur: similitèr qui, ratione Officij, obligantur ad aliquid, quod commodè transferre non possunt, sic excusantur milites custodientes Castrum; famuli, vt Dominis ministrent, &c.; secus verò si Ministeriū possit differri in aliud tempus.

7 Consuetudo regionis aliquando potest excusare ab audienda Missa: sic excusantur mulieres post partum abstinentes ab ingressu Ecclesiæ: viduæ etiam post mortem mariti non exeuntes ę domo ad certum tempus, modò diutiùs non abstineāt ab audienda Missa, quàm postulet consuetudo. Excusantur etiam Virgines nobiles, quæ non consueuerunt exire in publicum; ità Bonacina *disp*.4. *de Missa sacrificio qu. vlt. punct. vlt. num*.1. *&c*., & cum eo plures citati.

8 Standum etiam consuetudini, quando festum Annunciationis venit die Sabbati Sancti circà celebrationem Missarum: quando verò festum Annunciationis venit in diē Veneris Sancti, nec tenetur quis audire Missam, sub reatu peccati mortalis: Ratio, quia Missa illius diei non est propriè sacrificium, cùm non fiat consecratio nouæ Hostiæ; ità Suarez *tom*. 3. *in* 3. *par. disput* 75. *sect*.4. Bellarmin. *tom*.2. *lib*.4. *de Eucharistia cap*.226. Henriq. *in sum. lib*.9. *cap*.9. *num*.6, & alij.

PARAG. IX.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos applicans Missam contra voluntatem Superioris, an valide applicet?*
2 *Celebrans, omittendo* Gloria, *vel* Credo, *an peccet.*
3 *Qui non interest tribus partibus essentialibus Missæ, an satisfaciat?*

1 SAcerdos applicans Missam contrà voluntatem Superioris, validè applicat: Ratio, quia spectat ad celebrantem applicare valorem ipsius Missæ, & non ad Prælatum, licèt applicans peccet contrà votum obedientiæ: ita Syluest. *verb. Missa* 1. *num*.12. Angelus *eod. verbo num*.34. Henriq. *lib*. 9. *cap*. 21. *num*. 6.

2 Sacerdos omittens in Missa *Gloria*, vel *Credo*, peccat solùm venialitèr, ob leuitatem materiæ: ità Filliuc. *tom*. 1. *tract*. 5. *cap*. 5. *num*. 155. Secùs verò si omitteret ex consuetudine, vel contemptu. Item Sacerdos mortalitèr peccat si in Canone pro nomine Episcopi ponat nomen Generalis suæ Religionis: ità ex declaratione Cardinaliū relata à Diana *tract*. 14. *de celebratione Missarum resol*. 40.

3 Ille non satisfacit præcepto Ecclesię, qui non interest Missæ, dum fiunt tres partes substantiales, nimirùm consecratio, ob-

latio

latio, & sumptio. Ratio, quia omittetur pars notabilis spectans ad essentiam sacrificij. Iteo ille peccat mortaliter, qui omittit partem notabilem Missæ. Tertia pars Missæ, de communi consensu, censetur pars notabilis: qui omittit à principio Missæ vsque ad Epistolam exclusiuè non censetur omittere partem notabilem: ità Suarez *disp.* 88. *sect.* 2. Nauar. *cap.* 21. *num.* 2, Tabien. *verb. Missa nu.* 5. Graf. *lib.* 2. *cap.* 33. *num* 3. & alij: Licèt plures asserant, non committere peccatum mortale, nisi simul omittat Euangeliũ: & ità Sylvest. *verb. Missa* 2. *quæst.* 1. Coninch. *quæst* 83. *artic.* 6. *num.* 285. Azor. *lib.* 7. *cap.* 3. *quæst.* 2. & alij. Audiens dimidiam partem Missæ ab vno, & alteram dimidiam ab altero Sacerdote satisfacit præcepto: ità Em. Sà *verb. Missa num.* 8. plures referens.

PARAG. X.

Textus Sacrorum Canonum de celebratione Missarum.

SVMMARIVM.

1 *Presbyteris, dicto Matutino, quid agendum?*
2 *Missa votiua audita, Laicis, ex consuetudine, non permittitur.*
3 *Celebrantis communicate totum vinum profundendum.*
4 *Verba Canonis non relata ab Euangelistis, à quibus accepta?*
5 *Fingens, se consecrare, & non consecrans, quomodo puniatur?*
6 *Christi Corpus, verum fuit, & non phantasticum, &c.*
7 *Clericis, &c. confabulationes, &c. quando vetitæ?*
8 *Eucharistia vbi conseruanda.*
9 *In Ecclesijs Collegiatis duæ Missæ celebrandæ.*
10 *In die Cœnæ Domini, soli Episcopo celebrandum.*
11 *Sacerdos malitiosè celebrans in pane fermentato, &c. quomodo puniendus?*

1 PResbyter, dicto Matutino, debet dicere Horas, & Vesperas horis competentibus, & manè, dictis horis, visitare infirmos: mox si vult, exeat ad opus rurale ieiunus, vt deinde possit succurrere hospitibus, infirmis, defunctis, &c. vsque ad statutam horam, pro qualitate temporis, *ex cap. Presbyter* 1. *de celebratione Missarum, &c.*

2 Laicis permitti non debet, vt ex consuetudine, audiant Missam votiuam, v. g. De Trinitate, nisi suo tempore, vel aliquando, sed audiant Missam currentem in illo die, *ex cap. Quidam* 2. Sacerdoti sufficit semel in die vnam Missam solummodò celebrare, nisi in casu necessitatis, & in Christi Natali, *ex cap. Consuluisti* 3. In Missis in honorem alicuius Sancti diebus feriatis celebrandis, licèt dicatur propria præfatio, non tamen dicitur Hymnus, Euangelicus, nec Symbolum, *ex cap. Concilium* 4.

3 Sacerdos semper vinum profundere debet postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum, nisi quando eadem die deberet aliã Missam celebrare, quia tunc si infusum vinum acciperet, non posset amplius celebrare eadem die, *ex cap. Ex parte* 5.

4 Verba, si quæ sunt in Canone Missæ, quæ ab Euangelistis dicta nõ fuerunt; scilicèt *Mysterium Fidei*; *Eleuatis oculis in Cœlum*; *Æterni testamenti, &c.* Apostoli acceperunt à Christo, & successores ab Apostolis, *ex cap Cum Marta* 6. In Sacramento Eucharistiæ subtiliter tria distinguuntur: Primo forma Visibilis, idest Panis, &c. & est Sacramentum gemmæ rei, sed non est res: Secundò Veritas Corporis, & est Sacramentum, & res, Sacramentum vnius, & res alterius: Tertio Virtus spiritualis, idest Vnitatis, & Charitatis, & est res gemini Sacramenti, sed non Sacramentum, *ex eodem cap.*

5 Sacerdos, qui propter peccatum mortale in Missa fingit, se consecrare, & non consecrat, grauiùs punitur, quàm qui cõsecrat in peccato mortali, *ex cap. Debemus* 7.

6 Christus verus Deus, & verus homo, fuit ex corpore vero, & non phantastico, & ab eius latere fluxit vera aqua, & non phlegma, vel mixtum: & sicut in sanguine reluces Sacramentum redemptionis; sic in aqua, Sacramentum regenerationis, *ex cap. In quadam* 8.

7 Prælatis, & Clericis præcipitur sub pœna suspensionis, ne vsque ad mediam noctem comessationibus superfluis, vel confabulationibus illicitis vacent, & vt Missis aliquando intersint, vel celebrent, &c. Item præcipitur in virtute Obedientiæ, vt nocturnum, & diurnum Officium, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter, & deuotè, *ex cap. Dolentes* 9.

8 Eucharistia debet conseruari in loco singulari, mundo, & signato, honorificè, deuotè, & fideliter. Item Sacerdos debet monere suam plebẽ; vt cùm eleuatur hostia in Missa, reuerenter se inclinent, & cùm defertur ad infirmum, decenti habitu, superposito velo mundo, manifestè, & honorificè ante pectus, cum omni reuerentia, & timore, deferatur semper lumine præcedente, *ex cap. Sane* 10.

9 Missæ duæ solennes in Ecclesijs Collegiatis celebrari debent, vna pro Anniuersarijs Defunctorum; Altera pro feria, vel festo currente secundùm temporum congruentiam, *ex cap. Cum Creatura* 11.

10 Episcopus solus in die Cœnæ Domini debet Missam celebrare in sua Ecclesia, ibique Chrisma conficere, *ex cap. Te referente* 12. In sacrificio Missæ plus vini, quam aquæ est ponendum, & contrarium non est permittendum, quia est contrà generalem Ecclesiæ consuetudinem, *ex capite Perniciosus* 13.

11 Sacerdos, qui ex mera malitia præsumpserit celebrare in Pane fermentato, vel Scypho ligneo, vel sine igne, & aqua, est perpetuò deponendus ab officio, & beneficio, *ex cap. Litteras* 14.

Do-

Decreta Sacræ Congregationis Concilij S.D.N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ Octaui auctoritate edita.

De celebratione Missarum.

CVm sæpè contingat in quibusdam Ecclesijs tàm magnum Missarum celebrādarum numerum, ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen noua onera Missarum in dies suscipiantur; indeq; fiat, vt depereant piæ testantium voluntates; obstricta benefactoribus fides violetur; Defunctorum animæ suffragijs priuentur; Ecclesijs debitus subtrahatur cultus, ac Christi-fideles graui scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur. Cùmque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ijs, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent, illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri, aut quod Ecclesijs, forte pecuniarum abinnopia, plerùmque nuda remaneant onera Missarum absque vllo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subijcere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sui sustentatione nouis se oneribus obstringere cōpellantur: SACRA CONGREGATIO CARDIN. CONCILII TRIDENT. INTERPRETVM, animaduertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atque eradicare: Sanctissimi D. N. D. VRBANI Diuina Prouidentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialitèr attributa, infrascripta Decreta edidit.

Ac primò directè prohibet, atq; interdicit, nè Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoque modo reducant onera, nulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem reccurratur; qua re diligentèr perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contrà huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deindè vbi pro pluribus Missis, etiā eiusdem qualitatis, celebrandis, plura stipendia, quantūcumq; incongrua, & exigua, siuè ab vna, siuè à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, & locis pijs, quibuscumque, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, SACRA CONGREGATIO sub obtestatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: ità vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò grauitèr peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obseruetur exactius, SACRA CONGREGAT. eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tàm sæcularibus, quàm Regularibus, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorū celebratione, aut aliquibus collectis, seù Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciant.

Ac similitèr omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, nè eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynę sibi retenta, celebrandam committat.

Prætereà, nè in Ecclesijs, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis, eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta; statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, (sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda) à die realis acquisitionis statim deponi debeant penès Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum, illa, seu illorum pretium quāprimùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & indiuidua mētione oneris, quod illis annexum reperitur, ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, vt supra deponi, atque in alia bona stabilia itidem fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc SACRA CONGREGATIO quibusuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tàm Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè prohibet, nè in posterum onera perpetua suscipiant Missarum cele-

celebrandarum; Sæculares quidem fine Episcopi, vel eius generalis Vicarij; Regularis vero sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin Sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ, ac passiuæ absque alia declaratione incurrat: eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ità demū ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineat ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & Capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa, (*Eleemosyna pro Missis*) vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, nè fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligentèr inquirant, ac singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec anteà assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quā eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes, tàm nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesijs, & locis pijs relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiūctis, secundum morem cuiusque Ciuitatis, vel Prouinciæ; intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint; in nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò ILLVSTRISS. PATRES, non fine graui animi dolore intelligētes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent, in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemosynæ cuiusque Monasterij; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilij Decretis hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscumque alijs Superioribus, Monasteriorum, Conuentuū, ac domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intrà fines Italiæ, & Insularum adiacentium; vt singuli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & prouentus omnes, consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tam communes Monasteriorum, Conuentuū, & domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu præmissas, in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligentèr, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliavè cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere; eaque omnia scripto fidelitèr exarata, Idem Superior, cuius intererit, in proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis, proponat; qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus velut supra detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines (connumeratis etiam Laicis, alijsque necessarijs seruientibus) in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & domo Regulari iuxta Regionis, & proprij Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competentèr valeant sustentari: Tùm eorumdem bonorum, redditruum, & eleemosynarum, & onerum, præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligentèr omnibus discussis, cuiusque familiæ Monasterij, Conuentus, ac domus Regularis in singula quaque Prouincia, certus earum tantum personarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superius sufficientèr ali possint. Nè verò Superiores, qui id præstare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant; mandat SACRA CONGREGATIO, vt infra annum post proximum Capitulum Generale, vel Prouinciale compulandum, omnia hoc de genere capitularitèr gesta, in authenticam formam redactam, ad Sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant; numerumque familiæ, singulorumque Conuentuum, Monasteriorum, ac domorum huiusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Prouincialis sententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tàm Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omninò teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditruum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerū, vt supra præscriptum quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tūc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, vel passiuæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam, eo ipso incurrere,

re, atque aliis etiam grauioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusdem locis duodecim saltē Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt suprà detrahendis, competentèr sustentari valeant, ad præscriptum Decreti fel. record. Gregorij XV. hac de re editi: Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt suprà sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodę iurisdictioni subiecta esse intelligatur. Porrò, nè vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem habeant, Superiores locales cuiuscumque Monasterij, Conuentus, ac domus regularis, curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis Officij, vocisq; actiuæ, & passiuæ, ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sexto quoque mense, ideſt feria secunda post primam Dominicam Aduētus, & feria sexta post octauam Corporis Christi præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur. Omnibus tàm Ecclesiasticis personis, cuiusque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm Laicis quocumque honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obstantibus (quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis cōtenta) constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario, & indiuiduo exprimēdi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tàm sæcularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiā derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritātibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum (non autem per clausulas generales) mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur (illis aliàs in suo robore permansuris) Sacra Congregatio, Sanctitatis Suæ auctoritate specialitèr, & expressè derogat, cęterisque contrariis quibuscumque.

Et nè præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem SACRA CONGREGATIO, vt præsentes ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ità arctent, & afficiant, ac si vnicuique personalitèr inthimatæ fuissent: Vtque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat Romæ die 21. Iunij 1625.

Cosm. Cardinalis de Torres.

Loco ✠ Sigilli.

Prosper Fagnanus Sacr. Congregat. Secret.

Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. auctoritate editæ, super Decretis eiusdem Congregationis.

De celebratione Missarum.

SVper primo Sacræ Congregationis Decreto, de celebratione Missarū, quo prohibetur, nè Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducāt onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ità tenue, vt nō sit, qui velit onus illi iniunctum subire; & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs; Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari.

Secundò super secundo eiusdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptę fuerint.

Quæritur: an verba illa (*præscripta fuerint*) intelligenda sint de præsumptione facta ab

offi-

offerente, vel ab Ordinario.

Tertiò, an cũ Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam, iuxtà qualitatem loci personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minùs congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare.

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare, ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico Missę sacrificio vtrique oneri satisfacere.

Quintò, posito quòd quis relinquat, vt celebrentur pro sua anima centum Missę, absque vlla præscriptione eleemosynę,

Quæritur, an liberũ sit hęredibus, eleemosynã sibi benè visã p̃scribere; an verò eadẽ eleemosyna p̃scribẽda sit ab Ordinario?

Sexto, super tertio Congr. Decreto, in quo ea dẽ Congr. reuocat priuilegia, quibus indulgetur, vt certarũ Missarũ, vel anniuersariorũ celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarũ oneribus in futurum suscipiendis satisfiat,

Quæritur, an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post priuilegium?

Septimò, super quarto eiusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynę sibi retenta, celebrandam committat,

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineãt aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesię, Altarium, inseruientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?

Octauò, an hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, idest, an Rector beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditũum beneficij.

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior, solita, pro celebratione Missę, debeant dare eamdem integram eleemosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt: An verò satis sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam.

Vndecimò, super quinto eiusdem Congregationis Decreto, quo inter cętera statuitur in hęc verba (eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis) ità demùm ijdem accipere possint, si oneribus anteà impositis ità satisfecerint, vt noua quoq; onera obire valeant; alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quò minùs accipiant nouas eleemosynas, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, vt Sacerdos Missam celebret, cùm primùm poterit?

Decimotertiò, an pœna Interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas cõtrà formam sibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipitur.

Decimoquartò, an in hoc Decreto comprehendantur illę capsulę, quę apponi solent in Ecclesijs in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur *Cassè dei Morti*.

Decimoquintò, an administratores Ecclesiæ magnę deuotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, nè aliàs cultus Ecclesiæ, & deuotio, ac concursus fidelium, vt aiunt, minuantur.

Decimosexto, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum tàm secularium, quàm regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali, (*& alijs, ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoseptimò, super septimo eiusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in singulis Monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari,

Quæritur, an vbi hęc præfixio facta iam fuit in simili Decreto san. mem. Pauli V., absq; tamen computatione redditũum cuiuscumque Religiosi, sit denuò facienda, necne?

Decimooctauò, an Nouitij, ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus habita, vt suprà, præfixione numeri, commodè ali non possunt.

Decimonono, super vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, nisi, præter alia ad id requisita, duodecim saltè Fratres in eis degere, & competentèr sustẽtari valeant, ità vt alioquin subsint iurisdictioni ordinariæ,

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueuerunt onera Missarum recipere, vt sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis IESV?

Vltimò, an idem Decretum, vbi disponit, vt nullibi recipiantur Monasteria, nisi, &c. habeat locum in Italia duntaxat, ad quã est restrictum Decretum proximè antecedens; an verò extrà Italiam.

Sacr. CONGREGATIO CARDINALIVM Concilij Tridentini interpretum, ac auctoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributa, ad singula dubia superiùs proposita, ad

hunc modum respondit, videlicet,

Ad primum: Et si legatum sit adeo tenue, nihilominùs pro reductione oneris, vt suprà impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quę absque vlla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse iudicauerit. Verumtamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautū fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd si tribuens eleemosynam, numerum Missarū celebrandarum non præscripserit, tùnc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundùm morem suę Ciuitatis, vel Prouincię.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficij seu Capellæ legati, aut salarij, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, cẽsuit, vbi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo pręscribẽdam eleemosynam cōgruam, quę respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad sextum, ità esse intelligenda.

Ad septimum respondit, permittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam, vtcumque minimam portionem retineant, ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione; nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alioa non habēt redditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint: & tunc quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expensarum, quę pro ipsomet tantum Missę sacrificio, necessario sunt subeundę, & nihilominùs eo etiam casu curandum esse, vt ex pecuniis, quę supersunt (expensis vt suprà deductis) absolutè tot Missę celebrentur, quot præscriptę fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octauum, non habere locum, sed satis esse, vt Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Ciuitatis, vel Prouincię, nisi in fundatione ipsius beneficij, aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere absolutè integrā eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad vndecimum, respondit, non prohibere absolutè: ac propterea & si oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua cuam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infrà modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera suscepta infrà modicum tēpus adimpleri nequeant; si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, vt illę tùm demùm celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit; decretum non prohibere, quominùs eo casu eleemosyna accipiatur pro ipsdem Missis, iuxtà benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licẽtia Episcopi, vel eius Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, vt suprà in responsione ad duodecimum.

Ad decimumsextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumseptimum, numeri pręfixionem esse iterùm faciendam, seruata forma vltimi Decreti, hac de re editi.

Ad decimumoctauum, esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant; ac deindè in aliquo alio Monasterio eiusdẽ Religionis esse collocandos, vbi commodè ali possint.

Ad decimumnonum, censuit comprehendere.

Ad vltimum, habere locum etiam extrà Italiam.

Cosm. Card. de Torres.

Loco ✠ sigilli.

Prosper Fagnanus Sacr. Congregat. Secret.

TITVLVS VI.
De Pœnitentia.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia, quæ sit.*
2 *Non est virtus Theologica.*
3 *Obiectum materiale quod sit.*
4 *Ad pœnitentiam sex requiruntur.*
5 *Pœnitentiæ species.*
6 *Pœnitentia publica duplex.*
7 *Pœnitentia secreta, quæ.*
8 *Impositio pœnæ est arbitraria.*
9 *Pœna canonica.*
10 *Pœnitentia est Sacramentum.*
11 *Peccatum mortale quomodò remittatur.*
12 *Pœnitentia quomodo necessaria.*

1 Pœnitentia in peccatis retractandis est vindicta in se, quòd dolet commisisse, *cap. 4. de pœnit. dist. 3. Canon. pœnitentiam agere 6. dist. eadem*, siuè est dolor animi seipsum affligentis, seu punientis ob mala commissa, &c.

2 Pœnitentia non est virtus Theologica, quia hæc habet pro obiecto Deum: At Pœnitentia habet satisfactionem pro offensa, & si aliquo modo respicit Deum, in obliquo

quo respicit, non acquiritur per actus morales frequentatos, sed infunditur a Deo in animam: Vndè coniungitur semper cum charitate.

3 Obiectũ materiale pœnitentiæ est malũ fugiendum; obiectum verò formale est resarcire Diuinam iniuriam, & velle satisfacere pro pœna.

4 Ad pœnitentiam interiorem sex requiruntur; Detestatio peccati; Propositum ampliùs non peccandi; Pœna voluntaria; Intentio remouendi sequelam; Quòd fit propter Deum; Et cum spe venię.

5 Pœnitentiæ exterioris tres sunt species: vna dicitur solennis; Altera publica; Tertia secreta. Pœnitentia publica est illa, quę olim erat solita imponi in primitiua Ecclesia, & præcipuè in capite Quadragesimæ, *cap. Si quis post remissionem*, & per hanc pęnitentiam solennem efficitur pęnitens infamis, & irregularis ad ordines suscipiendos, sed hæc pœnitentia non est ampliùs in vsu.

6 Pœnitentia publica duplex est; Vna iudicialis; Secunda Sacramentalis. Iudicialis est, quæ est à Iudice Ecclesiastico in foro Ecclesiastico. Sacramentalis est, quæ imponitur à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ.

7 Pœnitẽtia secreta est, quę in occultò fit Deo, & Sacerdoti, qui eam imponit pro peccatis grauioribus, sed occultis, *cap. Quæsitum*. Occulta enim peccata publicè non sunt punienda, *cap. 19. Si peccauerit 2. qu. 1. can. 31. Si quis potestatem 23. quæst. 4.*

8 Impositio pœnæ est arbitraria, & secũdùm qualitatẽ peccati, &c. pęna imponẽda est, *cap. 5. De pœnis, cap. 12. Si quis qu. 1.* adhibita contritione pœnitentis, & qualitatis sexus, & ætatis delinquentis consideratione, *cap. Deus, qui Ecclesiam 2.*

9 A Canonibus certis peccatis imposita est pœnitẽtia, *cap. Mensuram 86. de pœnit. dist 1.* vt fornicanti cum filia spirituali, quindecim annorum, *cap. 19. Si quis Sacerdos 30. quæst. 1.* Decennij, Matriculæ, *cap. 15. Laterem. 33. quæst. 2.* & fornicanti Religioso, vel Monali, *cap. 27. Deuotam*, septennij, inuasori Ecclesiæ, *cap. 17 De vire quæst 2.* committenti incęstum, *cap. 2. Si Pater 30. quæst. 42.* vxoricidio *cap. 8. Admonere 33. quæst. 2.* homicidio, adulterio, periurio, *cap. Prædicandum 22. quæst. 1.* Cuilibet peccato mortali, *cap. 11. cap. cit.*

10 Pœnitentia est Sacramentum nouę legis à Christo institutũ ad remittenda peccata post Baptismum commissa, cuius scilicèt tres sunt partes essentiales; contritio, confessio, & satisfactio; qui sunt actus pœnitentiæ: quod Sacramẽtum necessarium medium est ad salutem, non absolutè sicut Baptismus, sed ex his potest, & sufficit in re, vel in voto, cùm Sacramentum non possit statim adhiberi. Concilium Tridentinum *sess 14. cap. 2.* S. Thomas *3. p. qu. 84. art. 5.* & alij.

11 Peccatum mortale remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ in voto susceptum, licèt qui contritione iustificatus est à peccato mortali, Iure Diuino teneatur illud peccatum confiteri, & recipere absolutionem, quamuis non statim primo quoque tempore, sed quando instat obligatio: Vndè si quis eliciendo actum contritionis, nollet peccata sua in hoc detegere, non iustificaretur per actum contritionis, & peccaret mortalitèr. Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 4.* Concil. Constantiense *sess. 8.* & communitèr DD.

12 Quamuis pęnitentia necessaria sit secundùm proprium, & formalem actum detestationis peccati ad consequendam remissionem ipsius, nihilominùs potest aliquãdo remissio peccati obtineri sine formali actu pœnitentiæ, quia si quis peccata obliuiscatur, vel ea non consideret inculpabilitèr, & habeat actum dilectionis Dei super omnia, vt potest, quia cum naturali inconsideratione, vel obliuione peccatorum, potest esse actualis consideratio Diuinæ bonitatis, & alicuius motiui, quod inducat ad diligendum Deum super omnia, consequentèr etiam in voluntate erit amor Dei, & per cõsequens iustificabitur: extrà casum obliuionis naturalis, vel inconsiderationis, nunquam remittitur peccatum sine formali actu pœnitentiæ. Quãdo deest pęnitentia actualis, necessaria est virtualis cum voto formali ipsius; ideòq; necessarius est amor Dei super omnia. Vnde sine altero, ex his duobus actibus peccatum mortale non remittitur, secluso Sacramento, &c.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Effectus primarij pœnitentiæ.*
2 *Vnum peccatum mortale non potest remitti sine alio.*
3 *Pœnitentia remittit pœnam æternam.*
4 *Effectus secundarij quot sint.*
5 *Peccatum veniale quando non remittatur.*
† *Item quando remittatur.*
6 *Peccata venialia in articulo mortis quomodò remittantur.*
7 *Remittuntur per Sacramenta.*
8 *Item per Sacramentalia.*
† *Quæ, & quot sint Sacramentalia.*
9 *Secundus effectus Pœnitentiæ.*
10 *Pœnitentia, quæ restituat.*
11 *An per ipsam recipiatur noua gratia.*

1 Effectus primarius Sacramenti pœnitentię est remissio peccati mortalis, & commutatio pœnę æternę in temporalẽ. Pœnitentia enim sufficiens est ad tollendum peccatum mortale, nec est peccatum tàm graue, nec tàm multa, quæ deleri non possint per pœnitentiam. D. Thomas *3. par. quæst. 8. art. 1.* Suarez *tom. 4. disput. 8. sect 1. & 2.* Henriquez *lib. 4. cap 30. & 31.* Vndè nulla est peccatorum magnitudo, vel multitudo, quæ per pœnitentiam deleri non possit: Ratio, quia pœnitentia nititur meritis, & Passione Christi, cuius Sanguis nos emundat ab omni peccato. *1 Ioann. 1.*

2 Vnum peccatum mortale non potest remitti sine alio ob connexionem, quam ha-

bent omnia peccata mortalia; cùm pœnitens non possit conteri de vno peccato mortali, quin conteratur de omnibus. Vndè licet Absolutio directè, & per se solùm cadat super peccata confessa, indirectè etiam cadit super oblita, vel ex ignorantia, vel alia iusta causa tacita. Henriq. *lib. 4. cap. 13.* & communitèr omnes.

3 Secundus effectus Pœnitentiæ est, vt remissa culpa mortali, de facto, & secundùm legē ordinariā, remittat pœnam æternam. Pœna verò temporalis non semper tota remittitur, sed iuxtà contritionis proportionem.

4 Effectus secundarij Sacramenti Pœnitentiæ tres sunt: Primus est remissio venialium: Secundus, viuificatio operis Sacramenti fictè suscepti: Tertius, restitutio in pristinam dignitatem, & merita; &c.

5 Peccatum veniale non remittitur, cum de eo voluntas actu, vel virtute sibi complacet, quando enim peccatum committi-
† tur, nō remittitur: Remittūtur etiam peccata venialia per virtualem pœnitentiam, nimirùm per actum amoris, dummodò sit ità feruens, & intensus, vt extendatur ad omnia peccata, quia si extenderetur solùm ad aliqua, ea sola remitteret, cùm vnū peccatum veniale possit sine alio remitti. D. Thomas *quæst. 87.* D. Bonauentura *dist. 21. qu. 2.* Suar. *disp. 11. sect. 3.* Henriq. *loco citato nu. 6.*

6 Omnia peccata venialia, cum quibus homo iustus decedit, remittuntur quòad culpam in primo instanti separationis animę à corpore, per actum veræ dilectionis, & contritionis, cùm enim anima deced at in charitate, habet perfectissimam cognitionem sui status, & quia videt se habere etiam venialia, habet actum formalem detestationis illorum, & sic remittuntur. Siluius *qu. 87. art. 1. qu. 2.* & alij.

7 Venialia ex opere operato remittuntur per Sacramēta, etiam absq; motu voluntaris per se sufficiente: est tamen necesse, vt homo non ponat obicem, idest vt accedat sine complacentia peccati venialis. Henriq. *lib. 4. cap. 15.* & alij.

8 Per sacramētalia etiam remittuntur venialia: Sacramentalia nihil aliud sunt, quā remedia quędam ab Ecclesia instituta, quibus solet tribui effectus remissionis venia-
† lium, quæ sunt aqua benedicta, panis benedictus, vnctio sacra, quæ fit ante Baptismum, & cum consecrantur manus Sacerdotis, caput Episcopi, aut Regis vncti, benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati; confessio generalis, & tunsio pectoris, ingressus in Ecclesiam consecratam, vel oratio facta in illa; Oratio Dominica, auditio Missæ, auditio concionis sacræ. D. Thomas *quæst. 87. art. 3.* Sotus *in 4. dist. 15. qu. 2. art. 3.* Henriq. *lib. 4. cap. 10. num. 8.* & alij.

9 Secundus effectus est viuificare Sacramentum fictè susceptum, quia cum remouetur fictio, tùnc Sacramenta viuificata producunt suum effectum. Nauar. *cap. 3. nu. 5.* Bonac. *tom. 1. disp. 5. qu. 5. sect. 1. punct. 4.* & alij.

10 Tertius effectus est restituere primam dignitatem: Et primò virtutes infusas restituit: Deindè opera bona per peccatum mortalē mortificata reuiuiscunt ad præmium accidentale, & essentiale, & redeunt secundum totum primum valorem; siuè per intentiorem, siuè per remissiorem cōtritionem quis resurgat; siuè in Sacramento, siuè extrà illud. D. Thomas *3. par. quæst. 89.* Henriq. *lib. 4. cap. 16. num. 6.* Filliuc. *tract. 6. cap. 6. num. 2.* & alij; & ità homo restituitur in gratia, ac si vnquam peccasset, excepta innocentia, & virginitate, quia innocentia consistit in nō peccasse, quæ cum facta sunt, infecta fieri nō possunt: & virginitas requirit inexperientiā libidinis, quæ semel amissa recuperari non potest. Reuiuiscunt omnia ea opera, quæ aliquando vixerunt, nempè opera supernaturalia iustorū, quibus Deus promisit vitam æternam. Opera mortua non reuiuiscunt per subsequentem pœnitentiam. S. Thomas *3. par. quæst. 89. art. 6.*, & omnes communitèr. Opera verò mortificata per peccatum, reuiuiscunt ad meritum, seu ad vitam ęternam consequēdam per subsequentē pœnitentiā. S. Thomas *loco cit. art. 5.* Henriq. *cap. 33. nu. 1.* Coninc. *de pœnit. disp. 3. dub. 10. n. 167.* & alij cōmunitèr.

11 Per pœnitentiam non solùm recipitur noua gratia, verùm etiam restituitur tota gratia præcedens, quæ præcedentibus meritis respondebat: Prima pars patet, quia homo iustificatur per nouam gratiam: Secunda pars patet etiam, quia ipsa merita præcedentia reuiuiscunt, & per consequēs restituitur gratia, ipsis meritis antecedentibus correspondens; ità Vasq. *qu. 89. art. 5. dub. 3. nu. 7.* & alij: licèt Henriq., & nonnulli alij sentiant, non restitui totam gratiam respondentem meritis, sed partem solùm.

TITVLVS VII.
De Indulgentijs.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia, quid sit.*
† *Apud quē resideat potestas concedendi Indulgentias.*
2 *Pontifex Laico delegare potest saltem potestatem.*
† *Causa concedendi Indulgentias.*
† *Inferior Papa non potest ipsas concedere.*
3 *Inferior Papa quas possit concedere.*
4 *Quis possit lucrari Indulgentias.*
5 *Excommunicatus non potest.*
6 *Dispositio requisita in acquirente Indulgentias.*
7 *An confessio venialium sit necessaria.*
8 *Confessio debet esse valida.*
9 *Quando censeatur præcepta confessio.*
10 *An qui recordatur vnius peccati post confessionem factam, teneatur illud confiteri.*

1 Indulgentia nihil aliud est, quàm relaxatio pœnę temporalis debitę pro peccatis actualibus iam dimissis, concessa homini existenti in gratia à Prelato, per ap-
† plicationem Thesauri Ecclesiæ. Potestas cōcedendi Indulgētias primariò, & tāquā in causa residet in Summo Pōtifice: Episcopus potestatē accipit à Sūmo Pōtifice.

2 Pontifex de plenitudine suę potestatis potest delegare etiam Laico facultatem
† Indulgentias concedendi. Iustę causę cōcedendi

cedendi Indulgentias hę sunt, honor Dei, Ecclesię vtilitas, bonum commune, vel priuatum; imò in quolibet actu pio inueniri potest iusta causa concedendi Indulgentias.

† Nullus inferior Papa potest concedere Indulgẽtias, etiam posita iusta causa: Ratio, quia soli Petro dictum fuit, *Tues Petrus & super hanc petrā, &c: Tibi dabo claues regni cælorum*; tùm etiam, quia potestas distribuendi bona cōmunia Reipublicę conuenit supremo Principi; at solus Romanus Pōtifex est supremus Princeps, ergò soli ipsi conuenit talis potestas concedendi Indulgentias.

3 Legatus Sedis Apostolicę potest concedere Indulgentias in casibus, in quibus à Sede Apostolica permittitur Episcopis: Ratio, quia habet illam auctoritatem in sua Prouincia, quam habet Episcopus in sua Diœcesi, & sicut Episcopus potest cōcedere Indulgentias quadraginta dierum; ità etiā Legatus potest, seù Nuncius Apostolicus, quia ipse est Ordinarius in Prouincia sibi delegata. Consuetudine receptum est, vt possit concedere Indulgentias centum dierum, vt docet Gamber. *de officio. legat lib.8.tit. Quid possit num.8.*

4 Solus homo potest Indulgentias lucrari, dummodò sit viator; & baptizatus. Cathecumenis quidam dicunt, Indulgentias prodesse non per modum absolutionis, & iudicij, cùm nondùm sint subditi Ecclesiæ, sed per modum suffragij, licèt probabilior sit sententia dicentium, illis non prodesse, cùm nondùm sint baptizati. Suarez *disp.52. sect 1.num.2.* Conin. *disp.12.dub.*10.& alij.

5 Excommunicatus maiori excommunicatione non est capax Indulgentię, quamuis sit contritus: Ratio, quia licèt contritus afficitur pœna excommunicationis. Suarez *disput. 52. sect. 2. de Indulgentijs tom. 4.* Vgolinus *de censuris tabula 2.cap.9.*& alij. Licèt plures teneant, prodesse excommunicato non existenti in peccato mortali.

6 Requiritur etiam in eo, qui vult Indulgentias acquirere, quòd sit in statu gratię, quia Indulgentię non prosunt existenti in peccato mortali: non requiritur tamen, quòd sit in gratia per cōfessionē, sed satis est, quòd sit per cōtritionem, modò in Bulla non exprimatur confessio, quia quando dicitur *Contritis, & confessis*, tùnc non sufficit, susceptorem esse in gratia per contritionem, sed necessaria est confessio in eo, qui commisit peccatum mortale post vltimam confessionem. Suarez *disput. 52. sect.2.num.4.* Nauar. *notabili* 18. Coninch. *disput.* 52. *num* 7. Em Sà *verbo Indulgentia num.3.* Rodriq. *in sum. cap.182.*& alij.

7 Confessio peccatorum venialium non est necessaria, si susceptor Indulgentiarum non habeat conscientiam peccati mortalis; ità Henriq. *cap.12.* Suarez *disput.51 sect.3.* modò in Bulla non exprimatur confessio peccatorum venialium: Ratio, quia quando in Bulla exprimitur confessio, intelligitur de confessione mortalium, vt tollatur impedimentum consequendi Indulgẽtiam, quod non inducitur à peccato veniali; tùm etiam, quia Ecclesia non consueuit exigere confessionem, nisi mortalium.

8 Quando in Bulla concessionis Indulgẽtiarum pręcipitur confessio, qui confitetur, ad assequendam Indulgentiam, validè debet confiteri; cùm confessio inualida non faciat hominem capacem gratię Cōfessio valida, sed informis facit hominem capacem gratię, dummodo postea remoueatur obex ad consequendum fructum ipsius Sacramenti Pœnitentię. Non requiritur ad aßequendam Indulgentiam confessio generalis totius vitę, sed sufficit partialis ab vltima confessione facta: Ratio, quia regularitèr nemo debet obligari bis ad sua peccata confitenda, nisi specialitèr exprimatur; ità Bellarm. *lib.1.de Indulgẽt cap.* 53. Nauar *notabili 18.num 17.* Suar. *disp.51.sect.3. num.4.*& alij.

9 Quando in forma concessionis Indulgentię pręcipitur communio, nulla facta mentione confessionis, ipsa non censetur pręcepta; Vndè si quis se communicet cū sola contritione, verè lucrabitur Indulgẽtiam, quia implet formam pręscriptam.

10 Quando in forma concessionis Indulgẽtię requiritur confessio, & iam suscipiens Indulgentiam confessus sit tempore pręscripto, si denuò recordetur peccati commissi, & non confessi, certum est, illum non teneri de nouo ad confessionem: Ratio est, quia iam satisfecit, cùm iam fecerit integram confessionem, nec tenetur ex vi Bullę confiteri illud peccatum, cùm semel ritè confessus sit. Verùm si illius recordetur ante sumptionem Eucharistię, tenetur illud confiteri de iure Diuino, & ità communitèr Doctores; licèt Suarez *tom 4.disp. 52.sect.3.num.7* putet, esse necessarium vi Bullę, vt iterùm confiteatur illud peccatum, si velit consequi Indulgentiam: Ratio eius est, quia ex vi talis Indulti requiritur confessio omnium peccatorum, quę vsque ad vltimum instans commissa sunt; ergò non sufficit pręcedens confessio, quia non fuit de omnibus peccatis.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *An percipiens Indulgentiam, debeat semper, &c. esse in gratia.*

2 *Quomodò, amoto per pœnitentiam peccato mortali, consequatur Indulgentiam.*

3 *Accipiens Indulgentiam debet praestare omnia opera praescripta.*

4 *Opera personalia per seipsum implere debet.*

† *Non autem realia.*

5 *Vna actione, &c: non potest quis lucrari diuersas Indulgentias.*

6 *Quomodò eodem tempore possint acquiri.*

7 *Facientes idem opus praescriptum, aequalem gratiam acquirunt.*

† *Non potest vnus viuens pro alio indulgente Indulgentiam acquirere.*

8 *Indulgentiae possunt applicari pro defunctis.*

† *Etiamsi recipiens sit in peccato mortali.*

9 *Quomodò, & qualitèr prosint defunctis.*

1 Ad

1 AD consequendum effectum Indulgentię non requiritur, vt is, qui præstat opera, sit in gratia toto tempore, quo singula opera præstat, sed communiter sufficit, vt sit in gratia, dùm facit vltimū opus, quo posito conceditur Indulgentia; ità Toletus *lib.5.cap 27.num* 3. Nauar. *notabili* 19. & 31. Filliuc *tract.8.cap.6.quæst.6.* Suar. *disp.52. sect.2.* Em. Sà *verbo Indulgentia num.2.* Diana *p. 3. de sacramentis resol* 148. & alij.

2 Qui fecit vltimum opus præscriptū, dùm existit in peccato mortali, consequitur Indulgentiam, eo amoto per pœnitentiam, modo, quo in Sacramento Penitentię, sublato obice, reuiuiscit satisfactio sacramētalis; ità Henriq. *lib.7.cap.9.nu.3.* Syluest. *verbo Indulgentia*, & alij.

3 Ad consecutionem Indulgentię necesse est, vt qui illam est suscepturus, præstet omnia opera præscripta à Superiore in concessione Indulgentię: Ratio, quia Indulgentia conceditur à Superiore sub cōditione talis operis; ità Graffius *de Indulgent. cap.5.num.32.* Toletus *lib.6.cap.27.num.2.* Henriq. *cap.10.num.3.* & alij. Non priuatur tamē fructu Indulgētię, qui prætermittit leuem partem operis iniuncti, quia parum pro nihilo reputatur: qui verò prætermittit partem notabilem operis præscripti, non lucratur ipsam, nec partem ipsius, nisi aliter in Bulla exprimatur: Ratio, quia Superior non facit diuisionem in concessione Indulgentię, ità vt qui dimidiam partem operis iniuncti facit, assequatur etiam dimidiam partem Indulgentiarum. Suar. *disp. 52. sect.5.* Toletus *cap.3.num.2.* & alij.

4 Suscipiens Indulgentiam opera personalia præscripta debet per seipsum implere, nisi aliud exprimatur in Bulla. Opera verò realia potest per alium implere, vt v. g. Dominus per seruum potest eleemosynam facere, sed per alium non potest ieiunare; ratificans verò eleemosynam datam ab aliquo amico, motu proprio, nomine illius assequitur Indulgentiam, quia implet opus præscriptum: Ratio, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, quod locum habet in operibus realibus, non autem in personalibus.

5 Vna, & eadem actione, aut eodem opere, non potest aliquis lucrari diuersas Indulgentias; ità Suarez *disput.52.sect.8.num.10.* & alij: Ratio, quia quęlibet Indulgentia habet suum opus præscriptum ab opere præscripto alterius Indulgentię.

6 Quoties vnus actus non impedit alium, sed vterque simul subsistere potest, potest quis vno, & eodem tempore diuersis actibus consequi plures Indulgentias. Bonacina *disput.60 quæst.1.num.31.*: Ratio, quia talis dicitur præstare opera præscripta ad plures Indulgentias consequendas. Sanchez *in sum. lib.1. cap 14.nu.11.* Item quando Indulgentia concessa est absque determinatione, potest quis eodem die consequi Indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam tali die: Ratio, quia præstat opus præscriptum ad consequendam Indulgentiam illam: Si verò Indulgentia concessa fit cum determinatione temporis, censetur concessa solùm pro vna vice, nisi aliud exprimatur, quia tempus præscribitur, vt ostendatur, non posse sepiùs eandem Indulgentiam obtineri Nauar. *de Indulgentijs, notabili 31. num. 36.* Reginaldus *lib. 7. num. 165.* & alij.

7 Facientes idem opus præscriptum parem gratiam acquirunt. Per accidens potest cōtingere, vt vnus maiorem gratiam mereatur. Non potest vnus pro alio viuente Indulgentiam acquirere: Ratio, quia Indulgentia nō plus operatur, quam sonat: in concessione autem Indulgentiæ solùm dicitur, quòd faciens opus præscriptum, acquirat Indulgentiam; ergò, &c.

8 Indulgentia potest applicari pro defunctis, si id in Bulla exprimatur, & prodest illis per modum suffragij, & non per modum iudicij, & auctoritatis, modò applicetur defunctis in gratia existentibus. Qui facit opus ad consequendam Indulgentiā pro defunctis, non est necesse, quòd sit in gratia: Ratio, quia quamuis existens in peccato mortali, non possit pro se, & pro alijs satisfacere, nihilominus potest Indulgentias pro alijs lucrari, si faciat opus iniunctum ad obtinendā Indulgētiam, quia tūnc ipse non dicitur satisfacere pro alteto, sed facere opus, quo posito, Romanus Pontifex applicat Thesaurum Ecclesiæ. Coninc. *qu.12.dub.7.nu.39* Henriq *cap.9.nu.6.* Toletus *lib.6.cap.32.nu 5.* & alij.

9 Cùm Indulgentia tantùm valeat, quantùm sonat, hinc fit, vt Indulgentia pro defuncto, accepta tantùm illi prosit, quātùm prodesset accipienti, si eam pro seipso acciperet: Vndè Indulgentia accepta pro defuncto ad remissionem omnis pœnæ, defuncto prodest, modò Deus eā acceptet; cur autem pro defunctis multoties Indulg. plenariæ accipiātur, est primo, quia fieri pōt, vt ex parte accipientis Indulgentiam pro defuncto, contigerit defectus, propter quē Indulgentia efficiatur irrita, & inualida: Secundò, fieri potest, vt sit etiam aliquis defectus in cōcessione Indulgentię, vt v.g. si sit concessa sine causa: Tertiò, quia fieri potest, vt Deus eam non acceptarit. Corduba *quæst.16.lib.5.* Caiet. apud Henriq. *cap.7.num.4.* Licèt sententia horum Doctorum à multis non probetur, qui volunt, effectum Indulgentiæ esse infallibilem; & ità Suar. *disp 53. sect.3.* Valent. *tom.4. disp.7 qu. 20. punct.5.* Nauar *notabili 22.n.18.* Coninc. *disp. 10. dub.7.num.58.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia potest denuò consequi.*
2 *Existens in eodem loco, &c. potest acquirere Indulgentias septem Altarium.*
3 *Indulgentia non valet ad remissionem culpæ.*
4 *Quæ eleemosyna sit sufficiens.*
5 *Habitantes in Ciuitate, vel extrà, consequuntur eandem Indulgentiam.*
6 *Qui moritur post Indulgentiam, euolat ad Paradisum.*

7 Pos-

7 Peccans, spe consequendi Indulgentiam, eam consequitur.
8 Quotuplex sit Indulgentia.
9 Indulgẽt. plena, & plenissima nullo modo distinguũtur.
10 Indulgentia quamdiù duret.
11 Quomodò cesset, &c.
12 Item quando alĩ concessa Communitati, &c.

1 QVi non est consecutus Indulgentiam ob aliquem actum, potest, nondùm elapso tempore, iterùm Indulgentiam cõsequi. Ratio, quia tùnc temporis adhuc est capax Indulgentiæ, & facit opus præscriptum ad ipsam consequendam; ità Nauar. *de vid. ulgentys num. 52.*: Item qui orat ante fores Ecclesiæ, acquirit Indulgentiã concessam visitantibus ipsã Ecclesiã: Ratio, quia censetur Ecclesiam visitare, & in ea orare; ità Suar. *disp. 52. sect. 1.* Reginal. *cap. 184. nu. 9.* & alij.

2 Qui existit in Ecclesia, & in eodem loco, orando versus septem Altaria, potest acquirere Indulgentias concessas visitantibus ipsa: Ratio, quia sic sufficientèr adimplet opus præscriptum; ità Grassius *de Indulgentys cap. 5. quæst. 32.* Em. Sà *verbo Indulgentia num. 9.* & alij.

3 Licèt præscribatur in Indulgentijs, vt fiat opus præscriptum, tamen absolutè id non est necesse, quia Pontifex potest in eo dispensare, & gratis potest largiri Thesauros Ecclesiæ.

4 Indulgentiæ non valẽt ad remissionem culpæ peccati mortalis; ità Suarez *disput. 50. sect. 1.*: Ratio, quia peccatum mortale nõ remittitur sine infusione gratiæ iustificantis ex Tridentino *sess. 6. cap. 7.* Gratia autem iustificans per solam Indulgentiam non potest infundi, sed per Sacramentum in re, aut in voto susceptum; ergò, &c.

5 Quælibet eleemosyna est sufficiens ad acquisitionem Indulgentiæ, siuè sit magna, siuè sit parua, nisi in bulla alitèr demandetur, vt quando dicitur, vt eleemosyna fiat pro cuiusque facultate, quia tùnc eleemosyna debet fieri iuxtà qualitatem personę.

6 Consequuntur eandem Indulgentiam tàm habitãtes in Ciuitate, quàm extrà venientes: Ratio, quia in Indulgentia non respicitur proportio laboris expensarum, & periculorum, sed meritum; ita D. Thomas *in addit. ad 3. par. quæst. 25. art. 2.* & alij. Licèt magis mercãtur in ratione meriti, qui longum iter suscipiunt, & cum laboribus, expensis peregrinantur, quàm qui manent in Ciuitate.

7 Qui moritur immediatè post acquisitionem Indulgentiæ, euolat ad Cœlum: Ratio, quia per Indulgentiam ritè susceptam fit condonatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis.

8 Peccans sub spe consequendi Indulgentiam, eam consequitur, modò de illo peccato eliciat actum contritionis.

9 Indulgentia duplex; Plenaria, & temporalis. Plenaria est, qua remittitur tota pœna simplicitèr. Indulgentia temporalis est illa, qua nõ remittitur tota pœna, sed tãta, quanta in Bullis exprimitur, & hæc diuiditur in carenam, quadragenam, & septenam; Carena est, qua remittuntur tot pœnæ, quot fuissent commissæ peragendo pœnitẽtiam quadraginta diebus cum septem annis. Quadragena est Indulgentia, qua remittitur pœna respondens pœnitentiæ quadraginta dierum, si hæc facta fuisset iuxtà Canones pœnitentiales. Idem dicendum est de septena: Vndè quando in Bulla conceditur Indulgentia septem annorum, vel dierum, intelligi debent dies, & anni præsentis vitę pœnitentiæ; ita vt sensus sit, tantam pœnam per Indulgentiam septem annorum dimitti, quanta dimitteretur per septem annos pœnitentiæ factæ in hac vita.

10 Indulgentia plenior, & plenissima nullo modo distinguuntur. Iubilæum autem in hoc distinguitur ab Indulgentia plenaria, &c, quòd in Iubilæo solet concedi facultas commutandi vota, & absoluendi à casibus reseruatis. Toletus *lib. 6. cap. 24. num. 2.* Coninch *disp. 12. num. 28.* Suar. *disput. 50. sect. 4.* & alij.

11 Indulgentia absolutè, & simplicitèr concessa perpetuò durat, etiam eo mortuo, qui eas concessit; ità Suarez *disput. 57. sect. 2. num. 2.* Reginaldus *lib. 7. num. 159.* Syluest. *verbo Indulgentia num. 16.* & alij: Ratio, quia Indulgentia indefinitè concessa sonat perpetuitatem. Indulgentia concessa cum determinatione temporis non durat vltra præfixum tempus: Ratio, quia gratia dependet à voluntate concedentis. Reginal. *num. 158.* Suar. *disp. 57. sect. 2. nu. 2.* Em. Sà *verbo Indulgentia num. 9*

12 Indulgentia concessa alicui particulari, eo mortuo, desinit, Cõmunitati verò concessa perseuerat, quamdiù durat Communitas: Item concessa alicui loco, durat quamdiù durat locus: quòd si locus, vel Ecclesia destruatur, vt amplior ædificetur, adhùc perseuerant Indulgentiæ, quia non parietibus, sed loco concessę fuerunt, dũmodò non destruatur auctoritate Prælati, quia tunc cessabunt Indulgentię. Suar. *de leg. lib. 8. cap. 5. num. 7.* Si verò Ecclesia transferatur in alium locum, si Indulgentię fuerunt concessæ intuitu alicuius Imaginis, &c., cum ipsa transferuntur Indulgentiæ: Si verò propter miraculum, &c. priori loco occursum, tùnc nõ transferuntur, quia in fauorem situs, in quo miracula fuerunt operata, censetur Indulgentia concessa. Indulgentia verò concessa alicui festo, transfertur cum translatione ipsius festi, quia Indulgentia conceditur pro festo talis Sancti. Siluius *par. 1. resolut. verbo Indulgentia*, & alij: Item Indulgentia Altari priuilegiato concessa pro animabus Purgatorij, translato eo Altari in alium locum, transfertur etiam Indulgentia, si translatio fiat in eadem Ecclesia, & sub eodem titulo; Ratio est, quia Pontifex concessit Indulgentiam intuitu Ecclesiæ, & Altaris, sub tali nomine; secus verò, si translatio fieret extrà Ecclesiam, in qua situm est Altare illud, desinit etiam talis Indulgentia

ficut,

ſicut, & cæteræ locales per conceſſionem alterius ſimilis Indulgentiæ, quia incompatibiles ſunt duæ Indulgentiæ ſimiles in eodem loco, & poſterior erit nulla, ſi de priori nulla fuerit facta mentio.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia definit per reuocationem.*
2 *Item per ceſſationem cauſa.*
3 *Per actum internum poteſt reuocari.*
4 *Indulgentia perſonales non ceſſant ob aduentum alterius.*
† *Secus de localibus.*
5 *Indulgentia an transferantur.*
6 *Indulgentia proſunt defunctis ex condigno.*
7 *Quæ requiruntur, vt proſint defunctis.*
8 *Anima cognoſcunt Indulgentias, quæ pro illis applicantur.*
9 *Quæ anima liberetur.*

1 Indulgentia deſinit per reuocationem Concedẽtis, quia Superior etiam abſq; cauſa validè, & licitè poteſt reuocare Indulgẽtias; imò Succeſſor indigni tate pôt reuocare Indulgẽtias à Superiore cõceſſas: Ratio, quia ſuccedit illi in auctoritate: Inferior verò non pôt reuocare Indulgẽtias à Superiore conceſſas. Quando autem Sũmus Pontifex reuocat Indulgentiã, illa non extinguitur, antequàm reuocatio peruenerit ad aures eorum, quibus conceſſæ fuerunt: Ratio, quia ſicut lex non obligat ante publicationem; ità reuocatio priuilegij, ſeu Indulgentiæ non obligat, niſi poſt publicationem, & notitiam de reuocatione habitam; ità Syluest. *verbo Gratia num.* 4. Suar *diſput.* 57 *ſect.* 2. *num* 8. Salas *de leg. diſput.* 17 *ſect.* 17. *num.* 80. Em. Sà *verbo Indulgentia num.* 9. & alij.

2 Ceſſante cauſa, ob quam fuit conceſſa Indulgentia, non ceſſat ipſa, niſi in Bulla cõceſſionis id particulariter ſit expreſſum: Ratio, quia Indulgentia perpetua concedi poteſt ob cauſam temporalem; ergò Indulgentia non ceſſat, ceſſante cauſa: Item non ceſſat Indulgentia per renunciationem eius, in cuius fauorem fuit conceſſa: Ratio, quia inferior per ſuã renũciationẽ non poteſt irritare voluntatem Superioris, aut ipſam mutare abſque conſenſu Concedentis.

3 Pontifex per actum internum poteſt reuocare Indulgentias conceſſas: Ratio, quia valor Indulgentię pendet ex voluntate ipſius Pontificis, quæ per actum internum deſinit eſſe, licèt tali reuocatione interna non ſoleant vti Põtifices ſine expreſſa reuocatione externa, quæ non habeat effectum, niſi ſit ſufficienter promulgata.

4 Indulgentiæ perſonales non ceſſant ob aduentum alterius, nec poſterior eſt iure
† communi irrita. De localibus eſt regula *cancell* 57. Duas Indulgentias eſſe incompatibiles in eodem loco: ſi in impetratione poſteriore nulla fuit facta mentio prioris, tunc poſterior eſt nulla, vnpotè habita per ſurreptionem. Suar. *diſp.* 57. *ſect.* 2.

5 Indulgentiæ conceſſæ Altari priuilegiato transferuntur, ſi trãſlatio fiat in eadem Eccleſia; ſecus verò ſi tranſlatio fiat extra Eccleſiam.

6 Indulgentia accepta pro defunctis, ex promiſſione Chriſti, & firma lege, prodeſt illis ex condigno, & iuſtitia, ſicut proſunt viuentibus, quando conceduntur: Ratio, quia Deus pro ſua infinita miſericordia ſemper acceptat huiuſmodi Indulgentias pro defunctis, ſicut & alia ſuffragia, quæ pro illis ordinariè offert Eccleſia.

7 Ad hoc vt Indulgẽtiæ proſint defunctis, ſex requiruntur: Primò, auctoritas ſuprema, quæ tantùm eſt in Summo Pontifice: Secundò, cauſa iuſta, & rationabilis: Tertiò, vt qui pro defunctis ſuſcipit Indulgẽtiam, adimpleat opus præſcriptum: Quartò, vt tale opus fiat intentione, quòd proſit defunctis: Quintò, vt defunctus ſit in ſtatu gratiæ, non tamen requiritur, quòd is, qui ſuſcipit Indulgentiam pro defunctis, ſit in ſtatu gratiæ, propter rationem allatam.

8 Animæ, quæ ſunt in Purgatorio cognoſcunt Indulgentias, & ſuffragia, quæ pro illis applicantur, aut per reuelationem Diuinam, aut per reuelationem Angeli Cuſtodis, aut etiam per reuelationẽ mortuorum, nouitèr ad eas tranſeuntium. D. Auguſtinus *in libro de cura pro mortuis habenda*.

9 Quando ſuſcipitur Indulgẽtia pro mortuis, ſemper liberatur ea anima, pro qua ſuſcipitur Indulgentia, & ità ex praxi Eccleſiæ: Prodeſt etiam aliis animabus exiſtentibus in Purgatorio, quoad diminutionem pœnæ: Ratio, quia cùm ſint in charitate, gaudent cum gaudentibus animabus per Indulgentiam liberatis; ità Bellar. *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 14.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Fideles ſibi inuicem ſuffragantur.*
2 *Quale debeat eſſe ſuffragium.*
3 *Suffragium an proſit facienti.*
4 *Tres conditiones requiſitæ.*
5 *Ieiunium eſt magis ſatisfactorium, quàm eleemoſyna, &c.*
6 *Omnia opera pœnalia ſunt ſatisfactoria.*
7 *Opera iniuncta à Confeſſario, ſi ſiant in peccato, &c. recedente fictione, habent ſuum effectum.*
8 *Homo conſtitutus in gratia poteſt ſatisfacere.*
9 *Suffragium applicatum, vt ſatisfactorium non prodeſt facienti.*
10 *Vt alteri proſit, quæ requirantur.*

1 Fideles non modò viuentes poſſunt ſibi inuicem ſuffragari, verùm etiam poſſunt adiuuare defunctos, ſatisfaciendo pro pœna ipſis debita, quia in Eccleſia nõ modò eſt communicatio bonorum operum inter fideles, dùm viuunt; verùm etiam dùm ſunt in Purgatorio. S. Thomas *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1 *art.* 2. Suar. *diſp.* 41. *ſect.* 1. & 2., quæ ſuffragia particularia habent ſuum effectum ex opere operãtis. Generalia verò totius

tius Ecclesiæ habent suum effectum, & efficaciam ex opere operato. S.Thomas *in 4. dist. 45. quæst. 2. art.* 1. Sotus *ibidem*, Nauar. *de oratione cap.* 19 *num.* 58.

2 Suffragium debet esse opus pœnale; ità D.Thomas *in 4. dist.* 15 *quæst.* 1. *art.* 4.: Ratio, quia in tãtùm opus bonum est satisfactorium, in quantùm est pœnale; & non tantùm debet fieri per actus externos pœnales, verùm etiam per actus internos, nimirùm per actus contritionis, &c.: Ratio, quia actus interni habent omnia requisita ad suffragium: Secundò, requiritur etiam, vt opus fiat à viatore in hac vita existente: Tertiò, quòd opus pœnale, siuè internum, siuè externum voluntariè fiat: Quartò, quòd opus sit bonum, saltem ratione intentionis: Quintò, quòd opus satisfactorium ex opere operantis factum ab aliquo in persona propria prosit alteri: Ad satisfactionem requiritur, vt operãs sit in gratia; ità Em. Sà *verbo Indulgentia*, Filliuc. *tract.* 6. *num.* 4. Coninc. *disp.* 12. *dub.* 8. *num.* 62. Suarez *disp.* 37. *sect.* 3. & alij.

3 Suffragium, siuè opus bonum non prodest facienti, si consideretur vt satisfactorium, quoties alteri applicatur: nam opus bonum non habet satisfactionem infinitam, sed limitatam; ergò satisfactio, quæ limitata est, si alteri applicet, prodest illi, cui applicatur, non autem applicanti: si verò opus bonum consideretur, vt meritorium, prodest ipsi applicãti ad meritum vitæ æternę. Suarez *disp.* 48. *sect.* 6. & alij.

4 Vt suffragium prosit, tres conditiones requiruntur in eo, cui suffragium offertur. Prima est indigentia, idest vt indigeat suffragio: Secunda est, vt sit in gratia, quia existens in peccato mortali, quamdiù perseuerat in eo statu, dignus est pœna æterna, & non potest pœnæ remissionem obtinere per suffragia: Tertiò, vt peccata, pro quibus exhibetur satisfactio, iam sint deleta quoad culpam, quia non remittitur pœna, antequam culpa remittatur. Filliuc. *tract.* 8. *num.* 5. Coninch. *disp.* 10. *dub.* 6. *num.* 41. & alij.

5 Ieiunium est magis satisfactoriũ, quàm eleemosyna, & oratio: Ratio, quia est opus magis pœnale, & per consequens magis satisfactorium. Opera meritoria, quæ ab homine existente in gratia fiũt ex se sine promissione, habent valorẽ ad satisfaciendũ pro peccatis dimissis: Vt opera infallibiliter sint satisfactoria, & remissiua pœnæ, necessaria est promissio Dei de condonanda, & remittẽda pęna: Ratio, quia necessaria est acceptatio Dei, quæ acceptatio debet fundari in aliqua promissione, qua Deus se obligauerit ad illam acceptandã; ità ex Concil. Trid. *sess.* 19. *cap.* 8.

6 Opera pœnalia, quamuis sint debita siuè præcepto Diuino, siuè humano, possũt esse satisfactoria pro se, & pro alijs: Ratio, quia talia opera sunt meritoria vitæ æternæ, vt constat ex Concilio *sess.* 6. *cap.* 10.; ergo, à fortiori, sunt satisfactoria. Opera verò iniuncta à Confessario in pœnitentiam, sunt magis satisfactoria, quàm voluntariè assumptà: Primò, quia est pars Sacramenti: Secundò, quia licèt fiant in peccato mortali, recedente fictione, tamen reuiuiscũt: Tertiò, ex virtute clauium, quę semper aliquid pœnæ tollunt.

7 Opera pœnalia iniuncta à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ, extrà charitatem expleta, recedente fictione, habent suum effectum: Cætera verò opera extrà charitatem expleta, non habent effectum, quia sunt opera mortua, quę nunquam reuiuiscunt ad effectum merendi, aut satisfaciendi; ità D.Thomas *in addit. ad 3. par. qu.* 14. *art.* 3. & alij.

8 Homo constitutus in gratia potest de condigno satisfacere pro culpa, & pro pęna æterna illi debita in virtute Passionis Christi, & potest pro pęna debita vni peccato satisfacere, non satisfaciendo pro pœna alijs peccatis mortalibus debita, licèt non possit satisfacere pro vno, quando retinet affectum alterius: Ratio, quia satisfactio præsupponit desiderium placandi Deum: qui autẽ vnius peccati mortalis affectum habet, non censetur habere desiderium placãdi Deum, sed potius persistendi in inimicitia; ergò, &c ità D.Thomas *in 4. dist.* 16. *quæst.* 2. *art.* 3. Suar. *tom.* 4. *disp.* 36. *sect.* 2. *num.* 6. & alij.

9 Suffragium, siuè opus bonum, si consideretur, vt satisfactorium, non prodest facienti, quoties alteri applicatur, nàm opus bonum non habet satisfactionem infinitam, sed limitatam: Si ergò satisfactio, quę limitata est, alteri applicetur, prodest illi, cui applicatur, non verò applicanti. Si verò opus consideretur, vt meritorium, prodest ipsi applicanti ad meritum vitæ æternæ.

10 Vt suffragium alteri prosit, hæc requiruntur: Primò offerens debet habere intentionem offerendi suffragium pro eo: Secundò, vt opus fiat ab homine viatore in hac vita existente: Tertiò, vt opus voluntariè fiat, seù sustineatur: Quartò, vt opus sit bonum, saltem ratione intentionis: Quinto, vt opus satisfactorium factum sit ab altero ex opere operãtis: Vt alteri prosit, requiritur, quòd operans sit in gratia. Em. Sà *verbo Indulgent.* Filliuc. *tract.* 8. *nu.* 9. *&* 11. & alij.

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Suffragia prosunt animabus, quæ sunt in Purgatorio*
2 *Sanctis, an prosint animabus in Purgatorio, &c.*
3 *Defunctus magis torquetur, quando retardantur suffragia.*
4 *Iniustè excommunicatus, an priuetur suffragijs.*
5 *Iustè excommunicatus priuatur suffragijs, etiamsi per ipsum non stet, quin absoluatur.*
6 *Opus satisfactorium prodest, etiamsi offerens sit improbus.*

1 SVffragia prosunt animabus, quæ sunt in Purgatorio, non modò per modum satisfactionis, sed etiam per modum impetrationis: Ratio, quia aliquando Ecclesia rogat

rogat Deum, vt per suam pijssimam misericordiam eruat animas defunctorum à pœnis Purgatorij; ergò signum est, suffragia prodesse illis per modum impetrationis.

2 Sancti etiam orare possunt pro animabus, quæ sunt in Purgatorio, ac pro illis quinque impetrare possunt: Primò, vt Deus exaudiat preces fidelium exhibitas pro animabus: Secundò, vt Deus excitet fideles, vt orent: Tertiò, vt aīę à Purgatorio celeritèr liberētur: Quartò, vt Deus pro illis applicet pprias satisfactiones, quas ipsi reliquerunt in Thesauro Ecclesiæ: Quintò, impetrent à Christo, vt tātùm suę Passionis applicet, quantùm necesse est, vt à Purgatorij pœnis liberentur.

3 Defunctus magis torquetur in Purgatorio, quando retardantur suffragia, quæ mandant fieri; quia sicut debitor detinetur in vinculis quoadusque solutio fiat, ità anima in Purgatorio, quoadusque hæredes suffragijs satisfaciant.

4 Iniustè excommunicatus non priuatur apud Deum suffragijs Ecclesiæ; ità Nauar. *in man. cap. 27. num. 36.* Sayrus *lib. 2. de censuris cap. 17. num. 13.* Iustè verò excommunicatus priuatur suffragijs, & ità communitèr omnes.

5 Iustè excommunicatus, & si contritus, & per ipsum non stet quominùs absoluatur, priuatur etiam suffragijs Ecclesiæ; ità Sotus *in 4. dist. 22. quest. 1. art. 1.* Tabiena *de censuris cap. §. 7. num.* 4 Coninch. *disput. 14. dub. 6. num. 49.* & alij: Ratio, quia excommunicatus contritus adhuc remanet excommunicatus, licèt plures sequantur opinionem contrariam.

6 Opus satisfactorium ex opere operato prodest alijs, etiamsi offerens sit improbus, & non existat in gratia: Valor enim illius suffragij; cùm non dependeat à bonitate, & probitate offerentis non potest impediri per ipsius improbitatem: Sicut etiam suffragium, nomine Ecclesiæ factum ab improbo prodest, quia dignitas orationis consideranda est secundum dignitatem Ecclesiæ, cuius nomine offertur, non autem iuxtà dignitatem improbi Ministri. Censetur quis orare nomine Ecclesiæ, quādo preces, & orationes institutas ab Ecclesia recitat, vt Minister deputatus ad hoc ex præcepto, vel ordinatione. Toletus *lib. 6. cap. 27. num. 5.* Coninc. *disp. 12. dub. 9. num. 39.* & alij.

TITVLVS VIII.
De Iubilæo.

SVMMARIVM.

1 *Iubilæum quid sit.*
2 *In anno Iubilæi, quæ Indulgentiæ suspendantur.*
3 *Vt acquiratur Iubilæum, quid requiratur.*
4 *Quæ confessio peccatorum requiratur.*
5 *An opera præscripta possint præstari intrà duas hebdomadas.*
6 *Præstari possunt in diuersis locis.*
7 *Quando possint præstari in diuersis hebdomadis.*
8 *Pueri, qui Eucharistiam suscipere non possunt, quid debeant facere.*
9 *Item mutus, & moribundus, qui confiteri non possunt.*
10 *Quando transacto Iubilæo possit quis absolui à casibus reseruatis.*

1 IVbileum est plenissima Indulgētia, quæ vltrà totalem pœnæ remissionem concedit aliqua priuilegia in ordine ad ipsum lucrandum, quæ sunt facultas eligendi Confessarium, facultas absoluendi à casibus, etiam Summo Pontifici reseruatis, & potestas commutandi vota, &c.

2 In anno Iubilæi, licèt suspendantur omnes Indulgentiæ, non suspenduntur tamē Indulgentiæ concessæ pro defunctis, nec Altaria priuilegiata, nec concessæ pro constitutis in articulo mortis, nec etiam suspenduntur Indulgentiæ plenariæ concessę Ecclesijs Vrbis Romæ, nec suspenduntur Indulgentiæ non plenariæ.

3 Vt acquiratur Iubilæum, requiruntur: Primò, visitationes Ecclesiarum: Secundo, orationes: Tertiò, ieiunia: Quartò, eleemosyne: Quinto, confessio: Sextò, communio. Visitatio debet fieri ad formam Bullæ concessionis Iubilæi. Quælibet oratio est sufficiens, siuè vocalis, siuè mentalis, & debet fieri iuxtà mentem Pontificis; quod etiam dicendum est de ieiunio, ad quod etiam tenentur sexagenarij, & non excedentes annum 21., si velint assequi Iubilæum: Ratio, quia priuilegium cessat, cùm datur gratia cum aliquo onere; ità Rodriq. *par. 1. cap. 184.* Naldus *verbo Ieiunium num. 6.* & alij; & ieiunium censetur sufficiens, etiamsi fiat in tempore quatuor temporum: Ratio, quia vno, & eodē opere, potest quis satisfacere pluribus obligationibus; ità Sotus *in 4. dist. 19. quæst. 12. art. 1.* Henriq. *lib. 7. cap. 10. num. 5.* Corduba *lib. 5. de Indulgentijs quæst. 21.* & alij. Qui verò non ieiunat præscripto die, non satisfacit, ieiunando alijs diebus, nisi id faciat de cōsilio Cōfessarij cōmutantis Ieiunium; ità Henriq. *lib. 7. cap. 10. n. 5.* Nauar. *cons. 35. de pœnit. & remiss.*

4 Ad acquirendum Iubilæum requiritur confessio mortalium, quæ quis commisit post vltimam confessionem validam; ità Nauar. *notabili 18. num. 17.* Corduba *lib. 5. de Indulgentijs quæst. 27.* Et quando in Bulla conceßionis præscribitur confessio, etiamsi pœnitens habeat solùm peccata venialia, ea debet cōfiteri, quando cōfessio requiritur, vt pars operis iniuncti: Ratio, quia totum opus præscriptum debet impleri: quādo verò in Bulla solùm dicitur, *Peccata sua confessi fuerint*, tunc non est necesse confiteri peccata venialia, sed solùm mortalia. Et licèt in confessione tempore Iubilæi non sit imponenda pœnitentia punitiua, & satisfactoria, tamen pœnitentia medicinalis potest imponi, ità Graffius *lib. 2. Appendic. cap. 5. num. 24.*: Ratio, quia talis pœnitentia spectat ad bonum spirituale pœnitentis.

5 Probabile est, opera præscripta præstari posse intrà duas hebdomadas nimirùm communicando in prima, & communicando

cando in secunda: tamen in praxi consulendum, est omnia opera debere expleri intrà vnam hebdomadam; ità Sanchez *in opere morali lib. 4 cap 54. num. 28.* & alij; & ità colligitur ex Bulla concessionis, vbi dicitur; *Qui Feria quarta, & sexta & Sabbato alterius hebdomadæ ieiunauerint, pariterque sua peccata confessi fuerint, & sanctissima communione refecti*, vbi est notanda illa particula, *Pariter*, & illa particula, *&*, quæ significant coniunctionem, & vnionem in eadem hebdomada.

6 Opera præscripta impleri possunt in diuersis locis: Vndè si quis in patria sua, promulgato ibi Iubilæo, designatas ibidem Ecclesias visitauerit, & postea ex aliquo negotio, è patria discedat, potest ieiuniū, confessionem, communionem in alia Diœcesi peragere, quia fauor Iubilæi est personalis, & non localis, licèt securiùs sit, vt in loco, vbi Iubilæum est promulgatum, omnia opera fiant. Laymannus *lib. 5 tract. 7. cap. 8. num. 11.*

7 Qui non habuit notitiam Iubilæi, nisi Feria sexta, & sic nō ieiunauit Feria quarta, potest in secunda hebdomada opera perficere, aut si velit complere in prima hebdomada, in qua notitiam habuit Iubilæi, & reliqua opera præstet, potest sibi facere commutare ieiunium prætermissum à Confessario electo ad assequendum Iubilæum: Item qui ex malitia omisit opera præscripta in Iubilæo, potest illud in vltimo die lucrari, si opera dicta à Confessario commutentur: Vndè hęc commutatio potest fieri die Dominico secundę hebdomadæ.

8 Pueri, qui ætatis defectu, Sacram Eucharistiam suscipere non possunt, debent curare, vt Communio à Confessario in aliud opus pium commutetur; & ità Henriq. *lib. 7. cap 10. num* 8 Pinel. *de Indulgentijs cap. 23.* & plures alij, qui idem dicunt, de patientibus tussim, vomitum, &c.

9 Mutus, vel moribundus, qui non valet, nisi per signa contritionis, sua peccata cōfiteri, potest sic confitendo lucrari Iubilæum: Ratio, quia adimplet opus præscriptum, cum hæc sit vera, & sacramentalis confessio.

10 Qui de Confessarij consensu distulit cōfessionem, post translatum Iubilæum, potest ab illo absolui à casibus reseruatis, post elapsum Iubilæum commissis, & hęc videtur esse mens Summi Pontificis, alioquin iste non posset lucrari Iubilæum, & sic ex sua obedientia reportaret damnum, fieretq; deterioris conditionis, tùm etiam, quia fauor Iubilæi, cum sit beneficiū Principis, est ampliandus, & non restringendus; ità Diana *p. 3. tract. 4. resol. 147. & p. 5. tract. 12. resol. 27.*

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Quæ eleemosyna sufficiat.*
2 *Quando eleemosyna non datur, non acquiritur Iubilæum.*
3 *Religiosi, Moniales, &c. quid debeant facere circà eleemosynam.*
3 *Quis Confessarius debeat eligi.*
4 *Potest absolui a peccatis reseruatis Episcopo.*
5 *Non potest absoluere a casibus Bullæ Cœnæ.*
6 *Nec dispensare in irregularitate.*
7 *Potest commutare vota, &c. extrà Sacramentum.*
8 *Confessarius potest absoluere pœnitentem, qui intrà tempus priuilegiatum commisit peccatum reseruatum.*

1 AD acquirēdum Iubilæum sufficit quęlibet eleemosyna, quando absolutè, & indeterminatè præcipitur, etiāsi sit partia, & minima, etiam quoad diuites. Si verò in Bulla determinetur eleemosyna, pro cuiusq; facultate, tùnc maior eleemosyna impendenda est à diuite, quàm à paupere. Pauper es verò, qui sūt de sudore, & labore viuunt, obligantur saltem ad minimam, vel debēt curare, vt commutetur in aliud opus pium; ità Graf. *cap. 5 num. 34. & 42.*

2 Qui committit famulo eleemosynam dādam, si is non det, vel omisit post tempus Iubilæi, Dominus non lucrabitur Iubilæū. Religiosi, Moniales, Vxores, filij-familias, serui, si non possunt dare aliquam eleemosynam, debent commutationem petere in aliud opus pium, vt lucrentur Iubilæum. Graff. *in appendic. lib. 2. cap 5. num 58.* Diana *p. 5 tract. 12. resol. 14. 15 & 31.*

3 Confessarius, qui tempore Iubilæi debet eligi, debet esse approbatus ab Ordinario loci, in quo eligitur, quia in alieno territorio nullus Episcopus habet iurisdictionem. Regularis approbatus ad audiendas confessiones à suo Superiore ordinario; licèt possit tempore Iubilæi eligi à regularibus eiusdem Ordinis, non tamen potest eligi à sæcularibus: Ratio, quia non est approbatus ab Ordinario ipsorum; ità refert decisum Filliuc. *tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 275.*

4 Confessarius, qui virtute Iubilæi eligitur, potest absoluere pœnitentem à peccatis, & censuris reseruatis Episcopo; ità Nauar. *in man. cap. 7. num. 261.* Reginaldus *tom. 2. lib. 8 num 55* Henriq. *lib. 3. cap. 14. num 9.* Vgolinus *de censuris cap. 10. §. 4.*: Item à censuris latis ab homine: Homobonus *tract. 5. quest. 38.*; Dummodò non sit specialitèr nominatus, & si in concessione Iubilæi dicatur, *satisfacta parte*, non potest absoluere pœnitentem, qui nondum satisfecit: Ratio, quia iurisdictio delegata non excedit terminos; ità Suarez *disp. 7 sect. 5. nu* 44. & alij.

5 Confessarius, virtute Iubilæi, licet possit absoluere à casibus Papæ reseruatis, non tamen potest absoluere à casibus Bullæ Cœnę, nisi in concessione expressio fiat eorum; & ità Suarez *disp. 21. sect 3. n. 3. §. 4 num. 8.* & alij. Et in concessione generali casuum Bullę Cœnę non conceditur facultas absoluendi ab hęresi: Ratio, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimilitèr concessurus, si specialitèr peteretur; At hęresis absolutio adcò reseruata est, vt verisimilitèr cùm Pontifex non concessisset; ergò, &c., licèt alij alitèr probabilitèr sentiant.

6 Confessarius, vigore Iubilæi, non potest dispensare in irregularitate: Ratio, quia irregularitas non est censura, & ità colligitur *ex cap. Quærente de verb. significat.*, & ità Molina *tom. 4. disput. 8. num. 6.* Nauar. *in man. cap 27. num. 194.* Auila *de censuris par. 7. disput. 10. dub. 4.* Henriq. *lib. 7. cap. 13. num. 6.* Quando verò Pontifex in Iubilæo concedit facultatem dispensandi in omni irregularitate, non censetur dare facultatem dispensandi in irregularitate contracta ob homicidium iniustum: Ratio, quia hæc irregularitas semper Papę reseruatur, & in generali concessione non veniunt, quę Pontifex solet sibi reseruare; ità Viuald. *in candelabro aureo, tract. de irregular.*

7 Confessarius, vigore Iubilæi, potest commutare vota, & absoluere à censuris, etiam extrà Sacramentum Pœnitentiæ: Ratio, quia non sunt materia Sacramenti Pœnitentię; & ità Henriq. *lib. 7. cap. 30 num. 6.* Sotus *lib. 7. de iustit. quæst. 4. art. 3.* Sanchez *lib. 4. summa cap. 54. num. 16.* & alij. Nec est necesse, quòd priùs adimpleat onera pręscripta, & ideò potest quis in principio hebdomadę confiteri, & à reseruatis absolui, animo tamen Iubilæum acquirendi; ità Suarez *tom. 2. de religione lib. 6. cap. 16. n. 6.* Pinel. *de Indulgentijs cap. 18.* Verùm si non adimpleat posteà opera pręscripta, licèt absolutus sit à peccatis, tamē reincidit in censuras: Ratio, quia priuilegia, quę comitātur Iubilæum, acquiruntur, quando fit vltimum opus pręscriptum: quod sit absolutus à peccatis, patet, quia absolutio data à peccatis non est pendens a futuro euentu, & per consequens, &c.: Item si tempore Iubilæi quis absoluatur à casibus reseruatis, & antequàm compleat cętera opera pręscripta, obliuiscatur alicuius casus, potest absolui à quocunq; Confessario, etiā si recusauerit posteà facere opera pręscripta: Ratio, quia per confessionem factam tempore Iubilæi, peccata remanserunt nō reseruata; ità Sanchez *in summa cap. 57. num. 45.*

8 Confessarius, qui habet facultatem absoluēdi à reseruatis, spatio v. g. 15. dierum, tempore Iubilæi potest absoluere pœnitentem, qui intrà tale tempus commisit peccatum aliquod reseruatum, modò pœnitens intentionem habeat pręstandi ea, quę ad consecutionem Iubilęi sunt necessaria; ità Henriq. *lib. 3. cap. 16.* Reginal. *lib. 18. num. 14.* & alij: Ratio, quia toto eo tempore durat facultas absoluendi à reseruatis, etiamsi pœnitens commiserit spe absolutionis obtinendę. Vndè qui obtinuit priuilegium, quo possit à casibus reseruatis absolui, potest ab illis absolui, etiamsi occasione priuilegij se pręcipitauerit in casus reseruatos. Sanchez *lib. 4. moral. cap. 54. num. 18.* & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Quando vota oblita possint commutari extrà Iubilæum.*
2 *Absolutus in prima hebdomada, si reincidat in peccatum reseruatum, non potest in secunda absolui.*
3 *Qui tempore Iubilæi non potuit perficere confessionem, potest ipso transacto, absolui.*
4 *Non potest Confessarius dispensare in votis, &c.*
5 *Nec iuramentum relaxare.*
6 *Potest commutare pœnam contractam ex violatione voti.*
7 *Potest commutare vota, &c.*
8 *Licèt votum sit commutatum, potest tamen pœnitens seruare primum.*
9 *Quando possit commutare votum castitatis, Religionis, &c.*
† *Quæ etiam alia vota possit commutare.*
10 *Quando non possit dispensare in voto castitatis, &c.*
11 *Potest commutare votum arcta Religionis, &c.*
12 *Non potest commutare votum ingrediendi Religionem Melitensem.*
13 *Non potest commutare votum ingrediendi, & perseuerandi in Religione.*
14 *Item nec votum factum in fauorem tertij.*

1 VOta oblita, tempore Iubilæi, possunt commutari, quando pœnitens, tempore Iubilæi, petit commutationem ipsorum, si fortè aliqua habeat, quorū obliuiscitur: Si verò eorū nullo modo petit commutationem, non potest Confessarius, eo transacto, commutare: Ratio primę partis est, quia petendo commutationem votorum oblitorum, censetur velle gaudere priuilegio Iubilæi: Ratio secundę partis est, quia non petendo generalitèr commutationem votorum oblitorum, signum est, quòd transacto tempore Iubilæi, nolit gaudere priuilegio ipsius.

2 Qui in priori hebdomada fuit absolutus a casibus, & censuris reseruatis, si denuò in ipsa reincidat, non potest in secunda hebdomada absolui: Ratio, quia iam acquisiuit Iubilæum, quod non potest pluriès accipi; in ipsa vero hebdomada, in qua accipit Iubilæum, potest denuò absolui, dummodò omnia opera fuerint expleta, quia si fuerunt expleta, non potest ampliùs absolui. Ratio, quia Romanus Pontifex, tempore Iubilæi, largitur potestatem Confessarijs absoluendi à peccatis, & censuris reseruatis, & vota commutandi, vt fideles Iubilæum assequantur; ergò illo percepto, priuilegium cessat, & per consequens non potest eo ampliùs vti.

3 Potest absolui, virtute Iubilæi, qui adimpletis operis pręscriptis, accedit ad Confessarium, sed ob angustiam temporis, non potuit ipsam perficere à casibus reseruatis, &c.: Ratio, quia iurisdictio semel cœpta non expirat, quoadusque finiatur; at confessio erat cœpta tempore, quo poterat illam facere, ergò & ipsam terminare potest; ità Graff. *lib. 2. appendic. cap 5. num. 21.* Molphes. *tract. 7. cap. 26. nu. 44.* Rodriq. *1. p. cap. 184. num. 11.* & alij.

4 Confessarius, virtute Iubilæi, potest cōmutare vota, sed in in ipsis non potest dispensare; ità Nauar. *cap. 12. num. 72.* Clauis Regia *lib. 8. cap. 18.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 44.* Corduba *lib. 5. quæst. 37.* Commutatio

tio regulariter debet fieri in æquale, non physicè, sed moraliter: Ratio, quia priuilegium non est extendendũ vltrà proprietatẽ verborũ. Posita iusta causa, potest votũ commutari in id, quod est mitius, & minus bonum; alioquin priuilegium nihil operaretur; & ità Aragon 2.2. *quæst.* 88. *art.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 15. *nu.* 109. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 5.

5 Confessarius, vi Iubilæi, non potest iuramentum relaxare: Ratio, quia in Bulla datur tantùm potestas commutandi vota, &c., & à diuersis non fit illatio; & ità Nauar. *in man. cap.* 127. *num.* 275. Lessius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 101. *num.* 60. & 62. Azor. *tom.* 7. *lib.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 2.

6 Confessarius, virtute Iubilæi, non modò potest commutare vota, sed etiam pœnam contractam ex violatione eorumdẽ; ità Suarez *tom.* 2. *de religione tract. de voto lib.* 2. *cap.* 19. Sanctarel. *cap.* 11. *de Iubilæo dub.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40 *dub.* 16. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 18. *num.* 14 & alij.

7 Confessarius potest commutare vota, etiamsi sint emissa spe obtinendi Iubilæũ: Ratio, quia sicut quis potest absolui à casibus reseruatis emissis spe obtinendæ absolutionis; ità etiam à votis, spe obtinendi Iubilæum, emissis; ità Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 54. *num.* 18. Suarez *lib.* 6 *de voto cap.* 13. *nu.* 7. Reginald. *lib.* 7. *cap. vlt. quæst.* 2. *num.* 190. Nauar. *de Iubilæo notab.* 34. *num.* 6.

8 Facta à Confessario commutatione, licet etiam vouenti, omissa commutatione, seruare primum votum: Ratio, quia cùm mutatio fuerit facta in fauorem vouentis, potest ipse cedere iuri suo; ità Azor. 1. *p. lib.* 11. *cap.* 18. *qu.* 10. Reginal. *lib.* 18. *num.* 362. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 55. *nu.* 26. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. *num.* 111.

9 Confessarius, virtute Iubilæi, potest cõmutare votum Religionis, vel castitatis metu leui emissum, quia reseruatio Papæ non est extendenda ad vota metu leui emissa; cùm talis reseruatio sit odiosa; ità Nauarrus *cap.* 22. *num.* 69. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 40. *num.* 30. Reginal. *lib.* 18. *num.* 328. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 106. & alij. Sicut etiam potest commutare vota non adulterandi, non fornicandi, &c.: Ratio, quia non sunt vota perfectæ castitatis; ità Nauar. *loco citato num.* 77. Lessius *num.* 108. Sanctarellus *de Iubilæo cap.* 9. *dub.* 2. Item votum nõ nubendi, non tangendi mulierem propter eandem rationem. Item votum non petendi debitum, factum ab altero coniuge, inscienre altero, cùm non sit votum omnimodæ castitatis, sed tantùm partis; ità Azor. *lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 18. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 40. *num.* 63., etiamsi votum sit factum de communi consensu, quia adhuc non censeatur integræ castitatis, sed tantùm partis; ità Rodriq. *par.* 5. *cap.* 7. *n.* 9. Sicut etiã potest commutare votum castitatis emissũ ab vno coniuge absque consensu alterius, propter candem rationem. Rodriq. *loco citato num.* 6. Aragon. 2.2. *quæst.* 88 *art.* 8. *dub. vlt.* Quòd si votum reciproco consensu est emissum; tùnc Confessarius, virtute Iubilæi, non potest cum commutare, quia votum sic emissum, censetur perpetuæ castitatis; ità Nauar. *cap.* 182. *num.* 59. Suarez *lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 57. Henriquez *lib.* 11 *quæst.* 28. *num.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 1. *sect.* 4. & alij.

10 Confessarius, virtute Iubilæi, non potest commutare votum castitatis, quando datur aliquod periculum, vel scãdalum, &c. expectando dispensationem, licet Episcopus, tanquàm Sedis Apostolicæ Delegatus, possit id facere, & Confessarius, virtute Iubilæi potest solùm commutare votum castitatis in illis casibus, in quibus Episcopus potest iure ordinario, non autem in quibus potest dispensare tamquàm Sedis Apostolicæ Delegatus; ità Valentia 2.2. *disp.* 6 *qu.* 6. *punct.* 7. Nauar. *cap.* 12. *num.* 76. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 180. *nu.* 19. Suar. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 19.

11 Cõfessarius, virtute Iubilæi, potest commutare votum arctæ Religionis in laxiorem: Ratio, quia Episcopus iure ordinario potest hoc facere, & per consequens Confessarius in Iubilæo ipsum commutare potest; ità Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 105. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 131. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 7. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 65. & alij, tùm etiam, quia commutatio non fit in substantiam, sed in circumstantiam voti, quæ Summo Pontifici reseruata non est.

12 Non potest Confessarius in Iubilæo cõmutare votum ingrediendi Religionem Melitensem: Ratio, quia est votum perfectæ Religionis, in quo solus Papa dispensat; ità Henriquez *lib.* 11. *cap* 8. *num.* 6. Molina *de primogenio lib* 1. *cap.* 13. *num.* 98. Rodriquez *lib* 1. *cap.* 259. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 8 *num.* 8. & alij. An possit commutare votum ingrediẽdi alteram Religionẽ militarem, dubium est inter Doctores, nam quidam negant, vt Nauar. *tract. de reddit. Ecclesiæ quæst.* 1. Com. 4. *decret.* 2. *pun. cap.* 3. §. 1. *num.* 18. & alij. Alij affirmant, tenentes, hos ordines non esse veram Religionem; sic D. Thomas 2.2. *quæst.* 186. *art.* 4. Aragon. *ibidem quæst.* 88. *art.* 11. Valent. *ibidem disp.* 10. *qu.* 2. *punct.* 2. & alij.

13 Confessarius non potest cõmutare votũ ingrediẽdi, & perseuerandi in Religione, cùm vtrumque censeatur votum perfectæ Religionis Papæ reseruatum; potest tamen commutare votum Religionis non approbatæ in approbatam; ità Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 103. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 40. *num.* 50. Reginald. *lib.* 18. *nu.* 331. & alij.

14 Confessarius, virtute Iubilæi, non potest commutare votum factum in fauorem tertiæ personæ, vel Ecclesiæ, si Ecclesia, vel tertia persona acceptauit votum: Ratio, quia per acceptationem, est acquisitum ius Ecclesiæ, vel tertiæ personæ: si verò non acceptauit; tùnc votum potest commutari. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 335. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 41. & alij.

TITVLVS IX.
De Extrema-vnctione.

SVMMARIVM.

1 *Extrema-vnctio quid sit.*
2 *Materia remota, qua.*
3 *Item materia proxima.*
4 *Inungendis sensibus non est necesse seruare ordinē.*
5 *Forma huius Sacramenti qua.*
6 *Quid agendum à Parocho, quando periculum est in mora.*
7 *Quis Minister huius Sacramenti.*
8 *Sacerdos tempore pestis, quomodò possit ministrare hoc Sacramentum.*
9 *Quando possit conferri à pluribus Sacerdotibus.*
10 *Sacerdos peccat vngendo infirmum oleo veteri.*
11 *Qua quantitas olei sit sufficiens.*
12 *Minister ex officio tenetur subditis hoc Sacramentum ministrare.*
13 *Religiosus sine licentia Parochi non potest ministrare hoc Sacramentum.*

1 EXtrema-vnctio est Sacramentum, quo aliquę corporis partes infirmi vnguntur oleo benedicto sub præscripta verborum forma, iuxtà Christi institutionem, ad salutem animę, & corporis: quod Sacramentum est à Christo institutum, non est tamen certum, quando fuerit institutum.

2 Materia remota Extremæ-vnctionis est oleum oliuarum ab Episcopo benedictū: Ratio, quia oleum optimè demonstrat effectum huius Sacramenti. Nō est necesse, quod oleum fuerit eo anno benedictum, nec requiritur, vt sit oleum balsamo adiunctum, quia odor bonę famæ balsamo significatus, nō est necessarius morientibus, sed viuentibus.

3 Materia proxima est vnctio ex oleo facta, nec est necesse, quòd vnctio fiat in modum Crucis, cùm hoc in iure non inueniatur: de consuetudine debet fieri per modum Crucis: ex præcepto Ecclesię debet esse quintuplex vnctio in quinque sensibus; ità Valent. *tom. 4. disp. 8. qu. 2.* D. Thomas *3. par. quæst. 32. art. 5.* Suar. *tom. 4. disput. 40. sect. 2.* & alij.

4 In vngēdis quinque sensibus non est necesse ordinem seruare, quia mutato ordine, adhuc completa manet significatio, ità Eman. Sà *verbo Extrema-vnctio num. 13.* Suarez *disput. 40. sect. 2.* Filliucius *tract. 3. num. 72.* nec est necesse, vtrumque organum sensus vngi, sed sufficit ad valorem Sacramenti vnum oculum, vnam aurem inungere. Henriq. *cap. 12. num. 1.* Suarez *disp. 40 sect. 2. nu. 5.* & alij.

5 Forma huius Sacramenti tradita in Concilijs hęc est. *Per istā sanctā vnctionē, & suā pijssimā misericordiā indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, &c.* Quæ forma proferenda est modo deprecatiuo, quia datur egenti oratione, & inualidè administraretur Sacramentum, si verba proferrentur indicatiuo modo, nisi verbo indicatiuo adiungatur deprecatio, iuxtà Suarez *tom. 4. disput. 40. sect. 3.*

6 Parochus, quando periculum est in mora, inunctā singulorum sensuum vnica parte, potest vnicam formam proferre complectentem plures formas partiales, dicendo. *Per has sacras vnctiones indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, &c. peccasti*, licèt in praxi non sit facile recedendum ab vsu, & consuetudine Ecclesię.

7 Minister necessarius huius Sacramenti Extremæ-vnctionis est solus Sacerdos; ità ex Tridentino *sess. 14. cap. 3. de Extrema-vnctione*, & ità S. Thomas *in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 1.* S. Bonauentura *ibidem quæst. 2. art. 1.* Richardus *art. 2. quæst. 2.* Paludanus *quæst. 2. art. 1.* & alij.

8 Sacerdos, tempore pestis, ad contagionē vitandā, potest infirmū vngere virgula argētea, aurea, vel lignea: peractā autē vnctione, virgam aut purgabit, si aurea, vel argentea sit, ac in similem vsum seruabit; vel igne comburet, si sit lignea; ità Siluius *in supplement. 3. p. qu. 32. art. 3.*

9 Vrgente necessitate, validè hoc Sacramentum Extremæ-vnctionis confertur à pluribus Sacerdotibus partialitèr sic concurrētibus, vt vnus vngat vnā partē, & alius aliā independentèr ab alio, prolata in singulis vnctionibus debita forma: Ratio, quia hoc Sacramentum non requirit vnitatem Ministri, cùm habeat plures partiales materias, & formas, quarum singulæ habent suam partialem significationem per ordinem ad suum effectum, quamuis à pluribus proferatur.

10 Sacerdos, qui absque iusta causa vngit infirmum oleo veteri, peccat mortalitèr. Ratio, quia facit contrà consuetudinē Ecclesiæ in materia grauis; ità Zambran. *de casibus occurrentibus tempore mortis cap. 5. dub. 4. num. 5. & 14.* & alij.

11 Vna gutta olei est sufficiens in vnaquaque vnctione ad conferendum Sacramentum Extremæ-vnctionis: Ratio patet à simili, quia sicut vna gutta aquę sufficit ad Baptismū, ità vna gutta olei erit sufficiens in vnaquaque vnctione ad ministrandum Sacramentum Extremæ-vnctionis; ità Reginaldus *tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 13.* & alij.

12 Minister ex officio huius Sacramenti tenetur fidelibus sibi subditis, Sacramentum hoc ministrare. Nauar. *cap. 25. num. 131.* Suarez *disput. 43. sect. 2.* & alij: Ratio, quia tenetur oues suas pascere, ordinaria salutis remedia prębendo, quando opportuno tempore requiruntur. Quando contingit, infirmū non potuisse recipere neque Sacramentum Pœnitentię, neque Eucharistię; tūnc debet, etiam cum vitæ periculo, Extremam-vnctionem ministrare, fieri enim potest, vt saltem, percepto hoc Sacramento, saluetur, qui alioquin esset damnandus.

13 Religiosus exemptus Sacramentum Extremæ-vnctionis administrans sine licentia Parochi, vel priuilegio Sedis Apostolicę, incidit in excommunicationem Clementinę *1. de priuileg.* In necessitate tamen, vt quando infirmus est morti proximus cum ratihabitione Parochi, potest Religiosus

giosus hoc Sacramentum absque periculo excommunicationis conferre. Ratio, quia tunc præsumitur consensus, & licentia Episcopi, vel Summi Pontificis. Henriquez *lib. 3. cap. 13. num. 4.* Nauar. *cap. 17. num. 101.* & alij.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Subiectum Sacramenti Extremæ vnctionis.*
2 *Parturientes, &c. sunt subiectum huius Sacramenti.*
3 *Quid agendum, quando infirmus moritur, &c.*
4 *Quando debeat ministrari Sacramentum.*
5 *Effectus huius Sacramenti.*
6 *Hoc Sacramentum est iterabile.*
7 *Ceremoniæ seruandæ in administratione huius Sacramenti.*

1 SVscipiens hoc Sacramentum est solus homo viator, & baptizatus, & ratione vtens, de vita periclitans, corporeque infirmus. Ad dandum hoc Sacramentum, nō est expectandum mortis periculum extremum, sed satis est, esse probabile, & quando dubitatur, an puer habeat vsum rationis, dandum est illi hoc Sacramentum sub conditione; ità Sanctius *in selectl. disp. 27. num. 7.* & alij.

2 Parientes cum periculo mortis capaces sunt huius Sacramenti, sicut & lethaliter vulnerati, aut qui potarunt venenum, peste percussi, morsu viperæ læsi, rabidi homines, decumbentes periculosè ob senectutem; item phrenetici possunt recipere hoc Sacramentum, si antè phrenesim illud optauerint, & præmiserint saltem actum attritionis. Denique omnibus illis potest conferri hoc Sacramentum, qui habuerunt saltem intentionem interpretatiuam illud suscipiendi, qualem habent, qui Christianè vixerunt.

3 Quando infirmus moritur, dum vngitur, debet Parochus desistere ab vnctione; Ratio, quia tale Sacramentum solis viatoribus confertur; ità Syluest. *verb. extrema vnctio num. 5.* Armilla *eodem verb. num. 7.* Tabien. *eodem verb. num. 8.* & alij. Receptio huius Sacramenti non obligat sub mortali, cùm non detur præceptum obligans sub mortali; Ratione scandali, aut contemptus, erit peccatum mortale non recipere tale Sacramentum; ità Reginal. *lib. 28. cap. vltimo num. 91.* & alij citati à Bonacin. *de Sacram. disp. 7. quæst. vnic. punct. 5. de Extrema vnctione.*

4 Quamuis de consuetudine sit, quod ante Sacramentum Extremæ vnctionis cōferatur Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; non est peccatum mortale ipsū recipere ante talia Sacramenta; ità Suarez. *tom. 4. disp. 44. sect. 2.* Em. Sà *verb. Extrema vnctio num. 3.* Henriq. *cap. 10.* Filliuc. *tract. 3. nu. 114.* & alij.

5 Tres sunt effectus huius Sacramenti; Primus est tollere reliquias peccatorum; Secundus est subleuare infirmum à corporali ægritudine, & sanitatem conferre, si saluti animæ expedierit; Tertius est gratia habitualis, non solùm sanctificans, sed etiam habens adiuncta specialia auxilia ad expellendas tentationes, habitudines, & proclivitates ad peccandum, ortas ex peccato originali; confert autem gratiam, quando perficitur vltima vnctio, cum sua forma essentiali, quæ est quinta; ità Filliuc. *tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 126.* Suarez. *disp. 41. sect. 2. num. 13.* & alij. Ratio, quia omnia Sacramenta, quæ consistunt in vsu, vnicā gratiam conferunt in eo momento, quō Sacramentum completur; ergo in vltima vnctione, in qua Sacramentum completur, confert gratiam. Vnde si infirmus moreretur ante quintam vnctionem, non reciperet gratiam.

6 Hoc Sacramentum est iterabile, cùm non imprimat characterem; Ratio, quia hoc Sacramentum est medicina non solùm contra infirmitatem animæ, sed etiā corporis, & ideo recurrente mortis periculo, repetenda est medicina, licèt in eadem infirmitate, seu in eodem infirmitatis statu repeti nequeat. Verùm, si status infirmitatis mutetur, potest reiterari; ità Syluest. *verb. Extrema vnctio nu. 9* Henriquez *cap. 10. num. 4.* & alij.

7 Ritus, & Ceremoniæ, quibus administrandum est hoc Sacramentum, petide bent ex Rituali cuiusque Episcopatus, & ex consuetudine cuiusque Ecclesiæ; non est tamen necesse, vt Parochus, dum hoc Sacramentum administrat, adhibeat sibi alium Ministrum respondentem, nisi aliter receptum sit per consuetudinem, vel per Decreta Episcopalia, vel Sedis Apostolicæ. Peccat Sacerdos, qui extra casū necessitatis, administrando hoc Sacramētum, prætermittit consuetas orationes, quæ in administratione huius Sacramenti præscribuntur ab Ecclesia, dummodo periculum non sit in mora; Instante verò mortis periculo, potest Sacerdos, prætermissis orationibus, administrare hoc Sacramentum, supplendæ tamen erunt orationes prætermissæ, si administrato Sacramento, infirmus adhuc superstes maneat; & ità Auctores citati.

TITVLVS X.
De Ordine.

SVMMARIVM.

1 *Ordo quid sit.*
2 *Quando institutus.*
3 *Materia remota Ordinis.*
† *Materia proxima.*
4 *Contactus materiæ est de essentia.*
5 *Forma sunt verba, &c.*
6 *Sacerdotis officium quod, &c.*
7 *Minister huius Ordinis est Episcopus.*
8 *Abbates, &c. possunt conferre primā Tonsuram, &c.*
9 *Episcopus quos possit ordinare.*

1 ORdo, prout est Sacramentum, definitur, Sacramentum, quō spiritualis potestas circa Eucharistiam in Missæ Sacrificio traditur. Fuit institutū à Christo

in vltima Cœna, verbis illis apud Lucam 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Christus cōtulit Apostolis auctoritatem Sacerdotalem, ac eorum successoribus in Sacerdotio dedit præceptum consecrandi.

2 Christus per potestatem excellentiæ contulit Apostolis omnes Ordines simul, nam sub principali, quod est Sacerdotiū, cæteri omnes comprehendūtur; ità Henriq. *cap.4.§.3.* & alij. Prima Tonsura non est Ordo, sed solùm dispositio ad Ordines, & ideò non imprimit Characterem; Episcopatus verè est Sacramentum; ità Durandus *in 4 dist.24.quæst.6.* Paludan. *ibidē quæst.7* Nauar. *cap.22.num* 18. Vasq. *disp.140. cap.4.* & alij. Et secundùm communem opinionem, omnes Ordines sunt Sacramēta, omnes enim vnum Sacramentum efficiunt, cùm ad vnum proximum finem referantur; nempè ad Eucharistiæ Sacramentum dignè ministrandum; & ità D. Thom. *in 4 dist 24.art.2.* D. Bonauent. *ibidē.* Coninch. *disput.20.num.47.* Hurtad. *tractat. de Ordine difficult.*8 & 9. & alij.

3 Materia remota Sacramenti Ordinis est Instrumentum, quod porrigitur in signum potestatis spiritualis, quā recipiunt. Materia proxima est traditio Instrumenti. Ratio est, quia Sacramentum perficitur traditione Instrumenti; ità Bonac. *de Sacram. disp.1. quæst.2. punct.1.* Filliuc. *tract 9. num 29. & 30.* Reginald. *lib 30. num 7.* Vtraq; materia remota Sacerdotalis Ordinis est Calix cum vino, & Patena. Materia verò proxima est traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia. Materia remota Diaconi est liber Euangeliorum. Proxima verò est traditio huius. Materia remota Subdiaconatus est Calix vacuus cū Patena: Proxima est traditio, & de minoribus Ordinibus.

4 Contactus materiæ est de essentia ordinationis, qui contactus esse debet, quando verba proferuntur, & non requiritur contactus physicus, sed moralis.

5 Forma sunt verba, quæ proferuntur ab Episcopo imperatiuo modo cum expressione potestatis, quæ confertur: ità Sot. *dist,25. quæst.1. art.2.* Bellarm. *lib. 2. de Sacram. cap.*18. Vasquez *disp. 240. cap. 5. num.* 58. Adhibetur autem forma imperatiuo modo, vt ostendatur, ordinatum debere fungi munere suscepto. D. Tho *in supplem quæst. 34. art. 4.* Vasquez *disp.240. cap.5. num.55.* Henriq. *lib.10. cap* 5. & alij. Et valida est Ordinatio, quando plures ordinantur Ordine Sacerdotali, & Episcopus prolata semel vnica forma in plurali, præbet materiam pluribus successiuè tangendam: Ratio, quia materia, & forma censentur simul esse moraliter; ità Martin. Fornar. *de Ordinat. cap. 2. num. 5.*

6 Sacerdotis officium est conficere Sacramentum, Eucharistiæ administrare Sacramenta, excepta Confirmatione, & Ordine, prædicare verbum Dei, & Populum benedicere. Officium Diaconi est publicè legere Euangelium in Ecclesia, & ministrare Sacrificio Missæ, & de vrgente necessitate, de licentia Parochi baptizare. Officium Subdiaconi est proximè assistere Diacono, illique ministrare in Sacrificio Missæ, deferendo Calicem, & Patenam ad Altare.

7 Ordinarius Minister huius Sacramenti est Episcopus, & cùm hæc potestas fundetur in Charactere, qui indelebilis est, ideò illam non amittunt excommunicati, suspensi, vel interdicti. Simplices Sacerdotes, ex cōcessione Summi Pontificis, possunt conferre quatuor Ordines minores; ità *in cap. Requisisti de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit dignitati.*

8 Abbates Presbyteri, ius Baculi, & Mitræ habentes, possunt conferre Primam Tonsuram, & minores Ordines suis subditis, vt habetur *in cap. Quoniam dist.69.* cap. *Cum contingat de ætate, & qualit. Ordin.* cap. *Abbates de priuileg. in 6.* in Concil. Trident. *sess. 23 cap.10. de reformat.* Non potest Abbas Regularis ordinare Nouitios ante professionem: Ratio, quia Nouitius non fit perfectè subditus, nisi per professionem, & per consequens non potest ordinari, nisi post professionem. Sanctius *de censur. lib.4. cap.13. num.5* Rodriquez *tom.3. qu. regular. quæst. 23. art. 2.* Miranda *tom. 2. quæst. 36. art. 9.*

9 Episcopus non potest subditos alterius ordinare sine licentia proprij Episcopi, qui à solo suo Episcopo, cui subijcitur, debet quis ordinari. Vndè Archiepiscopus nō pōt ordinare subditos sui suffraganei sine eiusdem licentia; Et qui accipit Ordines ab alieno Episcopo sine dimissorijs, suspensus est ab executione Ordinis, quē suscepit. Potest tamen hæc suspensio auferri ab Episcopo, ob priuilegium illi concessum à Concilio Tridentino *sess.24. cap.6.* Quòd si Episcopus sub spē ratihabitionis ordinaret non suum subditum, ratione bonæ fidei, post factum, in foro conscientiæ, excusarentur tàm ordinans, quàm ordinatus, *cap. Lugdunensis 9. quæst. 2.* Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur: Nam ante factum non est facile id permittendum, nam in ijs, quæ sunt cōtra Ius, & tāgūt alterius Iurisdictionē, nō facilè est præsumenda ratihabitio, & ideò Vrbanus VIII. in Constitutione quæ incipit *Secretis Æterna*, duo statuit; Primò, quòd Vltramontani ad vllum Ordinem non promoueantur, etiam ad Primā Tonsuram; etiam si habeant litteras dimissorias suorum Prælatorum, nisi illæ fuerint examinatæ à Nuncio Apostolico, vel Collectore in illis partibus commorante, & deinde in Vrbe Romæ à Vicario Papæ Generali in spiritualibus, & probatæ sint: Aliter ordinantes, per annum ab exercitio Pontificalium; Ordinati verò suspensi perpetuò sint. Regulares Vltramontani non comprehenduntur sub hoc Decreto, quia de ipsis non fit mentio, & ideò dummodò habeāt dimissorias à suis Prælatis à quocumque Episcopo Italo ordinari poterunt: Italos verò ordinatos ad Primam Tonsuram, vel ad Ordinem ma-

iorem;

iorem, vel minorem eum falsis dimissorijs priuat priuilegio fori, & sæculari potestati eos subijcit, sequuta declaratione.

PARAG. I.

SUMMARIUM.

1 Solus homo baptizatus, etiam si careat vsu rationis, vt infantes, amentes, &c. aut aliquem patiantur defectum, quo inepti sint ad Ordines exercendos, vt Cœci; Manci, Hæretici, &c. sunt subiectum capax Ordinis, & si de facto ordinentur, Ordinatio tenet, & imprimitur Character; & ità communitèr Doctores: Ratio colligitur, *ex cap. Vnico de Clerico per saltum promoto.*

2 Fœminæ, iure Diuino, sunt inhabiles ad Ordines, *cap Noua de pœnit. & remiss.* Non baptizati, *ex cap. Veniens de Presbyt. non baptizato.* † Item Hermaphroditus, si æquè, aut magis participet sexum fœmineum, quàm virilem: Quod si sexus virilis prævaleat, tunc potest validè ordinari, quia vt vir censeudus est, opus tamen est Pontificis dispensatione; cùm Hermaphroditus sit irregularis. Iure Diuino sunt etiam inhabiles inuiti, quia in adultis requiritur intentio: Qui vero per metū ordinaretur, validè quidem reciperet Ordines; cùm subsistat intentio sufficiens ad Ordines cū inuolunario mixto, sicut sufficit ad sernanda præcepta.

3 Vt validè suscipiantur Ordines, tria requiruntur in adultis; Materia, Forma, & Intentio, tàm Ministri, quàm Recipientis. De Iure Ecclesiastico requiritur eriā ætas conueniens, nimirùm ad Primam Tonsuram, & minores septennium completum; *ex cap: De ijs dist. 28.* cap. *In singulos dist. 37.* Pro Subdiacono, 22. inchoatū, ex Trident. *sess.* 23. Pro Diacono, 23. Pro Sacerdote, 25. ità Trident. *loco citato cap. 12. de reformat.* Pro Episcopo, trigesimus annus completus esse debet, *cap. Cum in cunctis de electione.* Requiruntur eriā plura alia, nimirùm vt sit confirmatus, & initiatus prima Tonsura; Secundò, Conscientia absque peccato mortali; Tertiò, Probitas morum; Quartò, Scientia conueniens; Quintò, Interstitia temporum; Sextò, quod ordinandus nō sit irretitus aliqua censura; Septimò, requiritur titulus ad Sacros Ordines; qui triplex est, Beneficij, Patrimonij, vel Paupertatis.

4 Prima Tonsura potest conferri quolibet die: Ordines minores possunt conferri in ordinationibus generalibus, & quouis die Dominico, & Festo: Ad Subdiaconatum, & alios Ordines maiores Iure Ecclesiastico prohibitum est, quemquam ordinari extrà Quatuor Temporā, & duo Sabbata ante Dominicam Passionis, & Resurrectionis Christi; ità habetur *in cap. De eo,* & *cap. vltimo dist. 75.* Regulares, qui priuilegium habent ordinandi extrà Tempora, possunt extrà ipsa ordinari.

5 Duo Sacri Ordines in eadem ordinatione, siuè eodem die conferri non possūt, non obstantibus priuilegijs, &c. Permissum est Episcopis, vt ob rationabilē causam, collationem Ordinum etiam maiorum in Sabbato faciendam, ad Dominicam sequentem differre possint, modò eo vsque continuetur naturale, & exactum Ieiunium, vt Sabbati, & Dominicæ Matutini, quasi vnus dies reputetur; vt colligitur *cap. Ex litteras*, & ità Syluest. *verb. Ordo num. 6,* Suarez *disp. 31. sect. 1. num* 41. Prohibitum est tamen Episcopo, ne idem, quem in Sabbato inter Diaconos, v. g. ordinauit, mane sequentis Dominicæ Presbyteratum conferat.

6 Duo sunt effectus Ordinis. Primus est conferre gratiam habitualem augendo ipsam ex opere operato: Secundus est Character, qui imprimitur tàm in maioribus, quàm in minoribus Ordinibus.

7 Potestas, quæ traditur in Ordine, duplex est, vna Ordinis, & altera Iurisdictionis: sub potestatē Ordinis cadit verbi Diuini Ministerium, administratio Sacramentorum, &c. Sub potestatē Iurisdictionis, excommunicare, pœnitentes absoluere, &c.

8 Qui mala fide ordinatur, idest sine titulo, incurrit suspensionem, sicut ille, qui recipit Ordines Sacros, ficto patrimonio, vel beneficio, faciendo pactum cum Episcopo ante ordinationem, vel cum patrono præsentante, non petendi victum, alimenta, aut prouisionem; vt docet Azila 3 *part. disp. 3. dub. 4.* Nauar. *cons. 15. de tempor. ordinand.* Suarez. *disp. 31. nu. 33* & alij. Quam suspensionem incurrit etiam, si nullum fecerit pactum eum Episcopo, vel Patrono.

9 Qui suscipit Ordines, non seruatis interstitijs, nullam incurrit censuram, vel irregularitatem, quia non est in iure expressa; quamuis ordinans, & ordinatus grauiter peccent, quia sunt transgressores Canonum in materia grauissima, nimirū Ordinum. Suarez *de censuris disput. 31. sect. 1. num 43.* Filliuc. *tract. 10. num. 190.* & alij.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij. De Ordinatione.

Ordinare potest Episcopus alienos Clericos, si habeant litteras dimissorias proprij Ordinarij.

Ordinare potest Episcopus subditos suos ad Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus ad titulum, & portionem Ecclesiarum Matricum, non obstante quod non participent de fructibus illarum, nisi post receptū Presbyteratus Ordinē Sac. Cōgr. Cōc. Or-

Ordinari potest ab Episcopo originis Paternæ, tametsi Pater tempore natiuitatis illius filii ad aliam Dœcesim iam transtulerat domicilium.

Ordinari quis potest ad Sacros Ordines in patrimonio sibi assignato à Patre in bonis, quæ sunt directi dominij Ecclesiæ, & de quibus soluitur quædam rata fructuũ in recognitionem, quatenus vtile dominium bonorum per Patrem assignandorum legitimè transferri valeat, & ad illius vitam honestè sustentandam dicta bona sufficiant. Sacr. Concil. *in Luc. 7. Septembris 1630.*

Ordinari sine Beneficio, vel patrimonio aliquando conceditur ob penuriam Sacerdotum, dummodò quis spondeat, se necessaria ordinandus subministraturum, Sac. Cong. Conc.

Ordinari potest quis ab Episcopo loci, titulo beneficii, quod habet etiamsi illud sit simplex, 26. *May* 1594.

Ordinati sine patrimonio sunt suspensi, 20. *July* 1619.

TITVLVS XI.
De sponsalibus.

SVMMARIVM.

1 *Sponsalia vnde dicantur.*
2 *Tripliciter accipiuntur.*
3 *Parentes, &c. pro filiys quando possint contrahere sponsalia.*
4 *Ad sponsalia requiritur promissio.*
5 *Debet esse deliberata, &c.*
6 *Per signum externum manifestata.*
7 *Verba, quibus contrahuntur sponsalia, &c. possunt esse quinque modis.*
8 *Item quot modis possint adhiberi à sponsis.*

1 Sponsalia dicta sunt à spondeo, Mos enim erat olim, vt puella nuptura promitteretur viro à Patre, vel Tutore, & ideo isti dicebantur sponsores; Puella, sponsa, & is, qui puellam ducturus erat, sponsus appellabatur.

2 Sponsalia tripliciter accipiuntur. Primò pro promissione futuri matrimonij. Secundò, pro matrimonio nondum consirmato. Tertiò, pro donis, quę dabantur sponsæ à sponso; sed hic accipiuntur in prima significatione, ad quæ requiruntur tria. Primò, promissio futuri matrimonij. Secundò, quod personæ sint habiles ad contrahenda sponsalia. Tertiò, quod sponsalia sint promissio futuri matrimonij, & quod promissio sit acceptata. Requiritur etiam determinata ætas, scilicet septem annorum tàm in masculo, quàm in fœmina: Ratio; quia necessarius est vsus rationis, qui regulariter solet esse in septennio; vndè sponsalia celebrata ante septenniũ sunt inualida; ità D. Thomas *3. part. quæst. 43. artic.* Sanchez *lib. 1. disp. 16.* Filliuc. *tract. 10. num. 257.* Regin. *lib. 31. num. 247. & 248.* & alij.

3 Parentes, Tutores, Curatores, curam gerentes infantum possunt ex graui causa pro filiis, qui nondum peruenerunt ad septennium, contrahere sponsalia. Verùm vt huiusmodi sponsalia obligent, requiritur postea consensus expressus, vel tacitus filiorum, cùm peruenerint ad vsum rationis, qui consensus in foro externo sufficienter præsumitur esse, si filij taceant, & non contradicant, postquàm peruenerunt ad septennium, scientes, contracta esse sponsalia à parentibus, *cap. si Infantes de sponsal. impuber. in 6.* Coninch. *disp. 21. dub. 3.* Gutier. *cap. 13 num. 13.* & alij.

4 Ad validitatem sponsalium non satis est propositum, sed requiritur promissio, cùm propositum nullam inducat obligationem: Vndè, qui dicit *Volo te accipere vel te habere, aut ducere in vxorem, &c.* non cõtrahit sponsalia, cùm hæc verba non significent promissionem, sed propositum, sicut eius qui dicit, *Nõ ducam aliã, nisi te,* quia hęc verba sunt merè negatiua, & potest ducere nullam. Valent. *tom. 4. disp. 10. quæst. 2. punct. 1.* Filliuc. *tract. 10. par. 1. cap. 7. nu. 238.* & alij.

5 Promissio debet esse voluntaria, & deliberata, & ea deliberatio requiritur, quę sufficit ad constituendum peccatum mortale. Vndè sponsalia contracta ab eo, qui non est habitualiter suę mentis compos, sunt inualida; Ratio quia, qui non est suę mentis compos, non potest elicere actum perfectum, voluntarium, & deliberatum; ità Reginald. *lib. 31. num. 246.* Bonacin. *de Matrim. quæst. 1. punct. 2. num. 5.* Diana *de Sacram. resol. 205.* Siluius *cap. 43. art. 1.*

6 Promissio sponsalium debet manifestari per signum aliquod externum: Ratio, quia promissio fit homini; Homo autem non potest acceptare promissionem, nisi aliquo signo externo sibi manifestetur, v. g. per nutus, per verba, per facta. Filliuc. *tract. 10 num. 234.* Gutier. *cap. 4. num. 5.* & alij.

7 Verba, quibus cõtrahi potest matrimonium de præsenti, vel de futuro, possunt esse quinque modis. Primò de præsenti, vel de futuro, quoad sonum, vel significationem, *vt Accipio, vel Recipiam te in meam.* Secundò, quoad sonum, & significationem de præsenti, sed quoad adiunctum de futurò, *vt Accipio te in crastinũ.* Tertiò, quoad futurum, quoad sonum, sed de præsenti quoad adiunctum, *vt, Ex nunc habeo te in meam vxorem.* Quartò, per aliqua verba dubia, *vt volo, te esse meam vxorem.* Quintò, per verba negatiua, quæ nullam includunt affirmationem explicitè, vel implicitè, *vt nullam ducam nisi te.* Verba primo modo cõstituunt matrimonium, *cap. penultimo de sponsalibus.* Angelus *verb. Matrimonium 2. num. 20.* Syluest. *quæst. 10.* Secundo modo constituũt sponsalia, quia consensus est de futuro. Tertio modo constituunt matrimonium, *cap. ex part. de sponsal.* Ratio, quia re vera important consensum de præsenti. Quartò modo constituunt tantùm sponsalia, quia non verificantur de præsenti, sed tempore futuro. Cou. *de Matrim. part. 1. cap. 4. nu. 4.* Quinto modo nec efficiunt sponsalia, nec ma-

matrimonium, quia consensus non datur per meram negationem, obligant tamen, supposito quod velit nubere, ad eam ducendam; si verò verbis negatiuis addatur affirmatio, erunt sponsalia, vt si dicatur, *Non aliam, sed te ducam, &c.* vel matrimonium, si dicatur, *Non aliam, sed te duco*, cùm verba sint de præsenti. Couar. *loco citato* §. 1. *num.* 8. Sanchez. *lib.* 1. *disp.* 19. & alii.

8 Quando verba significant consensum de futuro, & sponsi adhibent illa ad significandum consensum de præsenti, vel quando verba significant consensum de præsenti, & sponsi adhibent illa, ad significandum consensum de futuro; in priori casu verba non efficiunt matrimoniū: Ratio, quia licèt consensus sit de præsenti, tamen non videtur sufficienter manifestatus per verba; & ità Rebell. *1. part. lib. 4. quæst.* 3. Nauar. *cap.* 22. *num.* 79. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. & alij. In secundo verò casu, verba efficiunt sponsalia: Ratio, quia ad cōtrahenda sponsalia, nō requirūtur determinata verba, sed sufficiunt quæcumque signa, quibus manifestetur consensus internus; ità Vasquez *disp.* 3. *cap.* 1. *num.* 19. ex *leg. sufficit ff. de sponsalibus.* Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. *num.* 2. Gutier. *cap.* 3. *num* 18. & alij. Consensus internus sufficientèr manifestari potest per quæcumque verba ex intentione, & consensu contrahentium prolatā, etiamsi communitèr alij significent.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo intelligantur verba, quæ habent duplicem sensum.*
2 *Ex Sponsalibus veris oritur obligatio.*
3 *Sed non ex fictis.*
† *Excipiuntur aliqui casus.*
4 *Habens copulam cum fœmina malæ famæ, an teneatur eam ducere.*
† *An teneatur ducere virginem defloratam, &c. quando copula est occulta.*
5 *Sponsalia ficta firmata iuramento, obligant.*
6 *Ex sponsalibus incertis oritur obligatio.*
7 *Peccant filij contrahendo sponsalia inconsultis parentibus.*
8 *Dubitans an contraxerit sponsalia, quid debeat agere.*

1 IN sponsalibus, quando verba habent duplicem sensum, standum est interiori, secundùm quam verba proferuntur, & quando verba sunt dubia, & non constat de intentione proferentium, contrahentes compellendi sunt ad seruāda verba in eo sensu, quem rectè intelligentes solet communitèr ex ijs verbis percipere; *cap. ex litteris* 1. *de sponsal.* Reginald. *lib.* 31. *num.* 46. & alii.

2 Ex sponsalibus veris oritur obligatio sub mortali. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 17. *dub.* 2. Reginald. *lib.* 3. *num.* 250. Rodriquez *cap.* 240. & alij. Ratio, quia cùm sint contractus, obligāt sub mortali in materia graui. Sponsalia ficta nullam inducūt obligationem, Sanchez *lib* 1. *disp.* 10. *num.* 26. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 11. Less. *lib.* 2. *cap.* 18. Ratio, quia obligatio sequitur veram promissionem, & non fictam, ex defectu consensus. Ficta promissio est, quæ fit sine animo promittendi, aut cum animo se non obligandi.

3 Ex sponsalibus fictis oritur obligatio, quando timetur aliquod scandalum, vel damnum: Vndè qui virginem defloratuit promissione futuri matrimonij, tenetur eam ducere, etiam si fictè promiserit, quia hæc promissio facta est in modum contractus: Vndè cùm ipsa ex parte sua impleuerit contractum, tenetur etiam ipse implere, nec satis est eā velle dotare, cū promissio obliget reddi promissionem, nō autem æquale: Æquale autem non datur pro debito, nisi consentiente parte. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 11. *nu.* 2. Molina *tract.* 3. *disp.* 106. nisi vir sit longè nobilior, & opulentior; idque ipsa sciuerit, quia tunc potest facilè suspicari, ipsum fictè promittere, vt ea frueretur; ita Sanchez *lib.* 1. *disp.* 10. *num.* 11. Vasq. *disp.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *disp.* 3. *num.* 24. Nauar. *cap.* 16. *num.* 18. & alij.

4 Qui copulam habuit cum fœmina malæ famæ sub ficta promissione matrimonij, non tenetur eam ducere ratione promissionis; quia promissio ficta non inducit obligationem, neque ratione damni; nā illa fœmina nullum damnum patitur, sed satis erit soluere pretium locationis corporis prò copula, ità Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 15. Reginald. *lib.* 31. *num.* 256. Fillius, *tractat.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 252. Item non tenetur vir ducere virginem, aut viduam bonæ famæ, quando copula est adeò occulta, vt nullū sit infamiæ periculum in fœmina.

5 Sponsalia ficta firmata iuramento, obligant: Ratio, quia ex tali iuramento consurgit obligatio. Quando verò iuramentum non fuit factum animo se obligandi, tunc nullam inducit obligationem: Ratio, quia obligatio oritur ex vero iuramento, nec Deus acceptat iuramentum, nisi secundùm hominis intentionem, *cap. Humanæ aures quæst.* 5. *cap.* 11. & ità D. Thom. 3. *part. dist.* 39. *quæst.* 2. *art.* 3. tùm etiam, quia iuramentum quando immediatè cadit supra rem promissam, semper est obligatorium: Si verò cadat supra contractum, sequitur naturam ipsius, vt si contractus supra quem cadit iuramentum, sit verus, iuramentum sit firmum, & stabile: Si verò sit fictus, iuramentum censetur nullum, cùm accessorium sequatur suum principale. Similitèr sponsalia metu graui contracta, firmata iuramento, non sūt obligatoria, nec iuramentum indiget relaxatione: Ratio patet ex supradictis; ità Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib* 4. *disp.* 21. *nu.* 3. & alij.

6 Ex sponsalibus incertis oritur obligatio adimplendi ipsa; ità Sanch. *disp.* 26. *lib.* 1. *nu.* 2. Ratio, quia ex promissione vera oritur obligatio, & sponsalia incerta, sunt vera, & non ficta, & ideò, qui contraxit sponsalia incerta, v. g. cum filiabus Titij, tenetur ex iustitia ducere vnā ex illis, quæ disiunctiuè à Patre illi promissæ fuerunt. Verùm si electa ab ipso recuset, non tenetur aliam ducere, nisi fortè se obligauerit

rit ad alteram ducendam, vna recusante.

7 Liberi peccant, qui inconsultis parentibus, sponsalia contrahunt, licèt in matrimonio contrahendo sui iuris, ac libertatis existant; Et ideò datam fidem sponsalium seruare tenentur, quia licèt peccarint, contrahendo sponsalia, inconsultis parentibus; tamen tenentur implere promissionem, imò compelli possunt, nisi ob disparitatem, vel ob aliam causam timeatur inimicitiæ, Discordiæ, Scandala, Familiæ dedecus, quia tunc parentes matrimonium impedire possunt. Nauar. *cap.16. num.18.* Gutter. *de Matrim. cap.79.* & alij.

8 Qui æqualiter dubitat vtrùm contraxerit sponsalia; vel vtrùm verba contineãt promissionẽ, & supposita diligentia ad sciendam veritatem, adhuc remaneat dubius; non est obligandus stare sponsalibus: ità Henriq. *lib.11.cap.11.num.5.* Rebell. *de sponsalibus quæst.3. num.10.* Reginald. *lib.25. num.25. & 93.* & alij. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis. Dubitans autem possidet suam libertatem: tùm etiam, quia quando agitur, de obligatione contrahenda, facienda est stricta interpretatio, *cap. 1. de iure iur. in 6.* & ita Henriq *lib.11.cap.13. num* 4. Qui dubitat an promiserit animo se obligandi; vel non, tenetur stare sponsalibus: Ratio, quia possessio stat pro sponsalibus, seu promissione, quam constat factam fuisse, & promissio præsumitur facta secundum suam naturam; nec vllus præsumitur dicere, quod non habet in mente; ità Sanchez *disp.9. num.12. & disp.18. num.5.* Rebell. & Reginald. *locis citatis.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Sponsalia varijs modis dissoluuntur.*
2 *Per subsequens matrimonium, &c.*
3 *Per ingressum Religionis, &c.*
4 *Per fornicationem, &c.*
5 *Per susceptionem Ordinis Sacri, &c.*
6 *Per superuenientem morbum, &c.*

1 Sponsalia varijs modis dissolui possunt. Primò, mutuo contrahentium cõsensu, etiamsi sint firmata iuramento: Ratio, quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur, *cap. 1. de regul. iuris*: cùm ergò sponsalia ex mutuo consensu consurgant, eodem etiam dissoluuntur. Sanch. *lib.1. disp.52. num. 8.* Less. *lib.2.cap.42.dub.10.num.134.* Henriq. *lib.11.cap.18.* Naldus *verb. Sponsalia num.4.* Dixi, etiam si sint firmata iuramẽto; nã cũ materia, in quam cadit iuramentum, sit promissio facta homini, altero remittente promissionem, cessat obligatio iuramenti, quæ in illa fundabatur, *cap. Debitores de iure iur.* quod etiam dicendum est de sponsalibus impuberum firmatis iuramento ob eandem rationem.

2 Dissoluuntur etiam sponsalia per subsequens matrimonium, validè celebratum cum alia persona, quia res tradita vni per contractum indissolubilem, non potest amplius tradi alteri, cui tantũmodò promissa est. Sanchez *lib 1. disp.48.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 1. cap 2.* Diana *part.3. tract.4. resolut.209.* & alij. Non dissoluuntur sponsalia per alia, etiã copula subsequuta, quia post Concilium Tridentinum, non transeunt in matrimonium, etiam si copula maritali animo fuerit habita, & quamuis posteriora sint iurata, quia tale iuramentum esset de re illicita. Sãchez *disp.50.* Filliuc. *tract.10. num.273.* & alij.

3 Sponsalia dissoluuntur per ingressum Religionis. Sanchez *lib.1 disp.42. num.5.* Henriquez *lib 1. cap 14. nu.10.* etiam si sint firmata iuramento: Ratio, quia iuramentum sortitur naturam actus, cui adiungitur, *cap. Quemadmodum de iure iur.*: Vndè conditio tacita inclusa in actu promissionis, includitur etiam in iuramento; sed promissioni matrimonij inest tacita conditio, nisi promittens elegerit Religionem, Ergò, & iuramento. Vndè emisso post sponsalia voto, non potest quis contrahere matrimonium animo ingrediendi Religionem, ante illius consummationẽ, quia potentissimo periculo exponitur violandi votum. Nec item sponsus, qui contractis sponsalibus, copulam habuit cum sponsa, potest ingredi Religionẽ, quã vouit post copulam: Ratio, quia talis ingressus factus est illicitus, & est iniuriosus spõsæ, & iuramẽtum non est vinculum iniquitatis. Less. *lib. 2. cap.10. dub.4.* & alij. Item qui, voto emisso, virginem desflorauit promissione matrimonij, tenetur ad matrimoniũ, & non ad votum, si puella votum promittentis ignorabat: Ratio, quia per copulã, ingressus Religionis factus est illicitus, cũ non possit ingredi Religionem, nisi iniuriam grauem adferat puellæ; Tùm etiam, quia iustitiæ vinculum magis obligat, quã charitas; ità Less *lib 2. cap.10. dub 4. num.32.* Sanch. *de Matrim. tom.1. lib.1. disp.45. num.3.* & alij.

4 Sponsalia dissoluuntur per fornicationem subsequentem, etiam si sponsalia sint iurata, *cap. Quemadmodum, de iure iur.* Sanch. *disp.55 num.9.* Syluest. *verb. Sponsalia quæst.10.* & alij. Item si sponsa patiatur, se ab alio tangi impudicè, amplecti, aut osculari, &c. quia hæc censentur facta in dedecus, & iniuriam sponsi. Sanchez *disp. 56. num. 7.* & alij.

5 Sponsalia dissoluuntur, non modò per susceptionem Ordinis Sacri, sed etiam per votum suscipiendi Ordines Sacros: Ratio, quia per votum suscipiendi Ordines Sacros, censetur eligi perfectior status: Sponsalia autẽ habent hãc tacitã conditionem, nisi eligatur perfectior status: ità Gutier. *cap.26. nu. 2.* Syluest. *verb. Sponsalia quæst.4.* Henriq. *lib.11. cap.14. num. 4.* & alij.

6 Sponsalia dissoluuntur per superuenientem morbum contagiosum, ob morum asperitatem, & sæuitatem alterius, & ob graues, & capitales inimicitias inter sponsos ortas, & superueniens impedimẽtum: Item dissoluuntur, quando superuenit aliquid

aliquid post sponsalia, quod si fuisset ante sponsalia, non fuissent contracta, vt v.g. notabilis deformitas, paupertas, Infirmitas, &c.; ità Sanchez *lib. 1. disp. 57.* Molina *disp. 273. nu. 4. & 5.* Reginald. *num. 263.* Ratio, quia sponsalia censentur facta sub hac cõditione, si res in eodem statu permaneant; & ideò sponsus non tenetur contrahere matrimonium cum sponsa, quę post sponsalia incidit in lepram, vel paralysim, &c. Item sponsa non tenetur contrahere cum sponso, qui post sponsalia damnatus est alicuius criminis turpis, vt v.g. furti, quia hæc censetur notabilis mutatio.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Sponsalia dissoluuntur per lapsum temporis constituti.*
2 *Per absentiam alterius, &c.*
3 *Per superuenientem affinitatem, &c.*
4 *Quando non adimplentur conditiones appositæ, &c.*
5 *An ad dissolutionem requiratur auctoritas Iudicis.*
6 *An possit apponi pœna contra non stantes sponsalibus.*
7 *Et si apponatur an sit soluenda.*

1 Sponsalia dissoluuntur, si tempori, quo fiunt apponatur terminus de matrimonio cõtrahendo, quia tunc lapsus termini eximit ab obligatione illum, per quẽ non stetit; Alius verò, per quem stetit, adhuc ligatur, ne ex sua culpa commodum reportet, *cap. Sicut ex litteris, de sponsalibus.* Sanch. *disp. 53.* Couar. *de matrim. par. 1. cap. 5. num. 8.* Toler. *lib. 7. cap. 21. num. 6.* Reginald. *lib. 31. num. 161.* & alij.

2 Sponsalia soluuntur etiam absentia alterius in regionem longinquam; ità habetur *in cap. De illis de sponsalibus.* Ratio, quia sponsus longè discedens, censetur renunciare iuri suo; ità Sanch. *disp. 54.* Coninc. *disp. 23. dub. 6. num. 50.* Guttierez *cap. 3. num. 6.* Quòd si sponsus ob causam necessariam abesse cogatur; tunc sponsa expectare debet, donec iustum eius impedimentum cesset; ità habetur *in l. Sæpè ff. de Sponsalibus.* Item si sponsus in alienam terram domicilium transferat, sponsa hoc ipso à sponsalibus liberatur: quando autem sponsus esset in loco propinquo, ille expectandus est, vel requirendus: Si verò sponsus ob causam voluntariam discesserit, tunc secundùm ius ciuile, biennio expectandus est, si intrà Prouinciam; si extrà Prouinciam moretur, triennio. Quæ Constitutio, cùm maximam æquitatem habeat, nõ videtur iure Canonico correcta; vt docet Syluest. *verb. Sponsal. quæst. 20. dist. 4.* & alij citati à Layman. *tract. 10. part. 1. cap. 2. de sponsal. num. 1. 3.*

3 Sponsalia dissoluuntur, cum superuenit affinitas. Item inualida sunt sponsalia contracta ob dolum dantem causam contractui sponsalium adhibitis, ab altero contrahente conscio, & participe doli: Si tamen dolus solùm incidat in sponsalia, non sunt sponsalia ipso iure irrita, quia adest sufficiens consensus in contractum: similitèr si dolus adhibitus sit à tertia persona sine participatione alterius sponsi, sponsalia non sunt ipso iure irrita, sed deceptus habet ius illa dissoluendi. Sanchez *disp. 64.* Molina *disp. 352. nu. 7.* Guttier. *cap. 34. num. 8.* Diana *part. 3. de Sacram. resol. 287.* & alij.

4 Sponsalia possunt dissolui quando non adimplentur conditiones, sub quibus celebrata fuerunt. Item dissoluuntur per votum simplex Religionis, & Castitatis præcedens; non autem per votum subsequens ipsa sponsalia: Ratio, quia votum debet esse de re, quæ sit in potestate vouẽtis; sponsus post sponsalia non habet amplius potestatem vouendi castitatem; cùm tale votum sit cum præiudicio promissionis alteri factæ.

5 Quando causa dissoluendi spõsalia moraliter est certa, non est opus auctoritate Iudicis, nisi ratione scandali vitandi, si sponsalia sint publica; ita Nauar. *cap. 22. num. 28.* Syluest. *verb. Sponsalia quæst. 11.* Sanch. *lib. 1. disp. 69. num. 3. & 4.* Quando causa est certa de iure, & de facto occulta, & sponsalia publica, Iudicis auctoritas desideratur ad ea dissoluenda; si verò causa dissolutionis sit dubia de iure, & de facto, est peccatum mortale propria auctoritate soluere sponsalia, quia probabile est periculum iustitiæ; Dùm alter in dubio spoliatur iure acquisito. Sanch. *loco citato num. 8.* & alij.

6 Sponsi, vel propinqui sponsorum non possunt opponere pœnam soluendam ab eo, qui non steterit sponsalibus, & si apponatur, est irrita in vtroque foro, ità plures apud Sanch. *loco citato.* Ratio, quia impeditur libertas matrimonij; Si verò pœna apponatur ab extraneis, qui sponsos nullo iure affinitatis, vel consanguinitatis attingant, valida est, quia in tali casu nullo modo impeditur libertas matrimonij; ità Sanch. *disp. 32. num. 21.* & alij.

7 Pœna apposita in sponsalibus cum iuramento, non est soluenda: Ratio, quia iuramentum non obligat ad rem illicitã; ità Sanch. *loco cit.* Lessius *lib. 2. cap. 17. nu. 57.* & alij. Apponere pœnam grauem in contractu sponsalium, est peccatum mortale: Ratio, quia faciunt contrà legem prohibentem in materia graui; secus si pœna apposita sit leuis: Ratio, quia appositio talis pœnę non compellit ad matrimonium contrahendum.

Canones de sponsalibus, vt infrà.

TITVLVS XII.
De Nuptijs.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium vnde dicatur.*
2 *Tripliciter consideratur.*
3 *Quid sit.*
4 *In Matrimonio plura inueniuntur.*
5 *Matrimonium diuiditur in legitimum, ratum, consummatum, &c.*
6 *Qualis debeat esse consensus.*
7 *Item verba qualia.*

8 Ma-

8 *Mutuus consensus est causa efficiens matrimonij.*
9 *Taciturnitas an sufficiat ad exprimendum consensum.*

1 MAtrimonij nomen deriuatur à Matre, quia Mulier nubit, vt Mater efficiatur: appellantur etiam alio nomine nuptiæ; Connubiū ab obnubendo, seù velando, quia quasi nube obtegitur virgo velamine quodam, dum benedicitur: Dicitur etiam Cōiugium ab effectu, eo quod duos, vt vna caro efficiantur, coniungit, & sub eodem iugo perpetuo. Vasq. *de Matrimonio disp.1.cap.1.* Filliuc. *tract.10.cap.1.* & alij.

2 Matrimonium triplicitèr consideratur; Primò, vt est officium naturæ ad liberos procreandos, & educandos; Secundò, vt est remedium concupiscentiæ; Tertiò, vt est Sacramētum nouæ legis ad onera matrimonij diuina gratia subleuanda; Priori modo definitur, Coniunctio maritalis viri, & fœminæ nullo naturæ, aut humanæ legis impedimento inhabiles ad contrahendum indiuiduam vitæ consuetudinem retinens: quatenùs verò Sacramētum est contractus legitimus, mutuus, & indissolubilis inter virum, & fœminam, quo traditur mutua corporum potestas, & gratia sanctificans coniuges.

3 Matrimonium, quatenùs contractus naturalis à Deo fuit institutum, quia ab eo fuit facta prima coniunctio legitima viri, & fœminæ iuxtà ea verba; *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, & fuit institutum per inspirationem, quia Deus reuelauit Adam, & Euæ, vt inter ipsos esset, ac eorum posteros. Maritalis coniunctio, perpetuam vitæ consuetudinem retinens: Hæc institutio fuit facta in Paradiso voluptatis, & hanc institutionem promulgauit Adam, dicendo Euæ; *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.*

4 In matrimonio plura inueniuntur; Primò mutuus consensus contrahentium; Secundò externus contractus; Tertiò mutua corporum traditio; Quartò vinculū quoddam ortum ex illo contractu; Quintò mutua obligatio ad reddendum debitum; Sextò ius, quod est in vnoquoque ad alterum; Septimò vsus, & cōsumatio matrimonij. Sanch. *lib.2.disp.1.* & alij.

5 Diuiditur matrimonium in legitimum, ratum, & consummatum; legitimum dicitur, quod legitimo consensu contrahitur, & hoc inter infideles esse solet. Ratum, quando est Sacramentum nondum tamen carnali copula consummatum. Vndè includit in se legitimum, & addit rationem Sacramenti, per quam, maiorem firmitatem, & indissolubilitatem acquirit. Matrimonium consummatum est, quod accedente carnali copula perficitur, & in ratione contractus, & in ratione Sacramēti, vt inter fideles. Consummatio non est de essentia matrimonij: Vndè potest esse verum matrimonium, vt re vera fuit inter Beatam Virginem, & Sanctum Ioseph. Essentia matrimonij, seù matrimonium consistit in vinculo illo, quo formalitèr sunt coniuges; & ità apud Sanchez *lib.2. disp.1.num.5.6.*

6 Consensus in matrimonio debet esse de præsenti, *ex cap. Tua fraternitate*, & cap. *Si inter de sponsalibus*, & debet esse signo externo expressus, nimirùm verbis, aut signis; Ratio, quia matrimonium est contractus, & Sacramentum, & ideò quatenùs contractus, & quatenùs Sacramentū, debet signo externo exprimi, cùm de ratione Sacramenti sit, vt sit signum sensibile.

7 Verba, per quæ exprimitur consensus, sumenda sunt iuxtà communem significationem, *cap. Ex litteris de sponsalibus*. Varia sunt signa expressiua consensus. Primum, si postquam vnus consensit per verba de præsenti, non repugnanti annulum inferat digito. Secundum, si post sponsalia matrimonium consummetur copula. Tertiū si parentibus, aut tutoribus coniugalem consensū exprimentibus, liberi inter quos est contrahendum, sint præsentes, & taceant, quia tacentes censentur approbare.

8 Mutuus consensus est causa efficiens matrimonij. Materia remota est traditio corporum: ità Rodriquez *cap.216.* Sanch. *lib.2.disp.5.* Suarez *de Sacram.disp.2.sect.1.* Reginald. *lib.31.num.42.* Signa, seù verba, quibus exprimitur consensus traditionis corporum, sunt materia proxima; ità Auctores citati. Forma verò est acceptio cōsensus expressi; ità Suarez. *lib. 2. disp. 5.* & alij citati: Ratio, quia talis acceptatio perficit materiam proximam, ac perficit consensum traditionis corporum per verba, aut per signa expressum.

9 Regularitèr taciturnitas non sufficit ad exprimendum consensum, iuxtà reg. iuris; *Qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur*; Ius aliquando accipit taciturnitatem pro consensu, vt quando quis contrahit sponsalia, tacente coram Patre, vel Matre, vel alio curam illius gerente, & ipsi repromittunt pro filia; in quo casu validè contrahitur matrimonium, si tamen filia interius consentiat de præsenti: Si verò nullus respondeat pro filia non validè contrahitur matrimonium, quamuis ipsa interiùs consentiat: Ratio, quia consensus eius non sufficientèr exprimitur per taciturnitatem. Item inualidum esset matrimonium, si extraneus pro ipsa responderet, vel repromitteret, quia cōsensus eius non videretur sufficientèr expressus per taciturnitatem.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Qui sit Minister Matrimonij.*
2 *Finis Matrimonij quis sit.*
3 *Potest celebrari per litteras, & Procuratorem.*
† *Requisita ut celebretur per Procuratorem.*
4 *Requisita Matrimonij.*
5 *Quæ præsentia Parochi requiratur.*
6 *Præsentia Parochi excommunicati est sufficiens.*
7 *Parochus non Sacerdos validè assistit.*
† *Potest dare licentiam Sacerdoti.*

Mit-

1 **M**Inistri Sacramenti Matrimonij sunt ipsi contrahentes, ità Sanchez *lib. 2. disp. 6.* Henriq. *lib. 20. cap. 2. num. 7.* Reginald. *lib. 31. num. 52.* & alij. Et quia Sacerdos non est Minister huius Sacramenti; Idcircò si in peccato mortali assistat matrimonio, non peccat mortalitèr; cùm ipse non ministret, nec conficiat Sacramentum; ità Henriq. *loco citato.* Suarez. *tom. 3. disp. 15. sess. 4.* & alij.

2 Finis matrimonij non est consensus in copulam, sed in ius, & potestatem ad illã; ità Sanchez *lib. 2. disp. 27. num. 3.* & alij. Et ideò si contrahentes intenderent nunquã illam potestatem exercere, matrimonium esset validum; & ita Sanchez *disp. 28. num. 3.* & alij.

3 Matrimonium etiam quatenus Sacramentum, potest celebrari per litteras, & per Procuratorem: Requiruntur tamen quatuor, vt matrimonium celebratum † per Procuratorem sit validum; Primò, vt habeat speciale mandatum ad matrimonium, quia non satis est generale ad omnia negotia; Secundò, vt sit mandatum ad contrahendum cum certa persona, nec sufficit generale ad contrahendum cum quacunque, *l. generali ff. de ritu nuptiarum.* Tertiò, vt Procurator per se exequatur; non enim potest aliũ subdelegare, nisi expressè id contineatur in mandato; eligitur enim industria personæ; Quartò, vt tempore, quo Procurator contrahit, non sit reuocata potestas; nam si sit reuocata, etiam ipso, & altero coniuge ignorante, matrimonium est irritum, *cap. final. de Procurat. in 6.* Molina *de contract. disp. 51.* Filliuc. *tract. 10. cap. 10.* Henriq. *lib. 11. cap. 2. n. 2.* Syluest. *verb. Matrimonium 5. qu. 11.* & alij.

4 Ad validè contrahendum matrimoniũ juxta Concil. Trident *sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrimonij*, primò requiritur præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia Parochi: Proprius autẽ Parochus dicitur ille, in cuius Parochia contrahẽs habeat intentione manendi, vel semper, vel saltem maiorem partem anni; ità Sanchez *lib. 3. disp. 23.* Coninch. *disp. 27. dub. 5. n. 28.* & alij communitèr. Vndè Parochus solius originis non censetur proprius ad assistẽdum matrimonio, sed requiritur assistẽtia Parochi habitationis, & domicilij; ità Gloss. *cap. Omnium §. Cum verò*, & plures apud Sanchez *de Matrimonio lib. 3. disp. 23. num. 7.*

5 Non modo requiritur præsentia physica, sed etiã moralis Parochi, cùm requiratur, vt assistat humano modo; ità Henriquez *lib. 11. cap. 3. §. 1.* Gutier. *de Matrim. cap. 60.* Bonacina *de Matrim. lib. 2. cap. 11.* & alij. Requiritur eius præsẽtia pro forma actus; vndè matrimonium contractum sine eius præsentia est inualidum.

6 Præsentia Parochi excommunicati est sufficiens ad matrimonium: Ratio, quia hæc assistentia non est iuridictionis, sed auctoritatiua tantùm, qui etiam si sit excommunicatus, talem assistentiã præbere potest; ità apud Barbosam *par. 2. allegat. 32. num. 92.* Peccat tamen mortalitèr excommunicatus assistendo matrimonio, quia in re graui, nimirùm in Sacramento participat; ità Basil. Pont. *lib. 5. cap. 17. dub. vnic. num. 11.* Quod etiam dicendum est de suspenso, vel irregulari, propter rationem allatam; ità Henriq. *lib. 11. cap. 3.* Sãchez. *disp. 21. nu. 4.* Rebell. *lib. 2. q. 9.* & alij.

7 Parochus non Sacerdos validè assistit matrimonio: Ratio, quia Concilium Tridentinum non dicit, quòd Parochus sit Sacerdos. Item Parochus non Sacerdos potest dare licentiam Sacerdoti, vt matrimonio assistat, non tamen Clerico; & ità colligitur ex Tridẽtino *sess. 24. cap. 1. de reformat.* Similitèr Parochus interdictus ne assistat matrimonio aliquorum, si assistit, validè assistit; ità Sanch. *lib. 3. disp. 32.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. num 4.* Rodriq. *1. part. cap. 219. num. 10.* Reginald *lib. 31. num. 179.* Sicut etiam validè assistit Parochus, cui per inscitiam vetitum est ministrare Sacramẽta: Ratio, quia huiusmodi assistentia nõ est ministratio Sacramentorum, nisi fortè vetitum sit propter amentiam ministrare Sacramenta, quia tunc inualidè assistit, cùm non possit esse præsens moralitèr.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Verba, quæ proferuntur à Parocho non sunt necessaria.*

2 *Præsentia Parochi transeuntis an sit sufficiens.*

3 *Parochus habens iniustum titulum, &c. sed coloratum, validè assistit.*

4 *Præsentia Parochi inuiti non est sufficiens.*

5 *Præter Parochum requiruntur etiam testes.*

† *Qui possint esse testes.*

6 *Non requiritur quod sint rogati.*

7 *Matrimonium contractum sine Parocho, &c. nullam inducit obligationem.*

† *Matrimonium duplex.*

† *Dupliciter potest esse clandestinum.*

1 **V**Erba, quæ proferuntur à Parocho, non sunt de essentia Sacramenti matrimonij, & licèt omittantur, validum est Sacramentum, cùm non spectent ad materiam, aut ad formam. Sunt tamen de necessitate præcepti, & per consequens peccaret Parochus, ea omittens; ità plures apud Sanchez *lib. 3. disp. 38. num. 6.* & peccaret mortalitèr, si malitiosè ea omitteret; ità plures apud Sanchez *lib. 3. disp. 38. num. 6.* Ratio secũdæ partis, quia censetur transgressio grauis contrà præceptum; sic Cenodo *pract. quæst. cap. 743.* Vega *lib. 6. sum. casu 112.* & alij.

2 Præsentia Parochi transeuntis non est sufficiens ad matrimonium: Ratio, quia transiens, non censetur præsens humano modo, sed tantùm materialitèr, & nõ formalitèr; tùm etiam, quia requiritur, quòd Parochus sit adhibitus ad illum actum. Si verò transeũdo aduertat ad illum actum, & intelligat consensum contrahentium, matrimonium validum erit, quia verè dicitur præsens humano modo, cùm aduertat, & intelligat, &c. ità Ledesma *de Matrim.*

trim.qu.45 art.5.punct.3.dub.2. Sanchez *de Matrim.lib.3.disp.39.num.*11. Reginald. *lib.31. nu.* 182. Guttier. *de Matrim.cap* 69. & alij. Quod etiam dicendum est de testibus.

3 Parochus iniustũ titulum beneficij habens, dummodò adsit titulus coloratus, seù putatiuus, qui censetur adesse, quando recipit dignitatem, aut beneficium à legitimo Superiore, sed posteà committit aliquod delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus dignitate, aut beneficio. Secundò error communis, idest error probabilis, quo aliquis cõmunitèr habeatur pro vero titulari beneficiato, &c. Tertiò, vt nullum adsit impedimentum iuris Diuini, vel naturalis, validè assistit matrimonio: Ratio, quia gesta per Prælatũ, Parochum, &c. communi errore talem existimatum, habentem titulum putatiuum à legitimo Superiore, in vtroque foro sunt valida; ità Sanchez *de Matrim. lib.3. disp.22. num.60.61.* Henriq. *lib.11.cap.3.nu.4.* Rodriq. *cap.217.num.*8. Filliuc. *tract.10.cap.6.quæst.4.* & alij. Secùs si cùm titulo colorato, & errore communi adsit impedimẽtum iuris Diuini, vel naturæ, quia tunc Ecclesia, vel Prælatus non potest supplere huiusmodi defectum, cùm non habeat potestatem in Superiorem, sicut de facto supplet defectũ iuris humani. Caiet. *verb. Confessio iterat.*

4 Gesta per illum, qui absque legitima auctoritate intrusit se in officium Iudicis, Parochi, &c. sunt inualida in vtroque foro, quia intrusus non habet titulum verum, vel coloratum: Vndè si aliquis Sacerdos constitueretur Parochus à Laico, inualidè assisteret matrimonio, quamuis communitèr haberetur pro vero Parocho. Nauar. *cap.9.num* 9. Guttier. *cap.62.num.26.* Sanch. *lib 3.disp.22.num.29.* Coninch. *disp.27. dub.2.num.26.* & alij. Item gesta per Iudicẽ, qui mẽte captus est, non sũt valida, quãuis communi errore credatur sanè mentis. Ratio, quia interuenit defectus naturalis, qui ab Ecclesia suppleri non potest; ità Reginald. *lib.1.nu.93.* Sanch. *lib 3.de Matrim. cap.22.num.29.* & alij.

5 Præter Parochum, ad valorem matrimonij necessaria est præsentia saltem duorum testium, quę debet esse moralis, & humano modo, vt scilicet quòd aduertant, & intelligant quid agatur, & debet esse præsentia simultanea, & non successiua, & quæcumque personæ doli capaces, & cuiuscunque ætatis, & conditionis, possunt esse testes in matrimonio contrahendo; & ideò impuberes, fœminæ, &c. possunt esse testes in matrimonio: excipiuntur tamen amentes, ebrij, &c. qui non possunt esse testes, quamdiù carent lucido interuallo.

6 Non requiritur quòd testes sint rogati; sufficiunt, etiamsi per violentiam præsentes sint, aut dolo adducti, quia possunt dici moralitèr præsentes; ità Henriq. *lib.11. cap.13.* Sanchez *lib.3.disput.39. num. 9.* & alijs; dummodò intelligant consensum contrahentium.

7 Matrimonium cõtractum sine Parocho, & testibus nullam inducit obligationem matrimonij, aut sponsaliũ, nisi fortè contrahentes habeant animum se obligandi omni meliori modo; ità Em. Sà *verb. Matrimonium nu.42.* Sanch. *lib.1.disp.20.nu.3.* Guttier. *de Matrim.cap.11.* Rodriq. *cap.220.* Ratio colligitur ex Trident.; & ideo matrimonium est duplex, vnum solẽne, & aliud clandestinum. Matrimonium solenne est, quod fit coram Parocho, & testibus, & dicitur fieri in facie Ecclesiæ, non quia fiat in ipsa materiali Ecclesia, sed quia fit coram aliqua multitudine fidelium. Matrimonium clandestinum dicitur, quòd clã fit: quod duobus modis potest contingere; Primò quando fit sine Parocho, & testibus; Secundò quando celebratur, omissis denunciationibus: Matrimonium clandestinum contractum primo modo, est inualidum ex Conc. Tridentino *sess.24. cap.1. de reformat. matrim.* quamuis aliàs ante Concilium fuerit validum: Matrimonium clandestinum celebratum secundo modo, idest sine denunciationibus, validum est, quia iure antiquo validum erat, ac proindè nunc etiam validum est; cùm non sit recedendum à iure antiquo, nisi quatenùs contrarium statuitur iure nouo, & nullum ius extat in contrarium; ita apud Sanchez *lib.3.disp.5. num.3.*

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Ad matrimonium quomodo requiratur consensus.*
2 *Quid agendum ad validandum matrimonium ex defectu consensus.*
3 *Item quando est inualidum, ratione impedimenti, &c.*
4 *Matrimonium contractum cum falso errore impedimenti, validum est.*
5 *Matrimonium vagorum coram quo debeat celebrari.*
6 *Significatio matrimonij rati consummati, &c.*
7 *Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, &c.*

1 AD matrimonium non est necesse, consensum vtriusque coniugis simùl præstari, sed satis est temporis mora, modò consensus prioris coniugis reuocatus non sit: quæ distantia requiratur inter consensum vnius, & consensum alterius, non cõueniunt Doctores.

2 Ad validandum matrimonium nullum, defectu consensus, sufficit, quòd denuò præstetur ab eo, qui fictè in matrimonium consensit, aut per metum, dummodò alter censeatur virtualiter perseuerare in consensu præstito, & quando matrimonium est inualidum, solùm respectu vnius contrahentis, non est necesse, quòd consensus internus denuo manifestetur signo externo, cùm iam fuerit expressus, sed satis est, quod de nouo in matrimonium consentiat; quando verò matrimonium est inualidum, defectu consensus vtriusque, non satis est, quòd de nouo in matrimonium consentiant, sed necesse est consensum per signum externum manifestare, quia cùm prior consensus fuerit nullus, &

irritus

irritus, sic etiam signa eorum manifestatiua. Sanch. *lib. 2. disp. 32.*

3 Ad validandum matrimonium inualidum, ratione impedimenti dirimẽtis, post impetratam dispensationem impedimenti, requiritur nouus consensus contrahentium, signo externo expressus; itá D. Thomas *in 4. dist. 40. quæst. vnica*, Sotus *in 4. dist. 35. quæst. vnica*, Nauar. *cap. 22. num. 47.* Sanchez *lib. 2. disput. 35.*: Ratio, quia prior consensus ratione impedimenti dirimentis, ex parte vtriusque fuit inualidus, & irritus; vndè denuò renouandus est.

4 Matrimonium cõtractum cum falso errore impedimenti, validum est, si contrahentes intendant, quantùm in ipsis est, valere: Ratio, quia ad illud matrimonium adsunt omnia requisita, nimirùm consensus contrahentium, & contrahentes habiles ad contrahendum, qui intendunt contrahere, quantùm possunt.

5 Matrimonium vagorum debet celebrari coram Parocho, in cuius Parochia, pro ratione temporis, actualitèr commorantur: Ratio, quia cùm vagi careant domicilio actuali, habitatio loci, quam pro tempore habent, succedit in locum domicilij, & proprius Parochus censetur ille, in cuius Parochia quis habet domicilium, tenetur tamen Parochus diligentèr inquirere, an alibi sint in matrimonio coniuncti.

6 Matrimonium ratum significat vnionẽ dissolubilem Christi cum anima existenti in gratia: Consũmatũ significat indissolubilẽ vnionẽ Christi cũ Ecclesia per carnẽ assumptam, & vtrumque matrimonium indissolubile est de Diuino iure naturali, licèt cum disparitate, quia indissolubilitas non competit omninò matrimonio rato, nec in ratione matrimonij, nec in ratione Sacramenti, sicuti competit matrimonio consummato; itá Sanchez *lib. 2. disp. 13. num. 7.* Henriq. *lib. 11. cap. 2. num. 3.* & alij: Ratio, quia matrimonium ratum ex priuilegio Diuino dirimitur per professionem trium votorum solennium in Religione appro-
† bata: Item Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, & de facto multi Pontifices dispensarunt, vt Paulus III. Martinus V. Adrianus IV. Pius IV., & hæc potestas dispẽsandi in matrimonio rato fuit collata à Christo suo Vicario, cùm ei dederit omnia requisita ad bonum regimen Ecclesiæ; itá Nauar. *cap. 22. num. 1.* Sanchez *lib. 2. disput. 14. num. 2.* Rebell. *lib. 2. quæst. 13. num. 4.* Henriquez *lib. 11. cap. 8. num. 11.* Bellarm. *lib. 2. de Monachis cap. 38* & alij. Et licèt matrimonium iure naturæ sit indissolubile, tamen in ijs, quæ sunt de iure naturæ, potest in aliquibus casibus Sũmus Pontifex dispensare, vt in matrimonio rato; Matrimoniũ verò consummatum est totalitèr indissolubile, propter rationem allatam.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium initum sub conditione necessaria est validum.*
2 *Conditiones, quæ apponuntur in matrimonio.*
3 *Bonum matrimonij triplex.*
4 *Conditio quinque modis potest apponi matrimonio.*
5 *Quænam conditio turpis irritet matrimonium.*
6 *Matrimonium sub conditione honesta validum est.*
7 *Conditio honesta triplex.*
8 *Matrimonium contractum, &c. sub conditione, si Papa dispensauerit, an sit validum.*

1 MAtrimonium initum sub conditione necessaria validum est, ac si conditio non esset apposita; itá Durand. *in 4. dist. 28. quæst. 3. num. 5.* Sanchez *lib. 5. disput. 2.* & alij: Modò contrahentes non habuerint intẽtionem suspendendi consensum vsque ad conditionis euentum, quia tùnc matrimonium sub conditione necessaria celebratũ non est validum de præsenti, cùm nõ adsit mutuus cõsensus de præsenti; vt v.g quando quis alicui dicit, *Contraho tecum, si Sol cras orietur*, idest, *quando Sol cras orietur, cõtraho tecum matrimonium*, in quo casu contractus non censetur statim factus, sed faciendus, cùm illa conditio sit posita tamquàm terminus ad illum contractum celebrandum.

2 Conditiones, quæ apponi possunt in cõtractu matrimonij, aliæ sunt necessariæ, aliæ turpes, aliæ impertinentes, aliæ impossibiles, aliæ honestæ, aliç de præterito, aliæ de præsenti, aliç de futuro, &c. Ex turpibus quædam sunt contrà substantiam, & bona matrimonij, & aliæ præter substantiam, & bona matrimonij, vt *Contraho tecum, si mecum concubueris, &c.* Sanchez *de matrim. lib. 5. disp. 1. nu. 3.* Filliuc. *tract. 10. cap. 4. qu. 11.* & alij.

3 Bonum matrimonij triplex est: Bonum fidei, quod importat obligationẽ ad reddendum debitum, si petatur, & non communicandum corpus alieno, ideòq; huic bono repugnat talis conditio, *Contraho tecum, si pro quæstu adulterandam te tradas:* Bonum Sacramenti significat indissolubilitatem matrimonij, quæ repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia, & huic bono aduersatur ista conditio, *Contraho tecum ad septem annos, vel vsque ad obitum patris, &c.*; itá Rebell. *lib. 2. quæst. 11.* & alij. Bonum prolis, quod virtualitèr saltem debet intendi á contrahẽtibus, vel saltem negatiuè, idest ipsum non impedire per media illicita, vel per receptionem potus sterilitatis, &c., & huic bono aduersatur hæc conditio, *Cõtraho tecum, si partum impedias, &c.*

4 Conditio quinque modis potest adijci matrimonio: Primò, vt tempus, vt cum additur, *die crastina*: Secundò, vt modus per particulam, vt, *duco te, vt dites*: Tertiò, vt causam per particulam, *Quia*, vt *Duco te, quia pulchra es*: Quartò, demonstrationem per particulam, *Quæ*, vt *duco te, quæ pulchra es*: Quintò, vt conditionem per particulam, *Si*, *vt duco te, si parentes consenserint.*

5 Conditio turpis contrà substantiã, idest, quç aduersatur tribus præcipuè bonis, ir-

ritum facit matrimonium, si illi adiungatur, vt de futuro præstanda: Ratio, quia conditio contrà substantiam contractus destruit ipsum contractum. Matrimonium autem celebratum conditione turpi, non contrà substantiam matrimonij, validum est; ità Sanchez *lib. 5. disput. 15.* Henriquez *lib. 11. cap. 12.* Lessius *lib. 2. cap. 18. num. 122.* Valentia *tom. 4. qu. 3. pun. 3* & alij: Ratio, quia conditio turpis censetur pro non adiecta.

6 Matrimonium celebratum sub conditione honesta, validum est; ità Henriquez *lib. 11. cap. 12. num. 5.* Sanchez *loco citato disput. 6.* & alij: Ratio, quia adiecta conditione, nihil deest ad substantiam matrimonij, cùm adsit consensus mutuus de præsenti.

7 Conditio honesta est triplex, de præsenti, de præterito, & de futuro. Matrimoniũ celebratum sub conditione honesta de præsenti, vt *Contraho tecum, si filia Titij es, si virgo es, &c.*, validum est, si conditio sit vera; secùs verò si falsa; ità D. Thomas *in 4. dist. 29. quæst. vnica art. 3* D. Bonauent. *dist. 28. art. vnico quæst. 3.* & alij: Ratio, quia contractus ex contrahentium voluntate legem accipiunt Matrimonium celebratum sub conditione honesta in futurum, vt *Accipio te, si Pater tuus consenserit*, suspenditur vsque ad conditionis euentum; ea vero adueniente, perficitur matrimonium sine nouo cõsensu contrahentium; ità Nauar. *cap. 22. nu. 95* Sanchez *lib. 5. disput. 8. num. 5.* & alij: quod etiam dicendum est de matrimonio celebrato cum conditione impertinenti. De futuro, non est validum, antequàm verificetur conditio; validum verò ea verificata, & adimpleta: Ratio est, quia omnis cõditio iure non reprobata, potest applicari matrimonio, sed hæ conditiones impertinentes nullo iure reprobantur, ergò validè possunt apponi. Conditio impertinens est, *Ducam te in vxorem, si cognouero te benè morigeratam, &c.* vndè tale matrimonium non est validum ipso facto: fit tamen validum verificata conditione. Bonacin. *de matrimon. quæst. 2. punct. 10. num. 25.* Matrimonium celebratum sub conditione honesta de præterito, statim censetur validum: Ratio, quia conditio de præterito, censetur præsens.

8 Matrimonium contractum inter consanguineos, hac conditione, *Si Papa dispensauerit*, validum est, adimpleta conditione, seù adueniente dispensatione, quia contrahentes sub illa cõditione, non contrahunt pro tunc, sed pro tempore futuro, nimirùm pro tempore adimpletæ conditionis, quo tempore sunt habiles ad contrahendum; & ita Sanchez *lib. 5. disput. 5. num. 24.* Coninch. *disp. 29. num. 28.* & alij.

P A R A G. V.

Textus Sacrorum Canonum.

De conditionibus appositis.

S V M M A R I V M.

1 *In Ecclesia est potestas statuendi impedimenta matrimonij, &c.*

2 *Princeps infidelis suis subditis potest impedimenta matrimonij statuere.*

3 *An id possit facere Princeps Christianus.*

4 *Consuetudo, an vires habet inducendi nouum impedimentum.*

5 *Est peccatum mortale inire matrimonium cum impedimento, &c.*

6 *Modi, quibus matrimonium validè, sed illicitè contrahitur.*

7 *Impedimenta matrimonij quot sint.*

1 IN Ecclesia est potestas statuẽdi impedimenta matrimonij, tàm dirimentia, quã impedientia solùm, & quòd matrimoniũ alitèr factum, nullum, & irritum sit; quod duplicitès facere potest: Primò, declarando personas inhabiles ad alitèr contrahendum: Secundò, irritando contractum alitèr factum: in constitutione tamen impedimentorum, requiritur causa: Ratio, quia talis potestas concessa est Ecclesiæ in ædificationem, non autem ad destructionem; ad id autem requiritur iusta causa, & maior requiritur ad dirimendum, quàm solùm ad impediendum, quia sæpè aderit iusta causa impediendi, non autem dirimendi, quia dirimere grauius est, quàm impedire.

2 Potest Princeps suis subditis impedimẽta matrimonij statuere: Ratio, quia regia potestas instituta est ad bonum Reipublicæ, cuius est prouidere ea, quæ desiderantur ad hunc finem, cuiusmodi est impedimenta matrimonij statuere, & ideò matrimonium contractum inter infideles contra leges à suis Principibus latas dirimentes, nullum est.

3 Licèt, seclusis constitutionibus Ecclesiasticis, Princeps Christianus possit impedimenta suis subditis statuere ex iusta causa, vt docet S. Thomas *in 4. dist. 34. quæst. vnica art. 1.* Petrus Ledesma *quæst. 50. art. 1. dub. 1.* Petrus Sotus *de sacram. matrim. sect. 4.* Sanch. *lib. 7. disput. 3* & alij: Ratio, quia matrimoniũ humanus contractus est, in naturæ officiũ, & ad propagationem Communitatis institutus, qui proindè vt talis cõtractus, subiacet dispositioni Magistratus: Verumtamen ista potestas supra matrimonium illis ablata est ab Ecclesia, quia matrimoniũ non tantùm est contractus, sed etiam res spiritualis, & Sacramentum, suprà quod non se extendit potestas sæcularis, ità Pôt. *de matrim. lib. 7. cap. 2. num. 3.* & alij.

4 Consuetudo legitimè præscripta, ac rationi consona, vires habet inducendi nouum impedimẽtum, & proindè matrimonium aduersus eam consuetudinem initũ, erit nullum: nec ad eam inducendam requiritur consensus Pontificis, seù eius sciẽtia, sed eo ignorante, potest talis consuetudo legitimè præscribi, suumque operari effectum. Filliuc. *tract. 10. cap. 1. quæst. 5.* Sanch. *lib. 7. disp. 5. num. 1.* & alij.

5 Contrahere matrimonium, quod iure naturali, vel Ecclesiastico irritum, & prohibitum est, est peccatum mortale sacrilegij: Ratio, quia contrahentes, ritibus, ac nomine Sacramenti abutuntur cum maxima eius iniuria, & irreuerentia, nisi metus

tus grauis, & cadens in cōstantem vitum, coga aliquem in matrimonium inualidè consentire, quia talis non peccat, cùm nō habeat animum verè contrahendi, sciens, se absolutè, & efficacitèr contrahere non posse.

6 Sex sūt modi, quibus matrimonium validè, sed illicitè contrahitur: Primus, ex parte intentionis, quando quis non habēs animum contrahendi, ipsum simulat: Secundò, quando matrimonium non fit animo vtendi illo propter suum finem primarium, sed propter alios fines: Tertiò, contrahere cum impedimento dirimenti, est peccatum, licèt adsit spes dispensationis, cùm spes non auferat impedimentū: Quartò, cum matrimonium celebratur clandestinè, aut contrà iustam voluntatem parentum: Quintò, si non adhibeatur benedictio ante consummationem: Sextò, si celebretur temporibus prohibitis: Septimò, quando contrahens scit, se esse excommunicatum, aut in peccato mortali: Ratio, quia indignè suscipit Sacramentum; ità Reginald *lib.31 cap.10.*

7 Impedimenta, quę non solùm impediunt matrimoniū, sed etiā dirimunt. secundùm ius antiquū sūt duodecim, secūdū verò ius nouum sunt quatuordecim, nam Cōciliū Tridentinum duo addit, scilicèt raptum, & defectum præsentiæ Parochi, & testiū, quæ omnia his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis; si fortè coire nequibis;
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptavè sit mulier, nec parti reddita tutè,
Hæc facienda vetant, connubia facta retractant.

Quæ impedimenta dicuntur dirimētia, eo, quòd inualidè contrahatur cū illis. Quando autem iam contracto matrimonio superueniunt, illud non dirimunt. Quædam ex his impedimentis sunt de iure naturæ: alia de iure Ecclesiastico: alia reddunt personam inhabilem respectu cuiuscumque matrimonij: alia verò solùm cum aliqua persona; ità D. Thomas *in 4. disput.34. quæst. vnica art.1.* Valentia *tom.4. disp.10. quæst. 5. puncto 2.*

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Error duplicitèr potest contingere in matrimonio.*
2 *Qualitas in matrimonio quomodo apponatur.*
3 *Quando error versetur circà personam.*
4 *Error seruilis conditionis irritat matrimonium.*
5 *Qualis debeat esse error.*
6 *An sit validum matrimonium, quando liber contrahit cum serua.*
7 *Seruus potest contrahere matrimonium, inuito Domino.*
8 *Dominus an possit vendere seruum, &c.*
9 *Vir post contractum matrimonium potest se vēdere.*
10 *Quando Dominus per matrimonium censeatur eximere seruum à seruitute.*

1 Duplex error potest contingere in matrimonio. Vnus circà personam, cum qua contrahitur, quando est de facto alia ab ea, cum qua contrahens intendit contrahere: alter circà qualitatem, seu conditionem eiusdem personæ. Primus error, iure naturali, reddit irritum matrimoniū, siuè sit antecedens, siuè concomitans; ità Guttier. *cap. 47. num. 2.* Henriquez *lib.11. cap. 10. num.11.* Rebell. *lib.3. quæst. 2. num. 2.* etiamsi contrahens taliter affectus esset, vt in matrimonium ipsius consentisset, si ipsam cognouisset, quia non consentit de præsenti, sed solùm indicat intentionem, & voluntatem eius, quod facturus esset: Secundus error non irritat matrimonium, & si proueniat ex dolo alterius contrahentis, & det causam contractui; & ità communitèr Doctores: Ratio, quia cum errore qualitatis, matrimonium substantialitèr consistit.

2 Qualitas in matrimonio aliquando apponitur per modum conditionis, vt *Contraho tecum, si es pulchra, diues, &c.*, & tùnc non subsistente tali conditione, matrimonium est irritum, & nullum, cùm contrahens nō intendat se obligare, nisi sub conditione talis qualitatis, & aliquando error qualitatis redundat in errorem personæ, si videlicèt aliquis existimet, se cum alia contrahere, & non cum ea, quam extèrius accipit, & tùnc matrimonium est inualidum, ex defectu consensus absoluti cū erretur circà personam. Toletus *lib.7. cap.3.* Nauar. *cap. 22. num.32.* Guttier. *cap. 89. nu. 3.6. & 7.* & alij.

3 Tunc error versatur circà personam, quando ipsa respicit determinatam personam distinctam ab ea, quæ præsens est, vt si Maria contraxit matrimonum cum Titio, qui se fingebat filium Regis, sibi in mentem proposuit, vt in illum directè cōsensit; In hoc casu error qualitatis dicitur redundare in errorem personæ: & cōsequentèr matrimonium contractum est inualidum.

4 Error seruilis conditionis irritat matrimonium; ità *cap. 2. & 3. de Coniugio seruorum, & cap. si quis ingenuus 29. qu. 2.* Ratio, quia tale matrimoniū bonis matrimonij aduersatur, nimirùm bono Sacramenti, & indiuiduæ cohabitationi; cùm seruus debeat in domo Domini habitare, à quo potest mitti in partes longinquas ibi vendendus: secus verò dicendum, si seruitus sit ad tēpus: Ratio, quia isti censentur liberi; qui error, vt sit impedimentum dirimens matrimoniū, debet esse probabilis, & iustus, & ideò quilibet error etiam leuissimus probabilis seruitutis est sufficiens ad irritandum matrimonium.

5 Non omnis error conditionis dirimit matrimonium, sed solùm quando conditio errantis sit deterior, vt quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam: quando autem persona, cum qua contrahitur, est æqualis, aut melioris cōditionis, Matrimonium non est inualidū; ità Henriq. *lib.10. cap.10 nu.4.* Guttier. *cap 90. num.27 & 28.* Sanch. *lib.7 disp.10. num.23.* Ratio, quia in tali matrimonio nulli fit iniuria

quia, qui vult principale, vult etiam accessorium, & per consequens recipiens Ordines Sacros ante annos pubertatis tenetur seruare castitatem; cùm talis obligatio sit accessoria ad votum; ità Clauis Regia *lib.10.cap.5.num 9.* Coninch. *de Sacram. disp.20.dub.14.num.136.* Caietanus 2. 2. *qu.* 88. *art.9.* Sot. *de Iust.lib.7.art.5.* & alij.

P A R A G. VIII.
Textus Sacrorum Canonum. Qui Clerici, vel vouentes.

6 COgnatio carnalis, seù consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendētium carnali propagatione contractum; ità D. Thom. *in 4. dist.40.quest.vnic.* Sanchez *lib.7. disp.50.* Hæc cognatio distinguitur per gradus, & lineas. Linea dicitur ordinatio personarum ab vno stipite descendentium diuersos continens gradus quæ duplex est, vna recta, alia transuersalis, seù collateralis; Recta est illa, secundùm quam multæ personæ ità descendunt ab vno stipite mediatè, vel immeditè, vt vna sit genita ab altera, vt filius à Patre; & hæc linea vel est ascendentium, in qua continentur personæ, à quibus origo deducitur, vt Pater, Auus, Proauus, Atauus: Alia descendentium, quæ continet personas, quę trahunt originem ab eo stipite, vt filios, nepotes, pronepotes, &c. Linea collateralis est illa, secundùm quam multæ personæ ab vno stipite mediatè, vel immediatè procedunt, ipsæ tamen personæ à se inuicem non descendunt, vt sunt fratres & eorum filij, &c. Stipes est persona illa, à qua omnes personæ, de quarum coniunctione tractatur, descendunt, & originem ducunt; ità Guttier. *de Matrim.cap.98.nu.5.* Filliuc. *tract.10.cap.5.* Reginald. *lib.31.nu.140.* Sanchez *de Matrim.lib.7.disp.50. nu.2.* & alij.

7 Triplex regula assignatur à D. Thoma *in 4. dist.40. quest.1. art.2.* ad computandum gradus consanguinitatis. Prima in linea recta ascendentium, & descendentium, tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempta prima, scilicèt stipite, vt Auus ab Abauo differt vno gradu, quia dempta prima persona, nimirùm Abauo, remanet sola persona Aui. Secunda, in linea transuersa personæ distant inter se eo gradu, quo à communi stipite distant inter se, vt fratres primo gradu distant inter se, quia vno tantùm gradu distant à communi stipite. Consobrini verò secundo gradu distant inter se, quia secundo gradu distant à cōmuni stipite: Tertia, quoties personæ cōsanguineæ in linea transuersa distant inæqualitèr à communi stipite; vt Patruus, & filius ex fratre distant inæqualitèr ab Auo, in quo vniuntur; ille enim distat in primo gradu; hic verò in secundo, quia vnus est nepos, & alter filius.

P A R A G. IX.

S V M M A R I V M.

1 *Matrimonium in primo gradu, &c. iure naturæ est irritum.*
2 *In cæteris gradibus iure Ecclesiastico.*
3 *Cognatio spiritualis quid sit.*
4 *Quot gradus cognationis spiritualis.*
5 *Conditiones requisitæ ad contrahendam cognationem spiritualem.*
6 *Requiritur etiam contactus, & intentio, &c.*
7 *Qui per alium suscipit an contrahat cognationem.*

1 MAtrimonium contractum in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, iure naturæ est irritum: Ratio, quia maxima reuerentia debetur principijs per se, cui reuerentiæ repugnat actus matrimonialis, quia habet adiunctam quamdā turpitudinem oppositam reuerentiæ parentibus debitæ; ità Sanchez *lib. 7. disp.21. nu.6.* Em. Sà *verb. Matrimonij impedimenta n.7.* Item iure naturæ repugnat in primo gradu consanguinitatis lineæ transuersalis: Ratio, quia inter eos est pudor naturalis, cui aduersatur actus coniugalis.

2 In cæteris gradibus matrimonium contractum in linea recta ascendentium, & descendentium non est inualidum iure naturæ, sed tantùm Ecclesiastico: Ratio, quia ascendentes non habent rationem principij per se, respectu omnium descendentium, sed solùm respectu filiorum ab ipsis immediatè descendentium: Vndè matrimonium contractum ab infidelibus in secundo, tertio, &c. gradu lineæ rectę, validum est; vndè conuersi ad fidem nō sunt separandi. Sanchez *lib.7. disp.53 num.10.* Pontius *de Matrim.lib.7.cap. 37. nu.3.* Hurtadus *de Matrim.disp.17. diffic.5. num.12.* & alij. Dixi, sed tantùm iure Ecclesiastico, quia matrimonium celebratū intrà quatuor gradus inclusiuè, tàm in linea recta, quàm in linea transuersali, inualidum est de iure Ecclesiastico, *cap. Non debet de Consang.* Conc. Trident. *sess.24.de Matrim. can.3.* Tamen si duo consanguinei inæqualitèr distent à stipite, vt si alter distet vltrà quartum gradum; alter verò intra illū, possunt matrimonio copulari, quia tunc attenditur gradus consanguinitatis remotior, qui alterum gradum trahit, & per consequens, ambo conscribuntur consanguinei vltrà quatuor gradus.

P A R A G. X.
Text. Sacrorum Canonum. De consang. & affinit.

2 COgnatio spiritualis est propinquitas personarum, ex statuto Ecclesiæ cōsurgens, ex administratione, vel susceptione Sacramenti Baptismi, vel Confirmationis, *cap. de eo.* cap. *Si quis filiastram.* Cou. *2.par.cap.6.§ 4.* Guttier. *cap.100.* Filliuc. *2.par. tract.10.cap.5.num.188.* Reginald *lib.31.nu. 148.* & alij: Quæ cognatio non est de iure Diuino, sed tantùm Ecclesiastico.

4 Li-

4 Licèt antiquitùs plures essēt species cognationis; hodie, attento iure Conc. Tridentini *sess. 24. cap. 2.* duæ sunt tantùm Species cognationis spiritualis, nimirùm Paternitas, & Compaternitas. Paternitas contrahitur à baptizante cum baptizato, & similitèr à Confirmante cum Cōfirmato. Compaternitas contrahitur à baptizante cum Patre, & Matre baptizati, & inter parentes carnales baptizati cum Patrinis baptizati, & similitèr inter parentes Confirmati cum Confirmante, & Patrinus Confirmationis. Nauar. *cap. 22. num. 40.* Toletus *lib. 7. cap. 18.* & alij.

5 Ad contrahēdam cognationem in baptismo plura requiruntur; Primò, vt teneatur infans, dùm ministratur Sacramentum baptismi, vel confirmationis; in Baptismo, dum aqua infunditur; & in confirmatione, dum ab Episcopo vngitur: Vnde quando puer est domi baptizatus, & in Ecclesia supplentur solennitates, cognatio contrahitur ab eo, qui dum domi baptizatur, ipsum tenet, vel statim post Baptismum ipsū suscipit, quia iste est verus Baptismus: si vero Baptismus, qui domi ministratur, erit ab ijs, qui in casu necessitatis possunt baptizare, non cōtrahitur cognatio spiritualis; ità Sanchez *lib. 7. disp. 62. num. 14.* Ratio est, quia Ecclesia instituit susceptores in Baptismo solenni, non autem priuato. Sanch. *loc. cit.* Rodriq. *cap. 226.* & alij. Nisi fortè tenens, vel suscipiens habuerit intentionem fungendi officio Patrini, quia tunc contraheret cognationem spiritualem. Sotus *in 4. dist. 22. qu. 1. art. 2.* Baptizans semper cognationem spiritualem contrahit, siuè solennitèr, siuè priuatim, siuè à Sacerdote, siuè à Laico ministretur; ità Rebell. *lib. 3. qu. 16. num. 16.* & alij.

6 Ad contrahendam cognationem spiritualem requiritur cōtactus, vt suscipiēs, vel tenēs, verè suscipere, vel tenere dicat; & puer debet suscipi de manu baptizantis, statim ac baptizatus est; ità Henriq. *lib. 12. cap. 11. num. 3.* Reginald. *lib. 31. num. 151.* Requiritur etiam intentio expressa, vel tacita præstandi munus Patrini: Item requiritur ne adsit error personæ, quia intendens suscipere filium Petri, & est filius Pauli, nō contrahit cognationem; secus si intendat suscipere præsentem, quicumque sit. Syluest. *verb. Matrimonium 8. qu. 7.* Reginald. *num. 155.* & alij. Similitèr requiritur, quòd tenens, vel suscipiens sit baptizatus; alioqui non contrahit cognationem; & ità communitèr Doctores *in 4. dist. 42.*

7 Qui per alium, alium in Baptismo suscipit, contrahit ipse cognationem, non autem qui suscipit: Ratio primæ partis est, quia, qui per alium facit, per seipsum facere videtur: ità Abbas *in cap. Veniens nu. 4. de Cognat. spiritual.* Pluliare *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 11.* & alij. Ratio secundæ partis est, quia talis Procurator Patrinus non est, nec fuit designatus, sed loco Patrini designati; ità Syluest. *verb. Matrimonii 8 q. 7.* Em. Sà *de Impedimentis Matrimonij n. 5.*

PARAG. X.

Textus Sacrorum Canonum. De cognatione spirituali.

SVMMARIVM.

1 *Qui censeatur Patrinus, quando nullo designantur.*
2 *Item quando plures sunt designati à parentibus, &c.*
3 *Quis possit esse Patrinus.*
4 *An Hæreticus.*
5 *An etiam Religiosus.*
6 *Episcopus an possit dispensare, vt duo viri, &c. funguntur officio Patrini.*
7 *Baptizans filium, &c. an contrahat cognationem.*

1 QVando nulli designantur Patrini, omnes tangentes simul contrahunt cognationem, quia à iure antiquo recedendum non est, quando de iure nouo nihil est decretum, ità Nauar. *cap. 22. num. 39.* Reginald. *lib. 31. num. 152.* Henriquez *lib. 12. cap. 11. num. 3.* & alij. Si verò tangant successiuè, solus, qui primò tangit, contrahit cognationem, cum ille solus sit functus officio Patrini.

2 Quādo plures designati sūt à parētibus, vel ab alijs curam infantis habentibus, omnes contrahunt cognationem, modò tangant simul: Si autem tangant successiuè, solus primus, qui baptizatum suscipit: Quando plures designati sunt à parentibus, sed Parochus admittit solùm vnum, cognatio contrahitur tantùm ab ijs, qui fuerunt à Parocho admissi: Si verò nulli sint designati à parentibus, cognationē contrahunt desigati à Parocho.

3 Quicumque fidelis baptizatus, dummodò habeat vsum rationis necessarium ad peccatum mortale, potest esse legitimus Patrinus. Nō baptizatus, in Baptismo, neque non Confirmatus in Confirmatione, potest fungi officio Patrini; vt habetur *ex cap. in Baptismate, de Consecrat. dist. 4.* cuius verba sunt. *In Baptismate, vel in Confirmatione, non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus.*

4 Hæreticus potest esse Patrinus: Ratio, quia, cùm insignitus sit charactere Baptismatis, capax est huiusmodi cognationis tamquam subiectus Ecclesiæ.

5 Illicitum est Religiosis fungi officio Patrini: si tamen fungantur, sunt veri Patrini, quia *in cap. Monachi de Consecrat. dist. 4.* prohibentur solùm Monachi, qui solitudinem colunt; ità Coninch. *de Sacram. qu. 3. art. 7. nu. 66.* Camerot. *de Sacram. tract. 2. cap. 4. dub. 8.* & alij.

6 Episcopus non potest dispēsare, vt duo viri, vel duæ fœminæ fungantur officio Patrini: Ratio, quia inferior non potest dispensare in lege Superioris; at Episcopus est inferior Summo Pontifice, seu Cōcilio Tridentino, à quo lata est lex, circa Patrinos; Ergo in tali lege non potest dispensare.

7 Quando sponsus de futuro baptizat prolem susceptam ex sponsa in casu necessitatis, soluuntur sponsalia, etiamsi nesciat, suæ spōsæ prolē esse. Nauar. *c. 16. n. 34.*

Bap-

Baptizans filium propriæ Concubinæ, cũ ea contrahit cognationem spiritualẽ impedientem, & dirimentem matrimonium cum ipsa. Baptizans verò in casu necessitatis filium propriæ coniugis, nullum impedimenrum contrahit, siuè etiam fungatur officio Patrini. Nauar. *loco cit. nu.* 34.

P A R A G. XII.

S V M M A R I V M.

1 *Cognatio legalis quid sit.*
† *Quotuplex.*
2 *Adoptio quid sit.*
† *Quotuplex.*
3 *Requisita vt aliquis adoptare possit.*
4 *Cognatio legalis, &c. quomodo impediat matrimonium.*
5 *Adoptatus potest contrahere matrimonium cum filia illegitima, &c.*
6 *Cognatio legalis, &c. an impediat debiti petitionem.*
7 *Affinitas quid sit.*
8 *Linea affinitatis est duplex.*
9 *Requisita ad contrahendam affinitatem.*
10 *Quando non contrahatur affinitas.*
11 *In quo gradu dirimat matrimonium.*
12 *Affinitas, &c. duplicem parit effectum.*
13 *Ex matrimonio rato non oritur affinitas.*

1 COgnatio legalis est propinquitas personarũ ex adoptione proueniens, & † triplex à Doctoribus assignatur: Prima est inter adoptantem, & adoptatum, & descendentes adoptati, *Instit. de nuptijs §. ergò non omnes*: Secunda est lateralis inter adoptatũ, & filios carnales adoptantis: Tertia est per modum eiusdem legalis affinitatis inter adoptatum, & vxorem adoptantis, *ex leg. Adoptiuus ff. de ritu nuptiarum*, D. Thomas *in* 4. *dist.* 42 *art.* 1. Reginald. *lib.* 31. *num.* 162. Filliuc. 2. *par. tract.* 10. *cap.* 5. *num.* 198. & alij.

2 Adoptio est legitima extraneæ personæ in filium, vel nepotem assumptio, & duplex † est, vna perfecta, & altera imperfecta: Perfecta est, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis: Imperfecta est, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis. Conineh. *disput.* 32 *dub.* 3. *num.* 42. Reginaldus *num* 158. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 63. *num.* 2. & alij.

3 Vt aliquis possit adoptare, requiruntur hæ conditiones: Prima, vt adoptans sit sui iuris, & maior 25. annis: Secunda, vt adoptans non sit fœmina: Tertia, vt adoptans habeat potestatem naturalem ad generãdum; vndè gladio castrati adoptare possunt, quia ex accidenti sunt impotentes: Quarta, vt ita ætate excedat adoptatum, vt possit esse eius Pater; ità Sanchez *disp.* 63. *num.* 3. Syluest. *verbo Adoptio num.* 2. & alij.

4 Cognatio legalis impedit, & dirimit matrimonium inter adoptantem, & adoptatum vsque ad quartum gradum; inter vxorem adoptantis, & adoptatum, seù adoptatam; inter filios, & filias adoptantis, & adoptatum, seù adoptatam. Impedimẽtum inter filiam adoptãtis, & adoptatum, seù adoptatam, non est perpetuum, sed durat, quamdiù durat adoptio, & eo sublato, possunt inter se inire matrimonium: Impedimentum verò, quod oritur inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & adoptantem, est perpetuum, etiamsi prima adoptio sublata sit, ideſt dirimit vsque ad quartum gradũ.

5 Adoptatus potest contrahere matrimonium cum filia illegitima adoptantis, sicut adoptans potest contrahere cum filia filię adoptatæ. Nauar *cap.* 22. *num.* 45. & alij.

6 Cognatio legalis superueniens matrimonio iam contracto, non impedit petitionem debiti. Rosella *verbo Impedimentum num.* 16. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 63. *num.* 190.

7 Affinitas est propinquitas personarum proueniens ex carnali copula licita, vel illicita; ità Con. *in epitome par.* 2. *cap.* 6. §. 7. Nauar. *cap.* 22 *num.* 40. seù est propinquitas duarum personarum, quarum vna cum consanguinea alterius copulam habuit, & illi dicuntur affines, qui sunt consanguinei eius, quę fuit carnaliter cognita, & eius gradus numerantur, sicut gradus consanguinitatis.

8 Linea affinitatis est duplex, vna ascendentium, & altera descendentium: Ascendentes sunt Socer, Nouerca, &c.: Descendentes sunt Gener, Nurus, &c.: Item duplex est affinitas, vna, quæ oritur ex copula licita: altera ex copula illicita: Stipes in affinitate dicitur illa persona, quæ per copulam commiscetur.

9 Ad contrahendam affinitatem requiritur copula perfecta, in qua virile semen intrà vas fœmineum recipiatur, quia ratio, ob quã ex copula oritur affinitas, & quod per eam vir, & fœmina vna caro efficiuntur; at non efficiuntur vna caro, nisi per copulam perfectam; ergò, &c.; ità Em. Sà *de impedimentis num.* 53. Reginald. *lib.* 31. *num.* 147. Guttier. *de matrim. cap.* 37. *num.* 15. & alij.

10 Non contrahitur affinitas ex copula, in qua sola fœmina seminat, quia se sola nõ satis est ad prolis generationem: & licèt plures Doctores affirment ad contrahendam affinitatem necesse esse, quòd vir, & fœmina seminent, tamen probabilior est sententia eorum, qui dicũt, nullatenùs desiderari semen fœmineum, sed sufficere ad affinitatem, si vir intrà claustra pudoris fœminei seminet. Rodriq. 1. *par. cap.* 227. *num.* 1. Syluest. *verbo Matrimonium* 8. *quæst.* 55. Sanch. *disp.* 64. *num.* 21. & alij.

11 Affinitas contracta ex copula licita, iure Ecclesiastico dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum; ex copula illicita dirimit solummodò vsq; ad secundum gradum, *cap. de eo, qui cognouit*. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 19. Guttier. *de matrim. cap.* 87. *num.* 2. & 6.

12 Affinitas superueniens matrimonio cõtracto, duplicem parit effectũ: Primus est, vt coniux, qui commisit incæstum cum cõsanguinea alterius coniugis in primo, vel secundo gradu non possit ab ea petere debitum, quia priuatur iure petendi, ità *ex cap.* 1. *de eo, qui cognouit*; ità Sanchez *lib.* 7. *disput.* 15. Guttierez *de matrim. cap.* 87. *num* 2. & 6. si verò cognouit consanguineam in tertio, vel

vel quarto gradu, non priuatur iure petēdi, quia impedimentum petendi ex copula illicita oritur solùm ex primo, & secundo gradu: Secundus effectus est, vt coniux vouens non possit alium coniugem ducere, mortuo illo, quem de præsenti habet, *cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam.* Quòd si eo mortuo, aliam ducat, non potest petere debitum, nisi petat dispensationem; ità Azor. *3. par. lib. 3. cap. 20.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 11. num. 1.* & alij.

13 Affinitas propriè non oritur ex matrimonio rato, sed nondùm consummato, quia ex matrimonio rato non oritur affinitas, sed publica honestas, & ad contrahendam affinitatem, requiritur seminis emissio intrà vas fœmineum. Sanchez *loco citato.*

PARAG. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Quotuplex sit crimen, quod dirimit matrimonium.*
2 *Ad crimen homicidij quæ requirantur.*
3 *Item ad crimen adulterij.*
4 *Quando non contrahatur ob crimen homicidij impedimentum dirimens.*
5 *Occidens propriam vxorem, an validè possit cum alia contrahere.*
6 *Matrimonium baptizati cum non baptizato, an sit validum.*
7 *Item contractum inter catholicum, & hæreticum.*
8 *Causæ, quibus matrimonium dissolui potest.*
9 *Licitum est fideli conuerso transire ad religionem.*

1 DVplex est crimen, quod potest dirimere matrimonium, nimirùm adulteriū, & homicidiū: Adulteriū solùm non obstat matrimonio, *ex cap. Significasti, & cap. Si quis viuente 31.* sed requiritur adulterium cum machinatione mortis alterius coniugum, aut adulterium cum fide data de contrahendo matrimonio post mortem coniugis, vel cum matrimonio de præsenti facto cum adultera.

2 Ad homicidium etiam plura requiruntur: Primò, occisio alterius coniugis, ità *ex cap. 1. de conuers. infidel.* Henriquez *lib. 12. cap. 13.* Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 5. punct. 3.* Sanchez *lib. 7. disput. 78. num. 14.*: Item requiritur, quod occisio alterius coniugis fuerit facta animo contrahendi matrimonium: quòd si ex alio fine mors causata fuerit, crimen homicidij non erit impedimentum dirimens, & matrimonium contractum post occisionem erit validum: Item requiritur, quòd homicidium sit factum, vtroque machinante, quia homicidium, quod est solùm ab vno machinante, non est impedimentum dirimens, nisi coiunctum sit cum adulterio, *cap. Super hoc de eo, qui duxit in matrimonium.*

3 Adulterium coniunctum cum homicidio, vno machinante cum intentione cōtrahendi matrimonium, est impedimentū dirimens matrimonium, ità *cap. Si quis, cap. Præpositum, cap. Significasti,* & Sanchez *loco citato.* Adulterium coniunctum cum promissione futuri matrimonij est impedimentū dirimens ipsum *cap. Relatum 31. quæst. 1.* Toletus *lib. 7. cap. 10.* Sanchez *lib. 7. disp. 79.* Coninch. *disput. 31. dub. 5.* & alij. Verùm si promissio fuerit ficta, vel reuocata, in foro conscientiæ non inducit impedimentum, cū promissio ficta verè nō sit promissio, & ità Henriquez *lib. 11. cap. 14. num. 3.*: Item requiritur, quòd adulterium, & promissio sint simul, quia si promissio de matrimonio contrahendo erit facta ab adultero post mortem viri, non inducit impedimentùm.

4 Non contrahitur impedimentum dirimens, quando aliquis occidit coniugem suam, vel alterius, vt possit matrimonium contrahere cum altera, quæ non fuit particeps homicidij, vel adulterij: Item quando adulter occidit vxorem animo ducendi aliquam indeterminatam, modò non habeat intentionem ducendi illam, cum qua peccauit, licèt posteà mutata voluntate, illam ducat. Henriquez *lib. 12. cap. 14.* Sanchez *lib. 3. disput. 78* Rebell. *lib. 3. quæst. 8.*: nec quando quis occidit vxorem in flagranti crimine adulterij deprehēsam: Ratio, quia huiusmodi homicidium non imputatur tamquam crimen, cùm leges impunè permittant occidi coniugem à viro in adulterio deprehensam.

5 Qui occidit propriam vxorem, vt contrahat matrimonium cū adultera, potest validè matrimonium contrahere cum altera: Ratio, quia hoc impedimentum inductum est solùm, nè matrimonium contrahatur cum adultera; ità Sanchez *disput. 78. num. 31.* licèt occidens contrahat impediméntum impediens.

6 Matrimonium baptizati cum non baptizato, licèt iure naturæ sit validum, tamē iure Ecclesiastico est irritum, & ità communitèr Doctores: Ratio primę partis est, quia adsunt in eo omnia requisita ad matrimonium, tùm quia si conuertantur, matrimonium non soluitur, est tamen illicitū ob periculum peruersionis.

7 Matrimonium contractum inter Catholicum, & hæreticam est validum, cùm nullo iure irritetur; tùm etiam, quia non datur cultus disparitas, cùm sint baptizati.

8 Plures sunt causæ, quibus matrimoniū potest dissolui inter infideles contractum: Prima est, cum infidelis non vult habitare cum coniuge fideli ad fidem conuersa: Secunda, licèt velit habitare, tamen non habitat, nisi cum iniuria Creatoris, & fidei susceptæ à fideli; quod contingit, quando infidelis compellit fidelem ad peccatum, vel quando infidelis non vult nomen Dei, aut Christi audire, nisi cum despectu, vel quando nomen Dei blasphemat; ità Henriquez *lib. 12. cap. 13.* Sanchez *disput. 73. num. 3.* Valentia *tom. 4. disput. 10. quæst. 1. punct. 7.* & alij.

9 Licitum est fideli conuerso transire ad Religionem, vel Ordines suscipere, aut votum castitatis emittere, quoties infidelis monitus conuerti renuit, licèt habitare velit absque Creatoris contumelia, & sine pertractione ad peccatum, & quidem per

pro-

professionem in Religione matrimonium dissoluitur, etiamsi sit consummatum; Per Ordines autem sacros, & simplex votum castitatis non dissoluitur; Verùm coniux conuersus, qui suscepit sacros Ordines, nō est restituendus alteri coniugi, qui conuertitur, postquam fidelis initiatus est Ordinibus sacris; ità D. Thomas *in 4. dispu. 39. quæst. 1. art 5.* Henriq. *lib. 11. cap. 17. nu. 8.* Sanch. *disput. 76.* & alij.

PARAG. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium metu celebratum an sit validum.*
2 *Metus dupliciter potest incuti.*
3 *Quando matrimonium metu celebratum sit validū.*
4 *Metum esse à quo debeat incuti.*
5 *Matrimonium metu celebratum est inualidum, etiā adiuncto iuramento.*
6 *Nullus potest cogi ad matrimonium.*
7 *Filius in matrimonio debet consulere parentes.*
8 *Ligamen quid sit.*
9 *Ut coniux superstes possit cum alio contrahere, quid requiratur.*
10 *Mors coniugis non probatur per vnum testem.*

1 MAtrimonium celebratum per metū grauem, seù cadentem in constantem virum, iure Ecclesiastico est inualidū, modò metus sit iniustè incussus à causa libera ad extorquendum cōsensum; ex quo patet, per metum leuem iure Ecclesiastico non reddi matrimonium inualidum, quia in iure non habetur ratio metus leuis, nisi tollat omninò consensum, quia tunc tale matrimonium irritum esset in conscientia, cùm ad matrimonij validitatem requiratur consensus, *cap. Veniens 2. de sponsal. cap. 2. de eo, qui duxit.* Nauar. *cap. 22. num. 50.* Toletus *lib 7. cap. 12* Reginaldus *lib. 31. num. 76. & 78.* & alij. Metus cadens in cōstantem virum est ille, quo eligitur minus malum ad euitandum maius, vt est metus mortis, mutilationis, atrocis, cruciatus, carcerationis, diuturni exilij, seruitutis, stupri, amissionis status honorifici, omnium bonorum, vel saltem magnæ partis, vel rei pretiosæ: Metus infamiæ tàm iuris, quàm facti; & etiam metus iniustæ excommunicationis, & nō solùm quando imminet nobis aliquod ex his malis; verùm etiam quando imminet consanguineis, affinibus, vel amicis; ità Henriquez *lib. 11. cap. 9.* Sanchez *lib. 4 disp. 4.* Less. *lib. 2. cap. 17. dub. 2.* Rebell. *lib. 2. quæst. 4. nu. 3.* & alij.

2 Metus dupliciter potest incuti ab extrinseco, idest ab homine iustè, & iniustè: Item ad hunc effectum, & non ad hunc effectum, vt v.g. si Pater minetur Titio stupratori mortem, nisi ducat filiā, quam promissione futuri matrimonij stuprauit, metus censetur iustè incussus, & matrimonium celebratum cum tali metu erit validum: si verò voluntariè filia consensit, matrimonium cum tali metu celebratum, non censetur validum, cùm non videatur metus iustè incussus; quia stuprator virginis consentientis regulariter non tenetur illam ducere, nisi alius titulus adsit.

3 Quando metus incutitur à causa libera, non ad hunc effectum, vt matrimonium ineatur, sed ob aliam causam, matrimonium cum tali metu celebratum est validum: Ratio, quia adest sufficiens voluntarium ad matrimonium, quod spontè eligitur, & est gratum contrahenti.

4 Vt metus cadens in constantem virum inualidet matrimonium, non est necesse, vt incutiatur ab altero contrahente, sed satis est, si incutiatur ab alio, absque scientia, & culpa contrahentis. Guttierez *cap. 7. num. 12.* Sanch. *lib. 4. disp. 12. nu. 19.* & alij.

5 Matrimonium celebratum cum metu cadente in cōstantem virum à directo iuramento, est inualidum, quia per iuramētum non suppletur defectus consensus requisiti ad matrimonium.

6 Ad matrimonium contrahendum nullus potest cogi; nec Princeps, tàm Ecclesiasticus, quàm sæcularis potest cogere quempiam, vt inuitus matrimoniū ineat; nec parentes possunt cogere filios ad tale matrimonium, licèt possint illis suadere: Ratio primæ partis est, quia in matrimonio est quasi seruitus perpetua, & homo non potest compelli ad talem seruitutem; ità Sanchez *disput. 22. num. 4.*: Ratio secundæ partis est, quia suadendo illis, non faciunt iniuriam, cùm non tollant libertatem in ordine ad matrimoniū: Posita iusta causa, matrimoniū pōt impediri cū certa persona, vel quia esset inæqualis, & indigna, &c. Ratio, quia absolutè non impeditur inire matrimonium, sed solùm cùm tali persona, vtpotè inæquali, & indigna, &c.

7 Licèt filius regulariter non teneatur sequi voluntatem parentum in matrimonio, tamen tenetur eos consulere; non tamen tenetur sequi eorum consilium, cùm in isto casu filij non subijciantur parentibus, atque ità Abbas *cap. 1. de sponsal. impuberum,* Hostiensis *in sum. tit. de sponsal. §. qualiter contrahent. num. 7.* Con. *de matrim. 2. par. cap. 3. §. 8. num. 1.* & alij.

8 Ligamen est vinculum prioris matrimonij, siuè rati, siuè consummati, quo sequēs matrimonium, etiam consummatum dirimitur, ità Henriquez *lib. 11. cap. 16. num. 2.* & alij communitèr; Vndè ligamen dirimit subsequens matrimonium iure naturali, Diuino, & Canonico, quia Polygamia repugnat paci, & gubernationi domus; repugnat etiam sociali cohabitationi: Itē pluralitas virorum respectu vnius Vxoris interdicta est iure naturæ: Ratio, quia aduersatur fini primario matrimonij, qui est prolis generatio, nam nasceretur incerta proles, & impediretur generatio cum cōmixtione multorum seminum.

9 Vt coniux superstes possit cum alio matrimonium contrahere, requiritur certitudo moralis de morte alterius coniugis, quanta iudicio prudentum sufficit ad credēdum priorem coniugem esse mortuum. Vxor, quę credens, priorem virū esse mortuum, contraxit matrimonium cum secū-

do,

do, tenetur ab ipso recedere, postquàm cognouit, priorem virum superstitem esse, alioquin exponeret se periculo adulterij: Si verò non nouit certò, priorem virum superstitem esse, sed tantummodò dubitat, non potest, existente dubio, debitũ petere, tenetur tamen reddere, quia alter coniux habet ius petendi, nec tenetur credere cõiugi reputanti inualidum esse matrimonium, nisi dubitans ità probet, vt alter propter eius motiua, & probationes teneatur credere.

10 Mors vnius coniugis non sufficientèr probatur per vnum testem, nisi adsint aliæ coniecturæ, vel nisi coniux mortuus sit in loco ità distante, vt nõ possit habere alias probationes. In foro conscientiæ, mulier, quæ certò scit, priorem coniugẽ esse mortuum, secluso scandalo, quamuis eius mortem probare non possit, potest denuò contrahere; ità Rebell. 2. *par. lib.* 3. *quæst.* 13. Guttierez *cap.* 31. & alij: Ratio, quia cessat periculum adulterij.

P A R A G R. XV.

Textus Sacrorum Canonum.

De eo, qui coniugem duxit.

S V M M A R I V M.

1 *Honestas quid sit.*
2 *Ex sponsalibus conditionatis non oritur impedimentum honestatis.*
3 *Sed ex sponsalibus certis, & validis.*
4 *Vsque ad quem gradum dirimat.*
5 *Impotentia perpetua dirimit matrimonium.*
6 *Est duplex.*
7 *Oritur ex triplici capite.*
8 *Quo iure dirimat matrimonium.*
9 *Matrimonium contractum cum fœmina arcta, an sit inualidum.*
10 *Impotentia accidentalis non obstat matrimonio.*
† *Carens testibus non potest nubere.*
11 *Matrimonium inter steriles validum.*

1 Honestas est propinquitas ex sponsalibus certis, & validis proueniens ex statuto Ecclesiæ ob honestatem, & decentiam: Dixi, statuto Ecclesiæ, quia non oritur iure naturæ; ita D. Thomas *in* 4. *dist.* 41. *quæst.* 1. *art.* 2. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 126. Filliucius *tract.* 10. *num.* 220. Guttierez *cap.* 103. *num.* 5. & alij.

2 Ex sponsalibus conditionatis non oritur impedimentum publicæ honestatis ante conditionis euentum: Ratio, quia conditio suspendit consensum vsque ad eius euentum, & sponsalia facta sub conditione, non cẽsentur valida, nisi adimpleta cõditione; ità Henriquez *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 2. Rodriquez *cap.* 233. Sanchez *disput.* 69. & alij.

3 Oritur hoc impedimentum ex sponsalibus certis, & validis, & ex matrimonio rato, irrito ex quacumque causa, modò non sit ex defectu consensus; ità colligitur *ex cap. Sponsu, & ex cap. Ad audientiam de sponsalibus*, & hoc impedimentum est perpetuum; ità vt nec morte alterius sponsi extinguatur, & multò minùs quando sponsalia dissoluuntur mutuo consensu contrahentium: Ratio, quia impedimenta matrimonij nõ dependent à voluntate cõtrahentium, sed ab Ecclesia, quæ constituit, vt impedimentum publicæ honestatis consurgat ex spõsalibus validis, *cap. Sponsam, & cap. Si quis desponsauerit* 27. *quæst.* 1.

4 Impedimentum publicæ honestatis dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum, quando consurgit ex matrimonio rato, etiam inualido sic declarauit Pius V. *In motu proprio*, qui incipit *Ad Romanum spectat*, & ità Sanchez *lib.* 7. *disput.* 70. Rodriquez *cap.* 234. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 12. & alij: Si vero consurgat ex sponsalibus certis, & validis, dirimit solùm matrimonium in primo gradu; ità Sanchez *disput.* 68. Guttier. *de matrimon. cap.* 103. Perez *de impedimento publicæ honestatis*, Reginaldus *lib.* 31. & alij. Dixi, ex sponsalibus certis, &c., quia ex sponsalibus incertis non oritur impedimentum publicæ honestatis.

5 Impotentia perpetua, quæ arte humana remoueri non potest, aut sine probabili periculo animæ, aut corporis, dirimit matrimonium, *cap. Fraternitatis, de frigidis, & maleficiatis*, Nauarr. *cap.* 22. *nu.* 69. Em. Sà *de impedimento num.* 17. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 98. & alij: Ratio, quia matrimonium frustraretur suo fine, qui est procreatio prolis.

6 Impotentia est duplex; vna perpetua, & altera temporalis: Impotentia perpetua est, quæ nulla arte potest remoueri; licèt Arte magica, &c. possit: Impotentia temporalis est, quæ arte humana, vel medicamẽtis potest auferri: Item impotentia perpetua, quædam est absoluta, respectu omnium personarum, alia respectiua, respectu solùm alicuius personæ.

7 Ex triplici capite oritur impotẽtia perpetua: Primò, ex arctitudine fœminæ, vt nullo modo possit à viro cognosci: Secundò, ex frigiditate, vt quando per frigiditatem copula non possit perfectè haberi: Tertiò, ex maleficio perpetuo ad impediẽdum congressum, & copulam maritalem, & tũc maleficium potest dici perpetuum, quando coniuges post expectationẽ triennij post matrimonium contractũ non possunt habere copulam, adhibitis remedijs, tàm spiritualibus, quàm temporalibus pro maleficio amouendo, *cap. Laudabilem, de frigidis, & maleficiatis.*

8 Impotentia absoluta, & respectiua dirimit matrimonium, si sit antecedens, non solùm iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturæ; ità communitèr Doctores: quòd iure Canonico dirimat, patet *ex cap. Quod sedem de frigidis, & maleficiatis*: quod etiam iure naturæ dirimat, patet etiam, quia contrahentes per impotentiam non possunt fieri vna caro: Impotentia subsequens matrimonium, non dirimit ipsum: Ratio, quia sic importat indissolubilitas matrimonij.

9 Matrimonium contractum cum fœmina arcta, quæ per incisionem periculosam potest fieri apta, est inualidum, si incisio non possit fieri absque vitæ periculo, etiãsi

mulier

mulier parata sit subire illud periculum; ità Sanchez *lib. 7. disput 93 num 10*, secùs verò si incisionem pati potest absque vitæ periculo, quia tunc huiusmodi matrimonium non censetur celebratum cum impotentia perpetua.

10 Quando impotentia accidentalis tantū est, vt si ex sola senectute proueniat, matrimonio non obstat, quia senex semper retinet intrinsecam potentiam seminādi, quæ tantùm per accidens, idest per senectutem impeditur. Quando testes abscissi

† sunt, matrimonio obest, itaut matrimonium sit irritum, si contrahens vtroque teste careat: Ratio, quia licet possit penetrare vas, non tamen potest seminare; & ideo mulier non potest effici mater, nec contrahentes possunt effici vna caro, idest principium vnius carnis; hi enim Eunuchi nequeūt verum semen emittere.

11 Matrimonium contractum inter steriles validum est vtroque iure, nam inter eos intercedit vera copula apta ex sua natura ad generationem; ità Henriq *lib. 11. cap. 7. num* 4. Reginald *lib. 31. num* 103. Sanch. *disp.* 92 *&* 108. Bonacina *de Matrim. quæst. 3. punct.* 13. *num* 17. & alij.

PARAGR. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium celebratum ante legitimam ætatem est irritum.*
2 *Matrimonium contractum à decrepito an sit validū.*
3 *Triennalis probatio quomodo requiratur.*
4 *In quibus casibus audienda sit mulier, quæ ab initio non proclamauit.*
5 *Matrimonium impotentis est inualidum.*
6 *Infirmi tēpore matrimonij habiles sūt ad matrimoniū.*
7 *Quando non sit licita copula coniugalis.*
8 *Coniuges, quibus constat adesse impotentiam, &c. non possunt petere, & debitum.*
† *An possint permitti simul habitare.*
† *Triennium experientiæ quando incipiat.*

1 MAtrimonium celebratum ante legitimam ætatem, irritum est iure Ecclesiastico, nimirum in viro ante decimūquartum annū completum; ita *cap Continebatur de desponsat impuber.* cap. *Ex litteris.* In fœmina vero est annorum 12. Quod verò sit solum iure Ecclesiastico irritum, patet, quia impotentia temporalis, iure naturæ non dirimit matrimonium, & talis est impotentia impuberū: iure naturę esset validum, si impuberes essent doli capaces; ita S. Thom *dist. 36 quæst vnic. art* 5 Nauar. *cons* 39. *de Desponsat. impuberum*, & alij

2 Matrimonium contractum à sene decrepito, qui aliqua arte iuuari potest ad consummationē matrimonij validum est: secùs verò, si nullatenus possit iuuari, quia tunc censetur omnino impotens.

3 Requiritur triennalis probatio, quando vterque coniux fatetur impotentiam, quia talis confessio non aufert necessitatem triennalis probationis, quando impotentia certa non est, sed mulier affirmat, adesse impedimentum, negante viro; si proclamāt initio matrimonij, vt post mensem, vel bimestre, audienda est, & si impotentia probetur per iudicium, matrimonium dissoluitur; si vero non proclamauit initio, sed post annum, aut dimidium, audienda non est amplius, sed habenda fides viro dicenti, se consūmasse.

4 In istis casibus audienda est mulier, etiā si ab initio anni non proclamauerit; Primò si per certa signa, vxor ostenderet viri impotentiam; Secundo si per inspectionē ostenderet se virginem, nec cognitam à viro, *cap. Proposuisti de probationibus.* Syluest. *verb. Matrimonium 8. quæst.* 18. *num* 21. & alij. Tertio si post triennium proclamet, tunc enim si per aspectum probet se virginem, & accedat iuramentum septimæ manus propinquorum, hoc est, vt cuiuslibet cōiugis septem consanguinei iurent, se credere, quòd coniuges verum dicant: deficientibus autem septem consanguineis, assumi debent septem vicini cuiuslibet cōiugis, qui sunt bonæ famæ, si tot haberi non possint, sufficiant pauciores, arbitrio Iudicis: Quarto si mulier asserat se cognitam à viro, potius illi credendum est, quā viro neganti, & quod dicitur de fœmina proclamante contra virum, dicitur etiā de viro reclamante contra fœminam ratione arctitudinis.

5 Matrimonium contractum cum viro impotente est irritum: Ratio, quia corpus non censetur subiectum capax matrimonij. Quando vero matrimonium fuit bona fide contractum, & postea detecta fuit impotentia, possunt simul ad totam vitā societatem permanere tamquam frater, & soror, quia id expresè colligitur *ex cap Consulit & cap Laudabilem, de frigidis, & maleficiatis*, & ex alijs iuribus citatis à Sanch. *lib. 7. disp* 97. *num* 4. Verùm his non licent actus, qui solum interdicuntur, & ita Sor.

1 *in 4. dist. 35 qu vnic* Nauar. *lib 4 tit de frigid & maleficiat.* ☩

† Henriq. *lib 11 de Matrim cap 7 n. 7.* Petr. Ledesma *de Matrim. qu. 58 partic. 1. dub. 3.* & alij. Quandò vero incontinenter viuunt, nullo modo sunt permittendi simul habitare, vt constat ex motu Sixti V. circà Eunuchorum matrimonia, & quia talis habitatio est semper periculosa principaliter, si sint iuuenes, ideo non facile debēt permitti simul habitare.

6 Infirmi existētes tēpore matrimonij quāuis non possunt simul coire, habiles tamen sunt ad matrimonium, & ita communitèr Doctores, quia eorum impotētia non cēsetur perpetua, & quamuis duret vsque ad mortem; id contingit per accidens ex defectu subiecti: quod si accidat, ipsam generandi potentiam vi morbi secundùm se destructam esse; itaut nulla humana arte restaurari possit, tunc matrimonium validè contrahi non potest; & ità Layman. *tract 10 de impedimentis matrim. part 4 cap. 11 n 6.*

7 Quando vir post contractum matrimonium in eam impotentiam incidit, vt intra vas fœmineum seminare non possit ob imbecillitatem, vel ob aliū morbum, nequaquam licitus erit coniugalis accessus

cum hoc periculo, quia copula coniugalis solùm licita est intrà vas fœmineum: licita tamen sunt his coniugibus; oscula, tactus, &c. nisi periculum pollutionis adsit, vbi autem probabilis spes esset seminandi intra vas, licitum esset ad id conari, quamuis per accidens, ac præter intentionem, extra vas semen effundatur; ità Caietanus 2.2. qu.154 artic.1. Sotus in 4. dist. 34. art.2. Henriq. lib.11. cap. 15. nu.4. Nauar. cap.22. num.60. & alij.

8 Coniuges, quibus constat, ad esse impotentiam perpetuam nō possunt petere debitum, nec reddere, nec possunt delectari tangēdo, osculando, &c. quia hi actus sunt actus coniugales; qui non possunt exerceri, existente matrimonio inualido. Quando autē non constat, adesse impotētiam perpetuam, sed tantummodò dubitatur; permittuntur coniuges simul habitare per triennium, vt matrimonium consummetur; quo tēpore si nequeant consūmare, facienda est separatio, propter periculum incontinentiæ; secluso verò periculo incontinentiæ, possunt simul permitti habitare vt frater, & soror; vt conceditur in cap. Consultationi. & cap. Laudabilem, de frigid. &c. Triennium autem experientiæ ad consummandū incipit à die copulæ attētatæ, quādo impotētia prouenit ex frigiditate, aut maleficio; quādo verò prouenit ex arctatione, incipit quando incipiunt remedia adhiberi. Reginald. nu.107. Sanch. disp. 110. Non tamen opus est, vt triennium sit continuum mathematicè, sed morali modo accipi debet.

PARAG. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Hermaphroditus quomodo possit contrahere matrimonium?*
2 *Parochus quando possit assistere matrimonio Hermaphroditi.*
3 *Matrimonium contractum sine Parocho, &c. est inualidum.*
4 *Validum est Matrimonium mulieris, quæ sine mortis periculo parere non potest.*
5 *Matrimonium Eunuchorum num possit esse validum.*

1 Hermaphroditus, in quo sexus est æqualis, & neuter præualet, potest eligere sexum, quem ipse voluerit; Vndè si præualet sexus virilis, potest matrimonium contrahere cum fœmina, si præualet sexus fœmineus, potest contrahere matrimonium cum viro: quod si vterque sexus sit æqualis, facta semel electione sexus; & contracto matrimonio iuxtà illum sexum, mortuo coniuge, non potest mutare electionem, & secundum aliū sexū contrahere, & si id faceret peccaret mortaliter; ità Gutier. cap. 119. Sanch. lib.7. disp. 106. Coninch. disp.31. num.89. & alij.

2 Parochus licitè possit assistere matrimonio Hermaphroditi, qui contrahit iuxtà sexum præualentem, non tamen debet assistere matrimonio Hermaphroditi, in quo vterque sexus est æqualis, donec Hermaphroditus coram Iudice Ecclesiastico protestatus sit cum iuramento, quem sexū sequi velit; ità Auctores citati: Maiol. lib.5. de irregularitate cap.7. num.16. & alij.

3 Matrimonium contractum sine Parocho, & testibus, est inualidum iure Ecclesiastico; & ità communiter Doctores. Ratio, colligitur ex Tridentino.

4 Validum est matrimonium mulieris, quæ sine mortis periculo parere non potest: Ratio, quia in isto requiruntur omnia requisita ad matrimoniū; in eo enim requiritur obligatio, & traditio corporum ad perfectā copulam, & cessabit saltem tempore senectutis tale periculum: Ideoque cùm non sit perpetua talis impotentia, non dirimit matrimonium; impotentia enim pariendi absque vitæ periculo, tamquàm quid posteriùs ipsa matrimonia essentia, illud vitiare nequit; ità Henriq. lib.11. de Matrim. cap.7. num.8. Filliuc. tract.10. part.2. num.65. Sanch. de Matrim. lib.7. disp.92. & alij. Item matrimonium fœminæ, quæ semper parit filios mortuos, validum est, propter rationem suprà allatā. Item est validum matrimonium cum leproso, quamuis si periculum ægritudinis recipiendæ in congrediendo, nihilominus adest potentia congrediendi; ità cap. 2. de coniug. lepros.

5 Matrimonium Eunuchorum vtroque teste carentium, vt supra dictum fuit, est inualidum: Ratio, quia verū semen emittere non possunt in ordine ad generationem; qui verò carent tantùm vno teste, validè cōtrahere possunt; ità Sanch. lib. 7. disp.92. num.17. Henriq. lib.11. cap.8. num.1. Reginald. lib.31. num. 102. & alij.

PARAG. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Impedimenta impedientia quot sint.*
† *Quod sit primum.*
2 *Secundum.*
3 *Tertium.*
4 *Quartum.*
5 *Quintum.*
6 *Peccat mortaliter contrahens cum habente votum castitatis.*
7 *Habens votum castitatis, qui defloravit virginem, tenetur eam ducere.*
8 *An qui post votum ingrediendi Religionem, &c. contraxit matrimonium, possit petere, &c. debitum.*

1 † Impedimenta impedientia matrimoniū sunt sex: Primum est Interdictum, & est quædam prohibitio, qua certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Ecclesia; ità ex cap. Non licet. cap. Nec vxorē 33. qu.1. & cap Capellanus de feriis. Et ideò cōtrahens matrimonium tali tempore sine licentia, peccat mortaliter, quia facit cōtrà legem Ecclesiasticam in materia graui; ita Nauar. cap. 22. num 68. Syluest. verb. Matrimonium qu.1. Reginald. lib. 31. num. 189. & alij. Matrimonium tamen est validum, etiam si contrahatur à personis specialiter interdictis, cùm nullo iure reddatur

irri-

irritum, Benedictiones matrimoniales, tempore Interdicti, fieri possunt, modò coniugati habeant priuilegium assistendi Diuinis Officijs; ità *ex cap. Alma Mater*, cùm benedictiones matrimoniales veniant nomine Diuini officij, ità Couar. *in cap. citat.* Henriq. *lib* 11. *cap.* 44. *num.* 1, & alij.

2 Secundum impedimentum sunt Feriæ, v. g. Aduentus, & Quadragesima, quibus diebus prohibentur matrimonia fieri; ità Sanch. *lib.* 7. *disp.* 7. *nu.* 2. Reginald. *lib* 31. *nu.* 188. Nauar. *cap.* 22. *num* 68. Coninch. *disp.* 30. *num.* 23 Henriq. *lib.* 12. *cap.* 16. *num.* 2. & alij. Et talis prohibitio facta est in veneratione illorum dierum, ad quos ritè celebrãdos, luctu, orationibus, &c. disponi fideles æquum est: Item his temporibus prohibetur solennis traductio sponsæ in domũ viri, & conuiuia solennitèr facere; non autem traductio sine solennitate: Ratio, quia nimia meuris euagatio, dedecens illis tẽporibus, minimè reperitur in traductione absque solennitate; Tùm etiam, quia si non posset sponsa his temporibus traduci, frustrà fierent matrimonia; & ità Goffred. *in sum. tit. de Matrimonio contracto contra Interdict. Ecclesia n.* 3. Ang. *verb. Matrimoniũ* 3. *impediment.* 2. Nauar. *in Sum. cap.* 22, & alij.

PARAG. XIX.
Text. Sacrorum Canonum, De Matr. contr. temp. Interdicti.

3 TErtium impedimẽtũ impediens matrimonium est Cathechismus: Ratio, quia ex Cathechismo oritur quædam imperfecta cognatio spiritualis ex eo, quòd quis puerum baptizandum teneat: Quod impedimentũ censetur sublatum per Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 2.

4 Impedimentum quartum non dirimens, sunt sponsalia priùs celebrata cũ alia persona, quæ impediunt contrahi præterquã cum ea, cum qua fuerunt celebrata sponsalia.

5 Quintum impedimentum est votũ simplex castitatis, vel ingrediendæ Religionis, vel suscipiendi Ordines Sacros, vel non nubendi; & ità Reginald. *lib.* 31. *cap.* 24. *num.* 184. Sanch. *lib* 3. *disp.* 11. *num.* 4. Pontius *de impedimentis impedientib. lib.* 6. *cap.* 12. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 175. Ratio, quia res promissa impedit dominij translationem in alterum; at per votum vouẽns promittit seruare corpus castum, & per matrimonium transfertur dominium corporis in coniugem; ergò, &c. Quòd verò solũ impediat, & non dirimat, patet, quia vouens voto simplici, promittit quidem rem, sed eiusdem non abdicat à se dominium: Ideò licèt impediat licitam translationem in alterum, non tamen eam irritam facit. Filliuc. *tract.* 10. 2. *part. cap.* 9. *quæst.* 4. Nauar. *cap.* 22. *num.* 74. & alij.

6 Contrahens matrimonium cum habẽte votum perpetuæ castitatis, &c. peccat mortalitèr, quia scientèr cooperatur peccato alterius; ità Sanch. *lib.* 2. *disp.* 11. *nu.* 11. Sicut etiam peccat mortalitèr habens votum castitatis, Religionis, &c. quia contrahit matrimonium animo ingrediendi Religionem, antequã ipsum consummet: Ratio, quia facit grauem iniuriam alteri coniugi; cogeretur enim eius professionem expectare. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 43. *num.* 7. & alij.

7 Qui priùs votum castitatis emisit, deindè virginem deflorauit, promissione matrimonij, tenetur ipsam defloratam ducere, & non ingredi Religionem, si puella votum ignorauit: Ratio, quia votum Religionis factũ est illicitum, quia nõ potest ingredi Religionẽ, nisi cũ iniuria, & damno puellæ: Tùm etiam, quia vinculum Iustitiç fortiùs est vinculo charitatis, seù Religionis; ità Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 4. *num.* 32. & alij, nisi illa consentiat.

8 Licèt is, qui cum voto simplicis continẽtiæ inijt matrimonium, non possit petere debitum ante impetratam dispensationẽ; non ità, qui post votum ingrediendi Religionem, ac profitendi, matrimonium contraxit, & consummauit; talis enim potest petere, & reddere, cum nondùm sit adstrictus voto castitatis, sed solùm habeat votum de vouenda castitate solennitèr, à cuius voti explectione impeditus est, donec matrimonium soluatur. Nauar. *lib.* 3. *consil.* 17. *de Voto.* Sanch. *lib.* 9. *disp.* 33. *nu.* 14. & alij.

PARAG. XX.

SVMMARIVM.

1 *Sextum impedimentum matrimonij.*
† *Multiplex est.*
2 *Secundum, est raptus.*
3 *Qualis debeat esse raptus.*
4 *Tertium est vxoricidium.*
5 *Quartum, Presbytericidium.*
6 *Susceptio proprij filij, &c.*
7 *Pœnitentia publica.*
8 *Contrahens matrimonium cum Moniali, &c.*
9 *An peccet, qui contrahit matrimonium cum dictis impedimentis.*
10 *Confessarius an teneatur admonere Pœnitentem de impedimentis.*

1 SExtum impedimentum impediens matrimonium est crimen, sub quo septem continentur crimina; Primum est Incæstus, copula scilicèt habita cum consanguinea, vel, &c. vsque ad gradum prohibitum, dummodò crimen sit publicum, & quod in iudicio probari possit; ità Abbas *cap. litteras num.* 2. Angel. *verb. Incæstus num.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 37. *qu. vnic. art.* 1. Quòd si copula fuerit habita cum affine, quæ ignorabatur esse affinis, non contrahitur impedimentum, quia sicuti ignorantia excusat à delicto, ita à pœna. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 15. *num.* 9. Nauar. *lib.* 22. *nu.* 74. Contrahitur tamen impedimentum, si copula fuerit habita cum consanguinea vxoris mortuæ; ità colligitur ex *cap. Transmissa de eo, qui cognouit consanguineam*; ità plures citati à Sanchez *lib.* 7. *disp.* 12.

PARAG. XXI.
Text. Sacrorum Canonum.
De eo, qui cognouit.

2 SEcundum crimen est raptus alienę spōsæ, *cap. Statutum 27. quæst. 2.* Nauar. *cap. 22. num. 74.* Henriq. *lib. 12. cap. 2.* & alij. Est autem raptus violēta extractio puellæ è domo parentum, causa contrahendi matrimonium: quòd si alio fine fiat, non erit raptor, nec pœnis raptoris subiacebit: quòd si non violetur, sed importunis precibus puella extrahatur, non est locus his pœnis, eo quòd non sit verè raptus, sicut etiam si dolo extrahatur.

3 Si puella extrahatur non in ordine ad matrimonium, sed libidinis causa, ipsa consentiente, si contrahatur matrimoniū, validè contrahitur, quia talis abductio non est propriè raptus, cū solùm ille dicatur propriè raptus impediens matrimonium, qui fit causa contrahendi matrimonium, & non ad exercendam libidinē; ità Sanch *tom. 2 disp. 13. num. 4.* Diana *tract. 4. de Sacrament. resol. 260.* & alij.

4 Tertium crimen est Vxoricidium, quod impedit matrimonium cum quacumque alia, si ex ira, & odio factum sit; ità *ex cap. Interfector 33. qu. 2.* Non incurritur hoc impedimentum, quando vir occidit vxorem in fragranti delicto Adulterij deprehensam, quia tūnc excusatur à pœna ob Adulterium, quæ pœna non extenditur ad viricidium: Ratio, quia in iure Canonico fit tantùm mentio vxoricidij; pœnæ autem non extenduntur.

5 Presbytericidium est impedimentū impediens matrimonium, modò homicida fuerit de crimine conuictus; ità habetur *cap. qui Presbyterum, de pœnis, & remissionibus*; ità Syluest. *verb. Matrimonij 7. cap. 22. n. 74* & alij.

6 Susceptio proprij filij, vel alterius coniugis in Baptismo, vel Confirmatione, si fiat animo fallendi matrimonium, vt scilicèt alter coniux priuetur debito coniugali, contrahit impedimentum, ne mortuo coniuge, possit cum alio matrimoniū inire; ità habetur *cap. de eo 30. qu. 1.*

7 Pœnitentia publica inducit impedimētum, donec pœnitentia perseuerat; ità Sanch *lib. 7. disp. 7.* Armilla *verb. Matrimoniū num. 59.* Verùm hodie solennes pœnitentiæ non sunt in vsu.

8 Matrimonium contrahens scientèr cū Moniali professa, contrahit impedimentum, ne possit cum alia contrahere; ità Canon. *Si quis 27. qu. 1.*

9 Præcisa consuetudine in contrarium, peccat mortalitèr, qui contrahit matrimonium cum dictis impedimentis nō dirimentibus absque dispensatione, quia facit contra prohibitionem Ecclesię in materia graui: vbi autem consuetudo viget, vt cum ijs impedimentis, nulla petita dispensatione matrimonium ineatur, non est peccatum matrimoniū sic contrahere.

10 Confessarius tenetur admonere pœnitentēs, qui ex ignorantia in vincibili inualidè contraxit matrimonium, quarum admonitio sit profutura: secùs verò si ex ignorantia vincibili contraxit, & admonitio non creditur profutura, sed potius timetur scandalum, vel infamia; si verò speret, admonitionem profuturam, absque graui scandalo, vel detrimento; tūnc tenetur eum admonere, cùm ex officio teneatur ipsum instruere.

PARAG. XXII.

SVMMARIVM.

1 *Quis possit dispensare in impedimentis.*
2 *Inferior non potest dispensare.*
3 *Episcopus quando possit.*
4 *Potest dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, &c.*
5 *Item in impedimentis non dirimentibus.*
6 *Causa dispensandi.*
7 *Requisita ad dispensandum, &c.*

1 SVmmus Pontifex potest dispensare in quolibet impedimento iure positiuo introducto: Ratio, quia in Ecclesia residet potestas dispensandi in legibus Ecclesiasticis; & ità communitèr Doctores, & dispensatio est relaxatio iuris facta ab eo, qui potest relaxare. Glos. *cap. Requiris §. nisi Rigor.* Innocent. *cap. Dilectus num. 4. de temporibus ordinandi.* Nauar. *in Sum. præsidio 9. num. 15.* & alij.

2 Inferior non potest dispensare in impedimentis iure Ecclesiastico introductis. Vndè nec Legatus Pontificis potest in his impedimentis dispensare, nisi specialitèr hoc illi à Pontifice concedatur, quia Legatus etiam a Latere circà dispensationes ea solùm potest in Prouincia sibi commissa, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi. Con. *4. 2. part. cap. 6. §. 10.* Sanch. *lib. 6. nu 14.* & alij.

3 Episcopus potest post contractum matrimonium bona fide, quando detegitur aliquod impedimentum dirimens, in eo dispensare, quando matrimonium est publicum, & impedimentum occultum, nec coniuges possunt separari absque magno scandalo, nec ad Summum Pontificem patet recursus propter paupertatem contrahentium, vel ob loci distantiam, aut ob alia legitima impedimenta; ità Val. *tom. 4. disp. 10. qu. 15. punct. 1.* Rebell. *lib. 3. quæst. 18. num. 15.* Guttier. *de matrim. cap. 123.* Sanch. *lib. 2. disp. 40.* & alij: Ratio, quia non est credibile, Summum Pontificem velle sibi dispensationem reseruare in casu tantæ necessitatis, &c. Dixi, bona fide contractū, quia si fuerit cōntractū mala fide, regularitèr in eo Episcopus non potest dispensare, quia in isto casu præsumitur, Summum Pontificem reseruare sibi dispensationem, & nolle fauere iniquitati; licèt Diana *part. 5. tract. 14. resol. 18.* & alij, putent probabile, Episcopum posse dispensare, etiam si Matrimonium sit mala fide contractum.

4 Episcopus potest dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio,

&

& impediunt debiti petitionem, vt quando matrimonio iam contracto superuenit cognatio spiritualis, affinitas, &c.; ità Sanch. *de Matrim. lib. 8. disp. 12.* Pontius *lib. 8. cap. 13. num. 6.* Vasquez *1. 2. disput. 178.* Reginaldus *lib. 31. num. 205.* & alij. Imò Episcopus potest ex vrgentissima necessitate in impedimētis dirimentibus dispensare per se, aut per Delegatum, etiam antequàm matrimonium sit contractum, quando nō datur accessus ad Summum Pontificem, & adest periculum scandali, mortis, vel infamiæ, si matrimonium de præsenti nō contrahatur: Ratio, quia in isto casu Episcopus præsumitur per Epicheiam habere facultatem à Summo Pontifice; ità Sāchez *loco citato num. 7.* Henriq. *lib. 12. cap. 5. n. 2.* Vill. *loco citato*, & alij.

5 In impedimentis non dirimentibus potest Episcopus dispensare, excepto voto castitatis perpetuæ. Nauar. *cap. 22. num. 55.* Petr. Ledesma *qu. 15. art. 6.* Diana *de Sacram. resol. 259.*

6 Causæ iustæ dispensandi in matrimonio sunt extinctio magnæ litis, & pax cōsanguineorum; Secundò, quando ob loci angustiam non reperitur persona æqualis, nisi consanguinea, vel affinis; Tertiò, defectus dotis competentis, vt fœmina nubat iuxtà suam conditionem extraneo; Quartò, conseruatio diuitiarum in eadē cognatione, quando amplissimæ sunt. Quintò, Illustris Familiæ conseruatio in eodem sanguine; Sextò, excellentia meritorum, siue petentis, siue eius, cui petitur; Septimò, proles habita ex consanguinea.

7 Quando alicui cōceditur facultas à Sacra Pœnitentiaria dispēsandi cum aliquo in impedimentis dirimentibus, hæc requiruntur, vt dispensationem ritè exequi valeat; Primò Confessarius debet diligentèr inquirere num ità res se habeat; Secundò, non est necesse, quòd pœnitens præmittat confessionem; Tertiò, quando pœnitentia non est taxata, relinquitur Cōfessario iniungenda; Quartò, delictum debet esse occultum in ratione delicti; Quintò, huiusmodi dispensatio prodest solùm in foro conscientiæ; Sextò, Pœnitēs, negante vno Confessario dispensationē, potest adire quem maluerit; Septimò, matrimonium non est validum, antequā Confessarius virtute mandati dispenset; Octauò, matrimonium inualidum ob occultum impedimentum, iterùm celebrandum est coram Parochis, & testibus conscijs impedimenti, aut quando impedimentum probari potest in iudicio; secus dicendum est quando delictum est omninò occultum.

TITVLVS XIII.
De clandestina desponsatione.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium clandestinum quid sit.*
† *Quotuplex.*
2 *Primo modo est inualidum.*
3 *Secundo modo validum.*
4 *Causæ dispensandi in denunciationibus.*
5 *Denunciationes vbi facienda.*
6 *A quo facienda.*
7 *Quando debeant fieri.*
8 *Episcopus potest dispensare in denunciationibus, &c.*
9 *Consummare matrimonium ante benedictionem, non est peccatum mortale.*
10 *Quilibet tenetur manifestare impedimentum, &c.*
11 *Confessor impedimenta ex solo auditu, quando debeat denunciare.*

1 Matrimonium clandestinum dicitur illud, quod clā fit, quod duobus modis potest contingere: Primò, quod fit sine † præsentia Parochi, & testium: Secundò, quando celebratur, omissis denunciationibus. Filliucius *tract. 10. cap. 5. quest. 1.* Henriquez *lib. 11. cap. 5. num. 1.* Rodriquez *tom. 1. cap. 217. num. 1.* & alij.

2 Matrimonium primo modo consideratum, nunc temporis est inualidum; ità Cōcilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrimony*, & communitèr Doctores, quāmuis ante Concilium Tridētinum validum fuerit; matrimonium vero contractum secundo modo, idest, omissis denunciationibus, est validum, dummodo celebretur coram Parocho, & testibus; ità Henriquez *loco citato*, Rodriq. *loco citato num. 2.* Reginald. *lib. 31 num. 232.* & alij communitèr.

3 Quamuis matrimonium secundo modo sit validum, tamen peccat mortalitèr qui sic contrahit absq; legitima licentia, quia violatur præceptum Ecclesiæ in re grauissima; facultas autem dispensandi in denūciationibus residet apud Ordinarium, vel eius Vicarium Generalem. Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, veniunt nomine Ordinarij.

4 Plures sunt causæ dispensandi in denūciationibus: Prima, quando creditur, matrimonium posse impediri: Secunda, quando instat aliquod periculum vitæ, &c. Tertia, quando denunciationes commode nō possunt fieri, quia instāt prohibitum tempus: Quarta, quando magnates contracturi sunt matrimonium; ità Sanchez *lib. 3 de matrimon. disput. 9. num 6.* Ratio, quia eorum matrimonia sunt valdè publica; quare si esset aliquod impedimentum inter eos, statim sciretur; & ità Paludanus *in 4. dist. 28. quest. 2. art. 3.* D. Antoninus *3. par. tit. 1. cap. 16.*, & alij citati à Sanchez *loco citato*.

5 Denunciationes faciendæ sunt in propria Parochia; & quando Sponsi sunt diuersarum Parochiarum, faciendæ sunt in vtraque Parochia: si verò contrahentes habeant plura domicilia, seu Parochias, faciendæ sunt in Parochia, in qua diutiùs habitāt, quia si erit aliquod impedimentū, faciliùs poterit cognosci in Parochia, in qua diutiùs habitāt, quàm in ea, in qua rarò habitant; ità Sanch. *lib. 31. num. 235.* Diana *de sacramento p. 3. resol. 235.* Henriq. *lib. 11. cap. 7. num. 1.* & alij.

6 Denunciationes faciēdæ sunt à proprio Parocho contrahentium, vel ab alio de li-

 centia

centia ipsius Parochi; debent fieri denunciationes tribus diebus festis continuis: nō peccaret tamen Parochus, si vno, vel altero die festo omitteret denunciationes, ratione paruitatis materiæ; Secùs si multos dies festos inter vnam, & alteram denunciationem interponat.

7 Denunciationes debent fieri regulariter in Ecclesia inter Missarum solennia, licèt etiam cum causa possint fieri extrà Ecclesiam in loco, ad quem magna populi confluit copia, vt accidit in prædicationibus, &c.

8 Episcopus, vel Prælatus alteriùs contrahentis potest cum vtroque dispensare in denunciationibus, sicuti potest alteruter Prælatus, ratione connexionis, vtrumque copulare matrimonio, & hanc facultatem potest alteri delegare. Reginald. *lib. 31. num. 235.*

9 Non est peccatum mortale consummare matrimonium ante benedictionem Ecclesiæ, dummodò tamen non adsit cōtemptus, & scandalum, imò nec est veniale, quando ex iusta causa consummatur, vt v. g. ad euitandum periculum incontinentiæ.

10 Quilibet tenetur manifestare impedimentum, licèt occultum, quod nouit inter contrahentes: Ratio, quia quilibet tenetur obedire Superiori præcipienti; tùm quia denunciando, aperiet viam, vt Prælatus diligentèr inquirat de impedimento; itá Paludanus *in 4. dist. 27. quæst. 1. art.* 8. Guttierez *lib. 1. cap. 11. num. 17.* Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 14. num. 5.* & alij. Item tenetur denunciare, etiamsi illud acceperit sub secretò; & itá Paludanus *in 4. dist. 28. quæst. 2. art. 5.* & alij.

11 Conscius impedimenti ex solo auditu, vt si audierit à persona digna, obligatur denunciare, si ipsa non denunciet: Ratio, quia notitia ex auditu habita à fide dignis est vera notitia fidem faciens; secùs si audiuit à persona nil certum sciente, vel si non meminerit, à qua persona audierit; itá Guttier. *lib. 1. quæst. can. cap. 11. nu. 71.* & alij.

PARAGR. I.

Textus Sacrorum Canonum. De clandestina desponsatione.

SVMMARIVM.

1 *Quid agendum à Parocho, qui in confessione cognouit adesse impedimentum.*
2 *Tenetur illud reticere.*
3 *Tenetur denegare matrimonium illi, quem scit habere impedimentum.*
4 *Potest assistere matrimonio eorum, quos nouit obtinuisse dispensationem, &c.*
5 *Quid agendum, quando contracto matrimonio, &c. detegitur in foro externo impedimentum.*

1 Parochus, qui per confessionem agnouit, inter contrahentes adesse aliquod impedimentum dirimens, tenetur eos admonere, nè contrahat, dummodò credat, admonitionem profuturam: verùm si ex confessione vnius agnoscit adesse impedimentum, nō potest alium admonere, quia vteretur scientia in confessione habita in ordine ad actus externos cum periculo reuelationis complicis.

2 Parochus etiam, qui in confessione nouit, aliquod adesse impedimentum, tenetur huiusmodi impedimentum sub sigillo reticere, & consequentèr non potest denegare assistentiam in matrimonio ob impedimentum dirimens, quod in confessione nouit, esse; itá Coninchus *de pœnitent. disput. 9. n. 77* Guttierez *de matrim. cap. 61. nu. 11.* Henriquez *lib. 6. cap. 19. nu. 5.* Reginaldus *lib. 3. nu. 23.* & alij.

3 Parochus tenetur denegare matrimonium illi, quem scit extrà confessionem irritum esse aliquo impedimento, etiam occulto, quamuis publicè petat matrimonium, aut neget impedimentum, quod notum est Parocho; itá Sanchez *lib. 3. disput. 15.* Henriquez *lib. 1. cap. 30. num. 6.* Coninch. *disp. 27. dub. 7. num. 66.* Guttierez *de matrim. cap. 60. num. 2.* & alij: Ratio, quia Parochus non debet assistere matrimonio inualido, nè contrahentes maneant in perpetuo damnationis statu.

4 Parochus potest assistere matrimonio eorum, quos nouit dispensationem obtinuisse in foro conscientiæ, quando nullus adest, qui impedimentum denunciet; itá Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 19. num.* 8. Guttierez *de matrim. cap. 60 num. 6.* Coninch *disp. 27. dub. 7. num. 74.* Reginaldus *lib. 31. num 241.* Ratio, quia sicut contrahentes non peccant contrahendo; itá nec Parochus assistendo: verùm si aliquis denunciauit impedimentum, tunc non potest ipsum dissimulare, & eos coniungere, quamuis sciat, ipsos obtinuisse dispensationem in foro cōscientiæ: Ratio, quia non pertinet ad Parochum discutere de impedimentis, sed ad Ordinarium, qui habet iurisdictionem in foro externo, *cap. fin. de clandestina desponsat.* 3. vndè Parochus, facta sibi denunciatione, debet eam deferre ad Ordinariū, vel eius Vicarium, & non potest ampliùs vlteriùs procedere ad contrahendum matrimonium, quoadusque de illo impedimento ab Ordinario iudicatum sit; itá Sanch. *lib. 3. disput. 35. num. 15.* Coninch. *disput. 27. num. 64.* & alij; & proindè debet Parochus interdicere matrimonium, vt patet *ex cap. cit. de clandestin. desponsat.* 3. & itá Sanchez *loco citato num. 3.*

5 Quando contrahētes matrimonium celebrarunt, obtenta dispensatione impedimenti occulti in foro conscientiæ, sed posteà contracto matrimonio, detegitur, & fit publicum impedimentum, tunc impetranda est dispensatio impedimenti in foro externo, nam dispensatio obtenta in foro interno non prodest, & ideò ipsius impetranda est ratificatio: & interim sunt per Iudicem separandi, donec pro foro externo ratificetur, cùm actus non operetur vltrà intentionem agentium. *l. Non omnis ff. si certum petatur.* Qui verò scit impedimentum, & nouit, eos obtinuisse dispensationem

tionem pro foro conscientiæ, non tenetur ipsum denunciare; & ità Sanchez *lib. 7. disp.* 13 *num.* 8. Gutierez *cap.* 59. *num.* 13.: Ratio, quia cùm contrahentes non peccent contrahendo, nec ipse tenetur denunciare, cùm denunciatio sit ordinata ad euitandum peccatum.

TITVLVS XIV.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contrà illud testificari.

SVMMARIVM.

1 *Ad impediendum matrimonium sufficit vnus testis.*
2 *Deponens impedimentum, plenè probat.*
3 *Qualitates requisitæ, vt vnus testis impediat matrimonium.*
4 *Fama impedimenti plenè illud probat.*
5 *Ad deponendum contrà famam quis admittatur.*

1 AD impediendum matrimonium, nè contrahatur, sufficit vnus testis deponens impedimētum; ità habetur expressè *cap. Super eo 2. de testibus, & attestat. & cap. Præterea 2. de sponsal.*: Ratio, quia agitur de peccato vitando, ideircò in tali casu sufficit vnus testis.

2 Testis deponens impedimentum, plenè probat, etiamsi non fuerit citatus, sed solùm per partem producentem Iudici oblatus; non enim præsumitur se ex hoc ingerere, *cap. Constitutus, de testibus*: secùs si se ipsum ingereret, tunc enim sicut suspectus, esset repellendus; ità plures apud Sanchez *lib. 1. disp. 71. num. 2.*

3 Aliquæ qualitates requiruntur, vt vnius testis sponsalia perfici impediat: Prima, vt testis deponat; si enim solùm denunciaret, non impediret matrimonium, nisi probaret de fama: Secunda, vt testis iuret, parùm enim creditur nō iuranti, *cap. Tua de cohabit. cleric.*: Tertia, vt afferat cum iuramento, se scire impedimētum, aliàs de solo auditu testificans, non impediret, quamuis alter testis simul cum eo absque iuramento de certa scientia deponeret; vndè maiorē fidem facit fama, vel vnius testis iurans, quàm duo testes, quorum vnus cum iuramento deponit de auditu, alter verò absq; iuramento de certa scientia, eùm hi duo non impediant matrimonium, quod tamē vnicus testis, vel fama impedit. Ad probādam consanguinitatem, satis est testis de auditu, si testificetur, iuxtà formam capitis, *licèt quadam de testibus*; & ità Mascardus *de probat. conclus.* 1035. Gutierez *quæst. canon. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 34. Mascard. *conclus.* 410. ait *num.* 3. Requiritur testes esse personas graues, & ponere, à maioribus audiuisse, & *num.* 4. ait, Requirit, vt audierint ante litem motam: nam si post litem, nullam fidem facerent. Tertiò requiritur, vt testis non sit persona vilis, talis enim sponsalia non iubet perfici minimè impediret; ità Panormit. *cap. Præterea 2. de sponsalibus*, & *cap. Cùm sua eod. tit. num.* 7.

4 Fama impedimenti plenè probat illud ad effectum impediendi, nè matrimonium contrahatur; ità *cap. Super eo, de consanguinitate*, etiamsi sponsalia iuramento confirmata sint, quia *cap. citato* dicitur, famam impedire matrimonium contrahendum, fide data, vbi Glos. *verbo Fide* explicat, idest iuramento famam non debere esse priuatam, licèt fama priuata det facultatem Iudici ad inquirendam, & recipiendam probationem, quia ea fama priuata adductus per seipsū de plano, & sine aliquo ordine iudiciario diligenter de impedimento inquirere potest, sic Innocent. *cap. Cùm in sua*, vbi plures Canonistæ.

5 Ad deponendum contrà famam, admittitur etiam consanguineorum iuramentum, imò & fama illuditur, cuiusque probatio arbitrio Iudicis, si contrà illam contrahere volentes iurent, se non esse consanguineos, tunc enim arbitrio Iudicis relinquitur, iuxtà personarum qualitatem admittere hoc iuramentum contrà famam, sic Præpositus *cap. Cùm in sua num.* 4. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 3. *cas.* 243 *num.* 4. & alij; ex quibus sequitur, satis esse vnum testem de certa scientia iurantem, vel famam ad impediendum matrimonium pro foro externo.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Ad impediendum matrimonium satis est vnus testis, &c.*
2 *Ad dissoluendum matrimonium quid requiratur.*
3 *Quando confessio coniugis, & c. sufficiat, &c.*
4 *Et quid quando vterque coniux fatetur impedimentum.*
5 *Testificatio in causa matrimoniali quomodo debeat fieri.*
6 *Non est audiendus, qui in tempore denunciationum non manifestauit impedimentum.*
7 *Puella, quæ consensit in copulam matrimonialem, non est audienda contrà matrimonium.*
8 *Ob testimonium vnius, &c. mulier non tenetur recedere à matrimonio, &c.*
9 *Testes requisiti ad dissoluendum matrimonium.*

1 QVamuis ad impediendum matrimonium, ne contrahatur, satis sit testis, vel fama; at verò ad ipsum dissoluendum duo testes, omni exceptione, maiores requiruntur: Ratio, quia agitur de causa grauissima; ità *cap. 1. de consanguinit.* Sotus *in* 4. *dist.* 41. *quæst. vnica art.* 5. & alij; & quando agitur de dissoluendo matrimonio, ratione consanguinitatis, legitimi testes sunt consanguinei, & parentes, *cap. Super eo 2. de testibus, cap. Videtur, qui matrimonium accusare possunt*, quia consanguinei præstantiūs cæteris parentelam nouerūt. Mascard. *de probat. conclus.* 1035. *num.* 10.

2 Licèt ad sponsalia dissoluenda satis sit cōfessio vtriusq; sponsi, verùm ad dissoluēdū matrimonium minimè sufficit; si vterque sponsus non stās pro matrimonio fateatur impedimentum: Ratio, quia in causa matrimonij non statur litigantium confessioni, *cap. Super eo, de eo, qui cogn. consanguineam*, quia cùm non sit in eorum potestate-

te matrimonium dissoluere, sicut sponsalia, non est eorum confessioni standum, sicut statur in sponsalibus. Hostiensis *in sum. tit. de eo, qui cognou. consangu. num.* 3. Abbas *cap. Super eo num.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 41. *quæst. unica art.* 5. & alij, etiamsi cum tali confessione concurrat fama impedimenti, quia confessio illa cùm sit in fauorem confitentium, non probat, & fama per se non satis est.

3 Si confessio impedimenti fiat à coniugibus stantibus pro matrimonio, tunc confessiò vtriusque coniuncta cum fama, probat, *cap. Si duo* 32. *quæst.* 6. Cou 4. *decret.* 1. *par. cap.* 4 §. 1. *num.* 7. Menoch. *casu* 103 & alij apud Sanchez *lib.* 2 *disput.* 45. *num.* 33. imò confessio valet, si fiat ab altero coniuge stante pro matrimonio, & adsit impedimenti fama, ità plures apud Sanchez *loco citato num.* 34. Ratio, quia quoties de animæ periculo tractatur, allegnas propriam turpitudinē, est audiendus, & cùm velit matrimonium consistere, nō præsumitur in proprium caput falsum confiteri.

4 Si vterque coniux stans pro matrimonio fateatur impedimentum, satis est ad dirimēdum matrimonium, licèt fama impedimenti non concurrat, quia verisimile non est, velle contrà seipsos falsum deponere. Mascard. *concl.* 1035. *nu* 1. & alij.

5 Accusatio est testificatio in causa matrimoniali: scripto fieri non debet, sed viua voce, & personalitèr, quia licèt scriptura valeat quoàd præsumptionem, non tamen valet quoàd sententiam, nisi alia adminicula suffragentur. Sayrus *in Clauiregia lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 2. Cou. *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 9. Em. Rodriq. *quæst. regular. tom.* 2. *quæst.* 13. *art.* 4. & alij; adeò vt nec depositio testis à se inscriptis redacta, & ad Iudicem transmissa valeat, etiamsi talis testis priùs in iudicio iurauerit; licèt alij teneant contrariā sententiam, vt videre est apud Barbos. *lib.* 4. *decretal. tit.* 18 *cap. A nobis.*

6 Matrimonium iam factum accusans, si in tempore denunciationis non manifestauit, non est audiendus, nisi eo tempore fuerit extrà Diœcesim, vel non potuerit habere notitiam denunciationis, vt si erat puer, vel non sanæ mentis, vel alia iusta causa impeditus; vel etiamsi iuret, quòd ea posteà didicit ab ijs, qui sciuerint denunciationes, & siluerunt, hic enim esset audiendus, si etiam iuret, quòd hoc non procedit ex malitia; ità *ex cap. Cum in tua.*

7 Puella innubilis, quæ inuita contraxit, & posteà in ætate sponte cognita, si dicat se nunquam consensisse, & probet per testes præclaros, fama, & conuersatione, nō est audienda, quia antequàm cognosceretur, cum posuit, non reclamauit, quia præsumitur, ipsam consensisse in copulam; ità Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disput.* 18. *num.* 18. & alij, nisi cōpula fuerit metu graui extorta, vt docet Nauar. *in man. cap.* 22. *num.* 51 Petrus Ledesma *de matrimonio quæst.* 47. *art.* 4. Henriq. *in sum. lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 7. Sanchez *loco citato num.* 3.

8 Ob testimonium vnius iurantis, in matrimonio adesse impedimentum, mulier non tenetur à contracto matrimonio recedere, nec abstinere à redditione, vel petitione debiti, licèt audierit à fide digno, vel amico, vel proprio Parocho: Ratio, quia dictum vnius non inducit necessitatē credendi; ad id enim oportet esse duos, *cap. Cum à nobis de testibus, & attestat.*, & ità Syluester *verb. Matrimonium* 6. *quæst.* 8. Rosell. *verbo Impedimentum, impedimento* 1. *num.* 17. Nauar. *in sum. cap* 13. & alij: tenetur tamen adhibere diligentiam ad sciendam veritatem, & si non adhibeat, debet se gerere tamquàm coniugem dubium, & si post diligentiam exhibitam, nihil inueniat, debet deponere dubium, quia non habet ampliùs iustam causam dubitandi, & ità potest suam possessionem tueri. Syluester, & Nauarrus *locis citatis*, & alij: & si audiuit non à personis fide dignis, potest conscientiam deponere, nec ea est sufficiens dubitandi ratio. Sanchez *lib.* 2 *disp.* 45. *nu.* 29. & alij.

9 Ad dissoluendum matrimonium contractum, vt dictum fuit, requiruntur duo testes, omni exceptione maiores, deponentes modo supradicto.

TITVLVS XV.
De diuortio.

SVMMARIVM.

1 *Diuortium quid sit.*
† *Tripliciter accipitur.*
2 *Causa diuortij, &c.*
3 *Per quas species luxuriæ dissoluatur.*
4 *In quibus casibus non sit licitum facere diuortium ob adulterium.*
5 *Quæ requirantur, vt fiat diuortium in foro conscientiæ.*
6 *Maritus propria auctoritate potest facere diuortium, &c.*
7 *Quando emendatus possit facere diuortium à non emendato.*

1 Diuortium est legitima viri ab vxore, vel è cōtrà separatio. Triplicitèr autem diuortium accipitur: Primò, pro dissolutione matrimonij quoàd thorum: Secūdò, pro dissolutione matrimonij quoàd thorum, & habitationem: Tertiò, pro dissolutione matrimonij quoàd vinculum. Diuortium quoàd vinculū apud Hebræos permissum erat; post Euangelium, neque Hebræis, neque Gentilibus, &c. permissum est ampliùs tale diuortium, seù repudium.

2 Dissoluitur matrimonium quoàd thorum, & habitationem per adulterium, hæresim, apostasiam, & inductionem ad peccatum, vt colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *can.* 7. & ità Siluius *in supplement. quæst.* 62. *art.* 1.

3 Matrimoniū dissoluitur per omnes species luxuriæ, in quibus coniux diuidit carnem suam cum alio, quod multiplicitèr contingit: Primò, in omni concubitu naturali cum alia: Secundò, per copulam contrà naturam, seù sodomiam, siuè actiuè, siuè passiuè, &c.: non dissoluitur tamē matri-

matrimonium per illas species luxuriæ, in quibus caro non diuiditur cum alio, quia tunc perfectè non violatur fides matrimonij.

4 Plures sunt casus, in quibus non est licitum facere diuortium; Primus, quando vterque coniux commisit adulterium, eo, quod paria delicta mutua compensatione abolentur: Secundus, quando vir dedit causam vxori proximam adulterandi; Tertius, quando vxor commisit adulteriũ tantum materialiter, credens illum, cum quo commisit adulterium, esse proprium virum, aut credens, priorem virum esse mortuum, ità Henriq. *lib. 11. cap. 17. num. 4.* Sanchez *lib. 10. disp. 5.* Guttier. *cap. 129. num. 5.* & alij: Quartus, quando vxor carnaliter cognita est per violentiam, etiam si violentiæ per accidens causam dedisset; ità Henriq. *lib. 11. cap. 17.* & alij: Ratio, quia in isto casu nulla adest culpa mulieris, cùm non fuerit voluntariè cognita: secus dicendum, si per metum grauem solùm cõmiserit adulteriũ, cùm talis metus nõ tollat voluntarium: Quintus casus est, quando coniux innocẽs cõdonauit alteri adulterium, & tunc censetur condonasse iniuriam, quando petijt, aut reddidit debitũ: Ratio, quia per illam condonationem cedit iuri suo, quandiù alter coniux reconciliatus non relabitur in adulterium; ità Henriq. *lib. 11. cap. 17.* Specul. *3. part. art. 1.* Coninch *disp. 34. dub. 2. num. 11.* & alij.

5 Vt coniux innocens, ratione adulterij, possit facere diuortium, in foro consciẽtiæ requiritur notitia certa moralitèr, vel suspicio violenta talis, qualis sufficeret in foro externo ad conuincendam vxorem de adulterio, vt accidit, quando ipsa cõfitetur proprium adulterium, vel est inuẽta nuda cum nudis, vel sola cum solo in lecto, in locis secretis, &c. Ex solis osculis, & tactibus, amplexibus non fit suspicio violenta, nisi adsint alia adminicula iuris; ità Sanch. *disp. 12. num 39.* Em. Sà *verb. Diuortium num. 3.* & alij. In foro externo pro faciendo diuortio, requiritur, vt adulteriũ probetur, & sit notorium.

6 Maritus propria auctoritate, potest facere diuortium ratione adulterij, cũ vxore, secluso tamen scandalo; ità *cap. Dixit Dominus 32. quæst. 1.* Ratio, quia iure naturæ frangenti fidem, fides seruanda non est, quamuis in foro externo cogendus sit redire, donec adulterium probetur; ità Sot. *qu. 36. qu. 20.* Reginald. *lib. 31. num. 314.* Henriq. *lib. 11. cap. 17. num. 8.* & alij. Et coniux innocẽs antequam adulterium sit probatum, potest cogere adulterum ad reconciliationem: Ratio, quia innocens, per sententiam diuortij, nondùm est priuatus iure petendi debitum: quòd si status alterius mutatus sit, vel quia professus, aut initiatus est Ordine Sacro, tùnc nullum superest ius innocenti ad reconciliandum adulterum: Ratio, quia status assumptus immutabilis est; ideòque omne ius matrimonij à se abdicauit; ità Summistæ *verb. Diuortium.*

7 Quando vterq; coniux commisit adulterium, sed alter iam emendatus est, potest emendatus petere diuortium à non emendato, quando admonuit adulterum, vt se corrigeret, & nihilominus noluit se corrigere, sed denuò lapsus est in adulterium: Ratio, quia quando coniux emendatus admonet adulterum, offert illi reconciliationem; Ergò si post admonitionem non vult emendari, potest emendatus ab eo diuertere; ità Nauar. *lib. 4. consil. de Diuort. consil. 1.* Reginald. *lib. 21. num. 321.* Henriq. *lib. 11. cap. 17.* & alij.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Innocens coniux, &c. potest transire ad Religionem.*
2 *Non licet dimittenti vxorem aliam ducere.*
3 *Coniux dimissus an possit cogi redire.*
4 *Secunda causa, &c. diuortij.*
5 *Vltima causa, &c.*

1 INnocens coniux potest inuito adultero, vel adultera, transire ad Religionem, vel suscipere Ordines Sacros, *ex cap. Agatosa 27. quæst. 2.* & *cap. Constituturs de Conuers. coniugat.* Ratio, quia adulter amisit omne ius coniugale, nec necessariò requiritur sententia, quando notoriè cõstat de adulterio. Dixi necessariò, quia ad tollenda scandala, regularitèr requiritur sentẽtia. Adultèr verò non potest absque licentia innocentis, Ordines Sacros suscipere, vel Religionem profiteri: Ratio, quia innocens habet ius concedendi reconciliationem coniugi adultero, & illum repetendi, quo iure non potest inuitus priuari; de licentia verò innocentis tacita, vel expressa, potest Sacros Ordines suscipere, aut professionem facere in Religione; ità Reginald. *lib. 31. num. 326.* Guttier. *cap. 129.* Coninch. *disp. 35. dub. 5.* & alij.

2 Non licet verò, qui dimittit vxorem propter adulterium, aliam ducere, viuente adultera; ità colligitur ex *Matth. cap. 19.* Ratio, quia per adulterium non dissoluitur Matrimonium quòad vinculum, sed solùm quòad habitationem, & thorum, vt docent communitèr Doctores.

3 Si lata sententia diuortij, innocẽs adulteretur, coniux adulterij causa dimmissus, non potest cogi redire: Ratio, quia sententia diuortij absoluit innocentem à debito coniugalis societatis, dissoluitq; matrimonium quòad ius thori, & habitationis, manente vinculo; Vndè si post latam sententiam coniux innocens fornicetur, erit reus adulterij aduersus eum, non tamen peccabit contrà coniugem dimissum, nec faciet illi iniuriam.

4 Secunda causa diuortij est Hæresis, vel Apostasia à fide, in quam alter coniux labitur; ità colligitur *ex cap. de Conuers. coniugat.* cap. *Quanto de Diuortijs.* cap. *Non solùm.* cap. *de Idolatra 28. qu. 1.* Item periculum peruersionis cõiugis Catholici est causa sufficiens diuortij, & non est necesse, quòd periculum sit imminens, quia semper censetur

ſetur eſſe periculum ſufficiens.

5 Vltima cauſa ad faciendum diuortium non perpetuum eſt ſæuitia mariti, quando eſt tanta, vt abſque periculo damni nō poſſit alter ſimul habitare, donec coniux ſæuiens præſtet ſecuram cautionem,& nō ſolùm ſæuitia præterita eſt ſufficiens ad faciendum diuortium, ſed etiam futura, quæ præſumi poteſt, quando vir retinet concubinam domi, vel etiam extrà, vel item furor alterius coniugis quando ità vehemens eſt, vt alter coniux periculum habeat cohabitando, vel quando vnus coniugum tentauit alium occidere, vel quando delictum vnius coniugis poteſt eſſe alteri cauſa grauis damni, vt quando vxor eſt venefica, interfectrix filiorū,&c. Nauar. *cap. 12. num. 22.* Sanch. *diſp.* 18. & alij. Et quando ob ſæuitiam,furorem,&c. diuortium eſt perpetuum; tùnc licet tranſitus ad Religionem, vt ſuprà dictum eſt, quia eſt eadem ratio, quæ in diuortio ob adulterium.

TITVLVS XVI.
De ſecundis Nuptijs.

SVMMARIVM.

1 *Tranſiens ad ſecundas nuptias non eſt amplius benedicendus.*
2 *Semel benedictus non eſt amplius benedicendus.*
3 *Fœmina intrà annum luctus non debet tranſire ad ſecundas nuptias.*
4 *Quando quis poſſit tranſire ad ſecundas nuptias.*
5 *Quæ certitudo requiratur.*
6 *Non ſufficit vnus teſtis ad probandam mortem alterius, &c.*
7 *Vt fama poſſit probari quæ requirantur.*

1 TRanſiens ad ſecundas nuptias non eſt amplius benedicendus, & Sacerdos ſecundis nuptijs benedictionem impertiens, incurrit ſuſpenſionem; ità Couar. *de Sponſ. p. 2. cap.* 8. §. 11. *num.* 2. Sanch. *de matrim lib.* 7. *diſp* 82 *nu.* 7. Guttier. *cap.* 106. *nu.* 16. à qua ſuſpenſione excuſat ignorantia etiam craſſa; dūmodò non ſit ità craſſa, vt ſit ingens temeritas. Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 48. *num.* 7. Guttier. *cap.* 75. *num.* 16. & alij.

2 Si vnus ex coniugibus fuerit ſemel benedictus in primo matrimonio, non debet amplius benedici in ſecundo; ità Couar. *de Sponſ. par. 2. cap.* 8 §. 11. *num.* 2. Nauar. *in Man. cap.* 22. *num.* 83. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 10. *qu.* 6. *punct.* 1. & alij. Hodie verò, ex generali conſuetudine vbique recepta, obtentū eſt, quòd ſi fœmina ſolùm nondùm fuiſſet benedicta, poſſet tùnc vtrique benedictio generaliter fieri; ità Couar. *loco citato cap.* 8 §. 11. *num.* 2. Aloyſius Riccius *prax. fori Eccleſiaſtici deciſ* 369. & alij.

3 Fœmina intrà annum luctus non debet tranſire ad ſecundas nuptias: Verùm ſi nubat, infamiam non incurrit, nec ſubiacet pœnis à iure ciuili ſtatutis contrà viduas nubentes intrà annum luctus; ità Couar. *de Sponſ. part. 2. cap* 3. §. 9. *num.* 5. & 6.

4 Ad ſecundas nuptiās nullus debet tranſire, niſi priùs conſter de morte prioris cōiugis, & ideò ad hoc vt poſſit nubere, requiritur certitudo moralis de morte coniugis, quanta iudicio prudentis ſufficit ad credēdum, priorem coniugem certò mortuum eſſe: vxor verò, quæ contraxit cum ſecundo, credens, priorem virum eſſe mortuum, tenetur recedere à ſecundo, poſtquàm cognouit, priorem virum ſuperſtitem eſſe; vt ſuprà dictum fuit, cum de impedimentis, &c.

5 Certitudo moralis de morte mariti non poteſt haberi per lōgam abſentiam illius, niſi talia indicia ſimul concurrant, vt non remaneat locus dubitandi de eius morte, cùm fama oriri ſoleat ex auctore incerto, & plerumque fallaci, niſi fama adiuncta habeat indicia efficacia ad credendum, ipſum eſſe mortuum, vt v. g. ſi vir ingreſſus ſit prælium, & non amplius comparuerit, & fama eſt, ipſum perijſſe, aut quando per litteras eorum, qui prælio interfuerunt, acceptum eſt, ipſum mortuum eſſe.

6 Non ſufficit vnus teſtis ad probandam mortem alterius coniugis mortui, vt ſuperſtes poſſit tranſire ad ſecūdas nuptias, quia per vnum teſtem non eſt certitudo moralis, quæ haberi neceſſarium eſt, vt coniux ſuperſtes tranſeat ad ſecundas nuptias: Ratio, quia dictum vnius eſt dictum nullius: Verùm ſi adſint aliæ coniecturæ, vel mortuus ſit in loco ità diſtanti, vt nequeant haberi aliæ probationes, in iſto caſu vnus teſtis, conſiderata qualitate perſonæ, erit ſufficiens; ità Sanchez *lib.* 2. *diſput.* 46. *num.* 11 & 12. licèt mulier, quæ certò nouit, maritum primum eſſe mortuum, quāuis eius mortem probare non poſſit, vt accidit, quando ipſa ſola fuit præſens morti ſui mariti, poſſit cum alio contrahere, ſecluſo ſcandalo; ità Rebell. 2. *par. lib.* 3. *quæſt.* 13. Guttier. *cap.* 51. & alij: Ratio, quia tunc ceſſat periculum adulterij.

7 Vt fama poſſit probare mortem, hæc requiruntur: Primò, vt duplici teſte probetur, quia id generale eſt in omnibus, vt non minùs quàm duo teſtes plenè probēr, *cap. in omni negotio, & cap. Licèt de teſtibus, & atteſtationibus*. Secundò, vt teſtes ſint omni exceptione maiores, deponantque, ſe audiuiſſe à fide dignis: Ratio, quia fama nihil probat, & eſt varia vulgi vox, niſi oriatur à fide dignis, vt habetur *in cap.* 2. *de accuſat,* & ibi Gloſ. *verbo ad inquirendum, & cap. In cunctis* 11. *quæſt.* 3. & ibi Gloſ. *verbo Maledicorum*: Tertiò, vt certa cauſa rationabilis, ex qua fama orta eſt, vt ſi is, de cuius morte agitur, prælium aggreſſus, nec poſteà diligentèr quæſitus, inuentus eſt, quia fama, vt dictum fuit ſuprà, à probabilibus cauſis originem trahere debet; vox enim varia vulgi, in certo auctore, & pbabilibus rationibus carens, attendenda non eſt: vndè teſtes exprimere debent cauſas, ex quibus ortum habuit fama, vt Iudex diſcernat, an ſit probabilis, an vana vulgi vox: Quartò, vt teſtes deponāt ſe audijſſe publicè à maiori parte populi, nec ſat erit deponere, ſe publicè

publicè audierint: Quintò, vt deponant testes, à quibus personis fama ortum habuerit, & à quibus ipsi audierint, quia fama debet oriri à prouidis, & honestis, & de quorum commodo minimè agitur, nisi fama ex coniecturis probabilibus confirmaretur, quia tunc non est opus à fide dignis oriri, aut nisi de fama magnus numerus testium, vt septem, vel decem deponant, quia tunc non est necesse exprimi, à quibus audierint: Vltimò, vt testes deponentes de fama, asserant, rem ità esse, nec est necesse eos iurare, sed satis est absque iuramento si asserant rem ità esse.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum, De sponsalibus.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium solus consensus contrahit.*
2 *Sponsalia de futuro contrahentibus quid agendum circa fidem datam.*
3 *Ducens vxorem minorem septennio, &c. quodnam impedimentum contrahat.*
4 *Sponso de futuro in remotas profecto, potest sponsa alteri nubere.*
5 *Matrimonium contractum quanam vis annullat.*
6 *Sponsa alterius nullus consanguineus nubere potest.*
† *Matrimonium de præsenti quando contrahatur.*
7 *Iurans cum aliquo contrahere, potest compelli, &c.*
8 *Iniustè detinens vxores filiorum, &c. cōpellendus, &c.*
9 *Mulier iurans alicui nubere, si alteri inuita nubat, quid?*
10 *Sponsalia de futuro quando dissoluantur.*
† *Iurans cum aliqua nubere, & ingredi Religionem volens, quid agendum.*

1 Matrimonium solo consensu contrahitur, vndè tenet, etiamsi consuetudo patriæ non seruetur; & si quis prima dimissa, aliam ducit, debet secundam dimittere, & ad primam reuertere, & pœnitentiæ subijci, quia primam dimisit, & secundam accepit, *ex c. De Francia 1. De sponsal. & matr.*

2 Sponsalia contrahentes purè de futuro, fide tunc data, si deindè non velint contrahere, sunt admonendi, vt datam fidem seruent, & deindè sunt cogendi, sed tolerandi, ne quid deterius contingat, cum eā ducit, quā odio habet, *ex cap. Præterea 2.*

3 Iuuenis, qui duxerit in vxorem minorem septennio, & traduxir ad domum, si dubiū est, quod tentauerit id, quod non potuit explere, contraxit impedimentum publicæ honestatis, *ex cap. Iuuenis 3.* Impedimentū publicæ honestatis oritur ex sponsalibus contractis inter consanguineos, quamuis nulla sint, *ex cap. Ad audientiam 4.*

4 Sponsus de futuro, si ante copulam ad remotas se transfert, potest sponsa alteri nubere, & si per eam stetit, quominùs matrimonium consummaretur, pœnitentiam agere debet, *ex cap. De illis 5.*

5 Matrimonium contractum non omnis vis annullat, *ex cap. De muliere 6.* Annullatur solùm ob metum cadentem in constantem virum ex communi Doctorum sententia. Contrahentes matrimonium, seu sponsalia per verba obscura, in dubijs verba explicanda sunt secundùm propriam significationem, & secundum communem intelligentiam, ità *ex cap. Ex litteris 7.*

6 Sponsam alterius nullus consanguineus
† accipere potest, *ex cap. Sponsam 8.* matrimonium de præsenti est contractum, quando duo inuicem sibi permittunt, quod ex eo tempore se habebunt pro coniugibus, & fidem inuicem seruabunt, *ex cap. Parte 9.* Ex causa fornicationis manifesta licitum est dimittere vxorem, sed ipsa, viuente viro, non potest alium ducere, sed debet continere, *ex eod. cap.*

7 Iurans cum aliqua contrahere, si posteà vult cum alia contrahere, est monendus ab Episcopo, vt seruet iuramentum, deindè si non acquiescat, est compellendus censuris; si tamen rationabilis causa non obstet; ità *cap. 2. ex litteris 10.*

8 Pater, qui iniustè detinet vxores filiorum, debet compelli intrà certum tempus illas restituere, alioquin potest interdici terra, vbi vxores sunt, *ex cap. Non ex vobis 11.* Dictum vnius asserentis, adesse impedimentum, sufficit ad impediendum matrimonium, *ex cap. Præterea 12.* quamuis nolit publicè, sed solùm clām, & absque nominis publicatione testari.

9 Mulier, quę iurauit cum aliquo contrahere matrimonium, si inuita alteri tradatur à parentibus, si nunquam consentit, tenet matrimonium, si alteri nubat, *ex cap. Veniens 13.*, quando agitur de aliquo matrimonio, & timetur, ne violentia inferatur puellæ, Iudex debet constituere puellam in loco tuto, & honesto, donèc causa terminetur, & indagandus est liber consensus ab ea, quia matrimonium solo consensu fit, *ex cap. Cum locum 14.*

10 Sponsalia de futuro, etiam subsecuta copula non dissoluuntur per sponsalia de præsenti, nisi secunda sponsalia fuerint contracta per metum cadentem in constantem
† virum, *ex cap. 2. Veniens 15.* Iurans cum aliqua contrahere, si vult ingredi Religionem, tutiùs est priùs contrahere cum illa, vt seruet iuramentum, & posteà ante copulam ad Religionem transire, *ex cap. Commissum 16.* quæ verba Textus important solùm consilium, quia qui sponsalia iurauit, potest, non contracto matrimonio, Religionem ingredi, ex communi Doctorum consensu, cum D. Thoma *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3.*

PARAG. II.

Sequuntur Canones, De sponsalibus, &c.

SVMMARIVM.

1 *Mulier iurans alicui nubere, si posteà nolit, quid?*
2 *Secundum matrimonium, lite circa validitatem prioris pendente, an teneat?*
3 *Mulier nequit secundò nubere, nisi certa de morte prioris coniugis.*
4 *Mulier inuita alicui nubēs, quādo cēseatur cōsēsisse.*
5 *Contrahens sponsalia de futuro cum vna, & cum alia de præsenti, quomodo compellendus.*
6 *Qui possint contrahere matrimonium.*

7 *Ma-*

7 *Matrimonium solo legitime consensu contrahitur.*
8 *Matrimonium verbis æquiuocis verè non contrahitur.*
9 *Fama de impedimento consanguinitatis in matrimonio, quomodo occurrendum.*
10 *Mulieres negantes se matrimonio consensisse, an, & quando audiendæ.*
11 *Matrimonijs liberè consentiendum.*
12 *Sponsalia de futuro quando transeant in matrimonium.*
13 *Sponsalia de præsenti an soluantur per secundum matrimonium.*
14 *Impedimentum publicæ honestatis vndè oriatur.*

1 MVlier, quæ iurauit cum aliquo contrahere matrimonium, si postea non vult, monenda est potiùs, quam cogenda, quia matrimonia debet esse libera, & coacta semper habent difficiles exitus, *ex cap. Requisiuit* 17.

2 Lite pendente de validitate matrimonij, si litigans, ante sententiam Iudicis, accipiat aliam vxorem ignorantem facti, tenet secundum matrimoniū, si feratur sententia de nullitate prioris matrimonij, licèt fuerit contractum, lite pendente, sed viro debet iniungi pœnitentia, & vt abstineat à coniuge per tempus pœnitentiæ, *ex cap. Cùm Apostolica* 18.

3 Mulier non potest contrahere secundū matrimonium, nisi certa sit de morte prioris coniugis, *ex cap. In præsentia* 19. Meretricē publicam extrahere ex lupanari, & accipere in vxorem, est opus meritorium, & proficit in remissionem peccatorum, *ex cap. Inter opera* 20.

4 Mulier, si inuita tradatur viro, cum quo postea spontaneè cohabitet, v.g. per annū cum dimidio, censetur tacitè consensisse, & sic coactio transit in consensum; & si mulier velit inducere testes ad probādam coactionem, non sunt admittendi, sed cōpelli debet cōiuges affectu matrimoniali se tractare, nisi velint paritèr ingredi Religionem, *ex cap. Ad id* 21. licèt hodie, attento iure nouissimo Concilij Tridentini *sess. 24. de reformat. matrimonij*, præsumptus consensus ex mutua cohabitatione non sufficiat, nisi de nouo ratificetur coram Parocho, & testibus, obseruata eiusdem Concilij forma. Guttier. *can. quæst. lib. 1. cap. 18. n. 7.* & alij.

5 Contrahens sponsalia iurata de futuro cum vna, si postea cum alia contrahat de præsenti, potest Iudex, hoc cognito, vt cōpellere, seruaretur secūdū matrimoniū, & imponere pœnitentiam viro per fractionem fidei, nisi fortè de iuramento præscripsit certum tempus contrahēdi, & per eum nō sterit in illo tempore: si verò cum vtraque contraxit de futuro, compelli debet seruare primum, & agere pœnitentiā, vt periurum de secundo: quod si de iis nō constat, tamdiù cognoscatur de causa, donèc sufficientèr Iudex super his instruatur, *ex cap. Sicut ex litteris* 22.

6 Contrahere potest Matrimonium omnis ille, qui non prohibetur, & sic surdus, & mutus possunt contrahere, quia sufficit consentire signis, & nutu, licèt non verbis, *ex cap. Cùm apud* 23. Furiosus perpetuus non potest contrahere matrimoniū, quia non potest consentire, *ex cap. Dilectus* 24. Furiosus habens lucida interualla, potest cōtrahere sponsalia, & matrimonium, quia tunc considerationis compos, potest consentire; ità apud Sanchez *disp. 8. num. 16.*

7 Matrimonium solùm legitimo consensu contrahitur; verba autem exprimentia consensum, requiruntur respectu Ecclesiæ; vndè surdi, & muti per consensum mutuū sine verbis contrahere possunt, & pueri ante ætatem per verba contrahere non possunt, quia non intelliguntur consentire, *ex cap. Tuæ fraternitati* 25.

8 Matrimonium re vera non est, si alter contrahentium decipit mulierem verbis æquiuocis, aut falsis, sine animo eam ducendi, & eam cognoscit carnalitèr, sed hoc in foro exteriori vix probari potest, *ex cap. Tua nos* 26.

9 Quando est fama, quòd intersit aliquod impedimentū consanguinitatis inter contrahere volentes, & isti producere volunt iuramenta maiorum, quòd nulla sit propinquitas, tunc Iudex non debet recipere iuramenta parentum, sed cōpellere debet parentes, vt desistant à tali contractu, vel exhibeant iuramenta propinquorum contrà dictam famam pro arbitrio Iudicis: sed si denuncians non est talis, & grauis, vel non potest docere de fama, &c. Iudex potest monere, vt desistant, sed non compellere contrahentes, *ex cap. Cùm in tua* 27.

10 Mulieres, quæ dicunt, se nunquam consensisse matrimonio, & sponsi legitimè probant contrarium cum idoneis testibus, nō sunt audiendæ: verùm si post benedictionem, & ante copulam fugientes, dicant, se metu consensisse, sunt audiendæ, & diligētèr debet inquiri de metu illarum, si est cadens in constantem virum, *ex cap. Consultationi* 28.

11 Libertas debet esse in matrimonijs, ideò parentes non possunt imponere pœnam in sponsalibus filiorum; & si ponatur, altera pars non potest exigere, quia talis promissio non obligat, *ex cap. Gemma* 29.

12 Sponsalia de futuro per copulam subsequentem transeunt in matrimonium, *ex cap. Is, qui fidem* 30. Verùm ex Concilio Tridētino, cessant talia matrimonia præsumpta; ità vt sponsalia non transeant in matrimonium per copulam subsequutam *sess. 24. de reformatione matrimonij cap. 5.*, nisi consensus verus, & expressus præstetur coram Parocho, & testibus; vndè hic Textus censetur correctus per dictum Concilium.

13 Sponsalia de præsenti non soluuntur per secundum matrimonium, etiam carnali copula consummatum, sed remanent in suo robore; at verò sponsalia de futuro etiam iurata soluuntur per sequentia de præsenti, *ex cap. Si inter* 31. Sponsus per verba de futuro, si sæpè permittitur habere copulam, & non habet, si contrahat cum secunda de præsenti, valet secundum matrimonium, quia in primo non fuit consensus

sensus de præsenti, nec præsumptus, nec conatus habuit effectum, *ex cap. Adolescens 32.*

14 Impedimentum publicæ honestatis oritur ex sponsalibus puris,& certis, licèt illa spōsalia essent nulla ex alio capite, dūmodo non sit ex defectu consensus; ità *ex cap. Sponsalibus vnic. de sponsal. & matrim. in 6.*: Item qui contrahit sponsalia cum vna purè, & determinatè, & posteà cōtrahit cum eiusdem consanguinea, debet accipere primā, quia ex secundis non oritur impedimentū publicæ honestatis, contrà primam, *ex cap. eisdem*: Item contrahens sponsalia cum aliqua sub conditione, & ante impletam cōditionem contrahit sponsalia de præsenti cum consanguinea primæ, matrimonium est cum secunda, quia ex sponsalibus conditionaris non oritur impedimentum publicæ honestatis, *ex cap. eisdem.*

PARAGR. IV.

Textus Sacrorum Canonum.

De desponsatione impuberum.

SVMMARIVM.

1 *Pater, pro quibus filijs possit contrahere.*
2 *Quinam dicantur puberes, &c.*
3 *Quando nam in sponsalibus oriatur impedimentum publicæ honestatis.*
4 *Contrahens sponsalia cum Puella minore septennio; an possit, &c.*
5 *Puella in annis nubilibus desponsata, & posteà renuens, &c. an possit alteri nubere.*
6 *Impuberes, contractis sponsalibus, an possint separari.*
7 *Quando possint separari.*
8 *Qui minores, contractis sponsalibus, non sint separandi.*
9 *Contrahens ante 12. annum, &c. an possit, &c.*
10 *Puella pubes impubere desponsata, &c. an possit alteri nubere.*
11 *Publica honestas matrimonium contrahendum impedit, &c.*
† *Sponsalia, quando etiam soluantur.*
† *Incestus matrimonium impedit.*
12 *Matrimonium, vel sponsalia irrita an possint accusari.*
13 *Matrimonium de præsenti cum Puella minore, &c. an teneat.*
14 *Sponsalia contracta inter minores septennio, &c. an teneant.*
† *Item contracta inter puberem, & impuberem.*

1 Pater pro filio impubere potest contrahere sponsalia, sed pro pubere non potest, nisi ille consentiat, *ex cap. Tua nos 1. de desponsat. impuberum.* Sponsalia contrahi non possunt ante legitimam ætatem, nisi ex vrgentissima causa, vt pro bono pacis, *ex cap. Vbi non est 2.*

2 Puberes dicūtur, qui ex habitu corporis concipere, & generare possunt, & Puerperæ sunt, quæ in annis puerilibus pariunt, & sic pubertas non consideratur ex numero annorum, *ex cap. Puberes 3.*

3 Quando adultus contrahit sponsalia cū minore septennio non oritur impedimentum publicæ honestatis, & si postquàm Puella compleuit septennium, illam duxit in vxorem, non tenet matrimonium, sed sunt separandi, quia cum ex tunc sponsalia consueuerunt placere, iam nō sunt valida, & si cognouit matrem, non potest cognoscere filiam, *ex cap. litteras 4.*

4 Sponsalia, quando contrahuntur cum aliqua puella, quæ non compleuit septem annos, si postea adueniēte septēnio, puella non vult consentire, sponsus potest accipere matrem Puellæ in vxorem; secùs est: sponsalia contrahat cum puella, quæ septem annos iam compleuit, tunc Puella licèt nolit consentire, & sit sponsus ipso iure absolutus, tamen ob honestatem non potest accipere matrem in vxorem, *ex cap. Accessit 5.*

5 Puella intrà nubiles annos desponsata, & traducta à viro, & posteà pubes facta dicat se nunquam consensisse, & alteri velit nubere, si vir iuret eam cognouisse, creditur viro, & non puellæ; si verò sit proxima pubertati, & cum suo consensu despōsata, & cognita à viro, non debet separari, præsertim si parentes eius dicant illā fuisse in ætate legitima, *ex cap. Continebatur 6.* Itē si intra nubiles annos Puella desponsata est, non licet sponsæ accipere cōnsanguineum sponsi, nec sponso consanguineam sponsæ, *ex eodem cap.*

6 Impuberes, si sponsalia contrahant, & postulent posteà separari ante annos aptos matrimonio, non sunt audiendi, & ille, qui primò fit pubes, alterum expectabit, pubes tamen quilibet factus potest à sponsalibus resilire; si verò quando contraxerunt sponsalia, vnus erat pubes, & alter non, qui erat pubes non potest separari, nisi minor cùm peruenerit ad ætatem, petat separari, *ex cap De illis 7.*

7 Impuberes contrahentes sponsalia, ante pubertatem non debent separari, post pubertatem separari possunt, si simul esse nolunt, nisi intercesserit copula, cùm malitia suppleat ætatem, *ex cap. A nobis 8.*

8 Minores, qui possunt copula carnali cōiungi, si desponsantur, & traducuntur, non sūt separandi, secùs si intercessit violentia, nisi post violentiam accedat consensus, *ex cap. 2. De illis 9.*

9 Iuuenis nondum 12. annum attingens, si contrahat, & nitatur mulierem corrumpere, sed id facere non potuit, & mulier, non probat iuuenem consensisse circà 14. annum suæ ætatis, accepto iuramento ab ipso, quod in legitima ætate consenserit, si modo non vult, est liberandus à petitione mulieris, & potest vterque ad secunda vota transire, *ex cap. Attestationes 10.*

10 Puella pubes despōsata cum viro impubere, & deindè incerta traducta in domū sponsi, à quo post annum recedit, non cognita, si non vult expectare, donèc vir habeat ætatem, potest alteri nubere, *ex cap. Ex litteris 11.*

11 Matrimonium contrahendum impedit & contractum dirimit publica honestas;

† Item incestus impedit matrimonium con-

trahendum, & qui sine iudicio Ecclesiæ vxorem dimittit, est puniendus, *ex cap. Duo pueri* 12.

12 Matrimonium, vel sponsalia, quæ non sunt, vt si cum minore septennio contrahantur, non possunt accusari, denunciari tamen potest impedimentum, ne contrahantur in posterum, *ex cap. Ad dissoluendū* 13.

13 Matrimonium de præsenti si contrahatur, & puella non est in ætate, nec malitia supplet ætatem, licet vir dederit ei arrham, non est matrimonium, sed spōsalia, *ex cap. Tue vobis* 14.

14 Quando duo infantes, vel vnus saltem minor septennio contrahunt, sponsalia sunt nulla, & quamuis deinde veniant ad ætatem, non conualescunt, nec inducunt impedimentum publicæ honestatis, nisi septennio exacto, cognoscatur de nouo consensisse expressè, vel tacitè, veluti verbo, seu facto, vel cohabitatione, *ex cap. Si infantes vnā de desponsat. impuberum* in 6. sponsalia per verba de præsenti contracta inter impuberem, & puberem, vel inter impuberes non proximos pubertati, valent, vt sponsalia de futuro, nec in matrimonium transeunt, ex sola perseuerantia ætatis, nisi aliter approbentur, inducunt tamen publicam honestatem, *ex eodem capite*. Item sponsalia pro absentibus filijs non tenent, nisi ipsis præsentibus, vel nisi approbauerint expressè, vel tacitè, *ex cap. etiate*.

PARAG. VI.

Textus Sacrorum Canonum. De Clandestina desponsatione.

SVMMARIVM.

1 *Clandestinū matrimoniū, si negetur, à quo probandū.*
2 *Ecclesia nō iudicat de matrimonijs clandestinis, &c.*
3 *Ante matrimonium, debet præfigi terminus ad impedimenta, si qua sint, reuelanda.*

1 QVando quis clàm desponsauit matrimonium, & vir, vel mulier negat desponsationem, probatio incumbit viro, *ex cap. Si quis* 1. *de Clandestina desponsat*.

2 Ecclesia nō iudicat de clandestinis matrimonijs, sed si contrahentes volunt in Ecclesia publicari, sunt recipienda, & comprobanda, *ex cap. Quod vobis* 2.

3 Matrimonia quando sunt contrahenda, debent in Ecclesia edicta proponi præfixo termino, ad impedimenta reuelanda, quæ etiam ipsi Presbyteri inuestigare debent; si autem probabilis coniectura reueletur contrà copulam, interdici debet matrimonium, donec cognoscatur quid agendum, *ex cap. Cum inhibitio*. 3.

PARAG. VII.

Textus Sacrorum Canonum. De sponsa duorum.

SVMMARIVM.

1 *Contrahens cum vna de præsenti, & cum alia de futuro, &c., cui nam sit adhærendum.*
2 *Coniugium cum vxore alterius an valeat, &c.*
† *Matrimonium de præsenti, non soluitur per aliud.*
3 *Appellans in causa matrimonij ad Sedem Apostolicam, interdicitur, durante appellatione, nouum matrimonium.*
4 *Contrahens de præsenti, cum vna, & mox cum alia, prima debet adhærere.*

1 MAtrimonium de præsenti contrahens successiuè, cum duabus, tenetur adhęrere primę: si autem primum contraxit, per verba de futuro, deinde secundum, per verba de pręsenti, adhęrere debet secundę, *ex cap. Duobus* 1. *de sponsa duorum*.

2 Ducens coniugem alterius in vxorem nunquam poterit esse eius legitima vxor, & debet quadraginta diebus ieiunare in pane, & aqua, & pænitere per septem annos, *ex cap. Accepisti* 2. Matrimonium de pręsenti nō soluitur per alterum sequutū, etiam cum copula, & debet vir cogi redire ad primam, *ex cap. Licet* 3.

3 In causa matrimonIali appellans ad Sedem Apostolicam, interdicendus est, nè ante cognitionem causę, & lite pendente, aliud matrimonium contrahat, & si contrahit, matrimonium est nullum, *ex cap. Tua fraternitas*. 4.

4 Contrahens de pręsenti cū vna, & ante copulam contrahens cum alia, primam desponsatam debet habere in vxorē, quia solus consensus sine copula sufficit, nec valet consuetudo in contrarium, *ex cap. Tuas dudum*. 5.

PARAG. VIII.

Textus Sacrorum Canonum, De conditionibus appositis.

SVMMARIVM.

1 *Conditionis nomine, matrimonium non frangendum.*
2 *Iurans cum aliqua contrahere, sub conditione, &c. an, cessante tali conditione, teneatur ducere.*
3 *Contrahens sub conditione non improbata, &c. an sit cogendus, &c.*
4 *Contrahens sponsalia sub conditione inhonesta, &c. an teneatur, &c.*
5 *Matrimonium sub conditione ipsi contraria, non tenet: secus sub turpi, &c.*

1 COnditionis nomine, non debet frangi matrimonium, sed iniecta conditione, desponsatio irrefragabiliter teneat, *ex cap. Qui vinge*. 1. *de conditionibus appositis*.

2 Iurans aliquam accipere, si centum donauerit, si centum non dederit, non tenetur eam accipere, nisi consensus de pręsenti, seu carnalis commixtio intercessisset, *ex cap. De illis* 3.

3 Matrimonium contrahens, sub conditione non improbata ab Ecclesia, vt *contraho tecum, si pater meus voluerit*, non est cogendus ad contrahendum matrimonium, nisi accedat voluntas patris, quia consensus positus in alieno arbitrio, non dicitur liber,

liber, nec potest dici cõsensus de presenti, *ex cap. Super eo. 3.*

4 Sponsalia contrahens, sub conditione honesta, vt *si meus pater velit*, & antè expletam conditionem, habet copulam, recedit à conditione, & tenet. *ex cap. Per tuas 6.*

5 Matrimonium contractum cum conditione contraria coniugio, vt *si euites generationem prolis, vel si adulterabis, &c.* matrimonium non tenet: at si cum conditione turpi, vel impossibili, matrimonium tenet, & coditio censetur pro nõ adiecta, *ex cap. Si conditiones. 7.*

PARAG. IX.

Textus Sacrorum Canonum.

Qui Clerici vel vouentes, &c.

SUMMARIUM.

1. *Diaconus, si quando vxorem ducat, dimittere tenetur, &c.*
2. *Subdiacono, qui vxorem duxerit, quid agendum.*
3. *Votum solenne impedit & dirimit matrimonium: non ita simplex.*
4. *Suscipiens habitum &c. Religionis à non habente potestatem, an possit nubere.*
5. *Mulier, contractis iam sponsalibus, vouens castitatem, an, si timeat, &c. possit nubere.*
6. *Iurans post votum castitatis, alicui nubere, ad quid teneatur.*
7. *Matrimonium solenniter vouentis non tenet.*

1 Diaconus, si vulnerauit alium Diaconum; & vxorem duxit, illam dimittere tenetur: si autem contritus accedat, debet absolui, & penitentia pro vtroque excessu iniungi, qua peracta, si fuerit perfectæ vitæ, & conuersationis, Episcopus potest dispensare cum eo, vt exerceat officium Diaconatus, & ascendat ad Sacerdotium. Subdiaconus non potest contrahere matrimonium, siue fuerit homicida, siue non, *ex cap. De Diacono. 1. qui Clerici, vel vouentes*. Matrimonium contractum post ordinem Sacrum, est irritum, ex communi Doctorum sententia.

2 Subdiaconus, qui de facto contrahit matrimonium, debet prius ad religionem transire, sed post laudabilem cõuersationem, si Episcopus iudicauerit, potest ei concedere, vt ad altiores promoueatur: si verò non vult transire ad religionem, non est permittendum, vt ascendat ad maiores, nec vt ministret in subdiaconatu, poterit tamen ministrare in minoribus; ità *cap. ex litterarum. 2.*

3 Votum solenne impedit, & dirimit matrimonium posteà contractum; simplex verò impedit, sed non dirimit. *ex cap. Meminimus 3.*

4 Suscipiens à non habente potestatem, habitum professorum, vel velamen virginum, nec propriis renuncians, si deinde dimittat habitum, non potest contrahere, sed si contrahit, matrimonium tenet; quia susceptio habitus religiosi, sicut & votum simplex, impedit contrahendum, sed non dirimit contractum, *ex cap. Consulit. 4.*

5 Mulier, quæ postquàm contraxit sponsalia, vouit castitatem, & ob id sponsus aliam duxit, si non valet continere, seu timet peccatum fornicationis, potest petere ab Ecclesia dispensationem, & nubere alteri, imposita penitentia pro fide mẽtita, & voto violato, *ex cap. 1 Veniens. 5.*

6 Castitatem vouens, si deinde iurat aliquam ducere, seruare debet votum, quia votum simplex non obligat minùs apud Deum, quàm solenne, & agere penitentiam de iuramento temerario: si vero de presenti contraxit matrimonium, tenet, quia votum simplex impedit, sed non dirimit, *ex cap Rursus. 6.*

7 Solenniter vouens, licèt cum modica coactione, quam patientia, & perseuerantia temporis per se tollit, si deinde contrahat matrimonium de presenti, non tenet sed cogendus est per censuram, vt reuertatur ad religionem, *ex cap. Insuper. 7.*

PARAG. X.

Textus Sacrorum Canonum.

De eo qui duxit, &c.

SUMMARIUM.

1. *Contrahenti matrimonium cum secunda, sospite adhuc prima, &c. quid agendum.*
2. *Contrahes, viuente prima, cum secunda, quam, &c. an mortua prima possit, &c.*
3. *Viuente prima ducens secundã, quæ aliquid molita, &c. an possit, &c.*
4. *Viuente prima contrahens cum secunda, conscia, &c. an mortua prima, sit separandus, &c.*
5. *Ducens adulterã, viuente vxore; an hac mortua, debeat ab illa separari?*
6. *Viuente vxore, habens copulam, cum aliqua; illa mortua, hanc potest ducere, nisi, &c.*
† *Matrimonium, viuente prima, cum secunda, ignara, &c. an prima mortua, teneat.*
7. *Ducens viuente prima, secundã, quam tamen, &c. an mortua prima, possit, &c.*

1 Matrimoniũ contrahens, viuente prima, cum secunda hoc ignorante, si moriatur prima, & vir petat diuortiũ à secunda, non sunt separandi, nisi vir petat diuortium, non obstante, quòd secundum iura, vir non possit ducere illam, quàm polluit per adulterium, cùm dedit fidem, viuente prima, vel quæ machinata est in mortem vxoris, ità *ex cap. Propositum. 1. de eo qui duxit, &c.* quod tamen intelligendum est, dummodò perseueret prior consensus elicitus, qui propter impedimentum iuris, tunc non poterat sortiri suum effectum.

2 Qui postquàm contrahit cum vna scienter, cum alia contraxit, cum qua habet copulam, si primum matrimonium non fuit validum, vtporè quia coactum, nec eã cognouit, habebit secundam: si verò fuit validum, licèt prima sit mortua, nõ potest habere secundam, si scienter contraxit; secus si ignoranter, sed aliam ducere potest, *ex cap. Significauit. 2.*

3 De facto contrahens, cum aliqua, viuente prima vxore, si ista adultera aliquid est machinata in mortem vxoris, siuè fidem dederit, quòd defuncta prima, eam duceret, secundum iura, non potest in perpetuum illam habere, *ex cap. Super hoc. 3.*

4 Matrimonium contrahens, cum secunda conscia primę viuentis, etiam ob adulteriũ separatę, & factę Monachę, mortua prima, est separandus à secunda, & facta pęnitentia de adulterio, potest accipere, non secundam, sed aliam, ità *cap. ex Litterarum. 4.*

5 Viuente legitima vxore, si quis cum aliqua adulterauit, & iniurius vocatus, abjurauit, adulteram, mox spreto iuramento cùm ea contraxit, viuente legitima vxore, & diù idest per decem annos vixit cum ea, habens ab ea plures filios, isti omninò sunt separandi, etiam mortua legitima vxore, & iniuncta pęnitentia, est eis indicenda perpetua continentia, quia Ecclesiam scandalizarunt graui scandalo, pręsertim, si iam sunt senes, & Episcopus prouideat vt ipsi pro suis viribus filijs prouideant, *ex cap. Cum haberet. 5.*

6 Vxore viuente, habens copulam, cum altera, mortua vxore, si non præcessit fides, vel machinatio, potest illam ducere,
† *ex cap. Significasti. 6.* Vxoratus si contrahit, cum secunda huius rei ignara, mortua prima, potest secundam habere, si de nouo consentiat, dummodò non præcesserit machinatio, vel fides, *ex cap. Veniens. 7.*

7 Vxore prima viuente, contrahens cum secunda, quam tamen non cognouit, antè contractum, vel post, mortua prima; si contrahit cum secunda, matrimonium tenet, vtrique tamen pro isto debito pœnitentia iniungi debet; secus, si viuente vxore, illam cognouit antè, vel post fidẽ, seu matrimonium, *ex cap. Signif. 8.*

PARAG. XI.

Textus Sacrorum Canonum.

De coniugio leprosorum.

SVMMARIVM.

1 *Coniuges nõ debẽt inter se separari, etiãsi alter, &c.*
2 *Propter lepram, &c. an possint separari.*
3 *Matrimonium à seruo contractum, contra-nitente Domino, an teneat.*
4 *Matrimonium serui cum nesciente, &c. an teneat.*
5 *Contrahens ignoranter cum serua, &c. an cognita, &c. possit aliam ducere.*
6 *Nati ex libera, &c. an sint liberi.*

1 Vir, & vxor, cùm sint vna caro, non debet alter sine altero esse diutiùs: quare si alter incidit in lepram, debet coniux illum sequi, & affectu maritali ei ministrare, & si ad hoc ab Episcopo induci nõ potest, Episcopus imponat, vt vterque, altero viuente, seruet continentiam; quod si contemnat, excommunicet, *ex cap. 1. Peruenit 1. de coniugio leprosorum.*

2 Coniuges, propter lepram non sunt separandi à coniugio: Item leprosi possunt contrahere matrimonium, si inueniant mulieres, quæ illos velint, & vxor tenetur reddere debitum leproso, & è contra, nam enim fit separatio, nisi causa fornicationis, *ex cap. Quoniam 2.*

3 Seruus, Domino inuito, & contradicente Domino, matrimonium contrahat, tenet, sed debet exhibere à Domino seruitia consueta, *ex cap. Dignum est 1. de coniugio seruorum.* Matrimonium contrahens ignoranter cũ Ancilla, vbi hoc sciuerit, poterit eam dimittere, restituta dote: si vero postquam sciuerit, illam carnaliter cognouit, non potest, *ex cap. Proposuit 2.*

4 Mulier, quæ ignorans contraxit cum seruo, si seruus probet, suum patrem fuisse liberum, & secundùm morem Prouinciæ illius partus sequitur patrem, & à decennio non fuit molestatus cum libertate, matrimonium tenet, quia fauore libertatis, liber censetur, *ex cap. Licèt 3.*

5 Ignoranter matrimonium contrahens cum serua, si deindè cognita ipsius conditione, nec verbo, nec facto consentit cum illa, potest aliam ducere, *ex cap. Ad nostram 4.*

6 Filij nati ex libera, vel liberta, sunt liberi, & Ecclesiæ debet libertatem potiùs defendere, quàm impugnare, *ex cap. Inducens 1. de natis ex libero ventre.*

PARAGR. XII.

Textus Sacrorum Canonum.

De cognatione spirituali.

SVMMARIVM.

1 *Filij duorum Compatrum, &c. an possint inter se contrahere.*
2 *Filij duorum Compatrum, ratione quorum, &c. an possint, &c.*
3 *Per Compaternitatem, impeditur contrahendum, sed non dirimitur contractum matrimonium.*
4 *Filij Compatrum, quorum alter, &c. si contrahant, an separandi.*

1 Filij duorum Compatrum, quorũ neuter deuenit ad compaternitatem, licitè contrahunt, nisi consuetudo repugnet: Separantur autem, si per eorum alterum, vel vtrumque compaternitas est contracta, *ex cap. Vtrum 1. de cognat. spirituali.* Compaternitas scienter, vel ignoranter superueniens inter coniuges, coniugium nõ dissoluit, *ex cap. Si vir 2.*

2 Filij compatrum, ratione quorum, non fuit contracta compaternitas, licèt inuicem possint contrahere matrimonium, nisi consuetudo Metropolitanæ Ecclesiæ, vel vicinorum aliter contraria, & dirimat talia matrimonia, quia seruanda est, *ex cap. Super eo 3.* Compaternitas efficax ad matrimonium dirimendum, contrahitur inter patrem baptizati, & vxorem leuantis priùs ab eo cognitam, *ex cap. Martinus 4.*

3 Compaternitas per cathechismum impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum, *ex cap. Contractu 5.* Cognatio spiritualis valida ad dirimendum

dum matrimonium nascitur inter patrem baptizati, & leuantem, seu tenentem baptizatum, *ex cap. Veniens 6.*

4 Filij duorum Compatrum, per quorum alter deuentum est ad compaternitatem, si matrimonium contrahant, separari debent; quia non tenet, & scientes impedimentum tempore contractus illud denunciare debent, *ex cap. Ex litteris 8.*

PARAG. XIII.
Sequuntur supradicti Textus.

SVMMARIVM.

1 *Quodnam impedimentum intercedat inter baptizatum, suscipientem, &c.*
2 *Cognatio per cathechismum contracta quomodo impediat.*
3 *Accedentes ad susceptionem baptizandi, &c. omnes contrahunt cognationem.*
4 *Cognatio legalis quorum matrimonium dirimat?*

1 Inter baptizatum, ac suscipientem, ipsiusq; filios, & vxorem, ante susceptionem carnaliter cognitam, & inter suscipientem, patremque baptizati, ac matrem, est impedimentum dirimens contrahendum, & contractum. Iisdem modis contrahitur cognatio spiritualis in Cõfirmatione, *ex cap. Nõ dum, de cognat. spirituali in 6.* Item Confirmatio frõtis inducit spiritualem cognationem, sicut baptisma, *ex eodem cap.*

2 Cognatio cõtracta per cathechismum, impedit matrimonium contrahendum, sed non impedit contractum, *ex cap. Per cathechismum 2.*

3 Quamuis vnus solus vir, & vna mulier debeant accedere ad suscipiẽdum in baptismo, vel Confirmatione, tamen si plures accedant, omnes contrahunt cognationem spiritualem, *ex cap. Quamuis 3.*

4 Cognatio legalis impedit, & dirimit matrimonium inter adoptatum, & filios carnales adoptantis, durante adoptione, *ex cap. Si qua de cognat. legali.*

PARAG. XIV.
Textus Sacrorum Canonum.
De eo, qui cognouit.

SVMMARIVM.

1 *Priuignam suam sciens carnaliter cognoscens, an possit à matre debitum petere, &c.*
2 *Sponsalia de futuro contracta cum filia ab eo, qui matrem, &c. an teneant.*
3 *Dicente vno se cognouisse fratris vxorem, &c. an soluatur matrimonium.*
4 *Affinitas post matrimoniũ afferta, illud nõ dirimit, &c.*
5 *Contrahens cum Puella septem annorum, quam polluit, an possit eius sororem ducere.*
6 *Contrahens cum aliqua, cuius sororem corrupit, nequaquam potest ducere.*

1 Filiastram suam, qui scienter cognouit, nõ potest petere debitum à matre, nec vnquam habere filiam in vxorem, nec ipse, nec filiastra vnquam poterunt matrimonio alicui copulari, *ex cap. Si quis 1. de eo, qui cognouit, &c.*

2 Sponsalia de futuro contrahens cum filia, si cognouit matrem, soluuntur sponsalia; secus si esset matrimonium de præsenti, item incæstuosus, vt qui cognouit vxorem patris, vel matrem vxoris, non potest aliam ducere, nisi ex dispensatione, *ex cap. Veniens 1. 2.*

3 Matrimonium non separabitur ex dicto vnius asserentis, se priùs cognouisse coniugem sui fratris, nisi hoc publicum sit, & notorium, aut probetur idoneis testibus, *ex cap. De illo 3.* Vxore mortua, si quis cognouerit eius filiam, idest priuignam, & postea ducit aliam, potest reddere, sed non potest petere debitum, & agere debet pœnitentiam: si verò superuixerit, quia incæstuosus, sine spe coniugij manere oportet *ex cap. Transmissæ 4.*

4 Matrimonium separandum non est, etiamsi vterque coniugatus fateatur, ante matrimonium præcessisse affinitatem, & sit rumor viciniæ de tali, nisi accedant rationabiles, & fide dignæ probationes, *ex cap. Super eo 5.* Affinitas superueniens non dirimit contractum matrimonium de præsenti, *ex cap. Discretionem 6.* Item maritus, qui tradit vxorem adulterandam, præsertim inuitam, non potest ei obijcere de adulterio, nec separari, & nemo debet sine sua culpa priuari iure suo, *ex eodem cap.*

5 Sponsalia contrahens cum Puella septẽ annorum, & eam polluens, non potest habere eius sororem in vxorem, *ex cap. Fraternitas 7.* Sponsalia rumpit, qui carnaliter cognoscit matrem sponsæ de futuro, & neque mater, neque filia, neque ipse poterunt amplius contrahere matrimonium cum aliqua, nisi de lapsu carnis timeatur, *ex cap. Ex litteris 8.*

6 Cognoscens vnam, & mox contrahens cum alia sorore, debet ab vtraque abstinere, *ex cap. 2. Veniens 9.* Affinitas superueniens non dirimit matrimonium, sed impedit debiti petitionem, *ex cap. Fraternitatis 10.*

PARAG. XV.
Textus Sacrorum Canonum.
De consanguineis, & affinibus.

SVMMARIVM.

1 *Affinium contractus, in quo gradu separet matrimonium.*
2 *Dispensatio pro matrimonio in quarto gradu, non valet, si veritas, &c.*
3 *Matrimonium inter infideles in gradu prohibito contractum, an post conuersionem teneat.*
4 *Dispensatio ad matrimonium in gradu prohibito, quando non valeat.*
5 *Dispensatio de consanguinitate pro diuersis, à quo debeat suscipere.*
6 *Potest contrahi matrimonium sine dispensatione, si alter in quarto gradu, alter in quinto distet.*

1 Matrimonium separatur, si per testes, omni exceptione maiores inueni-tur.

tur, contrahentes in aliquo ex primo gradu vſque ad quartum conſanguinitatis, vel affinitatis contraxiſſe, *ex cap. Ex litteris 1. ex conſanguinit. & affinit.* Puellam ſi quis deſponſauit, & poſteà percipit, illius propinquam ſe carnaliter cognouiſſe, ſi fama locì hoc habet, liberatur à ſponſalibus, *ex cap. Super eo 2.*

2 Diſpenſatio, quando alicui conceditur, vt poſſit cōtrahere in quarto gradu, vterque debet diſtare in quarto, alioquin ſi alter diſtaret in tertio ſtipite, non valeret diſpenſatio, præterim ſi hoc habeat conſuetudo loci, cui ſtandum eſt ad vitandum ſcandalum, *ex cap. Quod dilectio 3.*

3 Infideles coniuncti matrimonio in gradu prohibito ab Eccleſia, ſi conuertantur, non ſunt ſeparandi, quia quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, *ex cap. De infidelibus 4.* Conſanguinei mariti poſſunt accipere conſanguineas vxoris, quia nulla eſt affinitas: Item conſuetudo contrahendi intrà gradus prohibitos, eſt corruptela, & non valet, *ex cap. Quod ſuper 7.*

4 Diſpenſatio obtenta à Papa ſuper matrimonio inter conſanguineos contracto in gradu prohibito, non valet, ſi ibi cauſa falſa ſit expreſſa, niſi poſteà eam Papa cōfirmaret, *ex cap. Quæ circà 6.*

5 Teſtes, qui producuntur ad faciendum diuortium, & deponunt de conſanguinitate, debent incipere à parentibus, idest à ſtipite, diſtinguēdo gradus per ordinem, deſignando perſonas proprijs nominibus, &c. præſertim quia ſæpè teſtantur de auditu, quod minus eſt validum; ideò in hac materia non eſt nimium laxanda facultas, *ex cap. Tua nos 7.* Prohibitio coniugij non extēditur vltrà quartum gradum, licèt olim ſolùm extenderetur in ſecundo, & tertio gradu affinitatis, *ex cap. Non debet 8.*

6 Vir, ſi diſtat à ſtipite in quarto gradu, & mulier in quinto, poſſunt ſine diſpenſatione contrahere, quia quanto gradus remotior diſtat à ſtipite, in tanto diſtat à quolibet deſcendentium per aliam lineam ex eodem ſtipite, *ex cap. Vlt. qui 9.*

P A R A G. XVI.

Textus Sacrorum Canonum.
De frigidis, & maleficiatis.

S V M M A R I V M.

1 *Maritus affirmans ſe frigidum ad copulam, an ſeparandus.*
2 *Impotentes ad copulam, inepti matrimonio.*
† *Item mulieres arctæ, &c.*
3 *Ad probandam impotentiam coeundi, triennium aſſignatur.*
4 *Mulier arcta, quando non cenſeatur ſeparanda, &c.*
5 *Mulier probans per triennium viri impotentiam, an ſit ſeparanda, &c.*

1 Maritus, ſi tranſacto aliquo tempore, dicat ſe eſſe frigidum ad copulam, & ſi vxor idem affirmat, & probari poteſt per verum iudicium, ſeparari debent, ſed ſi deindè vir aliam ducit, eſt periurus & cogendus redire ad primam, facta pœnitentia: ſi vero vxor poſt annum, aut ſex menſes dicat maritum non poſſe coire, & maritus negat, creditur marito, quia vxor tero reclamauit: ſi verò poſt méſem, vel duos reclamauit, ſi hoc poteſt probari per verum iudicium, ſeparabitur, & mulier nubet, cui vult, *ex cap. Accepiſti 1. de frigidis, &c.*

2 Sicut puer, qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus coniugio; ſic qui ſunt impotentes, non ſunt apti ad matrimoniū, *ex cap. Quod ſedem 2.* Contrahens matrimonium cum muliere arcta, quæ arte medicorum adiuuari nō poteſt, matrimonium non tenet, ſed viro datur licentia ducendi aliam, *ex cap. Ex litteris 3.* Sciētèr contrahens cum arcta Eccleſia, ità ſolet iudicare, vt ſi non poſſit eam habere vt vxorem, habeat vt ſororem, *ex cap. Conſultationi 4.*

3 Impotentia coeundi, vbi ſtatim probari non poteſt, datur triennium ad experiendum, & mulier ſi per iſtud iudicium probat, virum non poſſe coire, alium accipere poterit: ſi autem vir aliam acceperit, ſeparentur: quòd ſi verò ambo fatentur, quod ſe nunquam cognouerūt, & cum legitima manu propinquorum, vel ſi deeſſent, vicinorum bonæ famæ, tactis Euangelijs id iurent, tunc mulier poterit ſecūdum maritum accipere; vir autem ſi aliam duxerit, reuertatur ad primam, & ſunt perjuri, *ex cap. Laudabilem 5.*

4 Impedimētum arctationis mulieris, quæ citrà Diuinum miraculum remoueri poteſt, non eſt perpetuum, quare ſi per ſententiam Eccleſiæ, ex errore informationis ſeparata fuit à marito, & ipſa alteri ſe cōiuuxit, relicto ſecundo, debet redire ad primū. Verùm ſi mulier ſeparata eſt profeſſa Religionem, & vir aliam duxit, tenet ſecundum, quia prius non erat confirmatum; ſi ſecùs, redeat ad primam, niſi ex eo, quod fuerit cum alio fornicata, a viro repellatur, *ex cap. Fraternitatis 6.*

5 Si mulier dicit, per triennium habitaſſe cum viro, & illum eſſe impotentem cum illa, ſed nō cum alijs, & ſi per inſpectionem Matronarum mulier reperitur virgo, & facta inquiſitione, non reperitur aliqua carnaliter cognita à viro illo, ſi conſtet, per triennium ſimul habitaſſe, & ipſi cum manu propinquorum iurent, ſe nequiuiſſe carnaliter commiſceri, inter eos ſententia diuortij proferenda eſt, *ex cap. Litteras 7.*

P A R A G. XVII.

Textus Sacrorum Canonum.
De matrimonio contracto contrà, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Matrimonium contra Iudicis interdictum contractum, an teneat.*
2 *Item ſponſalia de præſenti, contrà, &c. an teneant.*
3 *Conſanguinei contrà Iudicis præceptum contrahentes, ſeparandi.*

1 Ma-

MAtrimonium contractum contrà interdictũ Iudicis Ecclesiastici, tenet, sed pro mandato ipreto imponenda est illi penitentia; *ex cap. Litera. 1. de matrim. contracto.* contrà interdictum Ecclesiæ.

2 Cõtrahens sponsalia cũ vna cõtrà interdictum Ecclesiæ, si ipreto interdicto, de præsenti contrahat cum alia, matrimonium tenet, sed penitentiã de excessu agere debet, *ex cap. Ex literis. 2.*

3 Consanguinei, si contraxerunt contrà præceptum Iudicis, nè contrahant, donec de causa cognoscatur, & hoc non obstãte, contraxerunt, sunt separandi, sub pena excommunicationis, donec plenè constet de causa, *ex cap. De Muliere. 3.*

PARAG. XVIII.

Textus Sacrorum Canonum.

Qui filij sunt legitimi.

SUMMARIUM.

1 *Illegitimus ex soluto, &c., per subsequens matrimonium legitimatur.*
2 *Concepti ex matrim. celebrato, &c. an facto diuortio, sint legitimi.*
3 *Coniugibus negantibus, aliquẽ esse proprium filium, an sit standum?*
4 *Causa de natiuitate: &c. ad quem spectet.*
5 *Nati ex soluta, &c. per subsequens matrimonium sunt legitimi: non ita spurij, &c.*
6 *Proles ex coniugibus, qui soluto primo, secundum matrimonium contraxerunt, an legitima.*
7 *Illegitimi quinam sint.*
8 *Papa illegitimos potest legitimare.*
9 *Proles vxoris nescientis, virum eam fuisse coniugatum, an legitima.*

1 ILlegitimus naturalis natus ex soluto, & soluta, per subsequens matrimoniũ legitimatur, etiam quoad hæreditatem, & si Pater vult, ob hanc causam hæreditate priuare, est excommunicandus, *ex capite Conquestus. 1. qui filij sint legitimi.*

2 Quando matrimonium in facie Ecclesiæ est contractum, si postcà per sententiam fiat diuortium, filij concepti, & geniti habentur legitimi, & succedunt hæreditario iure in bona paterna; & sunt nutriendi *ex cap. Cum inter. 2.*

3 Maritus, & vxor, quando negant, aliquem esse suum filium, sed solùm pietatis gratia illum nutriisse, quamuis à vicinia spurius credatur, tamen standum est verbo viri, & mulieris, nisi certis indicijs, & testibus constet, esse eorum filium, *ex cap. Transmissæ. 3.* Proles est illegitima; quæ nascitur ex muliere, & alio viro, quam habet, vt maritum, dum viuit verus maritus, *ex cap. Causam quæ. 1. 4.*

4 Causa natiuitatis oppositæ petenti hæreditatẽ coram Iudice sęculari, spectat ad Ecclesiasticum; & si intrà duos menses pars non probat, quod obijcit, Iudex laicus de hæreditate iudicare potest, ac si non ageretur de causa natiuitatis; sed hoc debet insinuari à Iudice Ecclesiastico, *cap. Lator. 5.*

5 Filij naturales ex soluto, & soluta geniti, per subsequens matrimonium legitimantur: spurij verò, qui ex coniugato, & soluta nati sunt, non legitimantur, *ex cap. Tanta. 6.* Ecclesia non cognoscit de causa ciuili inter laicos; benè tamen cognoscit de causa natiuitatis; an scilicet quis sit natus de legitimo matrimonio, *ex cap. 2. Causam quæ. 7.*

6 Mulier, si per iudicium Ecclesiæ, est separata à viro, & viuente illo, de licentia Ecclesiæ, alium ducit, proles suscepta ex secũdo est legitima, & capax hereditatis, *ex cap. Relatum. 8.* filij nati ex clandestino matrimonio, sed deindè ab Ecclesia approbato, sunt legitimi, & hæredes, *ex cap. Quod nobis. 9.*

7 Illegitimi sunt filii nati contrà publicę honestatis iustitiam, & ab hæreditate parentũm excludendi, *ex cap. Referente. 10.* Matrimonium quando fuit legitimè celebratum, ad probandum, prolem esse illegitimam, non sufficit probare impedimentum matrimonij, prę sertim quia quamdiù vixerint, quietè simul permanserunt, sine reclamatione. *ex cap. Per tuas. 11.* Testes quãdo probant illam, quam vicinia putabat esse concubinam, fuisse desponsatam de pręsenti, filius habetur legitimus, *ex cap. Per tuas. 12.*

8 Papa in toto Orbe potest illegitimos legitimare ad actus spirituales: In terris Ecclesiæ potest liberè illegitimos legitimare in terris verò alienis, minimè, nisi ex causis multum arduis, *ex cap. Per venerabilem. 13.*

9 Coniugatus quando ducit aliam in facie Ecclesiæ, quæ ignorat, illum esse coniugatum; eius proles iudicatur legitima, *ex cap. Ex tenore. 14.* Filij infidelium, qui contraxerunt in gradù prohibito ab Ecclesia, post fidem receptam, reputantur legitimi. *ex cap. Gaudemus. 15.*

PARAG. XIX.

Textus Sacrorum Canonum.

Qui matrimonium accusare possunt.

SUMMARIUM.

1 *Absente marito, &c. an possit causa matrimonij de impedimentis, &c. cognosci, &c.*
2 *Accusatio, &c. in causa matrimonij vnde debeat fieri.*
3 *Puella inuitò ducta, sed sponsò cognita, an reclamatio audienda.*
4 *Qui nam ab accusatione matrimonij repellantur.*

1 QVando tractatur de validitate matrimonij, ob allegationem volentis probare impedimentum, v. g. cognationis, si maritus est absens, & cùm omni diligẽtia requisitus, nequit inueniri, & manifestum est, quod asseritur, aut apparent legitimi accusatores, & testes illi possunt recipi, & causa secundùm canones terminari, *ex cap. Relatum. 1. qui matrimonium accusare possunt, vel contrà illud testificari.*

2 Accusatio, & testimonia in causa matrimoniali,

moniali, in fcripturis fieri non debent, fed perfonalitèr, quia fcriptura etiā fi valeat quantum ad præfumptionem; tamen non valet quoad fententiam, nifi alia legitima adminicula fuffragentur, *ex cap. A nobis. 2.* In caufa matrimonij coniungendi, vel disiungendi ad teftificandum, admittantur parentes, quibus deficientibus, proximiores; fecùs in criminalibus, & contractibus, *ex cap. Videtur. 3.*

3 Puella innubilis, quæ inuita contraxit, poftea in ætate fponfe cognita, fi dicat, fe nunquam confenfiffe, & hoc probet per teftes preclaros fama, non eft audienda, quia antequàm cognofceretur, cum potuit, non reclamauit, *ex cap. Infuper. 4.*

4 Matrimonium accufans pro quæftu, eft repellendus, *ex cap. Significante. 5.* Matrimonium iam factum accufans, repellitur, qui denunciationis tempore tacuit, nifi eo tēpore fuerit extra Diœcefim, aut denunciationem probabilitèr ignorauerit, aut alia de caufa impeditus; vel fi iuret de nouo id fciuiffe ab alijs, qui fciuerunt denunciationes, quia tunc eft audiendus, etiamfi iuret, quod hoc non procedit ex malitia, *ex cap. Cum in tua. 6.*

P A R A G. X X.
Text. Sacrorum Canonum. De Diuortio.

S V M M A R I V M.

1 *Homicidium quando non priuat fpe coniugij?*
2 *Coniuges nonnifi fornicationis crimine feparandi.*
3 *Viro an liceat per cognationem, etiam publicam, dimittere vxorem.*
4 *Vir quando coniugem adulteram iam dimiffam non tenetur repetere?*
5 *Item quando teneatur?*
† *Mulier virum ob herefim dimiffum tenetur repetere, fi ipfe conuertatur.*
6 *Matrimonium inter infideles, quando nō foluatur.*
7 *Matrimonium paganorum in gradu prohibito, ipfis conuerfis, ad huc tenet.*
† *Plures vxores ducere, Chriftianis nefas.*
8 *Frater an poffit fratris vxorem ducere.*

1 HOmicidium neceffarium, ad defenfionem fuæ vitæ, &c. non priuat fpe coniugij futuri, fed machinatio priuat; vt fi mulier eft machinata, & mifit aliquos, vt fuum maritum interficerent, & maritus inuafus aliquem occidit, maritus non priuatur fpe coniugij, at mulier fic, ità *cap. Si qua. 1. de diuortio.*

2 Coniuges propter aliud crimen à fpirituali fornicatione, vel etiam carnali, non feparantur, & propter eam feparati nubere non poffunt, quia tenet matrimonium, *ex cap. Quæ fint à nobis. 2.*

3 Vir non poteft dimittere vxorem propter parentelam, etiam publicam; quod fi fecerit, compelli debet redire, fub pena excommunicationis; quando verò parentela eft publica, & manifefta, vt in primo, & fecundo gradu, & nullus accufet, &c. tunc, adhibita diligentia, grauitate, Matrimonia illicitè contracta diffoluere poteft, *ex cap. Porrò. 3.*

4 Vxorem dimittens propter adulterium fine fententia Iudicis, & ideò excommunicatur, fi vxor dimiffa adhùc adulteratur, cum alijs, & tamen petit reftitui, dicens fe iniuftè dimiffam, & habuiffe materiam adulterandi à marito, fi adulterium mulieris eft notorium, non eft cogendus vir ad illam recipiendam, nifi conftiterit, ipfum virum cum alia adulteraffe, *ex cap. Significafti. 4.*

5 Vxor fi fornicatur fit diuortium, fi deindè maritus adulteretur, compellitur redire ad vxorem, vt cohabitent, *ex cap. Ex litteris. 5*

† Maritus fi labatur in hærefim, & vxor propria auctoritate diuertit, fi maritus conuertitur, vxor debet reuerti, & eft cōpellenda; fecùs fi per fententiam Iudicis Ecclefiaftici eft feparata, quia tunc non eft compellenda, *ex cap. De illa. 6.*

6 Matrimonium inter infideles contractū foluitur, fi vnus conuertatur, & alter non vult cū eo habitare fine iniuria Creatoris, & conuerfus poteft aliā ducere. Si fideliū coniugum alter fiat hæreticus, vel infidelis, relictus non poteft alteri nubere, quia nō foluit Sacramentum, etat enim ratum per Sacramentum fidei, quod durat cum vita, & fic qui remanfit, eft cogendus redire ad eum, fi reuertatur ab hærefi, vel infidelitate, *ex cap. Quanta 7.*

7 Pagani, qui habēt vxores in aliquo gradu prohibito ab Ecclefia, vt in fecundo, vel tertio gradu, fi conuertantur, remanēt coniuges, quia per baptifmum non foluūtur coniugia, fed crimina dimittuntur: Item habere plures vxores, eft inimicum Chriftianæ Religioni, nec vnquam licuit, nifi quibus fuit Diuina reuelatione conceffum, vt Patriarchis, & alijs viris iuftis, &c.: quare infidelis habens plures vxores, licèt primam repudiauerit, fi cōuertatur, tenetur accipere primam repudiatam, nifi illa renuat habitare cum illo, vel nifi contentiat, non tamen fine contumelia Creatoris, vel nifi pertrahat illum ad peccandum: fi autem illa prima conuertatur, maritus priùs conuerfus, fi adhùc non duxit aliam, debet illam primam accipere, nec poteft illi primæ dimiffæ objicere fornicationem ex eo, quia poft repudium alteri nupfit, nifi cum alijs fuerit fornicata, *ex cap. Gaudemus 8.*

8 Frater non poteft ducere vxorem relictam à fratre, licèt difpenfetur cum nonitèr conuerfis, vt remaneant martimonia, quæ in infidelitate contraxerunt more Mofaico, & fuftentaret femen fratris, &c. *ex cap. Deus, qui 9.*

P A R A G. X X I.
Textus Sacrotum Canonum. De donat. inter virum, & vxorem.

S V M M A R I V M.

1 *Matrimonio iuftè feparato, dos mulieri reddenda.*

2 *Indi-*

2 *Iudicans in causa matrimonij, debet etiam iudicare de dote.*
3 *Donata mulieri quando-nam viro restituenda.*
4 *Mulier quando dotem nequeat repetere.*
5 *Maritus vxore dotem dare renuente propter, &c., ad cautionem tenetur.*
6 *Donatio inter Coniuges, quando non tenent.*

1 MAtrimonio ex causa licita separato dos est restituenda vxori, *ex cap. Mulieres 1. de donat. inter virum, & vxorem.* Coniuges, quando ex causa licita separantur, maritus cogitur censuris, nisi aliquid obsistat, restituere dotem, &c. partem rerum communium, *ex cap. Significaui 2.*

2 Iudex delegatus, si ob impedimentum dirimens, ferat sententiam pro diuortio, debet etiam sententiare pro tota dote restituenda secūdùm ius Canonicū, quia qui cognoscit de principali, debet cognoscere de accessorio, & incidenti, *ex cap. De prudentia 3.*; Mulier, quæ causa fornicationis iudicio Ecclesiæ, vel propria auctoritate à viro recessit, non potest repetere dotem, vel dotalitia, *ex cap. Plerumque 4.*

3 Donata marito propter nuptias cum pacto, quòd si contingat separatio, remaneāt pro vxore, si deinde matrimonium reperitur nullum ob cōsanguinitatē, & donata causant difficiliorem separationē, sunt restituenda viro, quæ donauit, quia hæc non ob turpem, sed ob nullā causam fuerunt donata, nec sunt dos, nec donatio propter nuptias, cùm matrimonium sit nullum, *ex cap. Et si necesse.*

4 Vsufructuarius, si concedat partem terræ vxori in dotem, mortuo marito, non potest vxor ampliùs illam habere, quia nō transfert plus iuris in eam, quam ipse habebat, & ob istam rationem, si terra fuit data in feudum, vel hæreditatem alicui, & hæredi, quam habebat ex legitima vxore, & ipse concedit partem terræ in dotem vxori, & moritur sine hærede, vxor non potest ampliùs habere partem terræ, *ex cap. Nuper 6.*

5 Maritus, quando petit dotem vxoris, & illa contra eum excipit, quod sit pauper, & quòd non possit dare sufficientem cautionem, debet dare illam, quam potest, vel committere alicui honesto mercatori, vt parte lucri possit onera matrimonij sustentare, nè occasione dotis detentæ, si maneant separati, adulterentur, *ex cap. Per vestra 7.*

6 Donatio inter coniuges, matrimonio durante, ex qua alter fit locupletior, non est firma, nisi confirmetur morte donatoris, & si donator dum viuit, reuocat, &c. vel si prius moriatur, qui donationem accepit, donatio euanescit: Item soluto matrimonio, sicut dos reuertitur ad mulierē, sic donatio propter nuptias ad virum, nisi secùs fiat de consuetudine, vel de pacto lucrandæ dotis, vel donationis ob nuptias, & pactum debet esse æquale ex vtraque parte, *ex cap. Donatio 8.*

PARAG. XXII.

Textus Sacrorum Canonum.

De secundis nuptijs.

SVMMARIVM.

1 *Presbyter secundis nuptijs benedicens, suspendendus ab officio, &c.*
2 *Ad secundas nuptias nulli licet transire, nisi certo de morte prioris coniugis.*
3 *Coniuges in secundo matrimonio non benedicendi.*
4 *A muliere infra annum luctus nubente, nullā incurritur infamia.*

1 EPiscopus debet suspendere Presbyterum, qui benedixit secundis nuptijs, ab officio, & beneficio, & mittere eum Romam, *ex cap. Capellanum 1. de secundis nuptijs* Ex dispositione Concilij Tridentini *sess. 24. de reformat. cap. 1.* est imposita pœna suspensionis, ipso iure, contrà Sacerdotes secundis nuptijs benedictionem impertientes, absq; Parochi, vel Ordinarij licentia.

2 Ad secūdas nuptias nullus trāsire præsumat, nisi priùs certus de morte vxoris, & si aliquis adhuc dubius de morte illius, aliā ducit, debet reddere debitum, sed non petere, & si deindè constat de vita primę cōiugis, relicta secunda, ad primam reuertatur, *ex cap. Dominus 2.* Mors autem qualitèr probāda sit, vt indè possit vxor reddi certa, ac licentiam petere secundò nubendi, dictum fuit. Iudex Ecclesiasticus non debet mulieri facultatē cōcedere, vt secundo viro nubat, donèc certum nuncium acceperit de morte prioris, quantumcumque spatio 15. annorum adfuerit. Reginaldus *lib. 31. num. 71.*

3 Si vnus de coniugibus fuit semel benedictus in primo matrimonio, non debet in secundo deindè benedici, *ex cap. Vir autem 3.*, licèt hodie ex consuetudine receptū sit, quòd si fœmina solùm nondùm fuisset benedicta, posset tunc vtrique benedictio generalitèr fieri. Riccius *in praxi fori Ecclesiast. 369.* & alij.

4 Mulier, quæ nupsit infrà annum luctus, secundùm leges nō incurrit infamiam secundùm Apostolum, *ex cap. Super illa 4.* & *ex cap. Cum secundum 5.*

PARAG. XXIII.

Decreta Sacræ Congregat. Concilij.

De Matrimonio.

MAtrimonium contractum non præmissis denunciationibus, licèt Ordinarius recusset dare licentiam, quod fiant postea est validum, *in Mediolanen. 23. Februarij 1630.*

Matrimonium contractum coram Parocho alieno de licentia Episcopi, validum est.

Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato, valet. S. Congr. Concilij *3. Martij 1594.*

Matrimonium contractum coram Parocho illius loci, vbi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium constituendi, sed recreationis causa, non valet.

Ma-

Matrimonium contractum coram Parocho illius loci, vbi contrahens moratur tamquàm Prætor, Iudex, Medicus, validum est.

Matrimonium celebratum coram Parocho, qui habet suam collationem nullam ob nullitatem concursus, propter defectum examinatorum Synodalium est, validum. 31. *Iulij* 1627.

Matrimonium contractum coram Sacerdote, cui asserebat vnus ex contrahentibus, se habuisse licentiam à Parocho, vt ipsemet contraheret matrimonium cum F. coram ipso, si re vera, non esset vera huiusmodi licentia, non valet. 7. *Septembris* 1620.

Matrimonium si contractum sit coram Sacerdote alieno, absque Parochi, vel Ordinarij licentia, debet Ordinarius irritum declarare, non irritare, quia cùm Concilium irritum fecerit, non est vlterius irritandum, sed opus est sola declaratione, quòd irritum sit.

Matrimonium coram Parocho, & testibus contractum hac conditione, *si mulier est legitima*, subsecuta copula, non est validum, si posteà constiterit, mulierem esse illegitimam. *de anno* 1620.

Matrimonium, quando contrahitur inter duos alienigenas, & à paruo tempore in Parochia habitantes, qui tamen sunt cogniti, quòd non sunt de comprehensis inter vagabūdos, proprius eorum Parochus esse intelligitur, in cuius Parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. 1. *Martij* 1602.

Matrimonium celebratum extrà locū propriæ habitationis, & in loco, vbi non erat publicatum Concilium absque illius solennitatibus, est validum, si recessus à loco habitationis fuit factus ad euitanda impedimenta, puta inimicitias, & obstacula parentum. 7. *Februarij* 1602.

Matrimonia contracta absque obseruatione formæ à Concilio præscriptæ, valida sunt, vbi decretum Concil. *cap.* 1. *sess.* 24. *de reformat. matrim.* non est publicatum, 17. *Iunij* 1617. *& in Bossanen.* 14. *Aprilis* 1611.

Matrimonium contractum clandestinè inter puberem, & impuberem in, sponsalia de futuro resoluuntur, *per cap. vnic.* §. 1. *de desponsat. impuber. lib.* 6.

Matrimonium cōtractum à filia, propter metum mortis à matre illatum, est inualidū; etiamsi per obitum matris, per septēnium cum viro permanserit, & filios susceperit. *in Romana* 15. *Septembris* 1629. per Seraph. *decis.* 900. & Gregor. XV. *decis.* 395.

DE HIERARCHIA, ET IVRE Ecclesiæ militantis,

LIBRI QVARTI.

PARS SECVNDA.

De Locis Ecclesiasticis Sacris.

TITVLVS I.

De Ecclesijs.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia quid significet.*
2 *Variæ sunt Ecclesiæ.*
3 *Decretum Concilij Tridentini circà Parochias.*

1 Absoluto Sacramentorum tractatu, agendum est, nunc de rebus Sacris, Sanctis, & Religiosis: Illæ dicuntur res sacræ, & sanctæ, quæ principalitèr ad cultū Diuinum ordinantur, vt Ecclesia, Altaria, Sanctorum Reliquiæ, vasa, & vestes: Religiosæ sunt, quæ pijs vsibus sunt destinatæ, vt Religiosæ Domus, Xenodochia, &c. de quibus omnibus in præsenti, & primò de Ecclesijs ædificandis, vel reparandis. Licèt Ecclesia significet conuocationem, seù cœtum cōuocatorum, seù congregationem fidelium, cuius caput est Christus, & membra huius Congregationis sunt omnes fideles, hic non accipitur Ecclesia in tali significatione, sed accipitur pro Æde Sacra, seù Domo dedicata ad Sacramenta ministrāda, & officia Diuina celebranda, quæ etiā Templū Dei dicitur, vel Basilica, cuius ab origine Mundi vsus semper fuit. *In Genesi cap.* 4. dicitur, quòd Enoch cœpit inuocare nomen Domini, & post diluuium erectum fuit Altare à Noe; deindè multa Altaria erecta fuerunt Deo à Iudæis, & à Gentilibus Templa Idolis, in quibus erant expressę Imagines virorum præstantissimorum. Fuit etiam à Salomone Templum Domino erectum, & consecratum, in quo Altissimo offerebantur Sacrificia, Hostiæ, &c. Post aduentum Christi, variæ Ecclesiæ fuerunt Deo ædificatæ.

2 Ecclesię variæ sunt, nam alia est Episcopalis, seù Cathedralis; alia Collegiata; alia Matrix; alia Baptismalis, & alia Parochialis. Cathedralis Ecclesia dicitur illa, in qua residet Episcopus, ob cuius Cathedrā, & Sedem, dicta est Cathedralis: Collegiata ea vocatur Ecclesia, in qua est Clericorum

rum Collegium. Matrix Ecclesia est illa, quæ habet alias sibi subiectas, *cap. Ad audientiam 1. de Ecclesijs ædificandis*, vel quæ est principalis, & primaria in loco, vt est Ecclesia Episcopalis, vel Metropolitana, aut Patriarchalis, quæ cēsentur Ecclesiæ principaliores, & quæ habent alias Ecclesias sibi subiectas: Baptismalis vocatur ea Ecclesia, in qua est fons aquæ sacratæ, & destinatæ ad Baptismum. Parochialis est, quæ habet Parochiam, Territorium, ac Populum certis limitibus Episcopi auctoritate distinctum. Ad constituendam Ecclesiam Parochialem non est necesse, quòd in ea sit fons baptismalis, nec in ea sint sepulturæ, &c. Ratio, quia licèt ista sint iura Parochialia, tamen nō desinit esse Parochialis, si ista deficiant.

3 Tridentinum Concilium *sess. 24. cap. 13.* mandat, vt in ijs locis, vbi Parochiæ certos fines non habent, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, distincto populo in certas, propriasque Parochias vnicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, à quo tolo licitè Sacramenta suscipiant, aut alio vtiliori modo prout loci qualitas exegerit, prouideant; si tamē Parochiæ non certos fines habeant, sed certum populum, certasque familias, atque adeo vt Sacramenta promiscuè non administrentur, sed Parochi eos noscant, & eum sui satisfactū erit Concilij Decreto. Gonzal. *ad reg. 8. cancell. glos. 6. num. 96.*

TITVLVS II.
De Ecclesijs ædificandis, & consecrandis.

SVMMARIVM.

1 *Quilibet potest ædificare Ecclesiam.*
2 *In ædificatione Ecclesiæ quæ seruanda.*
3 *Quid debeat facere Episcopus.*
4 *Quid agendum, quando Episcopus non vult præstare consensum, &c.*
5 *Fundator Ecclesiæ debet illam dotare.*
6 *Eximuntur Ecclesiæ Mendicantium.*
7 *Ecclesia constructa est subiecta Episcopo.*
8 *Ecclesia à quo debeat separari.*
9 *Ecclesia, &c. non potest reuerti ad vsus prophanos.*
10 *Ecclesia destructa an amittat priuilegia.*

1 CVm Ecclesiam construere sit opus Religiosum, & pium; sequitur posse quemquam Ecclesiam ędificare, & nullum posse fabricationem Ecclesiæ impedire, & Principem derogare libertati, & immunitati Ecclesiasticæ condendo statutum, nè in eius statu de nouo ædificentur Ecclesiæ, & Monasteria fine eius licentia; ità communitèr Doctores.

2 In fundatione nouæ Ecclesiæ duo sunt obseruanda: Primum, ne inferatur præiudicium alteri Ecclesiæ: Secundùm, quòd adsit Superioris auctoritas, quia fine licētia Superioris Ecclesia ædificari non potest; ità *in cap. Nemo de consecrat. dist. 1.*, quæ licentia sufficit, quòd sit tacita, veluti si sciuerit Ecclesiam construi, & non impedierit, nec contradixerit; cùm tamen facilè potuisset. Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 6.* & alij; sicut etiam non potest fundari Ecclesia in solo alieno, nisi de licentia saltem tacita Domini fundi. Azor. *loco citato qu. 3.*

3 In fabricanda Ecclesia debet primum Episcopus ad locum accedere, & atrium, & Cæmeterium publicè designare, & ibi vexillum Crucis figere, & ipsius est primarium lapidem ponere, vt patet *ex cap. Nemo de consecrat. dist. 1.* & *cap. Placuit. quæst. 2.*, licèt Episcopus possit per alium etiam id facere, vt videtur significare. Glos. *in cap. Nemo dist. 1.* & docet Selua *de benefic. par. 1. quæst. 6. num. 9.*, & debet semper Ecclesiæ caput Septentrionem respicere.

4 Si Episcopus nolit præstare consensum fundationi alicuius Ecclesiæ, potest compelli auctoritate Superioris, nimirum Archiepiscopi, vel Primarij, si absque rationabili causa deneget; ità *cap. Nullus de iure patron.*

5 Qui fundat Ecclesiam, debet etiā illi cōstituere dotem, imò ab Episcopo ad id faciendum cogi, *cap. Cum sicut, de consecratione Ecclesiæ*, & *cap. Placuit qu. 1.*, & dos tanta esse debet, vt ex ea cōmodè possit viuere vnus Presbyter cū Clerico ministro, habita ratione obuentionum spiritualium: Item ad luminaria; ità *cap. Nemo Ecclesiam de consecrat. dist. 1.*

6 Ecclesiæ Mendicantium possunt fine dote fundari; sicut & quæ in Monasterijs Illis ædificantur, quæ habēt redditus: in iacēdis fundamētis debet etiā Episcopus primariū lapidem ponere, modo, quo suprà: Forma Ecclesiæ antiquitus erat in formā Crucis, quatuor scilicèt partes continens, quare hodie, vbi talis forma nō seruatur in ędificio, Crucis Dominicæ signum in capite Ecclesiæ constituitur in conspectu intrantium.

7 Constructa Ecclesia, nisi sit exempta, debet sub Episcopi potestate, & ordinatione consistere, in cuius Diœcesi est sita, nec est ab eius iurisdictione separanda.

8 Ecclesia reparatione indigens, si portionem ad fabricandum habet, debet de ea reparari, *cap. vnic. 10. quæst. 3.* quòd si hæc non sufficiat, Rector, & alij, qui in ea beneficia habent, conferre, & contribuere debent, *cap. 1. De Ecclesijs ædificand.* & *cap. Si Monachus 16 quæst. 1.*, vel standum erit dispositioni Episcopi, vel maioris partis Capituli, *cap. Si de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli*, & vbi est consuetudo, tenentur Laici reparare Ecclesiam expensis proprijs, quia ibi Sacramenta percipiunt, & rem Diuinā audiunt, *cap. Quicumque 16. quæst. 7.* & possunt compelli seruare talem consuetudinem, *cap. Ad Apostolicam de simon.*, quod intelligendum est, quando populus non eget.

9 Ecclesia pręcipuè consecrata, Oratoria, Monasteria, & huiusmodi ad sæcularem habitationem, & vsus prophanos non debent reuerti, *cap. Quæ semel 19. quæst. 3.*; imò si destruantur, lapides, ligna, & c. conuerti nequeunt ad vsus priuatos Laicorum: Itē quam-

quamuis Ecclesię ædificium sit omninò dirutum loci, solum Sacrū remanet. Glos. in cap. Quæ semel. 19. quæst. 3.

10 Si Ecclesia, auctoritate Episcopi, omninò destruatur, intentione nō amplius eam ædificandi, amisit omnia priuilegia concessa; si verò destruatur, vt reparetur in meliùs, vel vt ad alium locum transferatur, non amittit priuilegia concessa, quod etiam dicendum est de Altari habente Pōtificium priuilegium, &c. Si destruitur, vt reparetur, vel vt auctoritate Superioris ad alium locum eiusdem Ecclesiæ transferatur, retinet priuilegium antiquum, secùs verò si destruatur, non vt reparetur, &c.

PARAGR. I.

Text. Sacrorum Canonum. De Ecclesijs ædificandis.

SVMMARIVM.

1 *Habens beneficium debet concurrere ad reparationem, &c.*

† *Leprosi, &c. possunt habere Ecclesiam.*

2 *Quando noua Ecclesia in Parochia possit erigi.*

3 *Rectores Ecclesiarum possunt compelli ad reparandam Ecclesiam.*

† *Canonici Regulares quando in Cathedrali possint institui.*

4 *Episcopus potest nouam Ecclesiam ædificare.*

1 Beneficium Ecclesiasticum, habens cōtribuere omninò tenetur, vel adiuuare ad reparationem, vel ad tecta restaurāda, *ex cap. Quicumque de Ecclesijs ædificandis.* Per-† mittitur leprosis, quando congregantur sub communi vita, construere sibi Ecclesiam, & habere proprium Presbyterum, sine iniuria tamen veterum Ecclesiarum, *ex cap. Cum dicat 2.*

2 Ob nimiam distantiam Ecclesiæ Parochialis, potest noua Ecclesia in ipsius Parochia erigi, & certa portio de antiqua sibi deputari, *ex cap. Ad audientiam 1. 3.*

3 Rectores Ecclesiarum Parochialiū possunt compelli, vt de bonis Ecclesiæ, quæ eis supersunt, conferant ad reparationem, & institutionem Ecclesiarum, vt aliječorū † exemplo inuitentur, *ex cap. De his 4.* Canonici reguIares possūt in Ecclesia Cathedrali (Papa concedente) cum consensu Ordinarij institui, dummodò Clericis sæcularibus nullum fiat præiudicium, *ex cap. 2. Ad audientiam 5.*

4 Episcopus, propter indigentiam, potest nouam Ecclesiam ædificare, non obstante iuramento, de bonis Ecclesię non alienandis, *ex cap. Tua nos 6.*

TITVLVS III.

De Consecratione Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia ædificata debet consecrari.*

2 *Sanctus Syluester est primus, qui consecrauit Ecclesias.*

3 *Obseruanda in consecratione.*

4 *Ecclesia præsumitur consecrata, nisi aliter probetur.*

5 *Quando sit consecranda.*

6 *Quando non sit iterum consecranda.*

7 *Quid consecretur.*

8 *Consecratio debet fieri die festiuo.*

9 *Effectus consecrationis.*

1 Ecclesia ædificata nō ante Sanctis Ministerijs deputari potest, quàm fuerit consecrata, & ideò consecrari debet, ab Episcopo, *cap. Nemo de Consecratione distin 1.* Et is debet esse Episcopus loci, & non alienus, quia Episcopus extra suam Diœcesim, Ecclesiam consecrare non potest, nisi de consensu Episcopi loci, *cap. Tua fraternitas de Consecratione Ecclesiæ.* Et quia hæc potestas est ordinis Episcopalis, idcircò simplici Sacerdoti ab Episcopo delegari non potest, cum solum possit delegare ea, quæ sunt iurisdictionis, *cap. Aqua, de Consecrat. Ecclesiæ, &c.*

2 Sanctus Syluester primus instituit ritum in consecrandis Ecclesijs, &c. Nam antè Syluestrum fuerunt quidem loca Deo dicata, non tamen illa Chrismate vnge bantur, nec in eis erat adhuc in titulum erectum altare; at postquam Constantinus fuit à lepra sanatus, concessum est Christianis, vt toto terrarū orbe Ecclesias ędificarent, & ipse plures in Romana Vrbe extruxit Ecclesias, quas Sanctus Syluester consecrauit, quarum prima est Basilica Saluatoris ædificata à Constantino in suo palatio Lateranensi. Deindè alię, ab eodē fuerunt dedicatæ, quarum vna fuit consecrata Principi Apostolorum Petro, & alia Paulo Doctori gentium, &c.

3 Licèt consecratio non necessariò requiratur, vt in Ecclesia celebrentur diuina mysteria, cum etiam in Ecclesia non consecrata, sed tantùm benedicta possint, celebrari, est tamen cum fieri poterit, consecranda, in qua consecranda Episcopus nō nulla obseruare debet. Primo vt Ecclesiæ consecrādę Dos sit competens. Secundò, quod Ecclesia consecranda sit in honorē Dei, vel Sāctorum ędificata. Tertiò, quod Episcopus, & patroni, tempore consecrationis, & pridie ieiunent. Quartò, vt in consecratione ipsa ritus, & cæremonias attendat, & seruet, quæ ab Ecclesia in ea rè fieri consueuerunt, & habentur in Pontificali: Quintò, vt quicquam non exigat pro consecratione Ecclesiæ, sed tantùm spontè oblatum, ab his tamen, qui non sūt indigentes, & procurationes canonicas licitè accipiat, alioquin labem simoniæ non effugiet. *cap. Cum sit Romana, de simonia. cap. Statuimus. 1. quæst. 1.* Et licèt qualibet die possit consecrari, vt patet. *ex cap. Tua fraternitas*; tamen decet, vt in diē festo consecretur.

4 Ecclesia non præsumitur consecrata, nisi probetur consecratio, quę probatur, si constiterit, ex instrumento dotationis confectæ, vel ex libris in Ecclesia asseruatis, vel ex scriptura in columna, aut tabula ali-

aliqua marmorea contenta, vel vno teste, qui vidisse, aut audiuisse testetur, *cap. Solennitat. cap. Ecclesia de Consecrat. dist. 1. & cap. Sanè 24. dist. 11.*

5 Ecclesia est consecranda, quando non constat de consecratione, quia in dubio est consecranda, & non apparet aliquid, ex prædictis, ex quo probetur, Ecclesiam esse consecratam. Secundò, quando Ecclesia fuit igne exusta, ità vt fuerint parietes, combusti, vel abrasi, ex toto, vel ex maiori parte, *cap. Ecclesiis de consecrat. distin. 1.* Si vero tectum Ecclesiæ exustum, non est iterùm consecranda Ecclesia, *cap. 1a ligneis de consecrat. Ecclesia.* Tertiò, si parietes, ex toto, vel ex maiori parte corruerint, ità vt oporteat, eos denuo reparari, etiam ex eiusdem Ecclesiæ lapidibus, *cap. De fabrica de consecratione dist. 1.* Quia tunc Ecclesia, quæ denuo erigitur, nō est eadem cum prima.

6 Quando Ecclesia paulatim destruitur, & paulatim ædificatur, non est iterùm cōsecrānda: Ratio, quia pars accedens censetur etiam consecrata, & rè ipsa censetur semper vna Ecclesia, quamuis per partes destruatur, & per partes reædificetur, quia partes adiunctæ fiunt vna, & eadem res, cum partibus, quibus adduntur, vt sicut, vel aquæ sacratæ, oleum, vel aqua prophana addatur, fiunt vnum accessione, vel additione partium, & per consequens totum illud censetur cōnsecratum, vel benedictum: secus si modicæ parti Ecclesiæ cōsecratæ addatur magna pars, quia pars magna nō trahitur ad formam partis minoris, sed solum è contrario, Syluest. *in verb. aqua benedicta quæst. 3.*

7 Fit consecratio superficiei interioris parietum delinitione, cum crucibus, Abb. *cap. Proposuisti. 4. num. 9.* Solennitas Consecrationis Ecclesiarum singulis annis debet celebrari, *cap. Solennitates. 16. de Consecratione dist. 1.*

8 Ecclesia debet consecrari die festiuo, quamuis omni die, & tempore valeat cōnsecrari, *cap. Tua, de Consecratione Ecclesiæ, &c.* & licet regulariter consecratio Ecclesiæ non possit fieri nisi ab Episcopo, tamen Romani Pontificis auctoritate potest cōmitti simplici Sacerdoti Ecclesiæ cōsecratio, ità Doctores *in cap. Aqua de consecratione Ecclesiæ.*

9 Effectus consecrationis Ecclesiæ sunt plures. Primus, quod in Ecclesia cōsecrata Missæ celebrentur; licèt etiam in solùm benedicta possint celebrari, vt dictum fuit. Secundus, quod in Ecclesia consecrata fidelibus Sacramētum Eucharistię prębeatur, *cap. Si quando. 34. de consecrat. dist. 2.* Tertius quod in ijs baptismus administretur, *cap. 7. Pridem. 18.* Quartus, quod in ea Sacramenta conseruentur, vt populis, cùm opus sit, administrentur. Quintus, quod in ea Sanctorum Reliquiæ conseruentur, vt à fidelibus illis veneratio exhibeatur, & ideò in Ecclesijs Sanctis veneratio exhibetur; Sāncti autem dicuntur ij, qui vitæ meritis cęteros excelluerūt, quorū miracula, & merita auctoritate Papę fuerunt approbata.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *In quibus casibus polluatur Ecclesia.*
2 *Primus.*
3 *Secundus.*
4 *Tertius.*
5 *Quartus.*
6 *Vltimus.*
7 *Ecclesia quando non censeatur polluta.*
8 *Ecclesia quando reconcilianda à proprio Episcopo.*
9 *Pœna celebrantium in Ecclesia polluta.*
10 *Reconciliatio cœmeterij quomodo fiat.*

1 IN sex casibus polluitur Ecclesia, ità vt sit reconcilianda, non tamen denuò cōsecranda. Primus est per homicidium, in ea perpetratum voluntariè ab aliquo, contra religionem, & cultum Deo debitum, *cap. Proposuisti de consecrat. Ecclesia.* Dixi voluntariè; quia non polluitur Ecclesia homicidio casuali, vnde si quis pereat iactu lapidis, qui casu, è tecto, vel pariete cecidit, non violatur Ecclesia; sicut etiam non violatur, si quis ex amentia, se ipsum interimat in Ecclesia, Hostien. & Vgo, *in cap. Proposuisti.* Dixi secundò contra Religionem; quia si quis cum moderamine inculpatæ tutelæ, alium interimat ad defensionē sui ipsius, non violatur Ecclesia Innocen. & Abb. in *cap. Proposuisti.* Violatur etiam Ecclesia per causam mortis, in ipsa datam, etiamsi mors sequatur extra.

2 Violatur secundò Ecclesia effusione voluntaria sanguinis contrà cultum sacrum loco debitū facta, *cap. Proposuisti. de consecrat. Ecclesia.* Per effusionem casualem, non polluitur Ecclesia: polluitur etiā per causam effusionis datam in Ecclesia, licèt effusio sequatur extra.

3 Polluitur tertiò Ecclesia effusione humani seminis voluntaria: an polluatur actu coniugali, respondeo affirmatiuè, si fiat extrà casū necessitatis, licèt plures sequantur opinionem contrariam, nimirum actū coniugali, non pollui cùm talis actus fiat sine peccato, sed prima sententia est probabilior, quam plures sequuntur.

4 Polluitur quartò Ecclesia, quando in ea excommunicatus sepelitur. *cap. Consuluisti de consecrat. Ecclesia.*

5 Polluitur quintò Ecclesia, si in ea sepeliatur paganus, vel is, qui baptizatus non est, *cap. Ecclesiam de consecrat. dist. 1* non tamē violatur Ecclesia, si fętus, nō baptizatus sepeliatur cū matre mortua: Ratio quia fętus mortuus in vtero matris, cēsetur tamquā pars ipsius ventris matris, *cap. Si quis distin. 4. de consecrat.* Syluest. *verb. consecratio. 2. quæst. 5.* & alij.

6 Vltimò polluitur Ecclesia, quando consecratur, aut benedicitur ab Episcopo notoriè excommunicato, ideoq; in Ecclesia sic cōsecrata, vel benedicta, diuinà mysteria celebrari, non possunt, antequam recōcilietur, ità Hostien. Abb. in *cap. Cùm ubi sti, de consecrat. Ecclesia.* his solummodo casibus polluitur Ecclesia, & non alijs, v. g. furto, &c. quia in iure non est textus, quo probetur.

betur alijs casibus esse pollutam.

7 Ecclesia non censetur polluta, quando supradicta sunt occulta, sed solùm quãdo fiunt notoria, & ita communiter Canonistæ, & Syluest. *verb. consecratio. 2. quæst. 5.* & alij.

8 Ecclesia polluta, si sit consecrata, recõciliãda est à proprio Episcopo, vel alio Antistite, ex eius consensu: de mãdato Romani Põtificis potest recõciliari, per simplicē Sacerdotem, aspersione tamen aquæ per Episcopum sacratæ: si verò Ecclesia, non sit consecrata, sed tantùm benedicta; potest reconciliari per simplicem Sacerdotem. Glos. in *cap. ultimo de consecrat. Ecclesiæ.* aspersione aquæ benedictæ, à simplici Sacerdote.

9 Quæ nam sit pęna constituta contrà celebrantes in Ecclesia polluta, Doctores diuersimodè loquuntur. Quidam tenent, irregularitatē incurrere, & ità Panormit. vt refert Syluest. *verb. consecratio. 2. quæst. 9.* Alij dicunt peccare quidem mortaliter, sed nullam incurrere irregularitatem: alij verò esse suspensum ab ingressu Ecclesiæ, *cap. Episcoporum, de priuileg. in 6* & si in tali suspensione diuina celebret, fieri irregularem.

10 Reconciliatio cæmeterij eodem modo faciēda est, quo fit reconciliatio Ecclesię, & sicut Ecclesia polluta, si est consecrata, debet per Episcopum reconciliari; & si nõ est consecrata, sed solùm benedicta, seu audoritate Episcopi, in Ecclesiam consecrandam ædificata, potest per Presbyterũ reconciliari, per aquam ab ipso benedictã; ità Cæmeterium non solenniter consecratum, sed simpliciter audoritate Episcopi deputatum ad sepeliendum, potest reconciliari, si polluitur, per Presbyterum cum aqua à se exorcizata: si verò cæmeterium sit solenniter consecratum per Episcopũ, si polluitur, debet etiam reconciliari solenniter cum vino, cinere, &c. vt colligitur *ex cap. Consuluisti*, nec valet consuetudo cõtra.

TITVLVS IV.
De consecratione Altaris, Calicis, Patenæ, &c.

SVMMARIVM.

1 *Altare quid sit.*
2 *A quo debeat consecrari.*
3 *Reliquiæ Sanctorum in Altaribus collocantur.*
4 *Altare quomodo amittat consecrationem.*
5 *An amittat consecrationem per amotionem à structura.*
6 *Altare remanet consecratum ob celebrationem Missæ, &c.*
7 *Calix à quo debeat consecrari.*
8 *Calix, & Patena ex qua materia debeant esse.*
9 *Calix aureus, &c. quando amittat consecrationem.*
10 *Item Calix, & Patena, &c. non possunt tangi à Laicis.*

1 NOn solùm Ecclesiæ, sed & Altaria, si sint lapidea, consecrari debent, *cap. Altaria 31.* Altare est Mensa, suprà quam conficitur, & offertur Eucharistiæ Sacramentum, & Sacrificium, quod tantæ magnitudinis debet esse, siuè sit fixum, siuè mobile, vt possit capere pedem Calicis, & Hostiam consecratam commodè, absq; vllo cadendi periculo. Syluest. *verbo Altare*, Suarez *tom. 3. disput. 81 sect. 5.* Reginaldus *lib. 29. nu 188. & 189.* & alij.

2 De iure communi, solùm Episcopi possunt consecrare Altaria, vt habetur *in cap. Nullus probabiliter 2. de reconciliat. dist. 1.* Iure tamen priuilegiorum, possunt Abbates Altaria consecrare, siuè sint fixa, siuè portatilia. Tamburin. *de iure Abb. tom. 1. disput. 23. qu. 4. num. 3.* & alij.

3 Reliquiæ Sanctorum, & præcipuè Martyrum in altaribus collocantur, *cap. Placuit, & cap. Non oportet, de consecrat. dist. 1.* quæ etiā iuxta consuetudinem, & vsum Ecclesiæ, collocandæ sunt in Altare portatili: Item in consecratione Altaris Sacra vnctio requiritur, *cap. Altaris*: Item non potest consecrari Altare super sepulturam hominũ, nisi Sanctorum, *cap. non oportet, de consecrat. dist. 5.*, & est etiam aduertendum, ne sepulcra hominum super illa sint, *ex dicto capite.*

4 Altare fixum consecrationem amittit per amotionem à structura; non autem Altare portatile per amotionem à ligno execratur, & tam portatile, quàm fixũ execratur, seu violatur, si fuerit enormiter læsũ, vel sigillũ, sub quo reliquiæ conduntur, frangantur. Altare portatile execratur, quando notabiliter fractum, in residuo, non potest commodè contineri pes Calicis, & Hostia cum patena, sine periculo labendi, aut quando omnia cornua, quæ coniunguntur, sunt fracta; ità vt moueatur sigillum sepulcri existentis in lapide, siuè lapis sit in ligno, siuè non; aut quando frangitur, vel amouetur à loco sepulcrum, in quo sunt Reliquiæ; ità Reginald. *lib. 29. ... 192.* Azor *par. 1. lib. 10. cap. 26.* Miranda *quæst. 39. rat. 3.* & alij.

5 Quando Mensa Altaris seorsùm consecratur, & posteà superponitur inferiori structuræ, non amittit consecrationem per amotionem à structura: Ratio, quia inferior structura non communicat in consecratione, atque adeò non est pars Altaris.

6 Altare remanet consecratum, quando quis bona fide celebrat in Altari non cõsecrato: Ratio, quia ex celebratione factæ habetur effectus consecrationis, qui est sanctificatio Altaris, & deputatio Ipsius cultui Diuino; ità Pasqualigus *decis. 45.* & alij.

7 Calix Missæ sacrificio deseruiens debet ab Episcopo consecrari, & talis facultas non potest delegari, quia pertinet ad ordinem Episcopi; quam etiam facultatem habent plures Abbates ex priuilegio Summi Pontificis; ità Sylvest. Tabiena *verbo Benedictio calicis.* Diana *par. 3. tract. 2. resol. 15* Naldus *verbo Abbas num. 4.* Filliuc. *tract. 5. cap. 4. qu. 11.* & alij.

8 Calix, & Patena saltem ex argento debēt esse, *cap. Vt calix, de consecrat. d. st. 1. De aro*, & Aurichalco non debent fieri, nè vomitum prouocent. Calice vitreo, aut ligneo Sacerdos

cerdos non potest vti, & imposita est pœna contrà vtentes.

9 Calix aureus, vel argenteus, si inauratur, amittit consecrationem, quia est alia superficies, & antiqua esse desinit, & Calicis consecratio consistit in superficie, & per consequens denuò est consecrandus, si inaureturinon est idem dicendū de consecratione Ecclesiæ, quia consecratio inest crustæ parietis; ideò si dealbetur, vel in ea aliqua depingantur, non ideo censetur amittere consecrationem.

10 Calix, & Patena amittunt consecrationem, si notabilitèr frangantur; ità vt non possint deseruire ad vsum præfixum: Item amittit cōsecrationem per. separationem cupæ à pede Calicis; si cupæ separatio fiat cum fractione, quia Calix in tali euentu amittit suam figuram, & non est ampliùs aptus ad vsum, ad quem fuit factus; secùs dicendum, si separatio fiat absque fractione, vt accidit in Calice tornatili.

11 Calix & Patena, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus Christi, vt est Palla, & Corporalia, non possunt tangi à Laicis, & Clericis, qui Sacris Ordinibus non sunt initiati, & qui illos tāgit, peccat, saltem venialitèr, licèt per priuilegium, Conuersi alicuius Religionis possint tangere.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum, De consecratione Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Altare, si moueatur, &c., an debeat denuò consecrari.*
† *Quibus diebus consecrari possit.*
† *In quibus alys casibus debeat denuò consecrari.*
2 *Ecclesia quando debeat reconciliari.*
† *Item Altare, &c.*
3 *Quando excommunicati sepeliantur in Cæmeterio, debet reconciliari.*
4 *Ecclesia non est consecranda, nisi sit prouisum de dote.*
† *Ecclesia consecrata per simplicem Sacerdotem, non potest reconciliari.*
5 *Ecclesia polluta non censetur pollutum Cæmeterium, &c.*

1 Altare, si moueatur, vel lapis continēs sigillum frangatur, aut diminuatur, debet de nouo consecrari Altare, *ex cap. Ad hoc 1. de consecrat. Ecclesia, &c.* Ecclesiæ con-† secrari possunt, tàm diebus Dominicis, † quàm priuatis, *ex cap. Tua fraternitas 2.* Altare debet iterùm consecrari, quando tabula consecrata mouetur, vel enormitèr frangitur, *ex cap. Quod in dubys 3.*

2 Ecclesia, quando est polluta propter homicidia, vel vulnera hominum, debet reconciliari per aquam benedictam cum vi-† no, & cinere, *ex cap. Proposuisti 4.* Ecclesia, & Altare non debent denuò consecrari, si corruat totum tectum, & parietes sint illæsi, & Mensa Altaris nō sit mota, nec enormitèr læsa, licèt in sua extremitate sit modicum fracta, *ex cap. Ligneis 6.*

3 Excommunicatorum corpora, si sepeliātur in Cæmeterio, illud polluitur, & est reconciliandum aspersione aquæ solennitèr benedictæ, vt fit in Dedicatione Ecclesiæ, *ex cap. Consuluisti 7.*

4 Ecclesia non est consecranda, nisi prius ei fuerit prouisum de dote, & qui illam facit consecrare, tenetur dotare, *ex cap. Cùm† sint 8.* Ecclesia cōsecrata p Sacerdotē simplicem non potest reconciliari, etiāsi aqua fuerit per Episcopū benedicta, *ex cap. Aqua 9.* Ecclesia etiam non consecrata, si polluatur, statim est lauanda aqua exorcizata, nè suspendantur Organa Diuinæ laudis, *ex cap. Si Ecclesia 10.*

5 Ecclesia polluta, est etiam pollutum Cœmeterium illi contiguum, sed non remotum; non autem si polluitur Cæmeterium, polluitur Ecclesia, quia minùs dignum non trahit maius, *ex cap. Si Ecclesia 1. de consecrat. in 6.*

TITVLVS V.

De Ecclesiarum vnionibus.

SVMMARIVM.

1 *Vnio quid sit.*
† *Quotuplex.*
2 *Quot modis fiat.*
3 *Quibus de causis.*
4 *Vnio facta ab Episcopo Capitulo, non val et.*
5 *Vniones quando sint irritæ.*
6 *Quibus de causis possint dissolui.*
7 *Quid statutum à Concilio Tridentino.*
8 *Item quid ab ipso permittatur.*

1 Sicut vna Ecclesia in plures, iusta de causa, potest diuidi, ità iusta de causa, plures Ecclesiæ vniri possunt in vnam. Vnio autem est coniunctio duarum Ecclesiarū, siuè duorum beneficiorum, legitima authoritate facta, quæ duplex est; vna perpetua, & altera temporalis: Perpetua vnio est illa, quæ fit contemplatione Ecclesiæ, vt scilicet duæ Ecclesiæ inuicem vniantur, & dicitur perpetua, quia Ecclesia nunquàm moritur, dicitur etiam perpetua, respectu beneficiorum, vt quādo duo beneficia perpetuò vniuntur. Temporalis verò vnio est, quæ ad tempus est facta, vt est illa, quæ fit contemplatione personæ, mortua autem persona, vnio expirat: Item quæ fit ad beneplacitum Papæ, non autem Sedis Apostolicæ, quia mortuo eo Pontifice, expirat vnio.

2 Tribus modis fit vnio: Primo modo, vt ex duobus beneficijs vnum fiat: Secundò, vt vna Ecclesia alteri subijciatur, seù vnū beneficium alteri accrescat, & tunc vnum est tantùm beneficium principale, & accessoriè verò vnitum per vnionem, ideò mā-

 fit

fit extinctum; ità Doctores *in cap. Cùm accesserint, de constitut.* Glos. *verbo Ecclesias, in Clementina per litteras de prabed.:* Tertiò, fit vnio duorum beneficiorum, seù Ecclesiarum æquè principalitèr, vtraque manente Episcopatui, vel Parochiali, vt priùs erat, & tunc vtraque Ecclesia erit principalis, faueturque suis priuilegijs, & habebit sua statuta; ideoque operabitur vnio, vt iam fit beneficiarius Episcopus, aut Parochus vtriusque. Glos. *verbo vnire.*

3 Duabus de causis fit Ecclesiarum, aut beneficiorum vnio, aut euidēti vtilitate, aut necessitate Ecclesię, vt v.g. si duę Parochiales Ecclesiæ vicinæ sint ità pauperes, vt duos Parochos commodè sustentare non possint, verè coniunguntur, *cap. Imò 10. quæst. 3. cap. Postquàm 16. quæst. 1.* Clementina *ne in agro §. Ad hæc, de statu Monachorum.* Vtilitas est, quando propter fructuum tenuitatem, nō inueniuntur Clerici idonei ad deseruiendum, vt probatur *in cap. Exposuisti, & in cap. 1. Nō Sede vacante,* Azor. *par. 2. lib. 6. cap. 8. quæst. 13.* Requiritur tamen in vnione facienda, vt citentur ij, quorum interest, *Clement. citata.* Azor. *loco citato quæst. 14.* Requiritur etiam in vnione facienda consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis, vt habetur *in clementina 2. de rebus Ecclesiast. non alienand.* In vnione facienda per Legatum, nō requiritur talis consensus, & quòd Legatus nullum consortium habeat cum Capitulo, vt habet Episcopus; quod intelligendum est, quando Legatus ex commissione Papæ facit vniones, non autem quando eas facit potestate ordinaria.

4 Vnio facta ab Episcopo ipsi Capitulo, non valet, cùm quis non possit vti auctoritate in facto proprio. Requiritur etiam in vnione facienda vocatio, & consensus Patroni Ecclesiastici, siuè Laici, ac inferioris Collatoris, & Electorum. Clement. *vnic. § Ad hæc de statu Monach.* Conc. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 15.*

5 Vniones, quando fiunt, non vocatis ijs, quorum interest, sunt ipso iure irritę: Item quando non præmissa causæ cognitione, fit vnio: Tertiò, quando non exprimitur verus valor beneficij vniendi. Vnio verò facta ex falsa causa, seruata tamen iuris formula, non est ipso iure irrita, sed irritanda; & ità communitèr Doctores, cùm vnio concedatur ex causa necessaria, magis concernit iustitiam, quàm gratiam; est autem hæc differentia inter rescripta gratiæ, & iustitiæ, quod illa per subreptionem obtenta, sunt ipso iure, nulla, & irrita, hæc valida sunt, donec ope exceptionis eludantur; si verò vnio fuerit facta à Pontifice ex falsa causa, erit ipso iure irrita, quia in rescriptis Pontificijs intelligitur semper clausula, si preces veritate nitantur, *cap. 2. de rescriptis,* quamuis vnio fuerit facta, motu proprio.

6 Vniones Ecclesiarum eisdem causis, quibus fiunt, possunt dissolui, vel ob euidentem vtilitatem, vel necessitatem, & vnionem, potest ille dissoluere, qui potuit illam facere, & Episcopus non solùm à se factā, verùm etiam à Papa, vel Legato, ex ordinaria potestate, potest reuocare, cessante scilicèt causa, propter quam facta fuit, vel aliàs ex causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ, vel quia redundat maius damnū: & ad huiusmodi vnionem requiritur cōsensus Capituli, & causæ cognitio, ac vocatio defensoris; ità Azor. *lib. 7. cap. 29. quæst. 5 & 6.* & alij.

7 Statutum fuit à Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 6. 7. de reformat. & sess. 24. cap. 13. de reformat.,* quòd vniones perpetuæ à 40. annis factę, ab Ordinarijs examinētur tamquàm à Delegatis Sedis Apostolicæ, & quæ per subreptionem, & obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarari debent; illę verò, quæ à dicto tempore citrà concessæ nondùm ex toto, vel ex parte consecutæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cuiusuis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alijs rationabilibus causis, coram Loci Ordinario, vocatis quorum interest, verificādis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumuntur, & nisi alitèr à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omninò careant; ij autem 40. anni cōputandi sunt à die, qua auctoritate Apostolica est promulgatum Concilium Trid. Azor. *par. 2. lib. 6. cap. 28. quæst. 22.* Sanch. *lib. 7. cap. 29. num. 178.*

8 Permittitur ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 18.* vniri Seminariò beneficia vacatura per resignationem simplicem, nō per conditionalem, scilicèt in fauorem tertij, & non alitèr, seù sub reseruatione pensionis, aut simili, &c.; dummodò hæc beneficia non spectent ad collationem inferiorum. Canonicatus, beneficia iurispatronatus etiam Ecclesiastici, & beneficia Papæ reseruata, etiam post ipsorum vacationem, nec beneficia vacantia in mense reseruato potest Episcopus vnire Seminario, vt docet Molphes. *in sum tract. 6. cap. 14. à num. 62.* Franciscus Leo *thesaur. for. Eccles. par. 2. cap. 16. num. 33.* Sicut non potest vnire beneficia ante ipsorum vacationem, si tempore vnionis erant affecta, quia erant sub collectorum, familiarium, militum, vel officialium cura, vt resoluit Nicol. Garz. *de beneficijs par. 12. cap. 2.*

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Papa potest vnire Episcopatus, &c.*
2 *Episcopus, qua beneficia possit vnire.*
3 *Item Legatus.*
4 *Vicarius Generalis an possit vnire beneficia.*
5 *Item Capitulum Sede vacante.*
6 *Archiepiscopus, qua beneficia possit vnire.*
7 *Abbates an possint vnire beneficia.*
8 *Quæ beneficia possint vniri.*
9 *Vnio quomodo probetur.*

1 PApa solus potest vnire Episcopatus, *cap. Sicut vnire, de excess. Prælatorum,* qui etiā potest vnire omnia alia beneficia, *cap. De-*

cimas, quia ipse in beneficijs habet plenam administrationem, *cap. 2. de prebendis in 6.*

2 Episcopus potest vnire beneficia, & Ecclesias suę Diœcesis, *cap. Sicut vnire*, Sanchez *in precept. Decal. lib. 7. cap. 29. num. 147.* & alij; nisi illa beneficia essent exempta, ità vt potestati Episcopi non subiaceant, quia tunc vnio pertinebit ad Pontificem; ità Rebuff. *tit. de vnionibus, & beneficiorum. 21.* Cochier *de iurisdict. Ordinarij in exemptos par. 4. quæst. 31.*; Item dummodò vnio sit perpetua, quia si temporalis, est interdicta Episcopo: Ratio, quia vniones ad vitam beneficiarij sunt odiosæ, quia sunt contrà, aut præter ius commune, quia per vnionem temporalem fit, vt duo beneficia concedantur vni; & proindè censetur in fauorem personæ, & non Ecclesiæ. Azor. *lib. 6. cap. 28. quæst. 17.* Zerol. *in prax. Episc. p. 1. verbo Unio §. 7.* & alij.

3 Legatus à latere potest vnire beneficia posita intra suam Prouinciam sibi delegatam: Ratio, quia Legatus habet illā auctoritatem, quam habet Episcopus, qui potest vnire beneficia, & ergò ità & Legatus, sic dl Azor. *loco cit. qu. 8.* & alij.

4 Vicarius Generalis Episcopi non potest vnire beneficia, nisi specialiter sibi ab Episcopo cōmittatur; ità Azor. *lib. 6. cap. 28. qu. 10.* & cum eo plures citati, & alij.

5 Capitulum, Sede vacante, potest vnire ea beneficia, quæ potest Episcopus. Azor. *loco citato quæst. 9.* dùmodo per talem vnionem iurisdictioni Episcopali nihil detrahatur: quòad ea, quæ sunt iurisdictionis in capitulum transeunt, *cap. vnic. de maior. & obed.*

6 Archiepiscopus non potest vnire beneficia, seu Ecclesias Episcopis Suffraganeis subiectis: Ratio, quia coniungendi potestas est iurisdictionis ordinariæ; quam Archiepiscopus non habet in huiusmodi Ecclesias. Potest tamen vnire beneficia, & Ecclesias positas in sua Diœcesi, sicut Episcopus, *cap. Sicut vnire. de excess. Prælatorum.*

7 Abbates, & alij Episcopo inferiores, etiamsi habeant potestatem cōferendi beneficia, non possunt vnire beneficia, etiāsi habeāt Ecclesias pleno iure sibi subiectas; nisi hoc eis competeret ex priuilegio, vel ex cōsuetudine immemoriali, aut quadragenaria cū titulo; ità Glos. *in verb. Ordinar. in Clement. 1. §. ad hec de statu Monach.* Abbates verò habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesijs pleno iure sibi subiectis, non modò possunt cōferre, sed etiam vnire beneficia, quia cùm talis vnio sit actus iurisdictionis, potest etiam ab his Prælatis fieri, cùm habeant eamdem iurisdictionem, quam habent Episcopi.

8 Ex Concilio Tridentino vniri possunt qualescumque Ecclesiæ, Parochiales, Baptismales, & alia beneficia curata, vel non curata, cum Curatis, etiamsi generalitèr, vel specialitèr sint reseruata.

9 Cùm vnire sit quid facti, & odiosum, non præsumitur, nisi probetur ab eo, qui factum asserit: Mascardus *de probat. conclus. 14. & 18. num. 1. & 2.* Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 80. num. 1.* Probatur primò vnio per instrumentum, seù litteras ipsius vnionis. Zerola *in prax. Episcop. par. 1. verbo Unio, §. 8.* Secundò, ex diuturnitate temporis immemorialis, quod scilicet beneficium semper fuit tamquam vnitum possessum. Requiritur tamen, quòd diuturnitas temporis sit præscripta, vel quadragenaria cum titulo habili ad præscribendum: Tertiò, probatur vnio ex verbis enunciatiuis plurium instrumentorum antiquorum ad minus duorum, in quibus talia beneficia, saltem virtualitèr, tamquàm vnita enunciantur, modò originem habeant à varijs personis non suspectis: Quartò, probatur vnio in antiquis ex testibus de publica fama, & voce; dummodò tamen cum fama possessionis de vnito probetur etiam titulus: Vltimò probatur vnio ex dismembratione, quæ per necesse præsupponit vnionem; ità apud Barbosam *iur. Eccles. cap. 16. de vnionibus benef. nu. 60. 61. &c.*

PARAG. II.

Decreta Sacr. Congregationis Concilij. De vnione beneficiorum.

VNio beneficiorum simplicium facta ab Episcopo Mensæ Capitulari est nulla, quāuis in Cathedrali, vel Collegiata nullæ sint præbendæ distinctæ, sed duntaxat massa communis Capituli, cuius prouentus omnes his tantùm, qui statutis horis interfuerunt, distribuuntur *die 5. Februarij 1601.*

Vniones perpetuæ per subreptionem obtentæ à 40. annis factę à die publicationis Cōcilij Tridentini computandis, ab Ordinarijs possunt examinari, & irritę declarari.

Vniones fieri possunt in distributionibus quotidianis, vbi illæ tenues sunt, ac etiam præbendæ tenues; secùs si non essent tenues.

Vnio Parochialis non solùm est prohibita per decretum Concilij *sess. 24. cap. 13. de reformat.*, sed neque aliqua pars earum fructuū vniri potest. S. Cong. Concil.

Vniones legitimæ factæ sortiri debent effectum, non tantùm cum vnita beneficia vacare contigerit per obitum, sed etiam per resignationem, eaq; de re poterit Episcopus Datarium docere.

Vniones beneficiorum reseruatorum validæ sunt, modò factæ fuerint ante ipsorum vacationem, seruatā forma à Concilio Tridentino præscripta. S. Cong. Concil.

Vniones de beneficijs reseruatis, si reperiantur factæ per vacationem, nullæ sunt, & prouisi à Sede Apostolica, mitti debent in possessionem. S. Cong. Concil.

Vnio duarum Confraternitatum Sanctissimi Nominis Dei, & Sanctissimi Sacramenti Terræ Capitonis, Narnien. Diœcesis facta in visitatione sine causa, & absque auctoritate à Vicario generali Episcopi Narnien. nulla declaratur à S. Congr. Rit. in Narnien. Capitonis 24. *Ianuarij 1615.*

TITVLVS VI.
De Immunitate Ecclesiarum.

SVMMARIVM.

1 *Immunitas conuenit Ecclesiæ.*
2 *Nomine Ecclesiæ, quid intelligatur.*
3 *Conuenit etiam Monasterijs, &c.*
4 *Violans immunitatem committit sacrilegium.*
† *Effectus immunitatis.*
5 *Fugiens de manibus satellitum, &c. gaudet immunitate.*
6 *Quando non violetur immunitas.*

1 IMmunitas Ecclesiastica conuenit Ecclesiæ diuinis officijs dicatæ, vel consecratæ, etiamsi Ecclesia sit solùm benedicta: Ratio quia est locus sacer Deo perpetuò dicatus: iure solum Ecclesiastico introducta est hęc immunitas, non autem naturali, vel diuino.

2 Nomine Ecclesiæ non solùm venit Ecclesia interior, verùm etiam tota Ecclesiæ fabrica, tectum, partes parietū exteriores, Campanile, Sacristia, Ecclesię coniuncta: Ratio quia versamur in materia fauorabili, & ideò extendenda; imò hęc immunitas iure cōmuni extenditur ad fines, seu confinia Ecclesię vsque ad quadraginta passus, si Ecclesia fuerit maior, seù basilica; si verò fuerit minor, extenditur vsque ad triginta passus, *cap. Sicut antiquitus 17. quæst.* 4. præcisa tamen consuetudine in contrarium, & exceptis Ecclesijs in ciuitate constitutis, in quibus ob locorum angustiam hoc seruari non possit.

3 Priuilegio immunitatis Ecclesiasticæ gaudent monasteria, Domus regulares, & sęculares, lociq; sacri, & religiosi: vndè extenditur hęc immunitas ad totum claustrum, seù habitationem religiosorū, etiā ad viridarium, quia totus ille locus est sacer, & religiosus: Item extēditur ad Hospitale, auctoritate Episcopi fundatum, & ad Seminariū, quia hospitale, & seminarium reputantur loca pia, & religiosa. Palatium, seù domus Episcopi eodem priuilegio gaudet, modò constitutum sit intra quadraginta passus Ecclesię: Ratio quia ve sic reputatur locus sacer, & religiosus, aliàs nō, nisi fortè in palatio constructum sit Oratorium, in quo diuina celebrētur; ità Bonacin. *disp. 3. quæst. 2. nu. 8.* Imò, vt alibi docui dico, palatium Episcopi, etiamsi nō habeat oratorium, propter excellentiam, seù dignitatem personæ Episcopalis, propter sanctitatem muneris, gaudere priuilegio immunitatis, quo gaudet eius Ecclesia sponsa: & ità auctores, quos alibi citaui. Item oratoriū auctoritate Episcopi fundatum gaudet priuilegio immunitatis, dummodò perpetuò sit cultui diuino dicatum: Ratio quia est locus sacer; secus si priuata auctoritate sit constructum.

4 Committitur sacrilegium contrà loci sacri reuerentiam, & immunitatem ab eo, qui aliquo modo violat ipsam, quę plures effectus producit. Primus est vt delinquens nequeat capi in Ecclesia, à laica potestate, vt constat ex constitutione Gregorij, &c. Secundus vt non apponatur impedimentum, propter, quod existenti in loco sacro nō deferantur alimenta, vestitus, aut alia, quæ ad vitam necessaria sunt. *leg. præsenter. Cod. de ijs qui ad Ecclesiam confugiunt.* Tertius effectus est, vt existenti in loco sacro nulla vis inferatur, *ex cap. Diffiniuit 17. quæst.* 4. Quartus effectus est, vt dum reus in Ecclesia existit, damnari nequeat ad mortē, vel ad pœnam, *cap. Inter alia de immunitate Ecclesiarum.* Ratio, quia istæ sūt pęnę corporales, reus autem, dum in Ecclesia existit, non potest, à laica potestate ad pœnam corporalem damnari. Quintus effectus est, vt delinquens per vim extractus ab Ecclesia restituatur Ecclesiæ: Ratio, quia iudex tenetur iniuriam illatam Ecclesiæ resarcire; eam autem non resarcit, nisi extractum restituat, *cap. Sicut antiquitus, 17. quæst. 4.*

5 Fugiens è manibus satellitum, & ad hęc loca confugiens, gaudet Immunitate, etiā si ad mortis supplicium duceretur, vel ipsum insequantur ad capiendum, vndè non potest capi reus, qui Ecclesiæ ianuas clausas, vel feram, vel quid simile apprehendit, vel qui supra tectum, vel tegulas existit, & si capiatur debet restitui Ecclesię vt iniuria illata contrà immunitatem cōpensetur. Azor. *tom. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 9.* Bonacin. *tom. 2. disp. 3. quæst. 7. parag. 2. num. 10.* Diana *tract. 1. de immunit. Ecclesiæ resol. 73. part. 1.* & alij.

6 Non violatur immunitas Ecclesiæ, dum reus extra locum sacrum comprehensus, deducitur ad carcerem, per cęmeterium, aut Ecclesiam, etiamsi per vim extrahatur & inde recuset exire, quia nō dicitur capi in loco sacro, cùm liber ad Ecclesiam nō confugerit; Reus amplectens Sacerdotem deferentem Eucharistiam, nō gaudet immunitate Ecclesiastica, licèt ob reuerentiam Sacramento debitam nō debeat capi item non violatur immunitas Ecclesiæ, dum reus blanditijs sine coactione extrahitur ab Ecclesia, quia immunitas solùm violatur, per violentiam; sicut etiam non violatur, dum capitur reus se voluntariè offerens.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Immunitas quibus suffragetur.*
2 *Seruus fugiens ad Ecclesiam non debet extrahi.*
3 *Apostata gaudet immunitate.*
4 *Clerici, & c. confugientes ad Ecclesiam, an gaudeant immunitate.*
5 *Immunitate non gaudent latrones publici.*
6 *Grassatores viarum.*
7 *Committentes homicidia, &c. in Ecclesijs.*
8 *Committentes alia delicta in Ecclesijs gaudent immunitate.*
9 *Sicut qui delinquit propè Ecclesiam.*
10 *Delinquens in vna Ecclesia potest capi in alia.*

1 Immu-

1 IMmunitas suffragatur in omnibus casibus omnibus Christi-fidelibus, quamuis excommunicati, & interdicti sint, præter hæreticis, in delicto hæresis; vt patet ex constit. Greg 14. & quia in bulla excipiatur solum crimen hæresis, idcircò quoad alia delicta, gaudent immunitate: idcircò debitores, etiamsi sint suspecti de fuga, blasphemi, adulteri, simoniaci, periuri, & sacrilegi, homicidæ, modò non proditoriè occiderint, vel in Ecclesia, rei nefarij criminis, banniti, seù exules, gaudent omnes priuilegio immunitatis, modò non commiterint delictum immunitate priuās, & ità communiter Doctores.

2 Seruus fugiens ad Ecclesiam, non extrahitur, sed Domino debet reddi, præstito priùs iuramento de impunitate, *cap. Mementes 17. quæst. 4.* & *cap. inter alia, de immunit. Ecclesiarum*.. Iudæus ad Ecclesiam confugiens, etiamsi non petat baptizari, gaudet immunitate: Ratio, quia tale priuilegium non conceditur, à Summo Pontifice intuitu personarum, sed loci, & priuilegia locis concessa, ad quaslibet personas ibi stantes extenduntur, ità Riccius *de iure personali lib. 2. cap. 12.* Barb. *in collect. tom. 1. lib. 5. tit. 49. cap 6.* D. Antonin. *3. part. tit. 12. para. 1.* Syluest. *in sum. verb. immunitas 3. num. 2.* Azor. *par. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 9* & alij.

3 Apostata gaudet priuilegio immunitatis, non in Ecclesijs, & Monasterijs eiusdem Religionis, sed in alijs. Duard. *in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 16. nu. 15.* Farin. *de immunit. cap. 13. nu. 169.* & alij Pagani etiam gaudent immunitate ob rationem supra allatam.

4 Clerici, & Religiosi confugientes ad Ecclesiam pro criminibus exceptis in bulla, non gaudent priuilegio, & per consequens, ab eorum iudicibus capi possunt, etiam inuitis ipsis: ità apud Dianam. *tract. 1. de immunit. Ecclesiastica resol. 14.* Ratio, quia immunitas non præiudicat potestati Ecclesiæ.

5 Immunitate non gaudent latrones publici, qui palàm, & publicè prædantur, vel publicas vias obsident: Latro appellatur, is, qui violenter alium aggreditur: & deprædator publicus dicitur ille, qui in vijs publicis deprędatur, & spoliat, vel in mari palàm prędat agit, & ità Farinac. *tom. 2. de carcere quæst. 8. num. 5. cap. inter alia, de immunitate,* Decian. *tract. de crimin. lib. 6. cap. 28. num. 2.* Ambrosin. *de immunit. Ecclesiastica cap. 2. nu. 4.* & alij, ex quibus sequitur, furantes in vijs priuatis non priuari immunitate, quia nō dicuntur obsedisse vias frequentatas.

6 Grassatores viarū Ecclesiastica immunitate priuantur: Ratio, quia tale delictum excipitur in bulla; tum etiam quia Grassatores viarum nomine latronum comprehendūtur, licèt in hoc differāt, quòd latro dicitur qui vias extrà vrbē obsidet; Grassator, verò in vrbe, *leg. Capital. parag. Grassatores ff. de pœnis.* Item depopulatores agrorū non gaudent hoc priuilegio, idest qui diripiunt alienos agros, vt qui segetes, & fructus surripiunt, vineas vastant, &c.

7 Committentes homicidia, seù mutilationes in Ecclesijs, aut earū cœmeterijs carent immunitate: Ratio, quia par non est, vt immunitate fruatur ille, qui in Ecclesia delinquit, iuxtà *capus, frustra, de vsuris*, vbi dicitur *frustra legis auxilium implorat, qui in legem delinquit*,: Gaudet tamen immunitate, qui existens in Ecclesia occidit existentem extra Ecclesiam, precisa tamen consuetudine in contrarium: Ratio, quia hic casus non est in bulla expressus: sicut etiam non priuatur immunitate, qui existens in Ecclesia, mandat fieri homicidiū extra: Ratio, quia qui mandat homicidium in Ecclesia, non dicitur propriè in Ecclesia occidere, & verba pęnalia strictè sunt interpretanda.

8 Committentes alia delicta in Ecclesia, præter homicidia, vel mutilationem, non incurrunt: Ratio, quia priuatio immunitatis non est trahenda ad casus in Bulla non expressos, & per consequens nō est trahenda ad alia delicta; ità Peregr. *in tract. de immunit. Eccles. cap. 6. num. 23.* Bonacin. *de leg disput. 3. quæst. 7. §. 4. num. 22.* Megal. *in 3. par. lib. 4. cap. 2. quæst. 11. num. 15.* At alij tenent contrariam sententiam, qui scripserunt ante constitutionem Gregorij XIV. vt Nauar. & alij.

9 Gaudet etiam priuilegio immunitatis, qui delinquit propè Ecclesiam, spe confugiendi ad Ecclesiam; ità Peregr. *lo eo citato num 30.* Facundez *de precep. Eccles. tract. 2. lib. 4. cap. 8. num 45.* Ratio, quia patet à simili de eo, qui delinquit animo acquirendi Iubilæum, quod acquirit; ità gaudet immunitate, qui delinquit, idest committit homicidia, mutilationes propè Ecclesiam: Item gaudet immunitate, qui existens in Ecclesia, si extrà Ecclesiam existentem occidat, vel mutilet: Ratio, quia hic casus non est in iure, neque in constitutione Gregorij expressus, cùm non sit completus in Ecclesia: qui autem vulnerauit in Ecclesia, sed vulneratus extrà Ecclesiam mortuus est, priuatur immunitate, quia delictum homicidij censetur commissum in Ecclesia.

10 Delinquēs in vna Ecclesia, potest etiam capi in alia, ad quam, spe immunitatis cōsequendæ, aufugit, etiamsi in ea non deliquerit, qui enim offendit vnam Ecclesiam, & illius iura lædit, Ecclesias omnes offendisse videtur; vna enim est Ecclesia, vnum Baptisma, & vno regitur Diuino Spiritu; ità Syluest. *verbo Immunitas 3. num. 6.* & alij apud Barbosam *iuris vniuers. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 110.*

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Proditores non gaudent priuilegio, &c.*
2 *Item nec Assassinij.*
3 *Rei hæresis.*
4 *Reus criminis læsæ Maiestatis.*
5 *Quæ seruanda, quando existens in Ecclesia, est tradendus Curiæ sęculari.*
6 *Pœna violantium immunitatem.*
7 *Clerici non possunt expellere confugientē ad Ecclesiā.*

8 Igno-

8 *Ignorantia, &c. excusat ab incurrenda censura.*
9 *Absolutio pertinet ad Summum Pontificem.*

1 QVi proditoriè proximum occidit, nō gaudet priuilegio immunitatis: proditor autem dicitur, qui amicitiam simulabat cum eo, quem occidit, seù qui dolosè aliquem seducit, vt occidat, seù qui hominem interfecit nihil tale præuidentem: qui autem occidit inimicum, non dicitur proditor, quamuis illum occidat à tergo, aut dormientem: Ratio, quia necem præuidere poterat, & præcauere. Gomez *var. resolut. §. de homicid. cap. 3. num. 5.* Diana *tract. de immunitate Ecclesiastica resolut. 32. tract. 1.* Attentans aliquem proditoriè occidere, nō priuatur immunitate: Ratio, quia in Bulla solùm dicitur de occidente, non autem de attentante, & ita Peregr. *de immunitate Eccles. cap. 9. num. 13.* Bonac. *de leg. disp. 3. quæst. 7. §. 5. num. 16.* & alij.

2 Rei assassinij priuati sunt immunitate, vt patet ex Bulla Gregorij: Assassinij propriè dicuntur illi, qui pecunia, aut alio pretio accepto, præuio mandato, occidunt homines incautos, seù nihil tale ab eis præcogitantes: Item priuantur immunitate cooperantes ad assassinium: Ratio, quia Gregorius XIV. in sua constitutione generaliter loquitur de Reis assassinij, ità Guttier. *lib. 3. pract. quæst. num. 53.* Cou. *a. var. cap. 20. nu. 9.* Iul. Clar. *§. Assassinium*, & alij.

3 Rei hæresis priuantur immunitate, & Rei hæresis, non solùm dicuntur ij, qui cum pertinacia sentiunt contrà fidem, verùm etiam ij, qui auxilium, aut refugium præstant hæreticis: Ratio, quia ob criminis atrocitatē indigni sunt immunitate, quod intelligendum est solùm pro crimine hæresis, quia ob alia delicta non excepta, gaudent. Diana *tract. de immunit. Eccles. resol. 29. par. 1. tract. 1.* & alij.

4 Reus criminis læsæ Maiestatis in personam Principis, non gaudet priuilegio immunitatis, vt colligitur ex Bulla Gregorij XIV. Ad incurrendum hoc delictum requiritur, quòd persona Principis offendatur, & à suo subdito, Clement. Pastoralis *de re iudicata*; & ideò non priuatur immunitate conspirans contrà statum: Ratio, quia non dicitur coniurare in personam Principis, nec facere actionem in offensam personæ, ità Farinac. *cons. 76. num. 13.* Peregr. *cap. 10. num. 7.* & priuatur etiam immunitate nō secuto effectu: Ratio, quia adhùc est verum dicere, hunc esse reum criminis læsæ Maiestatis in personam Principis.

5 Quando aliquis existens in Ecclesia est tradendus Curiæ sæculari, hæc seruanda sunt: Primo, vt obtineatur ab Episcopo, vel eius Officiali facultas expressa capiendi, & extrahendi delinquētem: Ratio, quia nemo in alieno territorio iurisdictionem exercere potest: Secundò, requiritur, vt interfit persona Ecclesiastica, facultatem habens ab Episcopo, vel eius Vicario: Tertiò, vt delinquens non statim, ac captus est, tradatur Curiæ sæculari, sed in carcerem Episcopi coniiciatur, & detineatur ab Episcopo, vel ab eius Deputato, donec cognitum fuerit, an Reus sit delicti, & priuatus immunitate, vt cognoscitur ex verbis Bullæ, ex quibus sequitur, delinquētem non esse tradendum Curiæ sæculari, donec Episcopo constet de patrato delicto.

6 Violans immunitatem, præter peccatum sacrilegij, peccat peccato iniustitiæ; quia priuat delinquentem iure se defendendi, quod in Ecclesia habet, & ideò extrahens ipsum, peccat contrà iustitiam, & obligatur ad restitutionem damnorum secutorū ex illa extractione, ità Ambrosin. *cap. 18. nu. 7.* Peregr. *cap. 19. num. 27.* & alij. Incurrit etiā crimen læsæ Maiestatis, *leg. 2. Cod. de iis, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Iure Canonico erat pœna excommunicationis ferendæ, non ipso facto, *cap. Definiuit, cap. Frater, cap. Miror, cap. Quisquis, cap. Si quis contumax 17. quæst. 4.* in constitutione Gregorij XIV. extat excommunicatio, ipso facto, his verbis: *Quicumque contrà nostra constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eo ipso sententiam incurrisse, & pœnas, &c.*

7 Clerici non possunt expellere confugientem ad Ecclesiam, & alia loca immunia, sed debent suscipere defensionem confugæ, vt habetur *cap. Reum, cap. Definiuit, cap. Sicut antiquitus 17. quæst. 4.* & *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* Ratio, quia expellendo eos, priuant iure suo, & peccant contrà iustitiam, & per consequens sunt obligati ad restitutionem damnorum secutorum ex illa expulsione; secùs tamen si immoderatè se gerant, & turbent quietem Religiosorum.

8 Sunt plures causæ, quæ excusant violatorem immunitatis ab incurrenda censura: Primò, ignorantia, quia Gregorius in sua constitutione vtitur *verbo Præsumpserit*, Præsumptio cùm præsupponat dolum, & scientiam, excludit ignorantiam inculpabilem: Secundo, constitutio obligat etiam, vbi non est vsu recepta: Ratio, quia Pontifex independenter ab hac acceptatione obligare intendit.

9 Absolutio eorum, qui eamdem immunitatem fregerunt, vt eorum, qui extraxerunt aliquem ab Ecclesia, est Summo Pōtifici reseruata, ità *ex extrauagante, & si Dominici, & ex Bulla Gregorij XIV.* quæ incipit *Cum alias nonnulli.*

TITVLVS VII.

De Religiosis Domibus, & Monasterijs.

SVMMARIVM.

1 *Nomine Monasterij quid intelligatur.*
2 *Olim Monasteria in solitudine construebantur.*
3 *Duo sunt genera Monasteriorum.*
4 *Decretum Innocentij X.*
5 *Item Decretum Constitutionis* Instaurandæ, &c.
6 *Concilium Tridentinum circà Monasteria quid prohibeat.*
7 *Decretum Urbani VIII., &c.*

1 Res

1 RES sanctas in ordine sequuntur Religiosæ Domus, quæ speciali nomine Monasteria vocantur: Item Hospitalia, &c. Monasterium, Græcum vocabulum est, & Latinè perindè est, ac solitarius locus, cuius habitatores Monachi appellātur, solitariam, ac Religiosam vitam in eis agentes in pœnitentia, iuxta regulam cuiusuis Monasterij: dicitur Græcè Cœnobium, quod Latinè sonat communis locus: Vndè Religiosi in eo habitantes Cœnobitæ vocantur: dicitur etiam Conuentus à conueniendo, & claustrum, eo, quod indè egredi cuiquam propria auctoritate non liceat. Cardinalis *in Clement. 1. de statu Monac.*

2 Olim Monasteria in solitudine construebantur, nè accessu populorum, Religiosorum deuotio impediretur, & si in Ciuitatibus construebantur, Episcopi in eorum Ecclesijs Missam celebrare non debebant, nè propter concursum, & multitudinem populi, Religiosorum quies turbaretur.

3 Duo autem sunt genera Monasteriorū: quoddā est Mendicātium, & quoddam nō Mendicantium. Mendicantes dicuntur illi, qui nihil possident, & vi regulæ tenentur, vt pauperes, ostiatim victū quærere; & ideò in his Monasterijs tantū numerus Religiosorū esse debet, qui ex consuetis eleemosynis valeat sustentari. Non Mendicātes dicuntur, qui bona immobilia possident, & ex eorum redditibus viuunt, & Religiosi non debent in Monasterio esse supra cū numerū, qui ex redditibus cōsuetis sustentari valeant, & ideò nè Religiosis sequantur incommoda, & quieti possint viuere in Monasterio, cautū est, nè noua Monasteria erigi possint Mendicantium, nisi in quolibet illorum, duodecim Religiosi ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, cum consensu aliorum Conuētuum infrà quatuor milliaria existentium, & ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni cōsenserint, vel aliàs Ordinarijs Locorum constiterit, Religiosos Monasterij sic erigendi, absque detrimento Religiosorum in Monasterijs antea in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis, degentium in numero duodecim, congruè, & commodè manu-teneri, & ali possint: Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipiēda, in quibus duodecim Religiosi sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitauerint Ordinarij Loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur; ità censuit Sacra Cong. in Decretis de celebratione Missarum *sub die 21. Iunij 1625.*

4 Innocentius X. in constitutione, quæ incipit *Inter cætera, quæ ad regularem disciplinam instaurandam, &c.* statuit nè in Monasterijs constituatur; nisi ille numerus Religiosorum, qui vel redditibus proprijs Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possit, iuxtà Constitutionem Clementis VIII. Pauli V. & Vrbani VIII. Verùm quia eorum constitutiones non fuerunt seruatæ, vt demādentur executioni eorum Decreta, iubet omnibus Superioribus regularium, bona immobilia, vel non, possidentium, vt adhibitis duobus, vel tribus Patribus sui Instituti, consuetos redditus sex annorū immediatè præcedentium, habita ratione, & detracto omni eo, quod grandines, reparationes, sterilitates, &c. scribant, consuetas item eleemosynas, &c. & scripturā sic confectam, propria manu obsignatam, infrà quatuor menses à publicatione constitutionis, Romam trāsmittant, vt consideratis redditibus, & eleemosynis, in quolibet Monasterio præfigatur numerus certus Religiosorū, &c. *sub die 17. Decemb. 1649.*

5 In constitutione, quæ incipit *Instaurandæ regularis disciplinæ, &c.* extinguit Monasteria parua, in quibus ob redditum tenuitatē, vel ob intemperiem, vel ob eleemosynarū tenuitatē, siuè ob aliā causā, non aluntur tot Religiosi, quot ad peragendum ritè Diuinum cultum, & regularia munia, ex cuiusuis ordine præscripto sunt necessarij.

6 Concilium Tridentinum *sess. 25. de regular.* prohibet ædificari noua Monasteria sine auctoritate Episcopi, in cuius Diœcesi erigenda sunt: & Clemens VIII. in sua constitutione, quæ incipit *Quoniam*, sub Datum Romæ *23. Iulij 1603.* quæ constitutio locum etiam habet circà erigenda Monasteria Monialium, vt censuit Sacra Congregatio Conc. *19. Decembris 1620.* vide non licere Ordinarijs dare licentiam, nisi priùs vocatis, & auditis Prælatis Conuentualibus locorum, vbi ædificandum est, & alijs interesse habentibus. In nostra Congregatione est priuilegium cōcessum à Sixto V. Paulo V., vt Monasteria nostri ædificare possint absque licentia Ordinarij; imo in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac excommunicationis latæ sententiæ, nè nostros in ædificatione Monasteriorum aliquo modo perturbent; quod priuilegium etiam plures Religiones obtinuerunt.

7 Vrbanus VIII. in constitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex* apud S. Mariā Maiorē die *28. Augusti 1624.* reuocauit, &c. omnes licentias, ac facultates à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus suis concessas, etiam motu proprio, vel aliàs obtentas, fundandi, & instituendi vbique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Cōuentus, & alia loca regularia, quouis nomine nuncupata, seruata duntaxat Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini Decretorum forma, & absque licentia huiusmodi: & hæc quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, &c., quæ nondùm sunt sortitæ suum effectum, præcipitque, & Superioribus quocumque nomine nuncupatis, in virtutè Sanctæ Obedientiæ, ac sub priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, &c., nè licentiarum, seu facultatum huiusmodi reuocatarum, &c. siuè alio quouis prætextu, vel causa, etiam quantumuis priuilegiata

legiata noua Monasteria, &c., nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Conc. Tridentini forma, necnō constitutionibus fœlicis recordationis Clementis VIII., quę incipit. *Quoniam ad institutam*, sub datum Romæ die 13. *Iulij* 1603. ac Decretorum de mandato Clementis, necnon Gregorij XV. forma, recipere, erigere, fundare, seù aliàs quomodolibet instituere, seù incępta finire, & absoluere audeant, seù præsumant.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Monasteria gaudent immunitate.*
2 *Monasteria cui subiecta.*
3 *Monachi beneficiati cui subijciantur.*
4 *Monasteria duplicia prohibentur.*
5 *Quando Monasterium debeat conueniri coram Iudice saeculari.*

1 MOnasteria gaudent immunitate Ecclesiastica, seù etiam alia loca pia, vt Seminarium, &c. si auctoritate Episcopi fuerint erecta. Archidiaconus *in cap. Definiuit num.* 1. Felin. *in cap. de quarta nu.* 3. sicut gaudent Ecclesiæ.

2 Monasteria, licèt de iure communi sint subiecta Episcopo, tamen de iure speciali, siuè ex priuilegio, sunt exempta: Possunt tamen Episcopi, & si Monasteria sint exempta, aut priuilegiata, si Abbates, & Præpositi sint negligētes, admonere, vt secundùm eorum Regulam procedant *Can. 1. visit. 16. qu. 2. cap. Quante 7. de offic. Ordinarij.*

3 Monachi ex Monasterio exēpto ad Prioratus Ordinarijs subiectos translati quamdiù ibi morantur, Ordinarijs subiacent, *cap. 1. §. in eos de priuileg. in 6.* Imò extra Monasterium degētes, coram locorum Ordinarijs in causis mercedum ciuilibus, & miserabilium personarū conueniri possunt, Concilium Tridentinum *cap. 14. sess. 17.*

4 Monasteria duplicia, idest Monachorū, simul & Monialium omninò fieri prohibentur, quia id scandalum multis efficitur; ità *in cap. Definimus.*

5 Monasterium in causis temporalibus, in quibus Monasterium gerit personam Actoris, aliquid à Laico petens, debet eū conuenire coram Iudice sæculari, *cap. Cum sit Generale*, cap. *Si Clericus, de foro competen.* nisi fortè Laicus destruxerit Monasterium, vel in eo sacrilegium commiserit, quia tunc apud Iudicem Ecclesiasticum agendum est, *cap. Cum sit generale*, cap. *Cum quastus.* Monasterium autem agens, & petens aliquid apud Iudicem sæcularem, potest apud eundem Iudicem reconueniri, nisi reconuentio sit super causa criminali, etiā si ciuilitèr tantùm intentata, aut re spirituali, vel spirituali annexa, aut causata sit per malitiam ipsius procurantis, vt à Monacho cōueniatur coram tali Iudice, vt ipse coram eodem ipsum reconueniant; sciens, fore sibi maximè fauorabilem ipsummet Iudicem.

PARAG. II.

Textus Sacrorum Canonum. De Religiosis domibus.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia à quo debeat consecrari, quando dubitatur, cuius Diœcesis sit.*
2 *Papa quando vnit Ecclesiam, &c., apud quem remaneat Iurisdictio, &c.*
3 *Monasteria ordinanda sunt per Regulares.*
4 *Episcopus concedens Monasterio iura Episcopalia, retinens sibi pensionem, an sit simoniacus.*
† *Episcopus petens Ecclesiam in spiritualibus, &c. quomodo id obtineat, &c.*
5 *Monasterium an sit subiectum Episcopo.*
6 *Religionem nouam nullus potest instituere.*

1 ECclesia aliqua posita inter duos Episcopatus quando est consecranda, & dubitatur quis Episcopus debeat eam cōsecrare, ille Episcopus cōsecrabit, ad quē, antequàm Ecclesia ædificaretur, incolæ loci concurrebāt pro Baptismo, &c. quia Diœceses non definiuntur terminis, vt proprietate locorum, sed collatione Sacramentorum, *ex cap. Nunc autem 1. de Religiosis domibus, &c.*

2 Papa quando vnit vnam Ecclesiam, quę est in vna Diœcesi, Monasterio, quod est in altera; iurisdictio illius Ecclesiæ remanet penès Episcopum primę Diœcesis, quia vult, iura sua à singulis Episcopis inuiolata seruari, *ex cap. Quia*, 2.

3 Monasteria sunt ordinanda per Regulares, nec possunt transferri ad Clericos, nisi Regularibus deficientibus, *ex cap. Inter quatuor*, 5.

4 Episcopus concedens alicui Monasterio iura Episcopalia alicuius Ecclesiæ, & etiam omne temporale, retinens sibi aliquam pensionem, idest censum, non est simoniacus, & Ecclesia sita in Diœcesi Episcopi debet Episcopo soluere censum, *ex cap. Constitutus* 6.
† Episcopus petens, aliquam Ecclesiam in spiritualibus, & temporalibus, ad se pertinere, si probat, illam esse in Diœcesi, eo ipso obtinet spiritualia, si nō appareat exempta si non probat; pro temporalibus, vel probat Instrumentum suspectum, & corrosum, succumbit pro tēporalibus, *ex cap. Cum Venerabilis* 7.

5 Monasterium est subiectum Episcopo, in cuius Diœcesi situm est, nisi probe exemplum, *ex cap. Ut dilectus* 8.

6 Religionem nouam nullus inueniat, ne inducatur confusio in Ecclesia Dei, sed si vult esse Religiosus, ingrediatur vnam de approbatis. Item vnus Abbas præsidere non debet duobus Monasterijs, nec vnus Monachus locum habeat in diuersis; Itē, qui vult fundare nouam domum Religionis, Regulam, & Institutionem de approbatis sumere debet, *ex cap. Ne nimia* 9. Non comprehendit iste textus, qui statum cum votis simplicibus instituerint, quia huiusmodi status non est Religio, sed modus viuendi honestus, vt rectè docet Fr. Em. Rodriquez *qu. regular. tom. 3. qu. 48. art. 4.*

PA-

PARAG. III.
Decreta Summorum Pontificum, De Monasterijs Regularium.

Monasteria quorumcunque Ordinum Regularium mulieribus ingredi interdixit Paulus V. *constit. 20. incip. Regularium 24. Octobris 1606.*

Monasteria omnia, & loca pia ab onere hospitandi milites eximit Pius V. *constit. 148. incip. Cum sicut, anno 1572.*

Monasteria, Prioratus, & alia Beneficia Ecclesiastica perpetuò vnita, & de cetero nō vacantia, Cameræ Apostolicæ debita iura præstare tenentur. Paulus II. *constit. 6. incip. Decet. 8. Idus Ianuarij 1469.*

Monasteris Regularium certum Religiosorum numerum præfiniri iussit Paulus V. *constit 9. incip. Sanctissimus, 4 Decembris 1605.*

Monasteria noua, etiam Mendicantium, erigi non possunt, nisi in quolibet illorū duodecim Religiosi ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, & cum consensu aliorum Conuētuum, infra quatuor milliaria existentium, & ad id vocati, & inducti fuerint, ac tali erectioni consenserint; vel aliàs Ordinarijs locorum constiterit, Religiosos Monasterij sic erigendi abique detrimento Religiosorum in Monasterijs anteà in Ciuitatibus, seù locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manu-teneri, & ali posse. Gregorius XV. *constit. 31. incip. Cum alias 17. Augusti 1622.*

Monasteriorum, aliorumque locorum Regularium quorumcunque nouorum erigendi, seù instituendi septorumque finiēdi facultates reuocatæ sunt, & in posterū erigi prohibentur, nisi seruatis Constitutionibus Clementis VIII. & Gregorij XV. & Concilij Tridentini, ac cum licentia Ordinariorum. Vrbanus VIII. *Constit. 25. incip. Romanus Pontifex, 28. Augusti 1624.*

Decreta Sac. Congreg. Concilij, De Monast. Regularium.

Monasteria Religiosorum nullibi recipiantur, nisi præter alia ad idem requisita, in singulis eisdem locis duodecim Religiosi saltem degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt supra detrahendis competentèr sustentari valeant, ad præscriptum Decreti Gregorij XV. hac de re editi: alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthàc recipienda, in quibus duodecim Religiosi vt supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodę iurisdictioni subiecta esse intelligantur; *in Decretis de celebratione Missar. §. 7. sub die 21. Iunij 1625.*

Monasteriorum administratores, de illis rationem Ordinario reddere non tenentur.

Monasteria commendata perpetuò vnita alijs Ecclesijs, potest Episcopus visitare etiamsi ipsa loca sub regulari protectione sint.

Monasteria noua erigendi licentiam concedere non potest Vicarius Capitularis, Sede vacante, *ex cap. 3. sess. 25. de Regular. sub die 19. Ianuary 1633.*

TITVLVS VIII.
De Sepulturis.

SVMMARIVM.

1 *Sepultura quid sit.*
2 *Tripliciter sumitur.*
3 *Ius sepulturæ quibus competat.*
4 *Potest haberi in Ecclesia benedicta, &c.*
5 *Pro Iure sepulturæ nihil potest accipi.*
6 *Quis possit sibi eligere sepulturam.*
7 *Serui, & impuberes non possunt.*
8 *Pater pro filio impubere potest, &c.*
9 *Filius-familias potest sibi eligere sepulturam.*
10 *Frater non potest eligere sepulturam fratri.*
11 *Filij legitimi quando sepeliuntur cum Patre.*

1 Sepultura est locus deputatus auctoritate Episcopi ad sepeliendum aliquē, siuè aliquis sit ibi sepultus, siuè non: qui locus dicitur pius, & religiosus: Si verò auctoritate Episcopi non sit ille locus deputatus ad sepeliendum mortuos, non dicitur religiosus, etiamsi aliqui sint ibi sepulti.

2 Sepultura tripliciter sumi potest; Primò pro officio ipso, quod impēditur corporibus humandis; Secundò pro loco, in quo quis sepelitur; Tertiò pro iure sepeliendi, quod quis habet in aliquo loco.

3 Ius sepulturæ generaliter competit Ecclesijs Parochialibus, & etiam illis, à quibus à iure, vel priuilegio concessum est; non autem alijs: qui locus sepulturæ tripliciter potest dari; Primò, vt is, qui dat, fiat Dominus eius; Secundò, vt habeat ius sepeliendi in ea mortuos, & impediēdi, ne alij in ea sepeliantur; Tertiò, vt possit sepeliri aliquis in eo: Primo modo non potest dari ius sepulturæ, etiam cum auctoritate Episcopi, quia rei Sacræ Dominium nullus potest habere; Secundo modo, potest dari sine auctoritate Episcopi, & seruata forma in alienandis rebus Ecclesiasticis seruanda; Tertiò modo potest dari à quolibet habente liberam sepulturam, vel ius admittendi in sua Ecclesia.

4 Potest quis in Ecclesia consecrata, vel benedicta habere Ius sepulturæ, & prohibere, ne absq; eius assensu aliquis in eo sepeliatur: & quoad hoc ius sepeliendi, priuatiuè quoad alios, requiritur licentia ædificandi ab initio sepulcrum vnà cum ipsa ædificatione subsequuta. Lambertin. *de iur. patronatus par. 1. artic. vltimo*: Et non censetur tale ius acquisitum ex solo cursu decennali, & cadauerum illatione, nec etiam ex iure-patronatus, quod quis habet in Ecclesia. Lambertin. *par. 1. quæst. 11.* Ex inspectione verò litterarū probatur, ius sepulturę cōmune esse familiæ

militiæ. Mascard. *de probat. concl.* 1397.

5 Pro iure sepulturæ, aliquid tamquam pretium exigere, simoniacum est, quia vendi non potest, sed gratis præstanda est per eorum Parochos, cap. *Abolenda, de sepulturis*. Verùm vius vendendi Capellas pro sepulturis, non est simoniacum; tùm quia datur per modum eleemosynæ ad reparationem Ecclesiæ, vel ad sustentationem Ministrorum illius; ità Suarez *tom. 3. tract. 3. cap.* 14. Portel. *in dub. regular. verb. Sepultura num.* 8. Sic ratione situs, vel dignioris loci licita poterit esse receptio pro sepultura, cùm pro spirituali non recipiatur.

6 Omnis fidelis, qui est in legitima ætate, quamuis sit sub potestate Patris, potest sibi eligere sepulturam, etiam sine consensu Patris, *cap. Licet, de sepulturis*. Secus de impuberibus, & amentibus, & ijs, qui non sunt in suo sensu, & Religiosus professus, nisi quando extrà Monasterium moritur, ad quod commodè non potest deferri, quia in eo casu potest sibi eligere sepulturam, *cap. Religiosi, de sepultur. in* 6. Si verò ad Monasterium possit deferri, est deferendum, etiam inconsultis Parochis; Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum *sub die* 2. *Iulij* 1620.

7 Serui impuberes non possunt eligere sepulturam, sed Dominus pro eis: secus verò si sint puberes, & sanæ mentis.

8 Pater pro filio impubere potest eligere sepulturam, dummodò consuetudo non sit in contrarium, quia tunc sepelietur in sepulcro maiorum, vel in Ecclesia Parochiali, secundùm consuetudinem: Maiores dicuntur Pater, & Auus, & alij superiores, *l. Maiorum ff. de verb. signif.* Quòd si Pater, & Mater sint sepulti in vno loco, & Proauus, & Tritauus in alio, sepelietur filius cum Patre, & Auo: quod si in vno sepulcro non sint plures maiores, sed in vno Pater, & in alio Auus, secundùm aliquos Doctores, debet sepeliri in Parochia, vbi audit Diuina; ità Zech. *cap.* 18. *de Parocho num.* 17. & alij. Sed secundùm alios, debet sepeliri apud sepulcrum parentum; Ratio, quia sepultura inter mortuos cōparatur domui inter viuos; filius autē sequitur domicilium parentum, & nō aliorum, descēdentium, *l. Assumptio ff. ad municip. cap. Fraternitatē de sepulturis*; ità Villalobos *in Sum. part.* 2. *tract.* 31. *difficult.* 3. *num.* 4. & alij. Sed si, nullam sepulturam maiores habeant, tùc sepeliendus est in Parochia sua, *cap. Ex parte*, cap. *In nostra, de sepulturis*.

9 Filius-familias potest quoq; sibi eligere sepulturam, *cap. Vnaquæque* §. *exemplo* 13. *qu.* 2. dummodò sit pubes, & liberum arbitriū habeat, *cap.* 1. *de Sepult.* & cap *Licèt de sepultura in* 6. Molin. *de iust. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 214. Layman. in *Theolog. moral. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 12. *qu.* 3. *num.* 5. & alij.

10 Frater non potest eligere sepulturam fratri; Pater pro filio pubere; nec Mater filijs, nec Tutor pupillo, nec Auus nepoti, *cap. Licet*, vbi Canonistæ, nec amicus amico. Riccius *in praxi resol. part.* 1. *resol.* 567. *nu.* 1. nisi aliter esset in consuetudine. Grat. *lib.* 1. *discept. forens. cap.* 94.

11 Filij legitimi naturales tantùm sepelientur cum Patre, nisi Pater fuisset in dignitate, *l. ex facto ff. ad trebell.* Si sunt spurij, non, quia nec filij sunt nominandi. Authent. *ex complexu C. de incest.* nec etiam si à principio legitimentur, nisi hoc fiat, Patre viuente, & petente, sed tales in sepulcro Matris sepelientur, nisi sit fœmina Illustris. Adoptiui verò, & arrogati, si moriuntur, viuente Patre adoptante, vel arrogante, in eius sepulcro sepeliuntur; secus si mortuo, quia tùnc cum Patre naturali. Ità *cap. vnico de cognat. legali.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Vxor potest sibi eligere sepulturam.*
† *An debeat sepeliri in sepulcro mariti.*
2 *Forenses vbi sint sepeliendi.*
3 *Quid agendum, quando Ecclesia sepultura est interdicta.*
4 *Clericus potest sibi eligere sepulturam.*
5 *Communitas an possit fabricare sepulturam.*
6 *Electio sepulturæ commissa tertio non valet.*
7 *Infirmus, qui elegit sepulturam, si conualescat, non censetur mutare voluntatem.*
8 *Sepulcra supra terram non debent ædificari.*
9 *Ius sepulturæ aliquando amittitur.*
10 *Vbi debeat sepeliri, qui moritur in Villa.*
11 *Mortua matre, si puer extrahatur, vbi sepeliendus.*

1 Vxor potest sibi eligere sepulturam, *cap. De vxore*. Verùm si iam à viro est † traducta in domum, in sepulcro mariti debet sepeliri, si decesserit, sibi non electa sepultura, iam enim eius domicilium consecuta est: Idem dicendum, si carnaliter à viro fuit cognita, quia facta est vna caro cū ipso; si autem esset propter adulterium à viro separata, non sepelietur in eo, quia non est amplius de domo viri, nisi reconciliata postmodum fuerit; si verò mortuo marito, de eius domo decessit, sepeliri debet cum viro, *cap.* 1. *qui* §. *Mulier*. Ratio, quia licèt domicilium mutauerit, tamen retinet adhùc domicilium mariti; ideò vbi maritus actualitèr, & legitimè sepultus est debet sepeliri, si commodè potest illuc deferri: Dixi legitimè, quia si maritus ibi legitimè non fuit sepultus, quia v.g. erat excommunicatus, vel interdictus, tunc ibi non debet sepeliri cum eo: quòd si vxor habet plures maritos, in sepultura vltimi est sepelienda, etiamsi fuerit vidua, & reuersa ad domum patris: si vxor moriatur ante maritum, dubium est, vbi debeat sepeliri, an scilicèt in sepulcro maiorum viri, an vxoris; Ad quod respondeo, debere sepeliri in sepulcro, quod maritus pro se præparauit, quia ex intentione animi maritus est ibi sepultus: quòd si maritus non habeat sepulcrum præparatum, sed si vult in sepulcro maiorum suorum sepeliri, ibi & vxor, sepelietur in sepulcro maiorum ipsius vxoris. Armilla *verbo Sepultura à num.* 14. Non autem sic de viro dicendum, quod debeat sequi vxorem, si ipsa, electa sibi

sibi sepulturà, prius moriatur, & post maritus, non electa, moriatur, quia indecens videtur, quod vir mulieris dispositionem sequatur.

2 Forenses habitationem in Ciuitate habentes sint sepeliēdi in Ecclesia Parochiali eorum habitationis, si sepultura alibi nō elegerint. Peregrinus, si moriatur dum est in via, sepelitur in Cathedrali, vt censuit Sacra Cōgregatio negotijs Episcoporum, & Regulariū præposita, sub die 9. *Iunij* 1592. Alij verò sentiunt, sepeliendum esse in Ecclesia Parochiali, intrà cuius limites obierit; ita apud Belettum *de Clerico debitore* §. 5. *num* 21., maximè si per Parochum illius Parochialis fuerint ministrata Sacramenta morienti, quia eo ipso, quod quis percepit Sacramenta, videtur elegisse sepulturam; Riccius *in praxi resolut par.* 1. *resol.* 160. *nu.* 1. & 2. & alij.

3 Si Ecclesia, in qua quis debet sepeliri, sit interdicta, vel Cœmeterium, sepelitur in Parochia sua, quæ & si ipsa sit interdicta, sepelitur in Ecclesia Cathedrali, & si hæc sit interdicta, in propinquiori Monasterio, vel vbi debet soluere decimas, sepelietur. Summ. Angelica *verbo Sepultura num.* 18. & alij.

4 Clericus potest sibi eligere sepulturam, etiam in remotis partibus, *cap. Bonæ rei gestæ*, 2. *cap. Vnusquisque*. Laudabilius tamen est, quod Clericus sepeliatur in sua Ecclesia, in qua erat beneficiatus, cum eidem fuerit alligatus matrimonio spirituali, *cap. Cum inter, de elect. cap. Quoniam* §. *si verò vobis constite.* Sepeliendus est autem Clericus cum vestibus sacris, sui ordinis, & gradus.

5 Communitas nō potest fabricare sepulturam, in qua omnes de eadem vniuersitate sepeliantur, cùm hoc vergat in præiudicium Ecclesiæ Parochialis. Antonin. *par. resol. lib.* 1. *resol.* 112. *casu* 109. & alij.

6 Electio sepulturæ commissa voluntati alterius, non valet in præiudicium Parochialis, nisi Commissarius eligat, in necessitate committentis; ita *sapet. de sepulturis*. Item, electio sepulturæ ad suggestionem alterius non valet, *cap. de sepultur. in* 6. Electio sepulturæ probatur per testes singulares; Riccius *in praxi resolut. par.* 1. *resolut.* 509. & alij.

7 Infirmus, qui elegerit sepulturam certo loco, si postea conualuerit, non propterea censetur mutasse voluntatem, & reuocasse electionem, quia non præsumitur mutata voluntas. Belett. *de Clerico debitore* §. 3. *num.* 29.

8 Sepulcra suprà terram existentia ædificari non possunt, & si quæ sunt, Pius V. ea mandauit amoueri *in sua constitutione quibus* §. *Et in Ecclesijs*, & fuit per Rotam decisum. Seraph. *decis.* 813.

9 Ius sepulturæ in aliquibus casibus amittitur, & præcipuè per simoniam, per occisionem Rectoris, hæresim, crimen læsæ Maiestatis, & alijs modis, de quibus Lambertinus *de iure patron. lib.* 3. *quæst.* 8. *art.* 2.

10 Qui se ad Villam transfert, causa colendorum agrorum, vel recreationis, & ibi moritur, & non eligit alicubi sepulturam, non sepelitur in Villa, in qua non habet domicilium, sed vel in sua Parochia, vel potiùs apud maiores suos, si commodè possit illuc deferri.

11 Mortua matre, si puer extrahatur mortuus, non debet cum matre sepeliri, sed extra Cœmeterium, quia non est baptizatus; secùs si non extractus, sed in ventre matris mortuus est, quia tunc censetur pars ventris, *cap. Si quæ dist.* 4. Si verò esset viuus, mater deberet scindi, & puer extrahi, & baptizari, non tamen matre viuente potest fieri scissio, quando per talem scissionem esset periculum de morte matris.

P A R A G. II.

S V M M A R I V M.

1 *Excommunicati priuantur sepultura.*
2 *Manifesti vsurarij.*
3 *Decedentes in torneamentis, &c.*
4 *Sepultura nemini deneganda.*
5 *Missus in exilium, an possit in propria sepultura sepeliri.*
6 *Parochi quid debeant cauere.*
7 *Confraternitates non possunt accedere ad funeralia, nisi vocatæ.*
8 *Proprius Parochus nunquam excludendus.*
9 *Regulares decedentes extrà sua Monasteria, vbi sepeliendi.*
10 *Item famuli Religiosorum.*
11 *Parochus debet deferre stolam, &c.*
12 *Parochi debent sociare corpus vsque ad Ecclesias exemptas.*
13 *Morientes in duello, non debent sepeliri in loco sacrato.*

1 MVlti Ecclesiastica sepultura priuantur: Primò excommunicati maiori excommunicatione notoriè denunciati; ita in Clement. 1. *de sepulturis cap. De sacris desertionibus, excommunicat. cap.* 95. *Qui de sepult. in* 6. Henriquez *in summ. lib.* 11. *cap.* 11. §. 3., nisi talis excommunicatus in articulo mortis pœnitentiæ signa dedisset, vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium *negotijs Episcoporum, & regularium præposita*.

2 Manifesti vsurarij *Clement.* 1. *de sepult.* Item infideles, Pagani, Hæretici, etiamsi solum post mortem appareat de hæresi, *cap. Excommunicamus* §. *Credentes deberet.* Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 8. Item raptores manifesti morientes sine contritione, & restitutione, *cap.* 1. *de rapin. cap. Super eo de raptoribus*.

3 Decedentes in Torneamentis, blasphematores Dei, & Sanctorum, non communicantes, & non confitentes semel in anno, *cap. Omnes, de pœnitent. & remiss.*, nisi in morte contritionis signa dederint. Item morientes in mortali notorio, *cap. Cùm graui* 13. *quæst.* 2. nominatim interdicti, & ij, quibus interdictus est ingressus Ecclesiæ; parricidæ, & se ex desperatione occidentes, &c.

4 Sepultura nemini est deneganda. Cou. *lib.* 1. *var. resolut. cap.* 1. *num.* 10. nec potest impediri prætextu cuiuscumque debiti, vel obligationis, *leg. Cùm sit iniustum Cod. de sepult.*

5 Missus in exilium ab aliqua Ciuitate, nõ potest absque Principis licentia, mortuus in eam Ciuitatem ad sepulturam duci; ità apud Belettum *loco citato num* 35.

6 Parochi debent cauere, nè propter ius sepulturę cadauer exhumatum relinquant, neque etiam sub quouis prętextu compositionis quartę funeralis, sepultura mortuorum retardetur, vt censuit Sacra Congr. *in Cass.* 5. *Maij* 1617.

7 Confraternitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialitèr, & expressè vocentur, vt fuit decisum à Sacra Congregat. Rituum 9. *Decembris* 1617.

8 Proprius Parochus excludendus non est, quamuis ad sepeliendũ cadauer, Regulares duntaxat accersiri iubentur, vt fuit resolutum à Sacra Congregatione negotijs Episcoporum, & regularium proposita, *in vna Montis-polesi anno* 1581.

9 Regulares extrà Monasteria decedentes, possunt ad suos Ecclesias deferri, etiam inconsultis Parochis, vt declarauit Sacra Congregatio, sub die 2. *Iunij* 1620. Item Tertiarij si collegialitèr, & cõmunitèr viuant. Mulieres verò si virginalẽ, aut cęlibem, aut castam, vidualem, sub expresso voto, & Tertiorum habitu, vitam ducant, possunt, & debent, etiam inuito Parocho, in fratrum Ecclesijs sepelliri; secùs verò si supradictis qualitatibus careant.

10 Famuli Religiosorum, attentis priuilegijs Alexandri IV. Carmelitis concesso, & Clementis IV. Fratribus Minoribus, & Leonis X. Minimis, & Pauli III. Societati Iesu, possunt in Monasterijs ipsorum Fratrũ, etiã Parocho recusante sepeliri; imò Iulius II. Fratrib. Minorib. cõcessit, quòd famuli domorum sui Ordinis, necnon cęteri eiusdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes, omnibus, & singulis priuilegijs, Ordini Minorum quomodolibet concessis, gaudere licitè, & liberè valeant. Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 78. *artic.* 2. & alij.

11 Parochus sęcularis, sicut defert stolam in propria Parochia, & in Parochia Fratrum, dùm defuncti corpus in eorum Ecclesia sepelitur; ità Parochus regularis in eodem casu, & eodem tempore potest stolam deferre, non solùm in propria Parochia, sed etiam in Parochia, vbi defunctus sepelitur; ità Sacra Congregatio Rituum *vlt. Septembris* 1628., nam Parochus Monachus ità potest cum stola ingredi Parochiam sęcularium, sicut sęcularis Parochus Parochiã Monachorum ingredi valet, Sacra Congregatio *in Asculana* 29. *Ianuarij* 1629.

12 Parochi defunctorũ in Regularium Ecclesijs humandorum corpora vsque ad easdem Ecclesias associare, ac etiam in illis permanere possunt, absque tamen eo, quòd in Officio decantando, vllatenùs se intromittant, Sacra Congregatio negotijs Episcoporum, & Regularium prępolita *in Noterensi* 5. *Iuly* 1615.

13 Morientes in duello non debent sepeliri in loco sacro, etiamsi moriendo dederint signa contritionis, vt colligitur ex Rituali Romano, iussu Pauli V. edito, vbi sic habetur in rubrica de exequijs, *Negatur sepultura Ecclesiastica morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa*. Verùm si quis moreretur vno, vel altero die post duellum, posset sepeliri in loco sacro, quia talis non moritur in loco duelli, sed ex occasione duelli, & hic casus non intercluditur in Concilio Tridentino, neque in Rituali Pauli V. negantibus sepulturam decedenti in duello; ità Sanctius *in select. disp.* 39. *n.* 9. Diana *par.* 2. *tract.* 16. *resol.* 34. *& par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 192. & alij.

P A R A G. III.

Textus Sacrorum Canonum. De Sepulturis.

S V M M A R I V M.

1 *In sepulcro maiorum regularitèr debet quis sepeliri.*
2 *Iura Parochi, quando quis elegit sepulturam in loco exempto.*
† *Electio sepulturæ in loco non Religioso, non valet.*
3 *Canonica portio debetur Ecclesiæ Parochiali.*
† *Pœna sepelientis Parochianum alienum.*
4 *Cadauer raptum, &c. est restituendum.*
† *Vxor potest sibi eligere sepulturam.*
5 *Quid debeatur Ecclesiæ Cathedrali, quando eius Parochus alibi sepelitur.*
† *Consuetudini standum est circà quartam, &c.*
6 *Ad quid obligentur priuilegiati ad sepeliendum in propria Ecclesia.*
7 *Sepultura Ecclesiastica non est deneganda.*
8 *Excommunicatus quando debeat exhumari.*
9 *Pretium accipi non potest pro terra sepulturæ.*
10 *Excommunicatus absolutus in articulo mortis, potest sepeliri in loco sacro.*

1 IN sepultura maiorũ suorum, licèt ex decentia quilibet sepeliri deberet, tamen in loco alieno potest vnusquisque sepulturam eligere; sed illi Ecclesiæ, vbi aliàs erat sepeliendus, & vbi cibum spiritualẽ accipiebat, dari debet tertia pars eorũ, quę relinquit Ecclesię, vbi sepelitur, & alitèr non fiat sub pœna excommunicationis, *ex cap. Nos instituta, de sepulturis*.

2 Parochus, quando quis eligit sepulturã in Monasterio, debet habere medietatem eorum, quę pro anima sua reliquit, *ex cap.* † *Relatum* 2. Electio sepulturæ in loco minùs Religioso, dimisso maiorum sepulcro, nõ tenet *ex cap. Fraternitatem* 3.

3 Canonica portio debetur Ecclesiæ Parochiali, si quis in ęgritudine, de qua decessit, se, & sua Monasterio obtulit; secùs autem si obtulerit in sanitate, habitumq; † assumpserit, *ex cap. De his* 4. Sepellentes Parochianum alienum, quem sepelire non debebant, coguntur restituere corpus, & quę ratione ipsius obtinuerunt, vel amicabilitèr conuenire, *cap. Ex parte* 5.

4 Cadauer illius, qui alibi elegit sepulturam, capientes violentèr, & in Ecclesia sua sepelientes, restituere tenentur cum omnibus,

nibus, quę ipsius obtentu acceperunt, *ex cap. Cum liberum* 6. Vxor potest eligere sibi sepulturam, sicut & vir, & standum est cōsuetudini, an parentes possint sepelire filios impuberes, vbi voluerint, *ex cap. De vxore* 7.

5 Parochianus Ecclesiæ Cathedralis, si alibi sepelitur, de ipsis funeralibus, seu relictis Ecclesię sepulturę, debetur quarta Capitulo Ecclesię Cathedralis, *ex cap. Cum super* 8. Consuetudini standum est, quanta debet esse canonica portio, quę debetur Ecclesię Parochiali, *ex cap. Certificari* 9.

6 Priuilegiati ad sepeliēdū in propria Ecclesia, si sepeliūt eos, qui eligūt talē sepulturam, tenentur de relictis à defuncto pro anima sua in vltima dispositione, dare quartam Parochię, nisi dolo, & fraude fuerit inductus ad eligendam talem sepulturam, quia tunc debet totum restituere, *ex cap. In nostra* 10.

7 Sepultura Ecclesiastica non est deneganda illi, qui casu moriatur, & non se sponte interimit, quia cui communicamus viuo, debemus & mortuo communicare, *ex cap. 2. Ex parte* 11.

8 Excommunicatus, si sit sepultus in Ecclesia, seu Cęmeterio, debet indè exhumari, si ab aliorum corporibus discerni possit: si verò non possit discerni, non debet exhumari, nè fortè contingat, vt cum excommunicati ossibus ossa fidelium exhumentur, quia defuncto nec vilis sepultura nocet, nec pretiosa iuuat, *ex cap. Sacris* 12.

9 Pretium accipi non potest pro terra Ecclesię, in qua sepeliendus est defunctus, *ex cap. Abolendæ* 13. Ob aliam verò circumstantiam, potest solui pretium, vt videre est apud Suarez *de relig. tom. 1. tract. 3 lib. 4. de simonia cap. 14. num. 21.* & apud alios.

10 Excommunicatus, qui in mortis articulo fuit absolutus iuxta formam Ecclesię, debet sepeliri in loco sacro, & ad satisfaciendum cogendi sunt heredes, *ex cap. Parochianæ* 15.

PARAG. IV.
Sequuntur ijdem Textus.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi, &c. non possunt inducere ad eligendum sepulturam in propria Ecclesia, &c.*
2 *Quid agendum, quando quis dimittit Ecclesiam, in qua consueuerunt sepeliri, &c.*
3 *Vbi debeat sepeliri, quando quis moritur, recreationis causa, in Villa, &c.*
4 *Filijs impuberibus potest Pater eligere sepulturam.*
5 *Religiosi sunt sepeliendi in proprijs Monasterijs, &c.*

1 Religiosi, vel Clerici sęculares non possunt inducere aliquem ad vouendum, vel iurandum, vel promittendum, vt apud eorum Ecclesias eligant sepulturas, vel electas non mutent; si secus fiat electio, est nulla, & mortuus sepeliri debet, vbi de iure sepeliendus esset, si sepulturam non elegisset, & tales Religiosi, & Clerici, si presumant sepelire prędictum in suis Ecclesijs, tenentur intrà decem dies restituere corpus, si petatur, & omnes prouentus, occasione sepulturę habitos; alioquin Ecclesia, & Cęmeterium, vbi est sepultus, sit interdictum, donec integra fiat restitutio vltrà peccatum mortale, *ex cap. Animarum 1. de sepulturis in 6.*

2 Quando aliqui consueuerunt sepeliri non in Parochiali Ecclesia, sed in alia, & illa alia dimissa, eligant deindè tertiam, illa tertia soluet quartam, seu portionem canonicam non Ecclesię relictę, sed Parochię. Qui verò habet duo domicilia, & in vtroque se locat equaliter, & eligit sepulturam in tertia Ecclesia, quarta est diuidenda inter Ecclesias domiciliorum, *ex cap. Cum quis in 6.*

3 Qui egreditur de sua Parochia, recreationis, vel negotij causa, & moritur, non electa sepultura, sepeliendus est in sua Parochiali, vel in ea potiùs, in qua maiorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, si commodè potest, *ex cap Is, qui* 3.

4 Filijs impuberibus, qui nequeunt eligere sepulturam, eligere potest Pater, si consuetudo terrę ità habeat; si verò non sit, debet sepeliri in sepulcro Maiorum, *ex cap. Licèt pater* 4.

5 Religiosi sunt sepeliendi in proprijs Monasterijs, nisi sint ità remoti, vt commodè portari nequeant, quia tunc possunt eligere sepulturam, *ex cap. Religiosi* 5.

PARAGR. VI.
Decreta Summorum Pontificum. De sepultura.

Sepultura Ecclesiastica Hereticis denegatur. Nicolaus III. *constit. 2. §. 18. incip. Nouerit 5. Nonis Martij* 1279.

Et mortuis in duello. Clemens VIII. *constitut. 11. §. 7. incip. Illius vices 16. Kal. Septembris* 1592.

Et congredientibus ad agitandum, & certandum cum tauris, & alijs Feris in spectaculis. Pius V. *constitut. 48. incip. De salute Kal. Nouembris* 1567.

Sepultura mortuis danda est in tumbis profundis Ecclesiarum. Pius V. *constitut. 5 §. 6. incip. Cum primum Kal. Aprilis* 1566.

Decreta Sac. Congregationis Episcop. & Regular. De sepultura.

Sepultura pro filio minori potest Pater in vita, non post eius mortem, eligere. *in Foglinen. 27. Octobris* 1587.

Sepulturam sibi eligendi facultatem non habens, in maiorum suorum sepultura humari debet. *in Asculana 20. Octobris* 1616.

Sepultura mortuorum nullatenùs retardari, aut impediri debet, sub quouis pretextu compositionis quartę funeralis. *in Cassanen. 5. Maij* 1617.

Sepultura Ecclesiastica tradi debet excommunicatis, qui in mortis articulo confessionem

sionem petijt, vel Beatissimam Virginem inuocauit. *in Nolana 19. Iunij 1619.*

Decreta Sacræ Congregationis Rituum. De sepultura.

Sepulturę electio in alia Ecclesia pręter Parochialem, non potest per Parochum impediri, dummodò illi sit reseruata sua quarta funeralis. *in Capuana 31. Martij 1619.*

Sepulturę tradi possunt in Ecclesia non Parochiali, si in ea mortui illam elegerunt, etiam sine presentia Curati, si requisitus interesse recuset, vel petitam licentiam deneget. *in Capuana 22. Decembris 1619.*

TITVLVS IX. De Cœmeterijs.

SVMMARIVM.

1 *Cæmeterium quid sit.*
2 *Quibus modis polluuntur.*
3 *An quando sunt contigua, uno polluto, polluatur aliud, &c.*
4 *Quomodo reconcilietur.*
5 *Quando reconciliandum.*
6 *Gaudet immunitate Ecclesiæ.*

1 Coemeterium est locus, in quo fidelium corpora sepeliuntur, & sicut Ecclesię consecrantur, vt in ijs oretur, & Ecclesiastica Sacramenta ministrentur; sic Cœmeterium consecratur, vt in eo Christiani sepeliantur, quia olim non in Ecclesijs, sed in Cœmeterijs mortui sepeliebantur; & ideò si consecretur, non ab alio, quàm ab Episcopo consecrari debet: Dixi, si consecretur, quia consecratio non est necessaria, cùm possit tantùm benedici, licèt consecrata Ecclesia, præsumatur etiam Cœmeterium contiguum consecratum, quia simul cum ipsa Ecclesia vnico ritu consecratur.

2 Cœmeterium polluitur eisdem modis, quibus polluitur Ecclesia, & violata Ecclesia, polluitur etiam Cœmeterium contiguum, modò ità contiguum sit, vt extrema Ecclesię tangant extrema Cœmeterij, non tamen polluto Cœmeterio, polluitur Ecclesia, *cap. vnic. de consecrat. Ecclesia.* Henriq. *in sum. 9. cap. 27. §. 5.* Azor. *par. 1. lib. 13. cap. 26. quæst. 13.* Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 15. num. 23.* Rebell *p. 2. lib. 3 sect. 1. num 5.* & alij.

3 Quando duo Cœmeteria sunt contigua, ità vt inter ea sit solùm vnus paries intermedius, vno violato, non censetur aliud pollutum, etiamsi porta esset in pariete intermediante, per quam à vito ad aliud fit transitus; ita Sylvest. *in sum. verbo Cœmeterium 2. quæst. 2. num. 3.* Azor. *lib. 9. cap 6. quæst. 3.* & alij: Ratio, quia duo Cœmeteria censentur; si verò in porta fiat seminis emissio, tunc si porta vni eorum est vicinior, illud tantùm Cœmeterium censetur pollutum; si verò porta sit in medio eorum, illud pro polluto habetur, cuius causa paries factus est; si autem dubitatur, cuius causa sit factus, vtrumque Cœmeterium erit pollutum, quia tunc porta in pariete adhibita, causa, vtriusque facta videtur.

4 Cœmeterium pollutum reconcillatur, eo modo, quo Ecclesia; nam si per Episcopum solenniter consecratum sit, eo polluto, per Episcopum reconciliari debet cum aqua solenniter cum cinere, & vino per eum benedicta, *cap. Consuluisti de consecrat. Ecclesiæ;* si verò sit tantummodò benedictum ab Episcopo, potest reconciliari per simplicem Sacerdotem aqua exorcizata: si verò pollutum est Cœmeterium, non per se, sed ob Ecclesiam pollutam ei contiguã, reconciliata Ecclesia, erit & Cęmeterium reconciliatum. Azor. *loco cit. qu. 4.*

5 Quando Cœmeterium consecratum est denuò reconciliandum; corpora excommunicatorum, vel Paganorum, vel eorũ, qui cùm baptizati non essent, sunt ibi sepulti, si discerni queant à cęteris corporibus Christianorum, sunt exhumanda, & eijcienda: corpora vero fidelium ibi sepulta non sunt exhumanda, *cap. A nobis de sacram. non iterandis.*

6 Cœmeterium gaudet eadem immunitate, qua & Ecclesia, *cap. Cum Ecclesia,* quia idẽ iuris est in accessorio, ac in principali, etiamsi Cœmeterium non sit contiguum Ecclesiæ, quia etiam gaudet eadem immunitate.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicati, an possint sepeliri in Cœmeterio.*
† *Et quid si pars Cœmetery non sit auctoritate Episcopi aucta.*
2 *Cœmeterium polluitur sepultura excommunicati, &c.*

1 Priuilegiati non possunt sepelire excõmunicatos in Cęmeterijs, sed si admittant, debent eos abijcere; & si nolunt facere, Episcopus exequatur, *ex cap. Ad hæc 5. de priuileg.* Verùm si Cœmeterium sine auctoritate Episcopi sit auctum, in ea parte aucta possunt excommunicati sepeliri; Ità Vgolinus *tab. 2. de censuris cap. 9. §. 5.* & alij: Ratio, quia illa pars aucta non censetur propriè Cœmeterium, cùm auctoritate Episcopi non fuerit aucta cum speciali benedictione.

2 Excommunicatorum corpora, si sepeliantur in Cœmeterio, illud polluitur, & est reconciliandum aspersione aquę benedictę solenniter, vt fit in Dedicatione Ecclesiæ, *ex cap. Consuluisti 7. de consecrat. Ecclesiæ.* Verùm si excommunicatus moriendo ostendit signa pœnitentiæ, tunc potest sepeliri in Cœmeterio, quia cùm sit contritus coram Deo, & constet coram Ecclesia de contritione, non assignatur ratio, cur non possit sepeliri in loco sacro.



TI-

TITVLVS X.
De Hospitalibus.

SVMMARIVM.

1 *Hospitale quid sit.*
† *Quotuplex.*
2 *Duo genera Hospitalium.*
3 *Quomodo cognoscatur auctoritate Episcopi fundatum.*
4 *Sunt materia simonia.*
5 *Sunt beneficia Ecclesiastica.*
6 *Episcopus super ipsis, &c. habet intentionem fundatam, &c.*
7 *Episcopus potest visitare Hospitalia Laicalia.*
8 *Item administrata à Fratribus B. Ioannis, &c.*
9 *Ab Hospitalibus non potest exigere procurationem.*
10 *Quid agendum, quando Hospitale opponit exemptionem.*

1 HOspitale dicitur ab hospitibus, qui ibi gratis accipiuntur, pietatis intui-
† tu, quotum diuersa sunt genera: Primum dicitur Xenodochium, & est illud, in quo peregrini, pauperes recipiuntur. Aliud dicitur Orphanorrophium, vbi orphani nutriuntur. Aliud Berrophium, vbi pauperes, & expositi infantes aluntur. Aliud Nosocomium, in quibus ægroti pauperes curantur à morbo. Aliud Gerumtocopia, vbi senes, & valetudinarij sustentantur.

2 Supradictorum duo sunt genera, quædam enim sunt Hospitalia Religiosa, & quædam non Religiosa. Glos. *verbo Ecclesias.* Hospitale Religiosum dicitur, quod auctoritate Episcopi est fundatum, & erectũ, *cap. Ad hæc, de religiosis domibus,* non Religiosum, quod auctoritate Episcopi non est fundatum.

3 Ex pluribus dignoscitur Hospitale esse auctoritate Episcopi fundatum: Primò, si fuit ædificatum in formam Ecclesiæ, & in eo fuerit erectum Campanile, & ibi per Sacerdotem celebrentur Diuina; ità Menoch. *de præsumpt. præsumpt. 132. num. 50.* Secundò, si Episcopus confirmaret Ministrum. Lambertin. *de iurepatron. lib. 1. par. 1.* Tertiò, si haberet nomen Sancti sibi appropriati. Felinus *in cap. De quarta num. 13.* Quartò, si in eo fuerit obseruata hospitalitas per tempus antiquissimum: Quintò, si in eo essent sepulturæ, vel Cœmeterium: Sextò, si in eo baptizaretur: Septimò, si reciperet decimas: Octauò, si non solueri collectas. Roman. *cons. 477.*

4 Huiusmodi hospitalia sunt materia simoniæ iure humano introductæ. Suarez *de relig. lib. 4. de simonia cap. 27. num. 11.* Bonacin. *quæst. 4. num. 17.* & alij. Gaudent etiam immunitate Ecclesiastica, ne delinquentes ad illa confugientes extrahi valeant. Franciscus Leo *in thesaur. for. Eccles. par. 1. cap. 13. nu. 8.* Suar. *de relig. tom. 1 lib. 3. cap. 9. nu. 3. & 9.* Azor. *par. 2. cap. 8. qu. 2.* & alij.

5 Huiusmodi hospitalia sũt beneficia Ecclesiastica, si Rectori in perpetuum, vel ad eius vitam in titulum conferatur, non in administrationem. Textus *in Clement. quia contingit, §. vt autem de religios. domibus,* aut per electionem fit de Rectore locis huiusmodi prouidendum. Glos. *verbo Beneficia in Clement. vnic. de rerum permut.*

6 Episcopus habet intentionem fundatam in Hospitalibus, locis pijs, &c. suæ Diœcesis de iure communi. Clementina *quia contingit, de religios. domibus, §. si quis ædificationem,* quare poterit Episcopus per se, aut per alium visitare, & compellere Hospitalia, & Administratores ad rationem reddendam. Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 8. & 9.* quia subsunt iurisdictioni Episcopi, & hoc pluries in anno facere potest. Menoch *de arbitr. casu 209.* Si verò in fundatione Hospitalis sit dictum, quod Ordinarius nõ possit se intromittere in eius visitatione, tunc non poterit illud visitare; ità apud Barbolam *iuris vniuersi, &c. de hospitalibus, &c. nu. 38.*

7 Episcopus potest etiam visitare Hospitalia Laicalia, quæ sine auctoritate Episcopi sunt fundata, ad eum solum finem, nõ indecenter tractentur, & vt voluntas restatoris adimpleatur: in vita tamen illius, qui Hospitale, vel Oratorium priuatum ædificauit, nec Ecclesiasticus, nec sæcularis potest se intromittere contrà eius voluntatem. Cardinalis *in Clement. quia contingit num. 19. de religios. domibus.*

8 Hospitalia administrata à Fratribus B. Ioannis Dei non sunt exempta à iurisdictione Ordinarij, nisi solùm quoad regularem obseruantiam. Sacra Congregatio *in Auelina 12. Ianuary 1630.* Item Episcopus visitare potest omnia Hospitalia, & omnia pia loca, quocumque nomine nuncupata, etiamsi sint priuata Laicorũ; & corrigere, & reformare in casibus à iure expressis, scilicet ob negligentiam, vel dilapidationem bonorum. Marta *de iurisdict. par. 2. cap. 8. num. 15.* Armendar. *tit. de visitat. num. 74.* dummodò tamen non sint sub immediata Regum protectione, quia in eo casu Episcopus, nec eius Officialis se intromittere debet. Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 8. de reformatione:* Ratio deducitur ex altitudine, & præeminentia Regiæ dignitatis, quam præ cæteris conuenit anteferri.

9 Non potest Episcopus exigere procurationem ab Hospitalibus, quę visitat. Glos. *in cap. Procurationes,* Bonifacius *in Clement. quia contingit num. 49.* Ab huiusmodi procuratione non potest excusari Confraternitas habens Hospitale cum Ecclesia Capituli, & campanis, & ibi celebrantur Missæ, & cùm sit locus pius, & sic subiectus Episcopo. Belett. *de Clerico debitore §. 11. num. 11.*

10 Hospitale, quando opponit exemptionẽ Episcopo visitanti, quod visitari non debeat ex eo, quod sub Regum protectione immediata existat, non ad sæcularem Iudicem, sed ad ipsum Episcopum talis exemptionis cognitio, & definitio pertinet, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij Tridentini interpretum *super cap. 8. eiusdem Concily §. censuit si Episcopo.*

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum. De Xenodochijs.

SVMMARIVM.

1 *Xenodochia, &c. ordinari debent ab Episcopo.*
2 *Non debent deputari mundanis vsibus.*

1 Xenodochia, & alia pia loca ordinari debent ab Episcopo loci, in quo sunt, ad finem, in quem sunt instituta, *ex cap. De xenodochijs, &c. de religios. domibus.*

2 Locus destinatus, auctoritate Episcopi, ad vsum hospitalitatis, & pauperum, non debet deputari mundanis vsibus, quia est Religiosus, sicut nec vestes, & alia vtensilia ad cultum Religionis per Pontificem deputata, *ex cap. Ad hæc 4. de religiosis domibus, &c.* quia Hospitalia erecta, auctoritate Episcopi, sunt loca pia, & religiosa, gaudentque omnibus priuilegijs piæ causæ, vt docent cōmunitèr Doctores, & præsumitur Hospitale, auctoritate Episcopi fundatū, si sit in forma Ecclesiæ, & in eo fuerit erectum Campanile, & ibi per Sacerdotē celebretur. Gutterrez *can. quæst. lib. 1. cap. 18. num. 18.* Menochius *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 2.*

PARAG. II.
Decreta Sacræ Congregationis Concilij. De Hospitalibus.

Hospitale vnius Diœcesis habens beneficium annexum, quod est alterius Diœcesis, tenetur contribuere pro rata fructuum beneficij, Seminario, quod est in Diœcesi, in qua est situm beneficium.

Hospitalia ad contributionem Seminarij nō tenentur, & sic Concil. *sess. 23. cap. 18. de reformat.* non comprehendit Hospitalia, quæ administrantur à Laicis, & in quibus sunt bona Laicorum, *sub die 11. Ianuarij 1601.*

Hospitale priuatum potest Ordinarius visitare, corrigere, & reformare in ijs tantùm, quæ ad seruandam voluntatem fundatorum pertinent, & ex Decreto Concilij *sess. 2. cap. 9. de reformat.* exigendi rationem ab administratoribus ipsius Hospitalis, vnà tamen cum illis deputatis, quibus ex consuetudine ratio reddenda est. Sacra Cong. Concil.

Hospitalis in fundatione, si sit dictum, quòd Ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, non potest illud visitare.

Hospitalia omnia, & pia loca quocumque nomine nuncupentur, etiamsi sint priuata Laicorum, potest Episcopus visitare, corrigere, & reformare in casibus à iure concessis, scilicèt ob negligentiam, vel ob dilapidationem bonorum, vtque testatoris voluntas seruetur.

Hospitale aliquod visitare volenti, si opponatur exceptio, quòd sub immediata Regum protectione existat, nō ad sęcularem Iudicem, sed ad ipsum Episcopum talis exceptionis cognitio, & definitio pertinet.

Hospitalium sub immediata Regum protectione existentium nomine, non comprehenduntur, nisi ea, quæ expresse reperiuntur sub immediata Regum protectione. S. Cong. Concil.

Hospitalia etiam vnita, in quibus Ecclesię sunt, vbi assiduè Diuina Officia celebrantur, & bona eorum non sunt distincta, debent ab Ordinarijs visitari.

Hospitalis computa, stante consuetudine, Episcopus, vnà cum Magistro prædicti Hospitalis, recognoscere tenetur, *in Agathen. 19. Nouembris 1616.*

TITVLVS XI.
De Confraternitatibus.

SVMMARIVM.

1 *Confraternitates quomodo debeant erigi.*
2 *Earum Ecclesiæ gaudent immunitate.*
3 *Gaudent priuilegio restitutionis in integrum.*
4 *Quomodo debeant incedere in processionibus.*
5 *Vbi sepeliendæ.*
6 *Visitari possunt ab Episcopo.*
7 *Administrationes eorū vltrà triennīū non extēdūtur.*

1 Confraternitates non possunt erigi, nisi de consensu Ordinarij, & Statuta Confratrum ab Ordinario examinari debent, approbari, & corrigi; & inuito, vel inconsulto Episcopo, nemo potest Confraternitates erigere, & Statuta confirmare. Sacra Congregatio in vna Elboren. 7. *Octobris 1617.* Et licèt Confraternitas sit auctoritate Episcopi fundata, nō tamen personę censendæ sunt Religiosæ, & Ecclesiasticæ: Ratio, quia Episcopus, per approbationē non potest illis tribuere talem qualitatem, vt patet *ex text. in cap. Ad hæc, de Religiosis domibus.*

2 Licèt Confratres non sint personæ Religiosæ, & Ecclesiasticæ, tamen eorum loca, si habent Ecclesiam cum Campanili, & altaribus, sunt Ecclesiastica, & Religiosa; secùs autem, non: item res ad ipsas Confraternitates, auctoritate Episcopi fūdatas spectātes, Ecclesiasticę cēsēdę sūt; & per consequens sine solennitatibus requisitis in alienatione alienari non possunt: Ratio, quia huiusmodi Confratriæ auctoritate Episcopi erectę, sunt Ecclesiasticæ, & per consequens res earum fiunt de foro Ecclesiæ, quod non idem dicendū de personis: Ratio diuersitatis est, quia res efficiuntur ipsius Confraternitatis, & ipsi incorporantur; & ideò tamquàm cōnexæ rei piæ, seù religiosæ; Religiosæ etiā efficiuntur: at verò personæ nullam faciūt sui, aut suarum traditionem, sed potiùs in sæculo, vt Laici, sicut priùs, manent, & ideò ratio, quæ efficit, vt bona, seù loca pia, aut Ecclesiastica censeantur, non inuenitur in personis, & ideò sicut Laici, coram Iudice sæculari sunt conueniendi, &c.

3 Confraternitates, & Hospitalia gaudēt priuilegio restitutionis in integrum: Ratio, quia vt dictum est, censentur loca pia, & reli-

& religiosa, quibus datur restitutio in integrum; & cum huiusmodi loca censeantur Ecclesiastica, ad præscriptionem rerū pertinentium ad ipsas Confraternitates, &c. requiritur spatiū qua draginta annorum: Ratio, quia gaudent priuilegijs locorum Ecclesiasticorum.

4 Confraternitates in publicis Processionibus debent præcedere inter se iuxtà Bullam Gregorij XIII. & debent præcedere Regulares: Item Confraternitates non possunt in suis Ecclesijs per suos Capellanos facere solenniter celebrare, Confessiones audire, Sacramenta ministrare, &c. quę ad solum Parochū spectant, absq; expressa licentia Ordinarij, & Parochi. Sacra Congregatio Rituum in Neapolitana 18. *Maij* 1602. & in Cæsar-Augustana 14. *Ianuarij* 1612.

5 Confratres Societatis si non elegerint sibi sepulturam, sunt sepeliendi in propria Ecclesia Parochiali. Ità Petrus de Vbal. *de Canon. Epis. in cap. Venimus ad alias personas*.

6 Confraternitates Laicorū visitari possunt ab Episcopo, & rationes administrationum exigi. Ità Trident. *sess. 22. cap.* 8. & de hac re extat Cōstitutio Clemētis VIII. 24. *Decembris* 1604. quam refert per extensum. Piasec. *in prax. part. 2. cap. 3.* ex qua sūmariè secundum huiusmodi Confraternitates nō erigendas nisi de consensu Ordinarij; Confratrum Statuta ab eo examinari, approbari, & corrigi posse; Indulgentias concedendas cognoscere posse, &c.

7 Administrationes, seù gubernationes Confraternitatis vltrà triennium extendi non oportet, nisi secus in fundatione cautum fuerit, quam integrè sedulò obseruare debet Ordinarius, ex Trident. *sess. 25. cap.* 8.

PARAG. VNIC.

Decreta Sacræ Cong. Episc. & Regul. De Confraternitatibus.

Confraternitates nouas Sæcularium Christifidelium non licet erigere Clericis Societatis Iesu, nec Regularibus Ordinis Sancti Dominici, absque Ordinarij loci licentia, *in Chien. 6. Decembr. 1616.*

Confraternitates Sęcularium in Regulariū Ecclesijs erectas visitare, & in illas iurisdictionē, ad Sac. Concil. præscriptū, exercere potest Episcopus, quacunque consuetudine contraria non obstante, *in Vercellen. 17. Iulij 1615.*

Confraternitatum Sæcularium funera associantium interstitia, seù ceræ quartam funeralē Parochis non debent, *in Firman. 5 Martij 1616.*

Decreta Sac. Congreg. Concilij, De Confraternitatibus.

Confraternitates tantùm tenētur contribuere Seminario ratione beneficiorum Ecclesiasticorum, & quæ nulla habent beneficia Ecclesiastica annexa, aut prouentus Ecclesiasticos, non debent contribuere licèt alios redditus habeant, Sacr. Cong. Conc.

Confraternitates Laicorum in Ecclesijs Regularium exemptorum institutæ, subsunt iurisdictioni, & visitationi Episcopi, atq; ab eo visitari possunt, non modò Confraternitates, sed etiam Capellæ ipsarum in ijsdem Ecclesijs Regularium existentes; in ijs tamen, quæ Confraternitatum administrationem respiciunt: & quamuis Sac. Cong. Episcop. quòad Capellas secùs sentire videatur, *in vna Ostien. 1. Octobris 1616.* Id intelligitur circà ea, quæ non Confraternitatum administrationem, sed potius Regularium respiciunt. Sac. Cong. Conc. *in Nucerina 10. Iunij 1622.*

Decreta Sac. Congreg. Rit. De Confraternitatibus.

Confraternitates erigere, & Statuta confirmare nemo potest, inuito, vel inconsulto Episcopo, sed ad ipsum priuatiuè quòad alios spectet, 7. *Octobris* 1617.

Confraternitates Laicorum non possunt, nec debent tenere Sanctissimum Sacramentum in suis Ecclesijs, nisi ex causa, & de expressa licentia Ordinarij, 19. *Iunij* 1604. & *in Asculana 3. Aprilis 1632.*

Confraternitates non possunt in suis Ecclesijs per suos Capellanos facere solenniter celebrare, confessiones audire, sepelire, Sacramenta ministrare, & similia, quæ ad solum Parochum spectant absque expressa licentia Ordinarij, & Parochi, *in Cæsar-Augustana 14. Ianuarij 1612. in Neapolitana 18. Maij 1602.*

Confraternitati Sanctissimi Sacramenti, quæ sumptus ceræ facit, potest concedi, vt in Processione eiusdem Sanctissimi Sacramenti aliqui ex Confratribus cum fanalibus accensis incedant hinc inde, & apud Sanctissimum Sacramentum, dummodò maior pars Confraternitatis cū sua Cruce, & insignibus incedat ante in loco suo, 10. *Maij* 1608.

DE

DE HIERARCHIA, ET IVRE Ecclesiæ militantis,

LIBRI QVARTI.

PARS TERTIA.

De rebus Spiritualibus incorporalibus Ecclesiæ militantis.

ABsolutis rebus spiritualibus corporalibus, transire oportet ad res spirituales incorporales, & eæ sunt, quæ in iure consistunt, vt præbenda, quæ etiam nomen beneficij sortita est; Ius-patronatus, census, exactio, procuratio, canonica portio, de quibus ordine tractabimus.

TITVLVS I.

De Præbendis, & Beneficijs in specie.

SVMMARIVM.

1 *Prebenda, & beneficium quid sit.*
2 *Beneficia vnde ortum habeant.*
3 *Beneficium quotuplex.*
4 *Differentia inter Dignitatem, Personatum, & Officium.*
5 *Pensio Clericalis, &c. sunt beneficia impropriè dicta.*
6 *Beneficium aliud est titulare, aliud manuale.*
7 *Alia incompatibilia, & alia compatibilia.*
8 *Beneficium tribus modis eligitur.*
9 *Requisita ad beneficium.*

1 PRæbenda, seù Beneficinm est ius percipiendi redditus Ecclesiasticos ex bonis Ecelesiæ, ratione spiritualis officij auctoritate Ecclesiastica constitutum. Præbenda Beneficium, & titulus nihil re ipsa differunt; vsu tamen loquendi in alia Ecclesia vocatur Prębenda, in alia Beneficium, seù titulus. Introductus fuit Præbendæ vsus, vt qui in Ecclesia debitum seruitium præstat, ab eadem Ecclesia pro dignitate, & officio sufficientèr sustenteтur, qui enim Altati seruit, de Altate viuere debet.

2 Beneficia ortum habuerunt ex portione canonica assignata Ministris Ecclesiæ in stipendium laboris ex bonis communibus Ecclesiæ à fidelibus collatis, quæ licèt à principio Ecclesiæ essent communia, & fideles in communi viuerent, tamen progressu temporis visum fuit ipsa prædia, siuè immobilia bona Ecclesijs donarentur, ex quorum redditibus Ministrorum sustentatione prouisum esset: Vndè de ipsis beneficia instituta sunt.

3 Multiplicitèr diuiditur Beneficium Primò aliud est Regulare, & aliud Sæculare. Regulare est, quòd tantùm Regularibus confertur, vt Abbatia, Prioratus, &c. Sæculare est, quòd Sæcularibus personis est addictū, & hoc duplex est; Vnum simplex, quod nullam habet administrationē, nec est vlla iuris qualitate affectum, sed tantùm institutum ad recitandas Horas Canonicas, vt Canonicatus, &c. Aliud duplex, quòd habet administrationē annexam, vt Papatus, Patriarchatus, &c. Itē beneficia, quæ dicuntur dignitates, vt Prępositura, Decanatus, Personatus, &c.

4 Differentia est inter Dignitatem, Personatum, & Officium. Dignitas Ecclesiastica est Beneficium Ecclesiasticum habens Iurisdictionem spiritualē fori exterioris, vt Abbatia, Decanatus. Personatus est quædam prærogatiua in Ecclesia, siuè iurisdictione, vt habere statum honorificū in Choro, Capitulo &c. Officium est administratio rerum Ecclesiasticarum sine iurisdictione, & prærogatiua, & tale habent Sindici, Procuratores, &c. Syluest. *verb. Beneficij* 1. *num.* 2.

5 Beneficia impropriè dicta, dicuntur pēsio Clericalis, & Commenda ad tempus, Coadiutoria, & Prabendę, quæ nonnullis dantur ad tempus.

6 Beneficium aliud est simplicitèr titulare, quod videlicèt in titulum perpetuum confertur, quod sine causa auferri non potest; & aliud est manuale, quod in titulum quidem confertur, sed reuocabilitèr, quia ad nutum Prælati, vel patroni beneficiato auferri potest. Item aliud est electiuum, quod scilicèt præcedente electione, & accedente pòsteà confirmatione Superioris, confertur; & aliud collatiuum, quod libera, & simplici voluntate Superioris conceditur; Aliud mixtum, quod præsentante Patrono, & Episcopo instituente, confertur.

7 Beneficia alia sunt incompatibilia, & alia compatibilia. Incompatibilia sunt ea, quorum singula per se, vel naturali iure, vel saltem Ecclesiastica constitutione continuam residentiam postulant, vt sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, &c. & Beneficia vniformia sub eodem tecto. Reliqua verò censentur compatibilia.

8 Prębēda, seù Beneficiū tribus modis eligitur, fūdatione, restitutione, & cōmutatione. Fūdatione, cū denuò fundatur. Clementina 1. *de rescriptis cap. Dilecto* 25. *de prabēd.* cap. 1. *de verb in* 6 cap. *Ad audientiam* 1. *&* 2. *de Ecclesijs ædificand.* Restitutione cum Beneficium extinctum, vel suppressum, in pristinum statum restituitur, *vt in cap. Ex parte* 12. *de constit.* Immutatione, cum forma Beneficij, vel qualitas mutatur, vt si Abbatia fiat Episcopatus; Episcopatus, Archiepiscopatus, &c. *vt in cap. Saluator* regulare fiat

fiat Sæculare, vel è cõtrà, *vt in cap. Quatuor 5. de Religiosis domibus*, cap. *Ad audientiam 2. de Ecclesijs ædificand. can. 4. Quæ semel 19. quæst. 3.* cap. 10. *Peruenit 18. quæst. 2.*

9 Vt quis censeatur idoneus ad beneficium; Primò requiritur, quòd sit legitimus, illegitimus.n. est incapax cuiuscumque beneficij habentis curam animarum. Secundò, requiritur Clericatus, & debet ferre tonsuram, & habitum talarem. Tertiò, requiritur ætas requisita. Ad Episcopatum triginta annorum ætas; ad dignitatem Ecclesiasticam habentem curam animarum requiritur ætas saltem vigintiquinq; annorum; ad alia beneficia requiritur ætas saltem quatuordecim annorum. Quartò, requiritur scientia necessaria ad obeundum munus Beneficij. Quintò, requiritur morum probitas. Sextò, cælibatus. Septimò, vt non sit vlla censura irretitus. Octauò, habilitas ex parte corporis, quę necessaria sit ad decentèr præstandum officium, &c.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia erigere quis possit.*
2 *Episcopus in sua Diœcesi quæ beneficia possit erigere.*
3 *Capitulum Prabendam creare potest.*
4 *Priuatus potest erigere beneficium.*
5 *Seruanda in erectione beneficij.*
6 *Beneficia erecta subiacent Episcopo.*
7 *Alia definitio Prabenda.*
† *Differentia inter Canoniam, & Præbendam.*

1 Erigere beneficia possunt Summus Pontifex, Episcopus, Capitulum, Priuatus. Summus Pontifex solum erigit beneficia maiora, vt Episcopatus, Archiepiscopatus, &c. *cap. Sicut vnire 8. de excessibus Prælatorum*, cap. *Quod translationem 4. de officio Legati*. In Ecclesijs Collegiatas nouas, & insuetatas dignitates ponere potest. Felin. *in cap. Cum accessissent*, ex Regularibus Sæcularia facit. *Can. quæ semel 19. quæst. 3.* Item Canonicatum Supernumerarium ad effectũ dignitatem, vel officium, vel administrationem in Ecclesia obtinendi creare potest, in locis exemptis beneficia dat, *cap. Auctoritate 4. de priuileg. in 6.*

2 Episcopus in sua Diœcesi omnia minora beneficia, adhibito Concilio sui Capituli, creare potest, *cap. Nemo 9. de consecrat. distin. 1.* Ex Sæculari Regularem facit, *Can. 71. Si Episc. 11. quæst. 2.* cap. *Inter 5. de Religiosis domibus*, non contrà, nisi auctoritate Papæ, *vt in cap. Cum venerabilis 51. de censibus*, & cap. *Relatũ 7. ne Clerici, vel Monachi*, aut nisi aliter, quã per suffragationẽ Clericorũ Regularium, Regularis reformari nõ possit, *cap. Inter quatuor*, Dignitates vsitatas in alijs, & in sua Ecclesia creare potest, *cap. Cum olim 6. de consecrat.*

3 Capitulum tantùm præbendam in specie dictam creare potest, & suppressam dignitatem restaurare, *cap. Cum accessisset 8. de constit.* cap. *Dilectus 19.*

4 Priuatus de licentia Episcopi potest beneficium erigere, *cap. Nemo 9. de consecrat. distin. 1.* Sine auctoritate Episcopi potest cõstruere Oratoria priuata, & dotare, *cap. Vnusquisque 33. dist. 1.* cap. *Patentibus 8. de priuilegijs.*

5 In creatione Beneficiorum debent obseruari locus, causa, persona, dos, Ecclesia, locus, vt is sit Beneficij qualitati conueniens, & congruus, *Can. 28. Ecclesias 16. quæst. 7. Can. Ecclesias per congrua 13. de consecrat. distinct. 1.* cap. *Saluator de Præbend.* Causa, vt si Ecclesia erecta tempore hyemali difficultèr adiri potest, & ob alias, v. g. ob deuotionem Populi, &c. vt adhibeatur consensus personarum, quarum interest, *cap. Ad audientiam 3. de Ecclesijs ædificand.* vt constituatur sufficiens dos, *Can. Cum sicut 8. de consecrat. Ecclesiæ*, ex qua beneficiati possint viuere, iura Episcopalia soluere, Hospitalitatem transeuntibus impertiri, *Can. 2. de supplenda negligentia Prælatorum*, *cap. de Monachis 12. de præbend.* & vt Ecclesia facta consecretur ab Episcopo iuxta formam, *cap. Nemo 9. de consecrat. distinct. 1.*

6 Erecta beneficia Curæ, &c. solicitudini eius Episcopi relinquuntur in cuius Diœcesi constructa sunt, *Can. 10. Omnes Basilicæ 16. quæst. 7.* nisi priuilegio aliquo eximantur, *cap. Cum & plantare 3. de priuileg.*

7 Spiritualis Præbenda definiri solet, vt sit ius percipiendi prouentus in Ecclesia competens percipienti, tamquam vni de Collegio, quam definitionem assignarũt. Hostiens. *in Sum. tit. de præbend. num. 28.* Archidiaconus *in cap. Alienationes 12. quæst. 2.* Sed melius definitur quòd sit beneficium simplex institutum in Ecclesia Parochiali, vel Collegiata, ad exequenda Diuina officia, quod non habet ex se scamnum in

† Choro, neque vocem in Capitulo; Et ideò Canonia, & Præbenda differunt; quia Canonicus habet sedem in Choro, ac vocẽ in Capitulo, & titulus Canoniæ est receptio in fratrem; Titulus verò Præbendæ collatio; ità *in cap. Cum in Ecclesijs hoc titulo in 6.*

PARAGR. II.

Decreta Sacr. Congregationis Rituum. De Præbendis.

Præbenda Canonicatus suppressa, vt fructus assignentur Theologo, qui legat, & prædicet, Clerico sæculari, & non regulari assignanda est, 15. *Nouembris 1603.*

Prębenda, quæ mutat statum, & de Diaconali est effecta, Presbyteralis debet gerere habitum Presbyteralem, non autem Diaconalem. *in Ianuen. 24 Martij 1612.*

Decreta Sacrę Congregationis Concilij. De Præbendis.

Præbenda Presbyterali vacante, potest Episcopus eam conferre illi, qui Diaconalem, seu Subdiaconalem habet, & has vni,

vni, qui ætatem habet pro his obtinendis. S.Cong.Conc.

Præbenda in mensibus reseruatis Sedis Apostolicę vacans,non potest erigi in Prębendam pœnitentialem.

Præbenda post Concilium,primò vacans, si non fuerit in pœnitentialem erecta,potest optari, sed si ante optionem Episcopus erexit,erectio prævalet,etiamsi posteà optaretur.

Prębenda optari non potest,quę fuit erecta, & deputata in Theologalem pro Theologo à sequenti Canonico.

Præbenda officio Pœnitentiarij vnienda, integra,ac Canonicalis esse debet. S. Cong. Conc.

Præbendę Theologalis erectio non habet locum in ea,quæ,vigore statuti,à sequenti Canonico optatur,sed illa Prębenda,quã dimittere Canonicus nouissimè optat, huic muneri vnita, & affecta remaneat. *6. Iunij* 1592.

Prębenda,tàm Theologi,quàm Pœnitentiarij, etiam postquam est effectum sortita; non subiacet optioni 12. *Februarij* 1601.

Prębendam Theologalem obtinens, non est admittendus ad ius optandi competens Canonicis.

Præbendam Theologalem obtinens, non potest illam dimittere, & aliam optare ad instar aliorum Canonicorum 7. *Iunij* 1601.

Præbendæ Theologalis ad erectionem requiritur actualis deputatio; & ideò si in prouisione Præbendę non fuit facta actualis deputatio,non potest prouisus compelli obire munus lecturæ.

Præbendam Theologalem habens diebus, quibus legit, habendus est tamquàm præsens in Choro, non-modò pro illis horis, vt si mane legat pro Horis Matutinis, & Missa solenni, sed etiam pro tota die, & percipere debet distributiones quotidianas.

Præbenda Theologalis, vel Pęnitentiarij, sicut non potest ab aliquo Canonico optari,cùm detur per electionem, pręuio examine; ità Theologus, vel Pœnitentiarius non est admonendus ad ius optandi 12. *Februarij* 1601.

Præbenda Theologalis non est dignitas, & ideò primum locum,eam obtinens, relinquere debet antiquioribus Canonicis. *in Mediolanen.*

Prębendæ Theologalis collatio, erectæ post Concilium,spectat ad eum, ad quem ante Concilium spectabat scilicèt ad Capitulũ. & institutio ad Episcopum. *in Toletana* 24. *Septembris* 1592.

Prębendæ Theologalis deputatio non habet locum in Ecclesijs regularibus,vbi Ecclesię non sunt destinatæ,nec Ecclesiæ numeratę, prout Ecclesia Cathedralis Pampilonen.sed eogèdi sunt Monachi,vt prouideanr de Lectore idoneo Theologiæ, qui publicè legat, non solùm ipsis Monachis, sed omnibus alijs audire volentibus. *9 Septembris* 1573.

Prębendam Theologalem obtinens, si legere vllo modo nolit, poterit Episcopus illum cogere cõminationibus pœnarum, sequestrationibus fructuũ,assignatione portionis, & eorumdem fructuum alteri, qui ipsius loco legat: demùm crescente contumacia,ad alias pœnas, etiam priuationis, deuenire poterit, factaque priuatione ad corroborandum Concil. Decretum, Episcopus declarare debet,talem Prębendam, & Canonicatum affectum fuisse, & esse ex Concilio pro Sacræ Scripturę Lectore: tunc eligat personam idoneam, quę id munus per seipsam exequi valeat, & illi per Ordinarium collatorem huiusmodi præbenda conferatur.

Prębenda Pœnitentiarię resignari potest ad fauorem eius, qui non est Doctor, nec licentiatus, sed ex attestationibus Ordinarij, Capituli,& Academię Elboren. asseritur admodùm doctus,& habilis,quia sufficienter constat de idoneitate ad effectum, vt Papa prouideat. 12. *Martij* 1633.

TITVLVS II.

De collationibus Beneficiorum.

SVMMARIVM.

1. *Modi, quibus conferuntur beneficia.*
2. *Electio fit tripliciter.*
3. *Secundus modus eligendi.*
4. *Nominatio quid sit.*
5. *Item præsentatio.*
6. *Collatio, &c.*
7. *Quintus modus conferendi beneficia.*
8. *Quatuor modis rescripta expediuntur.*
9. *Quibus modis desinant.*
10. *Vltimus modus acquirendi beneficia.*
11. *Requisita in possessore triennali.*
12. *Beneficium indigno non est conferendum.*

1 PLures sunt modi ab Ecclesia instituti, quibus beneficia conferũtur,nimirùm electione,postulatione,nominatione,pręsentatione, simplici collatione, triennali possessione, & rescriptis Apostolicis. Electio est alicuius personæ ad Ecclesiam Pastore destitutam canonicè facta vocatio: Dicitur,Pastore destitutam, quia electio non fit,nisi vacante Ecclesia, *ex cap. Quapropter, de electione*, & beneficia electiua dicuntur, quæ tantùm per electionem conferri debent, & per electionem non acquiritur ius in re, sed ad rem; & ideò eget confirmatione Superioris; ità *cap. Nihil est*, & *cap. Cum dilectus, de electione.*

2 Electio fit tripliciter: Primò, per motionem Spiritus-Sancti: Secundò, per scrutinium: Tertiò, per compromissum, vt cum plures idonei eliguntur, in quos omninò facultas, & potestas eligendi transfunditur, eligunt aliquem ad beneficium, quæ electio dicitur per compromissum, de qua electione iam dictum fuit.

3 Secundus modus eligendi est postulatio, quę est supplex quędã à Canonicorum Collegio facta petitio, qua petitur, vt aliquis certæ Ecclesiæ vacanti pręficiatur,

non

non obstante aliquo defectu, quem patiatur.

4 Nominatio est supplex duorum, vel plurium nominatorũ exhibitio, quæ fit ab electoribus, Superiori, vt vnũ ex illis velit præficere, & hæc dicitur nominatio solennis, ad differentiam alicuius simplicis, quæ ab electoribus fit per modum tractatus, & conferentiæ.

5 Præsentatio est exhibitio quædam personæ per Patronum, Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta: Patronus est ille, qui habet ius patronatus, quod nihil aliud est, quam beneficium onerosum, & vtile conueniens alicui ob aliquod meritum, vel obsequium in Ecclesia collatum, & hoc duplex est; Vnum Ecclesiasticum, quod conuenit alicui ex eo, quòd ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiam fundauit, vel extruxit, vel dotauit, vel quod habetur ratione Rectoratus Ecclesiæ, aut dignitatis Ecclesiasticæ; Alterum est Laicale, quod competit alicui, qui ex bonis patrimonialibus, seù secularibus Ecclesiam fundauit, construxit, vel dotauit, aut beneficium aliquod erexit.

6 Collatio est concessio beneficij vacantis, siuè per obitum, siuè per resignationẽ, siuè deuolutionem, liberaliter facta ab habente potestatem, vt ab Ordinario, Papa, Legato, &c. quæ liberè siue vi, & pacto debet fieri. Conditio autem potest inesse in collatione beneficij, quando ipso iure, vel statuto, consuetudine, fundatione, aut institutione beneficiorum in illis posita est. Azor. *2. p. lib. 6. cap. 26. quæst. 2. & 3.* Filliuc. *tract. 41. cap. 3. nu. 10. 11. & 12.* & allj.

7 Quintus modus conferendi beneficia est rescriptum Papæ, quod contingit dupliciter, vel motu proprio, vel ad petitionem alterius. Motu proprio id censetur facere, si id exprimat; ad petitionem alterius, quãdo id exprimitur, & nulla est prouisio, si subreptitia, &c.

8 Quatuor modis rescripta à Papa expediri solent: Primò, dicitur in forma pauperum: Secundò, dicitur in forma dignitatis, vt sunt litteræ, quas Papa ad locorum Ordinarios mittit: Tertiò, dicitur *ratione dignitatis*, quia ità incipiunt, & dari solent, quãdo aliquis Papę supplicè libellũ obtulerat: Quartò, dicitur *Si neutri, si nulli sit alteri*: si enim orta sit lis inter duos de aliquo beneficio, & tertius à Papa impetret, hac lege, vt si neutri litigantium ius cõcessum sit, ipsi beneficium detur, dicitur impetrasse litteras, *Si neutri*. Si alter litigantium impetret à Papa, vt sibi beneficium conferatur, & ea conditione concedirur, si alteri litigantium ius in beneficium quęsitum non est, dicuntur litteræ, *Si alteri*. Si denique tres de beneficio litigent, & alius contrà literas impetrat, ea conditione, vt si nulli litigantium ius in beneficium acquisitum sit, ipsi conferatur, dicuntur litteræ *Si nulli*.

9 Litteræ, seù mandata Apostolica desinunt primò per reuocationem factam ab eo, qui litteras dedit: Secundò, si successor Pontifex mandata Apostolica ab Antecessoribus data rescindat: Tertiò, per cessionem tacitam, vel expressam Mandatarij.

10 Vltimus modus acquirendi beneficia est per triennalem possessionem, ità ex regula *de trienn. possess.* censetur pacificus possessor beneficij, qui toto triennio, in illo, nec de iure, nec de facto per lites turbatur, neque in Vicario à se substituto, quæ possessio triennalis habet locum in vtroque foro.

11 Hæ conditiones requiruntur, vt quis, fauore regulę de triennali possessione, acquirat ius in beneficia: Prima est, vt beneficij possessio habeat saltem titulum coloratum: Secunda, vt non sit intrusus, nec violentus: Tertia, vt possederit per triennium integrum: Quarta, vt possederit pacificè, & bona fide; & ideò talis regula nõ suffragatur illi, qui non habet titulum coloratum, vel fuit intrusus, vel qui non possederit pacificè per triennium, & bona fide beneficium.

12 Beneficium nunquam indigno est conferendum, quando adest dignus. Indignus autem dicitur, qui vel est irregularis ex ignorantia, morbo, infamia, &c. In quibusdam casibus licet, prætermisso digniore, conferre beneficium digno: Primus, si Patronus Laicus præsẽtet dignum, quia huic debet conferri: Secundus, si beneficium ex sui institutione sit dandum alicui ex certa familia, vel oppido, &c. Tertiò, si aptiores sunt reseruandi beneficijs Parochialibus, eò quòd pauci benè idonei reperiuntur. Quartò, si plures sint electores, & paucorum suffragia instituerint dignissimum: Quintò, resignans in fauorem alterius, satis est, vt quærat dignum: Ratio, quia cùm iste resignans non sit distributor, si iure permittatur in fauorem resignare, potest resignare digno, cui voluerit; ità apud Dianam *tract. 1.* Miscel. *resol. 41. par. 2.* plures Doctores.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex habet potestatem generalem conferendi beneficia.*
2 *Quæ etiam alia beneficia pertineant ad Papam.*
3 *Item alia.*
4 *Intrà quod tempus debeant conferri beneficia.*
5 *Capitulum an possit conferre beneficia.*
6 *Item Vicarius Generalis.*
7 *Episcopus, quæ beneficia possit conferre.*
8 *Laici non habent ius conferendi beneficia.*

1 Svmmus Pontifex habet generalem potestatem conferendi beneficia in quauis Diœcesi, quia est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum. Tribus autem modis potest beneficia conferre: Primò iure præuentionis, vt quando alicui confert gratiam expectatiuam ad beneficium primò vacaturum: Secundò, concurrendo cum allis collatoribus: necesse tamen est, vt in hoc casu reseruet, vel cõferat beneficium ante Ordinarium,

dinarium; alioqnin collatio Ordinarij erit valida. Rebuffus *in prax.* §. *de deuolut. nu.* 46. *Cap. Dudum de præbend. in 6. Cap. Quia de conceß. præbend.* Tertiò, confart iure deuoluto, vt quando ratione criminis, v.g. ob simoniam confidentiæ, vel ratione negligentię collatoris ius conferendi deuoluitur ad Pontificem, ex dispositione Canonum, eodem iure confert Episcopus, quando inferiores collatores sunt negligentes. Filliuc. *tract. 41. cap. 2. num. 12.*

2 Pertinet etiam ad Papam collatio eorum beneficiorum, quę vel per mortem, vel quacumque alia ratione ea amittunt in Curia Romana: Secundo, ratione personatum ad se, suamque Curam pertinentium, atque ità reseruantur. primò, beneficia Curialium, vel aliorum ad Curiam accedentium, vel indè recedentium, si moriantur 40. milliaria à Curia nō distantes: Item beneficia familiarium suorum, & familiarium Cardinalium S. R. E. Item beneficia collectorum, & subcollectorum, qui tempore sui Officij obierint in aliqua Ciuitate, vel Diœcesi, & beneficia Curialium, quibus cum Curia Romana discedētibus obire contingit: Item beneficia Cubiculariorum, & Cursorum Romani Pontificis; ità *in regulis Cancellariæ.*

3 Pertinēt etiā ad Papā beneficia, quæ sibi reseruat, ratione præeminētiæ, atq; ità reseruantur. Patriarchalia, Primatialia, Archiepiscopalia, &c. Secūdò, Beneficia, quæ dicuntur dignitates principales in Ecclesijs Collegiatis: Tertio, Prioratus, Præpositurę, &c. Item quæ Papa sibi reseruat, ratione Episcopatus Romani, vt sunt beneficia S. Ioannis Lateranensis, S. Marię Maioris de Vrbe, & Officia prædictarum Basilicarum: Item beneficia, quæ sibi reseruat ratione supremæ potestatis, vt sunt omnia vacantia, tempore vacationis Ordinariorum; Secundo, quæ vacant mensibus Pontificis, & in alternatiua cum Episcopis: Tertio, omnia beneficia per suos prædecessores reseruata; ità *in decima regula Cancellariæ.*

4 Dignitates infrà Episcopatum, & Abbatiam, & alia beneficia regulariter debent conferri infrà sex menses, alioquin deuoluuntur ad Superiorem. Similiter si Patronus Laicus non pręsentet intrà quatuor menses, & Ecclesiasticus intrà sex, beneficium efficitur liberum, eius dispositio deuoluitur ad eum, cuius est instituere.

5 Licèt Capitulum, Sede vacante, fungatur officio Episcopi, non tamen potest cōferre beneficia, collatione libera, & gratiosa, sed tantùm collatione necessaria: Ratio, quia collatio libera computatur inter fructus, qui futuro Episcopo reseruantur, & ideò non potest conferre beneficia spectantia ad Episcopum solùm, vel ad Episcopum de consensu Capituli: Item nec præsentare potest, nec eligere, quando præsentatio, & electio ad solum Episcopum spectat. Azor, 2. *par. lib. 5. cap. 38.* Less. *lib. 2. cap. 34. dub. 10. num. 90.* & alij.

6 Vicarius Generalis Episcopi non potest conferre beneficia, nisi de speciali mandato, nam ea, quę sunt iustitię, & necessitatis, & etiam ea, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, non tamen ea, quæ sapiunt gratiā, expedire potest: Vndè non potest pręsentare, licèt possit præsentatos instituere, & confirmare electos, quia hoc est iustitiæ, & necessitatis: Potest tamen conferre beneficia ex causa permutationis resignata, si habeat potestatem ab Episcopo recipiendi resignationem ex causa permutationis, quia tunc collatio est necessaria, *cap. vnic. de rerum permut.* Potest item conferre beneficia liberæ collationis, si ad id speciale mandatum habeat, sicut ad conferendum certis personis.

7 Episcopus potest conferre omnia beneficia suę Diœcesis, præter ea, quę Papæ sunt reseruata. Azor. *lib. 3. cap. 29. quæst. 5.* Less. *cap. 34. dub.* 10. & alij: Ratio, quia Episcopi in sua Diœcesi sunt moderatores rerum spiritualium, & ideò ad ipsos pertinet rerum sacrarum Ministros constituere, etiam post confirmationem, ante possessionem, vt colligitur *ex cap. Nosti, cap. Transmissam, cap. 3 Qualiter, & cap. Nihil est, de elect.* Hodie tamen ostensionem, & præsentationem litterarū factam Capitulo non possunt conferre, vt patet ex verbis, *Nullique eos* absq; dictarum litterarum ostensione recipiant; aut eis pareant, vel intendant.

8 Laici non habent ius conferendi beneficia, nec instituendi, nec confirmandi, nec illud possunt comparare præscriptione, vel consuetudine, quamuis longissimi temporis, & immemorialis. Azor. *lib. 6. cap. 25. quæst. 19.* Laicus habet ius præsentandi ad beneficia vacātia iuris-patronatus, & hoc ius hæreditarium potest etiam transire in fœminā, sicut etiā relictum ijs, qui sunt de familia. Vndè institutio, seu collatio facta ab Ordinario, spreto Patrono, est nulla, si fiat non transacto tempore ad præsentandum, *cap. Decernimus 16. quæst. 19.* reclamante, & contradicente Patrono intrà quadrimestre, quod habent Laici ad præsentandum, alias valebit: Ratio est, quia nullitas collationis ab Ordinario factæ, spreto Patrono, inducta est in fraudem Patroni, ergò erit nulla, si ipse voluerit, & contradicat; si verò collatio fiat, Patrono sciente, & non reclamante, censetur valida; & apud Filliuc. *tract. 41. cap. 2. num. 68.* & apud alios.

TITVLVS III.

Quibus modis beneficia vacent.

SVMMARIVM.

1 *Quæ beneficia dicantur vacare.*
† *Vacatio potest contingere tripliciter.*
2 *Quæ dicantur vacare de iure tantùm.*
3 *De facto, & non de iure.*
4 *Quibus etiam alijs modis.*

1 EA beneficia dicuntur vacare, quæ à nullo possidentur; vel si possidentur, nullo

nullo iure possidetur, quod cōtingere potest tripliciter, vel de iure, & de facto, vel de iure tātū, & nō de facto, vel de facto, & non de iure. De iure, & de facto beneficiati morte, quia *mors omnia dissoluit*: Itē per mortē ciuilē, idest per ingressum, & professionem in Religione, per matrimonium, &c. quia eùm quis se vinculo illo innodet, spontaneè videtur beneficio renunciare, *cap. Ex transmissa, de renunciat. cap. Cùm renunciatio 32. qu. 1.*

2 Secundò dicitur vacare de iure tantum, & nō de facto, nimirùm electione ad Episcopatum eius, qui beneficium habet, *cap. Cùm in cunctis 7. de elect. cap. Cùm nostris 6 &c.* acquisitione beneficij curam, vel dignitatem annexam habentis, *cap. De multa 28.* Item quando non ordinatur intrà annum completum, & perfectum: computatur autem annus à die possessionis pacificæ; & per eum steterit, quia si legitimè fuerit impeditus, non computatur annus, vt si Episcopum intrà annum non inuenit, &c.

3 De facto, & non de iure, spoliatione, &c. dicitur etiam vacare ex delicto Hæresis, Schismatis, percussione Cardinalis, vel Episcopi, homicidij qualificati, falsificationis litterarum Apostolic. sodomiæ sæpiùs exercitæ, occisionis Rectoris, &c. simoniæ, ex delicto alienationis bonorum Ecclesiæ, absque forma in iure præscripta, vltimò ob violētam possessionē beneficij.

4 Dicitur etiā vacare beneficium per sententiam Iudicis, vel quia non residеat in beneficio: Secundò, si sit homicida: Tertiò, si sit publicus concubinarius, & monitus ab Episcopo, non deserat concubinam: Quartò, si sit periurus: Quintò, si blasphemus in Deum, vel Sanctos, *cap. Conquerente de Cleric. cap. Clericus* Concil. Trid. *sess. 25. cap. 14. cap. Querelam, de iure iurando, cap. Si quis per Capillum 12. quæst. 7.*

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum.
De Præbendis.

SVMMARIVM.

1 *Quæ beneficia reseruentur Papæ.*
2 *Beneficia reseruata à Papa, si per alium conferantur, collatio non tenet.*

1 Dispositioni Apostolicæ reseruantur beneficia omnia cum Cura, & sine Cura, sæcularia, & regularia, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesiæ, & cōsueta conferri per electionem, vel alio modo apud Sedem Apostolicam quomodocunque vacantia, & in posterùm vacatura, etiam per depositionem, vel priuationem, seù translationem, aut muneris consecrationis suspensionem, aut etiam per obitum Cardinalium, ac Officialium Sedis Apostolicæ, &c. necnon aliorum, qui negotij causa veniunt, vel recedunt à Curia, si intrà duas dietas legales moriantur, & non habeant ibi proprium domicilium, *ex cap. Ad regimen de præbend. & dignitat. in 6.*

2 Beneficia quæcunque, dispositioni Sedis Apost. reseruata, ità per talem reseruationem sunt affecta, vt illorum collatio non teneat, si per alium à Romano Pontifice fuerit facta, *ex cap. Ad Romana 16. de præbend. & dignitat. in 6.*

TITVLVS IV.
De prohibita beneficiorum pluralitate.

SVMMARIVM.

1 *Habere plura beneficia, an sit malum.*
2 *Pluralitas, &c. ex duplici capite potest esse mala.*
3 *Pluralitas beneficiorum non est actus indifferens.*
4 *Beneficia aliqua sunt compatibilia, & aliqua incompatibilia.*
5 *Beneficia incompatibilia simul retineri non possunt absque, &c.*
6 *Papa solus dispensat in pluralitate beneficiorum.*
7 *An Legatus Papæ possit dispensare.*
8 *Pœna contra habentes plura beneficia.*
9 *An sit tutum, qui obtinuit, posse obtinere plura beneficia curata.*

1 Habere plura beneficia, non est intrinsecè malum; vnde cohonestari potest fine, seù circumstantia bona; ità Lessius *lib. 2. cap. 34 dub. 27. num. 137.* Filliucius *tract. 41. cap. 7 num. 12.* In istis casibus potest quis licitè habere plura beneficia: Primus, quando habent exiguos redditus, vt non sufficiant ad sustentationem beneficiati: Secūdus, quando vnum beneficium est alteri coniunctum, & vnitum: Tertius, quando Clericus non inuenitur idoneus: Quartus, quando vnum beneficium datur in titulum, & alterum in Commendam non perpetuam: Quintus, quando Parochialis Ecclesia est annexa Canonicatui: Sextus, quando vnum habet curam animarum actu, & aliud habito tantùm: Septimus, quando ex consuetudine duo beneficia simul possidentur: Vltimus, quando Papa dispensat.

2 Pluralitas beneficiorum ex duplici capite potest esse mala: Primò, si vnum beneficium sufficiat ad vitam sustentandam: Secundò, si institutio beneficiorum non permittat, vt plura ab eodem administrentur.

3 Pluralitas beneficiorum licèt non sit intrinsecè mala, tamen non est actus indifferens, qui potiùs tendit in malum, quàm in bonum: Ratio, quia pluralitas beneficiorum ex aliqua parte repugnat iuri naturæ, & iuri etiam Ecclesiastico: Primò, talis pluralitas infert damnum Ecclesiæ per diminutionem Ministrorum ipsius: Secundò, infert damnum Ministris idoneis, dùm relinquuntur absque vllo beneficio: Tertiò, datur scādalum proximis, ex mala dispensatione bonorum Dei: fit etiam iniuria defunctis, præsertim fundatoribus, dum non satisfit obligationi annexæ beneficio.

4 Beneficia alia sunt iure compatibilia, alia incompatibilia. Beneficia compatibilia dicuntur, quæ vel iure communi,

vel saltem consuetudine simul haberi possunt, vt v.g. duæ Parochiæ, duo Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarchatus, &c. Secundò, omnia beneficia, quæ dicuntur dignitates, personatus, vel officia, quæ requirunt residentiam, & distinctionem personarum: Tertiò, Canonicatus, & personas in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, sæcularibus, & regularibus: Quartò, beneficia vniformia sub eodem tecto, incompatibilia censentur, v.g. duo beneficia eiusdem Ecclesiæ.

5 Sunt etiam alia beneficia incompatibilia, quæ simul licitè retineri non possunt absque dispensatione; tamen non ità pugnant, vt alterum vacet, obtento altero: talia sunt reliqua beneficia residentiam requirentia, quæ sine graui peccato simul retineri non possunt.

6 Solus Papa potest dispensare in pluralitate beneficiorum; ità *cap. Dudum, de elect. cap Multa, de prabend.* Nauar. *cap. 25. num. 125.* Azor. *par. lib 6. cap. 12.* & alij: Ratio, quia solus Papa dispensare potest in iure communi, cùm non sit suprà ipsum. Verùm regulariter non potest dispensare absque causa. Tres autem sunt causæ dispensandi: Prima est iusta necessitas Ecclesiæ: Secunda, eiusdem vtilitas: Tertia, euidens prærogatiua meritorum; intelligitur nobilitas generis, patriæ, vel dignitas personæ, egregia litteratura, industria, prudentia, & virtus, vt colligitur *ex cap. De multa.*

7 Legatus Papæ potest dispensare in pluralitate beneficiorum, sed limitatè: Primò, vt non sint dignitates, Episcopatus, aut beneficia iurata, *cap. de Multa.* Secundò, vt non excedant congruam sustentationem, *ex cap. Cum adeo, de rescript.* Tertiò, vt non sint sub eodem tecto, *cap. 1. de Consuetud. lib. 6.* Episcopus potest etiam dispensare sub eisdem limitationibus. Item si duo beneficia sub eodem tecto dissimilia sint, & vnum non sufficiat ad sustentationem potest dispensare. Io. Andreas *cap. 1. de consuetud. in 6.* Abb. *cap. Litteras de concess. prebend.*

8 Plures sunt pœnæ constitutæ contrà pluralitatem beneficiorum. Prima est vacatio beneficij incompatibilis cum secundo. Alia verò beneficia non vacant, pro adeptione secundi, licèt licitè simul retineri non possint absque dispensatione. Secundò, duo beneficia simplicia requirentia residentiam non sub eodem tecto, non vacat primum, adepto secundo, sed priuatur fructibus vnius, vel vno retento, quod maller, altero priuabatur, *ex cap. Referente, de prabend.* Tertiò, quando secundum obtentum est litigiosum, non vacat prius: Postquàm autem secundum pacificè possessum fuerit, vacat prius, etiam si hoc esset litigiosum: si obtento vno quò ad titulum, nō quò ad possessionem, acquiratur secundum litigiosum, & postea pacificè possideatur; per primum non amittitur, secundum litigiosum, quia id iure statutū non est. Nauar. *cons. 31. de prabend.* Vltimò, non satis est habere possessionem tituli secundi beneficij, sed requiritur etiã vt fructus percipiantur: Vnde si alteri essent reseruati, non vacaret primum, *cap. Si tibi concesso, de prabend. in 6.* Filliuc. *tract. 41. de benefic. Eccles. cap. 7. num. 43.*

9 Qui per dispentationem obtinuit plura beneficia iurata, non est tutus in consciētiā, sed tenetur alterum relignare, si non putetur subesse legitima causa dispensandi, & sequatur damnum animarum ex absentia Prælati, etiam si per Vicarios administretur, vel detur ex hoc scandalum Populis: ità S. Thomas. *Quod lib 9. artic. 15.* Caiet. *verb. Beneficiorum multiplicatio.* Tolet. *lib. 9. cap. 81.* & alij. Idem dicendum est de illo, qui non existente iusta causa, euidēter obtinuit plures dignitates, personatus, Canonicatus, &c. Quæ residentiam requirunt, tenetur is, qui ea habet, retento vno sufficiente, alia remittere; Ea enim retentio aliquid inuoluit contrà ius naturale, & Diuinum; in quo non potest Pontifex dispēsare, nisi interueniat iusta causa, quæ turpitudinem tollat.

TITVLVS V.

De Institutionibus in specie.

SVMMARIVM.

1 Institutio est concessio Beneficij facta legitima auctoritate Episcopi, vel alterius, Clerico à Patrono præsentante, quæ tripliciter potest fieri: Primò per electionem, quam deindè Superior confirmat. Secundò, ad præsentationem Patroni, & hæc beneficiorum collatio propriè dicitur institutio. Tertiò, liberè à Superiore, ad quem collatio pertinet, modò ille idoneus sit, *cap. Relatum, de prabendis.* Azor. *tom. 2. lib. 6. cap. 25.*

2 Præsentatio debet fieri à Patrono, quia si fiat sine Patrono, irrita est ipso iure institutio: valida tamen redditur, si Patronus in eam consentiat: si Patronus vocatus præsentandum non præsentet; Episcopus, ipso tacente præsente, aliquem instituat: Item si tempore præfixo ad præsentandū, taceat, & Episcopus instituat: Item si Episcopus iubeat, vt præsentet, & Patronus non facit, atque ipso sciente, Episcopus instituat. Vltimò, si Episcopus instituat, & Patronus taceat.

3 Summus Pontifex potest derogare iuripatronatus, & aliquando derogat: quando verò ius-patronatus pertinet simul ad Clericum, & Laicum, ei nōn derogat Papa per clausulam generalem.

4 Instituere possunt Episcopus, Sede vacante, Capitulum, *cap. 1. de Concessione prebendarum in 6.* Abbates, & omnes tale ius habentes ex consuetudine. Hostiens. *§. quis possit.* Facta institutione, Institutus nanciscitur ius percipiendi fructus, Beneficij ius-pa-

iuſ-patronatus, & poteſtatem adminiſtrandi officium ratione illius Beneficij iniunctum.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum, Sede vacante, non poteſt conferre beneficia.*
2 *Præſentatus, &c. inter annum debet ordinari.*
3 *Inſtitutio facta contra formam, &c. eſt nulla.*

1 CApitulum; Sede vacante, non poteſt conferre Beneficia iuris patronatus, quorum collatio ſpectat ad Epiſcopum, ſed poteſt præſentatos à Patronis admittere, ſi ſint idonei, & inſtituere eos in beneficijs, *ex cap. Etſi, de inſtitutionibus.*: Ratio eſt, quia præſentatos à Patronis admittere, & eos inſtituere in beneficijs, non ſunt actus præiudiciales futuro Epiſcopo, vt eſt actus collationis beneficij, qui futuro Epiſcopo aufert occaſionem exercendi liberalitatem.

2 Præſentatus ſi aliàs eſt idoneus, licèt non ſit ordinatus, ſi intrà tempus, id eſt annum iuris, poſſit ordinari, non eſt repellendus, *ex cap. Si is 2.*

3 Inſtitutio facta contrà formam Edicti, contentam *in cap. Quoniam 47. de electione, & electi poteſtate in 6.* eſt nulla; ità Flores de Menna *lib. 1. var. quæſt. 3. num. 55.* Nicol. Garz. *de beneficijs part. 9. cap. 4. num. 1.* & alij.

TITVLVS VI.
De Iure-patronatus.

SVMMARIVM.

1 *Ius-patronatus quid ſit.*
2 *Tranſit cum hæreditate.*
3 *Vnus compatronus alteri ius ſuum poteſt renunciare.*
4 *Non poteſt vendi.*
5 *Patronus non poteſt ſe præſentare.*
6 *Patronus poteſt, etiam per Procuratorem nominare.*
7 *Si tempore præfixo Patronus non præſentat, ius, &c. deuoluitur ad Epiſcopum.*
8 *Ius patronatus Eccleſiaſticum quid ſit.*
9 *Quid agendum quando orta eſt lis inter Patronos.*

1 IVs-patronatus eſt ius temporale adnexum ſpirituali antecedenter, quod ex gratia conceditur ei, qui conſentiente Epiſcopo, Eccleſiam aliquam fundauit, vel dotauit, vel extruxit; & ideo ius patronatus acquiritur fundatione, & dotatione; non ſatis eſt ad acquirendum ius-patronatus, ex dotatione augmentare dotem, ſed requiritur, vt in totum dotetur.

2 Iuſ-patronatus tranſit cum hæreditate, & fœmina poteſt acquirere ius-patronatus hæreditandum, ſi hæreditas in ipſam tranſeat, aut à illi detur in dotem fundus; cui iuſ-patronatus ſit adnexum; & quia vtile dominium illius fundi erit mariti, licèt naturale ſit ipſius vxoris; præſentatio, quæ eſt actus dominij ciuilis, pertinebit ad maritum; ità Filliuc. *tract. 41. cap. 3. num. 60.* & alij; licèt plures ſequantur opinionem contrariam.

3 Quādo ſunt plures Patroni, vt vnus renuntiet alteri compatrono, nō requiritur conſenſus Epiſcopi; ita *cap. ex Inſinuat. de iur. patron.* quia non inſtituitur nouus Patronus, ſed alteri compatrono relinquitur: Item ius-patronatus, cùm ſit aliquid ſpirituale, non poteſt permutari cum aliqua re temporali; licèt poſſit permutari cum aliquo iure ſpirituali.

4 Ius-patronatus per ſe non poteſt vendi abſque labe ſimoniæ; nec fundus poteſt maiori pretio vendi ob adnexum ius-patronatus.

5 Non licèt Patrono ſeipſum præſentare, *ex cap. Per noſtras, de iur. patronat.* & non ſolùm ſemel, ſed etiam bis non priuatiuè, quia facta præſentatione vnius, non poteſt illam retractare, ſed cumulatiuè cum ipſa priore poteſtatem habet præſentandi ſecundum, non autem tertium. Variatio autem priuatiua, per quam Patronus recedendo à priori præſentatione, ſecundū nominat, nulla eſt ipſo iure, & primus debet inſtitui, Abb. *in cap. Quod autem num. 3.*

6 Patronus non modo per ſeipſum, ſed etiam per Procuratorem poteſt nominare: Item quando ſunt plures Patroni, alternis vicibus poſſunt præſentare, aut omnes ſimul in præſentatione concurrere, prout inter eos conuenerit. Clement. *de iur. patron.* & ſi fuerint diſſidentes, maioris partis ſententia præferetur, *cap. Quamquam 3. de iur. patronatus.* Et ſi electus à maiori parte, erit indignus, & à minori, idoneus, electus à minori parte eſt præferendus, quia in iſto caſu totum ius deuolutū eſt ad præſentatum à minori parte.

7 Si Patronus non præſentaret intrà quatuor menſes, totum ius deuoluitur ad Epiſcopum pro illa vice, qui poteſt beneficium tamquàm liberum conferre, *cap. Si verò 12. de iur. patron.* Nec poſt lapſum temporis admittitur purgatio, inuito Epiſcopo, quia vbi executio ſit ab ipſo iure, ceſſat purgatio. Tiraquel. *in l. ſi quam, verb. Reuertatur num. 310. de reuocat. donat.* Abb. *in cap. Vltimo de iure patron.* Poteſt tamen Epiſcopus Patrono rem gratam facere, illūque ad præſentandum admittere. Lambertin. *lib. 2. par. 2. artic. 27. num 3. quæſt. 1.* Quod tamen non procedit, elapſo ſemeſtri conceſſo Epiſcopo ad conferendum, quia tūc promiſſio beneficij deuoluitur ad Superiorem; in cuius præiudicium redundaret Epiſcopi gratificatio. Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 27. qu. 16.* & alij.

8 Ius-patronatus Eccleſiaſticum non modò cenſetur illud, quod ab Eccleſiaſticis perſonis, & ex bonis intuitu Eccleſiæ quęſitis erectum fuit, ſed etiam quod à Laicis inſtitutum fuit, & ad Eccleſiam deuolutum. Lambertin. *lib. 1 qu. 1. art. 8.* Gar. *de beneficijs part. 5. cap. 5. num. 533.* Flam *de reſignat. lib. 2. qu. 4. num. 39* & alij. Et licèt Patronus Laicus habeat ſolùm quatuor menſes ad præſentandum, Patronus tamen Eccleſiaſticus habet ſex menſes, *cap. Vnico §. hoc verum Eccleſias ius-patron.*

9 Quando orta est lis inter Patronos super possessione, aut proprietate iuris presentandi, & intrà menses præfixos ad presentandum non fuerit lis terminata, poterit Episcopus prouidere, *iuxtà cap. Quoniam* 3. & caput *Cùm propter* 27. Prouidebit tamen Episcopus sine preiudicio iuris-patronatus: Dixi, super possessione, &c. quia quando data certitudine iuris-patronatus, & sequuta præsentatione plurium cõpetitorum, litigatur solum super potioritate vocum, validitate præsentationum, habilitate præsentatorum, &c. tùnc Episcopus, etiam elapso tempore ad præsentandum, non debet conferre beneficium, sed expectare litis euentum, cùm pertineat ad ipsum discernere numerum vocum, aut merita præsentatorum. Viuianus *lib.* 7. *cap.* 3. Lup. *allegat.* 78. & alij.

P A R A G R. 1.

Textus Sacrorum Canonum;

De Iure-patron.

S V M M A R I V M.

1 *Dissidentibus inter se Patronis, Episcopo quid agendum?*

2 *Dissidentibus Patronis propter diuersorum præsentationem, quinam eligendus?*

3 *Ius-patronatus transit cum Vniuersitate.*

4 *Laicus an possit Ecclesiam, inconsulto Episcopo, alicui concedere?*

5 *Patroni succedentes an possint inuertere Ordinem Ecclesiarum, &c.*

6 *Religiosi an possint retinere Ecclesias Laicis concessas, sine consensu Diœcesani.*

7 *Iure-patronatus in Religiosos, &c. translato, an minuatur ius Episcopale, &c.*

8 *Ius-patronatus an vendi possit.*

† *Patronus an possit dare Decimas, &c. Canonicis, &c. sine consensu Episcopi.*

9 *Præsentatus ab Episcopo habente ius præsentandi, est admittendus.*

10 *Dissidentibus Patronis, &c. potest Episcopus instituere Rectorem, &c.*

11 *Ex pluribus indifferenter præsentatis, potest Patronus, quem maluit, eligere.*

12 *Quinam efficiatur Patronus Ecclesiæ.*

13 *An possit quis se ipsum præsentare.*

14 *Ex duobus præsentatis, si secundus eligitur, an primus habeat ius ad Ecclesiam.*

15 *Primo reiecto, & appellante, &c. secundus electus admittitur.*

16 *Ordinatus ad titulum Ecclesiæ, inconsulto Patrono, an eidem præiudicet.*

17 *Patronus solum potest admittendos præsentare, non autem, &c.*

18 *Laicus tribuens Ius patronatus alicui, an præiudicet Episcopo.*

1 QVando inter Patronos fuerit talis discordia, vt non possit Sacerdos fungi officio suo, si aliter prouideri non potest, Episcopus præcipiat, vt in ea non celebrentur Missarum solennia, donec Patroni concordent, & Ecclesia habet suum Sacerdotem liberum, quia diuidi non debet, *ex cap. Relatum* 1. *de iure-patron.* & *ex cap. Quicunque* 2.

2 Patroni, quando discordant, & diuersi diuersos præsentant; qui habet maiora merita, & vota plura, præfertur. Si hoc non potest fieri sine scandalo, Episcopus ordinet, prout melius iudicauerit. Idem faciet vbi inter alios nascitur quæstio de iure patronatus, quæ inter quatuor menses non definitur, *ex cap. Quoniam* 3.

3 Ius-patronatus transit cum vniuersitate, nisi specialiter excipiatur, etiamsi Vniuersitas detur conductori solùm ad formam, idest quòad vtile dominium: Vndè si conductor præsentat ante motam litem super iure-patronatus, præsentat lo tenet, post motam litem: nihil innouandum, *ex cap. Ex literis* 7.

4 Laicus non potest concedere Ecclesiam non vacantem, inconsulto Episcopo, alicui loco religioso; Vndè si post talem concessionem Ecclesia vacet, & Laicus nominet Clericum, quem Episcopus instituit, secunda electio ità instituta, est valida, & firma: Nam prima fuit nulla, tùm, quia fuit de Ecclesia non vacante; tùm, quia Laicus sine consensu Episcopi non potest Ecclesiam alicui dare, *ex cap. Illud* 8.

5 Patroni, qui succedunt, vel variantur, nõ possunt mutare ordinem Ecclesiarum, *ex cap. Querimoniam* 9. Laici non possunt propria auctoritate ordinare Clericos in Ecclesijs iuris-patronatus. Vndè si concedit licẽtiã alicui sine licẽtia Episc. deindè presentat alium Episcopo, quem Episcopus instituit, valet eius institutio, quia prima concessio est nulla, *ex cap. Cùm Laici* 10.

6 Religiosus nullus potest acquirere, vel retinere Ecclesias concessas Laicis, sine consensu Diœcesani, nisi propter legitimam præscriptionem, vel subsequentem consensum Episcopi, quia Laici non possunt transferre, nisi ius, quod habent, *ex cap. Iura* 11. Patroni dissentientes de iurepatronatus; si intrà quatuor menses non presentant, Episcopus instituere potest aliquẽ idoneum, vt post litem, qui vicerit, præsentet iam institutum, *ex cap. Si verò* 12.

7 Ius-patronatus, quando in exemptos, & Religiosos transfertur, non minuitur ius Episcopale in illa Ecclesia, *ex cap. Cùm seculum* 13. Sine consensu Patroni, nullus potest Ecclesiam occupare, *ex cap. Ex insinuatione* 14. Patroni non possunt, vel sibi retinere, vel alijs concedere Ecclesias sine consensu Episcopi, *ex cap. Consuluit* 15.

8 Ius-patronatus per se vendi non potest, cùm sit spirituali annexum, & si vendatur, † contractus non tenet, *ex cap. De iure* 16. Patronus nõ potest dare Canonicis, vel Monasterijs decimas, &c. vel aliud pertinens ad Ius spirituale sine consensu Episcopi, & si quis Episcopus cõsentit causa auaritiæ vel improbitatis, denunciari debet Papæ, & quod offerendum est, tùm eius licentia offeratur, *ex cap. Nullus* 17.

9 Episcopus, si habet Ius presentandi in aliena Ecclesia, & præsentat idoneum, est admittendus, *ex cap. Significasti* 18. Ius-patronatus quando quis possidet, & presentat idoneum, quem Episcopus instituit; si deindè

de in lite Patronus perdit ius-patronatus, & alius vincit, præsentatus, & institutus non est remouendus ab Ecclesia, *ex cap. Cõsultationibus* 19. Concessio secunda facta alteri Ecclesię per Episcopum,& Patronum, valet, non obstãte priore facta per Patronum solum, *ex cap. Suggestum* 20. Suspensus est ab officio, & beneficio, qui monitus non dimittit Ecclesiam sine consensu Episcopi sibi concessam, *ex cap. Relatum* 21.

10 Si inter Patronos est lis de iure-patronatu,& intra sex mẽses à tempore vacationis non terminatur, liberè potest Episcopus sine præsentatione ibidem instituere Rectorem, *ex cap. Eam te* 22. Patroni, &c. non possunt propria auctoritate alienare ius-patronatus, nec grauare Ecclesiam, aut aliquid exigere, nisi antiquos redditus moderatos, quos Episcopi in fundatione instituerunt, & hoc sub pœna excommunicationis,& contractus alienationis factus est nullus, *ex cap. Præterea* 2.23.

11 Quando Patronus Laicus plures successiuè præsentat, non excludens primum, eligere potest, quem vult ex præsentatis, & sic datur locus gratificationi: si verò præsentans successiuè est persona Ecclesiastica, & Collegium; tunc primus est instituẽdus, quia in hoc casu, qui prior est tempore, potior est iure, *ex cap. Cum autem* 24.

12 Patronus efficitur solus ille, qui de consensu Episcopi exstruxit Ecclesiam, & non potest interesse electioni faciendæ de Prælato Ecclesiæ, sed post electionem, postulatur eius assensus, nisi habeat specialem facultatem interessendi electioni: secùs est in Capella, quia tantùm Patronus eligit, & præsentat Episcopo: Item Patrono datur honor Processionis; & si Patronus vergat ad inopiam, Ecclesia succurrere debet illi modestè, secundum iura, *ex cap. Nobis* 25.

13 Nullus, etiam Clericus idoneus, doctus, & benemeritus, habens; ius-patronatus in aliqua Ecclesia potest se præsentare, quia nemo debet se ingerere officijs Ecclesiasticæ prælationis, *ex cap. Per nostras* 26. Iuris-patronatus quæstio, si inter Patronos non definitur intrà quatuor menses, personam idoneam instituere potest Episcopus, & ex hoc nullum præiudicium in posterùm præsentationi generatur, *ex cap. Cum propter* 27.

14 Patronus, quando præsentat vnum, & non instituitur ab Episcopo, si præsentat alium, & institutur; tunc primus non habet ius ad Ecclesiam, licèt præsentans fuerit Clericus; si tamen præsentauit, vt Laicus, idest ratione patrimonij, *ex cap Cum dilectus* 28. Item quando vna Ecclesia est patrona alterius; tunc Legatus à latere potest sibi reseruare illam Ecclesiam non vacantem, & cum vacat, eam conferre, incõsulto Patrono: secùs si Patronus est Laicus, vel Clericus, dummodo præsenter ratione patrimonij: Item qui non possidet Ecclesiam canonicam, tenetur eam relinquere, & fructus restituere, *ex cap. citato*.

15 Præsentatus à Patrono Laico, si reijcitur ab Episcopo, & appellat ad Papam, si interim Patronus alium præsentat, & instituitur; iste secundus obtinebit, quia inter præsentatos à Laico, est melior conditio possidentis: Item Episcopus, qui malitiosè præsentatum idoneum recusauit, compellitur prouidere illi de beneficio competenti, *ex cap. Pastoralis* 29.

16 Rector Parochialis, si præsentat aliquos ordinandos ad titulum suæ Ecclesiæ, non requisito Patrono, & ordinentur, non præiudicat Patrono, quia ipse, cum vacat beneficium, potest alios præsentare, relictis istis ordinatis, & titulatis, si non consenserat eorum præsentationi, & institutioni; secùs si consensit, *ex cap. Postulasti* 30.

17 Patronus non potest concedere, conferre, & instituere Ecclesiam, sed solùm præsentare: quare si confert Ecclesiam, & mox præsentat alium Episcopo, licèt primus appellauerit ad Papam, tamen Episcopus potest instituere hũc præsentatum, *ex cap. Transmissa* 31.

18 Laicus potest sine cõsensu Episcopi dare suum ius-patronatus eidem, vel alteri Ecclesiæ, seu loco Religioso, non tamen præiudicat iuri Episcopi, *ex cap. Si Laicus vn. de iure patron. in* 6. Laicus patronus licèt ad præsentandum tempus habeat quadrimestre; Ecclesia tamẽ habet semestre, etiamsi ab illo acquisierit ius patronatus, quia Ecclesia quantum ad præsentandum, reputatur Patronus non Laicus, sed Ecclesiasticus, *ex cap. citato*.

PARAG. II.

Decreta Summorum Pontificum. De Iure-patronatus.

IVre-patronatus priuãtur Patroni beneficiorum, ad ea Apostatas præsentantes. Paulus V. *const.* 14. 13. *Kal. Augusti* 1558.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij. De Iure-patronatus.

IVris-patronatus ad acquisitionem, dos debet assignari tempore fundationis, & nõ post, nisi quando ex necessitate populi cõstruitur Ecclesia. S. Cong. Concil.

Ius patronatus non acquirit dotans insufficientèr, quod arbitrabitur Ordinarius, sed dicitur benefactor.

Ius-patronatus probatio ex multiplicatis præsentationibus à tempore immemorabili, valet, licèt neq; per instrumenta præsentationum, neque per testes de immemoriali deponentes vlla fiat enunciatio, nec mentio de fundatione, vel dotatione.

Ius-patronatus ex solis præsentationibus cõtinuis contrà hominum memoriam probatur ex fundatione, & dotatione, licèt in eis nulla facta fuerit mentio de fundatione, vel dotatione.

Iuris-patronatus titulus ad formam, *cap.* 9. *in princip. sess.* 25. *de reformat.* non probatur sufficientèr per solam confessionem supplica-

tis,& narratiuam,quod beneficium eft iurif-patronatus alicuius ex fundatione, & dotatione.

Iuf-patronatus,quod probatum eft folo documento fundationis, &c. abfque aliqua præfentatione, non tollitur à Concilio *d. cap. 9.* nifi tantum temporis præteriffet, quantum iure requiritur ad præfcribendam Ecclefiæ libertatem. Sacra Congreg. Concil.

Iuf-patronatus in potente non probatur ex enunciatiuis antiquis cum quafi poffeffione præfentandi, quia obferuanda eft forma tradita à Concilio *d. cap. 9.* & æquipollens non fufficit.

Iuf-patronatus in potente debet probari ex vero titulo fundationis, vel dotationis, quæ ex authentico documento oftendatur, vel ex immemorabili, cum præfentationibus continuatis fpatio 50. annorum, quę omnes effectum fortitę fint, & authenticis fcripturis probentur,& aliter facta probatio non fuffragatur.

Iuf patronatus fundatio, & dotatio, vbi eft probanda in perfonis fufpectis de vfurpatione, tunc Concilium *d. cap. 9.* requirens authenticum documentū, intelligitur per authenticas fcripturas tantùm,& non fufficiunt teftes,præfumptiones,& probationes à iure. *in Panormitana 4. Decembris 1632.*

Iuf-patronatus aliquod,quando præfumitur ex priuilegio, vel conftat de origine priuilegij, & adeft immemorabilis, illa nihil prodeft.

Iuf-patronatus acquifitum per augmentum tertię partis dotis ante 40 annos à die cōfirmationis Concilij numerandos,eft validum:fi verò eft acquifitum infrà annos 40. Epifcopus, vti Apoftolicę Sedis Delegatus, illud examinare debet, & quod non in euidentem vtilitatem factum inuenerit, reuocabit; reftitui tamen debet patrono id, quod hoc nomine ab eo datum fuit, prout in fine Decreti *cap. 9. feff. 25. de reformat.* ftatutum eft, & ifti 40 anni numerādi funt à die confirmati Concilij, nam licèt à die, quo vellet Ordinarius inquirere fuper validitate iurif-patronatus, effent tranfacti 40. anni, hoc nihil obftat examini, interim tamen dum fit examen, nullus eft in fua quafi poffeffione turbandus.

Iuf-patronatus,ex priuilegio, Epifcopo conceffum, in cuius pacifica poffeffione extitit præfentari portioni per 140. annos non prodeft, cùm enim conftet de titulo ex priuilegio inualido, cētenaria poffeffio prodeffe non poteft ob malam fidem, ideòque per Decretum Concilij *feff. 25. de reform. cap. 9.* fublatum.

Iuf-patronatus ex caufa fundationis,vel dotationis in ipfo limine fundationis, vel dotationis, Apoftolico priuilegio conceffum, non eft fublatum: patronatus verò reliqui in Conuentualibus Ecclefijs quocumque priuilegio cōceffi poft fundationem,& dotationem, cenfetur abrogati: Et ad probandum tale priuilegium in limine fundationis conceffum,non fufficit immemorialis, neq; multiplicatis præfentationibus, nifi probata fama talis priuilegij, alijfq; concurrentibus requifitis, fecundùm iuris difpofitionem.

Iuf-patronatus Laicale deuolutum ad Ordinarium, confertur per concurfum pro illa vice. S. Cong. Concil.

Iuf-patronatus in erectione,fi cautum fit, vt prouideatur de eo quicumque Clericus, non poteft huiufmodi Clerico conferri, qui fit minor 14. annorum, *fub die 4. Augufti 1619.*

Iuf-patronatus Abbatis, temporalem iurifdictionem habentis non requirit ampliores illas probationes, quas Concilium expofcit in his perfonis, quibus præfumitur vfurpatio. *in Sublacen. 22. Septembris 1633.*

Iuf patronatus in Parochiali poteft de confenfu Ordinarij augeri à Patrono cum nouis oneribus Miffarum. *in Bononien. 12. Martij 1633.*

Iuf patronatus perfonę potentis, feù Communitatis, vel Vniuerfitatis probatio tituli, ex probatione, vel dotatione facienda eft per inftrumenta, feù fcripturas authenticas, nec probatio per teftes per præfumptiones, & fimiles, eft admittenda. *19. Februarij 1635.*

TITVLVS VII.
De Cenfibus.

SVMMARIVM.

1 *Cenfus nomen variè accipitur.*
2 *Item dupliciter accipitur.*
3 *Epifcopus an poffit nouos imponere cenfus.*
4 *Cenfus debet effe moderatus.*
5 *Penfio fine auctoritate Epifcopi imponi non poteft.*
6 *Patronus non poteft nouum cenfum conftituere.*

1 Cenfus nomen eft æquiuocum, & habet varias fignificationes: Primò, dicitur à cenfendo,quia ad iuftitiam cenfus, prout tributum importat,debent priùs facultates æftimari: Secundò, accipitur, prout importat perfonarum diftinctionem, vt ità pro capite tributum imponatur: Tertiò, accipitur pro annua penfione, quę foluitur ab inferioribus, Principibus, &c. in fignum fubiectionis: Quartò, accipitur pro illa penfione, quę foluitur ex contractu, quo res alicui conceditur pleno iure, ità vt in accipientem transferatur dominium directum, ac vtile, referuata fibi penfione foluenda in recognitionem dominij. Accipitur hic cenfus pro annua penfione, quæ in fignum fubiectionis præftatur.

2 Cenfus fub hac fignificatione dupliciter accipitur: Primò, generaliter pro omni penfione, quę Prælatis, de Ecclefiafticis prouentibus, fingulis annis præftatur, *cap. Olim caufam, 20. cap. Quæfitum 2. quæft. 3.* vel fpecialiter pro ea penfione, quę Epifcopo ab Ecclefijs, in augmentum fubiectionis, tribuitur, Cathedratica dicta, eò, quod ob honorem Cathedrę foluatur, *cap. Cumquærente 16. de officio Ordinarij.*

3 Licèt regulariter non poffit Epifcopus, &c. nouos cenfus imponere, nec veteres augere,

augere, vt patet *ex cap. Tua nos 11. de iure patron.* & *ex cap. penult. de his, quæ fiunt à Prælatis*, tamen ex iusta causa id potest, & ad vitam possessorum solùm, & non in perpetuum, *cap. Cum venissent 9. de restit. spoliat. cap. Nisi essent de præbend.* iusta autē causa est, quę ab Episcopo talis æstimatur.

4 Census, qui exigitur, debet esse moderatus; ità vt non excedat tertiam partem fructuum, vt ea soluta, tantum remaneat beneficiato, vt commodè possit viuere, iura Episcopalia soluere, beneficij onera ferre, *cap. De Monach. 12. cap. Vacante 26. cap. Cum causam 36. de præbend.*

5 Pensio sine auctoritate Episcopi imponi non potest, & si moriatur ille, qui eam soluebat, non est ampliùs soluenda, quia simplices Clerici non possunt Ecclesiæ, quibus præsunt, auctoritate sua efficere censuales: auctoritate verò Episcopi census super rebus Ecclesię impositus, successores obligat, dummodo Decretum interponatur cum causæ cognitione, & Episcopus fuerit motus ex causa rationabili; ità Pereyra *de empt. cap. 29. num. 9.*

6 Patronus etiam Clericus nouum cēsum Ecclesiæ imponere non potest, nec augere veterem impositum in fundatione iurispatronatus, quia in limine fundationis fūdator beneficij potest onus imponere, extrà limen fundationis non potest aliquid mutare, vel alterare, vt resoluunt plures Doctores, *super caput Scientes 3.*

TITVLVS VIII.
De procurationibus, & exactionibus.

SVMMARIVM.

1 *Procuratio quid sit.*
2 *Nullus à procuratione excusatur.*
3 *Non potest præscribi.*
4 *Monasteria Regularium an obligentur.*
5 *Procuratio debet esse moderata.*
6 *Rector Ecclesiæ debet alere Episcopum visitantem.*
7 *Archiepiscopus visitans Prouinciam potest exigere procurationem.*
8 *Religiosi, &c. non debent soluere procurationem.*
9 *Visitator vna die non potest exigere plures procurationes.*
10 *Oratoria, &c. non tenentur soluere procurationem.*
11 *Nec Ecclesiæ speciali priuilegio exempta.*

1 PRocuratio est necessariorū sumptuum exhibitio Prelatis Ecclesias subiectas visitantibus facta, *cap. Cum Apostolus 6. cap. Ea quæ 12. de censibus*, quia Clericus Ecclesiam visitanti tenetur ad expensas necessarias, videlicèt ad victualia tantùm, *cap. 1. §. procurationes*, etiāsi Episcopus visitaret in propria Ciuitate, vel loco suę residentię, *cap. Venerabili.* cū non tantū rōne inte resse exigantur, sed in signum subiectionis, & ratione officij, nisi aliud de consuetudine sit receptum; & quod dicitur de Episcopo, dicitur etiam de alijs, idest Delegatis, & Nūcijs visitantibus Ecclesias, *cap. Cum instantia, cap. Accedentes de præscript.*

2 Neque aliquis à procuratione excusari potest, neque Canonici. Abbas *in cap. Accedentes num. 4. de præscript.* neque Laici excusantur, vbi est consuetudo eas dandi, quia ipsi visitantur, & beneficia spiritualia cōferuntur. Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 42. quæst. 3.* & alij.

3 Procuratio, quæ iure communi debet dari visitantibus, nullo vnquam tempore præscribi potest, *cap. Accedentes 9.* & *cap. Cum ex offic. de præscript.* Azor. *cap. 42 quæst. 13.* resoluit, quòd potest præscribi per legitimam præscriptionem, cuius initium memoriam hominum superat, &c.

4 Monasteria Regularium à procuratione possunt se iuuare consuetudine nō soluendi tanti temporis, cuius initij memoria non extat. Abbas *cons. 25. num. 5.* Possunt etiam recusare procurationem, si fuerint priuilegijs exempta.

5 Procuratio debet esse moderata, habita ratione personę, & dignitatis visitantis, *cap. Cum Apostolus 6.* nec debet exigi, nisi quādo personalitèr visitāt: Et si visitatores diù morentur in vno loco, & ille locus nimiùm grauetur, procurationes ab alijs locis moderatè accipere debent, & si vna Ecclesia non sufficit, coniungantur plures Ecclesiæ ad procurationem; ità tamen vt numerus procurationum non excedat numerum dierum, quibus ibi morantur.

6 Rector Ecclesiæ debet alere Episcopum visitantem, etiamsi posset in domum suam ad cœnā, vel ad prandiū ire, quia tales expensæ soluuntur, non solùm ob victus necessitatem, sed etiam in subiectionis cuiusdam signum; ità Surdus *de aliment. tit. 4. quæst. 2. num. 9.* Belett. *disquisit. Clerical. par. 1. tit. de bonis Clericor. §. 11. num. 2.* Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 22 quæst. 4.* & alij.

7 Archiepiscopus, dùm visitat suam Prouinciam, potest exigere procurationes, iuxtà Ecclesiarum facultates, & qui eas denegant, excommunicare Quaranta *in sum. verbo Archiepiscopis auctoritas, cap. Cum nuper*, & ibi Abbas *num. 1. de censibus*, Hostien. *in d. cap. §. Procurationes num. 22.*

8 Religiosi, licèt aliquando celebrent in Oratorijs, quę habent in grangijs suis, non tamen debent soluere procurationem visitationis, quia cùm non sint fundata auctoritate Episcopi, non dicuntur loca sacra, & religiosa; & ideò non comprehenduntur nomine Ecclesiæ. Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 15. num. 39.* Paulus Fuschus *de visitat. lib. 2. cap. 12.* & alij.

9 Visitator licèt plures vna die visitet Ecclesias, non tamen potest accipere plures procurationes, sed tantùm vnam; ità *cap. Fælicis 3.* & Ecclesia eo ipso, quòd est in territorio Diœcesis Episcopi, debet ei respondere de procurationibus, de quarta decimarum, & alijs Episcopalibus, & eò, quòd quis impugnat compositionem, non debet ex ea aliquod commodum reportare, *ex cap. Cum olim 10.*

10 Oratoria, Hospitalia, & alia pia loca Ecclesiastica, auctoritate erecta, non tenentur Episcopis soluere procurationem; ità colligitur *ex cap. vltimo de censibus*, Azor. *par. 2. lib.*

2.*lib.3.c ap.42.quaſt* 1. Aloyſius Riccius *in prax. rerum ferè Eccleſiaſtic par 4.reſol.*151.& alij: Ratio, quia licèt huiuſmodi loca ſint Eccleſiaſtica,& vti talia ſubijciantur Diœceſanis, quo ad iura Epiſcopalia, quia tamen loca hęc ad alios vſus pios deſtinantur, nè fiat contrà inſtituentis voluntatem merito ad huiuſmodi procurationum onus nō tenentur.

11 Eccleſiæ ſpeciali priuilegio exemptæ, nō tenentur ad procurationem, *cap. Cùm inſtantia*, & ideò Sacra Congregatio Concilij cenſuit, procurationem non deberi Epiſcopo viſitanti Eccleſias Parochiales vnitas, & dependentes à Religione Hieroſolymitana, à Vicarijs earumdem Eccleſiarum *in vna Auguſtana* 14. *Decembris* 1630.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum. De Cenſibus, Procurationibus, &c.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia fundanda quid debeat pro dote tribui.*
2 *Tributi ſolutio probat ſubiectionem.*
3 *Prælatis viſitantibus certus numerus equorum eſſe debet.*
4 *Penſio, an ſine auctoritate Epiſcopi ſit imponenda.*
5 *Imponens noua pedagia, &c. inconſulto Epiſcopo, qua pœna plectendus.*
6 *Archidiaconi, an poſſint facere collectas, &c.*
7 *Monaſteria tenentur ſoluere Procurationes Epiſcopo.*
8 *Cenſus indeterminatus, &c. an in ſolutione poſſit creſcere, &c.*
9 *Eccleſia, an teneantur ſoluere procurationem Legatis Apoſtolicis.*
10 *Eccleſia tenetur Epiſcopo de quarta decimarum.*
11 *Epiſcopus, qui renunciauit Eccleſijs, &c. an poſſit in viſitatione exigere procurationem.*
12 *Procurationes pro viſitatione, non poſſunt exigi abſq; cauſa neceſſaria, &c.*
13 *Eccleſia tenetur ſuo Epiſcopo ſoluere procurationes.*
14 *Epiſcopus viſitans, an poſſit, etiam per cenſuras, ſuas procurationes exigere.*
15 *Penſio antiqua quomodo ſoluenda.*

1 Eccleſiæ fundandæ debet pro dote tribui manſus liber ab omni ſeruitio ſæculari,& Presbyteri poſiti in ea non faciāt aliquod ſeruitium pro decimis, oblationibus, &c. poſitis propè Eccleſiam, nec pro manſo poſito propè ſeruitium Eccleſiaſticum, ſed ſi quid ampliùs habuerint, impendant debitum ſeruitium ſenioribus, *ex cap.*1.*Sancitum de cenſibus,&c.*

2 Tributi ſolutio eſt probatio ſubiectionis *ex cap. Omnis anima* 2. Epiſcopus non pōt nouū cenſū Monaſterio imponere, *ex cap. Sciſter* 3. cęcus,& pauper non tenentur ad collectas, quia inhumanum eſt affligere aggrauatum, *ex cap. Licèt* 4. Cēſus, cuius cauſa ignoratur, non eſt ſoluendus, ſed ſecūdum eſt, quorſùm,& quādo debeat ſolui, *ex cap. Peruenit* 5.

3 Viſitantes Prelati certum numerum equorū habere debent pro diuerſitate Prouinciarum, & facultatibus Eccleſiarum, nè ſint onerosi ſubditis, *ex cap. Cùm Apoſtolus* 6. Prælati non præſumant grauare ſubditos taleis,& exactionibus, ſed cum cauſa manifeſta, & rationabili poſſunt petere moderatum auxilium, *ex eodem cap.* Epiſcopi, Abbates, &c. nouos cenſus imponere non debent, nec veteres augere; nec præſumant appropriare ſuis vſibus partem redditutum: ſi quid contrà prædictà fit, eſt irritum, *ex cap. Prohibemus* 7.

4 Penſio ſine auctoritate Epiſcopi imponi non debet, *ex cap. Præterea* 8. Epiſcopus maiorem extractionem imponere non debet, propter Cathedraticum, & alia iura, quæ habet in antiquis Eccleſijs, quamuis eripere, & liberaret Eccleſiam de manibus Laicorum, *ex cap. Eccleſijs* 9.

5 Pedagiorum nouas impoſitiones qui ſtatuere præſumit ſine conſenſu Epiſcopi, & monitus nō deſiſtit, carere debet Chriſtiana communione, donèc ſatisfaciat, *ex cap. Innouamus* 10. Clerici, qui per colluſionem conſtituunt Eccleſias cenſuales Religioſis ſine licentia Epiſcopi, vt poſt mortem, Eccleſia ad preſentatonē Religioſorum tranſeat, ad nepotes, vel filios ipſorū, remouentur ab ijs Eccleſijs, poſtpoſita appellatione, *ex cap. Cùm Clerici* 11.

6 Archidiaconi non debent facere collectas per ſuos Archidiaconatus, grauando Eccleſias, vel Parochias; alioquin auferetur ab eiſdem, quod habent, *ex cap. Ea, quæ* 12. Cenſum de nouo factum ſoluere iurans, et cū auctoritate Epiſcopi, huic creditores cogendi ſunt relaxare iuramentū; ſi verò cenſus non fuit de nouo impoſitus, & eum auctoritate Epiſcopi, tunc iurans non eſt moleſtandus ab Ordinario, *ex cap. Significauit* 13.

7 Monaſteria de iure cōmuni debent ſoluere procurationes Epiſcopo, ſecundùm facultates, quas habent, & multò magis ſi ſoluiſſent prædeceſſoribus, *ex cap. Sopite* 14. Patroni etiam Clerici nouum cenſum imponere non poſſunt, nec veterem augere, & ſi ſuper hoc iuramentum, vel cautiones exegerunt, coguntur abſoluere.

8 Cenſus, ſeu procuratio indeterminata ſoluēda, alijs, vbi de conſenſu Patroni in fundatione imponitur, non debet creſcere, ſed ſecundùm modum ſolitum, ſolui, niſi facultates Eccleſię ità notabiliter creuerint, vt non eſſet grauamen ſoluere maiorem procurationem ad Fratrum numerum ampliandum, *ex cap. Quartò* 16.

9 Eccleſiæ omnes tenentur ſoluere procurationem Legatis, & Nuncijs Sedis Apoſtolicę, ſine exceptione, niſi ex ſpeciali priuilegio einſdem Sedis liberentur: nec valet præſcriptio contrà procurationem, *ex cap. Cùm inſtantia* 17. Vota ſoluere ſoliti ad vnam, & eamdem menſuram non poſſunt illam variare; qui verò ad varias,& diuerſas menſuras poſſunt ſoluere, ſi volunt, ad minorem illarum,& non ſunt cogendi ad maiorem, quia cùm vota fuerint gratioſa ab initio, ſunt benignius exigenda ab Eccleſijs, nè temporalibus lucris inhærere videantur, *ex cap. Ex parte* 18.

10 Ec-

10 Ecclesia eo ipso, quòd est in territo- Diœcesis Episcopi, debet ei responde- re de procurationibus, de quarta deci- marum; & eo ipso, quòd quis impugnat, v.g. compositionem, non debet ex ea com- modum reportare, *ex cap. Cum olim* 18. Solu- rio census est facienda in ea moneta, in qua fuit institutum, vel si non esset in vsu, solui debet secundùm æstimationẽ illius, nisi fuerit facta legitima præscriptio, idest quadraginta annorum cum protestatio- ne, *ex cap. Olim causam* 20.

11 Episcopus, qui remisit seruitia alicui Ec- clesiæ, & statuit, eidem alia seruitia non imponere, hoc non obstante, quando cau- sa correctionis, illam visitat bis in anno, potest ab ea moderatam exigere procura- tionem, *ex cap. Cùm Venerabilis* 21. Ecclesia aliqua, quando de nouo est conuersa ad Iurisdictionẽ alicuius Episcopi, debet ser- uare quoad procurationem, & alia, ea, quę seruant vicina Prouinciæ, & Ecclesiæ, *ex cap. Super eo* 22.

12 Procurationes, quæ ratione visitationis debentur Prælatis, non debent exigi absq; causa necessaria, & manifesta, nisi quando personaliter visitant, & cum mediocrita- te. Legati, & Nuncij Apostolici, si necessa- riò diu morantur in vno loco, nè ille lo- cus nimiùm grauetur, procurationes mo- deratas ab alijs locis accipere debent, & si vna Ecclesia non sufficit per seipsam, con- iungantur plures Ecclesiæ ad procuratio- nem; ità tamen vt numerus procurationũ non excedat numerum dierum, quibus ibi morantur, *ex cap. Procurationes* 23.

13 Monasterium, siuè Ecclesia, quæ est in territorio Episcopi, licèt nunquam solue- rit, tenetur tamen soluere procurationem suo Episcopo visitanti, nisi aliud rationa- biliter obstet, *ex cap. Venerabilis* 24.

14 Archiepiscopus cum visitat suã Prouin- ciã, pōt debitas procurationes, iuxtà Eccle- siarum facultatem, exigere, & illos, qui de- negãt, excommunicare, *ex cap. Cum nuper* 25.

15 Pensio antiqua est soluenda secundum antiquam monetam, & si non est in vsu, solui debet secundùm valorem ipsius mo- netæ, *ex cap. Cùm Canonicis* 26. Religiosi licèt aliquando celebrent in Oratorijs, quæ ha- bent in grangijs suis, non tamen debent soluere procurationem visitationis, *ex cap. Auctoritate* 27.

PARAG. II.
Sequuntur ijdem Textus. De Censibus, &c.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopo volente visitare Prouinciam, quid priùs agendum.*
† *Archiepiscopi visitantis munus.*
2 *Exigens pecuniam pro procuratione, &c. ad quid teneatur.*
3 *Visitans ex officio, an possit recipere procurationem in pecunia, &c.*
4 *Ecclesia, &c. an pro suis rebus teneatur ad pedagia, &c.*
5 *Archiepiscopi possunt, pro suo libito, suas Prouincias visitare.*

1 ARchiepiscopus, qui vult visitare Pro- uinciam, primò, debet plenè visitare Capitulum suæ Ecclesiæ, Ciuitatẽ, & Diœ- cesim propriam, Clericos, & Laicos co- rumdem, & si commodè ipse non potest ad vnamquamque accedere, de pluribus locis Clericos ad vnum cōgruum, & Lai- cos studeat conuocare, *ex cap. Romana* 1. *de censibus, &c. in* 6. Visitata sua Diœcesi, visita- re debet vel totum, vel partem Prouin- ciæ, visitando Diœceses, Ciuitates, &c. & accipere procurationem tantùm à locis visitatis, *ex cap. eodem*: Item si cœperit visita- re vnam Diœcesim suæ Prouinciæ, non potest illam dimittere, & mox ad eamdem reuerti, nisi priùs visitauerit omnes Diœ- ceses Prouinciæ, vel in toto, vel in parte, quas securè poterit visitare, & etiam suam visitauerit: Item si Archiepiscopus, finita visitatione Prouinciæ, vellet denuò visi- tare, debet priùs requirere cōsensum Suf- fraganeorum, & mox eamdem visitationẽ

† iterare potest; Item Archiepiscopus visi- tans debet proponere verbum Dei, inqui- rere de vita Ministrorum, & pertinentibus ad Diuinum Officium, &c. Item visitator, aut famulus non debet accipere procura- tiones in pecunijs, sed in moderatis expen- sis victualium: Item nec ipse, nec quisquã ipsorum quodcũque munus accipere præ- sumat, qualitercumque sit oblatum, & si quis acceperit, non absoluatur, nisi duplũ restituat, & euitetur quęlibet fraus; Quæ forma est etiã seruanda ab omnibus Epis- copis, & Prælatis visitantibus suos subdi- tos, saluis tamen rationabilibus, & appro- batis Religiosorum consuetudinibus, & regularibus institutis, *ex cap. citato.*

2 Visitationis rōne exigẽs pro procuratio- ne pecunias, et à volente, vel recipiẽte mu- nera, vel à non, nisi talis recipiens procu- rationem, vel aliud cum præsumptione, &c. accipiat tenetur infrà mẽsem reddere duplum accepto illi Ecclesiæ, a qua acce- perat, & si non restituerit infra mensem, Patriarcha, & Archiepiscopus sunt inter- dicti ab ingressu Ecclesiæ; inferiores verò sunt suspensi à beneficio, donèc plenariè restituant Ecclesiæ, nec possunt iuuari re- missione, liberalitate, & gratia dantium, *ex cap. Exigit* 2.

3 Visitans ex officio, potest recipere pro- curationem in pecunia à volẽtibus visita- ris, sed in vna die, vltrà procurationem vnam, recipere nequit, licèt plura visitaue- rit loca, *ex cap Fœlicis* 3.

4 Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ pro se, & rebus suis proprijs, quas non causa negotiandi, deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, non tenentur soluere pe- dagia, vel quidagia: qui ergò pro personis, vel rebus exigit, vel extorquet, vel per se, vel per alium, suo, vel alieno nomine, vel compellit ad soluendum; si sit persona sin- gularis, cuiuscumque dignitatis, conditio- nis, vel status, sit excommunicatus; si Col- legium, vel Vniuersitas, eius locus sit in- terdi-

terdictus ipso facto, nec absoluatur, vel relaxetur ab interdicto, nisi restituerit exacta, & competenter satisfecerit de transgressione; non obstante quacumque consuetudine contraria, quæ potius corruptela dicenda est, ex cap. Quamquàm 4.

5 Archiepiscopus liberè potest suam Prouinciam visitare, licèt eius Suffraganei nõ sint negligentes, & reiterare visitationem eamdem, & accipere procurationem à locis visitatis, non obstante contraria consuetudine: item potest, dùm visitat, audire confessiones subditorum Suffraganeorũ, & absoluere, cum salutari pœnitentia, ac per Prouincias dare litteras Indulgentiarum, ex cap. Perpetuò 5.

PARAG. III.

Decreta Sacr. Congregationis Concilij, De visitatione à Prælatis facienda.

Visitare potest Episcopus Ordinarius loci Ecclesias curatas, & præponere in eis Vicarios perpetuos, siuè temporales, prout ei expedire videbitur.

Visitare potest Episcopus omnes Parochiales suæ Diœcesis, etiamsi Monasteria prætenderent habere iurisdictionem spiritualem immutabilem in locis, vbi dictæ Ecclesiæ sitæ sunt.

Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium.

Visitare potest Episcopus locum illius Diœcesis, quatenus intrà suæ Diœcesis fines situm esse constet; ac per eumdem dimissoriæ concedi, ordinesque conferri debent, dum autem intrà cuius Diœcesis fines existat, non appareat, per Ordinarium viciniorem præfata adimplenda sunt. *in nullius Rutilians. contra Dioecesis 9. Septembris 1616.*

Visitare potest Episcopus Ecclesias Parochiales vnitas Monasterio Canonicorum Regularium, licèt Generalis in eo Sedem ordinariam habeat.

Visitare possunt Episcopi Ecclesias Parochiales subiectas militibus S. Ioannis in iis, quæ pertinent ad curam animarum. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regular. *in Perusina 11. Ianuary.*

Visitare potest Episcopus Archiuium, si sit proprium Ecclesiæ Cathedralis, & iura, ac scripturas concernentes statum ipsius Ecclesiæ recognoscere, adhibitis tamen aliquibus eiusdem Ecclesiæ Canonicis. *27. Martij 1632 ad 10. vide originale.*

Visitare debet Episcopus in loco ordinario Capituli, quando visitat totum Capitulũ; secùs, quando visitat particulares personas, & non potest imponere pœnas ordinarias, nisi ordinariè cum adiunctis procedendo vbi illi fuerint; nec potest ponere edicta sub censuris ad reuelanda delicta Clericorum, quia correctio est priùs facienda inter se, & ipsum solum 2. *Aprilis 1593.*

Visitare potest Episcopus Dignitatem exemptam in concernentibus curam animarũ illi annexam. Sacra Congr. Conc. *in Burgen. 18. Augusti 1628.*

Visitare potest Episcopus Confraternitates sæcularium, in Regularium Ecclesijs erectas. S. Congr. Episc. & Regular. *in Vercellen. 17. Iuly 1615.*

Visitare potest Episcopus quascumque Ecclesias seculares suæ Diœcesis, etiamsi ad regulares pertineant, & ab eis dependeãt, dùm tamen per sæculares eis deseruiatur.

Visitare non potest Episcopus Sacellum, vel Altare, quod cura caret animarum, si mẽbrum Religionis sit S. Antonii.

Visitare non potest Episcopus Regulares inseruientes de licentia suorum Superiorum beneficijs simplicibus, quæ tamen sunt membra Monasteriorum.

Visitare non potest Episcopus tàm Abbatiã, quam loca sibi subiecta; si Abbatia habet vtramque iurisdictionem temporalem, & spiritualem, *in Theatina.*

Visitationem Ecclesiæ Cathedralis protrahere non potest Episcopus, sed debet continentèr prosequi, neque ad extraneos actus diuertere.

Visitatione, quando fit inquisitio, quæ præparatoria vocatur, non licet Episcopo ad detegenda visitandorum peccata, homines monere sub censura ad reuelandum, &c.

Episcopus in visitatione, non potest vti suspectus, recusari, cùm minùs pœna extraordinaria, quę morum correctionem, & emẽdationem respiciat, visitatos afficere, possit impediri *sub die 15. Maij 1601.*

Visitationi iurisdictioni, & correctioni Episcopi non subsunt castra, in quibus Abbas iurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercet. Sacra Congregatio Concilij *in Theatina 11. Septembris 1621.*

Visitationem intrà certum, & determinatũ tempus non tenetur concludere Episcopus, sed illud debet esse dispositum, & moderatum arbitrio Episcopi. Sacra Congr. Concil.

Visitatio Capitulorum, & personatum Episcopis concessa, est intelligenda cumulatiuè, non priuatiuè, ad Abbates, & Decanos, & alios; quibus ante Concilium competebat ius visitandi, seorsùm tamen ab Episcopis.

TITVLVS IX.

De Canonica portione.

SVMMARIVM.

1 *Canonica portio quid sit.*
2 *Episcopalis quæ.*
3 *A quibus debeatur.*
4 *Episcopo debetur quarta de legatis, &c.*
5 *Item de relictis Hospitali, &c.*
6 *Religiosi, de quibus teneantur soluere quartam funeralem.*
7 *Quid agendum, quando Ecclesia Parochialis est interdicta.*

8 Cor-

8 *Conuentus, an teneatur soluere quartam.*
9 *Ordinarij cogentes Religiosos, &c. interdicuntur.*
10 *Quomodo tollatur obligatio soluendi quartam.*
11 *Parochus quartam petere potest.*
12 *Renunciatio Canonicæ portionis, an sit valida.*
13 *Casus, in quibus non est obligatio soluendi quartam.*

1 CAnonica portio est, quę de relictis, & prouenientibus Ecclesię obuentionibus detrahitur, & Prælatis debetur, & hęc duplex est, vel Parochialis, vel Episcopalis. Parochialis est, quę debetur Parochiali Ecclesiæ, in qua quis de iure sepeliendus esset, quia Ecclesia comparatur matri; sicut autem parentibus debetur legitima in bonis filiorum; itá etiam Ecclesiæ in bonis morientium, dùm sepulturā alibi eligunt, & detrahitur ex verbis, quę quis ægritudine correptus, in alia Ecclesia, quam in qua Officia Diuina audit, & Ecclesiastica percipit Sacramenta, sepulturam sibi eligens, ei reliquit: Ratio est, nè Rectores Parochialis Ecclesię, vel ij, quibus cura animarum commissa est, debitis fraudentur subsidijs. Clement. 2. & *cap. Cùm super* 8. & *cap. de sepult. cap.* 23.

2 Episcopalis est, qua de relictis alicui Ecclesię, seù locis pijs sibi subiectis pro anima, debetur Episcopo propter onus Episcopale, quod ei incumbit, *cap. Requisisti*, debetur ei, nisi quadragenaria obstet præscriptio. Canonica portio est quarta redditunm, & oblationum; licèt diuersificetur secundùm diuersas locorum consuetudines quoad quotam, vt *in cap. Certificari de sepulturis.*

3 Canonica portio debetur solùm ab Ecclesijs subiectis Episcopo, non autem ab exemptis, vel Papę immediatè subiectis, quia hęc quarta datur tātùm ratione sollicitudinis, quam de Ecclesijs sibi subiectis tantùm debet habere, vt patet *ex cap. Conquerente de offic. Ordin.*

4 Episcopo debetur quarta de omnibus legatis factis a quibuscumque Ecclesijs, vel pijs locis, & etiam quarta decimarum, & eorum, quæ veniunt, occasione funeris: fallit tamen in relictis, pro ornamētis Ecclesię: Secundò, in relictis pro redimēdis, ornandis, vel reparandis dictis ornamentis: Tertiò, pro relictis fabricæ Ecclesiæ: Quartò, in legatis pro anniuersario annuatim celebrando: Quintò, in legatis pro luminaribus: Sextò, in relictis ad cultum Dei perpetuum. Armilla *verbo Canonica portio num.* 8.

5 De relictis Hospitali, auctoritate Episcopi fundato, debetur etiam quarta, etiāsi sit relictum pauperibus talis Hospitalis, quia præsumitur, quòd qui reliquit, habuerit respectum ad locum, & non ad personam: Si verò Hospitale non fuerit auctoritate Episcopi erectum, & fundator sit mortuus, Episcopus quartam habebit; si autem viuit, non debetur quarta, quia tūc videtur relictum pauperibus simpliciter, & de legatis relictis pauperibus absolute non soluitur Canonica portio, *leg. Nulli Cod. de Episcop. & Cleric.*

6 Religiosi quartam funeralem soluentes, non tenentur soluere de omnibus relictis, vt de Missis, de candelis, quę dantur manibus Religiosorum, sed de his tantum, quę cum corpore defuncti deferre solent; itá declarauit Pius V. 17. *Kalend. Iuly anno* 1567.

7 Quando Ecclesia Parochialis est interdicta sui culpa, Parochianus alibi eligens sepulturam, non debet quartam funeralē suę Parochię sic interdictę, dummodò nō fiat in fraudem, pręcipuè verò si aliquis Parochianus dedit causam interdicto, aut Parochus: si vero Parochia causam interdicti non dedit, tunc quarta funeralis debetur, etiamsi interdicta sit culpa alterius extrà Parochiam. Azor. *lib. 2. cap. 13. qu.* 4. & alij.

8 Conuentus, qui erant iam fundati ante Tridentinum; & per quadraginta annos ob consuetudinem præscriptam, non soluebant quartam, non tenentur hodie soluere: Illi autem, qui non erant fundati quadraginta annis, ante Concilium Tridentinum, pari modo non tenebantur ad illam, quia nondùm soluebant illam per 40. annos: Item Monasteria, quæ post Concilium Tridentinum in dies ędificantur, vel in futurum ædificabuntur, quoad solutionem quartæ non comprehenduntur in Decreto Concilij; & itá declarauit Sacra Cōgregatio Cardinalium, ex certa scientia declarauit Pius V. *anno Domini* 1568. in Bulla *Romanus Pontifex.* In locis, vbi Religiosi non soluunt quartam funeralium abhinc 40. annis iuxtá Concilium Tridentinum.

9 Ordinarij cogētes Religiosos, aut testamētarios, vel hęredes ad illam soluendā, ipso facto interdicūtur ab ingressu Ecclesię; cęteri excommunicantur per Sixtū IV. vt docet Rodriquez *tom. 7 quæst. regular. quæst.* 39. *art.* 9 Miranda *tom. 2. quæst.* 48. *art.* 14.

10 Obligatio soluendi quartam tollitur, vel dispensatione Summi Pontificis, vel per consuetudinem legitimè pręscriptam, quia consuetudo tollit obligationem iuris, cùm sit legitime pręscripta 40. annorum spatio. Hinc pluribus in locis abolita est quarta per contrariam consuetudinem.

11 Parochus quartam funeralium potest petere, tamquàm debitam mercedem laboris, quasi actione locati. Federicus de Senis *cons.* 3 *num.* 4. vel cum dictione ex Canone, vel actione ex testamento. Petrus de Vbald. *de canonica Parochiali cap.* 3. *num.* 2.

12 Renunciatio Canonicę portionis in dānum Cathedralis, vel Parochialis facta, est inualida, nisi fiat cum protestatione, quòd propter hoc non fiat pręiudicium iuri Ecclesię.

13 Sunt aliqui casus iure exempti, in quibus quarta Episcopalis non soluitur: Primus est, quando aliquid Ecclesiæ relinquitur pro his, quæ pertinent perpetuò ad Diuinum cultùm: Secundus, quando aliquid legatur Ecclesię pro sacris, ad Diuina Ministeria,

nisteria, paramenta reparandis: Tertius, quando legatur aliquid Ecclesię pro ea recuperanda, eò, quòd reparatione indigeat, & aliundè non habeat bona, ex quibus reparari queat: Quartus, quando legatur aliquid ad luminaria: Quintus, si legetur aliquid ad Anniuersarium perpetuò celebrandum: Sextò, quando legatur aliquid pro septenario, vicennario, aut tricennario in perpetuū faciendo: Septimus, si legetur aliquid ad Diuinum cultum, vt v. g. fiat sacrificium tali die, de tali Sancto,&c. vel vt Diuina Officia decantentur tali die: Item de relictis fabricæ non soluitur Episcopo Canonica portio.

DE HIERARCHIA, ET IVRE

Ecclesiæ militantis, LIBRI QVARTI.

PARS QVARTA.

De rebus, Ecclesiæ temporalibus.

EXplicatis rebus spiritualibus incorporalibus, superest, vt de rebus Ecclesiastici temporalibus agamus; sed quia decimæ, primitiæ, oblationes mixtam quādam inter spirituales, & temporales naturam obtinent; ius enim decimandi, primitias, oblationes exigendi, spirituale est; fructus vero ipsi temporales; idcircò de his primò tractabimus.

TITVLVS I.

De Decimis.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ quid sint.*
2 *Quomodo distinguantur.*
3 *Consuetudine possunt auferri.*
4 *Qui teneantur ad decimas prædiales.*
5 *Clerici etiam tenentur soluere decimas.*
6 *Quis teneatur, quando sunt duo Patroni.*
7 *An Dominus teneatur, quando non recipit fructus.*
8 *Ex quibus debeant deduci decima.*

1 DEcimę sunt pars decima fructuum, Ministris Ecclesię, ob spirituale ministeriū ipsorū, & debita ex omnibus bonis, fructibus: Vndè in decima duo considerantur; vnum est pars fructuum, quos percipimus, non tamen certa, definita, & taxata, sed tanta, quanta est necessaria ad commoda Clericorum alimenta, & stipēdia iure debita, siuè ea sit decima, siuè octaua, siuè vigesima: Alterum est pars certa, & taxata fructuum, quę soluitur ad Clericos commodè sustinendos, & suo debito stipendio afficiendos, & hęc dicitur decima pars fructuum, quę Ecclesiæ Parochiali persoluitur: si decima consideretur posteriori modo, debetur non iure Diuino, sed solum Ecclesiastico; si verò priori modo, debetur iure Diuino, iuxtà illud Pauli *ad Corinth. Qui spiritualia seminant, temporalia metent:* Imò etiā iure naturę quia ius naturæ dictat, sustentationem deberi, Ministris Ecclesię, sicuti debentur tributa Principibus,&c.

2 Decimę distinguuntur in prædiales, personales, & mixtas: Prædiales sunt, quæ ex fructibus terræ prouenium, vt est vinum, oleum, frumentum, &c. Personales sunt, quę soluuntur ex fructibus, quos homo facit sua industria, vt ex militia, mercatura, venatione, piscatione, famulatu, &c. Mixtæ sunt, quę partim ex hominis industria, partim ex predijs proueniunt, vt sunt foetus animalium, & quę ex animalibus proueniunt, vt lana, caseus, &c. ità Suarez *de relig. tract. 2. lib. 1. cap. 34.* Syluest. *verb. Decima, quæst. 6.* Reginald. *lib. 19. num. 83.* Filliuc. *tract. 27. cap. 10.* & alij.

3 Decima, consuetudine potest auferri, quatenùs dicit aliquam determinatā partem, seu quartam fructuum: Ratio, quia talis decima non debetur iure naturę, aut Diuino, contrà quod non potest valere consuetudo, licèt talis consuetudo requirat spatium 40. annorū, & ad prescribēdū tempus immemoriale: Ratio, quia consuetudo respicit Communitatem, quæ eximitur à lege, vi solius consuetudinis; at prescriptio respicit priuatam personam, quę non eximitur vi cōsuetudinis, cùm vnius personę lōgus vsus nō possit legem introducere, consequenter neque approbare.

4 Omnes, qui titulo non spirituali habent prædia alicui Ecclesię subiecta, tenentur decimas prędiales soluere illi Ecclesię, cui illa prędia subiacent, nisi consuetudo habeat, vt alienæ Ecclesię soluantur. Hinc omnes Laici, etiam infideles, &c. tenentur soluere decimas: Item Clerici, si illa prædia, titulo patrimoniali, vel alio modo nō spirituali possideant; nisi aliquo priuilegio, prescriptione, vel consuetudine, vel alio titulo sint exempti: Item Monasteria tenentur soluere decimas, nisi ob necessitatem excusentur, vel priuilegio, vel consuetudine, vel alio titulo fuerint exempta; ità

itâ *ex cap. Nupèr 34. de decimis*, vbi decernitur, vt Cistercienses de terris post Concilium Lateranense, sub Innocentio III. celebratum acquirendis, soluant decimas Ecclesijs, quibus anteà soluebantur, nisi eas proprijs manibus colant, vel nisi alitèr cum Ecclesijs componant.

5 Clerici omnes, etiam Episcopi, tenentur soluere decimas de omnibus bonis Ecclesiasticis Romano Pontifici, si eas exigat, quia Papa potest eos obligare ad decimas soluendas, licèt de facto regularitèr eas non exigat, sed loco decimarum in casu necessitatis Ecclesiæ soluat exigere fructus vnici anni, quos annatas vocant. Bonac. *de decimis pun. 2. num. 23.* Lessius *lib. 2. cap. 39. nu. 28. & 29.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 87. art. 4.* Siluius *ibidem*, & alij.

6 Quando sunt duo, qui colligūt fructus, onus soluendi decimas spectat ad illum, qui ius primario, & principalitèr habet in fructus, nisi principalitèr in alterum onus reiecerit, vt quando cōductori Dominus apponit in locatione agri onus soluendi decimas; quia tunc integrè, & sine diminutione à conductore soluendæ sunt: Ratio, quia Dominus transtulit onus in conductorem minori contentus pretio; tùm etiā quia in isto casu conductor censetur principalitèr habere ius in fructus: quando verò Dominus locauit prędium alicui, non transferendo in ipsum obligationem soluendi decimas; tunc vterque tenetur ad solutionem decimarum, si fructus æqualitèr diuidantur, quia vterque æqualitèr sentit commodum, & vterque principalitèr habet ius in fructus.

7 Quando Dominus agri non recepit fructus, quos Ecclesia percepisset, non tenetur soluere decimas: Ratio, quia decima soluitur ex fructibus collectis, non autem ex colligendis, nec tenetur soluere, etiamsi sua culpa non coluit agrum: Ratio, quia non violauit iustitiam non colēdo agrum; ità Molina *disp. 49.* Cou. *par. 2. §. 8. num. 12.* & alij.

8 Decimę debent deduci ex fructibus integris priusquàm ex illis deducantur expensę, vel tributa, vel sumptus in colendo agro, census, aut vlla alia debita, quia decimæ debētur in recognitionem, aut professionem dominij generalis, quod ante reliqua, iura sibi satisfieri postulant. Sed dices, decimę solùm debētur ex fructibus, expensę autem non computantur; ergò illę deducendę sunt: Respondeo, fructus cōsiderari vel ciuilitèr, vel naturalitèr; si ciuilitèr considerentur, expensę nō sunt cōputandę cum fructibus; secùs si naturalitèr considerentur; & quia ius Canonicum considerat fructus naturalitèr, idcircò dico, decimas esse soluendas, priusquam deducantur expensæ.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Parochus vbi teneatur soluere decimas.*
2 *Ex singulis fructibus decima sunt soluenda.*
3 *Decima personales à quibus soluenda.*
4 *De quibus.*
5 *Sacerdos non tenetur ad decimas personales.*
6 *Decima prædialis ex quibus soluatur.*
7 *Decima mixta quomodo soluenda.*
8 *Decima personales quibus debeantur.*
9 *Decima primò debentur Episcopis, &c.*
10 *Tria genera decimarum.*
11 *Secundò debentur Parochis.*

1 PArochus, cuius prędia sunt intrà terminos alicuius Parochię, obligatur soluere decimas prędiales illi Parochiæ, in cuius terminos sunt sua prędia, pręcisa tamen consuetudine in contrarium, quia legitima consuetudine introduci potest, vt decima, quę iure vni Ecclesię debetur, alteri soluatur.

2 Quando res aliqua plures fructus affert, ex singulis fructibus decima debetur, ex consuetudine tamen introduci potest, vt ex primis tantùm fructibus decima soluatur.

3 Decimę personales soluendę sunt ab ijs, qui Sacramenta recipiunt, & illi Ecclesiæ, à qua recipiunt, idque iuxtà consuetudinē receptum; ità colligitur *ex cap. Ad Apostol. de decimis*: Ratio, quia huiusmodi decimæ dātur in sustentationem eorum, qui Sacramenta administrant, ideòque soluendæ sunt illi Ecclesię, in qua recipit Sacramenta.

4 Decima personalis soluenda est de omnibus, quæ ex industria acquiruntur; de acquisitis verò per eleemosynam, donationem, legatum, vel hæreditatem, decima non est soluenda, cùm hæc non dicantur acquisita ex industria; ità Azor *cap. 25. qu. 8.* Valent. 2. 2. *tom. 3. disp. 6. qu. 1. pun. 3.* Suar. *disput. 31. num. 6.* & alij.

5 Sacerdotes non obligantur soluere decimas personales: Ratio, quia ad eos spectat alijs ministrare Sacramenta, & consequentèr recipere debent ab ijs decimas, quibus ipsi ministrant, & per consequens non tenentur soluere decimas: Pauperes verò tenētur soluere decimas personales: Ratio, quia sicuti tenentur ad tributa regia, &c. ità etiam tenentur ad decimas Ecclesiæ. Qui verò sunt in extrema nęcessitate, non tenentur soluere decimas, cùm præceptum soluendi decimas non obliget eos, qui sunt in extrema necessitate.

6 Decima prędialis debetur ex prędio acquisito contrà legem, & ius: Ratio, quia prædium cum suo onere transit ad quemlibet possessorem, siuè bonæ, siuè malæ fidei: Decima verò personalis non debetur ex ijs, quæ Domino sunt restituenda, vt v. g. de rebus furtiuis. De acquisitis per actum meretricium Ecclesia non recipit decimas, nè, recipiendo, videatur acquirentium improbitatem approbare, licèt ipsi teneantur soluere decimas, quia licèt turpitèr faciant acquirendo, non tamen turpitèr faciunt retinendo.

7 Decimæ mixtæ, sunt soluendæ iuxtà locorum consuetudinem; præcisa verò consuetudine; si decimæ magis acce-

dunt ad personales, soluendæ sunt sicut personales; si magis accedunt ad prædiales, soluendæ sunt sicut prædiales. Azor. *cap.35.quæst.18.* Reginaldus *lib.19.num. 89.* & alij.

8 Decimæ personales debentur Parochiæ, eique Ecclesiæ soluendæ sunt, in cuius Parochia sunt prædia: Prædiales soluuntur Parochiali, in cuius territorio sita sunt, quamuis Baptismalis non sit: mixtæ debentur illi Ecclesiæ, in qua animalia habitant, nisi consuetudo induxerit, vt soluantur in alia. Filliuc. *tract.27 par.2.cap 9.quæst.1.* Azor. *1.par.lib.7.cap.35.quæst.15.* & alij.

9 Decimæ primò debentur Episcopis: Ratio, quia Episcopus est principalis dispensator summæ decimarum, quæ percipiuntur ex Parochijs. Abbas *cap. Cum contingat num 9.de decimis,* & *cap. Conquerente de offic. Ordinarij*; & ideo decimæ immediatè debentur Parochijs, mediatè verò, tāquàm principali dispensatori, Episcopo, quia Episcopus est principalis Minister singularum Parochiarum.

10 Tria genera decimarum pertinent ad Episcopos: Primò, ratione Cathedralis, cuius est peculiare membrum, vtpotè illius caput: Secundum, ratione Parochiarum suæ Diœcesis, quarum suo modo Caput est: Tertium, ratione suæ Mensæ, & personæ in prædijs, quæ sint intrà suam Diœcesim, & nullæ Parochiæ applicata sint.

11 Post Episcopum decimæ debentur Parochis: Ratio, quia ipsi tenentur ex officio ministrare spiritualia. Post Parochos, debentur Capitulis Cathedralium, & eorum Clericis præbendatis: Ratio, quia ij omnes habent ius suprà decimas correspondentes suo beneficio: Simplices vero Clerici non habent ius ad decimas, neq; illis sunt debitæ: Ratio, quia ex vi solius Clericatus, non sunt obligati ad ministrandum populo in spiritualibus, sicuti qui sunt in sacris. Religiosi non habent ius ad decimas, neque ijs debentur ex iure communi: Ratio, quia non sunt obligati ad ministrandum populo in spiritualibus, ideòque nec populus tenetur ex iustitia eos pascere; Ità Fillitieius *tract. 27. par. 2. cap. 9. num. 231.* & alij.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ quo loco soluendæ.*
2 *Coloni Religiosorum, an teneantur ad decimas.*
3 *Concilium Tridentinum confirmat excommunicationem, &c.*
4 *Quibus modis amittatur priuilegium non soluendi decimas.*
5 *Ius decimarum est quid spirituale, &c.*
6 *De decimis iudicare an spectet ad Iudicem Laicum.*
7 *Ecclesia, quando habeat dominium decimarum.*
8 *Prædia an sint obligata ad decimas.*
9 *Quando censeatur excommunicatus non soluens decimas.*

1 Decimæ sunt soluendæ eo loco, & tempore, quo præscribit consuetudo; iure autem communi sunt soluendæ, etiam non petitæ, & sine mora; ità habetur *in cap. Cum homines 11.num.3.* Syluest. *verbo Decima nu. 7.* Azor. *cap.23.quæst.7.* & alij. Personales decimæ soluitur in fine anni; ità Glos. *in cap. Reuertimini, verbo Annus 16 quæst.1* Halensis *par. 3.quæst.51.memb.3.* Abbas *in cap. Peruenit num. 3.* Suarez *cap.37.num.3.* Prædiales debentur statim, ac fructus à solo separati, atque collecti sunt: mixtæ sequuntur naturam prædialium, excepto fœtu, qui solui debet, quando peruenit ad statum, vt possit viuere sine lacte matris. Reginald *lib.19. num. 98.* Suarez *cap.37.* & alij; De alijs rebus certa regula tradi non potest, sed ex consuetudine loci, & transactionibus petenda est.

2 Coloni Religiosorum non tenentur soluere decimas pro sua portione colonica: Ratio, quia priuilegia Religiosorum censentur realia, & non personalia, & per cōsequens transeunt ad colonos: quòd sint priuilegia realia, patet, quia sunt concessa rebus, & non personis.

3 Concilium Tridentinum confirmat pœnam excommunicationis statutam, *in cap. Statuimus 16.quæst.1.sess.25.cap.12. de reformatione,* quod intelligendum est, modò non ad sit impotentia; ità Henriquez *lib.13.cap.28.num. 1.* Moneta *cap.8.quæst.5.* Molina *tract. 2. disput. 756. num. 5.* & alij: Ratio, quia Concilium Tridentinum non intendit obligare ad impossibile.

4 Priuilegiū nō soluendi decimas, amittitur primò, propter enormē læsionē Ecclesiæ, & personarū: Secūdò, per vsū soluendi decimas, nō obstāte priuilegio: Tertiò, ex conuentione partiū, quæ subsequatur priuilegiū: Quartò, per alienationē prædiorū in personas nō priuilegiatas; ea enim prædia ad decimas soluendas remanent obligata, quia per alienationem à priuilegio eximuntur; ità Suar. *cap.20.* & alij.

5 Ius decimarū est quid spirituale, & ideò causa decimarum ad Iudicem Ecclesiasticum spectat; ità *cap. Parochianos, de decimis,* & ità decernitur, *cap. Ad hæc, de decimis.* Vndè Iudex ciuilis nō potest cum Iudice Ecclesiastico iudicare in causa decimarum, etiā titulo compromissi, *cap. Cùm contingat, de arbitris*: Vndè primarium ius decimarum Laicis competere nō potest, quia est spirituale, fundatum in titulo spirituali, nempè in ministerio Ecclesiastico. Secundarium ius illis competere potest, ortum ab illo primario, v.g. per donationem fructuum, locationem, venditionem, &c. quod ius est distinctum à primario illo, & fundamentali, quod remanet penès Ecclesiam. Hoc ius enim non sit spirituale; à Laico præscribi potest spatio 40. annorum sine titulo tempore immemoriali.

6 Quando agitur de possessorio decimandi, non spectat ad Iudicem Laicum; possessio enim rei spiritualis, licèt sit merè temporalis, tamen de ea solùm agit Iudex Ecclesiasticus, quemadmodùm de ipsa proprietate, cùm qualitas spiritualitatis qualitatem temporalitatis absorbeat, & ad se trahat.

trahat. Valasc. *conf.* 93. *nu.* 3. Crauet. *conf.* 258. *num.* 8. Cou. *practicar. cap.* 35. *nu.* 1. Guttier. *cap.* 34. *num.* 26. & alij.

7 Ecclesia nō habet dominiū decimatū, antequam tradantur, nec ea potest petere actione rei vendicationis, sed ex lege Canonica, quę Laicis imponit onus decimas soluendi Diuino vsu comprobata: Ratiō, quia regulariter dominium rei non acquiritur absque traditione; ergò antequam decima sit tradita, Ecclesia in ea nullum habet dominium, tùm etiam, quia res censetur mea, quoadusque ab alijs possit discerni; ergo decima, antequàm sit tradita, cùm sit permixta cum rebus Domini, non censetur in eam Ecclesiam habere dominium; ità Rebuffus *tract. de decimis quæst.* 3. Fodericus de Senis *conf.* 74. & alij, & ideo ante traditionem non censetur esse Ecclesiæ quoad dominium, sed solùm lege iustitiæ.

8 Prędia non censentur specialiter obligata ad decimas preteritas, non ex speciali obligatione orta ex lege decimarum ob peculiare onus, quod Ecclesia imponit cuique prædio pro decima fructum, quia onus preteritum transit cum ipsis fructibus, qui indecimati alienātur: quod etiam dicendum est ex hypothecaria obligatione inducta beneficio legis in fauorem decimarum, quia esset vltrà ęquitatem idem onus ponere super fructus, & super possessionem, vltrà obligationem personalē primi possessoris, qui soluere debebat decimas. Filliuc. *tract.* 17 *par.* 2. *cap.* 12. *num.* 365. & alij.

9 Licèt decima soluenda sit, antequàm petatur, quia decima est quędam oblatio, & oblatio sponte datur, antequàm petatur, verùm tamen est, quòd debens decimā, nō incurrit excommunicationem, antequàm admoneatur de soluenda decima, quia excommunicatio non fertur simpliciter ob delictum, nisi habeat adiunctam contumaciam, quę contumacia non censetur esse, nisi post monitionem, non tamen tenetur debitor decimas deferre suis sumptibus ad Ecclesias, sed Parochi suis sumptibus debent curare, vt domum deferantur: non tamen potest Parochus per vim propria auctoritate eas accipere, etiamsi Parochianus iniustè detineat, quia nemo per vim debet expoliari. Nauar *consil.* 2. *de decimis*.

PARAG. III.

Textus Sacrorum Canonum. De Decimis.

SVMMARIVM.

1 *In veteri lege quot fuerint genera decimarum.*
2 *Compositio super decimis quando per priuilegium non tollatur.*
3 *Parochiani an possint compelli ad decimas sub censuris.*
4 *Exempti à decimis, an ad illas teneantur pro agris conductis.*
5 *Cistercienses non tenentur ad decimas pro prædijs, &c.*
6 *Decima alicuius Parochiæ cuinam debeantur.*
7 *Decima an possint concedi Laicis iure hæreditario.*

1 IN veteri lege fuerunt quatuor genera decimarum: Primum eorum, quòd soluebatur Leuitis: Secunda decima, quas Leuitæ ex decimis sibi datis Sacerdotibus cōferebant: Tertium genus erat decimarū quas in horreis recondebat, & separabat quisque de populo, vt comederēt eas, cùm irēt in Templum Ierusalem: Quartum genus erat earum decimarum, quę pauperibus erogabantur, *ex cap. Decimarum* 1. *de decimis, &c.* Clerici à Clericis non debent decimas accipere, nisi ab illis, qui spiritualia, ministrant, *ex cap. Nouum genus* 2.

2 Compositio super decimis non tollitur per priuilegium sequens, si de illa mentionē non facit, *ex cap. Ex Multiplici* 3 Monachi debent soluere illas decimas integras de terris nouitèr cultis, de quibus decimæ priùs soluebantur, *ex cap. Commissum* 4.

3 Parochiani possunt compelli ad soluēdas decimas de molendinis, & alijs, sub pęna excommunicationis, integras, scilicet ante aliquam deductionem, *ex cap. Peruenit* 5. Parochiani compellendi sunt Ecclesiastica districtione de apibus, & de omni fructu, decimas soluere, *ex cap. Nuncio* 6. Decimę prędiales integrę soluendę sunt, nō deductis expensis, *ex cap. Cum homines* 7.

4 Priuilegium habentes non soluendi decimas, si conducunt, vel sumunt ad formā, prędia solita, tenentur etiam de illis prædijs soluere, quia priuilegia non intelligūtur de agris conductis, *ex cap. Dilectis* 8 Priuilegium de decimis non soluendis, reuocatur, si ex post facto incipit Ecclesijs Parochialibus esse nociuum, propter excessum proprietarum, quę nimium creuerunt, *ex cap Suggestum* 9.

5 Cistercienses Templarij, & Hospitalarij de prędijs, quę proprijs manibus, vel sumptibus colunt, non tenentur soluere decimas: cæteri vero Religiosi illas non soluunt de noualibus tantùm, quę colunt suis manibus, & de hortis, & nutrimentis animalium, *ex cap. Ex parte* 1. 10. Priuilegium habentes non soluēdi decimas de agris, quos proprijs manibus colunt, vel sumptibus, debent soluere decimas, quas alijs colendas tradunt, *ex cap. Licet* 11. Priuilegium cōcessum de non soluendo decimas de laboribus, intelligitur etiam de terris, quę non sunt noualia, *ex cap. Ad audientiam* 12.

6 Decimæ noualium, si sunt in aliqua Parochia, debentur illi Parochiæ, data sua parte Episcopo: Si non sunt in aliqua Parochia, Episcopus potest eas, vel sibi retinere, vel alteri Ecclesiæ concedere, prout iudicauerit, *ex cap Quoniam* 13. Decimę quasi debitum exigi possunt, quia non ab homine, sed ab ipso Domino sunt institutæ, *ex cap Parochianos* 14.

7 Decimæ non possunt concedi Laico iure hęreditario, & Laicus est cogendus per excommunicationem, vt relinquat *ex cap. Ad hæc* 15. Iudæi, qui terras colunt, cogendi sunt, vel soluere decimas prædiales, vel

Pp 2 renun-

renunciare possessiones, *ex cap. De terris* 16. Laici non debent sibi vsurpare ea, quę sūt Sacerdotum, nec eis est aliqua potestas tribuēda de rebus Ecclesiasticis; ideò Prælatus, qui Laico in sæculo permanenti cōcedit Ecclesiasticam decimam, vel oblationem, est deponendus à statu suo, donec satisfaciat, *ex cap. Quamuis* 17.

P A R A G. IV.

Sequitur eadem materia.

S V M M A R I V M.

1 *In solutione decimarum, standum consuetudini.*
2 *Agricola tenentur ad integras decimas de omnibus fructibus, &c.*
3 *Conductores agrorum tenentur ad decimas.*
4 *Ad decimas qui, & quomodo teneantur.*
5 *Priuilegium concessum circa decimas, an comprehendat noualia.*
6 *Prescribens decimas in aliena Parochia, an possit noualium decimas accipere.*
7 *Laicis an sit potestas dandi Ecclesias, aut decimas.*
8 *Domini prædiorum, an possint per censuras cogi ad ponendos tales colonos, &c.*
9 *Regulares omnes, an teneantur soluere decimas, &c. etiamsi gaudeant priuilegijs, &c.*
10 *Ecclesiastici, an possint sumere à Laicis in pignus decimas ab eis detentas, &c.*

1 CONsuetudini standum est, cui Parochię debeantur decimę, quando aliqui accipiunt Sacramenta, & Diuina in vna Parochia, & habent prędia in alia, *ex cap. Cum sint* 18. Laici sine periculo animę non possunt decimas retinere, neque in alios aliquos Laicos trāsferre aliquo modo, & qui eas recipiunt, si non reddunt Ecclesię, priuantur Ecclesiastica sepultura, *ex cap. Prohibemus* 19. Quando aliqui recipiūt Sacramenta in vna Parochia, & habent, seu colunt prędia in alia, soluere debent decimas personales, vbi sumunt Sacramēta, & prędiales, vbi ex consuetudine diù obtenta soluuntur, *ex cap. Ad Apostolica* 20.

3 Agricultores oēs debēt soluere decimas integras de omnibus fructibus prædiorū, etiam in diuersis temporibus anni seminatis sub censura Ecclesiastica, *cap. Ex parte* 2. 21. Decimę sunt soluendæ sine administratione, & antequàm deducantur expensę, *ex cap. Non est* 22. Decimæ de redditibus molendinorum ad ventum, soluendę sunt, *cap. Ex transmissa* 23.

3 Dantes, vel accipientes possessionem ad formam, tenentur de fructibus soluere decimas, nisi ostendant, quare sint immunes, *ex cap. A nobis* 24. Imperialis quęcumque concessio non potest aliquem eximere à solutione decimarum, quia debentur Diuina constitutione, & in Laicis nulla est potestas concedendi, vel dispensandi in spiritualibus: Item in decimis licentia nō est extendenda, sed restringenda, & sic qui ab antiquo habet in feudum decimas, non potest accipere decimas noualium, *ex cap. Tua* 1. 25.

4 Decimam soluere debent Dominus, & colonus sine deductione seminum, & fructuum, & non cui voluerint Ecclesię, vel pauperibus, sed debentur, cui debentur, nec ad hoc excusantur propter malitiam Clericorum, sed cogi debent districtione Ecclesiastica, quia sunt tributa egentium animarum, & signum vniuersalis dominij Dei super terram, *ex cap. Tua* 2. 26.

5 Priuilegium Ecclesiasticę personę concessum, vt sibi accipiat decimas suorum prædiorum, noualia comprehendit, quia quando conceditur maius, etiam minus concessum videtur, *cap. 3. Ex parte* 27. Negotiator de lucro, antequàm soluat decimas, debet deducere expensas, quia pecunię, quibus emuntur merces, iam sunt decimatę. De prouentibus decimandis non sunt deducendæ expensę factę pro restaurando detrimento rerum, ex quibus fructus deducuntur, *ex cap. Pastoralis* 28.

6 Pręscribens decimas in aliena Parochia non potest simul accipere noualium decimas eiusdem Parochię, nisi cum rationabili causa ostendat, ad se pertinere, *ex cap. Cum contingat* 29. Decimę de iure debentur Ecclesiæ Parochiali, sed si Monasteria, vel Conuentus de certa terra subiecta Parochię accipiebant aliquos fructus ratione decimarum, & deindè alij fructus de eadē terra colliguntur, eadem Monasteria debent accipere decimas illorum nouorum fructuum, quia non debet vna, & eadem res diuerso iure cēseri, *ex cap. Cum in Tua* 30.

7 Laici etiam Reges non possunt donare Ecclesias, vel decimas, nec ex eorum titulo pręstatur causa pręscribendi; & si Papa confirmaret talem donationem, tamen nō intēdit derogare iuri alterius, nisi expressè hoc declaret, *ex cap. Dudum* 31.

8 Domini prędiorum possunt cogi per censuras, vt dent prędia colenda talibus colonis, à quibus Ecclesia sine contradictione integras decimas exigere possit, vel illi soluant, *ex cap. In aliquibus* 32. Decimę illę necessariò sunt soluendę, quę debentur iure Diuino, vel loci consuetudine, *ex eodem cap.* Decimę sunt priùs soluendę, & deindè census, & alia tributa, & si priùs illa soluuntur, decimari & ipsa, debent sub pœna excommunicationis, quia res transit cum suo onere, idest decimarum, *ex cap. Cum non sit* 33.

9 Cistercienses, & omnes Regulares, qui gaudent ijsdem priuilegijs de terris alienis, & in posterùm acquirendis, etiā si proprijs manibus, & sumptibus excolant, debent soluere easdem decimas, quas anteà Domini terrarum soluebant, vel se inter ipsos componere, *ex cap. Nuper.* 34.

10 Personę Ecclesiasticę non pręsumant accipere à Laicis in pignus decimas ab eisdem Laicis detentas, quę spectant ad alienas Ecclesias, *ex cap. Inter decimas* 35.

PA-

PARAG. V.
Sequuntur Textus de Decimis.

SVMMARIVM.

1 *Concionatores, &c. debent hortari ad decimas soluendas.*
2 *Priuilegium obtentum suprà decimas noualium, quomodo extendatur.*
† *Quomodo limitetur.*
† *Vbi per concessiones decimarum Ecclesiæ nimis grauantur, Ordinario quid agendum.*
† *Diœsani possunt Religiosos exemptos compellere ad soluendas decimas.*

1 PRædicatores, & alij Fratres in Sermonibus hortentur populum ad solutionem decimarum, seu aliarum rerum Ecclesiæ debitarum, *ex cap. Discretioni, de decimis in 6.*

2 Quando aliqui obtinent priuilegium habendi decimas noualium, secundùm proprietatem decimarum, quas aliquo modo possident, tale priuilegium non extenditur ad decimas noualium; quas tempore impetrationis alij de iure possidebant, nisi
† fiat expressa mentio, *ex cap. Statuto 3.* Priuilegium decimarum noualium limitatum ad mensuram antiquarum, non extenditur vltrà dimidiam partem decimarum, etiāsi ampliùs in veteribus haberentur, quia nō est verisimile, quod si tunc de plena, & integra perceptione veterum fuisset expressum, Apostolica Sedes pariter noualium decimas in tam graue Ecclesiarum dispen-
† dium indulsisset, *ex cap. citato:* Item vbi per huiusmodi decimarum concessiones, Parochiales Ecclesiæ adeò grauantur, vt earum Rectores de earum redditibus congruè sustentari, & iura Episcopalia sustineri non possunt, debent locorum Ordinarij prouidere, quod eisdem Rectoribus tantum de illorum prouentibus relinquatur, vt exindè competentem sustentationem habere, & Episcopalia iura soluere, aliaque onera debita supportare valeant, *ex cap. citato:* Item Religiosi; si Laicis decimas dederūt in feudum, ijdemq; Laici sic per eos præstitas recognoscant, non possunt illas de manibus Laicorum acquirere, vel recipere absque Diœcesanorum Episcoporum assensu, *ex cap. citato:* Itē Diœcesani compellant Religiosos exemptos soluere decimas Parochiales Ecclesijs, si non agatur de rebus exemptis, *ex cap. citato:* Item Religiosi etiam exempti, in aliquibus Parochijs decimas antiquas, aut earum partem habētes, ex donatione Laicorum non possunt pro eadem, vel simili portione nouales superuenientes sine alia rationabili causa percipere, aut petere, *ex eodem cap.*

PARAG. VII.
Decreta Sacr. Congregationis Concilij. De Decimis.

DEcimas soluere tenētur Regulares pro prædijs acquisitis exemptione, vel donatione Clericorum; quas eadem priùs soluebant, antequàm ad illorum manus peruenissent. *18. Decembris 1627.*

Decimarum solutioni obnoxia prædia, ad Regularium Monasteria transeunt cum suo onere, ac proindè Regulares tenentur illas soluere Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, quemadmodum tenebantur Laici, priusquam ipsa bona in Monasterij proprietatem transirent, *1. Septembris 1629.*

Decimæ ad Ecclesiam Matricem pertinentes, non transeunt ipso iure in Ecclesiam Parochialem nouiter erectam, iuxtà formam *constitut. Alexandri III. quæ incipit Ad audientiam*, sed remanet penès Matricem; & Episcopus potest arbitrio suo, siuè de decimis, siuè de alijs fructibus prouidere *11. Martij 1617.*

TITVLVS II.
De Primitijs.

SVMMARIVM.

1 *Primitiæ quid sint.*
2 *Primitiæ quo iure debeantur.*
3 *Quando distinguatur ab oblatione.*
4 *Quæ sit quota primitiarum.*
5 *Vbi viget consuetudo, sunt soluendæ.*
6 *Quis teneatur eas soluere, Dominus, an conductor.*

1 PRimitiæ sunt primi fructus agrorum, vinearum, &c. qui Domino debent offerri, antequam vsibus humanis deputentur, *cap. Causa Carpensis 13. de verb. signif.* licèt plures teneant, non deberi iure communi.

2 Primitiæ, & Decimæ differunt; primò, quia Decimæ debentur, & soluuntur Sacerdotibus, vt ex eis commodè sustententur: at verò Primitiæ Deo potissimùm offeruntur in signum, nostrorum bonorum esse largitorem: ac proinde Primitiæ sunt in honorem, & cultum Dei, quamuis deinde cedant in alimentum Sacerdotum. Secundò, Decimæ potissimùm soluuntur, vt profiteamur, Deum esse omnium supremum Dominum: Primitias verò offerimus, vt testemur, Deum esse nostrorum bonorum datorem.

3 Distinguitur etiam Primitia ab oblatione, quia per Primitias intelliguntur primi fructus; Per oblationes intelligitur generatim quidquid Deo offertur.

4 Quæ sit quota pars fructuum, quæ pro Primitia debet dari; alij dicunt, ad minus, de sexaginta vnum debere dari: alij, quod in feribus primum genitum debeat dari, & in alijs de quadraginta vnum ad plus, vel ad minus, de sexaginta. Innocen. *in cap. 1. de Decimis* ait, quod ex quo non inuenitur expressum in iure Canonico, requiritur in optione dantis, vt det quantum vult, nisi consuetudo Regionis aliud inducat.

5 Vbi viget consuetudo Primitias persoluendi, ad earum solutionem quilibet tenetur, *cap. Doctos, &* cap. *Reuertimini 16. quæst. 1.* Et pro Primitiarum possessione Ecclesia potest conuenire, & cogere possessores

Prædiorum, & rerum, pro quibus Primitiæ soluuntur, siue suo, siue alieno nomine possideant, aut colant, *cap. Si quis Laicus 16. quæst. 1.* Glos. *in cap. Tua nobis*, Innocent. *in cap. A nobis, de decimis.*

6 Quando ager, pro quo, quis tenetur soluere Primitias, est conductus, dubium est ad quem pertineat soluere Primitias, ad Dominum, an verò ad conductorem: Ad quod respondeò: Si conductor conduxit agrum certa pecunia, si certis mensuris grani, itaut ad ipsū spectēt omnes fructus, tūnc Dominus non tenetur ex hac pensione aliquas Primitias soluere: Si verò Dominus recipiat certā portionem fructuū, non ratione locationis, sed ratione tributi, tūnc tenetur ipse Dominus de hac portione Primitias soluere: Si verò fecit conuentionem cum colono, vt quilibet habeat dimidiam partem fructuum; tūnc vterque tenetur pro sua rata parte. Belet. *de bonis Clericorum* §.3. *num.* 28.

TITVLVS III.
De Oblationibus.

SVMMARIVM.

1 *Oblatio quid sit.*
† *Ad obligationem tria requiruntur.*
2 *Necessariò est præstanda.*
3 *Ex præcepto quando debeantur.*
4 *Quando debeantur iure naturali.*
5 *Cui cedant.*
6 *Parochianis quando diebus festiuis teneatur eas præstare.*
7 *Oblationes, quæ fiunt à mulieribus, &c. cuius sint.*
8 *Item quæ fiunt tempore Iubilæi, &c.*
9 *Nomine oblationum, quæ veniant.*
10 *Parochus an possit cogere Parochianos ad eas præstandas.*

1 Oblatio est voluntaria, & spontanea præstatio, quam Christiani Sacerdotibus, pro peccatis suis ad Altare offe- † runt, *cap.* 13. *Quia Sacerdotes* 10. *quæst.* 1. Ad oblationem tria requiruntur: Primum, vt offerens sit Christianus. Secundò, vt offeratur Ecclesiæ, nam quod priuatæ personæ offertur, non est propriè oblatio, sed donatio, aut eleemosyna. Tertiò, vt res oblata sit licitè, & honestè acquisita, quia ex rebus turpitèr acquisitis oblationes nō debent recipi, *cap.* 2. *Immolans*, cap. 12. *Scriptum* 14. *quæst.* 15.

2 Oblationes necessariò sunt præstandæ; ità Syluest. *verb. Decima qu.* 2. & alij. Ratio, quia consuetudo vim habet legis, & Laici possunt cogi ad legem seruandam.

3 Oblationes ex præcepto debentur in quatuor casibus: Primus est cùm debentur per modum census, pensionis, aut conuentionis anteà factæ cum Ecclesia, Angel. *in Sum. verb. Oblatio n.* 5. & alij. Secundus, cùm debentur ex testamento, legato, donatione, voto, &c. Tertius, quando Ministri Ecclesiæ non habent congruam sustentationem. Quartus, cùm alibi oblationes sunt consuetudine introductæ, quia tùnc cogi possunt ad consuetudinē seruandam; ità Nauar. *in Man. cap.* 13. *nu.* 19. Azor. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 11. & alij.

4 Quando Ecclesia, vel eius Rector indiget, oblationes iure naturali debentur; secus verò non debentur iure naturali: & iure naturali tantùm offerri debent, quātum sufficit ad subleuandam indigentiam Rectoris, & ad declarandum, Deum esse summum omnium Dominū: & sicùt Laici compelli possunt ad seruandam cōnsuetudinem; ità etiam Clerici tenentur ad obseruantiam laudabilis consuetudinis præscriptæ ad aliquid faciendum: & quāuis ex laudabili consuetudine possit recipi aliquid pro spiritualibus administrandis; illud tamen peti non potest antequàm administretur, non obstante consuetudine; ità Abb. *in cap. Abolenda, de sepultur.* Hostien. *in cap. Ad Apostolicam num.* 5. *&* 6.

5 Oblationes factæ in Parochia, seù Altari, cedunt Ecclesiæ Parochiali, siuè sint factæ Imagini, siuè Capellæ, & non Presbyteris Capellæ, *cap. Quia*, cap. *Sanctorum*, cap. *Nullus* 12. *qu.* 12. Ratio, quia oblationes debentur Parocho iure Parochiæ, nisi ex coniecturis aliud constare possit, velutì si in ipso Altari esset Imago, vel titulus alicuius Sancti, cuius intuitu fierēt oblationes, quia tūc oblationes debētur Rectori ipsius Altaris. Felinus *in cap. Dilectus nu.* 4. Si verò oblationes fiant in aliquo loco Regularium, acquiruntur illis Religiosis, & nō alijs, *cap.* 1. *De statu Monach.* Abb. *in cap. Dilectus num.* 4. Si verò oblationes fiant Imagini depictę in pariete alicuius priuati, vel Imagini depictę in ea Capella, seù Oratrio existēti intrà limites Parochiæ, cedunt oblationes non domui priuatæ, sed Ecclesię Parochiali. Abb. *in cap. Dilectus num.* 1. & alij. Quia Parochus habet intētionem fundatam super oblationes, quæ fiunt intrà Parochiam, *cap. Quia* 10. *qu.* 1. *cap. Quoniam de decimis.*

6 Licèt Parochiani diebus Dominicis, &c. non teneantur aliquid offerre Parocho in templo, tamen quando Parochus non habet vndè sustentetur, tenentur Parochiani diebus Dominicis, & alijs primarijs festiuitatibus ad oblationes Clericis ministrantibus spiritualia, exhibendas. Hostien. *in cap. Causam, de verb. signif.* Couar. *lib.* 1. *variar. resol. cap.* 13. *num.* 3. D. Thom. 2. 2. *qu.* 85. & ibi Caiet. *art.* 1. & alij.

7 Oblationes, quæ fiunt à mulieribus in purificatione post partum, licèt talis purificatio non sit actus necessitatis, sed denotionis, tamen ad solos Parochos spectat purificare mulieres, sicut etiam benedicere domos, & oua, &c. in qua non debent se ingerere Regulares. Praxis Neapolit. *cap.* 72. *num.* 17. Sayrus *de censur. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 15. & alij.

8 Oblationes, quæ fiunt tempore Iubilęi, vel in Anno Sancto in Ecclesia Cathedrali, spectant ad Archipresbyterum eiusdem Ecclesiæ: Ratio, quia cum Archipresbyter habeat curam animarum, vt suppono, Sacramentorum administrationē habet,

habet, & per consequens fundatam intẽtionem in omnibus oblationibus; idque priuatiuè quoad Episcopum; & ità Abb. *in cap. Quoniam notabili* 1. Maluef. *de Oblat. dub.* 4. *num.* 401. & alij.

9 Nomine oblationum, veniũt ea omnia, quæ offerũtur Ecclesiæ in Missa, vel extrà, intuitu Sanctorum, vel defunctorum, &c. Quę omnia spectant ad Parochum: quòd si Episcopus celebraret in Parochia; tunc oblationes essent Episcopi. Hostien. *in Sum. tit. de Parochijs §. in quibus*, quia non solùm Episcopus dicitur, sed etiam Rector Parochialis, *cap. Apostolica*, cap. *Episc. dist.* 96. & etiam appellatur Parochus totius Diœcesis, quia tota Diœcesis est Parochia Episcopi: secùs autem si celebret in loco exempto, quia tunc ei debentur, ad quem spectant iura Parochialia. Felin. *in cap. Dilectus num.* 2. Oblationes factæ Sacerdoti celebranti in aliena Parochia, cedunt Parocho illius Parochiæ. Abb. *in cap. Pastoralis num.* 2. Felin. *in cap. Dilectus nu.* 1. quia Parochus habet intentionem fundatam super omnes oblationes contingentes intrà limites suæ Parochiæ.

10 Parochus potest cogere Parochianos ad præstanda sibi necessaria, quando non habet vndè se alat, non obstante quòd possit operando aliundè sibi victum quærere, *cap. Ad Apostolicam §. Qua propter*, & ibi Doctores: & in tali casu potest illis subtrahere spiritualia. Abb. *in cap. ex Præsentium num.* 6. & *in cap. Suam num.* 11. *de Simon.* non tamen propria auctoritate potest id facere, sed per Superiorẽ ipsius Parochi. D. Tho. 2. 2. *qu.* 86. *artic.* 2. & ibi Caiet. Nauar. *cons.* 2. *de decimis*, & alij. Neque potest Parochus denegare Sacramẽta propria auctoritate, non soluenti Decimas, seù Primitias, &c. ob particulare Parochi interesse. Nauar. *de Decimis cons.* 2. *num.* 2. & alij.

TITVLVS IV.

De rebus Ecclesiæ temporalib. idest de rebus non Sacris, & quibus solennitatibus alienari possint.

SVMMARIVM.

1 *Bona sunt in duplici differentia.*
† *Item bona mobilia.*
2 *Alienatio quid sit.*
3 *Bona Ecclesiæ quæ non possint alienari.*
4 *Causæ alienationis.*
5 *Solennitas requisita ad alienationem.*
6 *Casus excepti.*
7 *Alienatio quomodo sit inualida.*
8 *Res, &c. relicta sub conditione, vt possit alienari, an alienari possit.*
9 *Bona immobilia, &c. an possint oppignari, &c.*

1 EGimus in supradictis, de bonis Ecclesiæ spiritualibus, corporalibus, & incorporalibus; nunc autem de rebus temporalibus agendum est, ex quibus quędam immobilia, & alia mobilia sunt. Immobilia ea sunt, quæ loco moueri non possunt, † vt Domus, ager, &c. Mobilia diuidũtur in ea, quæ loco moueri possunt, vt equus, vestis, pecunia, &c. Mobilia etiam sunt in duplici differentia, nam alia sunt pretiosa, & alia nõ pretiosa: Pretiosa sũt, quæ seruando seruari possunt, vt sunt illa, quæ per trienniũ non corrũpuntur, vt sunt vasa aurea, vel argẽtea, &c. vel quæ in æquiualenti seruari possunt, vt grex ouiũ, &c. Non pretiosa sunt, quæ seruando seruari non possunt, vt sunt fructus, oleum, &c.

2 Alienatio propriè, & strictè sumpta, est omnis actus, per quem dominium transfertur; largissimè etiam dicitur alienatio emphyteusis, & locatio ad longum tempus, idest vltrà triennium. Alienatio etiã dicitur hippotheca; Infeudatio, vel etiam actus, quo vsus-fructus, aut ius in alium transfertur: In materia odiosa, alienatio sumitur strictè; in materia verò fauorabili, vt in hac, sumitur largè; & ità Syluest. *verb. alienatio*, Suarez *de censuris disp.* 22. *sect.* 6. Azot. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 2. & alij.

3 Bona Ecclesiæ mobilia, quę seruando seruari possunt, vel etiam immobilia, validè non alienantur, nisi adsit iusta causa, & solennitas à iure præscripta. Bona verò mobilia, quę seruando seruari nõ possunt, alienari possunt absque præscripta solennitate.

4 Causæ alienationis sunt quatuor: Prima est necessitas vrgens Ecclesiæ, cui occurri non potest, nisi per alienationem, vt quando debitis grauatur. Secunda est vtilitas euidens, & manifesta. Tertia est pietas, v. g. ad redimendos captiuos, &c. Quarta est incommoditas, vt si res sit Ecclesiæ sumptuosa, & parum vtilis; & ità communiter Doctores.

5 Solennitas requisita ad alienationem bonorum immobilium, vel mobiliũ pretiosorum est hæc: Primò, vt fiat super ea retractatus, idest, vt in capitulo discutiatur, an expediat, hanc alienationem fieri. Secundò, vt Capitulum expressè consentiat, sufficit autem consensus maioris partis eorum, qui sunt in Capitulo. Tertiò, vt fiat subscriptio à Capitularibus: ex cõsuetudine, sufficit subscriptio Notarij. Quartò, requiritur consensus Superioris, qui pleno iure fungitur officio Superioris, & consẽsus Summi Pontificis; ità *cap. Sine exempt.* 12. *quæst.* 2. *cap. Tua, de his, quæ fiunt à Prælatis*. cap. *Vt super de reb. Eccles. non alien.* Cou. *lib.* 2. *var. cap.* 17. *num.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 11. *num.* 63. Syluest. *verb. Alienatio num.* 3. 4. 5.

6 Casus autem à iure permissi, in quibus licita est alienatio, sine vlla Sedis Apostolicæ licentia, posita tamen necessitate, vel euidenti vtilitate, sunt subsequentes: Primò, quando res alienanda est modici valoris; ità *ex cap. Ferulas* 12. *qu.* 2. Secundus est consuetudo legitimè præscripta contrà Extrauag. *Ambitiosæ*, & Decretum Sacræ Congregationis sub die 21. *Martij* 1626. Tertius, quando bona sunt relicta Religioni incapaci bonorum in communi. Quartus, quando sunt relicta cum tali onere, vt alienari debeant certo tempore,

re, aut restitui ex ligatione iustitiæ. Quintus, si bona solita sint infeudari, aut in emphyteusim concedi. Sunt etiam plures alij casus, de quibus apud Auctores.

7 Alienatio bonorum facta sine præscripta necessitate, inualida est in vtroque foro: Ratio, quia prædicta forma præscripta est tanquam forma substantialis contractus alienationis. Forma iuris est, quæ dat esse rei, vt colligitur *ex cap. Tua, de his, quæ fiunt à Prælatis*. Et ideò alienatio facta sine præscripta solennitate, est inualida, licèt aliqui auctores doceāt valere in foro conscientiæ, si dolo, vel fraude vacauerit, si in ea fuerit seruatum, quod ius naturale præscribit; ità Panormit. *in cap. Quia plerique, de immunitate Ecclesiastica*. Fillliuc. *tract. 44. cap. 6 qu. 6*. Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 16 num. 9*. Rodriquez *tom. 1. quæst. regular. quæst. 27. artic. 9*. & alij.

8 Alienari non potest res immobilis, vel mobilis pretiosa donata, vel relicta Monasterio, vel loco pio, quamuis sub conditione relicta sit, vt possit alienari absque iuris solennitate, quia huiusmodi conditio pro non adiecta habetur, cùm sit cōtra iura, quæ præscribunt, res loci pij sine solennitate non alienari. Armilla *verb. Alienatio nu. 29*. Cou. *in cap. Tua, de testam. n. 6*. Quaranta *verb. Alienatio num. 6*. & alij.

9 Bona immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruari possunt, nō possunt oppignorari, vel hipothecari: Ratio, quia sic habetur in Bulla Pauli II. Tùm, quia veniūt noīe alienationis: Item nō possunt locari ad longum tempus, cùm talis locatio sit quædam alienatio, quæ prohibetur in Extrauag. *Ambitiosæ*, & si locantur, inualida est locatio, non solùm pro tempore, quod excedit triennium, verum etiam pro ipso triennio. Azor. *3 part. lib. 8. §. de locat. cap. 9. qu. 3*. Tuscus *tom. 5. conf. 406*. Less. *lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 38*. & alij. Quod Intelligendum est, si sit tantùm vno contractu; quia secus si sint distincti, quia valida erit locatio quoad primum contractum, nimirùm quoad primum triennium; inualida verò quoad cæteros contractus. Item res fructificantes solùm alternis annis, possunt locari ad sex annos, quia sic censentur solùm locatæ ad tres annos.

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Bona Ecclesiastica non possunt tradi in feudum, &c.*
2 *Prælatus an possit remittere caducitatem.*
3 *Bona patrimonialia possunt alienari, &c.*
4 *Prælatus potest repudiare Legatum, &c.*
5 *Vasa argentea, &c. an possint vendi, &c.*
6 *Alienatio quo iure prohibita.*
7 *Alienantes, quando excusentur à culpa, &c.*
8 *Quam pœnam incurrant Episcopi, Abbates, &c. alienantes.*
9 *Item procurantes alienationem.*
10 *Casus excusantes à pœna.*

1 BOna Ecclesiastica non possunt tradi in feudum, neque in emphyteusim, nisi sint solita tradi: Ratio, quia traditio in feudum, vel in emphyteusim est quędam alienatio: Si verò sint solitæ in emphyteusim, vel in feudum dari, possunt denuò in feudum, vel in emphyteusim dari, concurrentibus istis conditionibus; nimirùm euidens vtilitas: Secundò, vt fiat eo pacto, quo prius res erat tradita in feudum, vel in emphyteusim; Tertiò, vt traditio fiat, antequàm res sit incorporata Ecclesię, vel Mensę, seu sit applicata vsibus Ecclesiæ, postquam dominium vtile redit ad Dominum.

2 Potest Prælatus remittere caducitatem absque prædicta solennitate; ità Rebellus *lib. 13. quæst. 11. num. 7*. Sanchez *lib. 6. disp. 6. num. 13*. Ricc. *decis. 135*. Ratio, quia caducitas nō habet locum, nisi volente Domino; ergò liberum est beneficiaro remittere caducitatem; tùm etiā quia Prælatus potest præiudicare quoad ius acquirendum, & ius caducitatis induit potiùs rationem iuris acquirendi, quàm acquisiti.

3 Bona patrimonij possunt alienari absq; prædicta solennitate, licèt nō possint alienari absq; consensu Episcopi, donec Clericus, qui ad illorum titulum fuit promotus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum, vel aliundè habeat, ex quo viuere possit: Ratio, quia sic habetur in Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 1*. & ità Syluest. *verbo Clericus 4. quæst. 13*. Nauarrus *cap. 22. num. 18*. & alij.

4 Prælatus potest absque prædicta solennitate repudiare legatum: Ratio, quia repudiando non dicitur alienare; & ità Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 4*. Syluest. *verbo alienatio quæst. 9*. Armilla *eodem verbo num. 17*. licèt Prælatus peccet contrà iustitiam, repudiando legatum, cùm ex officio teneatur consulere Ecclesiæ.

5 Non possunt, seclusa consuetudine, vendi vasa argentea, &c. vt eorum pretium conuertatur in fabricam: Ratio, quia hęc sunt mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, licèt aliqui doceant in contrarium ducti hac ratione, quòd ex huiusmodi alienatione nullum dominiū transferatur in tertiam personam, sed clarè cōstat dominium rei venditæ transferri in tertiam personam.

6 Alienatio bonorū immobilium, vel mobiliū pretiosiorū Ecclesiasticorū vetita est iure naturali, Diuino annexo iuramento, si loquamur de Summo Pontifice, & de Cardinalibus, respectu bonorum Sedis Apostolicæ, aut de Episcopis, & Prælatis, respectu bonorum suæ Ecclesiæ; Iuramentum enim inducit obligationem iuris Diuini, & naturalis: Secundò, prohibita est iure Cæsareo *in leg. Iubemus*: Et quamuis leges Principis sæcularis circa res Ecclesiasticas non ligent; nihilominùs obligāt, quatenùs ab Ecclesia recipiuntur, & confirmantur: Tertiò, prohibetur etiam iure Canonico pluribus in locis, præsertim in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 11*. & in extrauag. *Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & in Decreto Sacræ Congre-

gationis

gationis Concilij Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. iussu edito, incipiente *Sacra Congregatio Cardinalium,&c.*

7 Alienantes ante consensum Superioris, dicendo (saluo Superioris assensu) non excusantur à culpa, & à pœna: Ratio, quia talis protestatio est contraria facto; tùm etiam, quia cõsensus pertinet ad formam, & ideo præcedere debet actum contractus alienationis.

8 Episcopi, vel Abbates alienantes bona Ecclesiæ, vel locorum piorum absque solennitate à iure præscripta, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & si per sex menses permanserint in interdicto, remanent suspensi à regimine, vel administratione Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsunt. Inferiores autem Episcopis, vel Abbatibus, priuantur ipso facto absq; alia declaratione, beneficio, vel officio, cuius bona præsumpserint alienare. Prætereà incurrunt excommunicationem nõ solùm ipsi alienantes, verùm etiam ipsi recipientes, secuta traditione, & alienatione. Extrauag. *Ambit.* Sayrus *de censuris lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 54. Suarez *de censuris disput.* 22. *sect.* 6. Nauar. *in manu. cap.* 27. *num.* 149. & alij.

9 Procurantes dolosè alienationem, aut decretum alienationis, incurrunt etiam excommunicationem, vt colligitur ex Bulla; in Tex. enim ità habetur *Is verò, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiæ alienationem fieri procurauerit, &c.* & hæc excommunicatio non incurritur, nisi secuto effectu; item incurrunt excommunicationẽ suadentes Papę, vt infeudet, aut alienet Ciuitates, & loca S.R.E. latam à Pio V. in Bulla 35. quæ incip. *Admonet nos, &c.*

10 Alienans bona Ecclesiastica fine solennitatibus excusatur à pœnis prædictis: Primò, ex bona fide, quæ in foro conscientiæ excusat: nã dicitur in Text. *Præsumpserit*, quod verbum denotat dolum, & temeritatem. Nauar. *consil.* 19. *de rebus Eccles. &c.* Secundò, ignorantia facti probabilis excusat, ac ignorantia iuris, in personis non ità peritis. Nauar. *cap.* 23 *num.* 44. Tertiò, quando fuisset erratum in subtilitatibus iuris, vel quando pro alienatione essent aliquæ opiniones probabiles, vel esset non clarum, vel dubitabile. Felin. *in cap.* 1. *num.* 15. *de sent. & re iudicata*: Quartò, excusat à pœnis Paulinæ, reuocatio alienationis, & pœnitentia ante realem, & pacificam traditionem, *cap. Si quis Presbyterorum*, & ibi Glos. *verbo Celeriter, de rebus Ecclesiæ alienandis*: Quintò, apparentia iustæ causæ excusat alienantem à culpa mortali, licèt alienatio esset, ipso iure nulla, quia qui bona fide aliquid facit contrà legem humanam, putans se habere iustã causam id faciendi, non peccat mortalitèr. Nauar. *in man. cap.* 23. *num.* 43. Sextò, beneficiatus, quia alienat de iusta causa rem Ecclesiæ, inconsulto Papa, etiam cùm consilium eius requiratur ad forum exterius, bona fide faciens conditionem Ecclesiæ meliorem, non peccat quòad Deum mortalitèr, nec incurrit in pœnas Paulinæ, quia non alienat per præsumptionem.

PARAG. II.

Textus Sacrorum Canonum.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

SVMMARIVM.

1 *Prælati, an possint dare bona vnius sua Ecclesia, alteri sua Ecclesia.*
2 *Rector Ecclesia, quando possit aliquem de Ecclesia manumittere.*
3 *Res Ecclesia, an alienare quis possit.*
4 *Subscribens alienanti bona Ecclesiastica, excommunicandus.*
5 *Terra non fertilis potest dari in emphyteusim ys, qui, &c.*
6 *Canonici an possint locare in perpetuum bona Ecclesiastica.*
7 *Ecclesia notabilitèr læsa ipsa bona restituenda.*
8 *Alienatio rei Ecclesiastica facta sine consensu, &c. non tenet, &c.*

1 PRælatus, siuè Episcopus, siuè Abbas, non potest dare terras, vel alia bona vnius Ecclesiæ suæ alteri suæ Ecclesiæ, nisi cum consensu ambarum partium, *ex cap. Nec licet* 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Petens, vel recipiens à Laicis res Ecclesiæ, perdit receptas, & est excommunicandus, *ex cap. Qui res* 2.

2 Rector Ecclesię, qui ei dat alia bona, vel acquirit eidem Ecclesiæ prædia, seù familias, potest aliquos de familia Ecclesiæ suę manumittere, idest Seruos, si datum valet duplo plusquã Seruos manumittere; & Serui, eorumq; posteri erunt sub patrocinio Ecclesiæ, & præstabunt operas impositas tẽpore manumissionis, *cap. consensu* 3. Episcopus nihil de suo dans Ecclesiæ, non potest eiusdem Seruos manumittere: quòd si manumittat, non tenet manumissio, & successor reuocare potest, *ex cap. Episcopi* 4.

3 Alienare nemo potest res Ecclesiæ immobiles, siuè agrum, siuè rusticum mancipium, nec obligare titulo hypothecę: Item sub nomine alienationis intelligitur inductio, donatio, venditio, permutatio, contractus perpetua, emphyteusis, *ex cap. Nulli* 5.

4 Clericus, vel defensor, qui subscribit alienãti bona Ecclesiastica, debet excommunicari, nisi alienans, & qui recepit, celeritèr restituant, & præter excommunicationem, instrumentum alienationis non valet. Alienationi huiusmodi quilibet Ecclesiasticus contradicere potest, & bona cum fructibus repetere, *ex cap. Si quis Presbyterorum* 6.

5 Terra non fertilis potest dari in emphyteusim perpetuam sub annuo censu illis, qui eorum, vel parentum labore eam meliorarunt, nisi fortè tempore contractus possit dari alijs cũ maiori vtilitate, *ex cap. Ad aures* 7. Episcopus, qui iurat non alienare bona Ecclesiæ, non potest illa alienare, licèt sint de Mensa Episcopali, siuè non *ex cap. Vt super* 8. Episcopus, qui iurat non alienare bona Ecclesiæ, de consilio senioris partis Capituli, potest alienare, vel cõmutare possessiones Ecclesiæ minus vtiles,

pro

pro vtilioribus *ex cap. citato.*

6 Canonici non possunt locare prædia Ecclesiasticā in perpetuum, & si locant, sunt reuocanda, & locans refundere debet pretia locatori, *ex cap. Ad audientiam 9.* Episcopus non potest alienare possessiones, quę sunt de Mensa Episcopali, nec dare Clericis, vel Laicis Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueuerunt. *ex cap. Possessiones 10.*

7 Ecclesia, quando in alienatione inuenitur enormitèr læsa, restituenda sunt ei bona, & restituenti debet reddi pretium, & relinqui fructus percepti pro suo labore, *ex cap. Ad nostram 11.*

5 Alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine legitimo consensu personarum Ecclesiasticarum, nō valet, quamuis esset facta iuxtà Constitutionem Laicorum, & præsumentes contrà facere, sunt compellendi censuris Ecclesiasticis, *ex cap. Cum Laici 12.*

PARAG. III.
Sequuntur Textus de rebus Ecclesiæ, &c.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, an possit Ecclesiæ vacantis bona perpetuò alienare.*

2 *Prælati, an possint Ecclesias suas, &c. subdere Laicis, sine consensu, &c.*

1 Episcopus, dùm vacat aliqua Ecclesia sua, non potest alienare perpetuò bona illius, quia caret defensore: Similitèr sine tractatu solenni, & diligenti, alienatio perpetua non valet, præsertim vbi deficit necessitas, vel euidens vtilitas, *ex cap. Dudùm 1. de rebus Eccles. non alienand. in 6.*

2 Prælati Ecclesiastici sibi commissas, vel eorum bona immobilia, vel iura, sine cōsensu Capituli, & expressa licentia Papæ Laicis submittere non possunt, cognoscēdo, se ab illis tamquàm à Superioribus retinere, aliàs Prælati ipsi contrà facientes, sunt, ipso facto, suspensi ab officio, & administratione, *ex cap. Hoc consultiſsi 2.*

PARAG. IV.
Decreta Summorum Pontificum. De Alienatione.

Alienare bona Ecclesiæ, in consulto Pōtifice, non licet, & prohibetur alienatio rerum Ecclesiasticarum per pactum: Item earum concessio, hypotheca, locatio, & conductio intrà triennium. Paulus II. *constitut. 2. incip. Cum in omnibus 5 Idus Maij 1465.*

Alienare, vendere, permutare, vltrà triennium locare, in emphyteusim, feudum, liuellum, pignus, seù precarium concedere in non Vassallos, nemo potest bona stabilia in Statu Ecclesiastico, & nemo Status Ecclesiastici potest alienare Castra, seù Arces, ac Fortalitia in non subditos Ecclesię. Sixtus V. *constitut. 3. incip. sollicitudo Kal. Iuly 1581.*

Alienatio, atque infeudatio Ciuitatum, & locorū S.R.E. prohibita est, ac tractatus de illa, præextu etiam euidentis vtilitatis, & illam procurantes, etiam ob honorem familiæ Pontificum, excōmunicantur, infames fiunt, eorumque bona confiscantur. Pius V. *constit. 35. incip. Admonet 4. Kal. ... 1567.*

Alienare, ac in feudū, vel emphyteusim quocumque prætextu, vel causa, quęcumque bona ad Ecclesias inferiores, & quęuis loca pia, nunc, vel deinceps spectantia concedere, vel vltrà triennium locare, & concessiones huiusmodi reuocare, vel prorogare cum plurium pœnarum impositione, prohibet. Vrbanus VIII. *constit. 51. incip. Humana Kal. Nouembris 1625.*

TITVLVS V.
De Precarijs.

SVMMARIVM.

1 *Precaria, & Precarium quomodo differant.*
2 *Precarium quid sit.*
3 *Item Precaria.*
4 *Precaria solum iure Canonico inuenitur.*
5 *Precaria differt ab emphyteusi.*
6 *Precaria, quando debeat renouari.*

1 Precaria differunt à Precario, quia Precarium ad tempus determinatum non conceditur; Precaria verò ad certum tempus concedi possunt, secundùm quod partes conuenerunt, nec ante tempus conuentum reuocari potest, vt innuit Textus *in cap. 1. & Abbas in eodem cap. 1.*

2 Precarium est contractus, per quem aliquid vtendum conceditur, quandiù concedens patitur; & ideò ad substantiam huius requiruntur consensus dantis, & recipientis: Secundò, traditio: Tertiò, vt is, qui dat, possit repetere rem datam, quando voluerit.

3 Precaria, vulgò definitur, vt sit Contractus ad preces initus in perpetuum, vel ad tempus, singulis quinquennijs renocandus, siuè vt alij loquuntur, est Concessio rei ad tempus, vel in perpetuum fruendę ad preces recipientis facta.

4 Contractus precariè solùm in vsu iuris Canonici reperitur, & sic solùm ab Ecclesia, & in rebus Ecclesiasticis celebratur, & est contractus nominatus, cùm habeat nomen distinctum, & separatum ab alijs contractibus, iuxtà regulam iuris gentium, *ff. de pactis.*

5 Differt Precaria ab emphyteusi, eò, quòd in emphyteusi certa pēsio in recognitionē dominij est soluenda, *leg. 1. Cod. de iur. emphyt. instinut. de locat.* Precaria verò pensionem non patitur, quia vsusfructus in remunerationem ad preces conceditur.

6 Precariæ de quinquennio in quinquennium reuocari debent, quę quidem renouatio non ità fit, vt quasi per singula renascatur nouus contractus, esset enim tūc necessaria noua concessio, & non renouatio, sed ideò fit, nè longitudine tempo-

tris

ris petat memoriam contractus, *cap. Sapè 12. quæst. 2.* sit etiam ob alias causas: si autem precariam habens, elapso quinquennio, renouationem non petat, cadit à iure suo, sicuti non petens inuestituram à Domino. Abbas *in cap. 1. num.* 5. Angel. *verbo Precarium num.* 4. & alij. Precarium enim tacitè renouatur, si Dominus patiatur, eum, qui rogauit, in possessione remanere. Card. Mat. *de tacitis, & ambiguis conuentionibus lib. 22. tit. 35. num. 6.* Quando tamen actus requirit aliquid vltrà patientiam, ipsa sola patientia nihil operatur. Molina *de præsumpt. lib. 3. præsumpt 85. nu. 28.*

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum. De Precarijs.

SVMMARIVM.

1 *Precaria quolibet quinquennio renouanda.*
2 *Successor an possit dissoluere precaria.*
3 *Precarium potest reuocari.*

1 Precariæ de quinquennio in quinquennium, secundùm antiquitatem, & antiquam consuetudinem, renouari debent, *ex cap. Precariæ 1. de precarijs.*

2 Successor potest dissoluere precaria irrationabilitèr ab antecessore, non obstante pœna graui apposita, & potest Ecclesiæ bona reuocare, *ex cap. De precarijs 2.*

3 Precarium potest reuocari ad libitum concedentis, & soluitur morte eius, cui fuit concessum, & non morte concedentis, & soluitur etiamsi ille, qui concessit precarium, illud alienauerit alicui, qui postea illud reuocat, *ex cap. Precarium 3.*

TITVLVS VI.
De peculio Clericorum, & eorum successionibus.

SVMMARIVM.

1 *Peculium quid sit.*
2 *Beneficiatus emens, cui præsumatur emisse.*
3 *Bona à beneficiato empta ex fructibus beneficij, cuius sint.*
4 *Item meliorationes facta.*
5 *Item bona acquisita per Clericum habentem, &c.*

1 Peculium definitur, vt sit patrimonij portio, quam Pater-familias filio, aut seruo tamquam proprium ipsorum habere permittit; ita ex *leg. 4. & ex leg. Depostiti §. peculium ff. de peculio*, quod diuidi solet in quatuor species; in peculium castrense, quasi castrense, aduentitium, & profectitium. Castrense dicitur illud, quod in castris, vel contemplatione militiæ acquisitum est. Quasi castrense, quod filius ex sclenria, vel exercitijs publicis comparauit. Aduentitium, quod ex donatione, vel industria, vel alia extranea causa filius acquirit. Profectitium illud est, quod Patris contemplatione acquiritur, vt v. g. ex pecunijs, & rebus Patris, & dicitur profectitium, quasi ex substātia Patris profectum.

2 Beneficiatus emens predia, si nō habeat patrimonium, tempore assumpti beneficij præsumitur emisse de bonis Ecclesiæ, ac proindè Ecclesiastici iuris esse, *cap. Inquestigandum 1.* sinè Clericus ea acquisierit nomine Ecclesiæ, vel nomine proprio, *cap. 22. quæst 3. cap. 1. de pecul. Cleric.* licèt regularitèr ea, quæ emit beneficiatus ex redditibus beneficij, debeat emere nomine Ecclesiæ; ità desumitur *ex Concilio Agathen. cap. 54.* relato à Burchard. *lib. 3 decret cap 119.*

3 Bona empta à beneficiato è fructibus beneficij, non sunt ipsius, sed Ecclesiæ, in qua situm est beneficium. Seraphin. *decis. 194. num 9.* Si verò Clericus, qui acquisiuit, habebat plura beneficia; tunc illa bona, quo modo acquisita, debent diuidi inter Ecclesias, in quibus sunt fundata dicta beneficia per congruam, & proportionatam æstimationem, *cap. Relatum 2.*

4 Meliorationes factæ per beneficiatum in terris Ecclesiæ, suæ sunt vsque ad mortem, licèt dimittat beneficium, sed moriēs non potest illa relinquere in testamento, vel hæreditario iure, *cap. Si quis*, & ibi Abbas *num. 1. 2. 4.* & ibi etiam Innocentius *de peculio Clericorum*, Bursat *cons. 229 num. 43.* Expensæ tamen factæ in meliorandis rebus Ecclesiasticis de suo patrimonio tàm ipse, quàm eius heres repetere potest. Surd. *cons. 333. num. 31.* Paulus Comitol. *respons. moral. quæst. 82.* Si verò ex sua industria rem effecit meliorem; tunc nō potest repetere meliorata, sed ipsa cedunt.

5 Bona acquisita per Clericum habentem alia bona, aut officium, aut exercitium, vltrà beneficium, spectant ad ipsum Clericum, & de ipsis liberè disponere potest: Ratio, quia præsumitur priùs consumpsisse fructus beneficij pro alimentis, quàm proprios ex bonis patrimonialibus ex officio, seu exercitio. Hostien. *in cap. Cum in officie. num. 5. de testam.* & *in cap Episcopus num. 3.* & ex beneficio est auferendus victus, & vestitus Clerici, & aliæ expensæ necessariæ. Patrimonium verò ponetur integrum, nulla facta defalcatione victus. Abbas *in cap. Episcopus num. 3. de prebend.* Hostiens. *in cap. Cum in officijs num. 5.* & alij. Nam Clericus habens patrimonium, & beneficium, potest viuere de redditibus beneficij, & conseruare patrimonium, cuiusque fructus suis heredibus. Innocent. *in cap. Episcopus*, huiusmodi autem patrimonium remanet obligatum pro mala administratione facta, debitisque malè contractis super bonis Ecclesiæ, *cap. Quicumque, & ibi Glos. &c.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Clericus in quibus succedere possit.*
2 *An in feudo.*
3 *In quibus casibus possit succedere.*
4 *Feudum quando transeat in Monasterium.*
5 *Item bona fideicommissaria, &c.*
6 *Ecclesia, in Regnum succedere non potest*

1 Cleri-

1 CLericus in emphyteusi, Maioratu, Ducatu succedere potest, dummodo in constitutione non reperiatur exclusus: Ratio, quia Clericus cuiuscunque successionis capax est, nec iurisdictio, aut quæcunque temporalis potestas cum Sacerdotio repugnat, nisi in creatione emphyteusis, Maioratus, &c. apposita sit clausula, quæ Clericos à successione repellat, quæ tamen indubio præsumenda non est.

2 Regularitèr Clericus non succedit in feudo, *cap. Qui Clericus.* Felin. *cap. In præsentiā num.* 44. & alij citati à Belletto. *tit. de bonis Clericorum* §. 19. *num.* 2. maximè vbi feudum exigit de sui natura seruitium personale, quia seruitia personalia præstari non possunt per substitutum, tùm etiam, quia Clericus non potest esse in bello, atq; ità personalitèr seruire Domino, *cap. Clerici* 23. *qu.* 8. cap. *Ex multa* §. *de Clericis, de voto, &c.*

3 Dantur plures casus, in quibus Clericus potest succedere in feudo. Primus vbi ad feudum admittitur fœmina: Tunc ipse Clericus succedere potest, quia per substitutum seruire potest. Dec. *in cap. In præsentia num.* 291. Felin. *num.* 47. Secundus casus si feudum sit francum, & liberum, & exemptum à legibus pœnalibus feudorũ. Felin. *loco citato* 45 Natta *consil.* 600. & dicitur francum, & liberum, quia concessum fuit sine fidelitate. Dec. *cap. In præsentia num.* 293. Ecclesia enim succedit in feudo franco, itẽ & fœmina. Tertius casus, quando pro feudo debetur solùm seruitium reale, quia obligatio realis per alium præstari potest. Menoch. *consil.* 181. & communitèr omnes, etiamsi deberet seruitium personale, modò honestè per Clericum præstari possit, veluti commutare dominium in aduentum alicuius Principis, vel in accessu ad aliquem Principem, &c. Abbas *in cap. Præsentia num.* 69. Dec. *num.* 290. Archid. *in cap. Si qua mulier num.* 4. Baldus *in cap. Qua in Ecclesiarum num.* 23. Quartus casus, si feudum sit Ecclesiasticum, quia tunc Clericus illi succedere potest. Quintus casus, si sit hæreditarium, nam ab eo Clericus non repellitur; hoc enim ipso, quòd est hæreditarium, Vassalli industriam non exigit, quominùs per substitutum Vassallus inseruiat. Felin. *in cap. In præsentia n.* 48. Crau. *consil.* 875. *num.* 5. sunt etiam plures alij casus apud Auctores, &c.

4 Feudum, cuius seruitium est reale, aut personale, quod per Monachum, seù per idoneum substitutum præstari potest, in Monasterium transit, durante vita feudatarij professi: ità *in cap. Qui Clericus*, etiam si feudum Vassallos, & iurisdictionē habeat adnexam; & ità Syluest. *num. vltim in authen. nisi rogati, C. ad Trebellianum.* Siluan *cōs.* 3. *num.* 59. *lib.* 1. Rodriquez *in Compendio quæst. regular. resol* 66. *num.* 5. & alij.

5 Ecclesia, & Monasterium in bonis fideicommissarijs, durãte vita Religiosi, potest succedere; eo verò mortuo, ad familiam institutam transeũt, nec perpetuò in Monasterio remanere possũt, sed solùm vt dictum est, durante vita Religiosi vocati ad tale fideicommissum.

6 Ecclesia, & Monasterium in Regnum succedere nõ possũt: Ratio, quia est suprema dignitas, à qua omnes dignitates tẽporales dependent; & valdè indecens erit, si suprema dignitas per Ecclesiam, aut per Monasterium representetur; Tùm etiam, quia Rex habet aliqua onera, quæ per Monasterium, & Ecclesiam exequi nõ possunt, quod etiam idem dicendum est de Ducatu, & similibus dignitatibus supremis.

PARAG. II.
Textus Sacrorum Canonum, De Peculio Clericorum.

SVMMARIVM.

1 BEneficiatus emens prædia, si non habebat patrimonium tẽpore assumpti beneficij, præsumitur emisse de bonis Ecclesiæ, ac proinde Ecclesiastici Iuris sunt. *ex cap. Inuestigandum* 2. *de Peculio Clericorum.*
† Prælatus ea, quæ emit de bonis Ecclesiæ, debet emere nomine Ecclesię; aliter est remouendus ab administratione, *ex cap. Presbyter* 22.

2 Episcopus omnia, quæ post consecrationem acquisiuit, debet relinquere suæ
† Ecclesiæ, *ex cap. Vt vnusquisque* 3. Empta per Prælatum ex prouentibus Ecclesiæ, etiam nomine alieno, sunt Ecclesiæ, quia ista fraus nemini prodest, *ex cap. Inquirendum* 4.

3 Meliorationes factæ per Clericum in terris Ecclesiæ, veluti vineolæ, aut agelli, suæ sunt vsque ad mortem, licèt dimittat beneficium, sed moriens non potest illa relinquere alicui in testamento, vel hæreditario iure, nisi forsan Episcopus voluerit illa assignare alicui pro seruitijs factis Ecclesiæ, *ex cap. Si quis* 5.

TITVLVS VII.
De Testamentis.

SVMMARIVM.

1 TEstamentum definitur ab Vlpiano *in l.* 1. §. *de testam.* vt sit voluntatis nostrę iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa institu-
† tione hæredis: Quod duplex est; Vnum

in

in scriptis, seu clausum, eo quòd testator latere velit, quod in eo continetur. Alterum nuncupatiuum, eo, quòd Testator sine scriptura coram testibus declaret, & ob id appellatur testamentum apertum, vt notat Molin. *disp.* 136. Em. Sa *verb. Testamentum num.* 6.

2 Ad testamentum in scriptis requiritur, quòd testator sua ipsius manu, vel alterius cuiuscunque conscriptum septem testibus masculis puberibus ad id vocatis, omnibus simul præsentibus; ipsumque testamentum videntibus, offerat, protestando esse suum testamentum: insuper ipsemet sciat, aut possit, sua manu testamentum subscribat, aut alius pro eo, octauus testis, seu subscriptor adhibitus, & posteà testes omnes septem testamentum eodem continuo tēpore subscribere, & proprio, vel alieno sigillo consignare debent; imò omnes vno sigillo vti non prohibentur; ità habetur *in l. hac Consultis, C. de testam.* iuncto §. *Sed cum paulatim.*

3 Ad testamentū nuncupatiuū requirūtur septem testes masculi liberi, vel qui liberi reputentur, puberes rogati, seu inuitati, & debent simul audire, & intelligere vocē, & voluntatem testatoris scriptam, si testamentum condatur scriptura, vel viua voce expressa, si testamentum sine scriptura conficiatur; non tamen necessaria est subscriptio, aut sigillum, *leg. hac consultis* §. *nuncupatiuum C. de testam.* Molina *disput.* 126. V alq. *cap.* 1. *de testam.* §. 4. *num* 22. & alij.

4 Inter codicillum, & testamētum est hæc differentia, quòd in testamento instituitur hæres, in codicillo neque constituitur, neque admittitur, nisi alicui concessum sit priuilegium instituendi aliquem hæredē per codicillum, quale cōcessum est militi. *l. miles ff. de militum testam.* Secundò, in testamento requiruntur septem testes masculi rogati, & puberes; in codicillo verò sufficiunt quinque, siuè rogati, siuè non, siuè sint masculi, siuè sint fœminæ; ità Syluest. *verb. Testamentum* 2. *num.* 2. & alij.

5 Ad testamentum militare factum in Castris sufficiunt duo testes rogati, & hoc testamentum sustinetur per annum post iustam missionem, seu recessum ab exercitu; lapso verò anno, non sustinetur: quòd si miles obfugit à Castris, non gaudet hoc priuilegio, in pœnam enim fugæ priuatur priuilegijs: Ad testamentum vero militare factum in conflictu hostium, nulla requiritur solennitas, sed satis est, vt miles suam scripserit voluntatem in clypeo, vagina, vel re aliqua proprio sanguine, & eius manus probetur duobus testibus, etiā non rogatis Hæc ex iure ciuili communi.

6 Quilibet potest testari modo sufficientem habeat vsum rationis, & liberam bonorum administrationem, & non prohibeatur à iure. Prohibetur primò impuberes, idest masculus ante 14. annum, & fœmina ante 12. expletum. Secundò, carens vsu rationis, & furiosus, qui non habet lucida interualla. *leg. furiosus C. qui testamentum facere possunt.* Tertiò, filiusfamilias, qui si pubes sit, potest de bonis castrensibus, *l. nemo* 11. *C. qui testam.* & quasi castrensibus: Idem dicendum est de filia, hęc enim quādiù sub patris potestate existit, non potest testari de dote aduentitia. Quartò, testari non possunt, qui commiserunt aliquod delictum, cui iure adnexa est pœna, qua ipso facto sunt inhabiles, *l. si cui* 18. *&c.* vt sunt illi, qui insequuti sunt hostiliter Cardinalem, aut eum ceperint, aut percusserunt, aut qui ad hoc cooperati sunt, vt habetur *cap. felicis, de pœnis*: Item Hęretici, & Receptores, & Fautores eorum, si intrà annum non satisfecerint, vt patet *ex auth. credentes*, & damnati ad mortem naturalē, vel ciuilem, vt eiecti in exilium perpetuū, & damnati ad perpetuos carceres testari non possunt, nisi ad pias causas: Item damnati ob libellum famosum. Quintò, Religiosi, nisi ex concessione Summi Pontificis, testari non possunt: Clerici, qui sunt Religiosi possūnt testari ad causas profanas de patrimonio, & de alijs, quæ de suo labore, & industria congregarunt: De iis verò, quæ ex beneficiorum prouentibus congruenti sustentatione superfunt, si ius scriptum spectemus, testari nequeunt, neque ad pias causas: ex cōsuetudine tamen multis locis recepta, possūt de his ad opera pia testari. Sextò, Religiosus, cui bonorum administratio interdicta est, testari non potest. Instītur *Quibus non est permissum facere testamentum* §. *prodigus.* Septimò, surdus, & mutus a natura testari non potest ad causas profanas; secus si sit surdus, & mutus a casu, *l discretis C. eod. tit.* Molin. *disp* 136. Less *lib.* 2 *cap.* 19 *dub.* 19. *num* 8. Reginald. *lib.* 55 *num* 634 & alij communitèr. Vltimo, prohibetur, qui non potest articulatè loqui, itaut nequeat hæredem instituere, *l. iubemus C. eod. tit.*

7 Testamentum non potest licitè fieri ab excommunicato: Ratio, est ob communione illi prohibitam, quę necessariò facienda est in rogando Notario, testibus, &c. Valet tamen, si faciat, ex communi Doctorum sententia, *in cap. Veritatis, de dolo, & contumacia*, & *in cap. Decernimus, de sent. excomm. in* 6 Ratio est, quia nulla est lex irritans testamenta excommunicati, vel voluntatem testatoris: Testamentum autem habet vim ex voluntate testatoris, & cùm nemo prohibitus sit testari, non est denegandum excommunicato ob generalem communionis rationem prohibitæ.

PARAG I.

SVMMARIVM.

1 *Qui possint institui hæredes.*
2 *Filius naturalis an possit institui.*
3 *Spurij an succedant Matri.*
4 *Et quid de Spurijs.*
5 *Filius non potest à Patre exhæredari.*
6 *Nec filia, &c.*
7 *Potest Pater vni magis relinquere quam alteri filio.*

1 OMnes lege non prohibiti, possunt institui hęredes: Vndè infantes, amentes,

tes, ſurdi, prodigi, Religioſi poſſunt inſtitui heredes: prohibetur autem, ne heredes, vel legatarij inſtituantur heretici, Apoſtatę, Ciuitates hoſtium, *l. Omnium ff. ad Senatuſconſultum Trebell.* Iudæorum Communitas, Collegium, quod publica auctoritate erectum non eſt, *l. Collegia §. in ſumma ff. de illicitis Collegijs*: Item deportatus, vel ad metalla damnatus, *l. 3. ff. de ijs, qui pro non ſcriptis habentur*: Item ſpurius, ſiuè natus ex coitu damnato, & punibili, quia omnis ſucceſſio tàm in bonis paternis, quàm maternis incapax eſt, ſicuti conſtat *ex auth. licèt in fin. Cod. de naturalibus liberis*: Item occiſor teſtatoris, ſaltem per Iudicis ſententiam, priuari debet hereditate, ſicut docet Clarus *§ homicidium num. 22.* Similitèr vt dictum fuit, qui perſequuntur Cardinales, eoſque percutiunt, vel capiunt, *cap. Fœlicis, de pœnis in 6.* Vltimò, Fratres ſtrictioris obſeruantię S. Franciſci, & Capucini non poſſunt inſtitui heredes: poteſt tàmen in eorum fauorem hereditas relinqui, ſeù legatum, vt vẽdatur per alios, & Fratribus pretium tradatur. Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 3. num. 54.* Rodriq. *1. par. cap. 132.* & alij.

2 Filius naturalis poteſt à parentibus, qui non habent prolem legitimam inſtitui heres, relicta tamen aſcendentibus legitima, *l. Licèt Cod. de filijs natural.* Si verò filius naturalis non fuit inſtitutus heres à Patre non habente filios legitimos, non ſuccedit Patri ab inteſtato, præterquàm in ſexta parte, *auth. de heredibus ab inteſtato*, Molina *diſput. 186.* Syluest. *verbo Hereditas 1. num 2* Reginaldus *lib. 25. num. 626.* Em. Sà *verbo Hereditas num. 1. & 7.* & alij. Si verò Pater inteſtatus moriatur, relictis filijs legitimis, filius naturalis non ſuccedit in ſexta parte, quãquam habens filios legitimos, vel legitimatos potuiſſet filio naturali relinquere duodecimam partem. Cou. *2. par. de matrim. cap. 8. § 4. num. 9* Em. Sà *verbo Hereditas num. 6. & verbo Teſtamentum num 29.* & alij.

3 Matri non habẽti filios legitimos, filius naturalis ſuccedere poteſt, quãuis nõ confecerit teſtamentum: matri verò habenti filios legitimos ſuccedit filius naturalis ex æquo cum legitimis, vt *ex l. Si qua illuſtris Cod. ad Senatuſconſultum Orphicianam*, oſtendit Molina *diſp. 116.*

4 Spurij, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel partus, erat impedimentum dirimẽs, non poſſunt aliquid accipere à Patre, ſiuè ex teſtamento, ſiuè ab inteſtato, ſiuè ex contractu inter viuos, quia ipſi per leges facti ſunt incapaces, *l. Liber Cod. de natural. lib.* Cou. *de matrimonio cap. 8. §. 5. num. 5.* & alij: Item ſpurius non poteſt ſuccedere matri, etiamſi proles nulla alia ſuperſit; ſpurijs tamen debẽtur alimenta, ſi non poſſit ſe aliundè ſuſtentare, *ex cap. Cum haberet, de eo, qui duxit in matrimonium*, nec ius ciuile in contrarium ſeruandum eſt, vtpotè minùs conſentaneum pietati naturali: quare filiæ ſpuriæ debetur dos, quæ eſt loco alimentorum, etiamſi Pater eſſet Sacerdos, ex Nauarro *cap. Non licens.* Filius ſpurius legitimatus poteſt heres inſtitui, ſiuè factus ſit legitimus per matrimonium ſubſequens, ſiuè per priuilegium, vt tradit Cou. *cap. 8. §. 2. num. 28.* & alij: Imò ſi filius legitimatus fuiſſet præteritus in teſtamento, rumperet teſtamentum, niſi fortè fuiſſet legitimatus cum hac clauſula, *Vt nõ ſuccedat in hereditate, vel vt tantùm ſuccedat in aliqua parte.*

5 Filius non poteſt à Patre exhæredari abſque iuſta cauſa: cauſæ autem, ob quas poſſit exhæredari, ſunt ſubſequentes: Prima, ingratitudo, niſi filius redierit in gratiam Patris: Secunda, ſi delator contrà parentes extiterit: Tertia, eſt procuratio, ſeù attentatio mortis Patris: Quarta, ſi cum maleficis, vt maleficus, verſetur: Quinta, ſi copulam habeat cum Nouerca vxore ſui Patris: Sexta, ſi filius non ſuccurrat Patri furioſo: Septima, ſi filius ſit hæreticus, exiſtẽte Patre Catholico: Octaua, ſi filius impedierit Patrem, ne conficiat teſtamẽtum: Nona, ſi filius dilapidauerit bona parentum cum maximo diſpendio.

6 Filia non poteſt exhæredari eò, quòd matrimonium contraxerit, inuito Patre, vel cum indigno, quia hoc videtur repugnare libertati matrimonij, nec poteſt fieri ſtatutum, quo filij nubentes contrà voluntatem parentum, priuentur hereditate: ſi verò filia turpem vitam agat, priuari poteſt hæreditate. Sanchez *de matrim. lib. 4. diſp. 24.* Molina *diſput. 176.* Cou. *cap. Raynucius, teſtam. num. 21.* Reginaldus *lib. 20. num. 37.* & alij: Quod intelligendum eſt, dummodò filia ſit minor *25.* annis: Mater verò luxurioſè viuens, nõ poteſt exhæredare filiam, quia pari turpitudinis nota afficitur, niſi Mater correcta ſit tunc temporis, quo filiam exhæredat, quia tunc non dicitur laborare tali turpitudinis vitio.

7 Ex iuſta cauſa, poteſt Pater vni filio magis relinquere, quàm alteri; modò cæteri filij non priuentur legitima portione: Ratio, quia huiuſmodi bona ſunt propria ipſius teſtatoris, & teſtator poteſt habere iuſtam cauſam relinquẽdi plus vni, quàm alteri. Nauar. *cap. 17. num. 159.* Em. Sà *verbo Teſtamentum num. 27. verbo Legitima num. 8.* & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis poſſit quis ſubſtitui heres, &c.*
2 *Teſtamentum poteſt reuocari.*
3 *Clericus, de quibus poſſit teſtari.*
4 *Ad teſtamentum, quot teſtes requirantur.*
5 *Item pro relictis Eccleſiæ.*
6 *Vt teſtamentum ſit validum in foro conſcientiæ, quid requiratur.*
7 *Teſtamentum ad pias cauſas in alienum arbitrium referri poteſt.*

1 SEx modis poteſt quis ſubſtitui heres: Primò, ſubſtitutione vulgari: Secundo, pupillari: Tertiò, exemplari: Quartò, fideicommiſſaria: Quintò, reciproca: Sextò, compendioſa: Vulgaris eſt, qua quis à iure nõ prohibitus ſubſtitui poteſt à quouis: Pupillaris eſt, qua quis prole impube-

ri

ri in sua potestate constitutę aliquem cõstituat: cùm nemo possit ante pubertatem condere testamentum, iura concesserunt, vt Pater impuberis possit in loco illius testari in suo testamento, directè substituendo ei heredem, si ante pubertatem decesserit. Exemplaris est, qua filio amenti, vel muto, vel prodigo, cui interdicta est administratio, fit substitutio. Fideicommissaria est, qua heres grauantur, vt totam hereditatem, vel partẽ eius, vt dimidiã, aut tertiam alteri restituat, qui dicitur fideicommissarius; ità Gomez *cap.5.num.1.* Reginaldus *lib. 25. num. 629.* Molina *disput.282.* & alij. Compendiosa substitutio est, quę plures continet substitutiones quòad diuersa tempora. Substitutio reciproca, quę etiam breuiloqua dici solet, est, qua instituti sibi inuicem substituuntur, vt si testator dicat, *Instituo tales heredes, quos inuicem substituo.*

2 Testamentum regularitèr potest reuocari, & mutari vsque ad mortem: si verò testator iurauerit se non reuocaturum testamentum, peccat mortalitèr reuocando; ità Cou. *de testam. par.2.* & alij: Ratio, quia iuramentum seruandum est, quoties absque peccato seruari potest; in hoc autem casu seruari potest, valida tamen est reuocatio, & validum secundum testamentum; ità Cou. *loco cit. nu.46.*

Licèt Clericus non possit testari de bonis per Ecclesiam acquisitis, tamen quòad bona acquisita parcè viuendo, & suæ sustentationi extrahendo, secundùm opinionem multorum potest testari; ità Nauar. *de spolijs §.1.num.3.& §.8.num.7.* Victorel. *in annot.* Tolet. *in sum. lib. 5. cap.4.* Molina *de primogen. lib.2.cap.10.num.50.* Azor. *par.2.lib.8. cap.3. quæst.2.* Franciscus Leo *in thes. fori Ecclesiast. par.3.cap.3.num.16.* Lessius *lib.2.cap.4.num.35.* & alij: Item Clericus potest testari de quotidianis distributionibus iure acquisitis, quia dantur principalitèr intuitu personę, & non Ecclesię, propter diurnam operam, & seruitium, atque obsequium Ecclesię prętitum, vt docet Moneta *de distributionibus quotidianis par.1.qu.2.* & ità Azor. *par.2. lib. 7.cap. 9.* Rodriq. *quæst. regular. tom.3. quæst.74. art.5.* Redouanus *de spolijs quæst. 3.* Franciscus Leo *par.3.cap.3.num.27.* Vgolinus *de officio Episcopi cap. 19. §. 2.* Beletr. *tit. de bonis Clericorum §.6.num.17.* Fillino. *tract.43.quæst.10.* & alij.

4 Licèt regularitèr ad testamentum requirantur septem testes rogati, & vocati; tamen possunt dari casus, in quibus minor numerus testium sufficiat: Primò, quãdo in iure non possunt plures inueniri: Secundus, quando infirmus testatur coram Parocho, vel Principe, vel Iudice cũ duobus, vel tribus testibus. Cou. *cap. Cum esset, de testam. nu.13.& 15.* Syluest. *verbo Testam. 1. quæst. 5. num.5.* & alij.

5 Duo, vel tres testes sufficiunt pro relictis Ecclesię, vel legatis pijs; ità *cap. Relatum*, quia non requiritur solennitas iuris ciuilis, sed satis est solennitas, quę est de iure gentium, nempè vt duo testes adsint; ità Cou. *cap.11. de testam. num.9. §. testamentum quæst. 8.* Vndè in tali testamento fœmina potest esse testis, quia de iure gentium fœmina non repellitur: inualida tamen sunt legata ad causas profanas relicta in testamento confecto causa pietatis, absque solennitate à iure requisita, ità plures apud Bonacinam *de contractibus disp.3.qu.1.pun.3.nu.18.* Valida tamen sunt legata contentã in testamento inualido, ob defectum solennitatis; ità Cou. *cap. Relatum 1. de testam. num 3.* & alij: Ratio, quia *in cap. Relatum* habetur, relicta ad pias causas valida esse, quamuis nõ seruetur ius ciuile, & per consequens, legata in testamento profano minùs solenni, valida sunt.

6 Vt testamentum sit validum in foro cõscientię, non sunt necessarij testes; ità Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 2. num.7.* Molina *tom.1. tract.2. disput.137.* Layman. *lib.3 tract.5. num.5.* & alij: Ratio, quia in his testamentis non requiritur solennitas iuris ciuilis, aut iuris gentium, sed satis est id, quod iure naturali est sufficiens, & quod aliquo signo externo sciatur, talem esse voluntatem testatoris: Vndè heres, qui per schedulam, vel scripturam indubitatam defũcti, vel quia eum audiuit, scit ipsum statuisse, quòd res aliquę dentur in pios vsus, obligatur in conscientia exequi, quamuis id non possit probari. Ioannes de Imola, *si quis cum testam. num.5 & 6 ff. de testam.* & alij.

7 Testamẽtum ad pias causas in alienum arbitrium conferri potest; ità *cap. Cum tibi*, Bartol. *l. 1.num.64. Cod. de sacrosanct. Ecclesijs*, & communitèr omnes: Ratio, quia iure gentium talis dispositio est valida, vt colligitur *ex cap. Cum tibi de testam.* Vbi Innocẽtius III. dicit, *Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.*

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 Testamentum ad pias causas illud dicitur, quando heres est pia causa, aut quando substitutionis via, hæreditas deuenit ad pias causas.

2 Omnes ad pias causas testamenta condere possunt, qui de iure communi testari non prohibentur: Vndè filius-familias de bonis aduentitijs, absque consensu Patris testari nõ potest ad pias causas; Patre verò consentiente, testari non prohibetur: Impubes etiamsi doli sit capax, non potest testari ad pias causas, nec vsurarij, cùm non possint testari, *ex cap. Quamquàm, de vsuris in 6.* nisi posita cautione priùs de satisfaciendo, idcircò nec ad pias causas testari possunt, nec etiam alij, qui regularitèr de iure communi testari non possunt, vt suprà dictum fuit.

3 Si moriturus cœpit facere testamentum

ad pias causas, & morte præuentus non absoluit, valet quoad relicta pia, quæ in sua illa perfecta dispositione iam expressérat, dummodò appareat ex verbis testatoris, eum habuisse eam voluntatem pro perfecta, & absoluta, quia tunc Doctores admittunt æquiuocationem Notarij, &c. non efficere quo minùs subsistat testamentum; secùs verò si appareat, testatorem non habuisse voluntatem perfectam relinquendi.

4 Ad pias causas valet testamentum nutu conditum; ità Cardinal. De-lugo *de iustit. tom. 2. disput. 22. sect. 9. num. 269.* Molina *tom. 1. tract. 2. disput. 134.* Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 2. num. 3.* Et si iure ciuili, hæredis declaratio nutu facta irrita sit, *leg. Iubemus Cod. de testam.* non tamen legatum, sicuti cōstat *ex lege nutu ff. de leg. 3.* tamen quod attinet ad pias causas, tàm in testamento, quàm in legato, sufficit quocumque signo externo voluntatem defuncti declaratam esse, quia iure naturali, ac gentium, plus non requiritur.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Tempore pestis, quot testes requirantur ad testamentum.*

† *Testator an debeat videri, & audiri.*

2 *Milites nostri temporis gaudent priuilegijs antiquorum.*

3 *Item illi, qui in Castris reperiuntur.*

1 Tempore, pestis non sunt necessarij septem testes, sed sufficiunt quinque; Em. Sà *verbo testamentum num. 12.* Mascard. *de probat. conclus. 258. num. 213.* Imò in testamento tempore pestis confecto sufficit solennitas iuris gentium, & ideò coram duobus, vel tribus testibus valet, & tempore pestis, fœminæ possunt esse testes. Sotus *in tract. de testibus par. 1. num 21.* Thesaur. *decis. 180.*

† An sit necesse, tempore pestis, quòd testes audiant solùm vocem testatoris; an verò necesse sit, quòd audiant, & videant; Prima sententia est, sufficere, quod vocem audiant, si vocem testatoris notam habeant: Secunda sententia est, in testamētis, & vltimis voluntatibus nō sufficere, quòd vocem audiant, sed debere etiam testatorem videre, & cognoscere; adeò vt si inter testatorem, & testes esset interpositus paries; illud testamentum non valeret, quia necesse est; vt testes in conspectu testatoris, testimonij officio fungantur, ad euitandas fraudes: & falsitates, quæ possent contingere, & ità communiter Doctores, & hæc solennitas non cessat, tempore pestis, cùm maximè ad euitandas fraudes, & falsitates, eo tempore requiratur. Testamentum verò, tempore pestis conditum, coram duobus, vel tribus testibus; si is, qui peste decumbit, reconualescat, est validum; ità Ripa *in tract. de peste cap. 2. de priuilegijs vltimæ voluntatis*, Mascardus *de probat. conclus. 13. 23. num. 18. & consil. 1358. num. 25.* & alij.

2 Milites nostri temporis, in condendis testamentis, gaudent priuilegijs antiquis militibus à iure concessis: Ratio, quia eadem ratio concessionis priuilegij militat in militibus nostri temporis, ac in antiquis, *leg. Milites 31. Cod. de locato*, Boër *in tract. de bello, & duello lib. 1. cap. 28. num 28.* & alij. Requiritur tamē primò, vt actu sit miles, & actu in expeditione versetur. Bocrius *loco cit. cap. 26. nu. 18.* Secundò, valet testamentum militis, qui in Castris vulneratus, & ad domum delatus coram, duobus testibus testatur Reusner *tract. de testamentis par. 5. cap. 4. num. 14.* Sunt etiam plures alij casus, de quibus Reusner *loco cit.* videri potest.

3 Non modo milites, sed etiam qui in Castris reperiuntur, licet non sint milites, modò in loco hostili sint, gaudent iisdem priuilegijs; ità Villabos *in sum. tom. 2. tract. 30. difficult. 3. num. 11.* Molina *de instit. tom. 1. tract. 2. disp. 129.* secus autem si non sint in loco hostili Molina *loco citato*

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Heres tenetur soluere debita realia defuncti.*

2 *Item legata ab ipso relicta.*

3 *Quid agendum, quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum pro omnibus, &c.*

4 *Vota sunt præferenda legatis.*

5 *Et quid quando hæreditas non sufficit ad satisfaciendum pro omnibus votis.*

1 Hæres tenetur soluere omnia debita realia defuncti: Ratio, quia hęres personam defuncti repræsentat, *leg. Hæres ff. de vsucapione*, quod intelligēdum est, postquàm adiuit hæreditatem: & ideò hæres habet tres menses ad deliberandum, nùm velit hæreditatem adire, nec intrà tale tempus potest ei afferri molestia à creditoribus, vel legatarijs; ità Em. Sà *verbo Hæreditas 34.* Reginald. *lib. 25. num. 627.* & alij.

2 Non modò hęres tenetur soluere debita realia defuncti, verùm etiam legata ab ipso relicta: Ratio, quia per acceptationem hæreditatis, censetur inire contractum cū defuncto, quòd fruendo commodo hæreditatis, etiam sentiat incommoda, & onus soluendi legata.

3 Quando verò hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum pro omnibus debitis, & legatis; tunc priùs satisfaciendum est debitis certis, quàm incertis; debitis contractis ex contractu, quàm ex delicto; priùs debitis onerosis, quàm gratiosis; & priùs creditoribus relictis habentibus hypothecam, quàm creditoribus personalibus, hypothecam non habentibus: legatis verò satisfaciendum est ad ratam, si hæreditas non sufficiat ad satisfaciendum pro omnibus.

4 Vota sūt præferenda legatis, etiam pijs, detractis expensis funeri necessarijs: Ratio, quia hæres succedit in locum defuncti; cùm autem defunctus non teneretur ad soluenda legata, quæ ipse constituit, teneretur tamen ad vota, sequitur, hæredē debere,

debere etiam præferre vota legatis. Sanchez *in sum. lib. 4. cap. 13. num. 39.* Vota tamen non sunt præferenda debitis ex iustitia, nã vota persoluenda sunt ex bonis hæreditatis, bona autem hereditatis dicuntur ca, quæ supersunt, deducto ære alieno, *l. Mulier bona §. de iure gentium*, ergò debita ex iustitia præferenda sunt votis.

5 Quando verò hæreditas non sufficit ad persoluendum pro omnibus votis, tunc hæres, si cognoscit, quodnam sit votum de re meliori, debet illud exequi; si verò non cognoscit, quod sit de re meliori, debet persoluere illud, quod priùs fuit emissum, quòd si nesciat, quod priùs fuit emissum: & constat, omnia vota esse æquè bona, tũc electio datur hæredi, vt quod vis illorum impleat, cùm non sit potior ratio, cur vnum potiùs, quàm alterum implere cogatur; modò nesciat, alterum vororũ fuisse acceptatum, quia si id sciret, illud deberet anteponere, quia per acceptationem censetur acquisiuisse ius, vt hæres maiorem obligationem habere acceptandi illud.

PARAG. VI.
Textus Sacrorum Canonum. De Testamentis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus de quo patrimonio possit testari?*
2 *Res Abbatissæ cui competant?*
3 *Testamentum nudis verbis relictum, est exequendum.*
4 *Clerici mortui bona, per Ecclesiam acquisita, cuius sint?*
5 *Testamentum factum coram Presbytero, & duobus testibus, &c. tenet, licèt, &c.*
6 *De proprijs potest Clericus testari: non ità de acquisitis per Ecclesiam.*
† *Episcopus de relictis Ecclesiæ, an aliquid petere possit.*
7 *De bonis Patris, &c. quilibet participat.*
8 *Episcopus, an possit compellere executores testamentorum ad bona in pios vsus impendenda.*

1 Episcopus solùm potest testari de illo patrimonio, quod habuit ante consecrationem, sed quidquid anteà erat Ecclesiæ, vel quæ acquisiuit Episcopus, pertinent ad dominium Ecclesiæ, & non potest de eo testari: quòd si alicui relinquit, est reuocandum, *cap. Quorumdam 1. de testamentis, &c.*

2 Res Abbatissæ, de iure communi competunt eidem loco, ex quo egressa, & Abbatissa constituta est, licèt non portauerit habitum Monachalem, *ex cap. Quia ingredientibus 2.* Testamenti execurio, si infrà annum non fit à die monitionis per debitem exequi, deuoluitur executio ad Episcopum, *ex cap. Nos quidem 3.*

3 Legatum, quamuis nudis verbis à testatore relictum, est exequendum, *ex cap. Indicante 4.* Testator, quando legat rem non suam, sed alienam, hæres licèt secundùm legem sæculi cogatur soluere æquiualẽs, non tamen secundùm leges Dei, *ex cap. Bilius 5.* Hæredi, qui non implet intrà annum voluntatem testatoris, interdici debet ab Episcopo hæreditas cum fructibus, *ex cap. Si heredes 6.*

4 Clerici, siuè moriatur intestati, siuè cum testamento, bona eorum acquisita per Ecclesiam, sunt Ecclesiæ, *ex cap. Cum officys 7.* Clerici licèt de mobilibus acquisitis per Ecclesiam testari non possint, tamen in ægritudine constituti, viuentes moderatas eleemosynas facere possunt, *cap. Ad hæc 8.* Clerici de acquisitis intuitu personæ, & sanguinis, & de bonis hæreditarijs testari possunt, sed de acquisitis intuitu Ecclesiæ tstari non possint, *cap. Quia nos 9.*

5 Testamenta, quæ fiunt coram Presbytero, & duobus, vel tribus testibus, valent, etiamsi non addita sit solẽnitas iuris humani; & qui rescindit talia testamenta, est excommunicatus, non obstante consuetudine contraria, *ex cap. Cum esses 10.* Duo, vel tres testes sufficiunt pro relictis Ecclesiæ, vel legatis pijs, quia non est iudicandũ secundùm leges, sed secundùm Canones, *ex cap. Relatum 1. 11.*

6 Clericus potest testari de proprijs; in acquisitis verò per Ecclesiam, succedit Ecclesia, vel successor: potest tamen aliqua seruientibus, vel pauperibus elargiri: si autem defunctus habet plures Ecclesias, fiet æqua diuisio inter illas, *ex cap. Relatum 2. 12.* Testamentum ad pias causas in alienum arbitrium conferri potest, *ex cap. Cum tibi 13.*
† Episcopus de relictis Ecclesiæ quartam petere potest, licèt aliquid à testatore fuerit illi relictum, *ex cap. Officy 14.* Relictum Episcopo, contemplatione personæ, non diuiditur cum Ecclesia Cathedrali; secùs verò si contemplatione Ecclesiæ, *ex cap. Requisistis 15.*

7 In bonis Patris, Matris, & Auiæ, quilibet habet tertiam partem sibi debitam iure naturæ, nec potest Pater eam grauare, *ex cap. Raynucius 16.*

8 Episcopus potest compellere executores testamentorum, vt bona fideliter impendant in pios vsus, secundùm voluntatem testatoris, quamuis ipse prohibuisset hoc ipsum, *ex cap. Tua nobis 17.* Filius rogatus restituere hæreditatem in morte, potest detrahere tertiam iure naturæ, & quartam Trebellianicam, in quibus potest legata relinquere, hæredes instituere, pœnam imponere, *ex cap. Raynaldus 18.* Executores testamenrarij, postquàm acceptarunt, debent cogi ab Episcopo, vt exequantur testamentum, si sint negligentes, *ex cap. Ioannes 19.*

TITVLVS VIII.

Apud quem sit dominium rerum temporalium Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Dominium quid, & quotuplex.*
2 *Quotuplex sit Ius.*
3 *Actio realis quæ, & quot modis contingat.*
4 *Ad acquisitionem Dominij quæ requirantur.*
5 *Titulus acquirendi Dominium, quotuplex.*
6 *Dominium an quandoq; possit acquiri sine traditione rei.*

1 DOminium est facultas, seu ius disponendi de re aliqua corporali, nisi lege prohibeatur: & duplex est, vnum iurisdictionis, & aliud proprietatis. Dominium iurisdictionis est potestas gubernādi suos subditos: actus autem huius iurisdictionis sunt, præcipere, prohibere, &c. Dominium proprietatis est facultas disponendi de re aliqua tamquam sua in suū commodum: quod etiam duplex est, plenum, & non plenum: plenum est quod proprietatem rei, & eius emolumenta cōtinet, seu quod comprehendit proprietatem, & commoditatē ipsius rei; & idcircò dicitur perfectum: non plenum dicitur quod tantùm habet vel proprietatem rei absque emolumentis vel emolumenta absque rei proprietate; & idcircò dicitur imperfectum: similiter aliud est directum, & aliud vtile: directum est quod continet solam proprietatem rei, vt est dominium quod Princeps habet in feudis, & Dominus rei in emphyteusim: Dominium verò vtile continet solùm commoditatē rei, & vtilitatem: tale est quod habet qui rem in feudum, vel emphyteusim accepit.

2 Ius est etiam duplex, vnum in re, & alterum ad rem. Ius in re dicitur, quod tribuit actionem realem: Ius ad rem dicitur illud, ex quo descendit actio, seu obligatio personalis: dicitur etiam ius personale, quia proxime tendit in personam ex contractu obligatam, vel ex delicto, quia contrà ipsam habet ius petendi, v. g. mutuum, aut compensationem damni lati.

3 Actio realis est quæ adhæret rei; quod pluribus modis competere potest. Primò ratione dominij directi, siuè sit separatū ab vsufructu, vel non: Secundò, ratione dominij vtilis, vt est quæ competit, Vassallo emphyteotæ, &c. Tertiò, ratione quasi dominij, vt est, qui possidet rem à non Domino emptam, quando non omninò vsu cœpit: Quartò, ratione seruitutis, vt quando quis confitetur, seu prætendit, seruitutem sibi in re alterius competere, videlicet aut per alienum fundum ire, &c. Quintò, ratione pignoris, seu hipothecæ per quam locator contrà quemuis possessorem agit ad res suas recuperandas, quæ obligatio dicitur tacita hypothecæ.

4 Ad aquisitionem dominij, duo principaliter requiruntur. Primò, titulus: Secundò traditio: Titulus est veluti quædā radix, siuè origo, siuè ratio fundandi dominium, vt legitima electio ad beneficiū Ecclesiasticum est iusta causam aquirendi dominium beneficij: per titulum aquiritur solùm ius ad rem, siuè actio personalis: vt verò aquiratur ius in re, præter titulum, requiritur etiam traditio ipsius rei, atque ipsius rei apprehensio.

5 Titulus aquirendi dominium, duplex est, vnus verus, & alter præsumptus: Titulus verus est, quo quis verè, & realitèr, rem quam possidet iusto titulo possidet, vt titulo donationis, hæreditatis, electionis, &c. Titulus præsumptus est, quo quis rem sibi traditam, vel venditam putat esse illius, qui eam dedit, aut vendit, & per consequens putat ipsam lustè possidere, & illi competere ius alienandi: qui autem absque titulo vero, vel præsumpto rem possidet tamquam suam, is malę fidei possessor dicitur.

6 Dominium aliquando acquiritur absq; traditione ipsius rei, sed solùm collatione, & acceptatione, quæ etiam absentibus fieri potest, & aquiritur ius in re, & quasi dominium, v. g. beneficij Ecclesiastici ante eius apprehensionem: similitèr etiam sola additione, & acceptatione hæreditatis, hæres aquirit dominium bonorum defuncti ante eorum apprehensionē, ac possessionem, *l. cum heredes ff. de aquir. possess.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Titulus dominij quomodo ab ipso dominio distinguitur.*
2 *Quorundam sententia, de distinctione tituli à Dominio, &c.*
3 *Dominium, & Ius quomodo distinguantur.*

1 TItulus dominij distinguitur ab ipso dominio, sicuti causa distinguitur ab effectu. Sotus *lib. 4. quæst. 1. artic. 1.* Molina *tom. 1. de iustitia disput. 4.* Bannes *2. 2. quæst. 72. artic. 1. & 2.* & allij Ratio, quia dominium est facultas disponendi liberè de re aliqua, & titulus est principium, basis, & radix, & veluti causa moralis, & fundamentalis, quo nascitur hoc dominium; vndè possidenti aliquid solet dici, quòd titulum ostendat, v. g. emptio, donatio, &c. sunt radices, seu fundamēta, quibus res de nouo possideatur cum per hos contractus transferatur dominium.

2 Plures Doctores Parisienses refert Conradus *tractat. 1. de contract. quæst. 1. conclus. 4.* tenent, dominium, & titulum dominij non distingui, quod etiam affirmant de vsu, & titulo vsus; de vsufructu, & titulo vsufructus: Ratio eorum est, quia existimabant, titulum dominij, v. g. domus, esse ius, & facultatem quam habet Dominus in illam; hoc autem ius est quoque dominium, ergò, &c.

3 Dominium, & ius formalitèr, & essentialitèr distinguuntur, cùm non quicumque habet ius in re aliqua, dicatur habere dominium: vndè mulier habet ius, ex Apostolo *ad Corinth. 7.* in virum, & tamen

suprà

suprà virum non habet dominium; & similitèr vir in vxorem, qui non tamen est Dominus, nec ipsa ancilla viri, sed socia; licèt in his, quæ spectant ad gubernationem domus debeat obedire marito: & in hoc sensu dicitur *Genes. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*; quia in regimine domus, & ad vsum coniugalem, vxor debet obedire marito. Sotus *lib. 4. quæst. 1. artic. 1.* & alij. Deinde Prælati habent ius in subditos, & tamen non sunt Domini illorum, ergò non omne ius est dominium, & per consequens, dominium non est idem formaliter quod ius; & est omnium Theologorum, & Canonistarum communis opinio.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Vsus, quid.*
2 *Quæ differentia inter vsu-fructuarium, & habentem vsum rei tantùm.*

1 Vsus est ius vtendi re aliqua, salua eius substantia: dicitur, salua substantia, quia ex hoc distinguitur ab alijs, quæ vsu consumuntur, cùm in his non cadat propriè vsus.

2 Hæc est differentia inter vsufructuariū, & habentem solùm vsum rei, quòd vsufructuarius non modo potest colligere fructus ex re aliena, sed etiam ipsos, & rem ipsam in alios transferre, donatione, locatione, vel emptione, &c. Qui solùm habet simplicem vsum rei, nō potest illam alteri locare, vel etiam gratis concedere: vndè, qui potest vti domo, &c. non potest eam alienare, vel habitationem alteri concedere; ità Syluest. *verb. Usus.* Clauis-Regia *lib. 9. cap. 3. num. 7.* Verùm quando absolutè domus alicui legata est ad habitandum, cōcessum videtur plus aliquid, quàm merus vsus ædium, nimirùm etiam quoddam ius domus etiam locandi, vel alteri concedendi locationem, & etiam percipiendi ex locatione pretium; iuxtà *l. Cum antiquitas cap. de vsufructu*, & Instit. *de vsu, & habitat. §. quod si cui.*

PARAG. III

SVMMARIVM.

1 *Usus-fructus, quid.*
2 *Vsus-fructus quot modis acquiratur.*

1 Vsusfructus est ius vtendi, aut fruendi re aliena, salua eius substantia; ità *l. de vsufructu*, Instit. *de vsufructu*, Molina *disput. 2.* & alij: Dicitur primò ius, quia non est vsus-fructus actualis ius, qui dicitur vsusfacti, sed ius in actualem vsum, quia in hoc loco sermo est de vsu-fructu, sumpto pro iure, non pro ipso actu fruendi re concessa ad vsum-fructum: Secundò, dicitur ius vtendi, vt excludatur ius, quod habet creditor in pignore, vel hypotheca, aut depositarius in deposito, qui non possunt vti rebus illis sine licentia; & si vtantur, inuito Domino, tenentur ei restituere æstimationem vsus: Tertiò, dicitur fruendi, quia nō solùm vsu-fructuarius potest vti re ipsa, verùm etiam ex ipsa re potest colligere fructus, vt v. g. creditor depositarius hypothecarius non potest fructus ex re deposita, seu in hypothecam, vel in pignus data, cùm res suo Domino fructificet, percipere. Verùm si creditor erit etiam vsufructuarius, non modò poterit re ipsa vti, verùm etiam fructus ex ea colligere, cùm non modò ius habeat vsu-fructuarius vtendi re ipsa, sed etiam fruēdi, idest percipiendi omnes fructus, ità vt ex eo ipso, quo eos colligit, acquirat dominium plenum eorum: si tamen vsufructuarius moriatur, antequàm fructus collegerit, etiā si sint maturi, erunt Domini proprietatis sui fundi, non verò hæredum vsu-fructuarij, vt habetur Institut. *de rerum diuis.* quia cùm adhæreant fundo, censentur vna res cum ipso fundo, & per consequens pertinent ad Dominum fundi: si verò fuerint collecti, idest à solo separati, erunt ipsius vsufructuarij, cùm per electionem acquisiuerit eorum plenum dominium: fructus autem in grege dicuntur lana, fœtus, lac, &c. proles ancillæ non computatur inter fructus, ob dignitatē prolis, seu naturæ: Quartò, dicitur, in rebus alienis, vt excludatur ius vtendi, & fruendi, quod quisque habet in re sua: Quintò, salua rerum substantia, quia, vsu-fructuarius debet rem integram proprietario seruare; Vndè vsus-fructus propriè dictus non potest constitui in rebus, quę vsu consumūtur, vt in vino, oleo, frumento, &c. tamen vtilitatis gratia potest in ijs constitui quasi vsus-fructus, & quia vsus-fructus non potest à re ipsa distingui, hinc est, quòd eorum dominium transferatur in vsu-fructuarium; Vndè debet dare cautionem, se præscripto tempore restiturum, quæ accepit, vel ipsorum æstimationem.

2 Vsus-fructus duobus modis acquiritur: Primò, vt ordinatione, seu statuto legis, & hic modus dicitur legalis, vt est, quē habet Pater in peculio aduentitio filij, quamdiù filius est sub Patris potestate: Secundò, priuata auctoritate, vt testamento, pactionibus, stipulationibus, &c. vt habetur Instit. *de vsu-fructu*, qui dicitur conuentionalis.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Usus-fructus quot modis amittatur.*

1 Pluribus modis amittitur vsus-fructus alicuius rei: Primò, ob mortem ipsius vsu-fructuarij, vel per cessionem vsusfructus ab vsu-fructuario factam proprietario rei, vel etiamsi proprietarius transferat dominium rei in vsu-fructuario, quo pacto dicitur vsus-fructus formalis, & dicitur vsus-fructus causalis: Secundò, si res ipsa pereat, vt si vsus-fructus, v. g. sit domus incendio combusta, & si molēdinum ipsum per aquarum inundationem dirutum

tum sit: Tertiò, si tantoperè non vtatur suo iure, quantum opus est, vt dominus directus contrà eum præscribat: Quod autem spatium temporis requiratur, infrà dicetur: Quarto, per maximam capitis diminutionem, vt quando vsu-fructuarius ob sua delicta amittit libertatem, vel exilio proscribitur, quod tribus casibus fit: Primò, quando ad mortem, ad bestias, vel ad metalla condemnabatur: Secundò, quando libertus ingratitudinis in Patronum condemnabatur, ob quod in seruiturem denuò reuocabatur: Tertiò, quando patiebatur vendi, vt esset particeps pretij. An quãdo vsu-fructuarius profitetur Religionem vsus-fructus redeat ad proprietarium, an verò acquiratur Monasterio: Respondeo non cedere proprietatio, sed transire ad Monasterium, si erit capax hereditatis, & successionis; si verò Monasterium non erit capax, cedet proprietario: Quintò, si vsu-fructuarius factus erit hæreticus, amittet vsum-fructum rei.

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Rerum triplex differentia.*
2 *Vsus rei quotupliciter consideretur.*
3 *Ius vtendi re aliqua, quotupliciter possit concedi.*
4 *Qui-nam rerum vsus nec distinguatur ab ipsarum dominio.*
5 *Vsus rerum consumptibilium, quotuplex.*

1 Res sunt in triplici differentia; quędam sunt, quæ vsu non consumuntur, vt v.g. domus, &c. aliæ sunt, quæ vsu consumuntur, vt v, g. frumentum, vinum, &c. Tertiò, aliæ sunt, quæ & si consumantur vsu, non tamen consumuntur vnico actu, sed pluribus, & frequentatis actibus, & in tempore. Res primo, & tertio modo cõsideratæ, communitèr à Doctoribus dicuntur non consumptibiles vsu; res verò secundo modo consideratæ, dicuntur consumptibiles vsu: In rebus primo, & tertio modo consideratis, vsus distinguitur à dominio, & per consequens vsus potest esse apud vnum, dominiũ apud alterum, v.g. vsus domus apud vnum; dominium apud alterum: quod idem dicendũ est de rebus, quę & si vsu paulatim consumantur, non tamen vnico actu atritę pereunt.

2 Vsus rei duplicitèr consideratur: Primò, quatenùs dependet à proprio iure: Secundò, quatenus depẽdet à facultate alterius, qui vsus facti dicitur, & simplicitèr à dominio rei distinguitur, quo pacto conuiuæ innitati ad edendum, vsum habent ciborum, & qui eos inuitauerunt, dominium.

3 Duplicitèr alicui potest concedi ius vtẽdi re aliqua, irreuocabilitèr, & reuocabilitèr: quando vsus vtendi aliqua re conceditur irreuocabilitèr, nõ videtur multum differre à dominio; quando verò conceditur reuocabilitèr, & dependẽtèr à voluntate concedentis, ità vt quouis momento possit reuocari absque iniuria vsuarij, sine dubio distinguitur vsus à dominio, cũ dominium sit ius in re absolutum, & firmũ non dependentèr ab alterius nutu; & tale est dominium, quod habent Religiosi in rebus concessis à Superioribus, non enim ità conceditur illis ius vtendi, quin ad nutum reuocari possit, cùm ratio paupertatis Religiosæ hoc intrinsecè includat.

4 Vsus rerum, quo ipsæ consumuntur, nõ distinguitur à dominio; ità D. Thomas 2.2. *quæst.* 78 *art.* 1. Aragonius 2.2. *quæst.* 78 *art.* 1. & 2. Turre-cremata *lib.* 1. *sum. cap.* 112. Syluester *verbo Dominium*, & alij: Ratio, quia nemo potest vti illis rebus, nisi eas consumendo, vt patet in pecunia, pane, & similibus qui enim facultatem concedit alicui eas res consumendi, nullum ius, aut potestatem sibi, aut alteri relinquit, ratione cuius intelligi possit retinere aliquod dominium eiusmodi rerum. Sotus *lib.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. Molina *tom.* 1. *de iustitia disput.* 6. Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 10. *pun.* 1. & alij plures tenent, in rebus vsu cõsumptibilibus, vsum distingui a dominio, & sic concludunt, dominium alicuius rei consumptibilis posse esse penès vnum, & vsum penès alterum: quam sententiã amplectuntur Fratres Minores, vt infrà dicetur, qui dicunt, esse meros fructuarios rerum, quas possident, & dominium earum spectare ad Summum Pontificem: sed hoc debet intelligi respectu eorum, quæ vsu non consumuntur.

5 Duplex est vsus rerum cõsumptibilium, iuris, & facti: vsus iuris est vsus in habitu, seu ius vtendi huiusmodi rebus: vsus facti est vsus in actu, qui est ipsa actualis rei consumptio.

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Possessio vndè dicta.*
2 *Possessio facti, quid.*
3 *Possessio iuris, quid.*
4 *Quotupliciter possit aliqui possideri.*
5 *Requisita ad acquisitionem possessionis.*

1 Possessio dicitur à pedum positione, vt habet *leg.* 1. *ff. de acquirenda, vel amittenda possessione*, nam per pedum impositionem super bona immobilia, vt super agrum, vel fundum, solet acquiri possessio; vndè actus possidendi dicitur possessio facti, ius verò possidendi dicitur possessio iuris.

2 Possessio facti est detensio rei corporis, & animi, & iuris adminiculo; ità Syluest. *verbo Dominium quæst.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 40. & alij, siue possessio facti est detentio rei corporalis, vel apprehensio adminiculo corporis, animi, & iuris. Nomine rerum, veniunt non modo res corporales, sed etiam res incorporales, vt sunt cẽsus, beneficium, &c. quæ à Doctoribus dicuntur etiam possideri, licèt à iuris-peritis dicantur solum quasi possideri. Nomine detentionis intelligitur etiam apprehensio prima, quæ ordinaria requiritur, quæ est possessionis inceptio, & acquisitio dicitur etiam corporis adminiculo, quia vt res-

res aliqua incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi, idest manibus, vel pedibus, &c. in se, vel in alio, in quo censeatur contineri: dicitur, animi adminiculo, quia debet rem apprehendere animo possidendi eam: vndè depositarius nō dicitur possidere depositum, quia illud non accepit, nec detinet animo possidendi illud; Additur etiam, iuris adminiculo, nō quòd omnis possessio facti sit iusta, sed quia facit, vt talis detentio sufficiens censeatur ad constituendam possessionem, nec eam impedit, sicut impedit, ne detentio rei sacræ facta à Laico, censeatur possessio.

3 Possessio iuris est ius insistendi alicui rei tamquàm suæ, non prohibitæ possideri; ità Bartolus *in l. 1. de acquir. vel amitten. possessione*, Couar. *ad regulam possessor par. 2 num. 3.* Filliuc. *de dominio rerum cap. 3. num. 83.* Dicitur primò possessio iuris, ius, vt excludatur possessio facti, quæ formaliter est ipsa occupatio, seu detentio rei, ex qua hoc ius oritur: Secundò, insistendi rei, vt excludatur dominium, quo per se, & formaliter tantùm est ius disponendi de re: Tertiò dicitur, tamquàm suæ, quia si quis insistat rei nomine alterius, non dicetur verè possidere: vndè tutor non potest dici possessor rerum pupilli, quia illis non insistit tamquàm rei propriæ, sed tàquàm alienæ. Vltimò, dicitur, rei nō prohibitæ possideri, quia ad hoc vt res possideatur, non debet à iure prohiberi; vndè vasa sacra, beneficia Ecclesiastica, &c. non possunt à Laico possideri, quia à iure prohibentur.

4 Dupliciter aliquid potest possideri: Primò, ratione alicuius tituli, & bona, fide, vt quando quis existimat bona fide rem, quam possidet, esse suam, nihil in contrarium dubitando: Secundò, mala fide, vt quando scit, rem, quam possidet, non esse suam, vel de ipsa habet dubium, quia licèt dubium non constituat malam fidem, tamen est principium malæ fidei: diuiditur etiam possessio in ciuilem, & naturalem: Ciuilis est, qua res solo animo detinetur, vndè qui abest à rebus suis, dicitur ciuiliter eas possidere, solo animo eas retinendo: Naturalis est, qua corpore simul, & animo res detinetur, vt quando quis occupat rem suam.

5 Ad acquisitionem possessionis tria requiruntur, corpus, animus, & ius, vt docet Syluester *verbo Dominium 7.* Vndè animus, & ius ex proposita definitione satis colliguntur: per corpus verò, aliqua corporis apprehensio intelligitur, licet pro eo tempore, quo apprehensio fit, nullum possessionis censeatur ius, sed factum, vt probat Couar. *in 2. par. regula possessor num. 1.* Vndè in hoc differt dominij acquisitio ab eiusdem conseruatione, quia vt dictum est, ad acquisitionem dominij, requiritur corpus, & animus, & ad eam conseruandam satis est, quòd res solo animo possideatur, sicut constat *ex leg. 3. §. 9. amittenda ff. de acquisit. possess.*

PARAG. VII.

SVMMARIVM.

1 *Possessio quotupliciter diuidatur.*
2 *Possessio ciuilis, & naturalis quomodo accipiantur.*
3 *Quasi-possessio quid valeat.*

1 TRipliciter diuiditur possessio: primò, vel ratione diuersitatis titulorum, vel ratione bonæ, & malæ fidei: Visitatissima tamen est diuisio, qua diuiditur in naturalem, ciuilem, & mixtam: Naturalis est, quando manibus, seu pedibus res aliqua tenetur: Ciuilis, cum quis non corpore, sed animo rem possidet: Mixta, cum quis corpore, & animo rem possidet.

2 Sciendum, hæc duo nomina, Possessio ciuilis, & naturalis, interdùm alitèr accipi, nempè, vt possessio ciuilis dicatur, qua res possidetur secundùm vsum-fructum, vel vsum, vel habitationem, vel alia iura diuersa à dominio, vt docet Couar. *ac regula possessor par. 2. num. 4.* Sic fructuarius possidet rem nomine suo, naturaliter quoad vsum, quamuis non possideat eam nomine suo, quoad dominium directum.

3 Ad similitudinem possessionis pro iuribus in corporalibus, introducta est quasi-possessio, quæ eosdem, vel similes effectus operatur, ac vera possessio.

PARAG. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Possessio quot modis acquiratur.*
2 *Apprehensio vera quæ-nam sit.*
3 *Per legum dispositionem quomodo possit acquiri possessio.*
4 *Possessio iurium, & seruitutum quotupliciter apprehendatur.*
5 *Concedens ius transeundi, concedit & realem seruitutem.*

1 POssessio tribus modis acquiritur, apprehensione vera, apprehensione ficta, & legis dispositione; & prima habet locum in possessione earum rerum, quæ dominiū non habent, vt feræ, gemmæ, &c. Secunda necessaria est, quando habet possessorem, à quo tradatur, vel auctoritate Iudicis loco possessoris traditur. Interdùm transfertur possessio absque vlla vera, vel ficta apprehensione, si leges ità statuāt: Ratio est, quia modus acquirendæ, & amittēdæ possessionis, iuri humano subiacet, quod potest statuere varios modos, prout magis videtur expedire Reipublicæ, & hæc dici solet ciuilissima possessio, quia fit sola legis ciuilis potestate, absq; vllo animo, vel corporis adminiculo, etiam nesciente eo, qui incipit possidere.

2 Sciendum, apprehensionem veram illam esse, quæ fit manibus, vel pedibus: non est tamen necesse, quando quis vult possessionem accipere, v.g. vineæ, vel domus, omnes illius tenere partes, vel per omnes partes deambulare; sed satis est, vt vnam partem ingrediendo, pedibus circùm-ambulet; reliquas verò partes animo complectatur,

ſtatur, nec neceſſe eſt in poſſeſſione domus, omnium ædium conclauia ingredi; ſed ſatis eſt vnũ ingredi, cætera verò, animo: Poſſeſſio verò ficta pluribus modis acceidit primò, ſi antiquus poſſeſſor mercium tradat alteri claues domus, vel cubiculi, in quo ſunt merces, quia dum vnus tradit, & alter accipit, prior cenſetur merces intus repoſitas cedere, & alter apprehendere: Secundò, transfertur dominium iuris fictione, ſi alter tradat ſcripturam, vel inſtrumentum, quo conſtet de titulo, & iure, quo rem ipſam poſſidebat, nam tradendo inſtrumentum, cenſetur etiam tradere ea, quæ inſtrumento continentur: Tertiò, acquiritur poſſeſſio iuris poſſeſſione, ſi poſſeſſor dicat, ſe tradere fundum alicui, & ipſe ſignificet, ipſam poſſeſſionem acceptare, quia oculi ſunt, veluti quædam longæ manus, quibus res viſas contrectamus: Quartò, acquiritur poſſeſſio per aliquem actum noui poſſeſſoris, vt quando cum conſenſu prioris poſſeſſoris res ipſa donata, vel empta, proprio ſigno ſignatur; vel ſi erit immobilis, proprio nomine noui poſſeſſoris, apponitur cuſtodia, ſi erit caſtrũ, aut oppidum, vel ſi erit vinea, ipſius noui poſſeſſoris ponatur colonus, vel agricola: Quintò, ſi priſtinus poſſeſſor poſt contractum donationis, aut venditionis, ſignificet ſe rem venditam, aut donatam poſſeſſurum nomine donatoris, aut venditoris abſolutè, aut tamquàm vſuſructuarium: Sextò, quando quis cõſtituerit cõductorẽ rei donatæ, vel emptæ; vel rei donatæ, aut emptæ ſeſeruet ſibi vſum-fructum.

3 Legum diſpoſitione acquiritur poſſeſſio abſque vlla apprehenſione vera, vel ficta ex ſola diſpoſitione legis, iuxtà conſuetudinem, & legem municipalem loci, in quo quis cenſetur habere domicilium.

4 Poſſeſſio iurium, & ſeruitutum dupliciter apprehenditur. Primò ſi creditor cui ſeruitus eſt promiſſa, & in eã habet titulum, mittatur, vel inducatur in agrum, vel in fundum, cui debet ſeruire de voluntate Domini conſtituẽtis ipſum, eodem animo ſeruiendi, ex altero modo per verum exercitium acquirentis tale ius, ſciente, & conſentiente Domino ipſius prædij, ſeu fundi, &c.

5 Qui ius tranſeundi concedit, realem ſeruitutem cenſetur concedere, quia ius trãſeundi realem ſeruitutem importat: verùm ſi conceſſio tranſeundi erit incerta, & indeterminata, vt v.g. ſi concedatur, vt poſſis ex fonte aquam ducere quocũq; velis, nullo aſſignato fundo ad tranſeundum, cenſetur conceſſio perſonalis, & nõ realis, quia de ratione ſeruitutis realis eſt, vt detur certus fundus dominans, cui acquiratur ſeruitus.

PARAG. IX.

SVMMARIVM.

1 *Rerum mobilium poſſeſſio quot modis amittatur.*
2 *Item poſſeſſio rerum immobilium.*

1 Pluribus modis amittitur poſſeſſio rerum mobilium. Primò, ſola voluntate poſſeſſoris nolentis eam amplius poſſidere: Secundò, per furtum, aut rapinã alterius: Tertiò, ſi alterius cuſtodiæ ſubſit, qui eam incipiat poſſidere tamquàm ſuam; ad quod requiritur, vt eam corporaliter apprehendat re vera, & animo ſibi eam retinendi: Quartò, per amiſſionẽ rei, vt v.g. burſæ, annuli, &c. vel per fugã, ſi fuerint animalia, vt ſi pecus aberrauit à grege, deſinit ſtatim poſſideri à Domino, &c. ſi gallinæ, & ſimiles aues domeſticæ auolauerint, nec habeant conſuetudinem redeundi: ſi verò habeant conſuetudinẽ redeundi per volatum, non amittitur poſſeſſio: poſſeſſio ſerui, ſeù ancillæ nõ amittitur per ipſorũ fugã; ità Leſſ. *lib.2. capit.3. dub.ta. num.50.* Filliuc. *cap.33. num.89.* & alij.

2 Poſſeſſio rerum immobilium varijs etiã modis amittitur, ſiuè poſſeſſio ſit naturalis, ſiuè ciuilis: Primò, amittitur ſi poſſeſſor longo tempore ſit abſens, nec per aliũ rei inſiſtat, & nec etiã proteſtetur, ſe nolle amittere poſſeſſionem: ſecùs ſi longo tẽpore non ſit abſens, aut proteſtetur non amittere poſſeſſionem ciuilem, licèt amittat naturalem: Secundò, ſi ſcit, rem ab alio poſſideri, & ipſe eam negligat: Tertiò, ſi regreſſus repetat ſuum, ſed ab occupante repellitur, & ipſe non audeat ei reſiſtere: Quartò, ſi timens repulſam, non audeat, aut valeat rem ſuam repetere, aut ſi ignoret rem eſſe ſuam, idcircò eam non repetit: Quintò, ſi res ſit occupata à potente, itaut non ſit probabilis eius recuperatio.

PARAG. X.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio quid pariat in Iudicio.*

1 Poſſeſſio in iudicio parit primò præſumptionem dominij: Secundò, habet ius poſſeſſor armis defendendi ſuam poſſeſſionem tàm naturalem, quàm ciuilem, & ſi expellatur habet ius reperendi armis, ſeruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, modò id fiat confeſtim, & non ex interuallo: dicitur autẽ fieri confeſtim, quod fit quamprimùm commodè fieri poteſt, ſpectata rei difficultate, & cæteris circunſtantijs: Tertiò, ſi ſit bonæ fidei, parit præſumptionem, & in dubio, facit meliorem eius conditionem; Vndè poſſeſſor non debet probare, rem eſſe ſuam, ſed alter, qui eam repetit, qui niſi id ſatis probet, nihil obtinebit.

PARAG. XI.

SVMMARIVM.

1 *Subiectum capax dominij quod-nam ſit.*
2 *Deus rerum omnium dominium habet.*
3 *Dominium quotuplex:*
4 *Dominij ſpecies quæ?*

Solæ

1 SOlæ substantiæ intellectuales sunt capaces dominij; ita S. Thomas 2.2.*quæst. 66. artic.1.* & alij: Ratio, quia dominium, vt dictum fuit, est facultas de re aliqua suo arbitratu disponendi; talis autem facultas sine intellectu, & libertate arbitrij non consistit; ergò, &c.

2 Deus Optimus Maximus, iure naturæ, titulo creationis, & conseruationis, habet rerum omnium dominium, iuxtà illud. Dauid. *Domini est terra, & plenitudo eius*, tum etiam, quia illi propriè conuenit dominium, cui conuenit intellectus, & liberū arbitrium, sed hæc per excellentiam conueniunt Deo; ergo, &c.

3 Dominium duplex est, vnum gubernatiuum quod censentur habere, qui sunt deputati ad custodiam alicuius loci, vt sunt Gubernatores arcium, &c. Aliud dominatiuum, quod cēsentur habere illi, qui habent facultatem disponendi de re ipsa, quale habet Dominus in seruum, vel in propriam domum. Angeli habent dominium gubernatiuum, non solùm super Cœlos, & elementa, sed super homines Regna, & Prouincias; ità Salonius 2.2. *quæst.62. art.1.* & 2. & alij: Ratio, quia Deus cuncta gubernat medio ministerio Angelorum, nam quosdam præfecit Cœlis, alios elementis, alios hominibus, &c. Vndè Paulus ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratores Spiritus in ministerium missi propter eos*.

4 Dominium in tres potissimùm species distinguitur; aliud supremum, quod maximum, & absolutum vocatur; aliud medium, seù subalternum; aliud infimum: Primum proprium solius Dei est, qui solus habet plenum, & absolutum rerum omnium dominium: Secundum est illud, quod habemus in rebus proprijs, & describitur quòd sit Ius disponēdi nomine proprio in suam vtilitatem, lege non prohibente: Tertium dicitur illud, quod Princeps in suis subditis, & bonis illorum habet, quod infimum, & improprium dicitur, quippè qui non in suam, sed in communem subditorum vtilitatem exercea-tur; ità apud Barbosam *Collect. dec. tom. 5. part. 2. quæst. 1.*

PARAG. XII.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia verum, & proprium dominium habet super, &c.*
2 *Summus Pontifex an sit bonorum Ecclesiæ Dominus.*
3 *Summus Pontifex quomodo habeat supremam potestatem super totum Orbem.*
4 *Summus Pontifex non est Dominus Beneficiorum.*
5 *Sed eorundem dispensator.*

1 ECclesia habet verum, & proprium dominium temporale super ea bona temporalia, quæ ad Ecclesiæ splendorem, & auctoritatem contulerunt ei Principes Xpiani: Ratio, quia donatio facta à Principibus Christianis fuit vera donatio, cōferens verum dominium temporale ipsi Ecclesiæ etiam directè, & per se in finem temporalem.

2 Licèt Summus Pontifex supremam potestatem, & iurisdictionem temporalem in bona Ecclesiæ habeat, non tamen est illorum Dominus, sed dispensator, ac gubernator; ac proindè non potest pro suo arbitratu de illis disponere, sed iusta de causa, adeò vt si illa per donationē sine rationabili causa alteri tradat, donatio sit nulla, & tàm ipse, quàm donatarius ad restitutionem tenentur, Ecclesiæ cuiusius sint bona: Ratio est, quia talia bona non sunt tradita Summis Pontificibus, sed Ecclesiæ vniuersali, vel etiam alicui Ecclesiæ particulari, & per consequens, illorum dominium spectat, vel ad Ecclesiam vniuersalem, vel particularem, cui sunt tradita: Et quia Romanus Pontifex non solùm est dispensator, & gubernator rerum Ecclesiæ vniuersalis, sed etiam Ecclesiæ particularis, cùm sit supremum caput totius Ecclesiæ; idcircò de illis, posita iusta causa, potest disponere, absque causa non potest.

3 Loquendo per accidens, & indirectè, Summus Pontifex habet supremam potestatē super totum Orbem; precisè tamen, quantum postulat finis supernaturalis atque potestas: Ratio est, quia Christus Dominus, quatenùs homo, habuit tale dominium; ergò & Summus Pontifex, cùm Christus tribuerit Petro tāquàm suo Vicario, potestatem, quam habebat ad pascendas oues, quas commisit Petro, & Successoribus eius; ergò, &c.

4 Summus Pontifex non est Dominus beneficiorum, sed dispensator; & ità Sanctus Thomas 2.2.*quæst.*100.*artic.*1. Caiet. *ibid.* Molin *tract.*2 *de iustitia disp.*29.*quæst.*2. Lessius *lib.*2. *cap.* 4. *dub.* 4. & alij: Ratio est, quia si primò loquimur de beneficio, quatenùs dicit ius spirituale; Papa sub ista ratione non censetur Dominus, sed dispensator, ac minister principalis: quatenùs verò includit ius tēporale, quod triplex est; Primū bona ipsa, vt prędia, redditus, &c. à fidelibus donata Ecclesijs, ad sacra ministeria: Secundum est ius ad fructus rei, qui pertinēt ad eum, qui est Dominus eius rei; ille enim dicitur Dominus prędij, qui habet ius percipiendi etiam fructus illius prędij, nisi impediatur ex aliquo suo contractu, vel delicto; si Papa non est Dominus bonorum Ecclesiasticorum, nec etiam erit Dominus iuris ad fructus ex his percipiendos: Tertium, sunt ipsi fructus, qui percipiuntur ex bonis, & eorum cùm sint Domini ipsimet beneficiarij, sequitur, vt Papa non sit Dominus fructuum omnium beneficiorum.

5 Quòd verò sit dispensator, sentiunt cōmuniter omnes, & patet ex eo, quia cùm sit caput vniuersalis Ecclesiæ, & ad eaput pertineat dispensatio bonorum illius, pertinebit ad Papam eorum dispensatio. Nauarrus *cap. non liceat, de spolijs Clericorum.*

TITV-

TITVLVS IX.
Cuius sit dominium rerum, quæ possidentur à Clericis.

SVMMARIVM.

1 *Bona Clericorum quotuplicia.*
2 *Clerici, bonorum Patrimonialium veri, ac proprij Domini.*
3 *Clerici quomodo sint Domini reddituum Ecclesiasticorum.*
4 *Clerici an sint Domini bonorum ex redditibus Ecclesiasticis acquisitorum.*
5 *Bona à Clerico acquisita quomodo diuidenda.*
6 *Pensionarius an possit disponere de bonis, ex pensionis redditibus, acquisitis.*
7 *Pensio inexacta an debeatur hæredibus Clerici Pensionarij.*
8 *Clericus impendens aliquid de bonis Patrimonialibus in bonum Ecclesiæ, an possit quidquam repetere, & de eo disponere.*
9 *Quomodo nequeat quidquam repetere.*

1 Bona Clericorum sunt triplicis generis; alia quę ipsis hæreditate, arte, donatione, obueniunt, quę patrimonialia vocantur; alia verò sunt quasi patrimonialia, quæ Clericis offeruntur tamquam laboris, & vitæ stipendium; Alia denique sunt Clericorum bona, quę propriè dicũtur redditus Ecclesiastici, qui secundum originem suam, ad Ecclesiam pertinent.

2 Clerici sunt veri, & absoluti Domini bonorũ patrimonialiũ; & de ipsis, ac de redditibus possunt disponere, donando, &c. sicuti etiam censentur Domini bonorum quasi patrimonialium, & eorũ fructuum, redditutum, &c.

3 Clerici solummodo sunt Domini reddituum Ecclesiarum, quatenus prudentis viri arbitrio, beneficiario necessarij sunt, ad honestam, & decentem vitæ sustentationem; ità S. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *artic.* 7. Caietan. *ibidem*. Sotus *lib.* 10. *de iustitia quæst.* 4. *artic.* 3. Nomine decentis vitæ sustentationis, comprehenduntur in primis ea, quæ requiruntur ad ipsum Beneficiatũ, eiusq; familiam, quam conuenientèr suo statui habet alendam: deinde ad hospitalitatem exercendam erga consanguineos, amicos, & peregrinos: tùm verò ad præstandas donationes remuneratorias, imò etiam interdùm liberales, non tamen prodigas; denique ad alias honestas, & statui conuenientes animi, ac corporis relaxationes, quorum omnium quantitas æstimari debet cùm ex personæ, & officij dignitate, tùm verò ex redditruum amplitudine, ac copia; vt docet Nauar. *quæst.* 1. & Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 145.

4 Clerici non sunt Domini bonorum acquisitorum ex redditibus Ecclesiasticis, sed ea ad Ecclesiam spectant; ità Seraph. *decis.* 594. *num.* 9. vbi subdit, hoc procedere, quamuis huiusmodi bona fuerint acquisita ex redditibus beneficiorum simplicium: Ratio autem, quare huiusmodi bona, siuè redditus per Clericum acquisiti, Ecclesiæ acquirantur est, quia beneficiati sunt tãtũ administratores rerum Ecclesiæ, non autem Domini, quia dominium illorum est Iesu Christi, & non beneficiatorum, vt colligitur *ex cap. Qui Christi*, cap. *Quæ absulerit* 12. *quæst.* 2. cap. *Videntes*, cap. *Peruenimus*, cap. *Cum secundum*, & ibi Doctores: Ratio est, quia Clerici habent solum vsumfructum beneficiorum pro se, & familia, & oneribus incumbentibus, & non debent ditari de Patrimonio Iesu Christi, sed tãtùm viuere, & licitè dispensare. *cap. Expedit*, & cap. *Res Ecclesiæ*, & cap. *Episcopus* 12. *quæst.* 1. Residuum verò debent distribuere, vel in vtilitatem Ecclesiæ, vel ad subuenientiam pauperum, *cap. Apostolicos*, cap. *...orum* 12 *quæst.* 2.

5 Si verò Clericus, qui acquisiuit, habebat plura beneficia, tunc illa bona eo modo acquisita debent diuidi inter Ecclesias, in quibus sunt fundata dicta beneficia per congruam, & proportionaram æstimationem, *cap. Relatum* 2. Ex quibus deducitur, quòd si Clericus de bonis Ecclesiæ Capellam, seu Ecclesiam ædificet, non acquirat sibi iuspatronatus, sed Ecclesiæ, *cap. Apostolicos*.

6 Pensionarius tamen potest proprio testamento disponere de redditibus ex pensione Ecclesiastica perceptis, vt eo intestato, redditus ad legitimos successores pertineant, vt testatur Gigas *de pensionibus, quæst.* 52. & Couar. *in cap. Cum in officijs num.* 6.

7 Si verò pensio sit inexacta, & decursa, & fructus percepti, etiam huiusmodi pensio deberur hæredibus Clerici defuncti; quod etiam dicendum est, quando pars fructuũ esset collecta tempore mortis pensionarii, par autem esset colligenda, & adhuc penderet, quòd pro rata fructuum perceptorum, pensio erit heredum pẽsionarij, quia pensionarius facit fructus, & de eis ad libitum disponere potest tàm inter viuos, quàm in vltima voluntate.

8 Si Clericus aliquid impendit de suis patrimonialibus in vtilitatem Ecclesiæ, illud repetere potest, & de eo testari; ità apud Bellettum *de bonis Clericor.* § 4. *num.* 1. Meliorationes tamen factæ de suo proprio in beneficio, non sunt ipsius Clerici, vt si in terra vineolas, aut agellos fecerit, meliorando terrã Ecclesię: debet tamen illas possidere vsque ad mortem, licèt dimittat illud beneficium, vel illo priuetur, etiam ratione delicti, quamuis de illis testari, & disponere nequeat, *cap. Si quis*, & ibi Doctores Innoc. *de pecul. Cler.* & alij. Imò rem melioratam potest retinere tàm ipse, etiamsi priuatus sit beneficio, quàm eius hæres, quia datur retentio in beneficialibus; ità apud Bellettum *loco citato num.* 3.

9 Si autem ex industria personæ fecit talẽ Ecclesiæ meliorationem, tùnc non potest repetere, quod impendit ex industria sua, sed illud cedit Ecclesiæ; neque de illo disponere potest, etiamsi habuerit licentiam testãndi à Summo Põtifice, quia melioramenta censentur facta ex virtute obligationis, qua beneficiatus tenetur expẽdere tertiam, seu quartã reddituum partẽ

pro

pro locis Ecclesiæ reparandis, vel meliorandis. Nauar. *in tract. de reddit. Ecclesia puncl. 4. cap. 1.* Ratio est, quia quod fabricatur super fundo Ecclesiæ, cedit solo, & ad Ecclesiam spectat, *cap. Apostolicae.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Supradicta regula, quas patiantur limitationes.*
2 *Limitantur, si Clericus testari volens, &c. dederit Ecclesiæ tantundem de suo.*
3 *Item pia causa gratia.*
4 *Item ratione eleemosyna, &c.*

1 SVpradicta Regula, quod scilicèt bona acquisita per Clericum, non habentem alia bona, quàm Ecclesiæ, censeantur acquisita Ecclesiæ, & prætereà de illis Clericus testari, & disponere nequeat, limitationes aliquas patitur: Primò, vt non procedat vbi consuetudine aliud in loco introductum fuerit, quę nisi sit nimiùm onerosa Ecclesiæ, est seruanda, & ità de mobilibus disponere potest, *cap. Caterum*, cap. *Relatum*, & ibi Doctores: quæ consuetudo est in Hispania, vt testatur Couar. *cap. Cum in officijs num 9. de testam.*

2 Limitatur etiam si Clericus, qui voluit testari de sic acquisitis, iam côtulerit Ecclesiæ tantundem de suo, *cap. Si quis qualibet 12. quæst. 2. cap. Si Episcopus qu. 5.* & ibi Doctores.

3 Item si Clericus vellet donare moderatè, piæ tamen causæ intuitu, & eleemosynæ, quia tunc potest de bonis immobilibus acquisitis intuitu Ecclesiæ relinquere pijs locis, & ad pios vsus, & pro anima, *cap. Caterum, cap. Relatum*, & ibi Doctores: Item quando habuisset licentiam à Papa testandi de illis. Nauar. *tract. de spolijs Eccles. §. 7 num. 6.*

4 Item, quando non ratione testamenti, sed intuitu eleemosynę, vel pro seruitij remuneratione seruitoribus suis benemeritis, quando constat de meritis, sinè consangu inei sint, siuè alij etiam tempore infirmitatis, non de immobilibus, sed de mobilibus, aliqua elargiri potest, iuxtà seruitij merita, *cap. Ad hac, cap. Relatum*, & ibi Doctores; necesse tamen est à viuente fieri traditionem illarum rerum, quas donat; nô autem quòd illas legato relinquat, *cap. Ad hac*: Ratio autem, quare Clericus donare possit, dum viuit; legare autem, non possit, ea est, quia testamentum morte côfirmatur, *cap. Cum Martha, de celebrat. Missar.* Clericus, dum viuit, non prohibetur disponere, quia hoc facit tamquam administrator Ecclesiæ. Syluest. *verb. Cleric. 4. num. 5.* Causa mortis non potest donare, quia effectus confertur in tempus, quo Clericus non est futurus beneficiatus, & ideo non potest in testamento disponere de facultatibus Ecclesiæ.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Clericus in quibus possit succedere.*
2 *Clericus habens alia bona ab Ecclesiasticis, prius præsumitur consumpsisse Ecclesiastica, quàm propria.*
3 *Bona relicta à Clerico, quando censeantur acquisita potius ex bonis ipsius, quàm Ecclesia.*
4 *Clericus potest disponere de sibi relictis non intuitu Ecclesia, sed persona.*
5 *Clericus potest disponere de ijs, qua ex victus parsimonia seruauit.*

1 SI Clericus vltrà bona Ecclesiæ habeat alia bona titulo hæreditatis, &c. in quibus Clerici succedunt, succedit in oībus, & per omnia, sicut Laici, *cap. Qui nec*, quia non perduntur iura successionis per Clericatum, & de illis testari, & disponere potest, *cap. Episcopi, cap. Manifesta 12. qu. 1. cap. Quicumque quæst. 3. cap. Fixum quæst. 5.* & ibi Doctores.

2 Clericus, qui vltrà bona Ecclesię habet alia bona ex successione, &c. præsumitur priùs côsumpsisse fructus Ecclesiæ pro alimentis iuxta gradum, & dignitatem suæ personæ, quàm proprios ex bonis patrimonialibus, & ex officio, seù exercitio. Hostien. *in cap. Cum in officijs num 5. de testam.* & *in cap. Episcopus num. 3.* Abbas *in cap. 3. num. 3. de pecul.* & alij; cùm Clericus non teneatur suis stipendijs militare. Abbas *in cap. Episcop. nu. 3.* quare ex beneficio est auferendus victus, & vestitus Clerici, & aliæ expensæ necessariæ, & reliquum computabitur pro beneficio: Patrimonium verò ponetur integrum, nulla facta defalcatione victus Abbas *in cap. Episcop. num. 3. de prabend.* & in *cap. 3. num. 3. de pecul. Cleric.* Nam Clericus habens Patrimonium, potest patrimonium conseruare, & viuere de redditibus beneficij, Azor. *par. 2. lib. 7. cap. 9. quæsite 11.*

3 Quando constat de paupertate Ecclesię, & de bonis, & diuitijs proprijs Clerici prędefuncti, deq; ipsius officio, semper bona, quæ reperta fuerunt, præsumuntur potius acquisita ex bonis Clerici, quàm Ecclesiæ, Abbas *in cap. 3. num. 3. de pecul. Cleric* & in *cap. Cum esses num. 24.*

4 Clericus potest testari de sibi relictis, nô contemplatione Ecclesiæ, sed contemplatione personæ, *cap. Quia nos, cap. Relatum 2.* & *cap. Requisiti*, & ibi Doctores: Relicta autem per amicum, aut propinquum, præsumuntur relicta intuitu personæ etiā si fuerit expressum nomen dignitatis, nisi contrarium probetur, *cap. Requisiti*, & ibi Doctores: Quòd si fuerint relicta per extraneum alicui Clerico habenti in Ecclesia prælationem, aut etiam Ecclesiam curatā, seù aliquam dignitatem, tùnc præsumuntur facta contemplatione Ecclesiæ, *cap. Requisiti*, & ibi Doctores. Si verò fuerint relicta per extraneum, siuè per propinquum alicui non habenti prælationem, seù administrationem beneficiato, & si aliàs pręsumitur facta, intuitu personæ. Abbas *in cap. Requisiti num. 3. & 13.*

5 Potest item Clericus liberè disponere de his, quæ de suo honesto victu parciùs viuêdo seruauit; ità D. Tho. 2. 2 *qu. 185 art. 7.* Sot. *de iustitia, & iure lib. 10 quæst. 4. art. 3.* & alij.

Item de sibi donatis intuitu alicuius legationis: Item de acquisitis pro distributionibus quotidianis, nam percipientes distributiones quotidianas, faciūt illas suas, vndè de ipsis possūt testari, & eas ad quoscumque hæredes transmittere. Couar. *in cap. Cum in officijs num 4. de testam.* Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 9. quæst. 10.* Syluest. *verbo Clericus qu. 44.* etiamsi nundùm fuerint actu datæ, sed tantùm promissæ. Paris. *cons. 33. num. 22.* Ratio, quia censentur acquisita ex industria, & intuitu personæ, & laboris, & seruitij, & de acquisitis ex industria, & labore, potest Clericus disponere: Itē Parochi possūt disponere de quarta, quā acquirunt nomine mortuariorū. Bald. *in l. præses Cod. de transact.*

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Casus, in quibus potest Clericus testari, quomodo extendantur.*

2 *Bona Clerici ab intestato decedentis, ad quos spectent.*

3 *Fructus ex beneficio percepti, &c. cui debeantur.*

4 *Consuetudo obstans, quominus, &c. quomodo intelligenda.*

5 *Præter fructus, quanam debeantur successori.*

6 *Fructus beneficiorum, &c. ante mortem beneficiati non exacta, cui competant.*

7 *Dispositio Clerici de fructibus, &c. quomodo intelligenda.*

8 *Fructus percepti dum vacat beneficium, quomodo dividendi.*

1 Clericus in illis casibus, in quibus potest testari, & disponere; id etiam potest facere, etiamsi esset sub potestate parentum. Abbas *in cap. Quia nos num. 5. de testam.* Item potest disponere, & testari de omnibus bonis aduētitijs post Clericatum cum vsus-fructus illorum bonorum non pertineret ad Patrem: verùm de bonis aduentitijs acquisitis ante Clericatum, disponere nequit in præiudicium Patris, cui quæsitus fuit vsus-fructus, quia Clericus initiatus prima tonsura, seù etiam in minoribus ordinibus constitutus, remanet quoad temporalia, in potestate Patris nisi emancipetur: tamen in bonis, in quibus Pater non habet vsum-fructum, de ipsis potest liberè disponere sine consensu Patris, dūmodò talem tonsuram, & habitum Clericalem gerat, cùm priuilegia Clericis concessa intelligātur, si habitu Clericali incedant. Concilium Trid. *sess. 23. cap. 6. de reform.*

2 Si Clericus decedat intestatus, bona eius aduentitia, & patrimonialia spectant ad consanguineos proximiores: si verò decedat sine herede, & ab intestato; tunc huiusmodi bona, si nullas Ecclesias habuerit, applicantur Episcopo, vt in vsum Ecclesiæ, & piorum locorum diligentèr distribuat, non autem vt sibi appropriet: si autem aliquam Ecclesiam habuerit, tunc huiusmodi hæreditas ad illam Ecclesiam, seù Ecclesias, si plures habuit, deuoluitur, *cap. Quinque 12. quæst. 5.* Hostien. *in cap. Cum in officijs num. 7. de testam.* Abbas *in cap. Relatum 2. nu. 10. de testam.*

3 Fructus beneficij, percepti, collecti, & à solo separati, sunt heredis beneficiati, & nō debentur successori in beneficio. Glos. *in cap. Si propter, & in cap. præsenti:* Ratio, quia Clerici in vita æquiparantur vsu-fructuarijs, quia faciunt fructus suos iam collectos, & à solo separatos, & eos transmittunt ad hæredes, *leg. arboribus §. Iulianus ff. de vsu fructu:* si verò huiusmodi fructus sint pendentes, tunc ad successorem in beneficio integrè spectāt, *leg. defuncta, de vsu fructu:* quinimò ad eumdem successorem, & non ad heredes prędefuncti beneficiati veniūt etiam fructus à solo separati, & in area adhuc, vel campo iacentes, & illi, qui sunt quidem reconditi à Colono, sed nondùm Clerico traditi. Caldetin. *consil. 2. de pecul. Cleric* Redouan. *de spolijs Eccles. quæst. 3. §. verùm quia*, Glos. *in verbo Reseruari*, quæ intelligit Clericos facere fructus suos iam perceptos, & reconditos.

4 Hoc intelligendum est, nisi aliud consuetudine Ecclesiæ sit introductum, quæ tamen consuetudo probari debet, cùm sit quid facti, quod non præsumitur, nisi probetur. Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 14. num. 1.* & ad inducēdam consuetudinem requiritur temporis diuturnitas, & actuū frequentia. Crauet *consil. 134. num. 6.* atque ad demonstrandùm, consuetudinem non extare super aliquo, sufficit, etiam vnum tātùm contrarium probare, vt singularitèr colligitur ex ijs, quæ ponit Bartolus *in leg. semper in stipulationibus.*

5 Et non solùm dicti fructus pendentes, sed effectus per conductorem nōdùm soluti, debentur successori, quamuis fructus, pro quibus effectus soluitur, iam percepti fuissent; ità apud Belletum *loco citato §. 15. nu. 10.* neq; obstat, quod stante locatione fructus percepti dicantur, mediante persona conductoris: Ratio, quia requiritur commixtio, & incorporatio; vndè quādo, fructus non sunt commixti, & incorporati cū bonis beneficiati defuncti ad successorem in beneficio pertinent, & fuit decisum per Rotam *in vna nullius, seù Romana pecuniaria 4. Iuny 1593.* coram Blanchetto, &c.

6 Fructus pendentes, & res aliæ beneficiorum ante obitum beneficiatorum inexactæ ad successorem in beneficio spectant, etiamsi pro tempore decurso ante obitū debeantur, ac eorum solutionis dies beneficiatis viuentibus aduenerit, & per ipsos beneficiatos non steterit, quominùs illos exegerint: quinimò omnem necessariā diligentiam pro illorum exactione, fecerint etiam iudicialitèr agēdo; & ità Azor. *lib. 8. cap. 3.* Thes. *decis. 143.* & ità declarauit Iulius III. *constitut. 9. incip. Cùm sicut nobis*, nisi obstaret specialis consuetudo in contrarium. Non habet tamen locum, vt declarauit Iulius III. in beneficijs locorum, in quibus collectores à Camera Apostolica deputantur, quia tunc omnes huiusmodi fructus, pecuniæ, & res, spectant ad Cameram Apostolicam.

7 Quod si Clericus moriatur, perceptis, & reconditis omnibus beneficij fructibus; tùm

tùm etiam quod habuerit facultatem, siuè ex priuilegio, vel consuetudine, seù alia causa disponendi de fructibus ad libitum, nihilominùs intelligeretur de his tantùm fructibus, qui supersessent, solutis debitis, & ære alieno; & reseruatis iis, quæ sunt necessaria Ecclesiæ vacanti pro seruitoribus, ministris, &c. vsque ad nouos redditus supportandis. Nauar. *de reddit. Eccles. quæst. 2. monit.* 13 Ratio, quia hæredes defuncti tenentur ad alimenta successoris, quando omnes fructus erant recollecti per defunctum. Oldrad. *consil.* 249.

8 Si verò dum vacat beneficium, percipiantur fructus, &c. tunc huiusmodi fructus, &c. debent diuidi per medium, quorum medietatem habeat is, cui per consuetudinem, priuilegium, &c. perceptio est cōcessa; reliquam autem medietatem percipere debet ille, cui beneficium est concessum pro sustentatione sua, & aliis Ecclesiæ oneribus supportandis; & ità sanciuit Ioann. 22. *in extrauag. suscepti regiminis §. in illis.*

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Fructus collecti ex beneficio renunciato, cui competant.*
2 *Quid si fructus consistant in pecunia, aut, &c.*
3 *Iidem fructus quando pertineant ad successorem in beneficio.*
4 *Expensa facta per prædecessorem beneficiatum in lite, &c. cui debeantur.*
5 *Eadem expensa quomodo æquiparentur meliorationibus, &c.*

1 SI Clericus beneficiatus dimittat beneficium per assecutionem alterius, siuè compatibilis, siuè incompatibilis, seù illud beneficium alio modo renunciet fructus primi beneficij collecti, non autem percepti, & reconditi ante dimissionem dicti beneficij, spectant ad successorem in beneficio; ità *cap. præsenti*, & ibi Glos. *verbo Resign. rs*, & ità fuit decisum in vna Baren. *fructuum* 1. *Iunij* 1610. coram Cardinali Caualierio, vbi fuit resolutum, fructus à solo separatos ante diem resignationis, deberi resignanti; cęteros verò, resignatario.

2 Si autem fructus illius beneficij consistunt in annua, seù diurna præstatione in pecunia, vt in fructibus gabellarum, &c. tunc huiusmodi fructus non spectant omnes ad successorem, sed pertinent ad prædecessorem, vsque ad diem resignationis factæ, & collationis, apud Belletum §. 16. *num.* 5.

3 Eodem modo ad successorē in beneficio spectāt fructus eiusdē beneficij per prędecessorē percepti ab eo die, quo propter excessū aliquē ipso iure quis priuatur beneficio, nam quando beneficiū ipso iure vacat, beneficiatus non facit fructus suos, sed ad illorum restitutionem tenetur: secùs verò, si per sententiam, quia illos percipere de iure potest, donèc per sententiam priuetur dicto beneficio. Glos. *in cap. fraternitas 12. quæst. 2.* Nauar *in manuali cap. 23.*

4 Debentur successori expensæ factæ per beneficiatum prædecessorem in lite habita cum aliquo pro defensione iurium, seù bonorū Ecclesiæ, & lite pendente, seù contestata, siuè etiam lata sententia cum condemnatione in expensis, sed antequā transiuerit in iudicatum, obierit beneficiatus; non autem spectant ad hæredes prædecessoris, prout fuit decisum per Rotam *diuers. par. 1. decis.* 761 *num.* 5. & ità Surdus *consil.* 323. *num.* 26. Ratio, quia cùm prædecessor beneficiatus litigauerit super re ad beneficium spectante, & in prosecutione litis multas fecerit expensas, præsumitur eas fecisse ex redditibus Ecclesiæ, cuius erat administrator; & quamuis prędecessor fecisset has expensas in dicta lite de fructibus Ecclesiæ, qui erant sui proprij, cùm essent recollecti, & à solo separati, & ideò ad eius hæredes, & non ad successorem pertineant; Couar. *lib. 1. var. resol. cap. 15. nu. 12.* & alii ab eo citati:

5 Nihilominùs quia illi fructus, de quibus sunt factæ huiusmodi expensæ, fuerunt conuersi in vtilitatem Ecclesiæ pro defensione iurium suorum bonorum, ideò æquiparantur meliorationibus factis per Clericum in rebus Ecclesiæ, quæ cēdunt solo, & sunt beneficiati in vita: sed de his non potest disponere, & testari, neque in licētia concessa per Papam testandi comprehenduntur. Nauar. *de reddit. Ecclesia quæst. 3. num. 22.*

TITVLVS X.

Apud quem sit dominium rerum temporalium, quæ possidentur à Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Duplex Regularium differentia.*
2 *Regulares quæcunque sunt dominij incapaces.*
3 *Religiosorum Superioribus nullum competit dominium in Abbatijs, &c.*
4 *Dominium rerum Monasterij spectat Monasterium.*
5 *Regularis quod acquirit, Monasterio acquirit.*
6 *Bona Regularium extra claustra degentium, ad quem spectent.*
7 *Bona Regularis transeuntis ad alium Monasterium, vel, &c. ad quem spectent.*
8 *Item si secundum Monasterium cogatur recipere Regularem, propter delictum, &c.*
9 *Monachus Ecclesiam regens, si acquirat bona, cui nō acquirat.*

1 REgulares sunt in duplici differentia; nam quidam sunt, qui viuunt ex redditibus, & possident bona immobilia, & mobilia, ex quibus quidam dicuntur Monachi, quidam Canonici Regulares, & quidam Clerici regulares, &c. Alij sunt, qui non viuunt ex redditibus, nec habent bona propria immobilia, & mobilia, ex statuto suæ Regulæ, & constitutionum; sed ex eleemosynis perceptis viuunt, vndè dicuntur, Mendicantes, qui etiam sunt in

duplici differentia, nam quidam sunt priuilegiati, vt sunt illi, qui licèt ex statuto Regulæ, &c. eleemosynas debeant quærere, & ex his viuere; tamen quia obtinuerunt priuilegium à Summo Pontifice, possũt habere bona immobilia, & ex redditibus illorum viuere. Alij sunt non priuilegiati, vt sunt Patres S. Francisci de Obseruantia, & Patres Reformati, & Patres Capuccini, qui ex eo, quòd obseruant in toto rigore Regulam S. Francisci; idcircò viuunt ex eleemosynis, quas per Fratres Laicos colligunt.

2 Regulares in particulari cuiuscumque Religionis, tàm non Mendicantis, quàm Mendicantis, sunt incapaces cuiusque dominij, & nemo ex ijs potest retinere aliquid tamquàm proprium: Ratio, quia per votum paupertatis emissum in solẽni professione, Religiosus ex ordinatione Ecclesiastica, priuat se omni dominio, & fit incapax omnis iuris temporalis, vt constat ex Tridentino *sess. 25. cap. 2. de regul.*

3 Superiores in Religionibus non Mendicantibus, vt Abbates, Priores, Commendatores, Rectores, Præpositi, &c, nullum habent dominium Abbatiarum, Prioratuum, Commendarum, Collegiorum, Domorum, &c. sed sunt tantùm administratores, & tenentur expẽdere redditus iuxtà præscriptum Regulæ, & suarum constitutionum, nec redditus possunt expendere in alios vsus profanos.

4 Dominium rerum immobilium, siuè mobilium Monasteriorum, Domorũ, &c. est penès ipsum Monasterium, & vbi adest Capitulum, cẽsetur esse apud Capitulum: Ratio, quia hæc dona censentur donata Monasterijs, & non Religiosis in particulari; tùm etiam quia sicut bona relicta Ecclesiæ censentur esse ipsius Ecclesię, & non Superioris illius; ità etiam bona relicta Monasterijs censentur esse ipsius Monasterij, non autem Superioris eiusdem.

5 Regularis, hæreditatem illi delatam, de iure communi, & alia, siuè mobilia, siuè immobilia per eum acquisita, Monasterio, non sibi, acquirit, quia quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio, *cap. De Monachis, cap. De lapsis quæst. 6. cap. Quia ingredientibus, & cap. Si qua mulier 19.* & ibi Doctores: quod procedit, etiã si degat extrà Monasteriũ de licentia sui Superioris, & multò magis si degit absq; licentia extrà Monasterium, & acquirat bona, nã sũt acquisita Monasterio, quamuis sit in partibus remotissimis, & sit fugitiuus, *cap. Abbates, & cap. Quanto*, vbi Doctores, Riccius *in praxi resol. par. 2. resol. 389.*

6 Nunc autem bona Regularium extrà claustra degentium, veniunt sub nomine spoliorum, & spectant ad Cameram Apostolicam, quàmuis etiam degerent cum licentia suorum Superiorum, vt sanxit Gregorius XIII. *in sua constitut. 44. & in alia constitut. 72.*

7 Si Regularis de licentia Superioris sui, vel Papæ exeundi Monasterio, ad aliud Monasterium alterius Religionis trãsiuisset, vel fuisset creatus Episcopus, vel factus Prælatus alicuius Ecclesiæ, tunc quomodolibet acquisita ante huiusmodi transitũ, acquisiuit primo Monasterio, quę autem posteà acquisiuit, sunt Monasterij, seu Ecclesię, in quam trãslatus fuit. Auth. *in Græco de sacrosanctis Ecclesijs cap. Cum olim. 2.*

8 Verùm si secundum Monasterium compellitur accipere Monachum, vt ipse pœnitentiam agat alicuius criminis per eum commissi, tunc bona per eum acquisita ante talem transitum, quòad vsufructum, cũ persona transmittuntur ad secũdum Monasterium, non autem quòad dominium, cùm cedat ad vitã ipsius Monachi. Specul. *tit. de statu Monach. num. 30.* & Monachus, qui multa acquisiuit, etiam à suis consanguineis, & coniunctis, si efficiatur Episcopus, non potest sic acquisita asportare, sed illa remaneãt in Monasterio in totum, quemadmodum sunt Episcopatus, quę acquirit, postquàm est factus Episcopus. Specul. *loco cit. num. 29.*

9 Monachus, cui commissum est per suum Abbatem, regimẽ alicuius Ecclesiæ, si quid acquirit, Ecclesię, cuius habet regimen, acquirit, si ex re illius Ecclesię, vel ex re operis sui: si verò acquireret aliũdè, acquireret Monasterio principali, cuius est Monachus; ità apud Belletum *de bonis Cleric. §. 8. num. 6.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Monasterium an possit in maioratu succedere.*
2 *Monasterium quando possit esse capax successionis.*

1 MOnasterium in maioratu succedere non potest: & ratio colligitur ex verisimili mente instituentium, qui nomen, & familiam conseruare intendunt, & ex alijs rationibus adductis per Molinam *cap. 13. num. 22.* quod debet intelligi post vitam Religiosi vocati ad primogeniũ, q̃a durãte eius vita, Monasterium succedere potest, ratione eius Religiosi, in eo maioratu, & recipere commoditatem totam ex illo: eo verò naturalitèr mortuo, transire maioratũ vlteriùs ad eum vocatum: quod tamẽ intelligendum est de Monasterio capaci successionis. Ratio est, quoniam huiusmodi Monasterium capax est, ratione sui Religiosi professi, successionis bonorum; neque est vlla sufficiens ratio, cur non etiam capax sit successionis in tali maioratu: Ratio secundę partis est, quòd scilicèt mortuo eo Religioso, transeat maioratus ad vlteriùs vocatum, est, quoniam successio in maioratu est ex vocatione primi institutoris, de quorum numero non est Monasterium, neque vocati accipiunt maioratum ab vltimo possessore, sed à primo institutore; quare Religiosus ille sua professione pręiudicare nõ potuit cęteris vocatis, vt eo mortuo, non succedat, qui succederet, si ipse similitèr moreretur in sæculo: solùm ergò obtinebit Monasterium maioratum illum, & commoditatem ex

illo

illo viuente tali Religioso.

2 Monasterium bonorum capax, est etiam capax successionis habentis iurisdictionē, quando per substitutum prętari potest: secùs vero dicendum, quando talis iurisdictio per substitutum exerceri nō potest, nisi Monasterium per instituentem à sui maioratus successione repellatur; potuit enim maioratus institutor, quem vellet omninò repeellre, aut instituere, & quamlibet legē rebus suis imponere; ità Couar. *lib.1.var.cap.19 num.10.& 11.* Molina *de primogen lib.2.cap.12. num.54.* Mantica *de coniecturis vlt.volunt.lib.11.tit.7.num.20.* & alij, quia maioratus institutor nō solùm expresse Monasteria repellere potest, sed etiam tacitè, quando scilicèt descēdentes suos proprio corpore procreatos, vel filios legitimos, & naturales ad sui maioratus successionē solùm vocauit, aut talia apposuit, ex quibus constet, voluisse instituentem de filijs tantùm naturalibus, & per naturalem generationem procreatis intelligere; nō verò de interpretatiuis, & à lege inductis: & ità communis, & magis recepta sententia obtinuit, Monasterium ad maioratus successionem non esse admittendum, quoties per efficaces coniecturas ex mente testatoris deductas apparuerit, voluisse instituentem Monasterium repellere; & ità Couar. *lib 2.var.cap.19.num 11.* Guttier. *lib.1. canon. qu. cap.32.nu.27.* Hieronymus Rodriq. *in compēd. qu.regul.resol.72.nu.4.* & alij.

PARAGR. II.

SVMMARIVM.

1 *Monasterium, an, & cuius feudi successionem habere possit.*
2 *Monasterium an possit in emphyteusi Ecclesiastica succedere.*
3 *Item an in sæculari.*
4 *Monasterium quamdiu possit in bonis fideicommissarijs succedere.*
5 *Religionem ingrediens in articulo mortis an excludat, &c.*
6 *Puella morti proxima professio, nondum finito anno probationis, an quidquam prosit Monasterio.*
7 *Monasteria Regularium an possit succedere in bonis suorum Religiosorum.*

1 MOnasterium potest succedere in feudo, cuius seruitium reale est, aut personale, quod honestè per Monachum, seù per idoneum substitutum prętari potest, durante vita feudatarij professi; ità *in cap. Qui Clericus*, Hieronymus Rodriq. *in compendio quæstionum regularium resol.66.num.5.* Quod ampliandum est, vt procedat, etiamsi feudum Vassallos, & iurisdictionē contineat; & ità Salycetus *in auth. nisi rogati Cod. ad Trebellianum*, Rodriq. *loco citato, &c.* Ratio, quia qui Monasterium ingreditur, non videtur decedere sine liberis, data capacitate Monasterij, cùm Monasteriū loco filij habeatur.

2 Monasterium potest succedere in emphyteusi Ecclesiastica, durante vita Monachi, nisi per Dominum intrà biennium reuocetur: Ratio, quia ea omnia in Monasterium transeunt, quæ si Monachus in sęculo remaneret, retineret; dummodò personale onus non exigant, sed tale, vt ab ipso Monasterio commodè adimpleri possit, qualis est solutio pensionis, quam Monasterium præstare rectè potest. Molina *de primogeneis lib.1.cap.13.num.61.* quod tamen limitatur, nisi Ecclesia emphyteusim intrà biennium à Monasterio non reuocauerit, quod efficere potest, per Text. *in auth. de alienatione, & emphyteusi* §.1.

3 Monasterium autem potest succedere in emphyteusi sęculari; neque poterit Dominus directus illam, durante vita Monachi à Monasterio auferre, vt consuluit Bursatus *cons.47.& 97.lib.1.*

4 Monasterium in bonis fide-commissarijs, durante vita Religiosi, potest succededere; eo verò mortuo, ad familiam institutam transire debet, nec perpetuò in Monasterio remanere potest, sed solùm durante vita Religiosi vocati ad tale fideicommissum: Ratio, quia Religiosus per professionē non debet esse deterioris conditionis; imò pro non scripta esset illa cōditio, *Si decedat sine liberis*, & Monasterium ingressus fuerit, conditio enim, quæ impedit, aut prętat aliquod impedimētum ingressu; Religionis, non valet, quia eo modo retraherētur homines à vita contemplatiua, timentes, nè si sine liberis decesserint, eorum bona, virtute substitutionis in aliam personam transferrentur, *leg. Titia si nupserit ff. de condit. & demonstr.* Nec etiam valet statutum disponens de bonis ingrediētium Monasterium, *cap. In præsentia num. 197.* Abbas *in cap. Quod Clericis num. 40. de foro compet.* Ratio, quia si talis ingrediens Monasterium repelleretur à successione, de facili posset ab ingressu Religionis distrahi, nam à iure reijcitur conditio impediens vitam contemplatiuam, quæ actiua melior existit.

5 Ingrediēs Religionem in articulo mortis, non operatur exclusionem substituti, licèt Monasterium soleat excludere substitutum, *cap. in præsentia*, & ibi Doctores *nu. 208.* & Felin. *num.34.* Paris. *cons. 13. num. 56. & seq. vol.1.* Redouan. *quæst. regular. tom.2. quæst.77. art.5.*

6 Neque professio facta per puellam hecticam, & morti proximam, non finito anno probationis, prodest Monasterio, quòad acquisitionem bonorum, sed illa transeunt in consanguineos succedentes ab intestato, quia Pius V. licèt cōcesserit, posse talem puellam profiteri ante annum probationis, non tamen intendit præiudicare iuri quæsito venientium ab intestato: Prætereà cùm dicta professio ex priuilegio facta valeat tantummodò in foro cōscientiæ, & ad Nouitię consolationem, nè spiritualis professionis fructu defraudaretur, nihil virtuti ipsius professionis in foro exteriori peti potest. Ioann. Andr. *in cap. In præsentia de probat.* Rodriq. *quæst. regular. tom. 3. quæst. 15. art. 6.* & alij, licèt alij alitèr sentiant.

5 Monasteria Regularium possunt succedere in bona suorum Religiosorum, ex iure humano, fundato in iure ciuili, & approbato à iure Canonico, *cap. Quia ingredientibus 19. quaest. 3.* his verbis, *sed rerum, eiusdē Monasterij iuris fiant*, idq; nō iure hæreditario, sed potius cuiusdam acquisitionis naturalis, & accessoriæ ipsi personæ, quatenùs illis, & hoc ipso, quod persona trāsfertur in Monasterium, accessoriè in ipsū transeunt etiam bona illius: quod intelligendum est, si Religiosus moriatur ab intestato, & relinquat bona, de quibus ante professionem non disposuit. Sanch. *lib. 7. mor. cap. 12. num. 21.* & alij.

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Mortuo Religioso, an, & quomodo possit Monasterium hæreditatem adire.*

2 *Monasterium quando in perpetuum non succedat bonis professi.*

3 *In quo etiam casu Monasterium nequeat subire hæreditatem, &c.*

4 *Regulares an sint capaces, vt ijs relinquātur legata.*

5 *Peculium castrense, &c. quando cum Religioso transeat in Monasterium.*

6 *Vsus-fructus, &c. an acquiratur Monasterio.*

7 *Quando acquiratur.*

8 *Vsus-fructus, quem habebat Monachus in saeculo, an per professionem extinguatur.*

9 *Retractus an debeatur Monacho, an Monasterio.*

10 *Patre profitente in Religione, an debeatur filijs legitima.*

11 *Pater, qui ante professionem non disposuit de bonis, an ea possit post professionem filijs distribuere.*

1 MOrtuo Religioso, post delatam hæreditatem, nondum tamen aditam, potest Monasterium illam adire, exclusis substitutis, & alijs hæredibus: Ratio, quia Monasterium non innititur iure transmissionis, sed eo, quòd Monachus, vi professionis, omnem suam voluntatem, & omnia sua iura transtulit in Monasterium; ità vt ex tunc nō sibi, sed Monasterio immediatè deferatur hęreditas, & consequenter ius adeundi competat non sibi, sed Monasterio: quod ius proindè semel acquisitum Monasterio, non extinguitur morte Monachi; sicque quoad hoc, non obstat, voluntatem Monachi cessare per eius mortem, cùm ante eius mortē hæreditas delata sit Monasterio; ità Less. *lib. 2. cap. 41. n. 87.* Sà *verb. Relig. n. 27.* Rodr. sup. alijq; plurimi Canonistæ, penes Sanch. *sup. nu. 47.* qui *nu. 50.* alijs citatis, docet, mortuo Monacho ante aditam hæreditatem, competere Monasterio remedium restitutionis petendę; sicque ipsum posse hæreditatem acquirere via restitutionis, cùm in hac omissione additionis non attendatur solùm persona Monachi defuncti, sed etiam negligentia Abbatis, qui debebat cogere Monachum ad illam adeundam, quamquam pretiū dictæ restitutionis fieri debeat intrà quadriennium, iuxtà *cap. 1. de integr. restitu. in 6.* vt aduertit Fachin. *in controu. iur. lib. 6. cap. 18.* Dixi, qui debebat cogere Monachum, &c. vt iudicarem ex Sanch. *sup. nu. 41.* integrum esse Monasterio pœnis cogere Monachū ad adeundam hæreditatem relictam, & talem coactionem fore vtilissimam ad vitandas lites, quæ suboriri possent ex diuersitate opinionum, sitnè necessaria Monachi additio, vt Monasterium acquirat; necnè.

2 Monasterium non succedit in perpetuū in bona professi, casu, quo testator instituit suum descendentem, ipsum grauando, vt post mortem suam, restituat hæreditatem, aut partem illius alteri tertio, non explicata conditione, *Si absque liberis decedat*, & alioquin descendens ingrediatur Religionem capacem, idque statim ac professus modo dicto grauatus moritur: Ratio, quia decisio Authenticæ *de sanctissimis Episcopis §. 7. & hoc prasent, vt exorbitans à iure*, non debet extendi vltrà casum, in quo ipsa loquitur; nimirùm, quando exprimitur conditio, *Si absque liberis decedat*, quæ non exprimitur in præsenti casu: tùm quia quando hæres extraneus sine vlla conditione grauatur restituere hereditatem alicui extraneo grauato profitente, Monasterium non succedit, sed extraneus substitutus excluso Monasterio, eo quòd tunc non inest tacita conditio, *Si sine liberis decesserit*, & esset ratio iudicandi, quod testator voluerit alienas successiones propriæ successioni anteponere; ergò & in præsenti casu succedit descendens substitutus, excluso Monasterio, cùm tali successioni non obstet, quod tunc insit tacita conditio, *Si absque liberis decesserit*, quippè quæ à iure præsumitur oriri non fauore Religionis, quæ verè non est filius, nec descendens, sed ex affectu, quem creditur habere ascendentem ad descendentes, sicque non obstat dictę successioni; ità Molina *tom. 2. disput. 146. num. 190.* addens ex communi Doctorum, in casu, quo aliquis descendentium grauetur aliquid restituere, post mortem, pauperibus, aut cuiuis alij piæ causæ semper habere locum tacitam illā conditionem, *Si sine liberis decesserit* æquè, ac si expressa fuisset.

3 Quando autem testator sine vlla conditione instituit aliquem non descendētem suum, v. g. fratrem, aut alium consanguineum, aut etiam extraneum, substituendo tamen filios, aut alios descendentes personæ institutæ; si persona sic immediatè instituta ingrediatur Religionem, non excluduntur alij substituti, & Monasterium retinere non potest, cùm in tali institutione, nec tacitè, nec expressè insit conditio, *Si absque liberis decesserit*, adeòque in ea non procedat *cap. In præsentia de probat.* & authen. *de sanctiss. Episc.* superiùs adducta, quæ supponit inesse dictam conditionem, quamquam viuēte tali Religioso, bona illa maneant penès Monasterium, vt diximus; ità Sanchez *lib. 7. mor. cap. 12. num. 80.* & alij ab eo citati.

4 Regulares sunt capaces, vt ipsis relinquantur legata, tùm quoad Monasteria in communi, tùm quoad ipsos in particu-

lar i-

lariſſimè ſint ordinis capacis; ſiuè non ità Sanch. *lib. 7. mor. cap. 26.* & alij apud ipſum: &quidem quod ſpectat ad Monaſteria, ac Religioſos Ordinum capacium, cõſtat ex Regula, quæ habetur *inſtitut. de legatis* §. *legari*, *Qui nequit hæres inſtitui, non eſt capax legati*, in ſenſu contrario ſumpta, cuius ſenſus erit, quòd ſicut Monaſteria, ac Religioſi Ordinum capacium poſſunt inſtitui hæredes; ità & poſſunt ijs relinqui legata. Quod verò ſpectat ad Monaſteria, ac Religioſos Ordinum incapacium, conſtat tùm ex Regula paulò antè adducta; quamquàm illa locum habeat ſolùm in ijs, qui ob iuris communis prohibitionem inſtitui non poſſunt hæredes; non autem in ijs, qui ex voto religioſæ paupertatis, ſiut incapaces ſucceſſionis hæreditariæ, vti ſunt Fratres Minores, & alij, de quibus *qu. 1.* tùm quia legatum eſt quædam donatio relicta à defuncto præſtanda ab hærede, §. *legatum inſtit. de legat.* conſtat autem, Monaſteria, ac Religioſos etiam Ordinum incapacium eſſe capacia, vt ipſis fiant donationes.

5 Peculium Caſtrenſe, vel quaſi, acquiſitũ ante ingreſſum Religionis, vel profeſſionẽ filij tranſit, in Monaſterium, tàm quòad proprietatem, quàm quòad vſum-fructũ: non item peculium aduentitiũ, quod tranſit in Monaſterium ſolùm quòad proprietatem vſu fructu remanente apud Patrem pro eius vita; ità tamẽ, vt eo mortuo, vſusfructus, cõſolidetur vnà cum proprietate Monaſterij; nulla enim poteſt ſubeſſe ratio amittendi talem vſum-fructum, niſi quod patria poteſtas, quæ erat cauſa illius, ſoluitur per profeſſionem filij; quæ tamen ratio non obſtat, cum vſus-fructus ſemel acquiſitus non amittatur, ceſſante patria poteſtate. Rodriq. *tom. 3. quæſt. 16. art. 4.* Clauis-regia *lib. 9. cap. 7. nu. 9.* & alij.

6 Vſus-fructus cuiuſcũque vſus-fructuarij acquiritur Monaſterio, quàndiù Monachus vixerit naturalitèr, adeòq; extinguitur, ipſo moriẽte, morte naturali, niſi fortè vſus-fructus ei relictus ſit pro ſe, eiuſq; hærede; ità Rebell. *par. 1. lib. 1. quæſt. 7. ſect. 1. nu. 21.* Molina *tract. 2. diſp. 9.* Azor. *ſup. quæſt. 2.* Clauis-regia *lib. 9. cap. 7. num. 8.* alijque, & probatur tùm ex authent. *ingreſſi Cod. de ſacroſ. Eccl.* vbi deciditur, omnia bona, iura, & actiones Monachi per profeſſionem traſire in Monaſterium, inter quæ non apparet, cur non debeat comprehendi etiam vſus-fructus, cùm nec ibi, nec alibi excipiatur; tùm quia non obſtat, quòd ius vſus-fructus ſit perſonaliſſimum, ſicque cohæreat perſonæ vſu-fructuarij, vt nec ceſſione, nec alio modo tranſire poſſit in aliam perſonam; quamuis enim verum ſit, vſum-fructum non poſſe transferri in alium ex voluntate vſu-fructuarij, poteſt tamen transferri ex conſenſu Domini directi; & à fortiori, ex auctoritate iuris, vt oſtendimus *in tr. de votis cap. 2. ſect. 3. quæſt. 2. §. nec obſtat.*

7 Dixi, niſi fortè vſus-fructus ei relictus ſit pro ſe, eiuſque hærede, quia tunc vſufructuario profitente in Monaſterio capaci, nec inſtituto alio hærede, ſuccedit Monaſterium, vtpotè quod habeatur loco hæredis, *cap. in præſentia de probat.* & tunc cùm in Monaſterio nouus vſus-fructus cẽſeatur conſtitutus, ſicut in illo hærede eſt, durabit 100. annos poſt vitam Monachi æquè, ac durat vſus-fructus relictus Monaſterio, quod tamen non eueniret, ſi vſusfructus eſſet conceſſus Monacho pro ſe, ac ſuis filijs, cùm hic nomine filiorum veniant veri filij, quales non ſunt Monaſterium, vt rectè notauit Sanch. *ſup. cap. 13. nu. 60. addens num. 55.* Quòd ſi Monachus ante profeſſionem factam in ordine incapaci alienauit commoditatem vſus-fructus ſibi in ſeculo relictam, tale ius finitur per profeſſionem, cùm commoditas vſus fructus, quæ ſolà poteſt alienari, remanere nequeat extincto iure proprietarij, & alioqui ſecuta profeſſione, cùm adſit id, in quo ſeruetur illud ius.

8 Vſus fructus, quem Monachus habebat in ſæculo, extinguitur per profeſſionem in ordine incapaci, & conſolidatur cum ipſa proprietate; hæc nanq; eſt natura vſusfructus, vt ius illius tranſire non poſſit in alium, niſi ex conſenſu proprietarij, aut diſpoſitione iuris, vt oſtendit Sanch. *cap. 13. num. 50.* in iſto autem caſu non adeſt cõſenſus proprietarij, vt ſuppono, nec iuris diſpoſitio, cùm potiùs iure oppoſitum ſtatuatur, nimirùm, vt non tranſeat ad hæredes. Azorius *tom. 2. lib. 2. cap. 22. quæſt. 4.* Sylueſter *verbo Religio 6. quæſt. 1.* & alij apud Sanchez *nu. 53.* qui *n. 54.* negat extingui legatum annuum relictum ſæculari poſtea profitẽti in ordine incapaci, ſuſtinetque, illud, ſecuta eius profeſſione, transire ad hæredes ſuccedentes in alia ius bona.

9 Ius, quod vocatur retractus, competens ratione ſanguinis, non debetur neq; Monacho, neque Monaſterio, nomine Monachi, id que ſiuè ſit ordo, ad quem is tranſit, ſit capax, ſiuè ſit incapax: Et ratio eſt, quòd reſpectu vtriuſque ceſſat finis retractus, qui eſt, nè res vendita alienetur à propria familia: reſpectu quidem Monachi, eo quòd ille non acquirat ſibi, ſed Monaſterio, quod eſt extraneũ; reſpectu verò Monaſterij, eò quòd ipſũ nõ ſit de familia vẽditoris, & res retracta non ſit ampliùs reditura ad familiam: Nomine autem retractus, intelligitur ius, alicuius gẽtis, aut Ciuitatis ſtatuto, vel conſuetudine conceſſum proximo conſanguineo venditoris intrà certum tempus reſcindendi, & ad ſe reuocandi venditionem rei immobilis, eodem pretio oblato, quo illa ab extraneo, aut à remotiore conſanguineo fuerat empta; ità Sanchez *cap. 14. num. 27.* addens *nu. 28.* Monaſterio vendente rem ad vitam profeſſi, non admitti proximiorem cõſanguineum ad retractum, cùm res illa deſiet ie eſſe Monachi, & trãſlata in Monaſterium exierit è familia, & è ſanguine.

10 Patre profitente in Religione, legitima ſtatim debetur filijs; & è contrà, profitẽte filio, legitima debetur ſtatim parentibus à die profeſſionis, ſi ij profiteantur in ordinem

ordine incapaci, cùm talis professio æquiparetur morti naturali; imò etiamsi profiteantur in ordine capaci, sic enim valdè probabile est, legitimam deberi; tùm filijs statim, ac Pater profitetur filius, quod tamen negant Rodriq *tom.2 quæst.* 80.*a* 8 alijq; plurimi, quorum opinionem dicit Sanch. *lib.7 mor.cap.*10.*num.*3 esse probabilissimam, quamuis aliàs nostram sequatur sententiã cum Molina *tract.* 2. *disp.* 140.§. *an verò statim,* Lessius *sup.num.*83. Azor.*tom.*1.*lib.*12.*cap.* 8. *qu.* 7. alijsque plurimis. Et certè quòd profitẽte Patre, legitima statim debeatur filijs; probatur tùm ex authen *Si qua mulier Cod. de sacrosanct. Eccles.* in qua satis innuitur, Patrẽ etiam post professionem, vel Monasterio inuito, posse diuidere, & tradere filijs suas legitimas portiones; quod non esset verũ, si toto tempore vitæ paternæ eæ pertinerent ad Monasterium: tùm quia æquum nõ est, vt filij post Patris professionem sint deterioris cõditionis, quàm si Pater esset sui, iuris, si autem si esset sui iuris ante mortẽ multis bonis se spoliaret, vt filios, ac filias decenti iungeret matrimonio. Quòd verò profitente filio statim etiam, debeatur legitima parentibus, indè constat, quòd legitima parentum, & legitima filiorũ æquiparantur, ac vniformitèr debẽtur, sicq; de vtraq; illarum paritèr philosophandum est, vt rectè notauit Sanch. *n.*10. Monẽs. *nu.* 11. data opinione eorum, qui sustinẽt, profitente Patre, non statim filijs deberi legitimam, saltem Monasterium succedens in bona illius teneri dare alimenta eius filijs; sicut è contrà, profitente filio, tenetur ea præstare parentibus, si hi aliundè ea non habeant.

11 Quin etiam docet Bord. *tom.2. resol.*55.*n.*14 Patrem, qui de suis bonis ante professionẽ non disposuit, post illam posse distribuere inter filios suos, legitima nulli eorum diminuta, & quod eis non dederit, competere Monasterio, iuxtà Authenticam *ingressi cap. de sacros. Eccl.* approbatam iure Canonico *in cap. Si qua mulier* 19.*qu.*3. *vbi Glos. verbo Diuidere*, ait, professum hinc non dici habere propria, sed disponere aliena; præterquàm quod ad hanc dispositionem Pater dici potest concurrere cum Conuentu, sicque non dicitur facere actum proprietatis; & ipsa dispositio non videtur actus proprietatis, sed potiùs conformis paupertati, vt potè abdicans à Religioso bona aliquo modo ad eum attinentia; & se habet velut executio bonorum alienorum; ità vt Religiosus sic disponens se habeat, ac Religiosus testamenti executor, *cap. fin. de testam. in* 6. Quin & dici potest dispensari in hoc à lege: & quidem, quòd quæ supersunt ex bonis Patris, in isto casu, competant Monasterio capaci, pater, quia bona ingredientis Religionem sequuntur personam, si ante professionem de ijs non disponat, vt ostendit Sanch. *lib.*7.*mor.cap* 12.*nu.*4.& 21. iuncto *cap.*10.*num.*3 Dixi, Monasterio capaci, si enim sit incapax, ea bona debentur de iure succedenti ab intestato.

PARAG. VNIC.

SVMMARIVM.

1 *Mendicantium priuilegiatorum Monasteria possunt habere bona stabilia in communi.*
2 *Non item in particulari.*
3 *Non priuilegiatorum Monasteria, non possunt.*
4 *Fratribus Minoribus, & Capuccinis possunt relinqui legata.*
5 *Quando hoc primò limitetur.*
6 *Secundò.*
7 *Tertiò*
8 *Ad longũ tempus non potest legari annuus redditus.*
9 *Quartò.*
10 *Qua conditione possit fieri legatum Religioso.*
11 *Verba illa, &c. quomodò interpretanda.*

1 MOnasteria Mendicantium priuilegiatorum possunt in communi habere bona stabilia: Ratio, quia licèt ratione Regulę: sint incapacia dominij, tamen ratione priuilegij fiunt capacia, & possunt succedere, sicuti succedunt Monasteria Religiosorum non Mendicantium: sunt etiam capacia, vt ipsis relinquantur legata.

2 Religiosi priuilegiati in particulari nõ sunt capaces dominij rei immobilis, aut mobilis, ob votum paupertatis solenne, quod emittunt in Religione approbata.

3 Monasteria Mendicantium non priuilegiatorum, vt sunt Monasteria Capuccinorum, Fratrum de Obseruantia Reformatorum, &c. non possunt habere dominium rerum immobilium, & mobilium neque in communi, neque in particulari: Ratio, quia ipsi vouent paupertatem in communi, & in particulari; & non gaudẽt fauore priuilegiorum, &c. & neque habẽt dominium eorum, quæ vsu consumuntur, sed eorum dominiũ debet, vel perseuerare apud fideles, qui illas largiuntur, vel esse apud Sedem Apostolicam: Et quamuis Ioannes XXII. illud à se abdicauit, tamen alij Pontifices sequentes, illud admiserũt, vt habetur in priuilegijs Minorum, *verbo Paupertas.*

4 Licèt Fratres Minores de Obseruantia, & Capuccini, &c, eorumque Monasteria, aut Ecclesiæ, hæredes institui non possint, tamẽ legata ipsis relinqui possunt per modum piæ donationis, seù eleemosynæ, iuxtà *cap. Exijt*, §. *ad hæc quia fratribus de verbor. signific. in* 6.

5 Hæc tamen doctrina debet primò limitari, nisi legatum sit tantæ quantitatis, vt videatur reliqui in fraudẽ, & sub nomine, & ad formã legati, hæreditas dari. Clemẽt. *exiui* §. *cupientes de verbor. signific. in* 6. Sanch. *lib.* 7. *moral. cap.* 26. *num.* 11. Rodriq. *tom.*2. *regular. qu.* 126. *art.* 1. qui volunt ex legatis tantùm accipi posse pro sustentatione Minorũ, quãtùm spectata personarum, temporum, ac locorum qualitate, alijsq; circumstantijs, Ministri, & Custodes arbitrati fuerint necessarium esse inopię subleuãdę; ità vt ampliùs non exigatur, aut recipiatur, donèc noua necessitas appareat.

6 Secundò, debet limitari, nisi Fratribus Minoribus legetur domus, seù habitatio seiuncta ab eorum Monasterio, talẽ enim possi-

possidere non possunt, *cap. 1. §. confirmatos de Religiosis domibus in 6. cap. vnic. de excessibus Prelat. in 6.* veteres tamen domos instaurare, & extendere possunt, si indigeant, ad eumque vsum, domum legatam contiguam sibi acceptare, vt explicat Sanchez *loco citato num. 22.*

7 Tertiò limitatur, nisi Fratribus Minoribus pro eorum victu, & vestitu legetur annuus redditus perpetuus, vel ad longum tempus; eius enim incapaces omninò sunt. Clement. *exiui §. cumque annui redditus de verb. signific.* Dixi primò, pro eorum victu, & vestitu; ità videlicèt, vt tali legato paupertas, & mendicitas eorum tollatur: interim verò nihil obstat, annuos redditus ipsis legari pro luminaribus, aut ornamentis Ecclesiæ, pro vino, vel frumento ad quotidianum sacrificium necessario, vti ex cõmuni docet Rodriq. *tom. 2. regul. qu. 126. art. 5.* Em. Sà *verbo Religio num. 57.* & alij: Item si legatum annuum sit pro coemendis libris studio litterarum necessarijs. Sanchez *loco cit. num. 46.*

8 Secundò, dixi, non posse legari redditum annuum perpetuum, vel ad tempus longum, idest decennium, vel vltrà, quia ad minus tempus legari potest, cùm veluti vnum legatum censeatur, cuius solutio ità diuisa sit, vt per eam mendicitas non tollatur, sicuti obseruat Syluest. *verbo Legatum 2. qu. 3.* Sanch. *loco citato num. 36.*

9 Quartò, debet limitari, nisi legato rei, seù immobilis, seù mobilis adijciatur modus, qui repugnet eorum professioni, *ex cap. Exiit §. ad hæc, quia Fratribus de verbor. signific. in 6.* vt v.g. si legetur eis vinea, vt ipsi eam retineant, excolant, & fructus pro vino quotidiano colligant, &c. Si verò absolutè legata sit vinea, vel alius fundus, valet legatum, cùm illud vẽdi possit, ac debeat, & ex pretio, necessitati Fratrum subuenire. Clemẽtina *exiui §. ad hæc.* deindè si hortus legatus sit ad Fratrum recreationẽ necessarius, vel ad quotidiana onera decerpẽda, valet vtique legatum, cùm tales hortos possidere possint; ità tamen vt alteri non noceant, aut fructus diuendant. Clement. *exiui §. licèt verò.*

10 Religioso potest fieri legatum cum cõditione, vt nihil acquiratur Monasterio; ità Homobonus *de bonis in examine Ecclesiast. par. 2. tract. 9. cap. 8. qu. 21.* vbi sic ait. *Et si donatio causa mortis, vel legatum factum Religioso professo cum conditione, vt illud habeat independenter ab eius Prælati voluntate, validum non sit, cùm hoc omnimodo paupertatis voto aduersetur; subsisteret tamen, si relinqueretur; ità vt nihil Monasterio acquiratur, quia legatum illud intelligendum est, vt Religiosus illud habeat, oculis Prælati conniuentibus, qui si illam licentiam dare nolit, relictum expirat.* Ità ille, & ante illum Molphesius *in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 20. num. 50.* Vincentius de Franchis *decis. 718.* Rodriq. *tom. 2. quæst. 125. art. 2.* & alij.

11 Notandum est tamen, quòd illa verba, *vt nihil iuris Monasterio acquiratur*, interpretanda sunt, vt cum licentia Superioris illud legatum in vsus licitos, & honestos, vt vestimentorum, & librorum, &c. conuertat, licèt indirectè hoc in ipsius Monasterij commodum redundet; non tamen intelligenda sunt, vt ille ad libitum, & quomodocumque etiam cum licentia Superioris disponere possit; ità enim faciẽs, esset proprietarius, nec Prælatus illam licentiam dare potest.

F I N I S.

R E G E S T V M.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr.

Omnes ſunt terniones.



A V G V S T Æ   T A V R I N O R V M,

Ex Typographia Bartholomæi Zapatæ.

Superiorum auctoritate.

DE HIERARCHIA ET IVRE ECCLESIÆ MILITANTIS

TOMVS SECVNDVS

LIBER QVINTVS.

PARS PRIMA.

De Iudicijs Ecclesiasticis, siuè Ecclesiæ militantis, & sæcularibus.

ABsolutis quatuor Iuris Canonici libris, nimirùm; De Ecclesia Dei militante; de Lege Ecclesiæ militantis; de Personis, & rebus Ecclesiasticis, restat explicandum in isto Quinto, De iudicijs Ecclesiasticis, siuè Ecclesiæ militantis, de quibus in præsenti;

TITVLVS I. De Iudicijs.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium quid sit.*
2 *Quotuplex sit.*
3 *Diuiditur etiam in criminale, & ciuile.*
4 *Modus procedendi in iudicio.*
5 *Quando Iudex procedat via denunciationis.*
6 *Inquisitio triplex.*
7 *Quando Iudex procedit inquisitione generali, &c.*
8 *Infamia quid sit.*
9 *Item clamorosa insinuatio.*
10 *Semiplena probatio quid.*

1 IVdicium est legitima cōtrouersię apud Iudicem tractatio, & diiudicatio; ità *cap. For. 10. de verbor. significat.* siuè iudicium est actus trium personarum, Iudicis, Actoris, & Rei in iudicio legitimè contendentium: siuè vt alij loquuntur, legitima causæ cum forensi strepitu per Iudicem facta discussio.

2 Iudicium, vel Ecclesiasticum, vel sæculare; ordinarium, vel extraordinarium est: Ecclesiasticum est, quod coram Iudice Ecclesiastico, inter personas Ecclesiasticas, vel saltem contrà personam Ecclesiasticam, aut de causa Ecclesiastica agitatur, *cap. Decernimus 2. cap. Causam matrimony 16. de officio Delegati, cap. De foro cōpet.* Sæculare est, quod coram Iudice Laico, inter personas sæculares, de causa sæculari exercetur, *cap. Decernimus*. Ordinarium est, in quo exquisito, & solenni iuris ordine seruato proceditur: Extraordinarium, seù summarium est, quando non in figura iudicij, sed ex Iudicis officio per modum inquisitionis, vel denunciationis, vel aliàs de plano proceditur, *cap. Super his 16. cap. Qualitèr 17 De accusat.*

3 Diuiditur etiam iudicium in criminale, ciuile, & mixtū: Causa criminalis est, quando principalitèr agitur ad commodum publicum, ex delicto tantùm, seù ad publicam vindictam: Ciuilis verò, quādo principalitèr agitur in iudicio ad commodum priuatum, siuę talis causa procedat ex delicto, siuè ex contractu: & de causa ciuili, siuè de Iudice Ecclesiastico agimus in præsenti: Causa verò mixtà dicitur, si pœna veniat applicanda partim parti, & partim Fisco:

4 Modus procedendi in iudicijs triplex à Doctoribus affertur, per accusationem, per



DE HIERARCHIA ET IVRE *ECCLESIÆ MILITANTIS*

TOMVS SECVNDVS
LIBER QVINTVS.
PARS PRIMA.

De Iudicijs Ecclesiasticis, siuè Ecclesiæ militantis, & sæcularibus.

ABsolutis quatuor Iuris Canonici libris, nimirùm; De Ecclesia Dei militante; de Lege Ecclesiæ militantis; de Personis, & rebus Ecclesiasticis, restat explicandum in isto Quinto, De iudicijs Ecclesiasticis, siuè Ecclesiæ militantis, de quibus in præsenti:

TITVLVS I.
De Iudicijs.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium quid sit.*
2 *Quotuplex sit.*
3 *Diuiditur etiam in criminale, & ciuile.*
4 *Modus procedendi in iudicio.*
5 *Quando Iudex procedat via denunciationis.*
6 *Inquisitio triplex.*
7 *Quando Iudex procedit inquisitione generali, &c.*
8 *Infamia quid sit.*
9 *Item clamorosa insinuatio.*
10 *Semiplena probatio quid.*

1 IVdicium est legitima cōtrouersię apud Iudicem tractatio, & diiudicatio; ità *cap. For. 10. de verbor. significat.* siuè iudicium est actus trium personarum, Iudicis, Actoris, & Rei in iudicio legitimè contendentium: siuè vt alij loquuntur, legitima causæ cum forensi strepitu per Iudicem facta discussio.

2 Iudicium, vel Ecclesiasticum, vel sæculare; ordinarium, vel extraordinarium est: Ecclesiasticum est, quod coram Iudice Ecclesiastico, inter personas Ecclesiasticas, vel saltem contrà personam Ecclesiasticam, aut de causa Ecclesiastica agitatur, *cap. Decernimus 2. cap. Causam matrimonij 16. de officio Delegati, cap. De foro cōpet.* Sæculare est; quod coram Iudice Laico, inter personas sæculares, de causa sæculari exercetur, *cap. Decernimus*. Ordinarium est, in quo exquisito, & solenni iuris ordine seruato proceditur: Extraordinarium, seu summarium est, quando non in figura iudicij, sed ex Iudicis officio per modum inquisitionis, vel denunciationis, vel aliàs de plano proceditur. *cap. Super his 16. cap. Qualiter 17 De accusat.*

3 Diuiditur etiam iudicium in criminale, ciuile, & mixtū: Causa criminalis est, quando principalitèr agitur ad commodum publicum, ex delicto tantùm, seù ad publicam vindictam: Ciuilis verò, quādo principalitèr agitur in iudicio ad commodum priuatum, siuę talis causa procedat ex delicto, siuè ex contractu: & de causa ciuili, siuè de Iudice Ecclesiastico agimus in præsenti: Causa verò mixtà dicitur, si pœna veniat applicanda partim parti, & partim Fisco:

4 Modus procedendi in iudicijs triplex à Doctoribus affertur, per accusationem, per

per denunciationem, per inquisitionem. Iudex via accusationis iuridice procedit, quoties, delata accusatione, interrogat testes, & posteà habita saltem semiplena probatione, interrogat reum; Vnde Iudex non potest aliquem condemnare sine accusatore.

5 Iudex via denũciationis procedit, quoties de aliquo crimine apud ipsum delato, ex officio procedit ad capiendas informationes, & examinandos testes nominatos à denunciatore, quæ denunciatio duplex est, Vna Euangelica, quæ tendit ad emendationem; Alia iudicialis, quæ spectat ad punitionem criminum ob bonum commune, & fit Superiori tamquàm Iudici.

6 Inquisitio triplex est: Generalis, specialis, & mixta. Generalis est, quando de persona in communi quæritur crimen in cõmuni: Specialis est, quando de certa persona, & de certo crimine quęritur: Mixta est, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona.

7 Quando Iudex procedit inquisitione generali, non est necesse, quod præcedat infamia personæ, vel delicti; ità Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 13* Molina *tom. 4. tract. 3. disput. 47.* Nauar. *cap. 18. num. 38.* Clauis-regia *lib. 11. cap. 10. nu. 16.* Reginaldus *lib. 25. nu. 647.* & alij: Ratio, quia inquirendo inquisitione generali sine tali infamia, nulli fit iniuria: quãdo verò Iudex inquisitione speciali, vel mixta procedit, debet tunc infamia, &c. præcedere; ità S. Thomas *2. 2. quæst. 67. art. 3.* & alij, & ità colligitur *ex cap. Inquisit. §. 3. de accusat. & ex cap. Qualiter, & quando:* Ratio, quia aliter faciendo, exponeret se periculo infamandi personam.

8 Infamia est frequens vox bonorum, & proborum virorum, quę de tali crimine hominem rationabiliter suspectum reddit. Sotus *lib. 5. de iustitia quæst. 6. art. 2.* Caiet. *2. 2. quæst. 69.* Clauis regia *lib. 12. cap. 10. num. 12.* Reginaldus *lib. 24. nu. 40.* & alij. Ad causandam infamiã nõ satis sunt duo, vel tres testes etiã iurati, qui affirment, se vidisse tale crimen, vt expresse habetur *in cap. Inquisit.* sed requiritur, vt rumor sparsus sit per maiorem partem viciniæ, vel Collegij, vel Vniuersitatis, in qua commoratur; ità Sotus *de secret. membr. 2.* Caiet. *qu. 2.*

9 Clamorosa insinuatio est vox totius populi, vel publicus rumor inter multos de tali crimine extrà iudicium. Indicia sũt signa, & circumstantiæ, ex quibus prudenter, & ratioabiliter iudicamus de actibus aliorum; & sunt in triplici differentia; Alia sunt leuia, quæ sufficiunt ad capiendum reum, nè fugiat; Alia grauia, & hæc sufficiunt ad citandum, & examinandum reũ; Alia sunt indubitata, & hæc sufficiunt ad torquendum reum, vel offerendum illi iuramentum; non tamen sufficiunt ad condemnandum Reum. Azor. *lib. 13. cap. 18. dub. 5* & alij.

10 Semiplena probatio est dictum vnius testis oculati, fide dignissimi, legitimè deponentis cum iuramento, & hic testis dicitur omni exceptione maior, qui scilicèt deponit cum iuramento, se vidisse crimen, quoties criminis perpetratio cadit sub visum; vel qui deponit, se crimen audiuisse, quoties testificatio criminis non cadit sub visum, sed sub auditũ; vt est crimen hæresis, vel blasphemiæ: Itẽ est semiplena probatio confessio Rei facta extrà iudicium, non calore iracundiæ, quod probetur per alios testes, qui viderunt talem confessionem: Item si confessio fiat, coram Iudice non sedẽte pro tribunali, dummodò probetur per duos testes: Item per scripturam Rei claré cognitam, in qua delictum fatetur: Item præsumptionem vehementem, duo socij criminis faciunt, & semiplenam probationẽ: Vltimò, duo testes singulares, vel duo testes non idonei, &c. vt duæ fœminæ efficiunt semiplenam probationem.

PARAGR. I.

SVMMARIVM.

1 *Quando crimen est manifestum, Iudex habet ius inquirendi, &c.*
2 *Attendendum est, ex quibus oriatur infamia.*
3 *Clamorosa insinuatio, quando requiritur coniuncta cum infamia.*
4 *Quid agendum, quando proceditur per inquisitionem mixtam.*

1 QVando manifestum est crimen, Iudex in genere habet ius inquirendi de ipso, quis illud fecerit; non autem in specie, nisi de eo sit aliqua fama, vel indicia: Ratio, quia in ista inquisitione nulli fit iniuria. Si Iudex inquisitione generali procedat, interrogati non tenentur reuelare Reum, nec complicem, nisi præcedat infamia, vel indicia: Ratio, quia dum Reus occultus est, habet ius, nè coram alijs manifestetur, & puniatur: Si verò crimen adhùc esset perpetrandum, vel si ex eo graue damnum alicui impenderet, quod alia ratione non posset commodè auerti, interrogatus posset, & etiam deberet auctorem patefacere, & si omninò occultum, & nulla infamia laborantem: Item à Iudice per censuras compulsus non tenetur in generali inquisitione delictum occultum manifestare, sed tantùm tenetur ea manifestare, quorum Auctores laborant infamia de tali delicto: Ratio, quia interrogatus solùm respondere debet circa ea, quorum superior est legitimus Iudex; superior non est legitimus Iudex eorum, quæ sunt occulta, & nondùm diffamata.

2 Attendendum est, infamia, ex quibus oriatur, an ex maleuolis, vel leuissimis hominibus, quia isti non generant veram infamiam: Item posse esse aliquem de famatum de vno crimine, & tamen hoc nõ sufficere, vt inquiratur de alijs disparatis; fama enim diuisibilis est, & põt adhuc in alio vitio retinere bonum nomen, & existimationem; secùs esset de vitijs connexis, quorum sufficiens suspicio generatur ex alijs, super quibus iam est infamatus.

3 Clamorosa insinuatio requiritur coniuncta

iuncta cum infamia, quando inquisitio fit contrà Prelatum, aut Collegium: cum verò inquisitio fit contrà subditum, sufficit infamia absque clamorosa insinuatione. Farinac. *conf.* 130. Sotus *de tegendo secreto memb.* 2. *qu.* 2. *dub.* 3.

4 Quando quæritur per iurisdictionem mixtam de auctore criminis in communi, non requirit infamiam delinquentis, aut semiplenam probationem, aut accusationem: Ratio, quia per huiusmodi inquisitionem nulli fit iniuria, & hæc est praxis, tàm Ecclesiastici, quàm sæcularis fori; ità Molina *tom. tom.* 3. *disp.* 47. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 10. Salon. 2. 2. *qu.* 2. & alij.

TITVLVS II.
De Iudice.

SVMMARIVM.

1 *Iudex, qui sit.*
2 *Quis delegare possit.*
† *Qui possint delegari.*
3 *Quando tota causa subdelegatur, subdelegans an possit causam reassumere.*
4 *Delegatus an possit mandare ad executionem sententiam a se latam.*
5 *Delegari non possunt surdi, & muti, &c.*
6 *Ex quibus capitibus irrita sint gesta à Iudice delegato.*
7 *Gesta per habentem iurisdictionem putatiuam, an sint valida.*
8 *An Iudice necessaria est potestas, & iurisdictio.*
9 *Iudex excommunicatus, quando peccet, vsurpatione iudicij.*

1 IVdex est persona, quę iurisdictioni preest, & populo iuxtà legis præscriptum, locique consuetudinem ius dicit; ita *cap. Forus* §. *Iudex de verbor. significat.* qui duplex est Ordinarius, & Delegatus; Ordinarius est, qui ex suo munere, vel officio iurisdictionem exercet, siuè exerceat officium supremi, siuè non, vt Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, &c. *cap. Omnes* 1. *dist.* 22. Delegatus, qui non ex proprio munere, sed ex commissione mediata, vel immediata alterius, quam habet ex proprio munere iurisdictionem exercere potest.

2 Delegare possunt omnes Iudices ordinarij, & Papæ Delegati; cæteri verò Delegati subdelegare nō possunt. Qui delegātur, debent esse homines liberi, masculi, ætatis legitimæ, idest 20. annorum, *cap. Cum vigesimum* 41. ingenio, & iudicio præditi, prouidi, periti, iurisdictioni delegantis subditi, personę Ecclesiasticę, licèt sint simplices Clerici, si ab Ordinarijs delegētur; si verò Papa, vel eius Legato, debent esse in aliqua dignitate, vel personatu cōstituti, aut saltem Ecclesię alicuius Cathedralis Canonici, *cap. Statutum* 11.

3 Quando Delegatus totam causam subdelegat, vt nihil illius sibi reseruet, tunc integra, poterit causam sibi reassum[illegible] reuocando subdelegationem; ità ha[illegible] *cap. Quamuis de offic. delegat. in* 6. si verò [illegible] sit integra ex eo, quod subdeleg[illegible] vti cœperat iurisdictione sibi delegata, tunc eo ipso expirat iurisdictio in Delegante, & consequētèr non potest ampliùs causam illam ad se reuocare, vel alio modo se in ea intromittere; ità *cap. Venerabili, de officio delegat.* & *cap. Si delegatus in* 6. quando verò, solùm partem causę subdelegauit, tunc per eam subdelegationem non expirat iurisdictio, etiam re non integra, & ità habetur *cap. Super quæst. de offic. delegati, & cap. Si delegatus in* 6.

4 Delegatus supremi Pontificis potest mādare executioni sententiam à se latam; ità ex *cap. Significasti, cap. In litteris, cap. Quærenti,* & *cap. Pastoralis,* § *quia, verbo De offic. delegati,* quod etiam dicendum est de Delegato Principis non recognoscentis Superiorem; ità Panormitanus *in cap. Contrà Clericum num.* 31. *de foro compet.* Molina *tract.* 5. *disput.* 26. *num.* 4. & alij ab ipso relati. Delegatus inferioris Principis de Iure Canonico exequi potest sententiam à se latam, nisi Delegans expressè executionem sententiæ sibi reseruasset: Ratiò, quia executio sententiæ ad merum, & mixtum Imperiū pertinet, quod de iure Canonico delegari potest; de iure verò ciuili, Delegatus inferioris Principis non potest exequi sententiam à se latam, sed executio illius ad Iudicem ordinariū delegantem spectat: Ratio, quia ea, quę sūt meri, & mixti Imperij, de iure ciuili delegari non possunt.

5 Delegari non possunt surdi, & muti, *cap.* 1. §. *tria sunt* 3. *quæst.* 7. Item perpetuò furiosi: Ratio, quia furiosus est incapax iurisdictionis in facto esse, & per consequens in fieri: Item minor 20. annis: Item infames, vt hæretici, fures, sacrilegi, capitalibus criminibus irretiti, & aliqui à Iure infames habentur.

6 Ex quinq; capitibus possunt reddi irrita gesta à Iudice Delegato: Primò, si non legitimè constet de delegatione facta, quia cùm hæc sit quid facti, nō præsumitur, nisi probetur, *l. in bello* §. *facta,* nisi Delegatus esset in alta dignitate constitutus, v.g. si esset Cardinalis, &c. Secundò, quando Delegans non habet potestatem subdelegandi: Tertiò, quando persona delegata non erat capax iurisdictionis, cùm non haberet requisita: Quartò, si causa, quæ delegatur, non pertineat ad forum Delegantis: Quintò, quando causa pluribus est delegata, & vnus sine alio in causa procederet, quia tunc acta essent nulla, *l. Si duo ex tribus ff. de re iudic.* & *cap. Causam* 1. *cap. Cùm causam, de offic. deleg.*

8 Gesta per habentē iurisdictionem delegatam, non veram, sed putatiuam cum cōmuni errore, valida sunt; ità *cap. Cùm dilectus de rescriptis num.* 15. & omnes communitèr.

8 In[illegible] necessaria est potestas, & iu[illegible] leò sententia lata sine pote[illegible] ctione, inualida est, quia iu[illegible] quæ[illegible] articularis; lex [illegible]te[illegible] ri à non ha[illegible] e[illegible] ionem; qui [illegible] d titulo col[illegible] locato,

locato, & communi errore putatur Iudex, sufficientem iurisdictionem, & potestatem dicitur habere, modò non adsit impedimentum Iuris naturæ, vel Diuini, quod ab Ecclesia, vel humana potestate suppleri non potest; ità D. Thomas *2.2. quæst. 67. art. 1.* Reginaldus *lib. 25. num. 641.* Azor. *3. par. lib. 13. cap. 12.* & alij.

9 Iudex excommunicatus nō peccat vsurpatione iudicii, si excommunicatio est occulta, & sententia, cæteraque eius acta publica sunt valida, quia nō est priuatus, nec suspensus ab officio: & hoc intelligendum est, non solùm in sententijs, & actis fori externi, sed etiam sacramentalis, & Couaru. *in capit. Alma 1. par. §. 7.* Suarez *de censuris disput. 16. sect. 1.* & alij: Ratio, quia cùm Concilium Constantiense indulserit communionem cùm excommunicatis, qui non sunt nominatim denunciati, vel notorij Clericorum percussores, ad euitanda scandala, & pericula peccatorum, eo ipso videtur velle, eorum actus iudiciales validos esse; sententiæ autem Iudicis excommunicati non tolerati, non sunt validæ: Ratio, quia priuatur iurisdictione, & hæc doctrina procedit tàm in Iudice Ordinario, quam Delegato: si verò propter loci distantiam, eorum excommunicatio ignoretur, sententiæ validæ sunt, Diana *par. 3. tract. 9. resol. 108. & 109.* & alij.

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

5 *Definitio iurisdictionis in genere.*
2 *Iurisdictio, quomodo diuidatur.*
3 *Merum imperium habet plures gradus.*
4 *Item mixtum imperium.*
Item & iurisdictio specialis.

1 IVrisdictio in genere ità definitur, Est potestas de publico introducta cum necessitate iuris dicendi, & æquitatis tamquàm persona publica statuendę. Verùm hęc definitio iurisdictionis non censetur sufficiens, cùm non competat omni contento sub definito: Primò, quia nō competit iurisdictioni Summi Pontificis, quę non de publico; hoc est Reipublicę auctoritate, est introducta, sed à Christo Ecclesiæ tradita: Alij iurisdictionem latissimè sumptā ità definiunt, Est facultas, seu ius, stricti iuris vnumquodque circà ea, quę sibi tamquam Superiori subduntur ea omnia, ad quæ munus sui Superioris extēdit. Verùm hęc definitio etiam habet aliquā difficultatē, quia non conuertitur cum suo definito, seù nōn competit omni contento, quia nō comprehēdit omnem iurisdictionem voluntariam, quam aliquando quis exercet cum seipso, & tamen non est sibi ipsi subditus, nec Superior seipso; vndè valdè difficile est assignare definitionem iurisdictionis, quę omni iurisdictioni conueniat, seù quę de omni iurisdictione prędicari possit.

2 Iurisdictio in genere, & latè sumpta diuiditur in Imperium, & iurisdictionem specialem strictè sumptam: & Imperium diuiditur in Imperium merum, & mixtum; Imperium ità definitur à Bartolo, & Panormitano; *Est iurisdictio, quæ officio Iudicis nobilis exercetur*; & ideò dicitur Imperiū, quia est ex imperio, & auctoritate: iurisdictio verò strictè sumpta sic ab eisdem Auctoribus definitur; *Est iurisdictio, quæ exercetur officio Iudicis mercenario, priuatam auctoritatem respiciens principaliter*; officium Iudicis mercenarij sic definitur; *Officium Iudicis, quod deseruit actioni alterius*. Officium verò Iudicis nobilis sic definitur ab eisdem Auctoribus; *Est officium Iudicis, quod non deseruit actioni alterius, sed per se stat*: Imperium merum ità definitur à Bartolo *in l. Imperium*, & à Panormitano *in cap. Quod sedem*; *Est iurisdictio, quæ officio Iudicis nobili exercetur, publicam vtilitatem respiciens* principalitèr: Imperium mixtum sic definitur *locis cit.* Est iurisdictio, quæ officio Iudicis nobili exercetur, priuatam vtilitatem respiciens principalitèr.

3 Merum Imperium habet plures gradus: Primus dicitur, merum Imperium, maximum, ad quod pertinet potestas condendi legem generalem, quæ competit soli Principi, & Senatui, *l. 2. ff. de constit. & l. non ambigitur ff. de legib.* Secundus gradus meri Imperij appellatur merum Imperium maius, & est potestas malefactores puniēdi pœna amissionis vitæ, vt habetur *in l. Imperium*, & etiam abscissionis membri, quia hæc ęquiparatur morti naturali: Item potestas illos morte ciuili puniēdi, eos in seruitutem redigendo, &c. & de iure Canonico, potestas degradandi pertinet ad maius Imperium merum, & tradendi illos Curiæ sæculari; ità Panormitanus *in cap. Quod sedem*, quia talis degradatio, & traditio æquiparatur vltimo supplicio, vt notat Innocentius *in cap. Qualiter*: Tertius gradus, qui est merum Imperium, magnum, & potestas damnandi perpetuę amissionis Ciuitatis tantum: Quartus gradus, qui est Imperium merum, paruum, est potestas puniendi aliquem acritèr in corpore, vt pœna flagellorum, *l. si quid ff. de offic. pro consul.* Quintus gradus, quem Doctores appellant merum Imperiū minus, est potestas leuitèr coercendi in corpore: Sextus gradus, qui dicitur merum Imperium minimum, est potestas puniendi mulcta, seù leui pœna pecuniaria.

4 Mixtum Imperium habet etiam plures gradus: Primus dicitur maximus, & est potestas ad ea, quæ non possunt expediri, nisi per solum Principem: huiusmodi sunt cōcedere minoribus veniam ætatis, &c. Secundus gradus dicitur maior, ad quem pertinet potestas corrigendi sententiam ex Bartolo, ex supplicatione, quę soli Principi competit, & Prætori; Alij verò Magistratus sententiam suam corrigere non possunt, sed per appellationem deuoluitur potestas ad Superiorem, *cap. Romana, de appellat. in 6.* licèt iste secundus gradus videatur superfluus, cùm omnes Magistratus possint corrigere suam sententiam; ità Bolognet. *in l. Imperium ff. de iurisdict. omnium Iudic.*

Tertius

Tertius gradus appellatur magnus, qui requirit plenam causæ cognitionē, & coerctionem realem, vel personalem: Quartus gradus dicitur, qui fit cum plena causæ cognitione, licèt non habeat coerctionem realem, vel personalē, &c. Quintus gradus est mixtum imperium minus, vt sunt illi casus, qui nō requirunt plenam causę cognitionem, sed solùm summariā, &c. Sextus gradus est mixtum imperium minimū, & sunt ea, quę expediuntur officio nobili Iudicis, absque vlla causę cognitione.

5 Iurisdictionis specialis etiam plures sunt gradus: Primus dicitur maxima iurisdictio, & continet ea, in quibus vertuntur res maximi pręiudicij: Secundus gradus dicitur iurisdictio maior, quę versatur in casibus, in quibus, ex vigore sententiæ latę super aliqua actione, potèst venire ad cruciationem corporis, vt si quis non possit soluere in ære, luat in corpore, vt *l. Quicumque Cod. de seruis fugitiuis:* Tertius gradus est iurisdictio magna, & est illa, in qua cōtinentur causę pecuniarię à trecentis aureis suprà; & hęc non competit, nisi maioribus Magistratibus, non autem inferioribus, vt *in authent. de defens. Ciuitatum:* Quartus gradus dicitur iurisdictio parua, quę continet causas pecuniarias infrà trecentos aureos: Quintus gradus est iurisdictio minor, & est illa, quę consistit in causis centum aureorum, & infrà: Sextus gradus, qui appellatur iurisdictio minima, versatur, secundum Bartolum, *l. Imperium num. 25.* circà causas centum aureorum, in quibus si ordo iudiciarius obseruaretur, plus esset damni, quàm emolumenti, & plus expenderetur, quàm haberetur.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio duobus modis conceditur.*
2 *Concessa iurisdictione, conceditur etiam Imperium.*
3 *Iurisdictio non conceditur actu interno.*
4 *Princeps habens iurisdictionem in Regno, eam etiàm habet in mari adiacente.*
5 *Iurisdictio metu extorta est valida.*
6 *Acquiritur etiam præscriptione.*
7 *Præscriptio immemorialis maior, est centenaria.*
8 *Effectus præscriptionis immemorabilis.*

1 IVrisdictio duobus modis concedi potest, in dominium, & in officium, seù administrationem: In dominium appellatur illa, quam habent Barones, ex concessione alicuius Castri, ipsis facta à Rege, cui est annexa iurisdictio: Iurisdictio verò in officium est, quam habent Magistratus, & Iudices deputati ad iustitiæ administrationem.

2 Concessa iurisdictione ordinaria in officium, conceditur etiam merum, & mixtum Imperium, & sic iurisdictio criminis: Ratio est, quia concessio Iurisdictionis fauorabilis est; & ideò non videtur restringenda ad simplicem iurisdictionem, sed etiam ad merum, & mixtum Imperium, & ità Alex. *consil. 324.* Couar. *quæst. practicar. cap. 1.* Iason. *l. Imperium ff. de iurisdict. omn. Iudic.* & alij: Dixi, ordinaria, quia iurisdictio delegata est odiosa; & ideo restringenda ad iurisdictionem, ità vt non comprehendat Imperium, quod est iurisdictio qualificata.

3 Iurisdictio concedi non potest actu merè interno, sed requirit actus externus, nimirùm vt aliquo signò externo manifestetur: Ratio est, quia est concessio facta homini ad actum externum; & ideò requiritur, quòd sit externa, & ipsi innotescat, & ità Victor. *in sum. sacram. num. 153.* Henriq. *lib. 6. de pœnitentia cap. 13. num. 13.* Sanch. alios referens *lib. 3. de matrimon. disput. 36. num. 8.* & alij. Licèt satis sit, quòd signum externum tacitè explicet consensum conferentis iurisdictionem, vt v.g. sciente Episcopo, & tacente, aliquis Sacerdos non approbatus ad audiendas confessiones, illas audiat, & absoluat pœnitentes, censetur recipere iurisdictionem ab ipso Episcopo vidente, & tacente, & consequenter validè absoluere Pœnitentes: Ratio, quia scientia, & tacentia in his, quæ sunt modici præiudicij, est sufficiens signum consensus, & per consequens in casu proposito illa scientia, & taciturnitas est sufficiēs signum consensus, cùm illa auditio cōfessionis modicum, aut nullum præiudicium conferat Episcopo.

4 Princeps, qui habet iurisdictionem in aliquo Regno, habet etiam iurisdictionē in mari adiacente: sic communitèr docēt Doctores *in l 1. Cod. de class.* & ideò Princeps non recognoscens Superiorem, potest imponere vectigal nauibus per illud mare transeuntibus. Osasc. *decis. 155.* & si reperiātur duo territoria æquè distantia à mari, mare interiacens vel erit diuidendum quòad exercitium iurisdictionis; vel erit commune: quare si delictum committatur in loco maris æquè distantis ab illis territorijs, erit locus præuentioni: Item Insula in mari nata est sub iurisdictione Domini terræ propinquioris, sic Gregor. Lopez *in l. 29. tit. 28. par. 3.*

5 Iurisdictio metu extorta valida est; ità Cardinal. *in cap. 2. De ijs, quæ fiunt vi;* tùm etiam quia metu gesta valida sunt, non solùm iure naturæ, sed etiam positiuo; exceptis quibusdam casibus in iure expressis: iurisdictio verò dolo, & mendacijs extorta inualida est, quoties dolus, & mendacia versantur circà causam finalē, & ità communitèr Doctores, quia secùs si dolus, &c. essent solùm circà causam impulsiuam.

6 Iurisdictio acquiritur, etiam consuetudine, & præscriptione; & ità Canonistæ *in cap. Quoniam ne Prælati vices suas, & cap. Conquerente, & cap. Cùm ab Ecclesiarum, de offic. ordin.* Ratio, quia aliæ res, iure permittente, possunt iurisdictione acquiri, & per consequens idem dicendū de iurisdictione, cùm nullibi hæc reperiatur excepta, & hoc verum est, non solùm de iurisdictione ciuili, verùm etiam de criminali, ac mero, & mixto Imperio, quia in hac etiam militat ratio; Verùm ad præscribendū aduer-

sus Principem sine titulo, requiritur tempus immemoriale, cuius initium ignoretur; quando verò adest titulus, sufficit tempus 40. annorum, licèt aliqui dicant 100. annorum, cùm tale tempus requiratur ad præscribendum contrà Ciuitatem; Quod intelligendum est, quando non adest scientia Principis, sed ipso ignorante, iurisdictio possidetur; quia si possideatur, sciente Principe, minus tempus requiritur. Cõtrà priuatos, præscribitur iurisdictio spatio 10. annorum cum titulo, inter præsentes; ingenti inter absentes 30. vel 40. annorum sine titulo; ità Baldus *in l. Si publicanus*, Molina *tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 75.* & alij.

7 Præscriptionem immemorialem maiorem esse centenaria, quia centenaria probari potest publico instrumento, testibus, quorum testimonium, ante illorum mortem, ad rei perpetuam memoriam fuit exceptum: & probata cẽtenaria præscriptione, non censetur probata immemorialis, si de initio talis centenarię pręscriptionis constet: Item centenaria præscriptio probari potest per testes, qui dicant semper id audiuisse, vidisse, nec vnquam vidisse, aut audiuisse contrarium, & fuisse semper cõmunem opinionem, & famam suorum maiorum, & neque extare, neq; extitisse apud suos maiores memoriã de contrario, aut de initio illius possessionis; ità Couar. *regula possessor par. 2. §. 3 num. 7.* Crauett. alios referens *de antiquis tempor. par. 4.* Molina *tom. 1. de iustit. tract. 2. disput. 76.* & alij. Huiusmodi testes debent esse talis ætatis, vt testificentur, spatio 40. annorum, id vidisse, aut audiuisse; ita Mysinger. *centur. 1. obseruat. 30.* & alij.

8 Multi sunt effectus prescriptionis immemorialis: Primò, hæc prescriptio habet vim legitimi tituli. Decius *consil. 534.* Secundò, loco priuilegij habetur, seù habet vim priuilegij concessi à Principe. Baldus *in l. Si quis ad declinandum*: Tertiò, habet vim cõstituti; ita Ioannes Andr. *in cap. Super quibusdã*: Quartò, in præscriptione immemoriali non requiritur bona fides, cùm ex tanti tẽporis cursu presumatur. Boer. *decis 39 num. 6.* Quintò, aduersus prescriptionem immemorialem non potest dari restitutio in integrum. Boerius *loco citato*, Riccius *collect. 778.* Sextò, clausula, non obstante prescriptione, non excludit prescriptionem immemorialem. Decian. *consil. 24. num. 114.* Riccius *loco citato*: Septimò, inuestitura feudi præsumitur obtenta à Principe, quando quis per tempus immemoriale fuit in possessione feudi; ità Gaspar Thesaurus *decis. 2. par. 2.* Riccius *loco citato*, & alij: Octauò, pẽsio annua prescribitur spatio 100. annorum, & multò magis immemoriali tempore; ità Faber *decis. 19. eodem titulo*: Nonò, in prescriptione immemoriali non est necessaria scientia illius, aduersus quem prescribitur; ità Glos. *in l. Hoc iure.*

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Prorogatio iurisdictionis fit quatuor modis, &c.*
† *Duobus modis fit etiam prorogatio.*
2 *Iurisdictio diuiditur in contentiosam, &c.*
3 *Iurisdictio voluntaria differt à contentiosa.*

1 PRorogatio iurisdictionis fit quatuor modis: Primò, de persona ad personã: Secundò, de re ad rem: Tertiò, de tempore ad tempus: Quartò, de loco ad locum. Additur etiam ab aliquibus quinta prorogatio, de casu nimirùm ad casum: fit etiam prorogatio iurisdictionis expresse, vel tacitè; expresse fit, quando partes expresse consentiunt in Iudicem non suum; tacitè
† verò fit prorogatio duobus modis: Primò, quando quis patitur se conuenire coram Iudice incompetenti, & non declinat eius forum, opponendo exceptionem declinatoriam: Tacitè fit prorogatio per reconuentionem, quod dupliciter potest intelligi, scilicèt ex parte renunciantis, vel ex parte reconuenti: exemplum primi est, vt si tu conuenis me coram Iudice incompetenti, ego, qui sum reus, possum declinare eius iurisdictionem, tamen si non declino, sed statim reconuenio coram eodẽ Iudice, ex hoc ipso videor in Iudicem cõsentire, & sic nõ possũ ampliùs declinare ipsum in prima causa contentionis; ità Afflictus *decis. 17.* Exemplum secundi est, vt si tu es Clericus, vel aliàs non subditus, & conuenis me coram Iudice meo seculari, possum te coram eodem reconuenire, per quam reconuentionem tu reconuentus prorogas iurisdictionem illius Iudicis ex necessitate iuris; ità apud Merolam *disp. 7. de iurisdict. cap. 1. dub. 14. nu. 301.* & alij.

2 Iurisdictio diuiditur in contentiosam, & voluntariam: contentiosa est, quę inter contendentes exercetur, redditurque in inuitos; *l. Inter stipulantem §. 1. ff. de verbor. oblig.* Voluntaria verò est, quę inter volentes, & consentientes exercetur; vt sunt manumissio, legitimatio, adoptio, &c. Isti actus dicuntur à Doctoribus, voluntariæ iurisdictionis, quia non fiunt, inuitis subditis, sed volentibus, nec petunt Iudicem pro Tribunali sedentem; ità Glos. & Doctores *in l. 2. ff. de offic. pro consul.* Verùm iurisdictio voluntaria sumit aliquando naturam iurisdictionis contentiosę, & reducitur ad contentiosam, quando scilicèt nonnisi cũ causę cognitione exerceri potest, & aliquando contentiosa assumit naturam voluntarię iurisdictionis, & reducitur ad voluntariam, vt quando illi, qui non sunt subditi alicui Iudici, conueniunt in Iudicem, & coram eo contendunt, & litigant, & dicitur etiam prorogata.

3 In multis iurisdictio voluntaria differt à contentiosa: Primò, quia contentiosa requirit distinctionem personarum; voluntaria verò hoc non requirit necessariò, sed potest cum seipso aliquando exerceri: Secundò, iurisdictio contẽtiosa competit tantùm Magistratibus locorum, *l. Qui iurisdictioni*

iurisdictioni

iurisdictioni ff. de iurisdict. omn. Iudicum; at iurisdictio voluntaria non tantùm illis competit, sed etiam iis Iudicibus, quos iniustè Cartularios appellant: Tertiò, contentiosa non potest exerceri à Iudice extrà territorium, nè Iudici illius territorij iniuriã inferat: Voluntaria verò iurisdictio potest vbique exerceri, quia cùm non requirat actus iudiciales, non potest Iudex alieni territorij meritò conqueri, si in suo per alienum Iudicem erga illius alienos subditos exerceatur; & ità Canonistæ *in cap. Nouit de offic. legati.*

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio quadruplex est.*
2 *Item diuiditur.*
3 *Delegatus non habet proprietatem iurisdictionis.*
4 *Iurisdictio ordinaria concessa censetur data cumulatiuè.*
5 *Iurisdictio ordinaria non expirat morte concedentis.*
6 *Gratia, alia est facta, alia facienda.*
7 *Gratia facta non expirat morte concedentis.*
† *Gratia facienda expirat.*
8 *Concessa iurisdictione, sunt etiam concessa ea omnia, quæ ad eam pertinent.*

1 IVrisdictio quadruplex est, ordinaria, delegata, arbitraria, & accessoria; ità S. Thomas 2.2. *quæst. 67. art. 2.* Azor. 3. *par. lib. 13. cap. 13.* Reginaldus *lib. 25 num 641.* & alij. Iurisdictio ordinaria est illa, quæ competit alicui ex officio, vel dignitate 1. Potestas delegata est, quę competit alicui ex concessione, seu commissione illius, qui habet potestatẽ ordinariam: Arbitraria est illa, quæ communi partium litigantium consensu obtinetur, & hęc duplex est: Primò, dum eligitur Iudex, seù Arbiter ex conuẽtione partium, vt causam amicabilitèr dirimat, & iste non tenetur ferre sententiam, seruato iuris ordine, sed pro arbitrio, seruata æquitate iuris naturalis: Secundò, dũ eligitur quis in Iudicem, & tunc Iudex debet sententiam ferre, iuxtà ordinem iuris, & partes tenentur sub mortali, sententiæ ipsius obedire: Accessoria est illa, quę alicui aliundè accedit, exempli gratia, ratione delicti commissi.

2 Præter diuisionem in contentiosam, & voluntariam, diuiditur etiam iurisdictio in eam, quę conceditur in officium, & illa, quæ conceditur in dominium; ità Vincẽt. de Franch. *decis. 370. num. 5.* Prima est, quando conceditur in administrationem: Secunda est, quando conceditur alicui Castrum, cui tamen est annexa iurisdictio.

3 Delegatus non habet proprietatem iurisdictionis, sed tantùm vsum, seù exercitium ipsius; siuè habet iurisdictionem in actu secundo, non autem in actu primo; ità Angelus *l. More maiorum num. 1. ff. de iurisdictione omn. Iudicum.*

4 Iurisdictio ordinaria concessa in officium, censetur data cumulatiuè, nempè vt ipse concedens non minùs, quàm concessionarius, etiam in prima instantia ea vti possit; ità colligitur *ex cap. Dudum §. nos igitur de prebend. in 6.* Ratio, quia Princeps dicitur concurrere cum quouis alio in iurisdictione, quod intelligendum est, existente causa iusta, quia absq; causa iusta, non potest Princeps iurisdictionem concessam ex contractu, vel mediante pecunia auferre, quamuis fuerit concessa ad beneplacitum; ità Mastril. *lib. 2. de Magistrat. cap. 27.* & alij.

5 Iurisdictio ordinaria non expirat morte cõcedẽtis: Ratio, quia iurisdictio ordinaria habet rationem gratiæ tamquàm dignitas ei concessa, iuxtà Clement. *secundam, de rescriptis*: Gratia autem non expirat morte concedentis. Iurisdictio delegata, cùm non radicetur in delegãte, neque illã Delegatus exerceat, vt aliquid suũ propriũ, expirat in Delegato; si Delegans, re adhùc integra, moriatur, aut alia quauis ratione amittat iurisdictionem; ità habetur *l. Et quia ff. de iurisdictione omn. Iudicum, cap. Relatum, cap. Gratum, &c.*

6 Gratia, alia est facta, & alia facienda; gratia facta est, quando ipsimet petenti conceditur; gratia verò facienda, est, quãdo nondùm à Superiore obtenta fuit, aut quando data fuit facultas Commissario, seù Delegato ad aliquid faciendum, sed Delegatus nondùm illud concessit, nec aliquid illius fecit.

7 Gratia iam facta non expirat morte cõcedentis, modò absolutè sit concessa, & sine aliqua cõditione, seù particula restringente vsque ad mortem concedentis; ità Nauar. *cap. 27. num. 183.* Suarez *lib. 8. cap. 31.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 28. num. 64.* Ratio, quia censetur quędam donatio, quę
† morte concedentis non expirat. Gratia facienda expirat morte concedentis, re integra, sicut etiam expirat iurisdictio cõtentiosa, morte concedentis, aut per remotionem eius ab officio, modò res sit adhùc integra, vt patet *ex cap. Gratum, cap. Relatum, cap. Quamuis*, & *cap. Licet vndique, de officio Delegati.*

8 Concessa iurisdictione, ea omnia censentur concessa, per quę peruenitur ad illam, *cap. Præterea*, & Iudex omnia potest, quę ad suam iurisdictionem exercendam pertinent, & sine quibus, causa expediri non potest, *l. Cum quædam*, & ibi Doctores *de iurisdictione omn. Iudicum cap. Præterea, cap. Significasti.*

PARAG. V.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio, in dubio, præsumitur ordinaria.*
2 *Iurisdictio ordinaria quot modis concedatur.*
3 *Iurisdictio concessa ab inferiori, non est censenda ordinaria.*
† *Differentia inter iurisdictionem ordinariam, & delegatam.*

1 IVrisdictio Iudici concessa à lege præsumitur ordinaria, ità Glos. *in l. & quia ff. de iurisdictione omn. Iudicum*, Federicus de Senis *consil. 130.* Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 16. num.*

16.n.8. & alij: Ratio, quia concessio debet intelligi in potentiori significatu; at ordinaria iurisdictio est firmior, & potentior; ergò in dubio præsumit cõcessa ordinaria. Iurisdictio ordinaria censetur concessa à Principe Iudici, primò, quando mandatur causæ cognitio, ac definitio Iudici habenti iurisdictionem ordinariam: Secundò, quando causa mandatur alicui à Principe, his verbis; *Auctoritate, vel iure nostro facias*, tunc censetur factus Iudex Delegatus, & non ordinarius; Tertiò, quando à Principe simpliciter committitur priuatæ personæ certum genus causarum, censetur effectus delegatus; ità Bart *in l. more n.8.*

8 Iurisdictio concessa ab inferiori Prælato nõ est censenda ordinaria, sed delegata: Ratio, quia iurisdictio ordinaria non põt dari nisi a lege, aut à Principe, vel Republica non recognoscente Superiorem; ergò iurisdictio data ab inferiori Prælato non non est censenda ordinaria, sed delegata: & in hoc differt primò iurisdictio ordinaria à delegata: Secundò, qui habet iurisdictionem ordinariam, ex iure proprio vtitur; qui verò delegatam, non iure proprio, sed ex commissione alterius: Tertiò; iurisdictio delegata expirat morte concedentis, re integra; at iurisdictio ordinaria non expirat morte concedentis: Quartò, iurisdictio ordinaria est fauorabilis; at delegata, est odiosa, quia derogat iuri ordinario: Quintò, in dubio, appellatione iurisdictionis, intelligitur de ordinaria, & non de delegata: Sexto, à Iudice ordinario substituto non appellatur ad substituentem, sed appellatur ad eum, ad quem appellaretur, si substituens sententiam tulisset; Vnde à Vicario Episcopi non appellatur ad ipsum Episcopum; at verò à Delegato appellatur ad delegantem; & ita communiter Doctores: Septimò, Delegatus non potest absoluere ab obseruatione iudicij ante litem contestatam; nec facere preceptũ definitiuũ; Ordinarius verò, sic: ità Bald *in l. Si reus.* Octauò, in pluribus Delegatis, vno mortuo, expirat officiũ oĩũ; secùs verò in pluribus Ordinariis: Nonò, corã Iudice ordinario, qui non potest cognoscere, nisi certã summã, non fit coaceruatio plurium summarum, diuersis actionibus in eodẽ libello cumulatarum ad impediendam eius iurisdictionem; secùs coram Delegato: Ratio, quia iurisdictio delegata derogat ordinariæ, *cap. Studuisti, de offic. Delegati.* Decimò; sententia lata à Iudice ordinario contrà ius litigatoris, valet, & transit in rem iudicatam, si non appellatur, vt habetur *in cap. Cum inter dr re iudicata*; secùs si est lata per Delegatum. Hostien. *in cap. fin. de præbend.* Vndecimò, processus factus per Delegatum contrà citatum nõ comparentem, si in veritate ille non erat Delegatus, non valet, quamuis non fuisset dubium; secùs si fiat per Ordinarium, licèt in veritate non sit Ordinarius, dummodò possit esse; ità Abbas *cap. Præterea, de dilat.* Duodecimò, Ordinarius potest reuocare sententiam secundũ decretũ, sed Delegatus non ità. Alex. *in l. Quod iussit ff. de re iudic.* Decimo-tertiò, de iure ciuili Delegatus potest in totum recusari tamquàm suspectus, vt remoueatur; Ordinarius verò, nõ, sed debet ei dari adiunctus; sicut etiam Delegatus ad vniuersitatem causarum nõ potest recusari, vt suspectus, sed illi debet dari adiunctus: De iure verò Canonico, tàm Ordinarius, quàm Delegatus potest in totũ recusari, *cap. Si quis contrà Clericum*, & ibi Abbas, & Doct. *de foro compet.* Decimo-quartò, Ordinarius postquàm recusatus est, vt suspectus, potest causam alteri delegare, *cap. Si quis contrà Clericum, &c.* Delegatus verò recusatus, vt suspectus, non potest causam alteri committere, *cap. Iudex ab Apostolica, de offic. Delegati in 6.* Decimo-quintò, Ordinarius potest delegare totam causam, & sententiam sibi reseruare, dummodò audiat ter eamdem causam, in principio, in medio, & in fine, reuidendo acta, & proferendo sententiam; at Delegatus, de iure ciuili hoc facere nõ potest, nam aut totam causam committere debet, aut nihil: Decimo-sextò, Ordinarius potest suam sententiam exequi; Delegatus verò, non, sed eius sententia mandatur executioni per Ordinarium. Panormit. *in cap. Si quis in foro contrà Clericum, de foro competent.* nisi Delegatus habeat potestatẽ exequẽdi sententiam, quia tunc eã potest exequi: Decimo-septimò, Iudex ordinarius potest ampliare, diminuere tẽpus, quod datur iudicatis ex causa; Delegatus, non: Decimo-octauò, appellatione Magistratus, non venit Delegatus, sed tantùm Ordinarius: Decimo nonò, Ordinarius potest delegare causã suo subdito, & illũ cogere ad acceptãdũ delegationẽ, *cap. Pastoralis, & cap. Quod sedes de offic. Ordin.* Delegatus non subdito põt causã delegare, sed nõ põt cogere ad acceptandã delegationem. Panorm. *in cap. Pastorali*, & alij colliꝯ: sed Delegatus Principis potest causã subdelegare cuicumque, etiamsi esset suus Superior, & illum cogere ad acceptandam delegationem: Vigesimò, Ordinarius, si prolatã sententiam definitiuam nullam, vel iniustam, poterit de causa iterùm cognoscere, & sententiare, *l. Si Præses quomodo, & quando*, quia per prolationem sententiæ nullæ, eius ius non expirat; Delegatus verò, qui nulliter pronunciauit, non potest de causa vlteriùs cognoscere, *l. Vt si proponis Cod. quomodo, & quando.* Vigesimo-primò, habens iurisdictionem ordinariam potest illam delegare, *l. More ff. de iurisdict. omn. Iudicũ*; habens verò subdelegatam, delegare non potest, *l. More citata:* Vigesimo-secũdò, quãdò sunt plures Iudices ordinarij, potest vnus sine alio pronunciare, & sententiare, Glos. *in cap. Prudentiam*, quia quisque habet iurisdictionem, & officium in solidum, *leg. Imperator ff. ad municip.* secùs in pluribus Delegatis, quia si vnus sine alio procedit, processus est nullus, *l. Duo ex tribus ff. de re iudic.* nisi in cõmissione apposita sit clausula, *Quod si non omnes, &c.* Vigesimo-tertiò, differunt, quia si Ordinarius pronunciauit se non Iudicem, vel iurisdictionem nõ habere,

habere; potest hanc suam sententiam interlocutoriam reuocare; ita Baldus *in l. Si Praeses*; secus in Delegato, qui talem sententiam interlocutoriam non reuocat, *cap. Sic significantibus*, & ibi Panormit. & Doctores: Vigesimo-quartò, Ordinarius potest delegare vnum articulum causae iurisdictionalem; ità Glos. *in cap. Super quaestionum*, quia si potest totā causam delegare, multò magis vnum articulum: Delegatus nec vnum articulum causę iurisdictionalem subdelegare potest; quod intelligendum est de Delegato ab inferiore Principe ad vnam causam tantùm, quia Delegatus à Principe ad vnam causam, potest illam subdelegare: Item Delegatus inferioris ad Vniuersitatem causarum, licèt non possit subdelegare totam illam Vniuersitatem causarum; potest tamen vnam, vel alteram causam subdelegare, & à fortiori, vnum articulum causę iurisdictionalem: Vigesimo quintò, Ordinarius, & Delegatus à Principe potest aliquem citare per edictū, non autem id potest Delegatus inferioris: Vigesimosextò, Delegatus inferioris à Principe non potest citare aliquem realitèr; Ordinarius verò sic, & Delegatus Principis; ità Doctores *in l. 2 de iurisdict. omn. Iudicum*: Vigesimo-septimò, Delegatus citans debet citare iuxtà formam suę delegationis: Ordinarius verò non ità tenetur: Vigesimo-octauo Ordinarius habēs merū, & mixtum Imperium, potest suam sententiam dubiam interpretari, & etiam sententiam sui Delegati; At verò Delegatus hoc non potest facere. Bart. *l. Ab executione*: Vigesimo-nono, Ordinarius potest condemnare victum, vt soluat expensas victori, reseruata sibi taxatione, *l. Terminato Cod. de fruct. & lit. expens.* Delegatus hanc reseruationem sibi facere non potest; ità Bartolus *l. Ab executione*: Trigesimò, Ordinarius potest cognoscere de causis meri, & mixti Imperij; Delegatus verò non, quia huiusmodi causae de iure ciuili delegari nō possunt, *l. Iubere, cauere ff. de iurisdictione omn. Iudic.*; limitatur tamen hęc doctrina in aliquibus casibus à Doctoribus: Trigesimo-primò, Ordinarius potest instituere praesentatos per Patronos, *cap. Ex frequentibus de institut.* Delegatus verò non potest: Trigesimo secundo, Ordinarius de iure communi potest imponere maiores mulctas, *l. Eos Cod. de modo mulctar.* Delegatus verò, licèt possit mulctas imponere, *cap. Pastoralis*, & *cap. De causis de offic. Delegati*; non potest tamen excedere summam sex aureorum, si est de personis illustribus, &c. si verò est de minoribus non potest excedere tres aureos, *l. 2. De sportulis*, *l. Eos de modo mulctar.* Hodie tamē nō videtur in vsu, & Iudices de facto eam non seruant, sed imponunt mulctas ad eorum arbitrium: Trigesimo tertiò, Ordinarius potest delegare causam, *Appellatione remota*; dummodò habeat supremam auctoritatem. Delegatus Principis non potest delegare causam, cum clausula, *appellatione remota*, vt est Textus *in cap. Super quaestionum*.

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Quilibet Ordinarius potest delegare.*
2 *Inconsulto Principe, &c. non potest delegare in perpetuum.*
3 *Quis Delegatus possit delegare.*
4 *Conditiones, vt causa delegari possit.*
5 *Nudum ministerium an possit delegari.*
6 *Qualitates Delegati.*
7 *Delegatus Summi Pontificis est maior Ordinario, &c.*

1 Quilibet Ordinarius, siuè supremus, siuè non, potest delegare; ità Glos. *l. 1. ff. de offic. eius, cui mandata est iurisdictio*, *l. A Iudice, Cod. de Iudic.* & ibi Doctores. Sanch. *lib. de matrim. disput. 31 num. 1.* & aliqui dicunt, esse communiorem sententiam: Ratio est, quia quilibet Ordinarius, seu Magistratus habet propriam, & connaturalem sibi iurisdictionem, & per consequens, potest illam delegare, & ratio delegādi non modò consistit in Magistratibus maioribus, sed etiam in minoribus; ergo, &c.

2 Non potest Ordinarius incōsulto Principe, vel Superiore, delegare in perpetuū totam suam iurisdictionem; & ità communitèr Doctores, & ideò Parochus non potest in perpetuum alteri curam delegare, inconsulto Episcopo: poterit tamen ad breue tempus, ex aliqua iusta causa: Ratio colligitur ex pluribus iuribus, & ex Concil. Trid. *sess. 23 cap. 1.*

3 Regularitèr Delegatus non potest subdelegare: Ratio, quia Delegatus nihil proprium habet, sed tantùm alienae iurisdictionis exercitium; ideò non potest iurisdictionem sibi delegatam subdelegare, nisi specialitèr ab Ordinario, vel Iure concedatur: Delegatus verò Principis, & ad Vniuersitatem causarum, potest subdelegare, vt est *in l. à Iudice, Cod. de Iudic.* & *ex l. 1. §. ab eo ff. qui, & à quo.*

4 Vt causa delegari possit, plura requiruntur: Primò, vt causa sit talis, de qua delegans cognoscere possit, quia inualida esset talis delegatio; & ità habetur *in l. Vnica, Cod. qui pro sua iurisdictione*: Secundò, vt eam causam non deleget, vt expediatur in loco, in quo delegans ipse eam expedire nō possit: Ratio, quia nullus validè iurisdictionē exercere pōt, nisi eo modo, quo illam habet, vt colligitur *ex cap. Vt litigantes de officio Ordinarij in 6.* licèt sententia lata in territorio alterius sit valida, dummodò haec duo concurrant, consensus partium, & consensus illius, ad quem iurisdictio pertinet: Tertiò, vt causa delegabilis sit ab illo, qui illam delegat.

5 Nudum ministerium delegari non potest; hoc tamen intelligendum est, quando explicitè commissum est, quia secus quando implicitè tantùm continetur in causa commissa; quia tunc delegari potest.

6 Vt quis possit esse Delegatus, debet habere 20 annum completum; qui verò nondùm est 20. annorum, de cōsensu partium, quę id sciverit, potest delegari, & non aliterà, Principe verò minor 18. annis constitui

tui potest Iudex Delegatus; ità *in cap. Cùm vigesimum de offic. Delegati*. Delegatus Summi Pontificis esse non potest, nisi sit constitutus in Dignitate, vel Personatu, aut sit Canonicus Ecclesiæ Cathedralis; & ità habetur *in cap. Statutum de rescriptis in 6.* Delegati verò aliorum Ordinariorum possunt esse quicumque alij, modò Clerici sint saltem primæ Tonsuræ: Subdelegatus verò à Delegato Summi Pōtificis debet habere easdem qualitates, quæ requiruntur in Delegato Pontificis, quoniam est mediatus Delegatus eiusdem Pontificis, vt habetur *in cap. Statutum.*

7 Delegatus Summi Pontificis in causa sibi commissa est maior quolibet Ordinario, vt habetur *in cap. Sanè 2. de offic. Delegati*; ità vt neque Legatus à latere, causam cōmissam possit ad se auocare, neq; impedire illius executionem, neque formare sententiam à Delegato Summi Pontificis latam, nisi specialem commissionem ad id habeat: sic habetur *in cap. Studuisti, de offic. Legati*, quia in ea causa repræsentat Summum Pontificem: Item potest Delegatus Summi Pontificis compellere partes, & cogere censuris, vt compareant, etiamsi in litteris suæ commissionis id non dicatur, vt habetur *in cap. Prætereà, de offic. Delegati.*

PARAG. VII.

SVMMARIVM.

1 *Litteræ, quæ manant ab Ordinario, &c. non expirant morte concedentis.*
2 *Vt res non dicatur integra, requiritur citatio.*
3 *Per subdelegationem res non desinit esse integra.*
4 *Nec per præsentationem rescripti, &c.*
5 *Quando sunt plures causæ, an facta vna citatione, res desinat esse integra quoad omnes.*
6 *Item quando causæ non sunt connexæ.*
† *Facta citatione in vna, res non desinit esse integra quoad alias.*
7 *Vicarij foranei, an morte Episcopi amittant iurisdictionem.*
8 *Concessa potestate ad dispensandum cum pluribus personis, quando res non dicatur amplius integra.*

1 Litteræ, quæ manant ab Ordinario per modum contractus, non expirāt morte concedentis: Ratio, quia Successor contractum Prædecessoris reuocare nequit, *cap. 1. de probationibus*: Secundò, litteræ emanatæ per modum legis, seù constitutionis, neq; expirant morte concedentis, aut alia via, iurisdictione expirante in concedente, etiam re integra: Ratio, quia lex suapte natura est perpetua, *l. Cum Cod. eo unde sc. ... interloc.* Tertiò, licèt iurisdictio ordinaria ob rationes allatas non expiret morte cōcedentis, etiam re integra; fallit tamen hæc regula in iurisdictione Vicarij, quæ licèt sit ordinaria; tamen expirat morte concedentis: Quartò, potestas delegata ad litteras gratiæ, seù rescripta gratiæ, non expirat morte concedentis, si absolutè, & absq; vlla limitatione concedatur: iurisdictio verò delegata ad litteras iustitiæ exequendas, expirat morte concedentis, quando moritur delegans, re integra, quia secùs si res non sit integra; & ità habetur expressè *in cap. Gratum, & in cap. Relatum, & cap. Licèt vtique, de offic. Delegati*: Ratio, quia per delegationis actum non transmittitur efficacitèr iurisdictio in Delegatum, donèc ea vti cœperit, vt dicitur *in cap. Quamuis de offic. Delegati*: Vndè cùm iurisdictio, re integra, sit cum effectu penès Ordinarium delegantem, & per ipsius mortem extinguatur iurisdictio sua, extinguitur etiam iurisdictio delegata: Ratio, quia extincto iure auctoris, extinguitur etiam ius successoris; At verò per iurisdictionis exercitium ante delegantis mortem radicatur iurisdictio in persona Delegati, ità vt efficacitèr in eum transierit, vt colligitur à contrario sensu, *ex cap. Quamuis*, & ideò morte ipsius Delegantis non extinguitur iurisdictio delegata, quādo res non erat integra, sed ea vti cœptū est; ità Bart. *l. More*, Sanch. *lib. 8. de matrimon. disp. 28. num. 34* & alij.

2 Vt res non dicatur integra, necessaria est citatio partis, & ità colligitur *ex cap. Gratum, de offic. Delegati*, vbi dicitur, *Cùm citatione facta negotium sit quasi cœptum*, & *ex cap. Relatum*, vbi dicitur *Rem desinere esse integram per litis contestationem*; tùm etiam, quia cum perpetratio iurisdictionis sit respectu partiū, oportet, vt interueniat aliquis actus ergà partem, & primus omnium est citatio; ergò, &c. & ideò decretum citationis factū, & nō intimatum parti, licèt sit actus iurisdictionis non sufficit, vt res non dicatur integra, quia cùm perpetratio iurisdictionis sit respectu partium; ideò requiritur, vt aliquis actus interueniat cū parte; at primus omnium est citatio partis, ergò, &c. Et confirmatur, nam commissio citationis non est de actis litis, non enim lis incipit à tali commissione, sed à citatione. Vndè Doctores dicūt, quòd primus actus ex substantialibus litis est citatio partis, vt colligitur *ex cap. Quoniam, de probationibus.*

3 Per subdelegationem factam à Delegato res non desinit esse integra. Molina *tract. 5. de iustitia disp. 19.* Sanch. *lib. 8 de matrim. cap. 28. num. 18.* & cum eo plures citati: Ratio, quia quamuis subdelegare sit actus iurisdictionis, non tamen est exercitium illius iurisdictionis delegatæ, sed iurisdictionis à lege concessæ, vt patet in Delegato Principis, & ad Vniuersitatem causarum: Vndè cùm non sit actus iurisdictionis circà negotium commissum, ac proindè negotium non dicitur cœptum, vt res desinat esse integra, nisi subdelegatio illa, præsentibus ambabus partibus, fieret, quia tunc is actus citationi æquiualet, ac proindè res non erit integra.

4 Nec sufficere præsentationem rescripti factam Iudici Delegato, & acceptationem illius, vt res desinat esse integra, quia acceptare rescriptum Delegato præsentatū, non est incipere vti iurisdictione, sed præparare se ad vtendū, *l. Quemadmodum ff. de inofficioso testam. & cap. 15. Qui de procurat. in 6.* Ratio, quia licèt sola rescripti præsentatio, subsecuta acceptatione, in primam Dele-

gato

gato iurisdictionem; at nullum iurisdictionis exercitium inducit, quod requiritur, vt res desinat esse integra, iuxtà *cap. Relatum, cap Gratum,* & *cap. Licèt vndique de offic. Delegati*, & ità Panormit. *cap. Cum venisset de testib. & attestat. num.* 2. Felin. *cap. Relatum num.* 12. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. dispat.* 28. *num.* 19. & alij.

5 Quando plures causæ remittuntur, vel plures articuli in vno, eodemque rescripto, siuè contrà vnam, siuè contrà plures personas sunt connexæ, citatione facta in vna causa, & sic illa cœpta, desinit res esse integra, ac perpetuatur iurisdictio Delegati quòad alias. Panormit. *cap. Licèt vndique num.* 5. *de offic. Delegati*, Molina *tract.* 5. *de iustit. disp.* 19. *num.* 4 Sanch. *lib.* 8 *de matrimon. disp.* 28. *num.* 21 qui dicit hanc esse communem opinionem: Item quando citatio esset communis omnibus causis illis eiusdem rescripti, quamuis sint cōtrà diuersas personas, & minimè connexæ, censentur omnes inceptæ, & quòad omnes perpetuatur iurisdictionem, erit autem hæc citatio communis, si facta sit simpliciter, idest nulla.

6 Qn causæ nō cōnexæ eiusdē rescripti sūt aduersus eamdem personā, licèt facta sit citatio illius personæ in vna expressa causa, non desinit res esse integra, quòad alias non inceptas, quia Iudex super vno articulo, aut vna causa citans, videtur suam iurisdictionem diuisisse, & persona citata non tenetur respondere, nisi circà illam solam causam, ergò quòad alias manet integra, sic Innocent. *cap. Licèt vndique num.* 2. & ibi Doctores. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disp* 28. *num.* 25. & alij ab eo citati. Quando verò plures causæ committuntur per modum vnius, nec sunt connexæ, an citatio in peculiari causa efficiat rem non esse integram, & perpetuet illius Iudicis iurisdictionem delegatam quòad ceteras causas; licèt plures cum Baldo teneāt opinionem negatiuam, tamen dicendum est cum Doctoribus infrà citandis, cœptum esse iudicium quòad omnes causas sic commissas, & ità quòad eas perpetuari iurisdictionē; ità Bart. *l. More num.* 14 *ff. de iurisdictione omn. Iudic.* & ibi plures Doctores, Molina *tract.* 5. *de iustit. disp.* 19. *num.* 4 Sanch. *loco citato num.* 27. Ratio est, quia censetur vnica commissio facta, ac proindè cum Iudex incipit ea vti in quauis causa, censetur iam plenè incepisse vti sua iurisdictione delegata, nec res esse integra quoad omnes causas sibi commissas; quod non contingit, quando plures causæ commissæ exprimuntur specialitèr, quia tunc sunt plures commissiones.

7 Vicarij foranei Episcoporum, qui dicuntur Delegati ad Vniuersitatem causarum, non amittunt iurisdictionem morte Episcopi, etiam quòad causas nondum cœptas, sed possunt continuare munus suū, Sede vacante, quòusque à Capitulo amoueātur: si verò aliquis ex huiusmodi Vicarijs munus quidem ab Episcopo accepisset, sed ante mortē Episcopi nihil executioni mādasset, tūc morte Episcopi expiraret omnino id munus, quoniam tunc res omninò esset integra quòad oēs causas.

8 Quando alicui committitur potestas ad dispensandum cum pluribus personis, si Commissarius fecit actum communē omni dispēsationi, res non est integra quòad omnes: secùs si actum specialem exercuit quòad dispensationem, quam concessit: Ratio est, quia cùm vna dispensatio nihil commune habeat cum alia, ex eo, quòd sit cœptum vti vna, res non desinit esse integra quòad alias; ità Felinus *cap. Pastoralis §. Quoniam num* 2 *de rescrip.* Angelus *verbo Gratia num.* 2. Syluest. *eodem verbo quæst.* 2. Moneta *de immunitate vltimæ voluntatis cap.* 8. *num.* 31. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 28. *num.* 29. & alij ab eo citati: Actus communis omni dispensationi erit acceptatio rescripti, in quo facultas dispensandi cum omnibus illis personis committitur.

PARAG. VIII.

SVMMARIVM.

1 *In Iudice requiritur etiam veritas.*
2 *In causis criminalibus quomodò procedendum.*
3 *Item in causis ciuilibus, & criminalibus minoribus.*
4 *Princeps certus de crimine, an possit non citatum, &c. condemnare.*
5 *Inferior Iudex non potest vti priuata scientia.*
6 *An possit condemnare eum, quem secretò cognouit nocentem.*
7 *In ferenda sententia, quam opinionem debeat sequi.*
8 *An possit aliquid accipere, vt sequatur vnam opinionem.*
9 *Ad quid obligetur condemnando non subditum, &c.*

1 IN Iudice non solùm requiritur potestas, & iurisdictio, sed etiam requiritur veritas: Ratio, quia Iudex constituitur, vt vnicuique ius suum tribuat; non tribueret autem vnicuique suum, nisi adhæreret veritati, & ideò Iudex secundùm allegata, & probata, debet iudicare, quamuis aliquando fieri possit, vt res à parte rei alitèr se habeat, quàm probatum sit.

2 In causis criminalibus innocentis, postquàm Iudex expertus est omnes rationes, quibus possit liberare eum, quem priuata scientia nouit Innocentem, qui tamen per testes probatur criminosus, & si non possit eum liberare, deposita Iudicis persona, debet assumere officium testis, & causam remittere apud Superiorem; ità D. Thomas 2. 2. *qu.* 67. *art.* 2. Salon. & Aragon. *ibidem*, Clauis regia *lib.* 12. *cap* 8. *num* 13. Valentia *tom* 3. *disp.* 15. *quæst.* 11. *pun.* 2. & alij. Et si non potest eum tali ratione liberare, & pars vrgeat condemnationem, multi Doctores docent, tunc Iudicem posse illum cōdemnare secundùm allegata, & probata; ità D. Thomas *loco citato*, Cou. 1. *variar. cap.* 1. *num.* 6. Reginaldus *lib.* 21 *num* 3. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 8. *nu.* 13. Alij verò sentiunt, non posse ipsum condemnare; ità Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 15. Petrus Nauarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 161. Em. Sà *verbo Iudex*, & alij: Ratio, quia repugnat iuri naturæ, & Diuino occidere Innocentem,

nocentem, cùm sit intrinsecè malum.

3 In causis ciuilibus, & criminalibus minoribus, qui non puniūtur morte, vel mutilatione, tenetur Iudex omni industria curare, vt falsitas detegatur, vel vt processus impediatur: tamen si id non potest efficere, potest seruare iuris ordinem, & iudicare secundùm allegata, & probata: Ratio, quia Respublica habet auctoritatē disponendi de fortunis suorum Ciuium, ob bonum publicum.

4 Princeps certus de crimine, regularitèr non potest non citatum, & inauditum cōdemnare: Ratio, quia defensio Rei, & legitima probatio delicti per testes est de iure gentium: Dixi, regularitèr, quia dantur aliqui casus, in quibus ordo iuris non potest seruari, vt si agatur de impediendo delicto, quod Reipublicæ imminet: Secundò, si delictum sit publicum, & notorium; est enim publicitas loco accusatoris, & testiū: Tertiò, si sit periculum rebellionis, vel grauis perturbationis, si iuridicè procederetur: Quartò, si delictum probabile sit, quia scitur à Principe, vel a duobus, vel à tribus alijs. Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 11. num. 40.* & alij.

5 Inferior Iudex, nec ex priuata scientia, nec eum, qui citatus non est, & inauditus, condemnare potest: Ratio, quia inferior Iudex debet seruare formam iudicij, nec in ea dispensare potest. Respublica potest Principi dare auctoritatem, vt ex priuata scientia aliquem condemnet: Ratio, quia potest cedere iuri suo, quod habet, quod de occultis non possit puniri, & hoc totum ius potest conferre Principi.

6 Ità Iudex inferior non potest condemnare eum, quem secreto cognouit nocentem, sed in iudicio probatur Innocens: Ratio, quia Iudex inferior non habet auctoritatem derogandi legibus Superioris, sed formam iuris seruare tenetur, quæ est, vt non condemnetur, nisi secundùm allegata, & probata, & Iudicem non priuata, sed publica auctoritate fungi, dum aliquem iudicat, & condemnat.

7 Iudex in ferenda sententia sequi potest opinionem probabilem, relicta probabiliori: Ratio, quia videtur prudentèr agere, sequendo opinionem probabilem, etiā relicta probabiliore, dummodò probabilitas sit circà ius, non autem circa factum, quia si circà factum, tenetur sequi, quod probabilius est: Quando adsunt probationes æquè probabiles circà ius; ità vt Iudex vtramque opinionem probabilem putet, tunc liberum est Iudici sequi opinionem, quam voluerit: imo cessante scandalo, potest modò iudicare iuxtà vnam opinionem, & modò iuxtà aliam, & si cùm scandalo iudicaret, adhærendo nunc vni, & nūc alteri opinioni, peccaret quidem, sed non obligaretur ad restitutionem, quia non dicitur violare ius gentium, sequendo opinionem æquè probabilem; ità Reginaldus *lib. 23. num. 41.* Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 41.* & alij. In criminalibus verò quando opiniones sunt æquè probabiles, iudicandum potiùs est in fauorem Rei, quam actoris: Ratio, quia in pari delicto, potior est conditio possidentis; ità Clauis regia *lib. 1. cap. 11. num. 12.*

8 Quando datur varietas opinionum; ità vt liberum sit Iudici vtramlibet in iudicādo sequi, est contra iustitiam, si aliquid ab vna parte accipiat, vt vnam sequatur potiùs, quàm aliam; & si in fauorem eius postea iudicet; Vndè in tali casu tenetur ad restitutionem. Verùm si ius naturæ solùm spectemus, non tenetur ad restitutionem, cùm liberum sit Iudici sequi opinionem, quam maluerit, & si aliquid accipiat, vt potiùs vnam, quàm aliam opinionem sequatur, nullam facit iniustitiam.

9 Iudex obligatur ad restitutionem, si cōdemnet non subditum, aut in crimine exempto: Ratio, quia manifestè facit illi iniuriam, cùm non habeat ad id auctoritatem, etsi dignus erat morte: Vndè si illi iniuriæ aliquod damnum est coniunctum, remanet obligatio restituendi: secùs verò, si proprius Iudex condemnati approbet, & ratum habeat factum, quia tunc nō obligatur ad restitutionem; ità Less. *lib. 2. cap. 29. dub. 18. num. 121.* & alij.

P A R A G. IX.

Textus Sacrorum Canonum. De Iudicijs.

S V M M A R I V M.

1 *Contumax in non comparendo, &c. excommunicari potest.*

† *Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent.*

2 *Iuris patronatus causa spectat ad iudicium Ecclesiæ.*

3 *Clericus conuictus, &c. à Iudice sæculari, non debet puniri ab Episcopo; secùs verò si ab Episcopo sit conuictus.*

4 *Vassallus coram Domino feudi conueniendus est.*

5 *In iure Canonico non est subtilitèr inquirendum.*

6 *Excommunicatus, vt Actor in iudicio, etiam agendo causam propriam, stare non potest.*

7 *Clericus de crimine debet conueniri coram Iudice Ecclesiastico.*

8 *Iudex debet prouidere, vt litigantes seruent solemnitatem iuris.*

9 *Clericus depositus, & incorrigibilis est excommunicandus, &c.*

10 *Succedens scientèr in vitium potest conueniri per rescriptum impetratum contra violentum.*

11 *Papa solus cognoscit de dubijs priuilegiorum Sedis Apostolicæ.*

1 PRomittens coram aliquo Iudice litigare, si contumax sit in non comparēdo, excommunicari potest; non autem beneficijs priuari, *ex cap. De quo vult Deo 1. de iudicijs.* † Laici non debent tractare Ecclesiastica negotia, & Prælati Ecclesiarum non debent disponere de negotijs Ecclesiasticis, præsertim spiritualibus iudicio Laicorum, & propter eorum prohibitionem nō omittant exercere iustitiam Ecclesiasticā; ità *ex cap. Decernimus 2. de iudicijs.*

2 Quia Laici causas connexas spiritualibus

bus tractare non possunt, ideò causa iurispatronatus, tamquàm spiritualibus annexa, ad solum Iudicem Ecclesiasticum spectat, quia solus Ecclesiasticus in causis spiritualibus annexis Iudex competens est, *ex cap. Quanto 3. de iudicijs*. Ius-patronatus non est simpliciter spirituale, sed spirituali tantùm iuri connexum, & coniunctum. Azor. *par. 2. lib. 7. cap. 19. quæst. 2.* Suarez *de relig. lib. 4. de simonia cap. 14. num. 21.* & alij.

3 Clericus conuictus, vel confessus de crimine corā Iudice sæculari, non est ab Episcopo puniendus, cùm hujusmodi acta nō teneant: si verò coram Episcopo sit confessus, aut cōuictus; tunc ab eo iuxtà qualitatē criminis debet puniri; ità *ex cap. Ut si Clerici 4.* Ratio primæ partis est, quia sententia lata, & processus factus à nō Iudice suo, inualida sunt ex defectu iurisdictionis.

4 Cognitio feudi inter Vassallos spectat ad Dominum feudi, & idem Vassallus coràm Domino feudi conueniendus est, etiamsi Dominus feudi sit persona Ecclesiastica, dummodò ibi Actor possit suam iustitiam consequi; aliàs loci Ordinarius potest adiri, *ex cap. Cæterum 5.* Ratio, quia ratione feudi Ecclesia, & Laici Domino feudi subijciuntur *ex eodem capite*, & sæcularis censetur iudicare tamquàm in re propria, cùm habeat in feudum directū dominium. Hostien *in cap. Verum num. 2.* Abbas *in cap. At si Clerici num. 23.* & Prælatus Ecclesiasticus in iurisdictione temporali, quā obtinet, in feudo à Principe habito, iudicatur tamquàm Laicus, & Vassallus Principis; & ideo à sententia Prælati habentis iurisdictionem temporalem non appellatur ad Superiorem Ecclesiasticum, sed ad Principem sæcularem; tamen si feudum sit incorporatum, & totaliter translatum in patrimonium Ecclesiæ liberè, nec pro illo feudo cognoscatur Dominus temporalis, tunc appellatur ad forum Ecclesiasticum; ità plures citati à Bellero *de fauor. Cleric. real.* §. 3. n. 9. Ratio, quia per huiusmodi translationem liberè factam in Ecclesiam, huiusmodi feudum factum est Ecclesiasticum, Innocent. *in cap. Verum num. 2. de foro compet.*

5 In iure Canonico non est subtiliter inquirendum, cuiusmodi actio intentetur, sed satis est inquirere purè factū, & veritatem; ità *cap. Dilectis 6.* & ideò nomē actionis in libello exprimere pars non cogitur, debet tamen factum ità clarè proponere, vt ex eo ius agendi colligatur.

6 Excommunicatus in iudicio tamquàm Actor stare non potest; potest tamen conueniri tamquàm reus; ità *ex cap. Intelleximus 7.* Excommunicatus non potest stare in iudicio tāquàm Actor, siue agat per seipsū, siuè per personā Procuratoris, & hoc verū est, tàm in causa ciuili, quàm in criminali; nam excommunicatus non potest denunciare, neq; accusare, neque agere pro iniuria sibi, aut suis illata, etiamsi agat contrà alium excommunicatum; in concernentibus verò animæ periculum, potest audiri. Hostien. *in cap. Significauerunt nu. 1.* Item quando excommunicatus petit reuocationem attentatorum; nam in tali iudicio exemptio excommunicationis non obstat. Lācell. *de attent. par. 3. cap. 22. num. 4.* & alij: Item quando periculum est in mora, quia tunc non voluntariè agit. Felinus *in cap. Cùm inter num. 16. de except.* & *in cap. Dilectus*. Excommunicatus tamquàm reus potest esse in iudicio, ibique se defendere, si verò contemnat absolui, tunc non debet audiri, etiamsi sit reus originarius, & necessarius. Suarez *de censuris disp. 16. sect. 4.*

7 Clericus de omni crimine debet conueniri coram Iudice Ecclesiastico, nec valet contraria consuetudo; imò iurisdictio Ecclesiastica, & sæcularis debent se inuicem adiuuare, *ex cap. Clerici 8.* ideò Iudex sæcularis præstare debet auxiliū Iudici Ecclesiastico, & Iudex Ecclesiasticus debet Iudici sæculari præstare assistentiā, cōpellere per censuras Laicos ad præstandū iuramentū veritatis, *cap. Super eo. cap. Peruenit, cap. Cæterùm, cap. Quoniam 10. cap. Nec loquit 17. dist. cap. Cùm ad verum*, siuè in causa ciuili, siuè in criminali, *cap. Super ijs, & cap. Cùm contrà de testibus cogend.* Item Iudex Ecclesiasticus ad requisitionē Iudicis sæcularis, potest facere præceptum, sub pœna excommunicationis, testibus Laicis, quòd perhibeant veritatem coram ipso Iudice Laico. Abbas *in cap. Ad nostram 2. de iure-iur.*

8 Iudex prouidere debet, vt litigantes seruent debitas in iudicijs solennitates, *ex cap. Causam quæ 9.*

9 Clericus deprehensus, & conuictus de facto homicidio, periurio, aut alio crimine, est deponendus à Iudice Ecclesiastico, & si depositus fuerit incorrigibilis, debet excommunicari, & si crescit contumacia, feriatur anathemate, & si contemnit, est comprimendus per potestatem sæcularem exilio, vel alia pœna, *ex cap. Cùm non ab homine 10.*

10 Succedens scienter in vitium potest cōueniri per rescriptum impetratum contrà violentum, *ex cap. Quia 11.*

11 Papa solus cognoscit de causis, seu de dubijs priuilegiorum Sedis Apostolicę per se, & non per alios, *ex cap. Cùm venisset 12.* quia eius est interpretari actum, cuius est condere.

PARAG. X.

Sequitur Textus Sacrorum Canonum. De Iudicijs.

SVMMARIVM.

1 *Laicus ratione periurij, &c. coram Ecclesiastico conueniri potest.*

2 *Ecclesiastici plenam iustitiam Laicis exhibere debet.*

3 *Iudex similem causam, vel consimilem habens, est suspectus, & à iudicando remouetur.*

4 *Iudices si de principali, &c simul cognoscunt, & lite non contestata, testes recipiunt, licitè ab eis appellatur.*

5 *Delegatus, lapsu triennij non obstante, potest in causa sibi commissa procedere.*

6 *Actor obtinens in possessorio, non tenetur coram Iudice super proprietate respondere, &c.*

1 QVilibet Laicus, ratione periurij, vel pacis fractæ, coram Iudice Ecclesiastico conueniri potest; & ideò Iudex Ecclesiasticus potest per viam denunciationis Euangelicæ, seù iudicialis procedere contrà quemlibet peccatorem, etiam Laicum, ratione periurij, & pacis fractę; ità *ex cap. Nouit 13. de iudicijs*: Ratio, quia Laicus, ratione peccati, subijcitur Ecclesiastico iudicio; ità Stephanus Grat. *discept. forens. cap.* 154. *num.* 25. & alij.

2 Prælati exhibere tenentur plenam iustitiam Laicis conquerentibus contrà Clericos, non obstante appellatione frustratoria, sed nullo modo permittant Clericos trahi à Laicis in iudicium sæculare, etiam data ipsorum Prælatorum negligentia, ità *ex cap. Qualiter* 17.

3 Iudex quãdo quis creatur in aliqua causa, qui cognoscitur, vt priuatus habere similem causam cum alio, potest, & debet deponi, ne sit nimis fauorabilis vni parti, & debet alius subrogari, *ex cap. Causam quæ* 18. Ratio, quia censetur suspectus: sic etiam testis consimilem causam habens, repellitur à testimonio. Rebuffus *de reprobat. test. num.* 481.

4 Si Iudex est de principali, & exceptionibus præiudicialibus simul cognoscunt, vel super principali lite non contestata, vel testes recipiuntur super principali, licitè ab illis appellatur, & quidquid attentatũ fuerit; post appellationẽ est irritum, quia causa non committebatur illis in forma inquisitionis, sed iudicij; ità *ex cap. Exhibita* 19.

5 Delegatus, non obstante lapsu triennij, potest in causa sibi commissa procedere; ità *ex cap. Venerabilis* 20. Ratio, quia per lapsum triennij compromissum non expirat, sed ad similitudinem iudicij eius instantia est perpetua.

6 Actor obtinens in possessorio coram Iudice Rei, non tenetur coram eodem Iudice super proprietate respondere, si est prorsus alterius fori; ità *ex cap. Significauerunt* 21.

P A R A G. XI.

Textus Sacrorum Canonum.

De Officio, & potestate Iudicis.

S V M M A R I V M.

1 *Delegatus Papæ potest procedere contrà eos, qui impediunt suam iurisdictionem.*
2 *Quando impetrantur secunda litteræ, non facta mentione de primis debet supersederi.*
3 *Delegatus Papæ impeditus, subdelegare potest.*
† *Causa, vbi committitur intrà certum diem, &c. per lapsum dies expirat iurisdictio.*
† *Delegatus potest punire obtemperantes.*
4 *Delegatus per simplicem commissionem potest citare, punire, &c.*
† *Causa commissa duobus, &c. Alter potest vices suas delegare, &c.*
5 *Delegatus Papæ exequitur suam sententiam, quam non potest exequi is, &c. qui eam exequendam commisit.*
† *Clericus, si trahat Episcopum ad Delegatum, &c. Episcopus non debet resistere.*
6 *Delegati iurisdictio expirat post definitiuam, &c.*
† *Delegatus datus etiam per diem, reo absente, non per contumaciam, non restituet Actorem, &c.*
7 *Delegatus Papæ est maior Ordinario.*
† *Litteras impetrans pro dignitate primo vacatura, &c. non faciens mentionem de primis, dignitate est danda primo.*
8 *Delegatus debet seruare formam iuris.*
† *Delegatio facta Dignitati, &c. transit ad successionem.*
9 *Quando agitatur quæstio de iure præsentandi, quid agendum.*

1 DElegatus Papę potestatem habet, non solùm in partes, sed etiam in alios, qui suam iurisdictionem impediunt, terrendo minis partes, vt taceant, *ex cap. Qui quæsitum 1. de offic. & potest. Iudicis.*

2 Litteræ diuersæ sub eadem data, & forma contraria, quando impetrãtur, & præsentantur à diuersis ad eosdem Iudices, non facta mentione de primis litteris, debet supersederi vtrisque, donèc consulatur Papa, *ex cap. Sane* 1. 2.

3 Delegatus legitimè impeditus in causis, quę sine sua pręsẽtia terminari nõ possũt, idest quę nõ sũt graues, subdelegare põt, *ex* † *c. si pro debilit.* 3. Causa, quãdo cõmittitur intrà certum tempus terminanda, sidc consensu partium terminus non prorogatur, transacto termino, expirat iurisdictio, *ex cap. De causis* 4. Delegatus potest punire pę- † na iuris obtemperantes; & si certa pœna per ius statuta non est, imponere valet arbitrariam, *ex eodem cap.*

4 Delegatus, cui simpliciter aliqua causa committitur, consequenter recipit potestatem plenam omnium, quæ ad causam spectant; & sic potest partes compellere contumaces, excommunicare, *ex cap. Præte-* † *reà* 5. Causa, quando committitur duobus simpliciter, alter potest vices suas delegare, coniudici, vel alteri, *ex cap. Quamuis* 6.

5 Iudex ordinarius, si non vult, vel non potest exequi sententiam Iudicis Delegati, ipse Delegatus potest exequi, & impedientes excommunicare, *ex cap. Significasti* 7. † Clericus, si trahat Episcopum ad Iudicem Delegatum super causa alicuius Ecclesiæ, in qua non est canonicè institutus, vel nõ est in possessione; si Delegatus per transactionem, vel alio modo cõfert Ecclesiam, Episcopus non debet violenter Delegato, sed precibus instare, vt differat possessionem, donèc Papa informetur, *ex cap. Si quãdo* 8.

6 Iurisdictio Delegati cessat post diffinitiuam executionem, datam per se, vel per † alium, *ex cap. In litteris* 9. Litteras, vbi quis obtinuerit pro possessione Ecclesiæ, quam alter habet, qui, non habita notitia litterarum, bona causa se absentauit; ità vt nõ possit intrà tempus coram Iudice comparere, ipse Iudex non debet procedere; secùs si per contumaciam se absentasset, *ex cap. Consultationibus* 10.

7 Delegatus Papę in causa delegata est supe-

superior Episcopo, vel Ordinatio, & potest in ipso vti suspensione, vel interdicto,
† ex cap. Sanè 2.11. Dignitatem primam in Ecclesia vacaturam, si vnus impetrauit, & deindè alius impetrauit nominatim in eadem Ecclesia certam Dignitatem, v.g. Archidiaconatum, cùm vacaret, non facta mentione de priori concessione, & postmodum vacauerit, illa certa dignitas primo, & non secundo est conferenda, ex cap. Ex parte 1.12.

8 Delegatus debet seruare formam iuris, & rationabiles exceptiones admittere, vbi contraria voluntas Papę non apparet, cap.
† ex parte 3.13. Delegatio facta Dignitati, non expresso nomine proprio, transit ad successorem, ex cap. Quoniam Abbas 14.

9 Quæstio de iure præsentandi, quando agitatur inter partes, & causa per Papam delegatur alicui, vbi cōstiterit, cuius partis sit ius præsentandi, Delegatus quæstionem, appellatione postposita, debet terminare, & ordinare Ecclesiam, idest proferre sententiam, Ecclesiam esse ordināda secundū pręsentationē illius, qui probauit, ad se ius præsentandi pertinere, sed non instituere, seù mittere in possessionem; hoc enim est Episcopi, vel Archidiaconi, vel Archipresbyteri, qui licitè possunt appellare, si præiudicium sibi generetur, ex cap. Super eo 15.

P A R A G. XII.

Sequuntur Textus de officio, & potestate Iudicij.

S V M M A R I V M.

1 *In causa simpliciter delegata duobus, sententia vnius non tenet.*
† *Delegatus, qui est Dominus impetrantis, recusari potest.*
2 *Quando à Subdelegato ad Delegatum appellari possit.*
† *Delegantis morte non expirat iurisdictio Delegati.*
3 *Nec etiam expirat, si ante obitum Delegantis pars fuit citata.*
† *Causa commissa cum clausula, &c. duo procedere non possunt, & si procedunt, nihil agunt.*
† *Quando sunt duo Iudices in causa Deputati, vnus non potest sine alio procedere.*
4 *Causa delegata tribus, duo sine subdelegatione tertij procedere non possunt, &c.*
† *Causa delegata duobus cum clausula, &c. vno recusato, alter procedere non potest.*
5 *Iurisdictio Delegati, quando expiret in primo peremptorio.*
† *Delegatus post litem contestatam, potest remoueri ob nouam causam.*
6 *Delegatus Papa exequi potest suam sententiam vsque ad damnum.*

1 CAusa, v.g. an matrimonium teneat, quando delegatur duobus, & vnus tantùm eā definit, illa sentētia non valet,
† ex cap. causam matrimonij 16. Delegatus, quādo est Dominus impetrantis delegationem, tamquàm suspectus amouetur, & alius subrogatur, ex cap. Causam quæ 2.17.

2 Delegatus Papæ, qui cōmittit alicui causam, non in totum, sed reseruauit sibi sententiam, si appelletur ad Papam, non obstante tali appellatione, Delegatus in causa procedere poterit, ex cap. Cùm te 18.
† Morte delegantis, si lis est contestata, Delegati iurisdictio non expirat; secùs verò si non erat contestata, ex cap. Relatum 19.

3 Ante obitum Delegantis, si fuit citata pars, etiamsi post obitum contestetur lis, delegatio non expirat: Item qui appellat; deindè petit inducias ad producendum testes, dicitur renunciasse appellationi, ex
† cap. Gratum 20. Causa, quando delegatur tribus, cum clausula, quòd si vnus nequiuerit, vel noluerit adesse, duo expediāt causam, si non constat de impotētia tertij per nuncium, vel per litteras, alij duo non possunt procedere in causa, & si quid faciunt,
† est irritum, ex cap. Prudentiam 21. Quando in commissione fuerit appositum, vt si omnes interesse nequiuerint, duo nihilominùs exequantur; si vnus, qui potest, non vult interesse, alij duo, vel vnus possunt prosequi causam, & ille tertius est arguendus, quia subterfugit exequi mandatum Ecclesiæ, ex eodem cap.

4 Causa, quando delegatur tribus, & tertio non obeunte suas vices, nec se excusāte, duo citant, vel sententiant, citatus non tenetur obedire, & quidquid fit, est irritū, potestq; appellare: Itē si ante citationem, Romam mittit pro iure suo, & Delegati volunt procedere, pōt appellare, ex cap. Cū
† causa 22. Causa, quando delegatur duobus cum clausula, quòd vnus, altero impedito, possit, si vnus per exceptionem recusatur, alter licèt solus possit, tamen si cum recusato procedat, processus est nullus, ex cap. Cùm super Abbatia 23.

5 Citata pars die statuto, quando non cōparet in termino, potestas Iudicis non expirat, & potest Iudex de æquitate expectare sequentem diem, & pars contumax, elapso peremptorio, non est de nouo citanda, nisi benignitas Iudicis hanc gratiam fecerit: si potestas expirat in eadem hora termini peremptorij, Iudex procedere po-
† terit, ex cap. Consuluit 24. Iudex, quando deputatur in lite contestata, & nondùm data diffinitiua sententia, insurgat de nouo refutans Iudicem tamquàm suspectum, potest refutari, & mutari, vt si pars litigās sit familiaris Iudicis, sed si post nouam causam ortam pars contraria est contenta prosequi litem corā illo Iudice, & prosequitur, non potest ampliùs illum allegare suspectum, ex cap. Insinuante 25.

6 Delegatus Papæ, qui post sententiam diffinitiuam excommunicat nolentē obedire, non intelligitur functus officio suo, sed potest per integrum annum exequi sētentiam, & absoluere excommunicatum, sicut fit cum contumace, & ante litis contestationem, ex cap. Quærentis 26.

PARAG. XIII.
Subsequitur materia præcedens.

SUMMARIUM.

1 *Delegatus Papæ potest subdelegare cognitionem causa, &c.*
† *A Subdelegato, quando appellandum sit ad Delegatum.*
2 *Delegatus Papæ potest cogere aliquos, vt suscipiant delegationem.*
† *Subdelegatus à Subdelegato Papæ potest coercere impedientes, &c.*
3 *Iurisdictio Delegati, re integra, morte mandantis expirat.*
4 *Delegatus quis non creditur, nisi delegationem probet.*
† *Iurisdictio prorogari non potest, &c.*
† *Sigilla Iudicum Delegatorum violando, aperiens non auditur, &c.*
5 *Delegatus, quando Subdelegatum collega non tenetur admittere.*
6 *Quando locus est suspectus parti, Delegatus potest alium delegare in loco non suspecto.*
† *Conquerens se post appellationem fuisse excommunicatum, quid ab eo agendum.*
7 *Agentes contra formam rescripti, processus est nullus.*
† *Delegatus, qui pronunciauit se iurisdictionem non habere, non potest eam reassumere, &c.*
8 *Suspicionis iustam causam habentibus, eliguntur arbitri.*
9 *Delegatus quot annos debeat habere.*
† *Delegatorum plurium simpliciter datorum expirat potestas per mortem vnius.*
10 *Delegatus Papa subdelegare potest.*

1 Delegatus Papæ potest subdelegare alijs cognitionem causæ, & testium examinationem, reseruata sibi sententia, ad quam potest procedere, etiamsi interposita fuerit appellatio: Item potest subdelegare principium, medium, & finem, non solùm coniunctim, sed etiam diuisim; dummodò antequàm ferat sententiam, diligentèr inquirat de vniuersis, quæ acta sunt in iudicio, *ex cap. Super quæstionum* 27. A
† Subdelegato appellandum est ad Delegatum quoties non tota, nec omnis iurisdictio delegata est, sed eius pars, vel species, *ex eodem cap.*

2 Delegatus Papæ potest cogere aliquos, vt suscipiant subdelegationem, habita ratione personarum, & ipse non se exoneret
† malitiosè, *ex cap. Pastoralis* 28. Subdelegatus à Delegato Papæ potest coercere impedientes, nam alioquin demandata iurisdictio delusoria redderetur, *ex cap. Litteris* 29.

3 Causa, quando delegatur tribus, cum clausula, quòd duo possint, si vnus impeditur, quorum vnus delegat suas vices alteri, & moritur, & tertius legitimè reijcitur, vt suspectus; qui superest, si causa est integra, non potest iudicare, quia morte Subdelegātis expirat potestas; si vero causa fuit incepta, illo viuente, potest, quia præsentat duos, *ex cap. Licèt vndique* 30.

4 Nemo cogitur exequi, quæ mandantur à Delegato, nisi constet, seu probetur de delegatione Sedis Apostolicæ, *ex cap. Cum in iure* 31. Delegatus intelligitur constitutus ad illa tantùm, quæ in litteris inueniuntur
† expressa, & eius iurisdictio non extenditur ad alia, & si alia quærit, reus non tenetur comparere, nec respondere, nec potest excōmunicari propter illa alia, *ex cap. Cū olim*
† *Abbas* 32. Sigilla Iudicum Delegatorum violando, aperiens peracta causa relationis non auditur postmodum contrà illa, *ex cap. Cum olim magister* 33.

5 Causa, quādo delegatur duobus cū clausula, quòd *Si ambo* interesse non possint, & vnus procedat, & alter non potest interesse, sed subdelegat alterum; alter Delegatus potest ferre sententiam sine Delegato, quia clausula *Si ambo* non intelligitur per aliū, sed per se, præsertim quando secundus Delegatus obtinuit litteras subreptitias, *ex cap. Coram dilecto* 34.

6 Locus, quando est suspectus parti, Delegatus potest delegare alium in loco nō suspecto, præcipiendo, &c. & Canonicus meritò potest recusare Iudicem in causa
† alterius Canonici, *ex cap. Cum R.* 35. Conquerens, se post appellationem ad Papam, fuisse excommunicatum, antequàm absoluatur, admittendæ sunt exceptiones excōmunicati, & excommunicantis, vt cognoscatur, an absolui debeat, vel declarare, quòd non sit excommunicatus: Item si cōqueratur, se iniustè excommunicatum, est priùs absoluendus, & deindè admitti debent probationes, *ex cap. Cum contingat* 36.

7 Rescripti formam non seruans, eius pro-
† cessus est nullus. Item qui subdelegauit vices suas, & Subdelegatus incepit processum, non possunt ampliùs alteri subdelegare, *ex cap. Venerabili* 37. Iudices, qui pronū-
† ciant, se non habere iurisdictionem ex rescriptis in tali causa, non possunt deindè iurisdictionē reassumere, etiam partibus assentientibus, *ex cap. Significantibus* 38.

8 Suspicionis iustam causam, quādo reus assignat, eliguntur arbitri, qui, & non Iudex, assignant tempus ad cognoscendum de hac suspicione, sed Iudex potest cogere arbitros, vt sollicitent, *ex cap. Suspicionis* 39. Iurisdictio delegata non extenditur ad illas personas, de quibus in rescripto non fit mentio, *ex cap. P. & G.* 40.

9 Delegatus debet dari maior 20. annis, sed de consensu partium potest dari maior 18. annis; minor non potest dari, nisi à
† Principe, *ex cap. Cum vigesimum* 41. Delegati plures, quando dantur, vel arbitri sine clausula, quòd *Si vnus, &c.* mortuo vno, expirat in alijs auctoritas, *ex cap. Vno Delegatorum* 42.

10 Delegatus Papæ subdelegare potest, licèt datus sit ex officio, vel de partium cōsensu, vel cum clausula *Præ electionis*, videlicèt, quòd *Si non omnes, tu cum alio exequaris, &c.* *ex cap. Quoniam* 43.

PA-

PARAG. XIV.
Item subsequitur causa precedens.

SVMMARIVM.

1 *Iudex potest dare Aduocatum.*
2 *Officium nobile cū imploratur, fit litis contestatio, &c.*

1 AD officium Iudicis Delegati spectat dare Aduocatum parti, etiam de suis domesticis, quæ illum habere non potest, *ex cap. Literis 1. de offic. Iudicis.*

2 Officium Iudicis, quando pro principali actione imploratur, v.g. competitur principalitèr restitutio in integrum; tunc exposcitur contestatio litis; aliàs habet potest recursus ad officium Iudicis sine litis contestatione, *ex cap. Iudicis 2.*

PARAG. XV.
Textus Sacrorum Canonum.
De officio, & potestate Iudicis Delegati.

SVMMARIVM.

1 *Conseruator à manifestis iniurijs defendit, &c.*
2 *Pontificali dignitate defertur in constitutionibus, & pœnis.*
3 *Delegato procedente cum duobus subdelegatis non in totum ad Papam appellari debet.*
4 *Quando suspicionis causa, coram arbitris non tractatur.*
5 *Iudex suspectus, an, & quando committere possit.*
6 *Delegatus Subdelegans causam, quando eam reassumere possit.*
7 *An expiret Iurisdictio, quando Delegatus subdelegat hac forma,* Quoties, &c.
8 *Subdelegati in solidum per se procedere possunt.*
9 *Executor sub gratia facta datus à Papa, mortuo Papa, etiam re integra, gratiam exequitur.*
10 *Delegatus Papæ, qui subdelegauit alicui, &c. si moritur, recurrendum est ad Papam.*
† *Ab arbitris appellatur ad Papam.*
11 *Executor datus à Papa, vt prouideat personæ, &c. non expresso nomine, tunc Delegatus potest alteri demandare hoc munus, &c.*
12 *Papa, quando mandat expediri causam in certo loco, Delegatus, iusta causa, potest in alio loco expedire.*
13 *Delegatus, quando subdelegauit, si re integra moriatur, ad quem appellandum.*
14 *Qui possunt esse conseruatores.*

1 COnseruatores, v.g. Regularium possunt solùm defendere sibi commissos ab iniurijs manifestis, & violentis, & potestas non extenditur ad alia, quæ indaginem iudiciariam exigunt, *ex cap. Statuimus 1. de offic. & potest. Iudicis Delegati in 6.*

2 Iudices, vel Conseruatores Papæ, quando veniendum est ad coactiones, vel pœnas contrà Episcopos, debent deferre eis, & honorare illam dignitatem; quare priùs eis interdicant ingressum Ecclesiæ, vel sacerdotale ministerium; deindè ab officio suspendant, & tandem grauent censura Ecclesiastica, nisi fortè culpa, vel proteruia aliud persuaserit, *ex cap. Quia Pontificali 2. &c.*

3 Delegati Iudices, tres si sint, & duo ex illis, duobus alijs non in totum subdelegauerit vices suas, ipsique Subdelegati cum Delegato tertio, qui non subdelegauit in causa, procedant, & ab vtrisque, Delegato videlicèt, ac Subdelegatis simul appelletur, non ad Delegatos, sed ad primum Delegantem prouocari debet, *ex cap. Si Duo 3.*

4 Duo quādo sunt Delegati à Papa, quòd si ambo non possunt, vnus cognoscat, & apponitur causa legitima suspicionis contrà vnū, alter cognoscet, & expediat causam suspicionis, & non arbiter; si verò nō est clausula, *Quod si ambo, &c.* recurrendum est ad arbitros, *ex cap. Si contrà vnum 4.*

5 Iudex, antequàm sit proposita recusatio, potest committere, & si in totum commiserit, cōmissio facta impugnari non potest; secùs si in parte commisisset; tūc enim potest impugnari: Item postquàm est proposita recusatio, & non est pronunciatum super ea, si recusator consentit, potest cōmittere, secùs non: Item postquàm est pronūciatum, illum esse suspectum, etiam volente recusatore, non potest committere, *ex cap. Iudex ad Apost. 5.*

6 Delegatus, qui subdelegauit causam in totum, re integra, eam reuocare potest; at verò si res integra non sit, nequaquam ille Delegatus causam reassumere potest, *ex cap. Quamuis 6.*

7 Delegatus, quando subdelegat sub hac forma. *Quoties eum abesse contigerit, vel donec duxerit delegationem reuocandam, & moritur:* Subdelegatus si cœpit vti iurisdictione, non amittit iurisdictionem, sed prosequi potest, *ex cap. Si Delegatus 7.* Item si contigerit appellari, appellandum est ad Subdelegantem, idest ad Papam, *ex cap. Si delegatus 7.*

8 Causa, quādo pluribus delegatur à Papa in solidum, quilibet per se solum potest procedere; & si vnus vnam causam incœpit, alter non se immiscere potest in eadē, nisi primus sit impeditus iusta causa, vel nolit, vel malitiosè recuset procedere: Itē si Papa mandans, & Delegatus, qui incepit, moriatur, potest vnus ex alijs prosequi, quia causa perpetuatur, licèt res videatur integra, *ex cap. Cum plures 8.*

9 Si super gratia facta alicui à Papa dentur executores, & antequàm aliquid faciant, moriatur Papa, possunt adhùc executores officio fungi, quia gratia, quod est principale, non expirat; ergò neque potestas executorum, quæ est accessoria, *ex cap. Si super gratia 9.*

10 Delegatus Papæ, qui subdelegauit alicui, non in totum, vices suas, & moritur, vel excommunicatur, interim durante tali impedimento, recurrendum est ad Papam, *ex cap. Si is, cui 10.*
† Delegatus Papæ, quādo est suspectus, vel quando Iudices non concordant, eliguntur arbitri secundùm ius; à quibus si grauata pars appellare vult, ad Papam, & non ad Iudices est appellandum, *ex cap. Ab arbitris 11.*

11 Papa, quando committit alicui, vt prouideat tali certæ personæ de beneficio in

tali Ecclesia, tunc iste potest demandare hoc munus alteri, quia sua industria non debet eligere personam misso si mandat, vt possidea: Ecclesia de persona, non exprimendo aliquam, non potest hoc demandare alicui, quia committitur eius industriæ de eligendo personam, nisi in rescripto dicat, per se, vel per alium, *ex cap. Is, cui 12.*

12 Papa, quando mandat alicui expedire causam in certo loco, Delegatus, si habet iustam causam, potest eã expedire in alio loco, *ex cap. Statuimus 13.*

13 Delegatus, quando subdelegauit, non in totum, sed in partem, licèt sit regularitèr ad Delegatum; tamen si excipitur, quod, re integra, mortuus sit Delegans primus, & hæc exceptio non admittitur, appellandum est ad Papam: Similitèr quando appellatur ex eo, quia Iudex non habet potestatem, appellandum est ad Papam, *ex cap. Si a Delegato 14.*

14 Conseruatores nõ possunt esse, nisi Episcopi, & his Superiores: Item Abbates, & habentes Dignitates, vel Personatum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, &c. *ex cap. Hac constitutione 15.*

TITVLVS III.
De foro competenti.

SVMMARIVM.

1 *Reus vocandus est ad Iudicem competentem.*
2 *Quot modis quis sortiatur forum.*
3 *Iudices tripliciter considerantur.*

1 Vocari debet Reus ad Iudicem suum competentem: Ratio, quia Actor debet sequi forum Rei; ità *cap. Cum sit 8. cap. Si Clericus 5.* Forum dicitur à fando, siuè à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit, secundùm Isidor. *in cap. Forus 10. de verborum significat.* Aliquando dicitur à ferendo, quia sicut ad nùdinas merces venales deferuntur; ità ad forum controuersiæ dirimendæ trahuntur; & ideo forum est locus, vel sedes, in quo lites, vel controuersiæ iudiciales exercentur.

2 Sortitur quis forum quatuor causis, ratione domicilij, ratione contractus, ratione delicti, & ratione rei sitæ, *cap. De foro compet.* Domicilium autem, vel est originis, vel habitationis.

3 Iudices si simplicitèr considerantur, alij dicuntur competentes simplicitèr, alij incompetentes, prorogabiles tamen, alij incompetentes, & improrogabiles: Iudices competentes dicuntur illi, qui de iure absque vlla prorogatione, seù consensu partium, sunt Iudices, vt est domicilij, respectu territorij, &c. Secundi verò Iudices sunt illi, qui licèt per se, & attento iure, absque vlla prorogatione, seù consensu partium, competentes non sint, prorogari tamen possunt, & ex prorogantium consensu Iudices effici; Vndè Iudex Ecclesiasticus de consensu partium potest iudicare Laicos: Tertij generis est Iudex Laicus, respectu Ecclesiastici, qui omninò sunt incapaces, & incompetentes, & ne Clericis consentientibus, possint fieri competentes.

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De Foro competenti.

SVMMARIVM.

1 *Clericus coram suo Episcopo conueniri debet.*
2 *Prætextu violentiæ, non potest adire sæculares.*
3 *Nec consuetudine id introduci potest.*
4 *Habens causam contrà Clericum, Episcopum adire debet.*
5 *Malefactores Ecclesiarum in vtroque foro conueniri possunt.*
6 *Laicus detentor rei Ecclesiasticæ, &c. potest coram Iudice Ecclesiastico conueniri.*
† *Quæstio de feudo inter Clericum, & Laicum, à quo sit determinanda.*
7 *Clericorum causæ sunt tractandæ secundùm ius Canonicum.*
† *Ille Textus quomodo intelligendus.*

1 Negotium habens contrà Clericum, tenetur adire Episcopũ ipsius Clerici cõueñi, *ex cap. Si quis Clericus 1. de foro cõpet.* Iudex Laicus sine licentia Papæ non potest Clericum iudicare, quia Clericus est exemptus à Laica potestate, etiamsi solùm sit constitutus in minoribus, aut in prima Tonsura, *l. Presbyteros, Cod. de Episc. & Clericis cap. 2. de foro compet.* etiamsi Clericus sit coniugatus, si cum virgine contraxerit, & habitum Clericalem, Tonsuramque defert; & si fortè Clericus trahatur ad Iudicem sæcularem, debet protestari, se esse Clericum, & proindè, non teneri coram eo respondere. Ioannes Andr. *in cap. Si diligenti*, & communitèr omnes; etiamsi Iudex illi minetur tormenta, debet respondere (si aliquid dicat) se hoc facere metu ipsius Iudicis. Abbas *nu. 17. de foro compet.*

2 Neque Clerici, sub prætextu violentiæ, possunt Magistratus sæculares adire: Ratio, quia contrà Sacros Canones est, vt Magistratus sæculares de Ecclesiasticis causis iudicent, & Clericos ad sua Tribunalia vocent; imò Iudex, qui sub prætextu violentiæ prohibendæ talia committunt, incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & recurrentes, sunt ipso iure excommunicati per *cap. Nouerit, & cap. Grauem de sententia excommunicat.*

3 Consuetudo introduci non potest procedendi contrà Clericum, & si alicubi est talis consuetudo, dicitur corruptela. Marta *de iurisdictione cap. 134* Rebuffus *in l. Armorum ff. de verbor. significat.* quia huiusmodi consuetudo non potest tollere exemptionem Clerici, *cap. Clerici*, Felinus *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 6.* Socin. *in cap. Si quis Clericus*, etiamsi talis consuetudo sit immemorialis, & quamuis tribuere possit merum, & mixtum imperium, & iurisdictionem, *cap. Clericus Laicum.* Ratio, quia talis consuetudo est contrà libertatem Ecclesiæ, & contrà legem Diuinam, & consuetudo, quæ

quæ est contrà ius Diuinum,non valet, *cap. Cleric.* Innocent. *in cap. Postulasti, de foro compet.* & contrà Canones: Ratio, quia cõsuetudo q̃ est contrà Canones, præsumitur iniqua, & irrationabilis, *ex cap. Nulli 3. de foro compet.*

4 Causam contrà Clericum habens, adire debet Episcopum Clerici: si Episcopus sit suspectus, recusatur; ipse Episcopus deputet executorem,; & si actor Reus, & talē executorem suspectum habeat, ipse Episcopus deputet aliquem, qui cogat omnes partes mutuo consensu eligere sibi Iudices, à quibus quæ fuerint definita, iubeat Episcopus compleri, *ex cap. Si quis contra* 4. Ratio, quia Iudex nõ debet esse executor, & durum est sub Iudice suspecto litigare. Crauetta *consil.* 113. *nu.* 25. Seraph. *de priuilegijs iuram. priuileg.* 7 *nu.* 1. & alij.

5 Rectores Ecclesiarum possunt conuenire malefactorem Ecclesiarum, idest sacrilegos coram Iudice Ecclesiastico, vel Laico; ita *ex cap. Cum sit generale*; Ratio, quia crimen sacrilegij est mixti fori. Cou. *variar. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 18. & alij. Mixti fori delicta sunt, quæ prohibentur *I. Canonica, & Imperiali*, Abbas *in cap. Cum sit*, & ideo Iudex Ecclesiasticus, aut Laicus potest procedere, quia vtriusque lex fuit offensa, & ideo sacrilegium, crimen vsurarum, simonia, periuriũ, adulterium, sunt delicta mixti fori ob rationem allatam.

6 Laicus, super re Ecclesiæ, vel Clerici, potest coram Iudice Ecclesiastico conueniri, sed si probabiliter negat, rem esse Ecclesiæ, vel Clerici, ad iurisdictionẽ Ecclesiasticam declinandam, cõuenitur coram † Iudice suo, *ex cap. Si Clericus Laicum* 5. Quæstio de feudo inter Clericum, & Laicum, est determinanda à Domino feudi, qui si malitiosè differat terminare, Legatus Papæ, vel Episcopus potest causam determinare, *ex cap. Ex transmissa* 6. & *ex cap. Veniens* 7.

7 Causæ etiam pecuniariæ, quas habet Clericus contrà Laicum sunt tractandæ secundùm ius Canonicum, & secundùm consuetudines, vel iura municipalia, *ex* † *cap. Quod Clericus* 9. Verùm iste Textus plures habet difficultates, dum probat, iure Canonico esse decidẽdas non solùm causas illas, quas habent Laici contra Clericos, sed etiam quas habent ipsi Clerici cõtrà Laicos, & ideo super intelligentia huius Textus videndi sunt Canonistæ, & Barbosa *tom.* 1. *in lib.* 2. *decretal. tit. de foro compet. &c.*

PARAG. II.

Subsequitur Textus præcedens.

SVMMARIVM.

1 *Laicus, quando coram Iudice Ecclesiastico possit conuenire Laicum.*

2 *Vidua coram Iudice Ecclesiastico, quando possit conuenire Laicum.*

3 *Clericus non potest renunciare iuri suo.*

4 *Clerici super excessibus, coram Ordinario sunt conueniendi.*

5 *Episcopus condemnat Clericum de delicto commisso in sua Diœcesi, priuando iudicio alibi sito, licet executio spectet ad alium.*

6 *Iudex Ecclesiasticus potest censuris compellere Laicos vsurpantes iura Ecclesiastica.*

† *Priuilegiatus, qui promisit soluere in vno loco, potest ibi conueniri.*

7 *Clericus iurisdictioni non sui Iudicis se submittere non potest.*

8 *Citatus legitimè coram suo Iudice, tenetur prosequi causam coram eo stante, etiamsi forum mutauerit.*

9 *Clericus potest in Curia Romana conueniri.*

1 Laicus Laicum, super re ciuili, coram Iudice Ecclesiastico conuenire non potest, nisi ex defectu iustitiæ sæcularis, vel nisi consuetudo id expostcat, & ideò data negligentia Iudicis sæcularis, potest Ecclesiasticus procedere contrà Laicos. Ecclesia Laicos iudicare potest in casibus, in quibus Iudex Laicus est negligens, vt si requisitus nõ exhibuit iustitiam; *ita cap. Licet* 10 *de foro compet.* Abbas *in cap. Qualiter num.* 7. quia Iudex Ecclesiasticus supplet negligentiam Iudicis sæcularis, *cap. Ex transmissa*: imò potest etiam Iudex Ecclesiasticus cẽsuris cõpellere Iudicem sæcularem, vt suo munere fungatur, nam ad commune bonum spectat, & ad pacem fidelium, vt ad Iudicem Ecclesiasticum possit haberi recursus, saltem eo titulo, vt peccata publica corrigantur. Suarez *de censuris disp.* 20. *sect* 1. *num.* 14. & alij.

2 Vidua Laicum coram Iudice Ecclesiastico conuenire non potest, nisi super causa Ecclesiastica, vel in defectum Iudicis sæcularis; ità *ex cap. Ex tenore* 11. & ideò quãdo viduæ, & aliæ miserabiles personæ non possunt habere iustitiam coram Iudice sæculari; tunc Iudex Ecclesiasticus potest cognoscere de causis ipsarum, *cap. Peruenit* 86. *dist.* Ratio, quia Iudex Ecclesiasticus debet subuenire omnibus oppressis, & miserabilibus personis omni auxilio destitutis, *cap. Super quibusdam, de verbor. signific.* Innocẽt. *in cap. Cum sit generale num.* 2. *de foro compet.* Miserabiles autẽ sunt viduæ, pupilli, orphani, infirmi, diuturno morbo oppressi, & pauperes. Abbas *in cap. Cæterum num.* 16. Hostien. *in cap. Significantibus num.* 2.

3 Clericus non potest renũciare iuri suo, & constituere sibi Iudicem Laicum, etiam in causis temporalibus, & liberis, etiamsi iurauerit acceptare aduersario, quia pacto priuatorum, iuri publico non derogatur; ità *in cap. Si diligenti* 12. Ratio, quia priuilegium fori est introductum non in fauorem personæ, sed totius Ordinis Clericalis, cui fauori Clericus renunciare non potest; ità Belletus *de fauore Clericorum person.* §. 2. *num.* 24. & ideo Clericus, qui renunciauit priuilegio fori, potest contraueni re, etiamsi iurauerit, *cap. Si diligenti*, quamuis interuenerit consensus Episcopi. Glos. *in cap. Significauit*, ibi Abbas *num.* 25. & alij: Dixi, etiã si iurauerit, quia actus quoties in fauorem publicũ prin cipaliter prohibetur, non confirmatur iuramẽto. Sanch. *de matrim. lib.* 1. *disp.* 32. *num* 8 & 9.

4 Clerici super excessibus, coram Episco-

po

po conueniri debent, non coram ijs, quibus seruiunt, nisi illi habeant iurisdictionem talem ex consuetudine, vel priuilegio: ità *cap. Cùm contingat 13.* Ratio, quia consuetudine, & priuilegio acquiritur iurisdictio.

5 Sacerdos, quando habet beneficium in sua Diœcesi, in qua residet, & domicilium, ratione patrimonij, in alia, in qua v. g. deliquit, tali delicto, quòd veniat priuandus beneficio, tunc Episcopus patrimonij, vbi deliquit, debet ferre sententiam contrà eum, dummodò realis executio, quoad beneficium fiat ab Episcopo beneficij; ità *ex cap. Postulastis 14.*

6 Iudex Ecclesiasticus potest censuris cōpellere Laicos vsurpantes iura Ecclesiastica, seù ipsis rebus Ecclesiasticis violentiam inferentes, vt cessent, vt satisfaciant damnis, & iniurijs, postposita appellatione, quia sunt sacrilegi; ità *cap. Conquestus 16.*

† Priuilegiatus vt non teneatur respondere, vel soluere, nisi in certo loco, si in alio loco respondere, vel soluere promisit, ibi poterit conueniri, *cap. Dilecti 17.*

7 Clericus, sine Diœcesani Episcopi licentia, iurisdictioni nō sui Iudicis se submittere non potest, *ex cap. Significasti 18.*

8 Legitimè citatus tenetur coram Iudice citante causam prosequi, non obstante, quòd post citationem mutauerit forum; ità *cap. Proposuisti 19.*

9 Quisque Clericus potest in Curia Romana conueniri, licèt non sortiatur forū Romanum, ratione delicti, aut contractus, &c. quia est magistra, & mater omnium, nisi pro iusta, & necessaria causa veniret, qua lata, iure possit reuerti domum; ità *ex cap. Licèt 20.*

PARAG. III.
Subsequitur materia præcedens.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopus sine voluntate Suffraganeorum non cognoscit causas subditorum, &c.*
† *Nec potest cogere subditos Suffraganeorum, vt suscipiant delegationem, &c.*
† *Nec cogere subditos Suffraganeorū corā se respondere.*
† *Nec debēt mittere suos Clericos in alienā Diœcesim.*
2 *Iudices compellentes Clericos, &c. sunt compescendi censuris Ecclesiasticis, vt desistant.*

1 Archiepiscopus, vel eius Officialis, prætermisso articulo appellationis, tamquàm Iudices non cognoscant sine voluntate Suffraneorum, causam subditorum, etiam ipsis subditis consentientibus,
† *ex cap. Romana 1. de for. compet in 6.* Itē Archiepiscopus in causis ad se deuolutis nō potest cogere subditos Suffraganeorum, vt suscipiant delegationem, vel exequantur sententiam, vel vt sint testes, nisi contra-
† ria sit consuetudo, *ex eodem capite.* Archiepiscopus non compellit inuitos contrahentes aliarum Diœcesum, in propria ciuitate se respondere, nisi ibi inueniantur, aut si citati nolint comparere, vel malitiosè † se occultent, nè citentur in bonis ipsorum suæ Diœcesis, potest missionem facere, vel in alia decernere per Ordinarios facien-
† dam, *ex eodem cap.* Archiepiscopus non mittat suos Clericos in alienas Diœceses ad incundos contractus, vt cognoscatur coram ipsis, nec subditos aliorum potest cogere coram se iuri stare, nec illos excommunicare, *ex eodem cap.*

2 Iudices sæculares volentes compellere Clericos ad soluenda debita, etiā liquida, sunt compescendi censuris Ecclesiasticis ab Ordinarijs, vt desistant, *ex cap. Seculares* 2. Laicus, ratione iuramenti, vt illud seruet, conuenitur coram Iudice Ecclesiastico, *ex cap. Cùm Laicus 3.*

TITVLVS IV.
De Libelli oblatione.

SVMMARIVM.

1 *Libellus quid sit.*
† *Duplex.*
2 *Debet continere annum, & diem, &c.*
† *Libellus conuentionalis eadem continere debet.*
3 *In omnibus causis offerendus est libellus.*
4 *Forma libelli, qua.*

1 Libellus est breuis scriptura claram actoris intentionē, seù propositionē cōtinens, contrà reum necessariò concludens: qui duplex est; conuentionalis, seù
† postulatorius, qui in ciuilibus negotijs; alter accusatorius, seù querimonialis, qui in criminalibus datur, *cap. Quinto præscripta §. libellorum 2. quæst. 8. cap. 9.*

2 Debet libellus continere annum, & diē, & nomen, & cognomen accusantis, & accusati, & Iudicis, coram quo accusatio fit, crimen, & tempus, quo commissum fuit, cum inscriptione interdùm, *cap. Sua fraternitatis 5. de procurat. cap. 5. Per scripta §. libellorum 2.*
† *quæst. 8.* Libellus conuentionalis eadem cōtinere debet, nempè agentis, & conuenti nomen non solùm, sed & ius dicentis, & petitæ rei, & actionis qualitatem, *cap. Dilectis 6.* & si personali actione agatur, petendi causam.

3 In omnibus causis offerendus est libellus, de quibus constituitur iudicium, & inter duos lis est, tàm ciuilibus, quàm criminalibus, *l. Libellorum 3 de accusat.* tàm petitorij, *l. Si in rem 6. de rei vendicat.* quàm possessorij, non tamen semper in causis summarijs, v. g. executionibus, &c. in his enim qualiscumq. petitio, etiam sine scriptura, sufficit, quemadmodum & cum per modū inquisitionis proceditur, *l. 4. Vbi gloss. ad verbum Continua, Cod. de Apost. cap. Cum olim, de testibus.*

4 Forma libelli iuxtà consuetudinem loci facienda est, & vbi nulla extat consuetudo, scripto complectenda est, præcipuè autem libelli forma in conclusione consistit. Baldus *in l. 1.* Finis libelli est, vt agentis desiderium proponat, *l. 1. De postul.* Iudicem, & aduersarium de specie futuræ litis instruat, & sit fundamentum iudicij.

PA-

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 Causa petendi libellum, est duplex, remota, & proxima: Remota est conuentio, & factum, vndè oritur debitum: proxima verò est ipsa obligatio, quæ ex cõtractu nascitur; ideò libellus primò, debet continere factum, quod debet narrari planè sine verborum affectione, nè actor facilè capiatur ab aduersario, &c. Secundò, debet continere causam petendi; non enim sufficit narrare factum, nisi adesset causa, & medium concludendi: Tertiò, subinfertur conclusio, nempè petitio, quę nunquam est omittenda; nam tota vis libelli in petitione vertitur; Iudex enim maximè ad conclusionem respicit, vt etiamsi ineptè narratum, vel causa petendi fuerit inepta, tamen si conclusio apta fuerit, vt Iudex intẽtionem actoris intelligere possit, tunc sufficit benè esse petitum, vel conclusum: Conclusio nempè regulat, ampliat, restringit, & determinat totã actionem. Causa itidem libelli remota nunquã est prætereunda, licèt causa proxima taceri possit.

2 Libellus incertus, obscurus, & generalis reijcitur: Obscurus autem libellus non valet, cùm nil magis placeat Iudici, quàm claritas: nec libellus generalis admittitur, cùm generalitas obscuritatem pariat: similitèr libellus sibi-ipsi contrarius, hoc est contrarias continens actiones, non admittitur: sunt tamen quidam casus, in quibus incertus, & generalis libellus admittitur.

3 Conclusio in criminalibus non est necessaria, sed in his libellus procedit sine conclusione ex sola facti narratione: Item in omnibus causis, in quibus Iudex officiũ non imploratum impertiri potest, non est necesse, vt in libello concludatur: quæ autem sint causæ, in quibus Iudex officiũ non imploratum impertiatur, docet Bartolus, & Doctores *in l. 4. § hoc autem iudicium ff. de dam. infect.*

4 Libellus non in omnibus causis est necessarius; in illis enim casibus, in quibus summaria cognitio requiritur, libellus nõ est necessarius: Item in omnibus criminibus, in quibus sine accusatore proceditur, quia aliquid de solennitatibus iudicij relaxatur in ciuilibus in omnibus casibus, in quibus de plano, sine strepitu iudicij proceditur, vt in causis vilibus, & vilium personarum, ac modicæ summæ, libellus non est necessarius.

5 Effectus libelli est multiplex: Primus, secundùm ipsius formam sententia concipitur, atque dictatur: Secundus, quòd facta denunciatione, rem litigiosam facit: Tertius, quòd præscriptionem interrumpit, etiamsi nullam causam, vel vnam ex omnibus contineat: Quartus, quòd Reo iam reconuento per libellum, ac edita illi actione per Iudicem, vel per executorem, non potest actor ampliùs libellum mutare, Reo contradicente, & vt prosequatur, instante.

6 Libellus potest emendari varijs modis, nam aliquando dicimus emendare libellum cum obscura declaramus: si libellus sit obscurus confusè positus, tunc actor potest emendare libellum ante litem contestatam; post verò, non licet: si autem nõ emendauit, Reo opponente, & processus erit nullus, & sententia nulla, propter vitium obscuritatis. Fit etiam emẽdatio, aut in addendo, aut in detrahendo, aut superflua resecando: Addendo fit emendatio, cum aliquid additur ad libellum: detrahendo fit, cum detrahitur aliqua qualitas in libello, vel aliqua summa; & hæc emendatio est semper permissa ante litem contestatam, & post, quia non poterit reprehendi actor, qui emendat in partem mitiorem, & temperatiùs petit; licèt fallat hæc regula in aliquibus casibus, vt si quis plus petijsset, & post litem contestatam, cautionem ab aduersario petijsset, quia si vellet detrahere, & minùs petere, non subterfugeret pœnam: Secundò, si quis vellet detrahere substantialibus, vel in qualitatibus principalibus, quia tunc non posset detrahere post litem cõtestatam, sed processus irritaretur: Tertiò, fit emendatio libelli, cum resecãtur superflua, & hęc emẽdatio potest semper fieri ante, & post litẽ contestatam: dicuntur autem superflua in libello, quæ poterant omitti sine iniuria cuiusquam.

7 In criminalibus tamen non admittitur mutatio, nec ante, nec post litem contestatam; imò accusator incideret in Turpilianam, idest puniretur tamquàm calumniator.

8 Licèt sententia regularitèr debeat esse conformis libello, fallit tamen hæc regula in Papa, & Principe, qui non sunt obligati, & adstricti solẽnitatibus, & solùm sola facti veritate inspecta, pronunciant: Secundò in criminalibus hæc regula non procedit, cum enim accusator proponit libellum contrà Reum criminis, & petit eum sic, vel sic puniri; Iudex potest non attendere hunc libellum, & infligere pęnam Reo, quã ipse voluerit, & quę ei iusta videbitur: Tertiò, hæc regula, etiã in ciuilibus suo loco non procedit, quia Iudex quòad qualitates, tẽpora, modos, loca, põt nõ sequi petitionẽ libelli; sufficit enim, si sẽtẽtia sit cõformis libello in re, causa, & actione in, re petita, quòd Iudex de alia re nõ pronunciet in causa petendi, quòd Iudex aliã causam non proferat; in actione vt Iudex sequatur eam actionem, quam actor instituit, siuè condemnet, siuè absoluat: Quartò, considerandum est, quòd sententia potest

test etiam ferri super non petitis in libello, si tamen sint de natura petitorum, vel correlatiua, vel correspondentia, vel ex eodem fonte.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum.
De Libelli oblatione.

SVMMARIVM.

1 *Actor tenetur in scriptis libellum porrigere.*
2 *Rei vendicatione, quando agitur, semper designanda est res, quæ petitur certò, &c.*
† *Libellus generalis non est admittendus.*
3 *Reus non tenetur respondere libello in actione personali, si non exprimitur causa petendi.*

IVdex non debet admittere Actorem ad litigandum, nisi offerat libellum in scriptis, *ex cap. Ignarus 1. de libelli oblatione.*

2 Quando agitur de rei vendicatione, nõ sufficit, rem generaliter peti, sed debet ità specificari, vt euitetur obscuritas, &
† æquiuocatio; ità *cap. Significantibus 2.* Vndè libellus generalis, & incertus non est admittendus, nisi in aliquibus casibus, vt inspectione fructuum, vsurarum, damnorũ, expensarum, & interesse, in qua libellus incertus validus est: Item in petitione hæreditatis, & c.

3 Reus non tenetur respondere in actione personali, si in libello non apponatur causa; ità *cap. Dilecti 3.*

TITVLVS V.
De mutuis Petitionibus.

SVMMARIVM.

1 *Reconuentio quid sit.*
2 *Reconuenire quilibet potest aduersarium suum.*
3 *In quacumque parte iudicij potest fieri reconuentio.*
4 *Causa conuentionis, & reconuentionis eadem dici potest.*
5 *Clericus in causa reconuentionis coram Laico conueniri potest.*
† *Excipiuntur aliqui casus.*

1 REus conuentus potest Actorem, quem vel ratione rei obligatum habet, vel ratione alicuius negotij, vicissim apud eũdem Iudicem reconuenire: Est autem reconuentio mutua petitio contrà conuenientem, vel agentem in eadem iudicio constituta, & hæc duplex est, vna propria, quæ ità ab initio instituta, pari passu cum conuentione procedat: Altera impropria, quę non ità instituta.

2 Recõuenire quilibet potest aduersarium suum coram eodem Iudice, coram quo fit conuentio, siuè sit Ordinarius, siuè Delegatus, *cap. Dispendia 3. de rescriptis in 6. cap. Cum dilectus 6. de arbitris.* Coram Iudice appellationis fieri potest reconuentio in omni causa, siuè in rem, siuè in personam agatur, nisi iure prohibeatur. Clement. *Sæpè.* In criminalibus reuocatio habet locum, *cap. 1. Negandæ 3. quæst.* 11. Item in causa expoliationis reconuentio non admitti Actorem de alio expolio contrà se per eum commisso: in actione de dote reconuentio non admittitur: Item & in causa appellationis non datur locus reconuentioni; sunt etiam plures alij casus, in quibus reconuentio non admittitur.

3 Reconuentio fieri potest in quacunque parte iudicij, & admitti tantùm vsque ad conclusionem in causa: Verùm iuxta communem opinionem, reconuẽtio potest fieri, etiam facta conclusione in causa principalis: imò in calculo ferendæ sententiæ, dummodò non sit lata; vndè si esset finitũ iudicium, lata sententia super conuentione, non potest Clericus recõueniri coram Iudice Laico, vt tenet Vincent. de Franchis *decis. 193. num. 9. lib. 1. & lib. 2. decis. 76.* & alij.

4 Causa reconuentionis, & conuentionis eadem dici potest esse, quòd idem Iudex, & ijdem litigatores, eadem instantia, & vna sententia determinanda sit.

5 Clericus in causa reconuentionis in actione reali potest conueniri coram Iudice Laico, nam si Clericus Laicum conueniat coram Iudice sæculari; Clericus à Laico coram eodem Iudice potest conueniri Glos. *in cap. Denique 96. dist. in cap. Multi, verbo Sæculari 2. quæst. 1. &c.* dummodò tamen Laicus non procurasset in fraudem conueniri à Clerico ad hoc, vt eumdem corã Iudice Laico reconuenire posset; ità *ex cap. Relatum*, Felinus *in cap. At si Clerici num. 10.* Butr. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ:* Item modò reconuentio non tangeret causam spiritualem, vel illi annexam. Glos. *in cap. 2. verbo Condemnare, de foro compet.* Abbas *in cap. At si*
† *Clerici num. 19.* Item quòd reconuentio fit in causa ciuili, non autem in criminali, in qua Clericus coram Iudice Laico reconueniri non potest. Glos. *in cap. citato, verbo Cõdemnare, & in cap. 1. verbo Suis quæstionibus*, & ibi Hostien. & alij. Vltimò, quòd renunciatio sit in cognitione causæ, non autem in destructione personæ, quia in Clericum Laicus manum inijcere non potest. Felin. *in cap. At si Clerici num. 10.*

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De mutuis probationibus.

SVMMARIVM.

1 *Iudex, etiam Delegatus, potest compellere Actorem ad respondendum Reo in causa reconuentionis.*
2 *Conuentionis in causa modus procedendi datus per rescriptum, intelligitur etiam in causa excommunicationis.*

1 IVdex Delegatus in causa reconuentionis compellere debet Actorem, respondere Reo, & auditis hinc indè rationibus, partes concordet, vel sententiet cum iustitia, *cap. Ex litteris 1. de mutuis petitionibus.*

2 Actor, qui impetrat rescriptum, appellatione remota; in causa reconuentionis, appellatione remota, respondere tenetur, quia

quia Actoris,& Rei est eadem conditio,& eiusdem iuris circà appellationis remedium censetur;ità *cap.Prudentiam 2.*

TITVLVS VI.
De litis contestatione.

1 *Litis contestatio est necessaria.*
† *A quibus fiat.*
2 *Quibus modis necessaria.*
3 *Contestationis effectus.*

1 Litis contestatio regularitèr in omni causa necessaria est, de qua non de plano absque figura iudicij, sed processu iuris habito ordinario cognoscitur. Socin. *ad cap. Quoniam num.* 8. litem contestantur, vel ipsæ personæ principales, si habent personas standi in iudicio,vel eorum procuratores, Tutores, Curatores, Sindici, Actores, *cap. Cum ad sedem 15. de restit. spoliat.* † *cap. Cum causam 6. de iuram. calumn.* Aduocati *cap. Cum causam 62. de appellat.* & contestationem debent facere coram Iudice competente, *cap. Ad si 4. de iudic. cap. Ad nostram 3. de consuet.*

2 Litis contestatio,non solùm est necessaria, cum per actionem iudicium instituitur, verùm etiam vbicumque Iudicis officium pro actione proponitur, veluti cùm in integrum restitutio non incidentèr,sed principalitèr proponitur, *cap. De offic. Iud.*

3 Litis contestationis sunt plures effectus à parte Iudicis, quod iurisdictionem sibi demandatam perpetuet, *cap. Relatum 19. de offic. Delegati*,quòd in præiudicium vnius litigantis nihil innouare queat, ex parte Actoris,quòd actiones temporales perpetuet, *l. vltima ff. de fideiuss. tut. Cod. de prescri. 30.* Item quod interrumpat quamlibet præscriptionem. Panormit. *in cap. Illud num. 11. & c.* quòd rem petitam litigiosam faciat, *l. 2. Cod. de rebus litigiosis*, & quòd actor libellū mutare nequeat ex parte Rei,quod res petita post litem contestatam Reo pereat,& quod post eam possessores in mala fide cōstituant, *l. 25. §. 7. ff. de peten. hered.* Communis effectus est,quod nouationem indicat, *l. 29. De nouat.* & quod ab ea iudicium incipiat.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sit differentia inter litem, & causam.*
2 *Litis contestatio super quibus fieri debeat.*
3 *Litis contestatio,quando non necessaria.*

1 Est differentia inter litem, & causam, vt dicunt Doctores;Causa dicitur ante litis contestationem; post controuersiam tamen, & post litis contestationem, lis dicitur,licèt alij alitèr dicant, nimirùm quod causæ sint criminum; lites verò ciuiles: alij quòd causa dicatur post litis contestationem, & sic lis sit genus; causa verò species: Contestatio autem simplicitèr dicta propriè est plurium; vt in iudicijs cùm Actor quid menti suæ sit petēdo, explicat cōtra, Reus negādo diffitetur; vndè & litis cōtestatio dicta, nam hoc est de natura litis contestationis,quod Reus neget, sicut petitū est, neget narrata, prout narrantur,fit enim litis cōtestatio,præcedente narratione Actoris,& si reus respōdendo istam narrationem diffessus fuerit, iam lis est contestata: Potest etiam litis contestatio fieri per confessionem, non quidem simplicitèr factam,sed cum adiectione, v.g. vt si Reus dicat, *Confiteor, me tibi debere,sed tu fecisti mihi pactum de non petendo:* vbi enim nulla est contradictio, nec lis vlla censebitur;vndè litis contestatio propriè est, cùm Actor quid animo habeat, petendō explicat, & Reus negando diffitetur; ex quibus patet, litis contestationem non fieri per confessionem, sed per responsionem negatiuam.

2 Debet porrò litis contestatio fieri super omnibus exceptionibus dilatorijs, & iuramentum de calumnia præstari: lis verò contestari super exceptionibus peremptorijs neutiquam potest; hæ nanq; omnē controuersiam,& litem perimunt,sed vbi nulla est controuersia, ibi nec litis contestatio esse potest.

3 In omnibus autem causis, in quibus libellus non est necessarius, nec litis contestatio est necessaria; post litis verò contestationem nullæ competunt exceptiones dilatoriæ, quia post litis contestationem non est ampliùs locus alicui remedio.

PARAG. II.
Textus Sacrorum Canonum. De Litis contestatione.

SVMMARIVM.

1 *Litis contestatio fit per positionem appositam, & responsionem secutam, non verò per positiones,&c.*

1 Litis contestatio non fit per positiones,& responsiones factas in iudicio, sed per petitionem in iure propositam, & responsionem secutam,quā omissa,omnis processus est nullus; *ex cap. Olim vnic. de litis contestatione, cap. Dudùm §. licèt*, litis animus ex verbis propositis ad litem contestandam aptis præsumitur, *cap. 9. Humanæ aures 22. quæst. 5.* nulla facti narratio, & responsio in negando non consistens, non inducit litis contestationem.

PARAG. III.
Subsequuntur Textus præcedentes.

SVMMARIVM.

1 *Peremptoria litis contestationem non impedit, nisi sit de re semel finita.*
2 *Contestatio litis non fit per exceptionē peremptoriā.*

1 Exceptio peremptoria ante litem contestatam non impedit contestationem,nisi excipiat de re iudicata,& definita, *ex cap. Exceptionis 1. de litis contestat. in 6* Lis autem

autem non censetur finem recipere, nisi per sententiam sit iudicatum. Stephanus Grat.17.*discep.for.cap.*104.*nn*.34.

2 Si oblato ab Actore libello, Reus excipiat peremptoriè, non contestatur lis, sed est contestāda, nisi exceptio sit ex his verbis, quæ impediunt, *ex cap. Si oblato* 2. quia hodie lis contestari dicitur, quando res agi, disceptarique, &c. cœpta est per actionem propositam, & responsionem rei subsecutam. *l.*1.*Cod. de litis contest.*

TITVLVS VII.
Vt lite non contestata, &c.

SVMMARIVM.

1 *Lite non contestata, regulariter testes non possunt recipi.*
2 *In aliquibus casibus potest.*
3 *Non solùm Actor, sed etiam Reus, &c.*

1 LIcèt regulariter, lite non contestata, nec testes possint recipi, nec ad diffinitiuam sententiam procedere, tamen quò ad testium receptionem limitatur: Primò, quando de testium obitu, vel diuturna absentia periculum est, *cap. Quoniam frequenter* 5. Idque tàm in causa ciuili, quàm criminali.

2 Item ante litem contestatam testes recipi possunt, Primò, cum Actor propter interpositum iuramentum nequit agere, *cap. Ad nostram* 20. *de iure-iur.* Secundò, cum causa est merè spiritualis, vt est hæresis crimen, *cap. Sanè profertur* 24. *quæst.*2.*cap. Ab infirmis* 26.*qu.*7.*cap. A nobis* 28.*de sentent. excommun.* Tertiò, cum publicum instrumentum ostenditur, *cap. Quia ea quæst.*2.4. Quartò, cum de statu Ecclesiæ agitur, *cap. Cum olim* 34. *de testibus, & attestationibus:* Quintò, in causa denunciationis, *cap Veritatis* 8.*de dolo, & contumacia, cap. Nouit* 13. *de iudic.* Sextò, in causa appellationis, cum appellatus est contumax, *cap. Interposita* 70.*§. Sanè de appellat.* Septimò, in causa matrimonij carnalis, cum alter se malitiosè absentat, *cap, Quoniam frequenter:* Octauò, in dilapidatione, *cap. Quia ea* 3.*quæst.*2. Nonò, in causa purgationis, *cap. Cùm* 7. *de purgat. Canonica:* Decimò, vbi aliquid officio Iudicis, actione seruiente petitur, vt in expensis lite pendente factis, *cap* 2 *de offic. Iudic. cap. Ex literis* 1. *de consang. & affinit.* Vndecimò, in omnibus, in quibus simpliciter, & de plano proceditur.

3 Testes sic producere ante litis contestationem, non solùm Actor potest, sed etiam Reus, diuerso tamē modo: Actor eos producit, si testes sint, vel senes, vel valetudinarij; ità vt mortis subsit periculum, aut diù absfuturi, *cap. Quoniam frequenter* 5.*cap. Cùm olim* 34.*cap. Significauit* 41.*de testibus, & attestat.* Reus indifferenter, & sine ætatis, valetudinis, aut absentiæ discrimine, quoslibet testes producere potest, modò ipsi exceptio vim actionis non habens competat, qua actione, quam metuit, elidere possit. Lanfranch. *in cap. Quoniam contrà de probat. cap.* 8.*num.*34.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum.
Vt lite non contestata.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicari potest Reus ante litis contestationem contumax, si agatur de adulterio, &c.*
† *Item quando agitur de restitutione.*
† *Lite contestata, si Reus est contumax, Actor mitti debet in possessionem, &c.*
2 *Testium receptio facta contrà non contumacem, lite non contestata in causa matrimoniali, est nulla.*
3 *Lite contestata, non recipiuntur testes sub principali, nisi timeretur de morte, &c.*
† *In causa matrimoniali testes sunt recipiendi, si citatus venire contemnit.*
† *Item in matrimonio spirituali, vt in electione ad Prælaturam, &c.*
† *Reus, si in actione reali est contumax, Actor mittitur in possessionem.*

1 SI agitur de adulterio ad separationem Thori, & ante litis contestationem, & Reus est contumax, potest excommunicari, sed testes recipi non possunt, nec causa † definiri, *cap. Ad hoc* 1. *vt lite nō cōtestata:* Itē quando agitur de restitutione, & aliquis est contumax, si lis non est contestata, non potest ferri sententia diffinitiua contrà contumacem, licèt possit excommunicari, † ità *cap. Accedens* 2. lite contestata, si Reus est contumax, Actor mitti debet in possessionem rerum petitarum, causa custodiendi: si verò Actor mitti non potest, ità Reus contumax excommunicetur; ità *cap. Tua fraternitatis* 3.

2 Receptio testium facta non contrà cōtumacem, lite non cōtestata, in causa matrimoniali est nulla; ità *cap. Accedens* 4.

3 Lite non contestata, non recipiuntur testes regulariter super principali, nisi timeretur de morte, vel diuturna absentia testium; tunc enim possunt etiam testes, lite non contestata, examinari, *cap. Quoniam fre-* † *quenter* 5. Item in causa matrimoniali, si citatus venire contemnit, vel se occultat, vel impedit, ne citetur, lite non contestata, testes sunt recipiendi, & procedendum est ad sententiam diffinitiuā: si verò Reus, siue maritus abest ex causa, & sine sua culpa, citari non potest, vt v.g. si sit in captiuitate, est expectādum, donec verisimiliter præsumatur de obitu, & interim coniux, quamuis sine culpa, non tamen sine causa, † cogitur esse continens *ex eodem cap.* Item in matrimonio spirituali contracto, v.g. in electione ad Prælaturam, si pars est contumax, procedi debet, sicut ius præcipit: si est absens, & per ipsum non stat, quin citetur, & agatur de promouendo, expectetur per sex menses, vel ad arbitrium Iudicis, † *ex eodē cap.* Item si Reus in actione reali est cōtumax, Actor mittitur in possessionem, & si Reus infrà annum venit, & dat cautionem de stando iuri, solutis expensis, recuperat possessionem, si post annum, non, sed potest agere de principali, *ex eodem cap.*

TITV-

TITVLVS VIII.
De iuramento calumniæ.

SVMMARIVM.

1 *Actus interpositi ante sententiam diffinitiuam.*
† *Iuramentum calumniæ quod sit.*
2 *Qui debeant illud præstare.*

1 VArij actus, lite contestata, ante sententiam diffinitiuam interpretantur. Primus, est iuramentũ calũniæ: Secundus, dilationes: Tertius, progressus contrà Reũ
† cõtumacẽ fatentẽ, vel negãtem: iuramẽtũ calũniç nihil aliud est, quam iuramentum à litigãtibus super causa, bona fide suscepta, & deinceps prosequẽda, præstandum: illud hoc iure, nisi sit petitum Iudex partibus imponere tenetur, *cap. 1. §. propter omissum, &c.* impositum si quis præstare recusauerit, Actor ab instituta cadet actione, Reus pro confesso habetur.

2 Præstant hoc omnes litigantes, siuè in propria persona, siuè per Procuratorem; debet tamẽ Procurator ad id habere specialẽ mandatum: præstatur etiam in omnibus causis, in quibus necessitas probationis incumbit. Petrus Gigas *Syntagmat. 6. num. 3.* tàm in prima, quàm in secunda appellationis instantia, ab Actore exhibetur subhac forma, vt iuret, se non animo calumniandi litem intendere, sed quòd existimet, se bonam causam habere: A Reo, se iustè resistere, opinione iuris sui: ab vtroque, quòd nihil penitùs, patrocinij gratia, Iudicibus, aut alteri cuicumque in causa, vel dederit, vel promiserit, vel etiã sit daturus per se, siuè per aliũ, præterquàm Aduocatis honoraria, cæterisque, quibus à iure dari permittitur, *cap. Statutum 11. §. Insuper de rescriptis in 6.* Item quòd neuter vllam probationem, quam non existimauerit, necessariam exiget.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Calumniari quid sit.*
2 *Iuramentum calumniæ quot Capitula contineat.*
3 *Index, an, & quando hoc Sacramentum possit exigere ante contestationem, &c.*
4 *Iuramentum de calumnia, & iuramentum de malitia, an differant.*

1 CAlumniari nihil aliud est, quàm per chimeras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare, & ideò calumnia sic definitur, Petitio falsa, ex certa scientia: Iuramentũ calumniæ introductum est ob publicam auctoritatem, ne temerè quis ad iudicium vocetur, & vt temeritas illa certa ad litigandum restringatur.

2 Iuramentum hoc calumniæ quatuor continet capitula: Primò, quòd iurabit Actor, animo calumniandi se non mouisse litem, sed existimando se bonam causam habere: Reus verò iurabit, quod putans se bona vti instantia, ad reluctandum venerit: Secundò, quòd interrogati non negabunt, quod verum esse credent: Tertiò, quod nouo iure vtriusque iuramenti adijcitur; Quartò, quòd iurabunt, se nihil Iudici, vel alij promisisse, vel dedisse, vel donare postmodùm velle ad victoriam eausæ obtinendam, nisi illis personis, quibus leges dare permittunt.

3 Licèt iuramẽtum regulaiitèr post litem contestatam sit præstandum, si tamen Iudex aliquibus coniecturis moueatur, corã Actore, potest ante litis contestationem hoc iuramentum exigere, vel saltem fingere, se exigere velle: Item ante litis contestationem iuramentum de calumnia fit, eum propter Rei contumaciam, vel faciẽda est missio in possessionem: Item in exceptionibus ante litis contestationem iuratur de calũnia, quamuis quidam velint, tunc non esse iurandum de calumnia, sed de malitia, & breuitèr, vbicunque non est necessaria litis contestatio, nec iuramenti calumniæ præstatio.

4 Differunt iuramentum de calumnia, & iuramentum de malitia, quia iuramentum de calumnia regulaiitèr præstatur tãtùm post litis contestationem; sed iuramentum de malitia præstatur ante, & post litis contestationem: Item quod iuramentum calumniæ semel in tota causa præstitum sufficit; iuramentum verò de malitia, quoties aliquid dari, vel fieri malitiosè præsumitur, exigi potest: Item iuramẽtum calumniæ locum habet tantùm, vbi agitur de rebus profanis; aliud verò cum tàm de profanis, quàm Ecclesiasticis agitur: Item per iuramẽtum calumniæ prouidetur, ne quid calumniæ fiat in tota lite; per illud verò ne hoc, quod petitur, vel proponitur, in quo suspectus proponens habetur, malitiosè petatur, vel proponatur; quapropter à Canonistis quadruplex iuramenti genus ponitur: Primum, est decisorium: Secundum, est iuramẽtum de malitia, quod præstatur super exceptionibus, & c. ante litis contestationem in ciuilibus, & spiritualibus, & criminalibus causis: Tertium, est de calumnia vitanda, & præstatur post litis contestationem, & semel tantùm in tota lite: Quartum, est iuramentum de veritate dicenda, & hoc iuramentum etiam semel tantùm præstatur in tota causa.

PARAG. II.
Textus Sacrorum Canonum.
De iuramento Calumniæ.

SVMMARIVM.

1 *Clericus de calumnia iurare debet per Procuratorem.*
† *Requiritur licentia Ordinarij.*
2 *Acta essent valida, etiamsi omitteretur huiusmodi licentia.*
3 *Iuramentum calumniæ non præstatur in spirituali bus.*
4 *In causa Collegij, &c. non singuli tenentur iurare.*
5 *Non obstante consuetudine, Clerici iurare debent de calumnia.*
6 *Procurator, &c. Vniuersitatis mandatum habens, iurare*

rare potest de calumnia.
7 *Episcopus quomodo iuret.*

1 Clericus cum de calumnia iurare debet, siuè agat, siuè conueniatur de facto proprio, seù pro facto, & re, non tamen spirituali, sed principali Ecclesię, hoc iuramentum praestare debet per Procura-
† torem, *cap. Inhaerentes 1. de iuram. calumniae.* Non possunt Clerici iurare de calumnia absque licentia Episcopi, siuè sui Superioris, quae licentia debet esse specialis ad iurandum de calumnia, ac debet esse verbis expressa, nec sufficit tacita. Socinus *cum in cap. Cùm in causa num. 15. 16. & 17 de iuramento calumniae,* Abbas *in cap. Inhaerentes num. 21. & in cap. Significasti de foro competent.* Huiusmodi licentia debet etiam peti in constituẽdo Procuratorem ad iurandum de calumnia. Abbas *in cap. Inhaerentes num. 20.* Socinus *in cap. Cùm in causa num. 18.*

2 Si omitteretur huiusmodi licentia, & Clerici iurarent coram non suo Iudice, non exindè vitiaretur processus, seù iudicium redderetur nullum. Felin. *in cap Cùm nuncius num. 3.* vbi etiam Abbas *num. 4. de testibus*, Socinus *in cap. Cùm in causa num. 15.* & alij: Ratio, quia huiusmodi licentia est quoddam accidentale, non autem de substantia iudicij, seù testimonij. Felin. *in cap. Cùm nuncius nu. 3.*

3 In spiritualibus causis de calumnia nõ iuratur; ità *cap. Litteras 2.* Item iurari potest de calumnia per principales, & per aeconomos causam notã habentes, & sic in animum iurantis, *cap. In pertractandis 3.*

4 In causa Collegij, non singuli de Collegio iurare debent, sed aeconomus ipsius iurat de calumnia; vndè Abbas, & Monachi non per se, sed per ęconomum iurare debent de calumnia, & si aeconomum non obligant, Episcopus idoneum eligat, nè Monasterium cadat à iure suo; ità *ex cap. Imperatorum 4.* Quãdo verò Vniuersitas, seù Collegium non constituit Sindicum, seù Procuratorem ad iurãdum de calumnia; si Vniuersitas est saecularis, iurare debent principales, seù maior pars principalium; Si Ecclesiastica, debet iurare maior pars Capituli, & Praelatus, Sigismund. Scac. *de iudic. lib. 2. cap. 1. quaest. 1. num. 252.* & alij.

5 Clerici in suis causis iurare debent de calumnia, non obstante consuetudine; ità *cap. Caeterum 5.* quia non valet consuetudo, vt iuramentum calumniae non praesteiur. Perez *l. 1. 1. glos. 5. dub. 6.* Galgan. *de iur. publico tit. 28. num. 2.*

6 Prior Vniuersitatis mandatum habens de rato, iurare potest de calumnia, *ex cap. Cùm causam 6.*

7 Episcopus per alium agens causam propriam, per illum iurat de calumnia; si per seipsum agit, ipse iurat, propositis, & non tactis Euangelijs, *cap. Cùm in causa 7.* quia omnes Ecclesiasticae personae non iurant tactis Euangelijs, nec tactis scripturis, sed tacto pectore, *cap. De iuram. calumn. §. nulli,* & observantia viget; Authen. *de sanctis Episc.* Aluatus *in rubr. de iura. iur.* & alij.

PARAG. III.

Subsequitur Textus praecedens.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum de calumnia non est de substantia, quod statim post litem contestatam praestetur.*
† *Omissio iuramenti non annullat processum.*
2 *In causa appellationis iurandum est de calumnia.*
† *Procurator constitutus debet post principalem iurare de calumnia.*
3 *Procurator habens speciale mandatum, iurat de calumnia.*

1 Iuramentum de calumnia, vel de veritate dicenda, non est necesse, vt fiat initio litis; potest enim fieri in qualibet parte litis, *ex cap. De iuramento calumniae in 6.*
† Iuramentum calumniae, si in tota causa omittatur, processus non est nullus, neque annullandus, *ex eodem cap.*

2 In causa appellationis est iurandum de calumnia, & de veritate dicenda, etiamsi in principali sit iuratum, *ex cap. Hinc appella-*
† *tionis 2.* Item Procurator deputatus post iuramentum calumniae factum à principali, debet etiam ipse iurare de calumnia, *ex eodem sup.*

3 Procurator constitutus cum speciali mandato ad iurandum de calumnia, ad tale iuramentum praestandum admitti debet.

TITVLVS IX.

De Dilationibus.

SVMMARIVM.

1 *Dilatio quid sit.*
† *Est duplex.*
2 *Item vel sunt indiciales, vel arbitrariae, &c.*
3 *Iudex pro Tribunali debet concedere dilationes.*
4 *Terminus peremptorius dilationum debet exprimi.*
5 *Termini dilationum iure Canonico arbitrarij sunt.*

1 Dilatio nihil aliud est, quàm tempus concessum iudiciale ad perficiendos
† actus; qua dilatio duplex est; vna iudicialis, quae ob actum iudiciale datur; & altera extraiudicialis, quae ob actum extraiudicialem perficiendum datur.

2 Dilationes iudiciales, vel sunt legales, hoc est certo iure constitutae, vel arbitrariae, idest ab arbitrio Iudicis pendentes: conceduntur dilationes ad testes producendos, *cap. Licèt causam 19. de probat.* Item ad peremptorias proponẽdas; probationem per instrumenta; solutionem faciendam; se purgandum; ad accusandum, & agendum; ad Praelatum optandum; appellationem prosequendam; excessibus prouidendum, negotium decidendum; restitutionem petendam; excommunicationis exceptionem probandam; litem contestandam, &c.

3 Iudex dilationes non debet concedere, nisi sedens pro Tribunali, praeuia causae cognitione, & vtraque parte praesente, *cap. vltimo, §. à Iudice 3. quaest. 3.* Hostien. *in*

summa

Stantiis, de dilationibus num. vlt.

4 In assignandis dilationibus, si Iudex velit, terminum esse peremptorium, illud euidentibus verbis exprimere debet, nisi id fuerit factum: Tres termini dandi sunt, siue dilationes ante litem contestatam sint concessę, siue post.

5 Termini dilationum, iure canonico arbitrarij sunt; ideoque Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 20.* mandat, vt lites omnes intrà biennium à die motæ litis terminentur; alioquin licet partibus superiorem Iudicem adire, & idem Concilium statuit *sess. 25. cap. 10.* tàm ordinarios, quàm alios quoscumque Iudices, vt in terminandis causis, quanta fieri poterit breuitate, studeant, ac litigantium artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte differenda, modis omnibus, ac termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant: Vndè D. Bernardus *de consideratione lib. 1. cap. 9.* Causas, inquit, diligentèr velim, sed breuitèr decidere assuescas, frustratoriasque, & venatorias præcidere dilationes.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Princeps per rescriptum potest dilationem concedere.*
2 *Princeps, quomodo pro debitoribus dilationes concedere possit.*
3 *Quando moratoria dilatio à Principe concedi non debeat.*
4 *Dilationes moratoria non extenduntur ad debitum iuratum.*
5 *Dilationes moratoria an prosint etiam fideiussoribus, &c.*
6 *Pendentibus dilationibus, an vsura currant.*
7 *Qui obtinent dilationem, teneatur creditoribus suis idoneos fideiussores dare.*

1 PRinceps per rescriptum suum alicui concedere potest exceptionem, seu dilationem temporalem: exceptionem verò peremptoriam, qua ius alterius partis omninò tollit, & infringit, concedere nequit, *per text. in l. 2. Cod. de precibus Imperatori offeren.* vbi Imperator Constantinus A. Seuero P. F. hæc in verba rescripsit: *Quoties rescripto nostro moratoria præscriptio permittitur, aditus supplicantis pandatur.* Quod autem totius negotij cognitionem tollit, & vires principalis negotij exhaurit sine graui partis alterius dispendio conuelli non potest; nec præscriptionis igitur relaxatio petatur: Ratio primæ partis est, quia dilationes istæ absque graui partis aduersæ dispendio concedi-tur, cùm in mora modici temporis non soleat magnum esse damnum; & quod differtur, non auferatur. Ratio secundæ partis est, quia Princeps non potest ius, vel dominium alicui priuato auferre, nisi ex iusta causa, & propter vtilitatem publicā; in quo casu illi iustum, & solitum pretium rependere tenetur, *l. Item si verberatum 15. §. 1. ff. de rei vendicat.*

2 Princeps non potest concedere dilationes debitoribus ad soluendum, nisi pro modico tempore. Glos. *in l. Quoties Cod. de precib. Imperat. offeren.* & hęc incipiunt currere à die, quo fuerunt datæ, non autem à die, quo fuerunt creditoribus insinuatæ. Brunus *de cess. bonor. quæst. 26. num. 6.* nisi Princeps in rescripto aliud tempus expresserit, vel nisi inter debitorem, & creditorem de certo die soluendo conuenerit, & is dies tempore dati rescripti nondùm venerit: tunc enim incipit dilatio cōcessa à die, quo solui debuit, vt v. g. si debitor esset obligatus soluere in vltimo die Iunij, & antequàm 15. dies venisset, impetrat dilationem trium mensium, non tenetur soluere, nisi primo die Octobris; ità plures *in l fin. Cod. de repud. hered.* Carolus de Grassis *except. 32. num. 54.*

3 Moratoria dilatio à Principe concedi non debet, quando debitum non est ex contractu, sed ex delicto, quia in isto casu, qui non habet in ære, debet soluere in corpore; ità Menoch. *de arbitrarijs qu. casu 203. num. 16.* Carolus Grassis *loco citato num. 228.* & alij. Debitoribus verò ex contractu Princeps inducias concedere potest; demptis tamen aliquibus casibus; & ideò contrà debitum ex contractu depositi descendens, dilatio quinquennalis à Principe concedi non debet, quoniam hoc natura depositi non patitur: Siquidem res deposita sine omni mora, & dilatione, remotis, & exclusis omnibus exceptionibus restitui debet opponenti, *l. 1. Cod. depositi*, Boerius *dec. 396. n. 4.* & alij; vndè Clericus debitor, ratione depositi, non gaudet beneficio, *cap. Odoard. de solut.* ità Carolus de Grassis *de effectis Clericor. effectu 7. num. 58.* & alij: Item contrà debitum pupillare non sunt a Principe concedendæ induciæ, nec contra debitum alimentorum, nec contrà debitum opificum, nec contrà debitum Ecclesiasticum Princeps sæcularis debitori Ecclesiæ dilationes quinquennales concedere potest, quoniam in præiudicium Ecclesiæ ordinare, cōstituere, vel disponere nō pōt. Mansonius *de causis executiuis lib. 1. limitat. 6. num. 5.* & alij: Item contrà debitum Fiscalis nihil valet dilatio quinquennalis, Marcus Antonius Peregrinus *de iure fisci lib. 6. tit. 1. num. 22.* Item dilationes Principis nollum fortiuntur effectum in debito, quod cum extero, & transeunte est contractum, & cessare dilationes, nec dandas esse in debito dotis, Marcus Antonius Cuchus *in tract. de morat. præscrip. num. 87.* Verùm creditor dotis debitori suo inducias istas indulgere non prohibetur. Carolus de Grassis *except. 32. nu. 27.* & ideò dilationes moratoriæ concessæ à Principe non comprehendunt casus prædictos.

4 Dilationes moratoriæ non extenduntur ad debitum iuratum; ità Federicus de Senis *consil. 272.* Natta *consil. 233.* Præsumitur enim per subreptionem impetratum, si iuramenti fiat mentio in rescripto, *cap. Constitutus*, vbi Glos. & Doctores *de rescript.* quod procedit non solùm in Principe sæculari, sed etiam in Summo Pontifice, nam & is de iuramento non faciens mentionem, nō videtur illi voluisse derogare, *cap. Constitutus de rescript.* Innocent. *in cap. Cum inter de iureiur.*

rer. Ratio, quia generalis dispositio non includit actum iuratum; licet plures teneant opinionem contrariam, vt videre est apud Dianam *p. 7. tract. 8. resol. 30.*

5 Dilationes moratoriæ debitoribus factæ, prosunt etiam fideiussoribus, si in concessione expressa mentio de fideiussore sit facta, nimirùm quod fideiussor intrà tempus concessum non debeat conueniri; ità Carolus Grass. *except. 32 nu. 37.* sed si nulla est facta mentio fideiussoris, res est dubia; vndè videndum est, an istæ induciæ sint concessæ ab Imperatore, Principe, vel à creditoribus ipsis; & si sint concessæ ab Imperatore, vel Principe, & fideiussor renunciauit, eadem renunciatio valet Authent. *quæ sent. Cod. de fideiuss.* & induciæ fideiussori, non prosunt in tantùm etiam, vt fideiussor conuentus non possit debitori litem denunciare ad suscipiendum iudiciū, & ad opponendum moratoriæ dilationis exceptionem, quoniam creditor, qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, vt cùm facultatibus orbatus fuerit, debitor possit ab ijs, quos pro eo obligauit, suum consequi; deinde quia ob factam renunciationem, beneficium excussionis cessat. Franch. *de fideiuss. cap. 3. num. 153.* Si verò fideiussor non renunciauit Authent. citatæ, prosunt etiam induciæ concessæ fideiussori, quoniam fideiussor conueniri non potest, nisi debitor sit excussus, & impotēs ad soluendum repertus; debitor vero ob impetratas inducias excuti nō potest. Cuchus *de morat. præscript. num. 139.* quando verò induciæ non sunt concessæ ab Imperatore, Principe, sed à creditoribus ipsis, indistinctè, prosunt fideiussori, etiam quando fideiussor renunciauit authen. citatę, quia inter creditores, & debitorem, datis inducijs, actum intelligitur, vt fideiussori interim parcatur, & nè contra fideiussorem interea procedatur. Franch. *loco citato.* Sunt etiam plures casus allati ab Hunnio *in Encyclopædia iuris par. 2. tit. 28. cap. 5. num. 10.* Primò, quando fideiussor obligatus est, vt principalis; tunc dilatio principali concessa, ipsi quoque prodest: Secundò, quando dilatio quinquennalis à Principe, non ad preces debitoris, sed motu proprio ipsi concessa est: Tertiò, quando in rescripto moratorio, ipsorum quoque fideiussorum mentio facta est: Quartò, quando fideiussor conuentus est; debitor verò principalis pro suo interesse interueniens, exceptionem opponit moratoriæ dilationis; tunc & fideiussoribus moratoria dilatio prodest, ne ipse debitor conuentus à fideiussoribus per indirectum soluere cogatur, ipsaque dilatio inutilis existat: Quintò, quando fideiussores à creditoribus, tempore induciarum principali debitori concessarum cōuenti, opponunt exceptionem excussionis, vel cedendarum actionum; tum quia durantibus dilationibus, nec principalis excutitur, nec actio ei effectu cedi potest; ideo creditores in hoc casu repelluntur; Hunnius *loco citato.*

6 Pendētibus dilationibus, an vsuræ currant, Doctores diuersimodè loquuntur. Salicetus *in l. 2 Cod. de precib. Imperatori offeren.* putat, vsuras currere, quem etiam alij sequuntur. Daniel Molerus *lib. 4 semest. cap. 7. num. 2.* scribit, quod in eo casu, vbi ab Imperatore, vel Principe dilatio quinquēnalis est impetrata, valdè durum, & inhumanum sibi videtur vsuras huius temporis exigendas, cùm hæc dilatio illi solùm concedi soleat, qui absque sua culpa, fortunæ vitio, eò redacti sūt, vt post elapsum tempus dilationis, vix sortes creditoribus soluere possint; spoliatum autem fortunis suis in solidum condemnare, esse inhumanum: sed Hunnius *in Encyclopædia iuris par. 2. tit. 28. cap. 5. n. 2.* hoc admittit tātùm de vsuris, quæ ex mora debentur, cùm enim durantibus induciis sors peti non possit, nec etiam vlla mora debitori computari valeat, vt dixi, certè nō possūt istę vsurę currere, quæ ex mora debentur: at vsuræ, quæ ex conuentione debentur, & conuentionales appellantur, per dilationem moratoriam non sistuntur, sed currunt, & elapso quinquennio, vnà cum sorte creditori præstari debent; & ità Hunnius, qui etiam alios citat.

7 Is, qui dilationem obtinuit à creditoribus, vel à Principe, tenetur creditoribus suis idoneos fideiussores dare post elapsū tempus, quæ cautio ab ipso Principe remitti non potest. Hunnius *in Encyclopædia iuris par. 2. tit. 8. cap. 4 nu. 6.* & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Dilationes quomodò concedantur.*
2 *Dilationes iudiciorum quomodò diuidantur.*
3 *Citatoria quid.*
4 *Deliberatoria quando detur.*
5 *Recusatoria quæ?*
6 *Litigatoria quæ?*
7 *Probatoria quæ?*
8 *Quid sit allegatoria.*
9 *Quid diffinitoria.*
10 *Iudicatoria quid.*
11 *Dilationes quare datæ?*
12 *In dilationibus concedendis, quid Iudici considerandum.*

1 Dilationes aliquæ conceduntur iudicialitèr, aliæ extraiudicialitèr: extraiudiciorum dilatio conceditur temporis de hæreditate adeunda: in iudicijs verò datur dilatio quædam probatoria, quædam allegatoria, &c.

2 Dilationes iudiciorum diuiduntur in plures species; quędam enim est citatoria, quædam recusatoria, vel negotiatoria, quædam litigatoria, quædam probatoria, quædam allegatoria, quædam expectatoria, quædam diffinitoria, quædam iudicatoria.

3 Citatoria est, quæ in citādo, datur postquam reus citatus est, & ista dilatio potest esse competens.

4 Deliberatoria, quæ datur ad deliberandum, quandoque in principio, quandoque medio:

medio; In principio datur cum actio editur: Item quando fit interrogatio ante litis contestationem, in medio datur, quando fiunt positiones, & dubitatur de eis, & ista dilatio est viginti dierum à tempore dati libelli.

5 Recusatori a, vel abnegatoria est, cum Reus veniens ad iudicium recusat Iudicem tamquàm suspectum, vel tamquàm incompetentem, & tunc Iudex debet ei, statuere terminum ad probandum exceptiones suas, & hæc dilatio debet dari ante litis contestationem.

6 Litigatoria est, quæ ad incipiendum litigium datur actori.

7 Probatoria est, quæ datur ad probandũ, & antequam Iudex illa det, debet priùs inquirere à parte, quid velit probare, & si sit impertinens, non danda est dilatio.

8 Allegatoria est, quæ datur ad allegandum, quod fieri debet, vt si Iudex interrogat partes, antequàm ad sententiam procedat, an noni aliquid velint proponere, vel nouis allegationibus, vti si dicerent, se velle vti nouis allegationibus, debet eis dare dilationem triginta dierum ad eas allegationes proponendas.

9 Definitoria est, quæ datur ad definiendum, cùm Iudex audiuerit allegationes partium, tunc diem præfigit eis ad definiẽdum, habito negotio, pro concluso, assignando terminum ad audiendam sententiam.

10 Iudicatoria est, quæ datur iudicatis, idest reis condemnatis ad soluendum.

11 Dantur dilationes, tùm gratia instrumẽtorum, tùm gratia personarum, scilicèt, testium, & Aduocatorum, & vt homo deliberare valeat, & veritas rerum salua sit, vt possit haberi consilium, & vt in omnibus æquitatis ratio seruetur, & propter alias causas necessarias.

12 Debet Iudex in dandis dilationibus cõsiderare aliquando qualitatem, & quantitatem causæ, aliquando verò conditionem personarum.

PARAG. III.

Textus Sacrorum Canonum.

De Dilationibus.

SVMMARIVM.

1 *Terminus peremptorius, si sit nimis breuis, &c. licitè appellatur, & appellatio tenet.*

2 *Induciæ deliberatoriæ non dantur Reo, quando vocatus ad iudicium potuit instrui, &c.*

3 *Induciæ nouæ deliberatoriæ dandæ non sunt ex declaratione verbi generalis.*

4 *Citatus ad respondendum in causa de longinquo vocatus pro publica vtilitate, etiam ad locum iudicij, non tenetur respondere, sed potest reuerti domum, & habere nouas inducias.*

1 TErminus peremptorius, si sit nimis breuis, in litibus præsertim rerum Ecclesiasticarum, licitè appellatur, & appellatio tenet; ità *cap. Dilecti 1. de dilationibus.*

2 Induciæ deliberatoriæ denegantur Reo, si per litteras citatorias plenè potuit instrui, & deliberare super eo, de quo quæritur; ità *cap. Preterea 2.*

3 Ex declaratione verbi generalis, vel ambigui positi in libello, nouæ induciæ deliberatoriæ dandæ non sunt, si per expressa potuit Reus deliberare super ambiguitate, vel illa generalitate, *cap. Litteras 3.*

4 Quando quis vocatur ad respondendũ suo aduersario Romæ, cui dantur certæ induciæ, si interim vocatur Romam pro vtilitate Sedis Apostolicæ, non tenetur respõdere illi in causa particulari, sed potest reuerti domum, & nouæ induciæ sunt illi dandæ *ex cap. Exposuit 4.*

TITVLVS X.

De Ferijs.

SVMMARIVM.

1 *Feriæ quæ dicantur.*

2† *Sunt in duplici differentia.*

2 *Causæ iurisdictionis contentiosæ.*

3 *Causæ iurisdictionis contentiosæ feriatis diebus expediri non possunt.*

4 *Benè tamen, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis.*

5 *Item ad causas pias.*

1 † FEriæ dicuntur dies ab actibus iudicialibus vacui; quę in duplici sunt differentia: Quædam solennes, seù ordinarię, scilicèt certo spatio quotannis recurrũt; aliæ repertoriæ, seù extraordinariæ, quæ subitò pro re nata indicuntur. Solennes, aut sunt sacræ, aut profanæ; sacræ sunt dies cultui, & honori Dei, & Sanctorum reuerentiæ dicati: Profanæ sunt, quę non propter honorem Dei, vel Sanctorum, sed propter vtilitatem, vel necessitatem hominum sunt institutę, vt sunt ferię messiũ, & vindemiarum, &c.

2 Feriatis diebus, causæ expediri non possunt, quæ sunt iurisdictionis contentiosæ, vt est citatio ad causam dicendam, respõdendum, iurandum, sententiam audiendã, damnatio ad mortem, vel aliam pœnam, &c. quę verò sunt iurisdictionis voluntariæ expediri possunt: Item possunt expediri eæ causę, quarum disceptationem pietas, vel necessitas suadet.

3 In ferijs, quę ad Dei, & Sanctorum reuerentiam introducta sunt, non debent tractari ea, quę spectant ad iurisdictionem contentiosam, v.g. non debet quis ad causam vocari, nec causa intentari, nec sententia ferri; quod si fiat, non valet quod agitur, & talis processus, vel sententia non posset ratificari, cùm sit ipso iure nullus iste processus, & talibus ferijs ad honorem, & ob reuerentiam Dei, ac Sanctorũ introductis nullus renunciare potest, nisi necessitas, vel pietas aliud inducat; necessitas quidem, vt si res sit tempore, vel morte peritura; pietas verò, si sit causa debilium, vel miserabilium personarũ, quia in operibus misericordię, dierum non est habenda distinctio; & necessitas, vel pietas non est sub lege.

 4 Licet

4 Licèt quis non posset renunciare ferijs ob honorem Dei, & Sanctorum reuerentiam introductis, alijs autem ferijs, ob fauorem hominum introductis, renunciare possunt partes.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum.

De Ferijs.

SVMMARIVM.

1 *Diebus Dominicis mercari, &c. non licet.*
2 *Dies festi seruari debent iuxtà consuetudinem.*
3 *Nuptiarum solennitates, quibus temporibus interdicta.*
4 *Diebus festiuis ab opere seruili est abstinendum.*

1 Dies Dominici à Vespera in Vesperam seruari debent, ità vt in eis non fiat mercatum, placitum, iudicium, iuramentum, nisi pro pace, & necessitate, & tàdem homines debent abstinere ab omni opere illicito, *cap. Omnes dies 5. de ferijs.*

2 Festorum principium, & finis fieri debent secundùm ipsorum magnitudinem, & consuetudinem Regionum; ità *cap. Quoniam 2.* Propter necessitatē, in diebus festiuis piscari licet, maximè circà rem tēpore perituram: operi seruili intēdere; ità *cap. Licèt 3.* liberalibus vero artibus licet vacare.

3 Nuptiarum solennitates quibusdam tēporibus erant interdictæ, vt patet *ex cap. Capellanus.* Hodie ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. matrim. cap. 10.* prohibentur à prima die Aduentus Domini vsque ad diē Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerū vsque ad octauam Paschæ inclusiuè.

4 In ferijs introductis in honorem Dei, vel Sanctorum, ita est abstinendū ab opere seruili, vt in illis processus factus, vel sententia lata, & pronunciata, etiam de consensu partium, non valeant: In ferijs verò introductis fauore hominum, v. g. messium, vindemiarum, &c. de consēsu partiū possūt ista fieri; ità *ex cap. Conquestus 5.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus in sua Diœcesi potest statuere dies festos.*
† *Princeps id non potest.*
2 *Consuetudo non introducit ius Laicis instituendo dies festos.*
† *Laici possunt imponere pœnas violantibus dies festos.*

1 Episcopus in sua Diœcesi potest statuere, vt aliqui dies festi colantur, & celebrentur, vt docet Azorius *lib. 5. cap. 26. quæst. 1.* Couar. *lib. 4. cap. 19. num. 4.* & alij communitèr: Princeps vero sæcularis, sine auctoritate Episcopi non potest instituere dies festos in honorem Dei. Abbas *in cap. 2. num. 2. de ferijs,* Azorius *par. 2. lib. 1. cap. 26.* & alij: Ratio, quia festorum obseruatio ad publicum Dei cultum ordinata inter spiritualia continetur.

2 Neque sola consuetudo Laicorum introducere potest diem festum, quia consuetudo non habet vim inducendi obligationem legis, nisi includat consensum, & volūtatem eius, qui expressè talem legem ferre potest, cùm sine voluntate Episcopi non possit ferri lex de obseruatione festi, dicendum est, neque etiam de consuetudine. Azorius *loco citato cap. 26.* Videtur tamen
† permissum Superioribus Laicis pœnas imponere violantibus dies festos, *cap. Irreligiosa, de consecrat. dist. 3.* Syluest. *verbo Dominica nu. 2. & 3.* Pius V. *in constitut. 5.* Ratio, quia non est inconueniens, quod adijciantur pœnæ temporales à Principe sæculari contrà illud crimen, quod Ecclesia detestatur, & damnat. *loco citato num. 18.* & alij.

TITVLVS XI.

De Ordine cognitionum.

SVMMARIVM.

1 *Ordo cognitionum quid sit.*
2 *Cognitio in genere quid sit.*

1 Ordo cognitionum, seù iudiciorum est dispositio, qua vnum iudicium alteri iudicio anteponitur, cùm plures actiones in iudicium veniant, quod fit cùm mutuis petitionibus Actor, & Reus se impediunt, & tunc eæ sunt, aut æquè principales, aut vna est principalis, & altera incidens: Si vtraq; principalis est, & ciuilis, prior proposita est tractāda; si sūt criminales, maior minori debet proponi; si autē vna ciuilis, & altera criminalis, priùs criminalis tractāda est; ità *cap. 3. Non est, §. 2. quæst. 11.* nisi ciuilis criminali præiudicet, *cap. 4. Prius §. Si crimē 3. qu. 11.* si ambæ actiones nō sunt principales, sed vna pricipalis, & altera incidēs talis sit, vt principalis impediat cognitionē, priùs incidens terminari debet, *cap. Tuam;* alitèr priùs principalis tractanda est. Baldus *tit. de inciden. quæst. glos. 1. in cap. 1.*

2 Cognitio in genere, est qualitas potentię intellectiuæ, quæ cognoscit rem, quid sit, per suum obiectum, ex D. Thoma *3. sentent. dist. 23. quæst. 2. art. 10.* sicuti ergò cognoscit quis naturalitèr rem per obiectum; ità etiam Iudex per testes, & alia instrumenta instruitur, circà intellectum quæstionis in iudicio propositę, quæ instructio cognitio dicitur, *l. Ob crimen 21. ff. de testibus;* indè ordo cognitionum importat modum, & ordinem obseruandum in examine plurium quæstionum inter easdem personas. ex Fulgos. *in rubrica cod. de ordine iudiciorum.* Hęc autem cognitio iudicialis duplex est; vna ordinaria, quæ est Iudicis instructio ex varijs speciebus probationum insurgens; extraordinaria est, vbi à lege, vel Principe aliquid committitur sub ea forma, vt relinquatur cognitio Iudici, & tunc Iudex procedit summariè, &c.

PA-

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum.
De Ordine cognitionum.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio consanguinitatis admittitur cōtrà mulierem vendicantem aliquem in maritum.*
2 *Spoliationem opponens, excipiendo contrà actorem spoliatorem prius est audiendus; & probata exceptione, non cogitur respondere, &c.*
3 *Hereditatem petenti obstat exceptio natiuitatis, &c.*
4 *Agens possessorio recuperando, non tenetur ante restitutionem suis spoliatoribus respondere, nisi super quæstione spoliationis, &c.*

1 Exceptio peremptoria est examinanda ante sententiam ferendam rei principalis, v. g. mulier vult probare quemdam esse suum maritum, vir excipit de consanguinitate, priùs cognoscēdū est de cōsanguinitate, quia hæc cognitio perimit principalem quæstionem, qua probata, absoluitur vir; ità *ex cap. Intelleximus 1. de ordine cognitionum.*

2 Si Reus contrà Actorem spoliationem opponit, aut excipiendo, probata exceptione non cogitur respondere, donèc restituatur; si verò agēdo opponat, vtraque quæstio simul terminabitur, & probata restituetur; ità *cap. Cum dilectus 2.*

3 Hereditas, quando petitur, & incipiatur de illegitimitate, priùs determinandum est de illegitimitate coram Iudice Ecclesiastico; ità *cap. Tuam 3.*

4 Spoliator conuentus super spoliatione, siue conueniat petentem spoliationem non est audiendus, nisi super quæstione facti, sed si excipiat de spoliatione, repellit aduersarium ab agendo; ità *cap. Super 4.*

TITVLVS XII.
De Plus-petitionibus.

SVMMARIVM.

1 *Plus petere quis dicatur.*
† *Fit quatuor modis.*

† Plus petere dicitur quis quatuor modis, causa, tempore, re, & loco: Causa cum quis electionem aduersario competentem in specie, vel præcisè petit, tempore, cum ante diem, vel conditionem existentem petit id, quod sibi debetur: Re, cum maiorem summam, vel quātitatem, quàm debetur, petit: Loco, si eo loco, quo conuenit soluere, non petit, sed alio.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum.
De Plus-petitionibus.

SVMMARIVM.

1 *Pœnæ petentium plus, quam sibi debetur.*
† *In quibus casibus liceat petere ante constitutum tempus.*
2 *Pœna petentium debitum iam sibi solutum.*

1 Qui petit plus, quam sibi debetur, vel alia causa, quàm debetur, & persistit in iudicio petendi, condemnatur ad expēsas: qui petit plus loco, idest ratione loci, vel in alio loco, tenetur ad interesse narū-
† ratione loci: qui petit ante tempus, duplicantur induciæ, & soluere debet expensas, *ex cap. Consilium vnic. de plus petitionibus:* has tamen effugiet, si ante litis contestationem, à plus petitione desistat. Hostien. *in tit. De plus petit.*

2 Qui ante diem petit, plus dicitur petere. Surdus *decis. 120.* Cardos. *in prax. iudic. verbo Plus petere num. 5.* nam qui ante diem agit, malè agit. Ludouicus Rodulphinus *var. qu. lib. 2. quæst. 40. num. 1.* & qui ante, vel post diē soluit, plus, & minus dicitur soluere; quod tamen limitandum est, dummodò non superueniat noua causa, vt v. g. si debitor, aut fugit, aut fiat bannitus. Rodulph. *loco citato:* Item in creditore, qui agit ante diem, vt adueniente die soluatur. Ozascus *decis. 130.* Item in creditore petente debitum de futuro, cui est adiunctum de præsenti, vt in legato annuo, quod potest peti, vt soluatur debitis temporibus, ne cogatur singulos annos agere. Ant. Gomez *var. tom. 2. c. 11. n. 47.* Surdus *decis. 120. nu. 14.* Non effugiet pœnas plus debito petētium, qui debitum sibi iam solutum repetit. Cardos. *verbo Plus petere nu. 4.* nisi ignorantèr petierit. *Institut. de actionibus, &c.*

TITVLVS XIII.
De causa possessionis, & proprietatis.

SVMMARIVM.

1 *Concursus fit in petitorio, & possessorio iudicijs.*
† *Possessorium prius cognoscendum.*
2 *Possessorium, quibus modis proponatur.*
3 *Causa accipitur varijs modis.*

1 Concursus fit in petitorio, & possessorio iudicijs; si Actor Agens petitorio à Reo conquerente fortè de spoliatione conueniatur possessorio, idque, vel de eadem re, vel diuersà; si vtrumque iudicium
† est de eadem re; priùs super possessorio est cognoscendum, & pronunciandum; petitorio priùs proposito suspenso, *cap. Ex compulsione 10. cap. Litteras 13. de restitut. spoliat.* & hoc siuè possessorium præcedat, siuè sequatur.

2 Iudicium si est de re diuersa, tunc aut possessorium proponitur in modum reconuentionis, aut in modum actionis, aut in modum exceptionis: si in modum reconuentionis, tunc vicissim sunt tractanda, & in vna sententia terminanda; si in modum actionis, tunc siuè ciuilitèr, siuè criminalitèr spoliatus ab Actore conuenatur, possessorium, priùs expediendum, spoliatus ante omnia est restituendus, *cap. In litteris 5. cap. Grauis 11. de restitut. spoliat.* Si in modum exceptionis; primò, exceptio spoliationis, deindè petitorium tractabitur.

3 Causa accipitur varijs modis: Primò, accipitur pro fructibus, seu accessionibus occa-

occasione prouenientibus: Secundò, accipitur causa pro titulo dominij, *l. 23. §. ex plurimis de acquir. possess.* Tertiò, accipitur generalitèr pro re qualibet, seù quolibet negotio, vt in *l. Iuncta rubrica ff. de condit. causa data*, vbi promiscuè ponitur datum ob rē, vel datū ob causā; & in hoc titulo causa accipitur pro quæstione, seù controuersia super proprietate, aut possessione; ità Marant. *par. 4 dist. 7.* siuè huiusmodi negotium possessionis, siuè proprietatis in iudicium deductum sit, siuè non.

P A R A G. I.
Textus Sacrorum Canonum. De causa possessionis, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Causa possessionis, & proprietatis sub eodem Iudice terminari debet.*
2 *Contrà inauditum non potest aliquid definiri.*
3 *Causa possessionis, & proprietatis quomodo possit simul tractari.*
4 *Spoliatus, si simul agat de possessorio, & petitorio, & probat spoliationem, ei restituetur possessio, &c.*
5 *Spoliatus, qui agit de proprietate, non facta mentione de violentia, potest, antequàm sit conclusum, agere de spoliatione, &c.*
6 *Quando simul agitur de possessorio, & petitorio, vna sententia debet determinari.*
7 *Beneficiatus, qui probat, collatorem fuisse in possessione conferendi tempore collationis sibi facta, relinquitur in possessione, &c.*
8 *Petens vnam rem, & affert vnam causam, in qua succumbit, potest rem petere ex alia causa.*

1 CAusa possessionis, & proprietatis sub eodem Iudice terminari debet, nec contrà absentem est pronunciandum, nec parte non audita, sententia ferri debet, *ex cap. Suscepti 1. de causa possessionis, &c.* Quod non solùm procedit, quando possessorium simul agitur cum petitorio, eoque pendente, sed etiam quando finita causa possessionis, agitur super proprietate; adhùc enim Iudex, qui de possessione cognoscit, magis instructus est, vt proprietatis negotium valeat decidere; quod tamen intelligendum est, dummodò sint eiusdem fori.

2 Contrà inauditum non potest aliquid definiri, idest contrà non citatum, &c. & legitimè conuictum: Ratio, quia citatio in se defensionem continet, quę est à iure naturali, & ideò a iure tolli non potest; & ità communitèr Doctores: iusta tamē causa, potest Princeps, tàm in ciuilibus, quam criminalibus sine citatione contrà absentem, & inauditum procedere: Item quando periculum est in mora, si præmittatur citatio: Item in casu hęresis, sunt etiam plures casus, in quibus non pręmittitur citatio, de quibus Doctores, &c.

3 Causa possessionis, & proprietatis possunt simul tractari quòad suscipiendos testes, & allegationes, vt parcant sumptibus partium; his tamen acceptis, priùs est expedienda causa possessionis, quàm petitorij; ità *cap. Ad vltimum 2.*

4 SI spoliatus possessione, & petitorio, simul agens, possessionem, & spoliationem probat, sed non dominium, seù proprietatem, ei restituetur possessio, sed succumbat in petitorio, *ex cap. Cùm Ecclesia Sutrina 3.*

5 Spoliatus, qui inchoat litem super proprietate, non facta mentione de violentia, seù possessione, potest, antequam sit renunciatum, vel cōclusum de proprietate, agere de spoliatione, sed postquàm est renunciatum, vel sit conclusum, quod diffinitiua sententia possit ferri de proprietate, non potest agere de possessione, nisi iusta causa moueat animum Iudicis; ità *ex cap. Pastoralis 5.* Dixi, antequàm sit renūciatum, quia petitorium intentatum suspendi potest, antequàm sit in eo conclusum, & transitum fieri ad possessorium Bellacomba *tom. 2. communium opinionum lib. 7. tit. 1. n. 297.* & alij.

6 Si possessorium, & petitorium simul est actum, vna sententia terminatur, & præmittitur possessorium in terminādo, sed in executione præualet proprietas; ità *ex cap. Dilectum 6.*

7 Adiudicatur illi beneficium, qui probat, conferentē fuisse in potestate conferendi tempore collationis; aduersarius tamen potest agere contrà collationem circà proprietatem iuris conferendi, ità *ex cap. Cùm olim 7.*

8 Si petens rem, ex vna causa succumbat, potest iterùm eamdem rem petere ex alia causa, non obstante sententia lata; ità *ex cap. In causa 8.* nam exceptio rei iudicatæ, vt obstet, & impedire possit causæ cursum, tria debent in ea concurrere, Idētitas rei, identitas personarum, identitas causæ agēdæ, & actionis; ità Rebuff. *de excep. à n. 303*

TITVLVS XIV.
De restitutione spoliatorum.

S V M M A R I V M.

1 *Spolium quid sit.*
† *Quis dicatur spoliasse.*

1 SPolium est violenta possessionis priuatio, quę fit, vel per vim expulsiuam, vel ablatiuam, vel compulsatiuam: Dicitur etiam Iudex aliquem spoliasse, qui pretermisso iuris ordine, vel cùm non esset competens, aliquem iure suo, vel rę sua priuat, *cap. Conquerentes 7.* Item ille dicitur spoliasse, qui spolium mandauit, aut spoliationem suo nomine factam ratam habuit, *cap. Cùm ad sedem 15.*

P A R A G. I.
Textus Sacrorum Canonum. De restitutione spoliatorum.

S V M M A R I V M.

1 *Possessio violentèr ablata est.*
2 *Spoliatus, quando quis est, & deindè renunciat Ecclesiæ, &c. non præsumitur liberè renunciasse.*
† *Restitutionem beneficij petens, non auditur, si probatur, eum spontè beneficium resignasse.*

3 *Sen-*

3 *Sententia lata post reuocationem litterarum, non tenet.*
† *Beneficij restitutionem petenti, quæstio institutionis non canonicè referri non potest.*
4 *Exceptio criminis non impedit restitutionem, & cognitionem causæ ciuilis.*
5 *Spoliatus iniustè à Iudice ante omnia est restituendus.*
† *Coniux restituitur viro probanti desponsationem, & copulam.*
6 *Possessio rei donatæ acquiritur donatario.*
7 *Actore agente petitorio, si Reus super eadem re deducit possessorium, de possessorio solum agitur.*

1 POssessio violentèr ablata, ante omnem litem est restituenda; sed si spoliatus cedit iuri suo, & consentit, vt spolians ante possessionis restitutionē, probet proprietatem, omittitur restitutio, & expectatur sententia; ità *ex cap. Licet 1. de restitut. spoliat.*

2 Petenti restitutionem beneficij non obstat renunciatio facta post spoliationem, quia non præsumitur spontanea; *ex cap. Sollicitè 2.* secus verò quando spoliatus agit pro spolio, & pars contraria probet, beneficium spontè, sine vi, & metu renunciasse, quia tunc non audiendus, *ex cap. Accepta 3.*

3 Per secundas litteras Papæ, facientes etiam mentionem de primis, non reuocatur sententia lata per primas, *ex cap. Accepta 4.* Item petenti restitutionem beneficij, quæstio institutionis non canonicè referri non potest; ità *ex cap. In litteris 5.*

4 Non obstat exceptio criminis agenti interdicto; vndè vi, vel quod vi, aut clàm; nam talis exceptio non impedit restitutionem, & cognitionem causæ super spolio, *ex cap. Item cum quis 6.* Excipitur tamen; quando obijcitur crimen hæresis, simoniæ, crimen læsæ maiestatis, &c.

5 Clerico, beneficio spoliato, iuris ordine prætermisso, ante omnia debet beneficiū, & fructus restitui. *ex cap. Conquerente 7.* modò nullitas sit euidens, & proindè de ea clarè constet; ita Menoch *remed. 8. num. 26.* Mantica *decis. 44.* Item restitui debet coniux viro probanti desponsationem, & copulam, & de ipsius impunitate cauenti, nisi magna sit viri sæuitia; ità *cap. Ex transmissa 8.* Quando verò adest inter coniuges capitale odium, & capitalis inimicitia; tunc vxor viro non est restituenda, nam hæc iusta videtur causa separationis Thori.

6 Per solutionem rei donatę factam à donatario cum auctoritate donatoris, acquiritur donatario rei donatæ possessio; adeò vt si ab illa expellitur, per interdictum rei recuperandæ agere possit, *ex cap. Cùm venisset 9.*

7 Si verò vxorem relinquat, & agat de nullitate matrimonij apud Iudices, & mulier petat sibi restitui virum, priùs est restituendus vir, & omnia acta post appellationem sunt nulla; ità *ex cap. Ex conquestione 10.*

PARAG. II.

Subsequuntur Textus præcedentes.

SVMMARIVM.

1 *Spoliator violentus, rem cum fructibus, &c. restituere debet.*
2 *Dominus potest ejicere eum, qui in possessione rei suæ ingressus est, ignorante ipso.*
3 *Consanguinitas in gradu prohibito, quando opponitur contra petentem, coniugis negabitur restitutio quò ad Thorum, &c.*
4 *Possessio non acquiritur per solam traductionem mulieris in propriam domum.*

1 VIolētus spoliator rē cū fructibus perceptis, & qui percipi potuissent, restituere debet, & dāna resarcire, & de iniurijs satisfacere compellitur, *cap. Gravis 11.* deductis tamen expensis, & laboribus: Ratio, quia possessor malæ fidei sic debet restituere.

2 Ingressus possessionem, ignorante Domino, ad quem pertinet, potest per ipsum Dominum statim, cùm sciuerit, expelli, etiā violentèr, nec ex tali repulsione competit repulso contrà Dominum interdictum possessorium, *ex cap. Olim 12.* cùm sit licitum vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelę. Ad hoc autē, vt quis dicatur vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, tria requiruntur, nimirùm qualitas, qua quis se defendit, quia si quis verberaret aliquem pugno, non deberet ille ense se defendere: Secūdò, requiritur qualitas temporis, quia defensio debet fieri in tempore, quo quis aggressus sit, nō autem in distincto: Tertiò, requiritur, quod vis inferatur ob necessariam tutelam corporis, vel rerum suarum, &c. cùm quoque sit licitum Clerico inuasori resistere, defendendo res suas, nec propter resistentiam est excommunicatus; si alitèr res suas defendere nequit. Farinac. *de homicidio quæst. 125. num. 186.* Abbas *in cap. Si verò num. 11.* & ibi Felin. & alij.

3 Si contrà petentem restitutionem coniugis opponitur consanguinitas in gradu prohibito, & offeruntur probationes paratæ receptæ ab opponente iuramentū de malitia, negabitur restitutio quoad Thorum, & sic quoad reliqua: si verò incontinenti non habeat paratas probationes, fiet plena restitutio, sed si tanta sit sæuitia viri, vt non sit tuta, non restituatur, sed prouideatur de sufficienti securitate; ità *ex cap. Litteras 13.*

4 Quando non præcesserunt sponsalia, nec sunt secuta, vel consensus legitimus, sed vir traduxit mulierem in domum suā, & mulier discedens, vult alteri nubere, vir non potest petere restitutionem mulieris, quia non fuit spoliatus, & mulier potest agere per Procuratorem; ità *cap. Ex parte 14.*

PA-

PARAG. III.
Subsequitur materia præcedens.

SVMMARIVM.

1 *Interdictum, unde vi, non competit contra illum, qui spoliauit, &c.*
2 *Exceptio inopia, de qua constat à Clerico opposita, impedit executionem sententia, &c.*
† *Iurisdictionis quasi possessio non probatur per excommunicationem, &c.*
3 *Qui mala fide accepit aliquid à spoliatore, tenetur id restituere spoliato.*
4 *Mandatum factum de restituenda libera possessione, &c. quomodò exequendum.*

1 Interdictum unde vi non competit contra illum, qui non spoliauit, nec spoliari mandauit, nec spoliationem ratam habuit, ità *ex cap. Cum ad sedes* 15.
2 Spoliator, qui spoliatus fuit, nec habet, vnde restituat, non est cogendus ad restitutionem, nisi prius sit restitutus: aliòquin actio, quam inopia debitoris excludit, esset inanis, *ex cap. Olim* 2.16 Per excommunicationem aliquibus diebus obseruatam, in obseruante non acquiritur ius Parochialis, vndè Episcopus iurisdictionem, quasi Episcopale non acquirit ex eo, quod subditi, timore censuræ, ipsi obtemperauerint, per aliquos dies à Diuinis abstinentes, *ex cap. Olim* 3.17.
3 Recipiens rem inuasam à spoliatore, tenetur eam spoliato restituere, & accipiens rem huiusmodi, tenetur de fructibus perceptis, & percipiendis, & de omni eo, quod erat in fundo, tempore, quo successit in eo, licèt ad ipsum non peruenerint, *ex cap. Sæpè* 18.
4 Mandatum factum de restituenda libera possessione alicuius rei, si non potest adimpleri, respectu possessionis rei, quia non constat de ipsius spoliatione, debet adimpleri, respectu libertatis possidendi, si de ipsa libertatis spoliatione constat, *ex cap. Pisanis* 19.

PARAG. IV.
Subsequuntur Textus præcedentes.

SVMMARIVM.

1 *Spoliationis exceptio facta ab alio, quàm ab actore, quomodò admittatur.*
2 *Ecclesia, qua petit restitutionem decimarum, quas dicit habere in aliena Parochia, non est audienda, nisi possessorium probet.*

1 Spoliationis exceptio facta ab alio, quàm ab actore in ciuilibus non impedit, quin Iudex in principali procedere possit: in criminalibus à quocumque posita impedit, dummodò fit de tota substantia, vel de maiori parte, quæ tamen exceptio probari debet infrà 15. dies, aliàs fit condemnatio expensarum, *ex cap. Frequens* 1. *de restit. spoliatorum in* 6.
2 Canonici spoliati decimis prædialibus, quas in aliena Parochia percipiebant, nò sunt restituendi, nisi probent legitimam possessionem, & ostenderint titulum, vel causam, ex qua possessio instituitur; quia præsumitur iniustè occupasse, cùm prædia in aliena Parochia iure communi pertineant ad eundem, nisi aliud extendatur, *ex cap. Ad decimas* 2.

TITVLVS XV.
De dolo, & contumacia.

SVMMARIVM.

1 *Contumax quis dicatur.*
2 *Actor si contumax, damnatur.*
3 *Reus contumax, qua pœna mulctatur.*
4 *Contumax duplex.*

1 Contumax ille dicitur, qui dolo malo, Iudici, vel Prælato non obtemperat. *in cap. Ad aures* 5. *de temp. ordinat* quare ille dicitur contumax, qui iuridicè citatus, nec legitimè impeditus, per se, aut per Procuratorem non comparet, *cap. Cum dilectis* 6. §. *fin. de dolo, & contumacia*, vel qui quidem comparet, sed non obedit, vel sine licentia Iudicis recedit, *cap.* 43. *Certum* 11. *quæst.* 13. *cap. Ex litteris* 10. *de excessibus Prælatorum*.
2 Iuridicè citatus, si trinis edictis, vel vno peremptorio in ius vocatus est, si non cōparet, censetur contumax, *l. Contumacia* 53. §. 1. Actor, si contumax est, damnatur in expensas, nec ad nouam citationem admittitur, nisi caueat, se in assignato termino cōpariturum, *cap. Actor* 5. *de dolo, & contumacia in* 6. Potest etiam Reus, si lis nōdùm contestata sit, petere vt actor legitimè citetur, & si non compareat, ipse, ad probationem admittatur, sententiaque feratur.
3 Reus, si contumax, ei, aut mulcta infligitur à Iudice, *l.* 2 *ff. si quis in ius vocat.* aut auctoritàn expensas, aliaque damna condemnatur, *l. Sancimus* 13. *Cod. de iudic.* aut inuitus ad iudicium ducitur. Panormit. *ad cap.* 4. aut missionem in bona patitur, aut excommunicatur, *cap.* 1.2.3. *cap. fin. de eo, qui mittit in possess.*
4 Contumax est duplex, verus, vel fictus; verus dicitur ille, qui personaliter citatus, dicit, se nolle ad iudicium venire, *cap.* 2. *de dolo, & contumacia*, & qui dicit se venturum, & tamen non venit: Item qui venit, nec tamen respondere vult, *cap.* 2. *de iudic.* vel qui tribus edictis citatus non comparet, *can.* 6. *de illicita* 24. *quæst.* 3.

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De dolo, & contumacia.

SVMMARIVM.

1 *Reus, qui non paruit Iudici de danda possessione, non mulctabitur, si intra annum cauet stare iuri.*
2 *Reus contumax condemnabitur in expensis.*
† *Litteræ secunda non valent, si non faciunt mentionem de primis.*
3 *Quid agendum, quando actor est contumax.*

† Ubi

† *Ubi fiat citatio, quando Procurator, &c. non inuenitur.*
4 *Quid agendum, quando Reus post litem contestatam est contumax.*
† *Actor, qui habet intentionem fundatam, si altera pars obyciat exceptionem, quid agendum.*
5 *Citatus, certo tempore per se, vel per alium comparere debet.*
6 *Sententia in causa beneficiali non transit in rem iudicatam.*
† *Sententia depositionis, &c. ferri potest in absentem contumacem.*
7 *Actor propter dolum, &c. non admissus in possessionem, &c. efficitur verus possessor.*
8 *Quando reus non inuenitur, vbi facienda citatio.*

1 Reus, qui se spoliauit, est absens, & non paret Iudici in dãda possessione; imò per dolum, & contumaciam impedit ingressum ad possessionem, si in fine anni offert cautionem standi in iudicio, est patienter admittendus, & non priuandus, quia in personis, & negotijs Ecclesiasticis non requiritur distinctio, & rigor iuris, cum iustitia non periclitatur, *ex cap. Ad hæc 1. de dolo, & contumacia.*

2 Reus condemnabitur in expensis, quas actor propter eius contumaciã fecit, propter quam potest rem peritam sequestrare; † ità *ex cap. Ex litteris* 2. Item litteræ secũdæ, si non faciunt mentionem de primis, sunt nullę, & non reuocant primas, *ex eodem cap.*

3 Actore contumace, Iudex vocet Procuratorem eius, & si non venit, mittat denunciationes ad domũ eius, & testes recipiat, & sententiam proferat, etiã lite non contestata, Deo instante, *ex cap. Causam quæ* 3. † Procuratore nõ reperto, fiet citatio in domicilio Procuratoris de cõsuetudine; in domicilio autem partis facienda erit, quando Procurator nunquàm comparuisset, nec Dominus litis effectus fuisset; ità Pereyra *de reuocat. emphyt. quæst. 5. num. 9.*

4 Si Reus post litem contestatam est contumax, si liquet, de causa, ferri debet sententia definitiua; si verò non liquet, actor ponatur in possessione, & pro absente seruetur quæstio proprietatis, *ex cap. Preut nobis* 4. † Item qui fundata intentione actoris obijcit peremptoriam, & acceptis indicijs, deficit in probando, condemnabitur ad moderatas expensas, quia dolosus præsumitur, & si non est soluendo, puniri debet arbitrio Iudicis, *ex cap. Finem litibus* 5.

5 Citatus, certo tempore, ad totam causam, si non comparet in illo termino, & si est legitimè impeditus, debet comparere, quàm-citius potest post terminum; aliàs habebitur tamquàm contumax, & condemnabitur in expensis à tempore contumaciæ; ità *ex cap. Cum dilecti* 6.

6 Sententia in causa beneficiali non transit in rem iudicatam, respectu Superioris, maximè quando fuit lata contra absentem, licèt contumacitèr, & indefensum, *ex* † *cap. Cum olim* 7. Item contumax, si est absens ex malitia, possunt recipi testes, potestque ille excommunicari, deponi, & priuari officio Pontificali, vel Sacerdotali, & quæcumque facta post has sententias, irritantur, *ex cap. Veritatis* 8. vndè actor dilapidator beneficij contumax, & absens, potest priuari beneficio.

7 Actor non admissus in possessionem sibi decretam, vel admissus, reijcitur; transacto anno, efficitur verus possessor, ne contumax sit melioris conditionis, *ex cap. Contingit* 9.

8 Si Reus non inuenitur, sufficit publicè citationem figi in valuis Ecclesiæ, *ex cap. Venerabilis* 10.

PARAG. II.

Sequuntur Textus præcedentes.

SVMMARIVM.

1 *Actor contumax condemnatur in expensis.*
2 *Iudex appellantem, & residentem citare vlterius non tenetur, nisi appellationi renunciet.*

1 Actor, si non curat venire in termino, ad quem fecit citare aduersarium, condemnatur in expensis factis à Reo, *ex cap. Actor 1. de dolo, & contumacia in 6.* & ideò contumax, antequàm soluat expensas exaudiri non debet in quacunque causa.

2 Appellans à Iudice in sententia interlocutoria, vel grauamine, non est amplius citandus ad ea, quæ post sunt facienda in iudicio, vel ad sententiam audiendam, nisi spontè renũciet appellationi, *ex cap. Cum qui* 2. & verba narratiua in dispositionibus legalibus super contingentiam facti, non inducunt indispositionem, nec licet ab eis arguere. Bernard. *regula* 78. & contumax in vno actu non sibi præiudicat in sequentibus. Tiraquel. *de retract. lign. §. 1. glos. 9. nu. 161.*

TITVLVS XVI.

De missione in possessionem.

SVMMARIVM.

1 *Reus contumax missionem in bona patitur.*
† *Missio bonorum fit per primum, & secundum decretum.*
2 *Quale sit primum decretum.*
3 *Secundum.*

1 Reus contumax missionẽ in bona patitur, sed aliter lite cõtestata, & alitèr lite non contestata: Lite cõtestata, si de causa nõ liqueat, actore Iudex in possessionem bonorum immittit; ità vt statim verus efficiatur possessor, & Reo absenti sola proprietatis quæstio relinquatur, *cap. Prout nobis* 4. & ibi Glos. *de dolo & contumacia.* Si de ea non liqueat; sententiam definitiuam † fert, *cap. Prout nobis.* Lite non cõtestata, cùm ad causæ merita deuenire non possit, solet ad missionem in possessionem deueniri, *cap. Quoniam.* 5. §. *in alijs*, quę debet fieri per decreti modo primi, modò secundi, interpositionem.

2 Primum decretum est: Prima, à Iudice iubente ob contumaciam absentis in possessionem

sessionem bonorum eius custodiæ causa, facta missio, *cap. Constitutis 1. de eo, qui mittitur in possessionem, &c.* illud interponunt omnes Iudices ordinarij, Delegati, &c.

3 Secundum decretum, post annum à tempore primi decreti interponitur. Bartolus *in l. Si finita §. Iulianus ad possessionem partis*: Si citatus ter, vel semel peremptoriè nō comparcat, cum debita cautione, & refectione sumptuum offerat, *cap. Pastoralis 11. de offic. Iudicis ordinarij cap. 1. de dolo, & contumacia.*

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De eo, qui mittitur in possessionem.

SVMMARIVM.

1 *Missus in possessionem ex primo decreto, quomodò acquirat possessionem incommutabilem.*
2 *Non currit annus offerenti cautionem Iudicibus, &c.*
3 *Reus, qui ostendit, se non fuisse contumacem, restituendus est in pristinum statum.*
4 *Aduersarius, si citatus non comparet per se, vel per alium, tunc agens in possessionem, causa custodia, mitti debet.*

Quomodo intelligendus sit Textus.

1 Missus ex primo decreto in possessionem, causa rei seruandæ, si pars contraria, licèt hæc velit facere, tamen intrà annum sua culpa non præstat cautionem, acquirit possessionem incommutabilem ipsius rei, saluo iure partis pro proprietate; ità *ex cap. Constitutis 1. de eo, qui mittitur, &c.*

2 Tempus annale non currit patienti missionem in possessionem, si intrà annū cautionem Iudicibus, vel vni eorum offerat, licèt per eos, seu per eum recepta non fuerit, & sic post annum restituetur, quia per ipsum non stetit; ità *ex cap. Cum sicut 2.*

3 Reus, contrà quem est facta missio, si ostenderit, se non fuisse contumacem, restituitur in pristinum statum, præstita cautione, & differtur solutio expensarum necessariarum, donèc constet, fuisse contumacem, & si secùs constet, soluere debet expensas, *ex cap. Cum venissent 3.*

4 Si Reus citatus se absentet, & non compareat, nec Procurator, nec aliquis appareat, qui defendat; tunc actor in possessione rei mittitur, causa custodiæ, *ex cap. Si aduersarius 4.* qui Textus intelligendus est, si Reus absuerit post citationem, quia si ante, non habet locum missio in possessionē; ità Suar. *de pace in pract. tom. 2. par. 2. cap. vnico n. 28.* & ideò litteræ citationis in loco publico debent poni, licèt sufficiat, edictum citatorìū in loco publico poni. Decius *consil. 28. nu. 171. vol. 1.* Surd. *consil. 181. nu. 34.*

PARAG. II.
Subsequuntur Textus præcedentes.

SVMMARIVM.

1 *Beneficij Ecclesiastici causa, quando agitatur ob contumaciam Rei, non fit missio in possessionem, sed ad sententiam lite non contestata procedit.*

1 In beneficijs Ecclesiasticis propter cōtumaciam absentis, non mittitur quis in possessionem causæ, sed diligenter examinatò negotio, etiam lite non contestata, fertur sententia, & terminatur debito fine, *ex cap. Cùm qui vnus de eo, qui mittitur in possessione in 6.* quia cum agitur de beneficio, de dignitate Ecclesiastica, seu pe rsonatu obtinendo, tunc missioni in possessionem non est locus, sed ad sententiam definitiuam debet procedi, *ex cap. suprà citato*, vel contumax per censuram Ecclesiasticam coerceri debet, & parcere cōpelli: Item titulo non viso, non debet adiudicari possessio beneficij, & ideò titulus est examinandus, an sit vetus, & tunc possessio beneficij debet habenti titulum adiudicari. Boerius *decis. 89. nu. 1.*

TITVLVS XVII.
Vt lite pendente nihil innouetur.

SVMMARIVM.

1 *Lis, quando dicatur pendere.*
2 *Sex requiruntur ad citationem, vt lis dicatur pendere.*

1 Lis pendere dicitur, non solùm ob contestationem, sed etiam post citationē Reo intimatam vsque ad sententiam definitiuam: imò etiam post sententiam definitiuā si ab ea fuerit appellatum, *cap. Pastoralis 28. §. Præterea de offic. Iudic. delegat. cap. 1. de sentent. & re iudicata, cap. Sæpè contingit 44.*

2 Sex requiruntur, vt citatio litis pendentiam inducat: Primò, quod citatio emanarit: Secundò, à Iudice competente: Tertiò, ad citatum peruenerit: Quartò, citatus ex citationis tenore plenè cognoscere potuerit, qua de re cōtrouersia sit futura: Quintò, citatio sit apta: Sextò, Nuncius legitimè, & sufficienter insinuauerit.

PARAG. III.
Textus Sacrorum Canonum.
Vt lite pendente, &c.

SVMMARIVM.

1 *Lite pendente nihil innouandum.*
2 *Priuilegium impetratum lite pendente, an valeat.*
3 *Coniux accusatus de adulterio, ante probationem, non est separandus.*
4 *Lite pendente res litigiosa non debet in alium transferri.*
5 *Lis quomodò decidenda.*

1 Lite pendente nihil est innouandum, aut ferēda possessio; vndè si obtineantur litteræ, quibus aliquis priuatur sine causæ cognitione, vsu possessionis, litteræ illæ tamquam subreptitiæ non valent, donèc constet, an sit iuridicè possidens, *ex cap. A memoria 1. vt lite pendente, &c.*

2 Priuilegium, lite pendente, si de hoc expressè mentionem non facit, non valet, *cap. Cap. causam 19. de testibus.*

3 Accusatus de adulterio ad separationē Thori,

Thori, non debet, lite pendente, priuari possessione coniugali; ità *ex cap. Laudabilem 2.*

4 Alienans rem litigiosam, quæ rehaberi non potest, debet æquiualentem substituere in locum illius, quam alienare non poterat, *ex cap. Ecclesia 1. 3.* & *ex cap. Ecclesia 2. & 4.*

5 Lis decidenda est secundùm iura existētia tempore controuersiæ, non autem secundùm priuilegium impetratum, lite pēdente, nisi de lite pendente mentionem faciat, *ex cap. Dilectus 2.* etiamsi priuilegium impetratum esset *motu proprio*, quia nihil operatur, nisi de lite pendente in eo fuisset facta mentio.

PARAG. II.
Subsequuntur Textus, vt suprà.

SVMMARIVM.

1 *Quando duo litigant de beneficio, & vnus moritur lite pendente, non fit alia electio.*
2 *Item quando quis litem mouit contrà possidentem beneficium, si moriatur, Patronus, &c. non potest præsentare lite pendente.*

1 DVo electi, si litigant de Ecclesia, super electione, & vnus mittitur, vel cedit iuri suo, vel cadit, seù excluditur à prosecutione, lite pendente, non fit alia electio, & si fiat, est nulla, donèc constet, an superstes sit legitimè electus, *ex cap. Dispendijs, vt lite pendente nihil innouetur in 6.* Idem ob paritatē rationis habet locum in præsentatione, & in beneficijs iuris-patronatus. Flamin. Parif. *de resignat. lib. 12. quæst. 3. num. 29.*

2 Si quis litem mouit contrà possidentem beneficium super possessione, vel proprietate, & possidens cedit, vel moritur Patronus, vel cuius est conferre, non potest præsentare, vel conferre alteri, dùm talis lis pendet, & si secùs fiat, factum est nullum; & si aliquis, ad quem spectat, vult admitti, beneficium defendendum admittitur in in eo statu, in quo est lis, *ex cap. Si hi contrà 2.*

TITVLVS XVIII.
De sequestratione, & possessione fructuum.

SVMMARIVM.

1 *Sequestratio quid sit.*
† *Duplex.*
2 *Quæ res possint sequestrari.*

1 SEquestratio est rei controuersę, vel fructuum eius apud sequestrantem, eōtendentium consensu facta depositio, vt ab eo custodiatur, & lite finita victori restituatur, *l. Licèt 17. l. Sequester 110. ff. de verbor. significat.* quæ duplex est, vel conuentionalis, vel iudicialis: Conuentionalis est, quādo libera voluntate contendentes ex spōsione rem deponunt: Iudicialis verò, quæ fit mandato Iudicis inter litigantes.

2 Sequestrari possunt res mobiles, & immobiles, non tamen sequestrari potest beneficium, si triennali possessorij moueatur quæstio.

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De sequestri possessione.

SVMMARIVM.

1 *Sequestrum, quando possit reuocari.*
2 *Fructus, quando dissipantur, possunt sequestrari.*
† *Idem probatur.*

1 SEquestrum factum loco missionis propter scandalum vitandum, oblata cautione, reuocari debet, & restitutis expensis, *ex cap. Ad hoc 1. de sequestr. possess. &c.* Item si missus in possessionem, causa custodię, fructus dissipat, dissipati reuocantur, & eum alijs sequestrantur; ità *ex cap. Dilectus 2.*

2 Si Reus possessor appellat à sententia contrà se lata, & dissipat fructus, lite pendente, fructus possunt sequestrari, *ex cap.*
† *Ab eo.* Verùm dissipatio non præsumitur, sed debet ab allegante probari. Mascard. *de probat. conclus. 1298. nu. 4.*

PARAG. II.
Subsequuntur Textus citati.

SVMMARIVM.

1 *Beneficij sequestratio per loci Ordinarium fieri debet, &c.*

1 CVm in Curia Romana suprà beneficio cōtrà ipsius possessorem, qui triēnio non possidet, in petitorio, vel possessorio; vna definitiua fertur, etiamsi nulla fore dicatur, tunc ipsius beneficij sequestratio apud idoneam personam, quæ plenam de ipso, & debitam curam gerat, per Ordinarium fieri debet; ità vt fructus, qui supersunt, solutis oneribus, restituantur ei, qui in causa finali victoriam habebit; qui verò sequestrationem huiusmodi impedire, vel quomodolibet sequestratos fructus occupare præsumpserit, ipso facto est excommunicatus, & absolui non debet, nisi facta restitutione, vel amoto impedimento, & si est ex litigantibus, cadit à iure, quod habet in beneficio, vel ad beneficium, *ex cap. Ad compescendas vnic. in 6.* Dicitur vna sententia, idest prima sententia, non quidem respectu causæ, sed loci, quamuis enim in partibus pro possessore sententia feratur, si tamen postquàm causa ad Sedē Apostolicam delata est contrà possessorē in Romana Curia, sententia promulgatur, quod si in Rom. Curia prima sentētia pro possessore beneficij feratur; Secunda verò in eadem Curia contrà ipsum pro petitorio promulgatur huiusmodi sequestrationi locus non erit.

TITVLVS XIX.
De Confessis.

SVMMARIVM.

1 *Confessio duplex.*
† *Confessio regulariter nocet solum confitenti.*
2 *Qua confessio noceat confitenti.*
3 *Confessio repentina reuocari potest.*
4 *Iudicialis confessio habet vim sententia.*
5 *Quando quis incidenter confitetur crimen, &c. Iudex illum punire potest.*
6 *Confessio facta per Æconomum Ecclesia, nocet Ecclesia, confessio facta per errorem, &c. reuocari potest.*

1 Confessio est duplex; vna iudicialis, & altera extraindicialis, quæ fit extrà
† iudicium. Confessio regulariter nocet ei solùm, qui confessus est, & non alijs; vndè confitenti crimen proprium non creditur contrà eos, quos dicit fuisse criminis fugestores: est tamen illis indicenda purgatio, *ex cap. Cum Monasterijs 1. de cõfessis.* Verùm in multis casibus limitatur conclusio, veluti si complures sint nocivi Reipublicæ, vt heretici, streghæ, cõspiratores, &c. quia in his casibus confitens crimina, tenetur etiam declarare complices, si iuridicè de illis interrogetur. Nauar. *in manuali cap. 18. num. 58. & 59.* Sotus *de iustitia lib. 5 quæst. 6. art. 2.* & alij.

2 Non omnis confessio nocet confitenti, sed tantùm ea, quæ à Domino litis maiore 25. annis, sanæ mentis, contrà se in iure coram competente Iudice, & aduersario, aut eius Procuratore, liberè, sponte, & sciētèr est facta. Confessio facta reuocari nequit, nisi ex continenti, *cap. Præterea 7. de testibus cogendis*, aut nisi quis, errore lapsus, quem ante sententiam probet, non post sententiam, nisi fuerit appellatum, *l. sub prætextu, Cod. de transact.*

3 Confessio repentina, calore iracundiæ facta, non obligat, & statim reuocari potest. Panormit. *in cap. Venerabilis in 6. num. 12. de except.* vt etiam ea, quæ ante litem contestatam fuit facta, vtpotè extraindicialis, quæ vim plenam probationis non habet, sed tantùm in causa criminali indicium facit ad torturam contrà confitentem. Bartolus, & Gloss. *in l. cap. 25.* In ciuili, si ex aliqua certa causa coram aduersario, & testibus sit facta, vim pacti obtinet. Canonistæ *in cap. Per tuas 10. de præbend.*

4 Iudicialis confessio habet vim sententiæ, *cap. 7. Nunc autem dist. 21. l. 6. §. 2. de confess.* adeò vt si in confessũ Iudex de plano procedat sine forma iudicij, sententia posteà non sit ferenda *l. 6. § vlt. ff. de confessis.*

5 Si quis incidentèr confitetur crimen in iudicio, potest Iudex ordinarius nouum inchoando processum, illum punire pęna ordinaria, etiamsi directè contrà eum nõ ageretur, *ex cap. Cùm super 2.*

6 Confessio facta in iure per Æconomum Ecclesiæ, nocet ipsi Ecclesiæ: potest tamen reuocari, si ante finitum negotium dicatur per errorem facti emanasse; ità *cap. Ex parte 3.* ideò confessio facta per errorem facti, tàm partis, quàm Aduocati reuocari potest, dùm causa non fuerit similitèr terminata. Barbos. *verbo Confessio num. 21.* tunc enim erronea confessio non nocet confitenti. Mascardus *consil. 378.* & etiamsi fuerit geminata, probato errore potest reuocari. Mascard. *conclus. 347. num. 48.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Positio quid?*
2 *Positiones quomodò ab articulis, & capitulis differant.*
3 *Confessio, in quibus casibus non teneat.*

1 In quolibet iudicio fiunt positiones: est autem positio, Breuis verborum formula, mentem ponentis continens ad veritatem eliciendam composita: fiunt autem positionẽs, vt ponens in aliquo, releuetur ab onere probandi, & quia graue est onus probandi per testes, & commodiùs est aduersarium ad onera petitoris compellere, faciliùs enim fiunt confessiones, quàm testium productiones, cum igitur quis cõfessus est, testes ampliùs non sunt necessarij.

2 Differunt positiones ab articulis, & capitulis, quia ponens, & faciens positionem dicitur confiteri id, quod ponit; secùs est in articulante, & capitulante, qui articulans, & capitulans non videtur confiteri, quod ponit in articulis, & capitulis. Differunt etiam positiones ab interrogationibus, quia positiones simplicitèr, & assertiuè ponuntur; interrogationes verò interrogatiuè exprimuntur: tùm etiam quia interrogationes fiunt à Iudice; positiones verò à partibus.

3 In pluribus casibus confessio facta non tenet: Primò, non valet confessio facta à pupillo; pubes autem minor obligatur ex confessione, sed restituitur, si læsus fuerit: Secundò, non valet confessio facta metu mortis, quia omnis confessio per metum, vel fraudem extorta, non tenet: Tertiò, non valet confessio per errorem facta; vndè reuocatur quandoque ante sententiam errore probato: Quartò, non tenet confessio facta pro se, sed contrà se, benè tenet: Quintò, si fiat coram Iudice nõ suo, non valet: Sextò, si fiat extrà iudicium: Septimò, si fiat, absente aduersario, vel Procuratore eius: Octauò, si sit incerta, debet enim esse certa, & pura, & de certa quantitate: Nonò, si sit contrà naturam: Decimò, si sit contrà rem fauorabilem, vndè si ingenuus fateatur se seruum coram Iudice, non tamen in iudicio liberalis causę, non valet; secùs in iudicio liberalis causę, quia tunc preiudicat, nisi contrarium probet confitens: Vndecimò, non valet, si fiat in re non litigiosa, vel si fiat in lite, quæ non potest procedere; puta inter patrem, & filium, Dominum, & seruum, vel si impubes, vel genitalibus carens de adulterio accusatus, hoc confiteatur, confessio non

non valet, quia hoc committere nequeūt: Duodecimò, si fiat super eo, quod ius non admittit, de his enim, quæ cōtrà ius fiunt, nec pactum, nec confessio valet: Decimò-tertiò, si facta est à furioso; Decimo-quartò, si fiat à non Domino, non obest Domino, vndè confessio Procuratoris, vel Curatoris absenti Domino non nocet: Decimo-quintò, non valet confessio in præiudicium Superioris facta: Decimo-sextò, non præiudicat confessio super dote, vel pecunia non numerata; hinc est, quòd licèt quis instrumēto confiteatur, se dotem ab vxore accepisse, sibi non preiudicat talis confessio; imò vxor eam repetens probare debet seipsam numerasse; si tamen in instrumento renunciatum fuit exceptioni non numeratæ dotis, tunc benè valet, & preiudicat primis ea confessio.

PARAG. II.

Textus Sacrorum Canonum. De Confessis.

SVMMARIVM.

1 *Positio est admittenda super facto negatiuo per partem improbabili, si Iudici videbitur.*
2 *Reus iussus positionibus respondere, si recurrat, &c. habebuntur pro confessis.*
† *Excipitur aliquis casus.*

1 Positio negatiua, quæ probari non potest, nisi per confessionem aduersarij est admittenda, si Iudex æquum, & expediēs iudicauerit; ità *ex cap. Statuimus 1. de confessis in 6.*

2 Si post præstitum iuramentum veritatis, aut calumniæ, Reus, vel eius Procurator interrogatus, & iussus à Iudice nō vult sine causa respondere positionibus ab aduersario sibi factis, vel non se præsentat; habebitur circà illas pro confesso: si verò antequàm sit iussus respondere, contumacitèr se absentet, non habetur pro confesso, sed potest procedi contrà eum tāquàm contumacem, *ex cap. Si post 5.* & licèt regularitèr positionibus non respondens, habeatur pro confesso, fallit tamen, quando positiones essent notoriè falsę, vt quando
† articuli sibi inuicem contrariantur: Item in criminalibus, & quando libellus esset ineptus; & positiones de iure non essent admittendæ: Item in causis fractæ pacis, &c. vt videre licet apud Barbosam *lib. 6. decretalium tit. de confessis cap. 2.*

TITVLVS XX.

De Probationibus.

SVMMARIVM.

1 *Contra Reum debet Actor procedere.*
2 *Probatio duplex.*
3 *Probationes semiplenæ coniunctæ faciunt probationem plenam.*
4 *Ad actorem pertinet probare.*
† *Reus, qui excipit, probare tenetur*
5 *Negatiua Iuris probari debet*
6 *Negatiua facti duplex.*
7 *Negatiua qualitatis est probanda.*
8 *Item ea, quæ inter partes controuertuntur.*
9 *Probatio necessaria est in qualibet causa.*
10 *In quæstione speciei fieri debet probatio in specie, &c*
11 *Quot modis fiat probatio*
12 *Actor plenè probans, non tenetur iurare*
13 *Qualitates probationis*
14 *Probationes sunt arbitrariæ.*

1 Contra Reum debet actor probare quod intendit, Actore enim non probante, Reus absoluitur *cap. Cum Ecclesia 3. de causa possessionis, & proprietatis.* Probare est rei dubiæ in iudicio fidem facere, *cap. Forus 10 parag. causa de verb. significat.*

2 Probatio est duplex, vna artificialis, quę ex ipsa causa argumentis, & indicijs trahitur. Alia inartificialis, quæ extra causam à testibus confessione, iuramento accipitur; & vtraque vel est plena, quæ plenā fidē Iudici de eo, quod est propositum, facit; vt fit per duos testes, instrumenta publica, præsumptiones, partium confessiones iudiciales, *vt in cap. cum causam 13.* Semiplena, quæ imperfectè concludit, & iudici non tantam fidem facit, cui soli stare debeat, vt fit per vnum testem omni exceptione maiorem, instrumentum priuatum, compatationem litterarum, confessionem extra-iudicialem, rationes, famam, & similia.

3 Plures probationes semiplenæ coniungi possunt, vt faciant plenam probationem, vt si tendunt ad vnum finem, non autem ad diuersum, Felin. *cap. cum causam 13.* Verùm, si probationes coniungendæ sint in sua specie imperfectæ, vt v. gr. si fama probetur per vnum testem, & fuga probetur per alium testem, tunc non coniunguntur, cùm quodlibet iudicium duos testes requirat. Abbas *in cap. transmissæ 3. qui filij sint legitimi.*

4 Probare debet actor, non Reus, *cap. bonæ memoriæ 23. parag. Porro excessus de elect.* Reus tamen, qui excipit, ea, quæ asserit, probare debet, cùm in eo censeatur actor, *cap. in præsentia 18.* Negantis vnum factum per rerum naturam, nulla est probatio *cap. Quoniam contra 11. cap. bonæ memoriæ 23.* Per indirectam admitti potest, vt factum negantis admittatur probatio, dum à negatiua in affirmatiuam quodammodò fit transitus *cap. ex tenore 35. de testibus.*

5 Negatiua Iuris probari debet, vt cum quis emancipationem negat esse factam rectè, illud probare debet, *leg. ab ea parte 5. parag. 1.* quia hic negans affirmat solennitatem esse omissam, vel à iure requisita non esse adhibita.

6 Negatiua facti est duplex, vel pura, quæ simpliciter sine determinatione loci, temporis, vel alterius rei proponitur, vel non pura, cui locus, tempus, alia circumstantia adijcitur; illa directè, nec indirectè probari potest vt si quis dicat, Bertam non duxisse in matrimonium, &c. & proindè ōnus probandi transfert in affirmantem, *vt in cap. Accusator 6. quæst. 1. cap. bonæ memoriæ, &c.*

&c. Hęc probari potest per indirectum, *cap. ex tenore cap. Lectius: 26. de testib. l. ig. optimam Cod. de contrah. stipul.*

7 Negatiua qualitatis est probanda, si qualitas contra iuris communem præsumptionem negetur, vt cum quis negat aliquem ad beneficium esse idoneum, id probare debet, quia quilibet præsumitur idoneus, nisi de contrario constet.

8 Probari item debent ea, quæ inter partes controuertuntur, sed dubitantur, non quæ aduersarius est confessus notoria *cap. super eo 3. cap. euidentia 9. de accusat* quæ Iudici vt Iudici nota *cap. vltimo parag. sed notandum.*

9 Non tantum in ciuili causa, sed etiam in criminali probatio necessaria est *Hostien. in summa num. 4.* In crimine tamen Simoniæ, & Heresis, quia secretò solent committi, præsumptiones verisimiles admittuntur.

10 In quæstione speciei fieri debet probatio in specie, generis probatio non sufficit: vnde generalis probatio, vel equiuoca non releuat probantem sub certa specie sub genere probato contenta, *cap. constitutus 6. de religiosis domibus, cap. venerabilis 22. de censibus.*

11 Fit probatio per testes, confessionem partium, instrumenta debita solennitate confecta, euidentiam facti, famam, libros antiquos, scripturas antiquas, in lapidibus, vel columnis, scripturas litteras, sigillo Episcopi, Legati, Cardinalis, Abbatis, capituli sigillatas, communem opinionem, indicia indubitata, præsumptionem violentam, & ità ex pluribus iuribus citatis à Doctoribus.

12 Actor si plenè probauit, non tenetur iurare, & iudex secundum alligata, & probata iudicare debet *cap. in præsentia 6. de renunciat.*

13 Probationis propria sunt vt sit conformis libello, *Hostien. in rub. n. 5. cap. significauerunt, cap. de testibus extra de testibus, cap. licet. parag. Idem de probat. cap. cum contingat.* Item quod sit concludens *l. ad probat. 22. cap. cum contingat de offic. delegati*, hoc est, quæ necessariò id, quod intendit, inferat; non impertinens, *l. matrem 17.* vbi Baldus: dicitur impertinens quæ nec per se, nec vnà cum alijs adminiculis ad causæ fidem facit, Baldus *in l. ad probationem 2.* Item non dubia, *cap. in præsentia*, vbi Canonistę *de probat.* neque incerta Baldus *in l. penult. cod. de sententia.* quæ sine certa quantitate, & in *l. 1. cod. de fals.* item nec superflua.

14 Probationes natura sua sunt arbitrarię, hoc est pendent ab arbitrio iudicis, qui quantum illis fidei sit tribuendum arbitratur. *l. 3. parag. Tu magis scire, de testib.* quod tamen arbitrium ad legum dispositionem, & commune Ius, & boni viri iudicium confirmatum esse debet, Baldus *in l. certi cod. de iudic.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1. *Species Probationis quæ?*
2. *Item præsumptionis.*
3. *Probatio cui incumbat.*
4. *In probatione quot dandæ dilationes.*
5. *In causa appellationis, super quibus admittantur probationes, &c.*

1 Probationis plures sunt species: prima per euidentiam facti, vt si Clericus habeat concubinam, & cum ea liberos, in domo tunc per euidentiam facti probatur de eius incōtinētia secūdo per inspectionē corporis probatur aliquid vt si aliqua dicat se corruptam à viro per vim, & mulieres ob aspectum illius probant, eam esse virginem: Per famam probatur aliquid: cum fama omnium vicinorum de aliqua re coincidat: Per præsumptionem probatur aliquid, quando vehementer aliquid præsumitur vt verbi gratia si videtur solus cum sola, nudus cum nuda, præsumitur quod cognouerit eam carnaliter.

2 Præsumptionis multæ sunt species, præsumptio temeraria est insufficiens, & repellitur à Iudice; nec debet mouere animum Iudicis: Probabilis præsumptio est vnus modus qui surgit ex suspicione, & fama sed Iudex non debet eam sequi: Violentà præsumptio est, quæ surgit ex se rebus verisimilibus, & ista præsumptio inducit Iudicem ad ferendum sententiam, nisi probetur contrarium illius præsumptionis. Necessaria præsumptio est, de qua necessariò præsumitur, vt si mulier sponte cohabitet alicui viro, & posteà dicat quòd inuita nupserit ei, pręsumitur quod in eum consenserit, & ista etiam inducit Iudicem ad ferendam sententiam.

3 Regulariter probatio incumbit ei, qui dicit, non qui negat factum; negantis enim factum nulla est probatio: non dico quòd non possit probare, sed quod non possit compelli ad probandum. Aliquando tamē ex necessitate ad actorem Reum onus probationis transfertur; negans enim ius non ritè factum, probare tenetur: transfertur etiam propter delictum, aliquando propter præsumptionis adminiculum, & aliquando propter personæ priuilegiū: propter delictum vt si actor dicat, se indebitū soluisse, & Reus negat se suscepisse, conuictus quia suscepit, probare debet, quod nō indebitum, sed debitum accepit: ratione præsumptionis, si tutor qui non administrauit, vel eius hęres probauerit collegam, qui administrauit tempore deposit officij soluendo fuisse; eo probato periculum pertinet non ad tutorem, qui non administrauit, sed ad curatorem: ratione personæ transfertur probatio si persona actoris priuilegiata fuerit, & dicat, se soluisse indebitum; tunc enim is, qui accepit, ostendere debebit, se debitum accepisse.

4 Probationum via non est arctanda. tres nam

namque dilationes ad probandum dătur; & denique quarta superadditur, si causa subsistit rationabilis.

5 In causa appellationis non admittuntur probationes siue testiŭ productiones super eisdem capitulis, vel contrarijs omninò, vel super nouis connexis, sed solùm admittuntur super nouis depĕdĕtibus ab antiquis cŏnexis. Ratio est, quia ratio productionis testium post publicationĕ attestationum est timor subornationis, quę vendicat sibi locū in causa appellationis, etiā in causa principali: cùm autem secundum Legistas post publicationem attestationū, non admittatur testium productiones super antiquis capitulis, vel omnino contrarijs vel nouis diuersis sed solum super nouis dependentibus ab antiquis: itā etiam in causa appellationis.

P A R A G. I.

Textus Sacr. Can. de Probationibus.

S V M M A R I V M.

1 *Reus non tenetur dare sua instrumenta*

† *Qui semiplenè probare dicatur*

2 *Quando equaliter probant actor, & Reus, Reus absoluitur.*

3 *Marito asserenti cum iuramento, se vxorem cognouisse, non creditur, si vxor aliter probet.*

4 *Singulares de vniuersitate possunt ad commodum vniuersitatis reprobare instrumentum, &c.*

5 *Quando impedimentum matrimonij est probatum, si alius velit oppositum probare, non est audiendus.*

6 *Excommunicatus, ubi quis per litteras ordinarij probatur, à procuratione repellitur.*

7 *Substitutio facta filio, eo decedente sine liberis, euanescit, &c.*

8 *Limitatur in aliquibus casibus.*

1 Reus actori suo propria instrumenta dare non tenetur; itā *cap. ex Epistola 1. de probat.* Item actor, quando fundauit suā intentionem, seu rem benè probauit, non tenetur iurare, & consuetudo contraria non valet, quia iuramentum in defectum probationis præstatur; itā *cap. sicut 2.* Semiplenè probanti, in supplementum probationis, iuramentū deferri potest, Mascard. *de probat. conclus. 954.* Menoch. *de arbitrar. 464.* Semiplenè probare dicitur, qui probat suā intentionem per vnum testĕ omni exceptione maiorĕ, Monoch. *loco citato n. 12.* Sunt tamen plures casus, in quibus Iuramĕtum in supplementum probationis deferri nŏ potest. Primus est in causa matrimoniali, quando agitur de matrimonio dissoluendo; Secundus in causa matrimonij spiritualis. v. gr. professionis: Tertius in causis beneficialibus; Quartus in causis vsurarum; &c. De quibus videri potest Barbosa *in lib. 2. decretal. de probat. tit. 19.*

2 Quădo equaliter probant in Iudicio Actor, & Reus, Reus absoluitur, nisi fauorabilem causam foueat actor, & si amborū partium testes sunt æque idonei, præferuntur testes possessoris, quia iura sūt propriora ad absoluendum, quàm ad cŏdemnandum, sicut cùm agitur de libertate, iura semper fauent libertati; itā *cap. ex litteris 3.*

3 Non creditur marito asserenti etiam cū iuramento, vxorem cognouisse, si vxor per matronas attestantes per ipsius corporis aspectum, probat contrarium, ex *cap. Proposuisti 4.* Matronę, quæ feminam aspiciant, debent esse septem per Gratian. *lib. 2. cap. 2. n. 26.* Verùm cùm in ore duorum, vel trium stet omne verbum, *cap. in omni negotio de testibus*, sufficiunt duæ Matronæ, vt de Virginitate deponant. Sanchez *lib. 7. disp. 113. n. 16.* Siverò in Ciuitate, vel loco, in quo agitur, plures sint periti, duo necessario adhiberi debent, quorum assertioni standum est; si verò vnus tantùm sit, sat est, itā in *l. 1. §. vltimo de verbor. obligat.* & est communis.

4 Singulares de vniuersitate possunt ad commodū vniuersitatis reprobare instrumentum falsò confectum, nomine vniuersitatis; itā *ex cap. 3. loco 5.* Vnde infertur, instrumentum reprobari posse per testes contrarium deponentes, non solùm in ilio descriptos, verùm etiā per alios, ità *ex cap. cum Ioannes de fide instrumentorum:* Qui testes debent esse saltem duo idonei, siuè in eo descripti, siuè non, ex Innoc. Ioanne Andrea, Abbate *n. 13.* Felin. *n. 15.* & alij *in cap. Ioannes.*

5 Impedimento probato matrimonij contrahendi, & publicatis attestationibus; alij testes super defectu impedimenti admittendi non sunt, *ex cap Iuraute 6.* Quando agitur de peccato vitando, veluti si agatur de probanda consanguinitate ad impediendum matrimonium, testes se vltrò offerentes, & requisiti probant. Mascard. *de probat. conclus. 1358. num. 65.* Rebuffus *de reprobat. testium n. 69.* Regulariter, offerens se vltrò examini, tamquàm suspectus non probat; itā communiter Doctores.

6 Si per litteras Ordinarij probatur quis excommunicatus, à procuratione repellitur, *ex cap. Post cessionem 7.* quia litteræ Episcoporum, & aliorum similium fidem faciunt; itā vt illis standum sit, donec contrarium ostendatur. Mascardus *de probat. conclus. 990.* Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsump. 17.* & alij.

7 Substitutio facta filio, eo decedente, sine liberis, euanescit per ingressum Monasterij, nec ad inualidandum ingressum sufficit probare minorem ætatem tempore ingressus, si ex aduerso geminatus probetur ingressus; itā *ex cap. In præsentia 8.* quia Monasterium habetur loco filij, seu hæredis; ità vt grauato hæreditatem instituere, si absque liberis decedat, succedat Monasterium, excluso penitùs substituto; & itā communitèr Doctores citati à Barbosa *in lib. 2. decret. de probat. tit. 19. num. 2.* etiamsi Monachus apostataret, quia adhùc Monasterium excluderet substiturum.

8 Limitatur tamen, nisi substitutus fuerit testatoris filius, aut si testator substituerit aliquem de sua familia, adijciens, velle ea

D 3 omnia

omnia bona perpetuò in familia conseruari; tunc enim censetur velle, vt excluso Monasterio, succedat substitutus, cùm Monasterium nō sit capax conseruādæ agnationis, & familię. Cou. *cap. 19. num. 11.* Menochius *præsump. 83. num. 45.* Guttier. *cap. 32.* Item si grauatus Religionem ingrediatur animo fraudandi substitutum; tunc enim ille non excludetur. Gloss. *verbo Locum in authen. nisi rogati. Cod. ad Trebell.* Item si grauatus inductus sit ad Religionem suasionibus, & blandicijs Monachorum, quia tunc Monasterium nulla huius professi bona consequetur, *cap. Constituit 2. quæst. 3.* ac proindè minimè excludetur substitutus. Sanchez *in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 7. cap. 17. num. 6.* & alij: Item si grauatus ante professionem testatus sit, instituendo hęredem extraneū, tunc enim non excludetur substitutus. Sāchez *cap. 17. num. 47.* sunt etiam plures alię limitationes, de quibus Barbosa *loco citato num. 9. &c.*

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Quando Actor, & Reus in interdicto retinendæ possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat.*
† *Testes singulares non probant.*
† *Nec sibi inuicem contrarij.*
2 *Testes numero plures alijs præferuntur.*
3 *Filium si quis nominet, & ità communitèr reputetur, non creditur posteà alteri dicenti contrarium.*
4 *Iudex debet habere Notarium, &c. qui scribant acta, &c.*
5 *Delictum Rei, si probari potest, tunc non est admittenda probatio in contrarium.*
6 *Fines Diœcesis quomodo probentur.*
7 *Possūt reprobari Matronæ, per quas virginitas pbatur*
8 *Acta etiam litis ordinatoria facta coram primis Iudicibus, fidem faciunt coram secundis.*

1 SI Actor, & Reus in interdicto retinendę possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat, titulo maximè iustificato, vel meliores probationes, respectu possessionis, adduxit, *ex cap. Licet causam 9.* Testes singulares deponentes de aliqua re in genere, si deponant de diuersis actibus particularibus circà eamdē rem in genere, plenam probationem non efficiunt; ità Hostien. *in summa de testib. §. quia diuersitas*, Boerius *decis. 352. nu. 2.* Cou. *lib. 3. var. cap. 3. num. 5.* & alij: Ratio, quia in probatione alicuius rei generalis requiritur, & est necessarius numerus duorum testium cōtestium. Textus *in cap. Licet vniuers. de testib.* Testis verò, qui sibi contrarius est, nihil probat. Cou. *var. lib. 2. cap. 13. num. 8.* Sayrus *in Claui regia lib. 12. cap. 21. nu. 12.* Farinac. *in praxi criminali quæst. 66. nu. 13.* & alij.

2 Testes numero plures alijs pręferuntur; ità Alex. *cons. 66. nu. 2.* Martil. *cons. 113. nu. 47.* & alij, nisi pauciores sint digniores. Mantica *decis. 317. num. 11. & 12.* Bartolus *ff. de testibus*, vbi habetur, non ad numerum inspiciendum esse, sed ad sinceram testimoniorum fidē, & testimonia, quibus potiùs lux veritatis assistit: quapropter ad testiū qualitatē potiùs, quā ad eorū multitudinē inspiciendū est; ità Gloss. Butr. Abbas, & alij *in cap. Nostra.*

3 Si quis nominat aliquem filium, & ità communitèr reputatur, non creditur posteà alteri eorum iuranti cōtrarium, *ex cap. Per tuas 10.* vndè etiā natus domi ex concubina præsumitur filius cōcubinarij illius, qui illam secum retinebat; ità Cou. *de sponsal. par. 2. cap. 8. §. 3. num. 8.* Mascardus *de probat. conclus. 788. num. 25.* Menoch. *de arbitr. casu 89. num. 26.* Item natus ex vxore in domo mariti cum ea cohabitantis, filius mariti pręsumitur, vt ait Textus *in l. Filium definimus §. qui sunt sui, vel alieni iuris*, & omnes Doctores communitèr: Item ex confessione, & nominatione parentum magna insurgit pręsumptio pro filio; ità vt ipse constituatur in quasi possessione filiationis, ac proindè alijs accedentibus indicijs, plena efficiatur probatio. Cou. *loco citato §. 3. num. 7.* Menoch. *casu 89. num. 7.* Mascardus *de probat. consil. 789.* Surdus *de aliment. tit. 1 quæst. 112. n. 8.* Ex nominatione aliorum, non probatur filiatio. Surd. *cons. 789. num. 71.*

4 Iudex debet habere Notarium, vel duos viros idoneos, qui scribant acta iudicij; aliàs si quid difficultatis emerserit, per Superiorem punietur, nec credetur ei super processu, nisi in quantum per acta, vel per alia legitima documenta constabit; ità *ex cap. Quoniam contrà 11.*

5 Si probari potest, Reum deliquisse, eius probatio, quod non deliquerit, non est admittenda, *ex cap. Ad nostram 12.*

6 Fines Diœcesis probantur per antiquos libros, adminicula, testes, & famam, *ex cap. Cum causam 13.* etiamsi libri antiqui sint historiarum, & cronicarum; si illis à maioribus nostris fides adhibita sit. Cassaneus *in cathalogo gloriæ Mundi par. 10. consideratione 46.* Guttier. *pract. quæst. lib. 3. quæst. 13. nu. 23.* Historię sunt scripturæ priuatæ, quæ ex antiquitate, & fama fidem assumere dicūtur. Menoch. *cap. 84. num. 16.* & proindè maximam fidem eis esse adhibendam: Item probantur per fidem antiquam, & publicam, quod intelligendum est in ciuilibus, quia in criminalibus, nec plenam in antiquis, nec semiplenam in non antiquis probationem facit. Mascard. *de probat. conclus. 754.* Farinac. *in praxi criminali quæst. 47.*

7 Possunt reprobari Matronæ, per quas virginitas probatur; ità *cap. Causam matrimonij 14.* Vndè Matronæ, quæ in causa matrimonij separādi attestatę sunt, puellam esse virginem, possunt reprobari à viro per alias probationes; & per nouas Matronas est experiendum de virginitate, & interim puella haberi debet in loco tuto, nè patiatur violentiam.

8 Acta etiam litis ordinatoria facta corā primis Iudicibus, fidem faciunt coram secundis, *ex cap. Cum bone 15.* dubium tamē est, an attestationes receptæ in iudicio incompetenti, an incompetenti, in quo ab eisdem partibus litigatur, remittuntur, & faciant fidem; & partem affirmatiuam sustinent plures, quos refert Mascardus *de probat.*

probat. conclus. 33. nu. 24. pro quibus facit primò, quia iudicium sæculare, respectu Clerici dicitur iudicium incompetens, & tamen attestationes receptæ in iudicio sæculari contrà Clericum, contrà eumdem in iudicio Ecclesiastico admittuntur, & faciūt fidem, vt probat Textus *in cap. Multa 2. quæst. 1.* Facit secundò, quòd si prædictæ attestationes non admittuntur, non fieret aliquo modo condemnatio; at constat per tales attestationes fieri condemnationem per Iudicem competentem, vt communitèr docent Doctores *in cap. vlt. de testib. spoliat.* & *in cap. 1. de accusat. in 6.* Contrariam tamen sententiam obseruat communis, vt docet Mascardus *de probat. conclus. 33. num. 5.* pro qua facit, quia vbi Iudex incompetens est, statim redditur nullū iudicium illius, *ex l. 1. & 2. Cod. si non à competen. Iudice*; Constat autem, attestationes, & acta gesta nullitèr in iudicio nullo, nullam fidem facere, iuxtà resoluta per Doctores *in cap. At si Clerici*; facit etiam decisio Textus *in l. penultima ff. si certum petatur, &c.*

TITVLVS XXI.
De Testibus, & attestationibus.

SVMMARIVM.

1 *Qui testes esse possint.*
2 *Impubes reijcitur.*
† *Item infamis, &c.*
3 *Domesticus familiaris, &c. prohibentur testari, &c.*
4 *Item contrà certas personas socius criminis, &c.*
5 *Item mulier in testamento, & criminali causa.*
6 *In causis criminalibus requiruntur duo testes.*
7 *In aliquibus casibus, vnus testis probat.*
8 *Ad condemnandum Cardinalem quot testes requirantur.*
9 *Non debet Iudex admittere plures testes, quàm sint necessarij.*

1 OMnes habentes vsum perfectum rationis, testes esse possunt; dummodò sit idoneus, & fidelis, idest omni exceptione maior, & talis dicitur, qui iure reijci nō potest, *cap. 3. Si testes*, Iure aliqui reijciuntur in totum, alij pro certis personis, alij contrà certas personas, alij in certis causis.

2 In totum impuberes reijciuntur, *cap. 1. Testes 4. quæst. 3. cap. Forus 10. §. de verbor. significat.*
prǽterquàm in crimine læsæ Maiestatis, *l. de minore 10 ff. de quæstion.* Item reijcitur furio-
† sus, mente-captus: Item infamis, qualis est
vsurarius, qui publico iudicio damnatus: qui ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse iudicatus, & conuictus, &c. Item hæreticus, nisi contrà hæreticum, *cap. In fidei fauorem 5. de hæreticis in 6. cap. Si hæreticum 26.* Item periurus, quia facilè præsumitur, vt priùs, peierarurus, *cap. 18. Quicunque 6. quæst. 1. cap. Paruuli 14.* Item mulier, quę ob sexus fragilitatem, Iure Canonico repellitur à testimonio ferendo, tàm in ciuilibus, quàm criminalibus causis, *cap. Mulierem 33. quæst. 3. l. qui testamento ff. de testamentis.*

3 Pro certis personis prohibentur testimonium dicere domesticus familiaris, cognatus, affinis, vel cui imperari potest, vt testis fiat pro eo, cur talis est, *cap. Test. 4. quæst. 2. cap. 10.* similitèr *verbo Ad fines cap. 12. Accusatores 3. quæst. 1. cap. Super 22. cap. In litteris 24.*

4 Contrà certas personas testari prohibentur socius criminis, licèt admittatur in crimine læsæ Maiestatis, hæresis, falsificationis monetæ, maleficij, furti famosi, sodomiæ, simoniæ, & in delictis, quæ non possunt sine socio committi: Item non admittitur inimicus contrà inimicum, libertus contrà patronum, filius contrà patrē, pater contrà filium, nisi in causa matrimoniali Hæreticus, & Iudæus cōtrà Christianum, Laicus contrà Clericum in causa criminali, auctor inimicitię contrà Episcopum; ità ex pluribus iuribus citatis à Cortuino *lib. 3. tit. 27. de testib. & attestat.*

5 In certis causis testimonium ferre prohibentur mulieres in testamento, & in criminali causa, quia secùs in ciuili, *cap. r. 15. quæst. 3. cap. Forus 10. §. vlt. de verbor. significat.* Aduocatus, & Procurator in causa, quam defendit, *cap. vlt. §. patroni 4. quæst. 2. cap. Insuper 6.* Item in causa, qua fuit Iudex, *cap. 37. Hoc etiam §. quæritur*, & quisque in sua causa ferre testimonium prohibetur.

6 In causis criminalibus, vt aliquis condemnetur, requiruntur duo testes, vt patet *ex l. Vbi numerus ff. de testib.* Ratio est, quia vnus facilè peruerti potest, & ideò vnus testis cuiuscunq; dignitatis sit, nō probat, *cap. Licet 23. Licèt Vniuersis ex quadam 47.* duo autē difficiliùs, raròque loquuntur conformitèr.

7 In aliquibus casibus vnus testis probat, vt cùm alicui non sit præiudicium, v.g. cū dubitatur, an aliquis sit baptizatus, vel illa Ecclesia sit consecrata, &c. *cap. Paruulos 110. de consecrat. dist. 4. cap. Solemnitates, cap. Consecrationes*: Itē cùm matrimonium impeditur, prætextu consanguinitatis, contrahi, *cap. Super eò 22. cap. Præterea 12. de sponsal.* Item in crimine læsæ Maiestatis, *cap. Si quis Papa 2. dist. 79.*

8 Ad condemnandum Cardinalē Episcopum 72. testes requiruntur; ad Presbyterū Cardin. 64. ad Diaconū Cardinalem 27. ad reliquos Clericos 7. In praxi tamen non seruatur hic numerus testium, vt ait Clarus *lib. 5. quæst. 66.* In rebus leuioribus solent aliqui puniri assertione vnius testis.

9 Nō plures Iudex debet admittere testes, quā sint necessarij in causa, & qui admittuntur, nō vltrò se offerre debent, sed debent esse vocati, & veluti inuiti deponere debēt & produci, & recipi debent regularitèr post litem contestatam, *cap. 1. & 2. vt lite non contestata*, non ante, nisi fortè de morte testium, vel diuturna absentia timeatur, &c. fieri debet productio coram eo Iudice, qui de causa cognoscit, *cap. Cùm olim propter 14. §. interim de priuil.* nisi testes sint valetudinarij, senes, debilitate confecti, paupertate nimia oppressi; ità vt ad Iudicis personam adduci nō possint; tunc enim ad ipsos examinādos personæ idoneæ, & discretæ mittuntur, *cap. Si quis testium 8.* aliàs verò Iudex, lite contestata, negatiuè probationem imponit, ac fieri decernit *l. a præcedente.*

cedente, vbi Bartolus *Cod. de dilat.* idque sumptibus ipsius producentis, *l. Quoniam* 10. qui facto huiusmodi decreto, testes examinare, & vt iuratè examinentur postulare, *l. Iudices* 17. *Cod. de fide instrumentis*, ac articulos, de quibus interrogentur, congruentes, libello in scriptis offerre debet, quo facto, Iudex per se, aut si testes longè remoti sint, per subsidium iuris, implorato loci ipsius Iudice, *l. Iudices* 17. aut, si personæ egregiæ sint, vel debiles, misso ad eas Notario examinationem instituet.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Ad Testium probationem qua requirantur.*
2 *Testis interrogatus an teneatur respondere, &c.*
3 *In quibus casibus non teneatur veritatem aperire*
4 *Testibus inter se dissidentibus, quid agendum*
5 *Litigantes intrà quem terminum progredi possint.*

1 VT testes probare dicantur, quatuor exquiruntur. Primò vt deponat iuratim, quia absque iuramento facilius est mentiri, quà m cum iuramēto. Vndè testibus non iuratis non creditur in præiudicium alterius, nisi ille, cuius interest, spontè iuramento remittat: Secundò vt sint cōtestes, idest ambo testentur idem factū cū iisdem circumstantiis substantialibus, consequēter cōuenire debent in loco, tēpore, & specie delicti. Hinc est quòd si testentur de diuersis actibus, diuerso tempore commissis, non dicūtur contestes, sed testes singulares, quorum testimoniū non facit plenam criminis probationem, sed magnam præsumptionem, quæ sufficit ad torturam, & aliquando ad pœnam extraordinariam infligendam: Tertiò vt dicant, se sensu externo percepisse, vt v. gr. se vidisse furantem, aut audiuisse blasphemantem: Vndè testes de auditu nō plenè probant delictū, quod non consistit in voce, sed in facto: Quartò vt sint omni exceptione maiores, hoc est contra quos nihil in iure opponi potest.

2 Testis legitimè, & iuridicè interrogatus, tenetur respondere, & veritatem aperire; Primò si actor laboret infamia delicti; Secundò si quamuis non laboret infamia delicti, tamen immineat malum Communitati, quod ab ea nec potest auerti nisi per Iudicem: Tertiò si damnum immineat alicui priuato, nec possit aliter impediri: Quartò si de auctore delicti est semiplenè probatum: Quintò si procedatur via accusationis, & delictum plenè probari possit. Layman. *lib. 3. tract. 6. cap. 4. n. 8.* Reginald. *lib.* 24. *n.* 46. Siluius 2. 2. *quæst.* 70 *artic.* 1. & alij.

3 In multis casibus testis nō tenetur aperire veritatē: Primò si nouit ex confessione sacramentali: Secūdò si sub secreto naturali manifestatum sit crimen, nisi testificatio necessaria esset ad auertendū damnum publicum: Tertiò si actor non laborat infamia, nec si metuit damnum futurū: Quartò quādo proceditur via accusationis, & delictum non possit plenè probari: Quintò si ex testificatione immineat aliquod damnum ipsi testi, vel eius consanguineis: Sextò quando quis accipit rem causa compensationis: Septimò si leuis à personis, non admodum fide dignis.

4 Quādo testes actoris, & Rei sunt discordes in substantia facti, iudicandum est pro Reo: Ratio, quia vbi iura sunt æqualia potior est ratio possidentis: Reus autem est in possessione vitæ, famæ, & bonorum, &c. Quando autem discordes sunt in pertinētibus ad accidentia facti, non præiudicat talis discordia testium: si verò testes eiusdem partis discordes sunt, tunc prudentia Iudicis opus est ad cognoscendum cui debeat fauere.

5 Litigantes intra terminum à Iudice productionibus præstitum vicissitudine probationum vsque ad tertiam super iisdem articulis testium productionem progredi possunt, non quartam, nisi producens iuret, se nō calumniæ causa eam facere, nec testificationum copiam habuisse, *cap. cum clamor* 53. *cap. significauerunt* 36.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Testes quomodo examinandi.*
2 *Testis falsum deponens, an puniendus.*
3 *Ante litis contestationem, an possint produci Testes*
4 *Testes per alterum producti, an publicentur.*
5 *Testes ad testificandum citari debent.*

1 TEstes debent examinari secretò, ita vt neutra pars examinationi intersit; Testis quoque dictum debet concludere necessariò, vel etiam præsumptiuè, sed præsumptione iuris. Testes etiam producti nō debent esse singulares quia Testes singulares nullam faciunt fidem; nec enim semiplenā faciūt probationē; nec potest deferri iuramētū in supplemētū probationis ei qui habet testes singulares. Testes singulares illi dicuntur quando dicta testiū, ex diuersitate factorū, separationem recipiūt, & si testes in rebus testificatis discordant, sunt singulares: secus si concordarent in vno fine rei; vnde si tempus, & locus sint de substātia actus, ità vt ex tēporis, & loci variatione veritas causæ varietur; tunc testes in locō, & tēpore singulares non probarent si verò ad substantiam actus, & ad artienlum causæ principalis tempus, & locus nō sunt necessaria, in eo casu singularitas in huiusmodi qualitatibus non noceret.

2 Testis qui deponit falsum, à Iudice punitur: & hoc verum est si deponat falsum per malitiam; vel si sit sibi contrarius per astutiam, & dolum: vbi autem testis deponit falsum per errorem, vel casum fortuitū, tunc non potest puniri: & ratio est, quia ad hoc vt dicatur quis committere falsū, requiritur dolus; aliàs autem non dicitur committere falsum vt puniri possit.

3 Ante litis contestationem, ex sententia omnium Doctorum, Testes non possunt produci sed post: Ratio est, quia testes non producuntur ad finem instituēdi Iudicem: sed

ſed ad finem faciendi fidem Iudici de deductis in iudiciũm: ſed in iudicium nõ deducitur res deducta niſi poſt litis conteſtationem: Fallit tamẽ hæc regula quando teſtes producuntur ad perpetuam rei memoriam quia tunc poſſunt produci ante litis cõteſtationem, ex parte quidem actoris, quando timetur de morte teſtium, vel de abſentia eorũm ſubitanea, vel diuturna, &c. Item ſi Reus comparuerit, & opponat exceptionẽ, quæ impediat litis conteſtationem: tũc etiam actor poteſt producere teſtes ad perpetuam rei memoriã Ratio, quia cũ talis exceptio Rei inducat moram litis conteſtationis, perinde eſt, ac ſi actor non haberet poteſtatem agendi.

4 Quando teſtes producuntur per actorẽ, tunc non publicantur, imò reſeruatur eorum publicatio prope ſententiã ante concluſionem, perindè ac ſi recepti forent lite conteſtata: tamen vtraque parte conſentiente, ante litis conteſtationem publicari poſſunt.

5 Teſtes ad teſtificandum citari debẽt; vnde dictum teſtis non citati non valet: ſi tamen teſtis nõ citatus depónat, & pars non contradicat, valet eius dictum.

P A R A G. III.

Textus Sacrorum Canonum.

De Teſt. & Atteſtationibus.

S V M M A R I V M.

1 *Teſtes cuiuſmodi eſſe debeant.*

2 *Laicus aut fœmina teſtimonium quando contra Clericos admittatur.*

3 *Conſanguinitas, in caſu ſeparationis, quot teſtibus probanda.*

1 TEſtis pretio non eſt conducendus, ſed idoneus, fidelis, & ieiunus, *ex cap. Placuit 1. de teſtib. & atteſtat.* Ratio quia per receptionem pretij violatur integritas, ſeu veritas, quæ in Iudicio, neceſſaria eſt. Item contra non citatum nulla eſt receptio teſtium: & ideo pars citari debet antequam teſtes recipiantur. Si verò voluerit venire, nec eſſet excuſatus aliqua ineuitabili neceſſitate, tũc recipi poſſunt teſtes, ac ſi veniſſet, ſi ſecus fiat, receptio eſt nulla, *ex cap. in nomine 2.*

2 Laicus, & etiam fœmina admittitur contra Clericum quando agitur de crimine; ità *ex cap. Quòniam 3.* Item principalis perſona admittitur in teſtem, vbi agitur de correctione, & peccato impediendo, & ſi ſecum ducit duos teſtes, erunt tres, &c. *ex cap. in omni negotio 4.*

3 Quando aliqui poſſunt ſeparari propter conſanguinitatem, conſanguinitas illa debet probari per duos, vel per tres teſtes, de illa conſanguinitate; vel ſi conſanguinei nõ ſuperſunt, debet probari per meliores, & antiquiores illius loci, qui iurabũnt, ſe non odio, vel amore, vel aliquo commodo, quod habuerint, vel quod habent, vel quod habituri ſunt, ad hoc iuramentum accedunt, & ſicut ipſi dicunt, rei veritatem accepiſſe à maioribus, & credere, ità eſſe, *ex cap. Quoties 5.* Ratio primæ partis eſt, quia Senioribus magis creditur, ſenectus enim ętate fit doctior, proceſſu temporis ſapientior: Ratio ſecundæ partis eſt, quia teſtes deponentes de auditu ſuorum maiorum, in antiquis probant, vt docent Doctores *in cap. licet ex quadam.*

P A R A G. IV.

Subſequuntur textus ſupradicti.

S V M M A R I V M.

1 *Prælati, & Clerici, an, & quando poſſint teſtificari.*

2 *In quo caſu appellari poſſit contrà, &c.*

3 *Ad teſtes recipiendos idoneos mittendi.*

4 *Sociis criminis, &c. an teſtificaverit, &c.*

5 *Atteſtationes coram vno Iudice, an valeant coram alio in eadem cauſa.*

6 *Clerici teſtimonium in cauſa ſuæ Eccleſiæ, an reijciendum.*

7 *Teſtes quando repellantur à teſtimonio.*

8 *Laici teſtimonium, an, & quando contrà Clericum admittatur.*

1 PRælatus, & Clerici, qui cauſam Eccleſiæ non procurant, teſtificari poſſunt in ea, ità *ex cap. inſuper 6.* & ideò Prçlatus, & Religioſi in cauſa ſuæ Communitatis teſtimonium dicere poſsũt: nec obſtat quod, Prælatus ſit procurator ſui Monaſterij, & habeat adminiſtrationem illius, & quod Procurator in cauſa, quam procurat, ſeu adminiſtrat, teſtis eſſe non poſſit, quià hic textus ſolum loquitur de eo, qui ſpeciale mandatum habet ad procurandũ, non autem de eo, qui ratione tituli, bona ſuæ Eccleſiæ curare tenetur. Item teſtis de vniuerſitate, vel Collegio, non habens intereſſe particulare, admitti poteſt pro ſua vniuerſitate ad teſtificandũ, Cou. *pract. cap. 18.* Afflictus *deciſ. 400.* Sanchez *in precept. decalogi tom. 2. lib. 6. cap. 13. n. 102. & alij.*

2 Si probatio exceptionis oppoſitæ contra teſtem productum, non admittitur antequam dictum teſtium recipiatur, in caſu, in quo admitti debuit, appellatur, ità *ex cap. ex parte 7.*

3 Iudex mittere debet perſonas idoneas, ſeu examinatorem diſcretum ad teſtes recipiendos, qui ad eum commodè venire nõ poſſunt, *ex cap. ſi qui teſtiũ 8.* Caſus autẽ, in quibus debet Iudex mittere perſonas idoneas ad recipiendum teſtimonium, dicti fuerunt ſupra: Qui pro pecunia falſum dixerunt teſtimonium, in cauſa matrimoniali, ſi propter illorum teſtimonium ſententia diuortij lata ſit, ſi poſtea priuatim accedentes Iudici dicunt, ſe corruptos, & falſum dixiſſe, ſi ſeparati contraxerunt ſecundò cum alijs, imponi debet teſtibus pœnitẽtia pro periurio, & adulterio: ſi verò non tranſierunt ad ſecundas nuptias, diligenter inquirendum eſt, coram quibus talis corruptio interceſſerit, & ſi probetur, ſententia eſt reuocãda, quia teſtimonium periurij non admittitur, *ex cap. ſicut à nobis 9.*

4 So-

4 Socius criminis, & muneris non testificatur, etiam in crimine simoniæ, & vnius testimonium non sufficit ad condemnationem, ità *ex cap. veniens* 1.10. itaut talis cõfessio, non concurrentibus alijs iudicijs, minimè faciat præsumptionem aliquam, iudiciumq; ad torturam, vel ad inquisitionem formandam, Menochius *de arbitrar. casu* 474. *nu.* 13. *& c.* Mascard. *conclus.* 1311. *n.* 9. *& concl.* 1359. *n.* 19. & alij. Dictum autem fuit, quòd in his criminibus, quæ solent perpetrari occultè, & veritas aliundè haberi nõ potest, admittitur socius criminis. Decius *consil.* 189. Mascard. *conclu.* 1311. *n.* 34.

5 Attestationes in vno Iudice receptę fidem faciunt in eadem causa, & inter easdẽ personas coram alio Iudice, *ex cap. causam* 11. Et ideò testes examinati, & publicati in vno iudicio, fidem faciũt in alio inter easdem personas, vt probat textus *in cap. præsentata* 50. Regularitèr tamen probationes factæ in iudicio summario, fidem non faciunt in plenario.

6 Clerici non sunt à ferendo testimonio in causa Ecclesiæ suæ, sine rationabili causa repellendi, *ex cap. cum Nuncius* 12. Et ideò possunt ferre testimoniũ in causa suę Ecclesiæ, quando commodum non tangit singulos, sed vniuersitatem: ità plures citati apud Bellettum *disquis. clerical. p.* 1. *de Clerico teste* §. 4. *n.* 15.

7 Testes etiam si de crimine non sint conuicti, vel confessi, si deindè conuincantur, repelluntur à testimonio tàm in causa ciuili, quàm criminali, *ex cap. super eo* 1. 13. vndè criminosus testis repellitur à testimonio, si crimen contra eum oppositum probetur, etiam si sententia condemnatus minimè sit. Campeg. *de testib. reg.* 27. Rebuf. *de reprobat. test. n.* 175. Farin. *in praxi criminali p.* 2. *de oppositione contra personas testium quæst.* 56. *n.* 126.

8 Laicus contra Clericum in causa criminali non testificatur, nisi prosequatur suã, vel suorum iniuriam, quia tunc admittitur ad accusationem, licèt nõ ad testimonium; ità *ex cap. de cætero* 15. & omnes Doctores communitèr; nam eo casu admittuntur etiam feminę contra Clericum. Excipitur tamen crimen hæresis, Simoniæ, lesæ Maiestatis, &c. in quibus non prohibetur Laicus contra Clericum testificari; ità apud Bellet. *de Clerico teste* §. 5. *n.* 4. Item quando crimen Clerici non potest probari, nisi per Laicum, quia tunc admittuntur etiam inhabiles; ità Bellet. *loco citato n.* 5. Item sunt laici idonei testes ad probandã infamiam contrà Clericum. Ioannes And. *in cap. tam litteris* item quando agitur de crimine ciuilitèr, & non criminalitèr. Vltimò in probatione famæ, in qua etiam contrà Clericum admittũtur Laici, ità apud Bellet. *loco citato*. Verùm quando Laici admittuntur ad testificandum contrà Clericos, non admittuntur ad plenam probationẽ contrà ipsos Clericos, sed ad iudicium faciendum, vt scilicet saltem subijciãtur torturæ, si tamẽ tertius, siuè accusator Clerici prima obiecta probare non potuerit & ad cætera postmodùm non admittitur, *cap. placuit* 3. *quæst.* 10. Item si delictum, de quo Clericus accusatur, esset commissum in loco, in quo non essent Clerici; quia tunc cùm veritas alitèr haberi non possit, Laicus, etsi inhabilis, efficitur habilis, & in subsidium est idoneus testis. Bernard. 131. *n.* 2. Thom. Gramat. *consil.* 55. *n.* 4. Verùm cõtrà Clericos in criminalibus non admittitur mutilati membris, nec corpore vitiatis; ità Hippol. *in sua pract. crim.* §. *nunc videndum*. Cou. *practicar. cap.* 18. *n.* 2.

P A R A G. V.

Subsequitur etiam Textus.

De testibus, & attestationibus.

S V M M A R I V M.

1 *In causis Ecclesiasticis quot productiones testium fieri possint.*
2 *Probationum, &c. quæ-nam præferatur.*
3 *In causa appellationis, &c. testes quomodo producendi.*
4 *Iurans testimonium non dicere contrà aliquem, an possit cogi, vt testificetur.*
5 *A testimonio quis repellatur.*
6 *Testimonium Matris, quando suspectum.*
7 *Causa inter Christianos, & Iudæos, quot testibus terminanda.*
8 *Testes quamdiu produci possint.*

1 IN causis Ecclesiasticis possunt fieri tres productiones testium: Quarta non admittitur absque solennitate legati, *ex cap. In causis* 18. illi tamen non est concedenda secunda dilatio, qui in prima nullam probationem facit. Mascardus *de probat. conclus.* 516. *num.* 1. nisi se impeditum probauit aduersarij facto, vel facto Iudicis. Mascardus *conclus.* 1229. *a num.* 29. *& c.* & *conclus.* 1236. *num.* 40. vel si partes steterunt in compromissum. Boer. *decis.* 294. *num.* 17.

2 Si quis probat actum gestum post appellationem, & aduersarius probat, quòd antè, præfertur prima probatio, & actus iudiciales non tenent, nisi secundus probet quod antè appellationem; ità *ex cap. Cum tu* 16.

3 In causa appellationis super nouis capitulis tantùm testes producuntur iuramento secundùm morem priùs recepto, ità *ex cap. Fraternitatis* 17. ideò post renũciationem partium; seù aperturam testium ampliùs non possunt testes produci super eisdem articulis, vel directè contrarijs, quibus iam testes fuerunt legitimè recepti, eò quòd in illis ratio, & timor subornationis magis consideretur, vt probat Textus *Si nouum contigerit emergere*, & ibi super nouis duntaxat capitulis.

4 Qui iurat testimonium non dicere cõtrà aliquem, potest cogi ad iurandum, si attestationes publicatæ non sunt, nec fuit renunciatum testibus; ità *ex cap. Intimauit* 18. Item publicatio, & renunciatio testium in certis capitulis non præiudicat parti volenti producere testes in alijs capitulis, & litteræ impetratæ à Sede Apostolica, post-

postquàm causa fuit commissa, non faciūt præiudicium parti super nouis capitulis; ità *ex cap. Causam quæ* 2.19.

5 A testimonio repellitur, qui simili morbo laborat, *ex cap. Personas* 20. & idèo consimilem causam habēs, tamquàm suspectus repellitur à testimonio. Rebuff. *de reprobat. test. num.* 431. Mascardus *de probat. conclus.* 1357. *num.* 54. & alij: Item Christianus contrà Iudæum testis admittitur, *ex cap. Iudæi* 31. Iudæus verò, &c. in causis Christianorum testis esse non potest; ità plures apud Barbosam *in* 2. *decret. tit.* 20. *de testibus, & attestat.*

6 Testimonium matris est suspectum, vbi filia petit in virum aliquem se maiorem; ità *ex cap. Super eo* 2. 52. Admittitur testimonium patris, & matris, quando filia petit in virum se æqualem. Viuian. *tom.* 1. *commun. opin. lib.* 4. *tit.* 10. *num.* 239. Mascardus *de probat. concl.* 998. *n.* 3. Sanch. *de matr. lib.* 2. *disp.* 71. & alij.

7 Causa quælibet, & maximè inter Christianos, & Iudæos, terminanda est, ad minus duorum testimonio, vel trium bonæ vitæ, & laudabilis conuersationis, *ex cap. Licèt vniuersis* 23. Item testes de familia non sunt idonei, *ex cap. In litteris* 24. Ità plures citati à Barbosa *in* 2. *decret. tit.* 20. *de test. & attestat.* Nomine testium de familia, intelliguntur non solùm illi, qui sub patria potestate existunt, sed etiam, qui in eadem domo habitant inseruiētes, vel ab illa habent dependentiam: in causa verò matrimoniali admittuntur testes de familia. Limitatur etiam in pluribus casibus, in domesticis Episcopi, seù alicuius magni Domini, aut Illustrissimæ personæ: Secundò, in familiatibus iam expulsis: Tertio, in famula non habente salarium: Quartò, in domesticis magnę auctoritatis, & vitę honestioris: Quintò, in domesticis domesticorum: Sexto, in domestico testificante contrà producentem: Septimò, in domesticis productis ad defensionem Rei inquisiti, & ad illius innocentiam: Octauò, in domesticis testibus instrumentarijs: Nonò, in casibus difficilis probationis: Decimò, in crimine hæresis: Vndecimò, in fauore Ecclesiæ in ciuilibus: Duodecimò, in probatione consanguinitatis: Decimo-tertiò, in probatione ætatis: Decimo-quartò, in probatione furoris: Decimo-quintò, in factis antiquis: Decimo-sextò, quando aliter veritas haberi non possit.

8 Donec attestationes fuerint publicatæ, & eis renunciatum, produci possunt testes; posteà verò, non, super eodem capitulo, sed super alio, *ex cap. Cùm venisset* 25. vna verò pars in alterius vitæ præiudicium, dilationi assignatæ renunciare non potest. Guttier. *pract. lib.* 2. *quæst.* 32. & alij: Item in causa matrimoniali, publicatis attestationibus, super eodem capitulo possunt alij testes induci, *ex cap. Series* 26. non obstante consuetudine in contrarium. Vndè post publicationem testium possunt ijdem, vel alij testes recipi super eisdem articulis, vel directè contrarijs, quando super dictis illorum de falsitate opponitur, vt patet ex textu citato, qui dicit, recipiēdos esse prædictos testes, non obstante consuetudine in contrarium, quia & post sententiam, etiam admitterentur, cùm per illos Ecclesia decepta fuisset, & ità sententia lata nō transit in rem iudicatam, quia semper auditur volens probare contrarium: & licèt speciale videatur recipi testes post publicationem, nihilominùs, tamē propter materiam peccati, & ità propter vitium irremissibile, quod in illa reperitur, non continetur, vt post publicationem testium, & etiam post sententiam testes recipiantur, idque non ex speciali lege, sed attento iure, cui consuetudo, quę licèt contraria intelligatur, tamen inspecto vertice, & forma regulæ supradictæ, eidem iuri ex regula resultanti consona videretur.

PARAG. VI.

Subsequitur præcedens materia. De testibus, &c.

SVMMARIVM.

1 *Carnalis copula quomodo probetur.*
2 *Iudicis vnius verbo an credatur.*
3 *Testes inducti ad probandum, &c. an cogi possint ad probandum, &c.*
4 *Testium dicta an publicanda.*
5 *Testes Actoris, & Rei contraria deponentes, an sibi derogent.*
6 *Mulieris testimonium quando admittatur.*
7 *Attestationibus publicatis, an, & quando admittatur aduersarius ad probandum contrarium.*
8 *Negata iniustè dilatione, an possit appellari.*
9 *Testes diligentèr examinandi, &c.*
10 *Variato agendi modo, publicatis attestationibus, an liceat testes producere.*

1 Carnalis copula probatur per conueniēs testimonium de visu: Item in testimonio auditus, si fama consentiens faciat violentam præsumptionem, ac sint alia legitima adminicula, tunc standum est testimonio iuratorum, & Iudex discretus se regere debet testimonijs, & argumētis aptioribus, *ex cap. Præterea* 27. Coitus pręsumitur, quando vnà cubauerit vir, & fœmina, & in eodem Thoro quis cum puella iacuerit. Mascardus *conclus.* 312. & *conclus.* 452. *num.* 1. Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 41. *nu.* 12. Fama verò per se non probat copulam, nec etiam per testimonium de auditu, nec per sola adminicula, sed hæc simul iuncta probant, vbi datur testimoniū de visu, non requiruntur alia adminicula ad probandam carnalem copulam.

2 Vnius Iudicis verbo non creditur; scripturæ verò eius reprobari per testes possunt, *ex cap. Cùm à nobis* 28. quia Iudex testis esse non potest. Rebuff. *de reprobat. testium nu.* ad 267. Menoch. *de arbitr. lib.* 1 *qu.* 73.

3 Testes inducti ad probādū solū dilatoriā exceptionē nō possunt cogi; imò si velint, nō possūt deponere super principali; secùs verò si sup perēptoria, quia tūc pōt cogi, si altera pars hoc petat ad deponēdum super principali negotio cū iuramento: secus quan-

quando probatio testium super principali causa facta fuit sufficiens, vel fuit renũciatum testibus, vel depositiones publicatæ, *ex cap. De testibus* 29.

4 Dicta testium non sunt ad petitionem tertij publicanda, & is, qui produxit testes coram certis Iudicibus, non potest ad eũdem effectum coram Iudicibus alijs illos producere, sed illorum attestationibus debet esse contentus; ità *ex cap. Constitutus* 30. Itẽ si post publicatas attestationes in personas testium, aliquid obijcere voluerit, debet iurare, quòd ad hoc malitia nõ procedat, nisi ante publicationem illud fuerit protestatus, vel nisi ostendere potuerit, quòd post publicationem didicerit, quod obijcit in personas; ità *ex cap. Præsentium* 31.

5 Si actoris, & Rei testes contraria deponunt, fidem sibi non derogant sed præualent digniores, & verisimiliora deponentes; & si in cęteris est disparitas, præfertur numerus, *ex cap: in nostra* 32. Ratio, quia dignioribus testibus magis creditur, quàm minus fide dignis: Vndè testimonium Clerici plus valet, quàm laici, *cap. si testes 4. quæst.* 3. ob præsumptionem maioris bonitatis, & integritatis, quæ est in Clericos, Belet. *de Clerico teste* §.1.*n*.1. Item etiam Senioribus magis creditur, quam iunioribus testibus, & masculis, plusquam fæminis.

6 Mulieres admittuntur ad testimonium, cum agitur de irregularitate, *Ità ex cap. sam literis* 33. Item si de crimine agitur ciuiliter, & non criminaliter, *vt in cap. Quoties*, & in cap. *ferus 1. de verb. significat.* Item quando agitur de libertate Ecclesiæ contrà contumacem, etiam lite non contestata, possunt recipi testes, & sententia ferri, *ex cap. cum olim* 34.

7 Publicatis attestationibus, admittitur aduersarius ad probandum contrarium, si ante publicationem super hac probatione contraria instari non potuit, *ex cap. ex tenore* 35. Verũ Surdus *decis.* 296.*n*.2. aduertit, hunc textũ procedere, quando pars ex capitulis aduersis non potest instrui de loco, & tẽpore; quià secus quando potuit instrui.

8 Si sine causa negetur; quarta dilatio, petita cum solennitate legali, pars poterit appellare infra decem dies; & si pars deficit in probatione appellationis, condemnatur in expensis legitimis, *ex cap. Significauerunt* 36. Verùm quartam productionem poterit negare Iudex, si ipsi videantur sufficere testes receptos.

9 Diligenter examinãdi sunt testes, & puniendi qui eos impediunt; & ipsorum testium multitudo est per Iudicem refrẹnanda; ità *ex cap. cum causam* 37. & ideò numerus testium vtriusque partis nõ debet excedere quadraginta; & testes interrogari debent non solum super cõtentis principaliter in articulis, sed etiã super illorũ circũstantijs respõdere, Farinac. *in praxi crim. p.* 2. *de opposit. contra examen testium qu.* 73.*n*.26. Sunt tamen plures casus allati à Doctoribus, in quibus tenetur reddere rationem suę depositionis, etiam non interrogatus; alias non probat.

10 Vbi variatur modus agendi, publicatis attestationibus super eodem capitulo testes producere licet, *Ità ex cap. veniens* 38. Tertius verò sententię executionem impedire potest, si incontinenti de suo interesse probare velit, Boer. *decis.* 79 *a n.* 1. Couar. *pract. quæst. cap.* 16. *n.* 1. & alij, etiamsi fuerit executio tertiæ sententiæ lata: Ità Antonius Gabr. *tom.* 3. *comm. lib.* 2. *de execut.* Etiã in Iudicio possessorio, potest tertius interuenire ad eũ effectũ, vt sibi, & non expoliato, restituatur res de docendo suo dominio. Menoch. *consil.* 488. *à n.* 1. quod tamen limitandum est, quando tertius sciuisset, litem agitari, & acquieuisset donec sententia esset lata, nã, & hoc casu executio contra tertium competit. Surd. *consil.* 234. *n.* 11. & 13. Acta verò facta in Iudicio summario, non faciunt fidem in plenario. Hypol. *Syntag.* 580. Surd. *de alimentis tit.* 1. *quæst.* 126. *n.* 4. & 5. & alij.

PARAG. VII.
Item subsequuntur Textus. De Testibus, &c.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi quomodo ad testificandum admittantur.*
2 *Testes qui deposuerunt in vno capitulo, an possint pariter in alio.*
3 *Ad testandum in casu consanguinitatis, &c. quot & qui testes requirantur.*
4 *Impedientes depositionem testium, possunt excommunicari.*
5 *Qui, & quomodo possit testis de auditu probare consanguinitatem.*
6 *Quando ad petitionem producentis, possint Testes interrogari.*
7 *Attestationes per arbitrum recepta, quando fidem faciant.*
8 *Deponenti sine iuramento non creditur.*
9 *Perseuerans in crimine an admittatur, &c.*
10 *Criminaliter accusatus quamdiù non admittatur testis contra alium, &c.*

1 Religiosi ad testificandum non admittuntur absque iuramento, nisi à partibus remittatur, *ex cap. Tuis quæst.* 39. Delegatus quando cognoscitur necessarius in testem, remouetur à iudicando, & alius subrogatur, *ex cap. Dilecto* 40. Item nè probationis copia pereat, citato aduersario, recipiuntur, & publicantur testes, quos Reus induxit, *ex cap. Significauit* 41.

2 Testes ijdem, qui fuerunt pro vna materia in vno capitulo, possunt iterùm recipi in eadem materia pro alio capitulo, vt qui testificati sunt excessum deceptionis, possunt testificari quantitatem valoris *ex cap. Cùm causam* 42. Itẽ recipiuntur, & publicantur testes, qui inter fuerunt sententiæ, vbi per scripturam de sententia non apparet, v. gr. sententia diuortij, si non apparet in scriptis, probari potest per testes, nè filij sint illegitimi, *Ex cap. Albericus* 43.

3 Quando esset fama, quòd contrahentes sunt consanguinei, ad tollendum scandalum, 12. de antiquioribus, & melioribus de con-

consanguinitate vtriusque, debent iurare, nullam esse consanguinitatem, disting uendo gradus, & personas illorum: Si post contractum matrimonium, tres, vel quatuor testantur, esse parentelam, tunc si primi testes iterùm iurant, vel alij, non esse cōsanguinitatem, illi præualebunt, aliàs secundi, *ex cap. Cùm in tua* 44.

4 Excommunicari possunt, qui partem impediunt in testibus producendis, & denunciandi sunt testes non teneri de veritate non dicenda; & si consanguinei impediunt testes actoris, punitur Reus, de cuius voluntate hoc fieri præsumitur, *ex cap. Constitutis* 1. 44. Item qui testificata non dixit, nec renunciauit testibus producendis super antiquis articulis, seu capitulis, testes etiam aliàs productos producere potest, *ex cap. Constitutis* 2. 46.

5 Testis de auditu probat consanguinitatem, si sit persona grauis, & deponat, se à maioribus audiuisse ante litem motam, nam si post litem motam, nullam faceret fidem, etiam interuenientibus alijs requisitis, quorum si vnum deficiat, nullam fidē penitus faciunt; ita Gregor. *lib. 7. tit. 9. par.* 4. Couar. *de sponsalibus par. 2. cap. 6. §. 10. num.* 21. Guttier. *canon. lib. 1. cap. 11. num.* 34. Sanchez *de matrimon. lib. 1. disput. 71. num.* 11. & alij. Requiritur saltem, quòd à duobus audierint nō infamibus, & suspectis, sed fide dignis, & omni exceptione maioribus: sed sufficit, si vnus audiuit à pluribus; vel simulti infames ab hominibus bonæ vitæ audierint: Item tales testes in suo iuramento iurent etiam, quod non odio, amore, timore, vel commodo testificentur, designando personas, expressis nominibus, vel circumlocutione sufficienti, & ab vtroque latere singulos gradus distinguant, & iurent, se accepisse à Maioribus, quod deponunt, & credere, rem ità esse, & iurent etiam, se vidisse personas, vel saltem in vno gradu prædictorum constitutas pro consanguineis se habere: Tolerabilius est enim aliquos cōtrà statuta hominum relinquere copulatos, quàm legitimè coniunctos contrà statuta rei dissoluere; ità *ex cap. Licèt ex quadam* 47.

6 Post publicationem, ad petitionem producentis, interrogari non debent testes, nisi quando dolo, vel negligentia examinatorum, super omnibus capitulis interrogati non fuerunt; ità *ex cap. Per tuas* 48. Testes contrà personas testium in negotio principali admittuntur, & similitèr secundò testes contrà testes; sed vltrà non licet admittere quartos testes reprobatorios, nè lis diutiùs protrahatur, *ex cap. Licèt dilectus* 3. 49.

7 Attestationes receptæ per arbitrum, fidē faciunt in iudicio, si testes mortui sunt; si viuunt, est in optione illius, cōtrà quem testes producti sunt, an velit attestationes recipere, an testes de nouo deponere, *ex cap. Præsentata* 1. 50.

8 Non creditur testi, etiam Religioso, qui sine iuramento deponit, *ex cap. Nuper* 51. & testes diligentèr examinandi sunt, etiamsi agatur de vita, & miraculis alicuius Sancti canonizandi, *ex cap. Venerabilis* 52. Item Iudex debet iterùm examinare testes, qui obscurè deposuerunt, *cap. Cum clamor* 53.

9 Perseuerans in crimine, etiam ciuili, repellitur; emendatus verò non, infamis admittitur inciuili, & etiam in criminali causa, mota ciuilitèr, *ex cap. Testimonium* 54. Item quarta productio non est danda absque solennitate legali, *ex cap. Vltrà tertiam* 55.

10 Accusatus criminalitèr non admittitur in testem contrà alium in causa criminali, sua accusatione pendente, *ex cap. Non debet* 56.

PARAG. VIII.

Continuatur Textus, vt suprà.

SVMMARIVM.

1 *Mediatores simonia, an, & quando admittantur in testes.*

2 *Reus quomodo debeat respondere in causis spiritualibus.*

3 *Aduocatus in causa principali, an possit esse testis in causa appellationis.*

1 Mediatores simoniæ, si ex hoc non sunt assecuti emolumentum, & non agatur criminalitèr, admittuntur in testes contrà auctores sceleris, & hoc in detestationem huius criminis, *ex cap. Mediatoris* 1. *de testibus, & attestat. in* 6.

2 Iudex in causis spiritualibus, assumpto iuramento de calumnia, & veritate ab vtraque parte, faciat Reum respondere sigillatim positionibus sibi traditis; & si altera pars vult producere testes reprobatorios contrà testes productos in principali ab altera parte, eos recipiat, & examinet; & si altera pars vult sustentare primos testes super principali productos, illos etiam recipiat, & examinet secundùm articulos, & interrogatoria partium, *ex cap. Præsentium* 2.

3 Aduocatus, qui fuit Procurator in causa principali, non potest esse testis in causa appellationis: Item appellanti, cùm præsumptio faciat pro eo, non datur indistinctè iuramentum, nisi Iudex, consideratis circumstantijs causæ, & personarum, iudicet dandum, *ex cap. Romana* 3.

TITVLVS XXII.

Textus Sacrorum Canonum. De testibus cogendis.

SVMMARIVM.

1 *Testes negantes testari veritatem, an possint cogi, vt, &c.*

2 *Qui à testimonio excusentur.*

3 *Testes an, & quando cogi possint, etiam sub excommunicatione.*

4 *Testes quando non necessarij.*

5 *Testes, quando cogi possint per censuras, vt testificentur, &c.*

6 *Testis Synodalis deponens super, &c. an possit compelli, vt, &c.*

7 *Quando item sint cogendi testes, vt, &c.*
8 *Socij coniurationis an cogi possint ad eam reuelandam.*
9 *Testi dicenti, se falsum deposuisse, an sit credendum.*

1 TEstes, qui spontè rogati noluerint testimonium perhibere veritatis, cogi possunt à Iudice ordinario, vel Delegato, &c. Ecclesiastica censura, etiamsi iurauerint testimonium non dicere, *cap. Inhibimanis 18. de testibus, & attestat.* maximè si nullo priuilegio excusationis sint muniti, & se gratia, timore, vel odio, à testimonio ferendo subtrahant, *cap. Dilectorum 10. cap. Causam de testibus cogendis 1.*

2 Excusatur à testimonio ferendo contrà socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinoque natum, eosque qui priori gradu sunt: excusatur etiam libertus contrà patronum, senex, valetudinarius, miles, qui cum Magistratu abest, aut cui venire non licet: Publicanus, qui exercitui præbendam conduxit; Episcopus, Clericus, aliaque persona Ecclesiastica, *cap. 38. Statutum*. Verùm, si alitèr de veritate constare nequit, ad testimonium dicendum à Iudice cogi possunt, *cap. Super eo 3. cap. Peruenit 4.*

3 Vbi testimoniũ est necessarium, cogẽdi sunt testes ad illud ferendum, etiam per excommunicationis, suspensionis, & depositionis sententiam, *ex cap. Super 2.* & tunc testimonium censetur necessarium, quando alitèr veritas haberi non potest. Farinac. *in prax. crimin. quæst. 72. num. 18.*

4 Si aliquis conuenitur coram Iudice de aliquo facto, quod negat, si factum notorium est, non sunt necessarij testes, cùm talem probationem non requirant: si verò non est notorium, testes, qui interfuerunt, monendi sunt, & non cogendi, nisi fortè timore aduersæ partis, à ferendo testimonio reuocentur, *ex cap Super eo 3.*

5 Si iniuria lata Clericis, vel rebus Ecclesiasticis alitèr probari non possit, Laici, qui interfuerunt, sunt compellendi ad testificandum per censuras Ecclesiasticas, *ex cap. Peruenit 1. 4* quod etiam dicendum est in causa criminali, si res alitèr probari nõ possit, *ex cap. Peruenit 2. 5.* Item testes super cõsanguinitate probãda cogendi sunt, si constet, eos nolle testificari, odio, gratia, vel timore, *ex cap. Cæterum 6.*

6 Testis Synodalis, qui coram Ordinario visitante super matrimonio deposuit, non compellitur iurare super eodem coram Delegato: secùs si emergat nouus articulus nouæ quæstionis, vel si alitèr non possit fieri fides illi Delegato, *ex cap. Præterea 7.* Item repellitur, si post latum testimoniũ contrahit infamiam: potest tamen, si errauit incontinenti dictum suum corrigere, *ex cap. citato*, non tamen ex interuallo. Farinac. *in prax. par. 2. quæst. 66. num. 227 &c.* nisi ex timore tormentorum hoc faciat, quia tunc ex longissimo interuallo potest se corrigere.

7 Quando obijcitur crimen contrà electum, & scribitur Papæ, & dubitatur de crimine, vel de litteris, an sint capituli, testes in inquisitione cogendi sunt, *ex cap. Super his 8* Item testes, qui in crimine falsi se subtrahunt, odio, gratia, vel timore, cogendi sunt ferre testimonium, *cap. Cùm contrà 9.* Verùm, si in ciuilibus tantùm, & non in criminalibus, gratia, timore, vel odio se subtraxerint, ferre testimonium cogendi non sunt, *ex cap. Dilectorum 10.* quia in criminalibus, de iure Canonico, quis testificari non compellitur. Sigism. Scac. *in tract. de iudic. ciuil. & crim. lib. 2. cap. 10. à num. 13.* Farinac. *in praxi crim. quæst. 78 cap. 3. num. 115.* Quando agitur de crimine ciuilitèr pro interesse partis, testes ad se examinandum cogi possunt. Farinac. *in praxi crim. par. 2. quæst. 78. num. 159.* & etiam quando agitur de crimine per viam exceptionis, ac in alijs casibus, in quibus non agitur ad punitionem principalitèr, & directè; licèt fama aliquando aggrauetur: hodie tamen indistinctè seruatur, vt testes cogantur deponere, & in ciuilibus, & criminalibus causis, vt testatur Foler. *in praxi crim.* Sigism. Scac. *cap. 10. num. 12. & 16.* Farinac. *quæst. 78. cap. 3. num. 120.* & alij.

8 Ad detegendam veritatem coniurationis, coguntur socij, etiam iurati, ad ipsam detegendam, *ex cap. Venerabilis 11.* Ratio, quia in defectum probationum, cum scilicèt & ex negotij, & criminis natura non potest haberi probatio, admittitur probatio minùs legitima, & aliàs insufficiens, nam admittuntur hic in testes criminosi, & participes delicti, & de se confessi: Item in criminibus compelluntur testes non simplicitèr, sed in defectum aliarum probationum: Item admittuntur testes inhabiles, quando delicta sunt talia, quæ de sui natura non possint ab alijs probari, vt adulterium; & ideò ad probãdum adulterium pro separatione facienda admittuntur testes viles, & inhabiles, *l. consensa*, & ibi Bartolus, & alij: quo etiam casu admittuntur coniecturæ, probaturque adulterium ex circumstantijs, *cap. Significasti, de adult.* Infames etiam aliquando admittuntur, vbi alitèr veritas haberi non potest, vt quando quis ludebat in prostibulo, & fuit deceptus ob taxillos falsos, hoc poterit etiam probare per lenones, & alios infames. Salycet. *in l. Ea quidem.* nam per meretrices, & lenones probari possunt ea, quæ fiunt in prostibulo. Marsilius *in l. Diuus*, & alij.

9 Testi dicenti, se falsum deposuisse de alterius mandato, prece, vel præmio, non est credendum. Mascardus *de probat. concl. 454. num. 10.* Farinac. *in praxi crim. par. 1. quæst. 45. à num. 1.* vbi aduertit, quòd testes, qui corrupti pecunia iurauerant non reuelare conspirationem factam, compelluntur ad deponendum super dicta conspiratione, eis præstita absolutione à iuramento.

TITVLVS XXIII.
De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

1 *Testes, & instrumenta aequiparantur.*
2 *Instrumenta quae sint.*
† *Instrumenta publica, quae.*
3 *Publica instrumenta plenam fidem faciunt.*
4 *Priuata instrumenta, quae.*
5 *Solennia instrumenti, quae.*
6 *Instrumenta, quando produci debeant.*
7 *Reus, an teneatur Actori instrumenta sua edere.*
† *Instrumenta, quando non probent.*

1 Testium, & instrumentorum probationes aequiparantur, *l. In exercendis* 15. imò interdum, sed lata significatione, instrumentorum appellatione, testes continentur, *cap. Peruenit* 4. *de testibus cogendis*, in strictâ verò significatione, sunt diuersa, *cap. Cum Ioannes* 10.

2 Instrumenta in propria significatione accepta sunt scripturae rei controuersae fidem facientes, quae vel sunt publica, vel † priuata: Publica dicuntur, quae à publicis personis, vt à Notarijs fiunt, *cap. Quamquam de vsuris in* 6. *cap. Illud* 11. *de praesumpt.* & quae sigillo aliquo publico, vt Episcopi, Capituli, Principis, sunt signata, *cap. Cum dilectus* 9. Item quae auctoritate Magistratus sunt publicata, *cap. G. perpetuus* 12.

3 Priuata instrumenta sunt, quae auctoritate priuata fiunt à priuatis personis, nullis adhibitis testibus, vt sunt rationes, priuatae annotationes, apochae, &c. quae per se non probant, nisi contrà scribentem, & non inficiantem, aut nisi subscriptione testium, vel contrahentium, vel vetustate temporis, vel iudiciaria cognitione sint roborata.

4 Publica instrumenta, si coram Iudice facta, plenam fidem faciunt, vt nulla in contrarium probatio admittatur, *l. In hac* 30. *Cod. de donat. l. Census ff. de probat.* si à Notario facta, itidem plenam fidem faciunt, si omnia solennia in eorum confectione obseruari solita interuenerint; ità tamen vt probationem in contrarium admittant, *l. Cum precibus* 18. *Cod. de probat. cap. Cùm Ioannes* 10. *cap. Ad audientiam* 13. *de praescript.*

5 Solennia instrumēti sunt inuocatio nominis Domini, anni eiusdē, indictio, dies, contractus, nomen Papae, Imperatoris, vel Regis, locus, testes, nomen, & signum Notarij, Specul. *de instrum.* §. 2.

6 Instrumenta produci debent regulariter post litem contestatam: fieri debet productio Iudici, coram quo litigatur, sed ex causa, *cap. Accepimus* 4. in loco tamen congruo, & securo, *cap. Accepimus.*

7 Reus non tenetur Actori instrumenta sua edere, vel in iudicio contrà se proferre, *cap. vlt.* §. *qui intendit quaest.* 3. *cap.* 1. *de probat.* nisi fortè ea sint communia: Si instrumenta non cum Actore communia in iudicio producat, quibus vti vult, ea Actori edere tenetur, vt & vicissim ei Actor. Qui cōtraria duo instrumenta in iudicio profert, sibi inuicem fidem derogantia, neutrū probat, *cap. Imputari* 13. nec quis probat instru- † mentis, quantumuis publicis, & sigillatis, quorum litterae legi non possunt, vt non valeat intelligi, quod in eis fuerit scriptū, *cap. Inter dilectos* 6.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Instrumentorum genera duo.*
2 *Instrumenta an possint in causa produci.*
3 *Actor an possit Reum compellere, vt edat sua instrumenta.*

1 Instrumentorum etiam duo sunt genera, quoddam enim dicitur authēticum, & originale, & quoddam exemplum siuè transumptum instrumentum authenticum dicitur omne. Instrumētum, cui plenè creditur; instrumentum autem originale dicitur prima scriptura: exemplum, siuè transumptum regulariter nullam facit fidem; imò praesumitur talis scriptura falsa: in aliquibus casibus, aliquando facit plenam fidem: Primò, quando illud exemplum publicatum est à Notario: Secundò, quando eadem est persona Tabellionis, quae scripsit originale, & quae scripsit exemplum: Tertiò, quando aduersarius meus dat mihi exemplum: Quartò, quando exemplum est scriptum de consensu ambarum partium, nam tunc facit fidem.

2 Instrumenta possunt produci vsque ad conclusionem in causa, nisi esset statutus certus terminus per statutum, vel etiam per legem, quia vltrà istum terminum non liceret instrumenta producere, cum terminus statutus à lege semper intelligatur peremptorius: si autem terminus esset statutus à Iudice, possent nihilominus contrà illum terminum produci instrumenta, re integra, si ius aduersarij non sit effectum deterius.

3 Actor ad fundandam suam intentionem, siuè originem suae petitionis, non potest compellere Reum, vt edat sua instrumenta: Fallit tamen haec regula in argentarijs, in nummularijs, qui mandato partis scripturas faciunt ex officio; illi enim edere coguntur Actori, vt fundet suam actionē: Secundò in Fisco, & sic in omni actione, quae concernit rem publicam: Tertiò, fallit in omnibus casibus, in quibus vertitur fauor publicus, vt in causa matrimoniali, &c. Quartò, fallit, vbicunque Iudex ex officio compellere Reum, vbi Iudex videtur laborare veritatem; debet enim Iudex cuncta rimari. Verùm si litigantes instrumenta produxerunt, vel producturi sunt in iudicio, illorum exemplum aduersario petenti est edendum, sed sine die, &c. ea enim editio fit, non ad fidem instrumentis, quae iam facta est Iudici, sed vt pars experiatur, contenta instrumenti, an sibi noceant, qua in re non est opus die, &c.

PARAG. II.

Textus Sacrorum Canonum. De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

1 *Instrumenti exemplum, quando non probet*
† *Quando corruat.*
† *Scriptura priuata quando probet*
2 *Rescriptum Apostolicum, propter rasuram, quando censeatur vitiosum,*
† *Iudex redarguenti priuilegium esse vitiosum, faciet illud exhiberi.*
† *Instrumentum coram Iudice legi debet.*
3 *Instrumentum, cuius litteræ non sunt legibiles, &c. non probat.*
4 *Litteræ impetratæ à Sede Apostolica super absolutione voti, tacita veritate, &c. sunt nullæ.*
† *Item quando allegatur extrauagans, de qua dubitatur.*

1 EXemplum instrumenti non probat, nisi ostendatur originale, *ex cap. si scripturam 1. de fide instrumentorum*: Item instrumentum corruit, si testes in scriptis decesserint, nisi sigillum habeat authenticũ, vel à Notario sit confectum; ità *ex cap. Scripta 2.* Verùm si scriptura priuata sit recognita à parte, vim habet confessionis, & cum illa proceditur executiuè, Steph. Grat. *discept. foren. cap. 183. n. 10. & 11.* Probat etiam in aliquibus casibus scriptura priuata, vt videre est apud Doctores.

2 Rescriptum Apostolicum, propter rasuram in loco non suspecto, non censetur vitiosum, sicut nec priuilegia, si abradantur in nominibus possessionum, *cap. ex litteris 3.* Item quãdo quis dicit, priuilegia partis aduersæ esse falsa, Iudex faciet illud exhiberi in loco congruo, & securo, & interim sententia lata suam vim habet, *ex cap. Accepimus 4.* Item instrumentum, quo quis citatur coram Iudice, quando pars de eo fuerit requisita; tunc legi debet coram Iudice, & aliquibus viris prudẽtibus, & si pro vno capitulo tãtum quęstio fuerit, id solùm rescribatur, & parti aduersæ eius copia fiat, *ex cap. Contingit 5.*

3 Quãdo iura partium sunt obscura; sententia fertur contrà petitorem, & absoluitur conuentus. Instrumentum publica manu non confectum, habens sigillum, cuius litteræ non sunt legibiles, vel sculpturæ deletę, vel quod enormẽ patitur fracturam, non probat, *ex cap. Inter dilectos 6.*

4 Nõ valẽt litteræ impetratę à Sede Apostolica super commutatione, vel dispensatione voti, tacita veritate, vel expressa falsitate, *ex cap. Quod super his 7.* Item quando allegatur extrauagans, de qua meritò Iudex dubitat; tunc si est conformis iuri cõmuni, potest secundùm ea iudicare: si verò est dissona, non potest, sed debet consulere Papam, *ex cap. Pastoralis 8.* quia statuta iuri communi consona, censentur ius commune; ità Tiraquel. *de retractu lign. §. 9. gl. 2. n. 54.* Tunc autem cẽsentur iuri communi dissona, quando sunt contraria iuri Diuino, vel Canonico; ità Hostien. *cap. Qualiter, de accusat.* vel etiam Iuri ciuili, vel naturali rationi, deficiente iure. Instit. *de iur. natur. §. Quod verò naturalis ratio*, & ideò Iudex dubius debet consulere superiorem: Verùm, si inconsulto Papa, ferret sententiam, sententia non annullaretur ex isto capite, quia Principem non consuluit, sed ipse Iudex veniret puniendus: & ità apud Panorm. *2. decretal. tit. de fid. instrumentorum, cap. Pastoralis 8.*

PARAG. III.

Continuantur Textus præcedentes.

SVMMARIVM.

1 *Post publicatas attestationes, an possit pars instrumenta producere*
2 *Falsitas instrumenti, &c. probatur per testes.*
† *Litteræ defectus non vitiat rescriptum.*
† *Instrumenta communia edi non faciens Iudex parti petenti, licitè appellatur ab eo.*
3 *Scripturæ contrariæ productæ ab eodem, non faciunt fidem.*
† *Debiti instrumento, si exprimitur causa, condemnabitur debitor, &c.*
4 *Ordinarij authoritate, potest Notarius tabellionis mortui notas in publicam formam redigere.*
† *Instrumentum exemplatum per tabellionem habet vim instrumenti.*
† *Iusta causa exemplandi originale,*
5 *Ecclesia an deroget fidei instrumentorum.*

1 POst publicatas attestationes, potest vtraque pars instrumenta producere vsque ad sentẽtiam definitiuam. Itẽ consuetudo loci facit Instrumentum authẽticum, *ex cap. Cum dilectus 9.* quia consuetudo potest facere de non plena plenam probationem,

2 Falsitas instrumenti, vel quod deest instrumento, potest probari per testes, *ex cap. Cum Ioannes 10.* Item defectus litterę non vitiat rescriptum *cap. ex parte 11.* Quando litigatur, si vna pars, sibi petat tradi instrumẽta cõmunia, & Iudex hoc nõ curat, potest licitè appellare, & quidquid tentatur post appellationem, non valet; ità *cap. Perpetuus 12.* ideo producens instrumentum, si habet prothocollum, cogendus erit petenti aduersario illud exhibere, præmisso iuramẽto, aut probatione, quod illud habeat, vt ille, contrà quem instrumentum producitur, possit ipsum falsum allegare: Cou. *pract. cap. 19. n. 3.* nam pręsumptio est contrà Notarium celantem prothocollum, & nõ creditur dicenti, se illud amisisse, nisi probet. Farinac. *in prax. crimin. part. 6. tit. de simulat. & falsit. quæst. 154. n. 40.* nec in hoc credetur eius iuramento, nisi cum iuramento concurrant aliæ præsumptiones. Farinac. *quæst. 154. n. 41.*

3 Scripturæ contrariæ ab eodem productę non faciunt fidem, quia inuicem sibi derogant, *ex cap. Imputari 13.* quia ex contrarietate arguitur falsitas. Cou. *var. lib. 2. n. 5.* Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 41. n. 2.* & alij. Item si instrumento debiti exprimitur

cau-

causa, cõdemnabitur debitor; nisi probet, id non debere, si non eximitur, necesse est vt creditor probet id esse debitum, *ex cap. si Cautio* 14.

4 Notarius si aliqua instrumenta redacta in notam non perfecerit, & moriatur, aliùs Notarius, auctoritate Iudicis ordinarij, ad petitionem partium, poterit illa ad publicam formam redigere, & habebunt perpetuam firmitatem *ex cap. Cùm Tabellio* 15. Requiritur tamen, vt pars, cuius interest, citetur. Boer. *decis.* 37. *n.* 7. Socin. *reg.* 231. Con. *pract. cap.* 21. *n.* 6. Instrumentum exemplatum per tabellionẽ auctoritate Ordinarij habet eandẽ vim cũ originali *cap. si Instrumenta* 16. Quando est eadem persona tabellionis, quæ scripsit originale, & quæ scripsit exemplum, tunc exemplum plenam fidem facit, sicut, & ipsum originale, absque alia Iudicis auctoritate, cùm idem tabellio de eodem actu possit plura instrumenta facere. Felin. *in cap. Albericus n.* 2. & alij. Iustæ autem causæ exemplandi originale sunt, quando timetur probandi facultas, vt v. g. si propter antiquitatẽ timeatur, ne possint legi, vel quando originalia transferendà sunt ad locum remotum, & timetur de perditione in via, &c. Quando autem in aliquo instrumento deficit auctoritas, & fides Notarij, quia in aliqua parte instrumenti falsum scripsit, totum corruit instrumentum, etiam quò ad alias partes, & capitula separata; ità communiter Doctores. Instrumentum verò confectum à Notario publicè excõmunicato, est nullum: valet tamen quandiu excommunicatio est occulta, quia omnia gesta per excommunicatum occultum, existente communi errore, valida sunt, & ità Tiraquel. *de iure mariti gl.* 8. *n.* 150. Sãchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 22. *n.* 31. & alij communiter.

5 Multa sunt, quæ derogant fidei Instrumentorum: rosura litterarum, immutatio primæ figuræ, &c. Vitium Grammaticæ non viciat instrumentum, nec error scripturę impedit causã Iuris: Ratio, quia fides instrumenti auctoritate Tabellionis innititur, cuius fides magis inspicitur, quàm error scribentis: Varietas manus Notarij, subscriptionum identitas, indictionis omissio, &c. vitiant Instrumentum.

TITVLVS XXIV.

De Præsumptionibus.

S V M M A R I V M.

1 *Præsumptio quid sit.*
† *Quotuplex Præsumptio.*
2 *Violenta Præsumptio subdistinguitur.*

1 PRæsumptio est notabilis coniectura, ex certo signo proueniens, quę, alio nõ adducto, ꝓ veritate habetur, Alciat. *tract. de præsumpt.* quæ secundũ canones quadruplex est, temeraria, probabilis, violenta, necessaria, *cap. Adferte* 2. *cap. litteris* 13. *cap. litteris* 14. Temeraria est ex causis leuissimis vana hominis opinio: Probabilis pręsumptio est verisimilis coniectura ex certo signo proueniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur. Alciat. *loco citato.* Violenta præsumptio, quæ etiã Iuris præsumptio dicitur, est verisimilis probatio ex multis indicijs, vel vno multùm efficaci, & veritati proximo collecta: Necessaria Præsumptio Iuris, & de iure dicta, est dispositio legis aliquid præsumentis super præsumpto, tamquàm sibi comperto statuẽtis. Alciat. *loco citato:* Et hæc præsumptio plenam probationem facit, & pro veritate habetur, nec probationem admittit in contrarium, nisi per confessionem partis, restitutionem in integrum.

2 Violenta præsumptio subdistinguitur, nam alia est iuris; & alia iuris, & de iure: Præsumptio iuris est, cũ ius præsumit aliquid, sed non statuit super pręsumpto; & hæc præsumptio recipit contrariam probationem: Pręsumptio iuris, & de iure est, cum ius fingit, & statuit super ficto, cõtra quam fictionem non admittitur cõtraria probatio; Dicitur iuris, quia iure introducta est; & de iure, quia, vt inquit Alciatus super tali præsũptione lex inducit firmiũ ius, & habet eã pro veritate; itaut non admittat probationes incontrarium *leg. antiqua Cod. ad Senat. consult. Vellean.* Est etiam, alia præsumptio, quę dicitur modica, quę

3 veriùs dicenda est opinio hominis, quàm præsũptio, est enim verisimilis aliqua cõiectura, sed quæ sine alijs adminiculis fidẽ solidè non facit, *leg. Instrumenta, leg. rationes.* Sufficit tamen quandoque ad ius-iurandi delationem, vel in supplementum probationis, Bald. *in rubr. cod. de fide instrumentorum, n.* 7. vel ad suspicionis purgationem *leg. non omnes.*

P A R A G. I.

Textus Sacrorum Canonum. de Præsumptionibus.

S V M M A R I V M.

1 *Pœna obnoxius, confitetur manifestè, & occultè nocens.*
2 *Sententia diffinitiua fertur ex violenta præsumptione.*
† *Puer simplex, &c. præsumitur quod sit futurus bonus.*
3 *Iudicium subterfugiens, præsumitur diffidere de iustitia.*
† *Qui ex duobus illatis vnum negat, alterum affirmat.*
† *Præterita faciunt præsumere de futuris.*
4 *Notitia facti vicini loci ex vicinitate præsumitur.*
† *Quod est notum in remoto præsumitur etiam in proximo.*
† *Ex præteritis præsumitur circa futura.*
5 *Efficacior probatio requiritur ab eo, qui vult probare quod non est verisimile.*
† *Matrimonium, quomodo probetur.*
† *Carnalis copula per violentã præsumptionẽ probatur*
6 *Item*
7 *Præsumptio vehemens non sufficit, vt quis de graui crimine condemnetur.*
8 *Continens in iuuentute, non præsumitur incontinens in senectute.*

PARAG. II.

Textus Sacrorum Canonum. De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

1 *Instrumenti exemplum, quando non probet*
† *Quando corruat.*
† *Scriptura priuata quando probet*
2 *Rescriptum Apostolicum, propter rasuram, quando censeatur vitiosum,*
† *Iudex redarguenti priuilegium esse vitiosum, faciet illud exhiberi.*
† *Instrumentum coram Iudice legi debet.*
3 *Instrumentum, cuius littera non sunt legibiles, &c. non probat.*
4 *Littera impetrata à Sede Apostolica super absolutione voti, tacita veritate, &c. sunt nulla.*
† *Item quando allegatur extrauagans, de qua dubitatur.*

1 EXemplum instrumenti non probat, nisi ostendatur originale, *ex cap. si scripturam* 1. *de fide instrumentorum*; Item instrumentum corruit, si testes in scriptis decesserint, nisi sigillum habeat authenticũ, vel à Notario sit confectum; ità *ex cap. Scripta* 2. Verùm si scriptura priuata sit recognita à parte, vim habet confessionis, & cum illa proceditur executiuè, Steph. Grat. *discept. foren. cap.* 183. *n.* 10. *&* 11. Probat etiam in aliquibus casibus scriptura priuata, vt videre est apud Doctores.

2 Rescriptum Apostolicum, propter rasuram in loco non suspecto, non censetur vitiosum, sicut nec priuilegia, si abradantur in nominibus possessionum, *cap. ex litteris* 3. Item quãdo quis dicit, priuilegia partis aduersæ esse falsa, Iudex faciet illud exhiberi in loco congruo, & securo, & interim sententia lata suam vim habet, *ex cap. Accepimus* 4. Item Instrumentum, quo quis citatur coram Iudice, quando pars de eo fuerit requisita; tunc legi debet coram Iudice, & aliquibus viris prudẽtibus, & si pro vno capitulo tãtùm quęstio fuerit, id solùm rescribatur, & parti aduersæ eius copia fiat, *ex cap. Contingit* 5.

3 Quãdo iura partium sunt obscura; sententia fertur contrà petitorem, & absoluitur conuentus. Instrumentum publica manu non confectum, habens sigillum, cuius litteræ non sunt legibiles, vel sculpturæ deletę, vel quod enormẽ patitur fracturam, non probat, *ex cap. Inter dilectos* 6.

4 Nõ valẽt litteræ impetratę à Sede Apostolica super commutatione, vel dispensatione voti, tacita veritate, vel expressa falsitate, *ex cap. Quod super his* 7. Item quando allegatur extrauagans, de qua meritò Iudex dubitat; tunc si est conformis iuri cõmuni, potest secundùm ea iudicare: si verò est dissona, non potest, sed debet consulere Papam, *ex cap. Pastoralis* 8. quia statuta iuri communi consona, censentur ius commune; ità Tiraquel. *de retractu legn.* §. 9. *gl.* 2. *n.* 54. Tunc autem cẽsentur iuri communi dissona, quando sunt contraria iuri Diuino, vel Canonico; ità Hostien. *cap. Qualiter, de accusat.* vel etiam iuri ciuili, vel naturali rationi, deficiente iure. Instit. *de iur. natur.* §. *Quod verò naturalis ratio*, & ideò Iudex dubius debet consulere superiorem: Verùm, si inconsulto Papa, ferret sententiam, sententia non annullaretur ex isto capite, quia Principem non consuluit, sed ipse Iudex veniret puniendus; & ità apud Panorm. 2. *decretal. tit. de fid. instrumentorum, cap. Pastoralis* 8.

PARAG. III.

Continuantur Textus præcedentes.

SVMMARIVM.

1 *Post publicatas attestationes, an possit pars instrumenta producere*
2 *Falsitas instrumenti, &c. probatur per testes.*
† *Littera defectus non vitiat rescriptum.*
† *Instrumenta communia edi non faciens Iudex parti petenti, licitè appellatur ab eo.*
3 *Scriptura contraria producta ab eodem, non faciunt fidem.*
† *Debiti instrumento si exprimitur causa, condemnabitur debitor, &c.*
4 *Ordinarij authoritate, potest Notarius tabellionis mortui notas in publicam formam redigere.*
† *Instrumentum exemplatum per tabellionem habet vim instrumenti.*
† *Iusta causa exemplandi originale,*
5 *Ecclesia an deroget fides instrumentorum.*

1 POst publicatas attestationes, potest vtraque pars instrumenta producere vsque ad sententiam definitiuam. Itẽ consuetudo loci facit Instrumentum authẽticum, *ex cap. Cum dilectus* 9. quia consuetudo potest facere de non plena plenam probationem,

2 Falsitas instrumenti, vel quod deest instrumento, potest probari per testes, *ex cap. Cum Ioannes* 10. Item defectus litterę non vitiat rescriptum *cap. ex parte* 11. Quando litigatur, si vna pars, sibi petat tradi instrumẽta cõmunia, & Iudex hoc nõ curat, potest licitè appellare, & quidquid tentatur post appellationem, non valet; ità *cap. Perpetuus* 12. ideo producens instrumentum, si habet prothocollum, cogendus erit petenti aduersario illud exhibere, præmisso iuramẽto; aut probatione, quod illud habeat, vt ille, contrà quem instrumentum producitur, possit ipsum falsum allegare: Cou. *pract. cap.* 19. *n.* 3. nam præsumptio est contrà Notarium celantem prothocollum, & nõ creditur dicenti, se illud amisisse, nisi probet. Farinac. *in prax. crim. part.* 6. *tit. de simulat. & falsit. quæst.* 154. *n.* 40. nec in hoc crederur eius iuramento, nisi cum iuramento concurrant aliæ præsumptiones. Farinac. *quæst.* 154. *n.* 41.

3 Scripturæ contrariæ ab eodem productę non faciunt fidem, quia inuicem sibi derogant, *ex cap. Imputari* 13. quia ex contrarietate arguitur falsitas. Cou. *var. lib.* 2. *n.* 2. Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 41. *n.* 2. & alij. Item si instrumento debiti exprimitur cau-

causa, cõdemnabitur debitor; nisi probet, id non debere, si non eximitur, necesse est vt creditor probet id esse debitum, *ex cap. si Cautio* 14.

4 Notarius si aliqua instrumenta redacta in notam non perfecerit, & moriatur, aliùs Notarius, auctoritate Iudicis ordinarij, ad petitionem partium, poterit illa ad publicam formam redigere, & habebunt perpetuam firmitatem *ex cap. Cum Tabellio* 15. Requiritur tamen, vt pars, cuius interest, citetur. Boer. *decis.* 37. *n.* 7. Socin. *reg.* 231. Cou. *pract. cap.* 21. *n.* 6. Instrumentum exemplatum per tabelionẽ auctoritate Ordinarij habet eandẽ vim cũ originali *cap. si Instrumenta* 16. Quando est eadem persona tabellionis, quæ scripsit originale, & quæ scripsit exemplum, tunc exemplum plenam fidem facit, sicut, & ipsum originale, absque alia Iudicis auctoritate, cùm idem tabellio de eodem actu possit plura instrumenta facere. Felin. *in cap. Albericus n.* 2. & alij. Iustæ autem causæ exemplandi originale sunt, quando timetur probandi facultas, vt v. gr. si propter antiquitatẽ timeatur, ne possint legi, vel quando originalia transferendà sunt ad locum remotum, & timetur de perditione in via, &c. Quando autem in aliquo instrumento deficit auctoritas, & fides Notarij, quia in aliqua parte instrumenti falsum scripsit, totum corruit instrumentum, etiam quòad alias partes, & capitula separata; ità communiter Doctores. Instrumentum verò confectum à Notario publicè excõmunicato, est nullum: valet tamen quandiù excommunicatio est occulta, quia omnia gesta per excommunicatum occultum, existente communi errore, valida sunt, & ità Tiraquel. *de iure mariti gl.* 8. *n.* 150. Sãchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 22. *n.* 31. & alij communiter.

5 Multa sunt, quæ derogant fidei Instrumentorum: rasura litterarum, immutatio primæ figuræ, &c. Vitium Grammaticæ non vitiat instrumentum, nec error scripturæ impedit causã Iuris: Ratio, quia fides instrumenti auctoritate Tabellionis innititur, cuius fides magis inspicitur, quàm error scribentis: Varietas manus Notarij, subscriptionum identitas, indictionis, omissio, &c. vitiant Instrumentum.

TITVLVS XXIV.

De Præsumptionibus.

SVMMARIVM.

1 *Præsumptio quid sit.*
† *Quotuplex Præsumptio.*
2 *Violenta Præsumptio subdistinguitur.*

1 PRæsumptio est notabilis coniectura, ex certo signo proueniens, quę, alio nõ adducto, ꝓ veritate habetur, Alciat. *tract. de præsumpt.* quæ secundũ canones quadruplex est, temeraria; probabilis; violenta; necessaria, *cap. Afferte* 2. *cap. litteris* 13. *cap. litteris* 14. Temeraria est ex causis leuissimis vana hominis opinio: Probabilis pręsumptio est verisimilis coniectura ex certo signo proueniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur. Alciat. *loco citato.* Violenta præsumptio, quæ etiã Iuris præsumptio dicitur, est verisimilis probatio ex multis indicijs, vel vno multùm efficaci, & veritati proximo collecta: Necessaria Præsumptio Iuris, & de iure dicta, est depositio legis aliquid præsumentis super præsumpto, tamquàm sibi comperto statuentis. Alciat. *loco citato:* Et hæc præsumptio plenam probationem facit, & pro veritate habetur, nec probationem admittit in contrarium, nisi per confessionem partis, restitutionem in integrum.

2 Violenta præsumptio subdistinguitur, nam alia est iuris; & alia iuris, & de iure: Præsumptio iuris est, cũ ius præsumit aliquid, sed non statuit super pręsumpto; & hæc præsumptio recipit contrariam probationem: Pręsumptio iuris, & de iure est, cum ius fingit, & statuit super ficto, cõtra quam fictionem non admittitur cõtraria probatio; Dicitur iuris, quia iure introducta est; & de iure, quia, vt inquit Alciatus super tali præsũptione lex inducit firmiũ ius, & habet eã pro veritate; itaut non admittat probationes incontrarium *leg. antiqua Cod. ad Senat. consult. Velleian.* Est etiam, alia præsumptio, quę dicitur modica, quę veriùs dicenda est opinio hominis, quàm præsũptio, est enim verisimilis aliqua cõiectura, sed quæ sine alijs adminiculis fidẽ solidè non facit, *leg. Instrumenta, leg. rationes.* Sufficit tamen quandoque ad ius-iurandi delationem, vel in supplementum probationis. Bald. *in rubr. cod. de fide Instrumentorum, n.* 9. vel ad suspicionis purgationem *leg. non omnes.*

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum de Præsumptionibus.

SVMMARIVM.

1 *Pœnæ obnoxius, censetur manifestè, & occultè accusat.*
2 *Sententia diffinitiua fertur ex violenta præsumptione.*
† *Puer simplex, &c. præsumitur quod sit futurus bonus.*
3 *Iudicium subterfugiens, præsumitur diffidere de iustitia.*
† *Qui ex duobus illatis vnum negat, alterum affirmat.*
† *Præterita faciunt præsumere de futuris.*
4 *Notitia facti vicini loci ex vicinitate præsumitur.*
† *Quod est notum in remoto præsumitur etiam in proximo.*
† *Ex præteritis præsumitur circa futura.*
5 *Efficacior probatio requiritur ab eo, qui eius probare quod non est verisimile.*
† *Matrimonium, quomodo probetur.*
† *Carnalis copula per violentã præsumptionẽ probatur*
6 *Item*
7 *Præsumptio vehemens non sufficit, vt quis de graui crimine condemnetur.*
8 *Continens in iuuentute, non præsumitur incontinens in senectute.*

† *An teneatur se probare idoneum qui recipit beneficium cum clausula*, si idoneus,&c.

1 Sient manifestè nocens est penæ obnoxius;ità,& occultus,licèt,dicat ludens feci, *ex cap. sicut* 1. *de præsumpt.* Ratio, quia malum semper præsumitur prauè factum Mascard. *de probat. concl* 223.

2 Ex violenta, siuè vehementissima præsumptione, fertur sententia definitiua, *cap. Afferte* 2.Item conuersatio in adolescẽtia facit præsumptionem in senectute, *cap. ex studijs* 3.& ideo puer præsumitur futurus bonus ex actibus bonis,quos facit.

3 Præsumitur nocẽs,qui dilationibus subterfugit iudicium, quia de sua iustitia diffidit,*ex cap. nullus* 4. Qui ex duobus illatis, vnum negat, alterum affirmare præsumitur:Ratio, quia inclusio vnius est exclusio alterius,*ex cap.non ne* 5.Itẽ ex præteritis prẽsumimus circa futura *cap. Mandata* 6. vnde qui bonus anteà fuerat, nunc & bonus præsumitur.

4 Ex vicinitate præsumitur notitia facti loci vicini pro aliquo,vel cõtrà aliquem; ità *ex cap.Quosdam* 7.Item præsumitur notũ in vicino loco quod est notum in remoto *ex cap. Quanto* 8. & ex præteritis prẽsumitur circa futura *ex cap. Scribam*'9.

5 Efficacior probatio requiritur ab eo, qui vult probare aliquid non verisimile *cap. Quia verisimile* 10. Item per nominationem,cohabitationem,& famam probatur coniugiũ;maximè si appareant instrumẽta dotalia,*ex cap. Illud* 11.Item præsumptio violenta probat copulam carnalẽ,& sufficit ad sententiam *ex cap.litteris* 12.Est autem præsumptio violenta,& certa,quãdo quis visus fuit cum muliere iacens in lecto, solus cum sola, nudus cum nuda, Sanchez. *de matrim.lib.* 10 *disp.* 12. *n.*45.Farinac *in prax. crim.p.*5. *quæst.* 136.*n.*171.& alij.

6 Post quam iuuenis contraxit per verbũ de præsenti cum vna;neptis prædictæ spõsæ deposuit ex aduerso,se prius cognitam ab illo iuuene, ad quod probandum produxit testes,qui dicebant,se pro certo credere,quod illa dicti Iuuenis extitit cõcubina,& vidisse eos sæpè vagantes per vias, & nemora,quod esse verum,Iuuenis,& ipsa adstricti iuramento confessi sunt, quare Papa mandat vt separentur *ex cap.*3. *loco* 13.

7 Propter suspicionem vehementissimam non condemnatur quis vt hæreticus,quia præsumptio etiam vehemens non sufficit, vt quis graui de crimine condemnetur,*ex cap. litteras* 14. etiam si tales prẽsumptiones sint probabiles,& euidentes,nec non simul concurrentes. Mascard. *concl.*459.*n.*9. Menoch. *de Præsumpt.lib.*5 *præsump.*40.*n.*10.Nam in criminalibus, ad condemnationem, probationes debent, esse nedum concludentes, sed luce meridiana clariores, *leg. Absentem cum alijs,cod. leg. sciant, cod. de probat.* nisi præsumptiones sint iuris,& de iure,in quibus,quia lex præsumit, & supra prẽsumptionem statuit firmum ius,illam videtur approbare,*cap.his,qui fidem de sponsal.cap.de illis,de desponsat.in Puberum.*

8 Non præsumitur in senectute incontinens,qui in iuuẽtute continuit,*ex cap. Cum in iuuentute* 15. Item Papa quando rescribit pro aliquo, vt recipiat beneficiũ cũ clausula, *si idoneus fuerit*, prouisus non tenetur probare se idoneũ,quia præsumitur idoneus,nisi contrarium ostẽdatur,*ex cap. Dudum* 16.quod intelligendum est de bonitate intrinseca,ideſt de puritate,&c.non autem de extrinseca,ideſt de scientia,quę cũ sit aliquid extrinsecum, homini inesse nõ præsumitur. Viuian.*in praxi iuris-patronat. p.* 12.*lib.*6.*cap.*10.*n.*13.& alij.

TITVLVS XXV.
De Iure-iurando.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum quid sit.*
2 *Quotuplex.*
3 *Iuramenti materia qualis.*
4 *Iuramenti assertorij definitio.*
5 *Iuramentum assertorium triplex.*
6 *Habiles ad iuramentum qui.*
7 *Iuramentum voluntarium quando proponi possit.*
8 *Iusiurandum voluntarium nemo suscipere conetur*
9 *Iuramentum necessarium quando deferatur.*
10 *Iuramenti effectus.*

1 Iuramentum est inuocatio diuini testimonij ad fidem faciendam vel promissionem confirmandã;ad quod non requiritur expressè inuocatio nominis diuini, sed sufficit tacita, vt quando iuramentum fit per tactum Euangelij per creaturas, in quibus specialiter relucet bonitas Dei, vt si fiat per Sanctos, per animam rationalem,&c.

2 Iuramẽtum est vel assertorium,vel promissorium.Iuramẽtum promissorium est, quod contractui,vel alteri actui adijcitur, confirmandi causa; tale est iuramentum obedientiæ *cap. nullus* 5. *fidelitatis cap. veritatis* 53. Item quo quis aliquid iurat, se facturũ, vt iudicio sisti, litem exequi: Requiritur ad hoc iuramentum, quod iurans habuerit animum se obligandi ad faciendum id quod iurat.

3 Materia iuramenti debet esse res licita, & non peccaminosa, quia peccatum esset adducere Deum in testem rei turpis, & illicitæ: quando autem iuramentum fit de re partim licita,& partim illicita, seruandum est,quoad partem licitam.Nauar.*cap.* 12.*n.*17.Suar.*lib.*2.*cap.*18.*disp.* 17. Lessius *lib.*2. *cap* 42.*n.*18.Res indifferens,aut impossibilis, aut impeditiua maioris boni,non est materia iuramenti, quamdiù res illa manet indifferens,&c. Item iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilẽ, quę primariò, & immediatè dirigitur ad bonum publicum, non obligat;secùs verò,si primariò,& immediatè respiciat bonum priuatæ personę, quia quælibet persona potest cedere iuri suo, absque præiudicio tertij.

4 Iuramentum assertorium est, quo rei præsen-

præsentis, vel præteritæ veritas asseritur: tale est iuramentum veritatis, quod præstant testes in dicendo testimonio, *cap. nuper 51. de testibus, & attest.* Item, quo actor iurat, se non calumniandi animo, sed existimãs se bonam causam fouere, ad litigandũ venire, & Reus iurat, se arbitrari iustam causam defendendi, & in aliis se non odio, nec differendi iudicij gratia, pr obationes, vel iuramentum ab alio exigere. Item iuramentum malitiæ, quo quis de malitia suspectus, requirente Iudice, iurat, se nõ malitiosè exceptionem proponere, dilationẽ petere, &c. Similiter iuramentum purgatorium, quod præstat accusatus, vel diffamatus de aliquo crimine, quod non fuit probatũ, iurat, & purgat se id non commisisse, *cap. Quoties. 5. cap. Constitutus 3. de purgat. can.*

5 Iuramentum assertorium est triplex, voluntarium, iudiciale, & necessarium: volũtarium est, quod spontè offertur, & spontè suscipitur, ex connentione partium, per modum transactionis extra iudicium; Iudiciale est, quod in iudicio pars parti Iudice approbante, defert; necessarium est, quod Iudex ex officio, in defectum legitimarum approbationum, vbi neque nihil, neque plenè probatum est, alterutri litigatorum defert; sic dictum à necessitate præstandi.

6 Habiles ad iuramẽtum voluntarium, & iudiciale deferendum sunt, qui rerũ suarum, & qui litis sunt Domini, nisi specialiter prohibeantur: Ad necessarium, solum Iudex ad instantiam partis, vel ex officio: iudiciarium, & volũtarium deferri potest omnibus, qui ex conuentione, vel sibi, vel aliis actionem, & exceptionem acquirere possint, cuiuscunque qualitatis, vel ætatis, vel sexus sint, dũmodò rei cõtrouersę sciẽtiam habeant, *leg. Marcellus §. 1. ff rerum amot.* exceptis Sacerdotibus in leui causa *cap. & si Christus*, secùs in magna, *cap. si Christus*: Necessariũ deferri potest omnibus semiplenè probãtibus, nisi sint viles, infames, periuri, de periurio suspecti *cap. 6. illi, quis homicidium 22. quæst. 5. cap. 3 de cohabit. cleric. & mulier.*

7 Defertur iuramentum voluntarium, & iudiciale in omni actione, quæ in iudicio proponi potest. Iuramẽtum necessarium, ex quauis causa admitti potest. Excipiuntur causæ ciuiles magnæ, & arduæ, criminales, matrimoniales, status, feudales, imò omnes, in quibus inra euidentissimas requirunt probationes. Mascard. *de probat. conf. 358. n. 43. & 44.*

8 Iusiurandum voluntarium delatum nemo suscipere tenetur, qui tamen susceperit, illud præstare debet, nec potest referre *leg. iusiurand. 17.* Iudiciale delatum, aut præstandum, aut referendum, nisi is, qui detulit, de calumnia iurare nolit, *leg. Delata 9.* iusiurandum remiserit. Necessarium ab eo, cui defertur, necessariò est suscipiendum, & præstandum, aut causa cadendum, & præstari debet coram eo Iudice, coram quo causa ventilatur.

9 Iuramentum necessarium defert Iudex, quando actor solum semiplenè probat, v. gr. per scripturam domesticam, per collationem litterarum, per vnum testem, vel per fugam Rei, &c. Tunc defertur iuramẽtum actori, qui nouit veritatem rei, maximè si res petita sit modica, & actor sit honestus. Item propter enormitatem delicti commissi à Reo defertur iuramentum actori, si actor non possit quæ perdidit, vel ablata singula comprobare: Item propter enormitatem rei, & improbitatem litigãdi defertur actoribus iusiurandum, *vt Cod. de iudic. leg. properãdum §. sin autem.* Iusiurãdum voluntarium deferendum est secundum voluntatem partis deferentis; necessarium verò defertur secundùm arbitrium iudicantis.

10 Effectus iuramenti est, vt ex eo detur actio in factum, si iurauerit quis sibi deberi, non adiecta forma, vel rem suam esse; si autem adiecta forma quis iurauerit, dabitur vtilis actio ex eo contracta, & non tantùm ei, sed aduersario.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum quomodo fiat.*
2 *Iurans uti conditiones.*
3 *An possit exigi ab eo, qui creditur peieraturus.*
† *Iurans quando possit vti æquiuocatione.*
4 *Iuramentum regulariter est seruandum.*
5 *Iuramentum factum contrà prius iuramentum, non obligat.*
6 *Pœna periurij.*
7 *Obligatio iuramenti quomodo tollatur.*
8 *Dispensans in iuramento sine causa, peccat.*
9 *Iurans, facta commutatione, non tenetur ad iuramentum vi iuramenti.*
10 *Commutatio iuramenti inæqualis quomodo debeat fieri.*

1 IVramentum aliquando fit per Deum, & aliquando per creaturas, & aliquando est solenne, & aliquando simplex: tunc est solenne, quando fit cum certa iuris formula, & coram Notario, Iudice, tactis Euangeliis, &c. Simplex verò non habet illam iuris formulam.

2 Vt iuramentum sit licitum, tria requiruntur, veritas, iustitia, & iudicium: Veritas requisita ad iuramentum in hoc consistit, vt iurans non leui, sed probabili cõiectura, & prudenter arbitretur, verum esse, quod iurat: iudicium requisitum in iuramento in hoc consistit, vt fiat cum necessitate, & reuerentia: iustitia verò iuramenti in hoc consistit, vt iuramentum non fiat de re illicita, quia sit iniuria Deo, ipsum adducendo in testem rei illicitæ. Reginaldus *lib. 18. num. 87.* & alij communiter.

3 Quando subest iusta causa petendi iuramentum, potest exigi ab eo, qui creditur periuraturus, quia non petitur, nec intenditur periurium, sed iuramentum: Item, posita iusta causa, potest iurans vti æquiuocatione, vel amphybologia; iusta autẽ causa vtendi æquiuocatione est, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis,

poris, ad honorem, vel res familiares tuẽdas, vel ad quemlibet alium actum virtutis; ità vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. Item habet iustam causam vtendi æquiuocatione, qui non interrogatur à suo Iudice, vel si interrogatur à suo Iudice, interrogatur, iuris ordine non seruato, &c.

4 Iuramentum præstitum regulariter est seruandum, si sine æternæ salutis detrimẽto seruari possit, *cap. Si verò 8. cap. Cùm contingat 28. cap. Licet mulieres 2.* & qui non seruat iuramentum, periurus est, *cap. Breui 17.* Obligatio iuramenti propria ex virtute Religionis omninò personalis est, & solummodò iurantem afficit, & non transit ad hæredes; ità S. Thomas *2. 2. quæst. 98. art 2.* Caietan. *ibidem*, Sotus *lib. 8. quæst. 2. art. 2.* Obligatio verò iuramenti promissorij transit ad hæredes, aut successores eius, cui iuratum est; ità Doctores *in cap. Veritatis*, vbi Abbas *num. 3 de iure iur.* Angel. *verbo Iuramentum 5. num. 40.* & alij.

5 Iuramentum factum contrà prius iuramentum, non obligat, quia secundum iuramentum est de re, quæ sine peccato seruari non potest, *l. Traditionibus Cod. de pact. l. Quoties Cod. de rei vendicatione.* Periurium committit, qui iuramentũ mendacio confirmat: Item qui post iuramentum profert contraria, nisi cum iusta, & rationabilis causa excuset.

6 Pœnę periurij sunt, Primò infamia, dummodò solenniter peierauerit, & quod posteà in foro iudiciali sit de periurio condemnatus. *Can. infames 6. quæst. 1. Can. quicunque, quæst. 1. leg. Si quis maior Cod. de transactionibus.* Periurium assertorium punitur criminis pœna stellionatus, *l. vlt. ff. de crim. stelio, l. Si quis maior*, Cou. *in cap Quamuis par. 1.* Periurium simplex priuato homini iniuriam, & præiudicium irrogans, iure Pontificio, pœna depositionis ab ordine, si sit Clericus, punitur; si verò Laicus, pœna, qua punitur Reus ipse: Item periurus priuatur beneficio: Itẽ collatio beneficij facta periuro, est ipso iure nulla, quia periurus est infamis, & collatio beneficij facta infami, est nulla. Filliuc. *tract. 25. quæst. 12.*

7 Obligatio iuramenti tollitur mutatione materiæ cum donatione, & irritatione, commutatione, dispensatione. Fit autem dispensatio, &c. ab eo, qui potestatem habet Ecclesiasticam, vt ab Episcopo, Pontifice, &c. Summus Pontifex in omni iuramento dispensare potest, posita causa rationabili, & secluso damno tertij; Episcopus potest dispensare in iuramentis suorũ subditorum. D. Thomas *quæst. 89. art. 9.*

8 Dispensans in iuramento, sine causa rationabili, peccat, nec valet dispensatio in foro conscientiæ, quia cùm obligatio iuramenti sit de iure Diuino, inferior absque causa non potest in ea dispensare; causa verò dispensandi desumenda est, vel ex grauitate operis, & imbecillitate iurantis, vel ex diminuta operis vtilitate, vel respectu boni communis, & quæcunque causa sufficiens ad dispensandum in votis, sufficit etiam in iuramentis, etiamsi iuramentum fuerit metu extortum, vel fraus, & iniustitia in ipso intercesserit.

9 Quando iuramenti vinculum tollitur commutatione, quando commutatio facta est, iurans non tenetur ex vi iuramẽti, ad illud, in quod facta est, quia illud iuramento non promisit, sed ex pacto, quo illud loco alterius acceptauit; secùs autem est in commutatione voti, quia dum acceptas commutationem, tacitè Deo promittis id, in quod fit commutatio, quæ promissio cùm Deo fiat, habet vim voti.

10 Commutatio iuramenti in æquale, vel minus bonum, quamuis non possit fieri sine auctoritate Prelati, aut alij habentis ad hoc potestatem, illud tamen, quod certum est, melius esse, vnusquisque pro suo arbitratu commutare potest: Vndè omnia iuramenta extinguuntur professione in Religione approbata, sicut & vota; nec refert etiamsi talia iuramẽta cedant in commodum tertij, quia si promissionis verba ad illum directa non sint, nullum ius acquirit; si autem sit acceptatum, non potest commutari ab alio, ipso inuito, nisi commune bonum ità efflagitet.

P A R A G. II.

Textus Sacrorum Canonum.

De Iure iurando.

S V M M A R I V M.

1 *Quando agi possit ad relaxationem iuramenti.*

† *Item quando eo utenatur turpiendo.*

† *Iuramentum præstitum à Prelato de non repetendis, &c. non valet.*

2 *Valet commutatio iuramenti in melius.*

† *Qui iurant Episcopi Papæ.*

3 *Clericus, quando teneatur præstare iuramentum obedientiæ.*

† *In quo casu teneatur quis soluere vsuras.*

4 *Qui iurauit creditori nullum grauamen inferre, non auditur, &c.*

5 *Iuramentum metu extortum, quando seruandum.*

6 *Monachi, &c. qui pro debito Monasterij iurant, quando iuramentum seruare teneantur.*

† *Propter periurium, potest quis à beneficio deponi.*

7 *Quando præsentator, qui iurat præsentatum, & postea contrarium asseruerit, censeatur periurus.*

† *Episcopi, de periurio, grauius quàm alij sunt puniendi.*

† *Hic etiam est iuramentum non alloqui Periurum, &c.*

† *Iuramentum Monachi claustrum ingrediatur non valet.*

8 *Vassallus, qui iurauit Prelato, successoribus iurare non cogitur.*

† *Ecclesia absoluit à iuramento, metu extorto.*

† *Iuramentum contrarium alteri iuramento non est seruandum.*

9 *Periurus est, qui iurauit Ecclesiam defendere, & requisitus non defendit.*

† *Iuramentum in illicitis non valet.*

† *Nec præstitum in præiudicium iuris superioris.*

10 *Vsuras non repetiturum iurans, tenetur seruare iuramentum.*

† *Iuramentum in genere factum quomodo intelligendum.*

1 Ad

1 AD iuramenti relaxationem agi potest, quando obligatio soluendi turpitudinem continet; ita *cap. Ex administrationis 1. de iure-iur.* Item potest peti absolutio a iuramento, quod continet turpitudinem ex parte exigentis, licèt non vergat in præiudicium salutis errãtis, *ex cap. Peruenit 1.2.*
† Item iuramentum præstitum a Prælatô de non repetendis rebus Ecclesiæ, non valet, *ex eodem cap.*

2 Licitum est commutare iuramentum in melius; & qui iurat aliquid facere, interposita conditione, si altera pars non implet conditionem, ipse non tenetur seruare iuramentum, *ex cap Peruenit 2.3.* Item Episcopi iurant Papæ seruare septem, *ex cap. Ego.*
†

3 Nõ tenetur Clericus Episcopo suo obedientiæ iuramentum præstare, nisi ratione administrationis sibi concessæ, *ex cap. Nullus 5.* Qui se obligauit ad vsuras soluendas, soluere non cogitur, nisi iurauerit, quo casu cogitur, sed vsuras solutas potest repetere, *cap. Debitores 6.*
†

4 Qui iurauit creditori nullum grauamẽ super re pignorata inferre, donèc soluerit debitum, non auditur repetens pignus, volendo compensare fructus in sortem, sed debet priùs debitum integraliter soluere, & demùm rem cum fructibus indè perceptis exposcere.

5 Si iuramentum metu extortum potest seruari absq; periculo salutis æternæ, seruandum est. Ecclesia tamen solet absoluere à tali iuramento, *ex cap. Seuero 8.* quia iuramentum, etiam metu extortum obligat quoadusque relaxetur. Cou. *de sponsal. par. 2. cap. 3 § 5. num. 2.* Guttier. *de iuram. confirmatorio par. 1. cap. 56. nu. 20.* Folerus *in sum. lib. 4. cap. 22. nu. 2.* & alij.

6 Abbas, & Monachi, qui pro debito Monasterij iurant stare obstagio, & fideiussores, qui iurauerunt creditorem indemnem seruare, iuramenta seruare debent, alioquin illis debet interdici ingressus Ecclesiæ, *ex cap. Ex rescripto 9.* Item propter periurium potest quis à beneficio deponi, & periurus dicitur ille, qui facit contrà iuramentum suum, non ex necessitate, sed ea voluntate, *ex cap. Querelam 10.* Est tamen priuatus periurus non ipso facto, sed priuandus per sententiam; ità Azor. *cap. 12. quæst. 9.* Sayrus *cap. 9. nu. 8.* & alij.
†

7 Si præsentatus iurat præsentanti augere solitam pensionem, & postea contrarium iurat, instituenti valet secundum iuramentum, & non primum, sed periurus ab Ecclesia debet remoueri, *ex cap. Tua nos 11.* Dignitas delinquentis aggrauat periurium, & ideo Episcopus, qui iuramentum transgreditur, est grauiùs puniendus, ratione dignitatis, *ex cap. Cum quidam 12.* Illicitum est etiam iuramentum eorum, qui iurarunt non alloqui patrẽ, aut matrem, aut fratres, aut de non præbendo subsidio cõiuncto, *ex cap. cit.* Itẽ iuramentum Monachi nõ remanẽdi in claustro, in quo professus fuerat, est illicitum, quia est contrà stabilitatem professionis, & ideò grauiter est puniendus, *ex cap. Sicut nos 13.*
†
†
†

8 Vassallus, qui iurauit Prælato fidelitatem, eius filij eam seruare tenentur, sed nõ iterum iurare successoribus, *ex cap. Veritatis 14.* A iuramento per metum extorto Ecclesia solet absoluere, & si ipsum non seruent, mortaliter non peccant, *ex cap Verum 15.* Sicut etiam non est seruandum iuramentum contrarium alteri iuramento licitè facto, *ex cap Veniens 16.*
†
†

9 Qui iurauit Ecclesiam defendere, & requisitus, sine iusta causa recusat, periurus est, nec eum defendit appellatio, *ex cap. Breui 17.* Qui iurat rem illicitam facere, non obligatur, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis; secùs verò si putaret rẽ esse licitam, quia tunc debet seruare iuramentum in eo, in quo licitè seruari potest: si verò rem putans illicitam iurauit, & est res licita, debet obseruare iuramentum, & pœnitere de peccato, *ex cap. Quanto 18.* Non valet iuramentum præstitum in præiudicium iuris superioris, *ex cap. Venientes 19.*
†

10 Qui iurauit non repetere vsuras, tenetur iuramentum seruare: potest officium Iudicis implorare, ne eas soluere cogatur, *ex cap. Ad nostram 2. 20.* Iuramentum in genere factum, non obligat, tamquàm temerarium, & contra iuris obseruantiam.
†

P A R A G. III.

Continuantur Textus.

De Iure-iurando.

S V M M A R I V M.

1 *Qui tenetur vni iurare, si alteri iuret [illegible] validè.*
† *Iurans parere non tenetur illicitis.*
2 *Quando iuramentum viri, & vxoris, qui se separant, sit validum.*
† *Iurans contrahere cum muliere, superueniente fornicatione, &c. an obligetur.*
† *Iuramentum de non accusanda vxore, &c. est temerarium.*
3 *Iuramentum, &c. etiam per Religiosos præstatur.*
† *Iuramenta, quæ sunt contrà vtilitatem, non tenent.*
4 *Iuramentum an sit seruandum ab eo, qui consentit in alienationibus, & si sit de non contrauenendo.*
5 *Bello iniusto occupans aliquid, tenetur illud restituere.*
† *Clerici, quando tenentur præstare iuramentũ Laicis.*
† *Iurans non esse contrà aliquem, potest se defendere.*
6 *In causis vsurarijs, potest Iudex exigere iuramentum, &c.*
† *Constitutus in dignitate non potest alienare, &c.*
7 *Quid agendum, quando mulier iurauit, aliquem esse suum maritum, sed non probat.*
8 *Item quando quis iurauit seruare statuta edita, &c.*
9 *Iuramentum decisorium sine causa recusari non potest.*
† *Actore non probante, Reus absoluitur.*

1 SI iuramentum vni debitum, alteri præstetur, illicitum est, & eo non obstante, cui debetur, præstandum est, *ex cap. Ex te 21.* Qui iurauit stare mandato alicuius, non tenetur parere, si præcepit illicita, quia iniusta præcipienti parendum non est, *ex cap. Quinta valle 23.*
†

2 Quan-

2 Quando vir, & vxor separant se à Thoro, & iurant nunquam se debitum petituros; si alter deinde non vult continere, vxor est cogenda cẽsuris, vt debitum reddat, *ex cap. Tua nos* 2.24 Is, qui iurauit cum muliere contrahere, propter superuenientem fornicationem, vel deformitatem, eã repellere potest; propter antecedentẽ non, *ex cap. Quemadmodum* 25. Item si vir iurauit non accusare vxorem, temerarium est iuramentum, sed si iurat non accusare de adulterio, iuramentum tenet; & ideò accusare non debet, licèt possit denunciare, *ex cap. citato*.

3 Licitè, & ex causa necessaria, etiam per Religiosos iuratur, *ex cap. Et si Christus*. Iuramenta contra vtilitatem Ecclesiasticam non tenent, sed sunt periuria, & pro ijs imponenda est pœnitentia, *ex cap. Sicut* 2.27.

4 Quando quis, constante matrimonio, consentit in alienationibus rerum dotalium, &c. & iurat non contrauenire, hoc factum, licèt sit per leges prohibitũ, vxor tamen tenetur seruare iuramentum sine vi, & dolo præstitum, & non redundans in alterius præiudicium, & quod seruatum non vergit in interitum animæ, *ex cap. Cum contingat* 28.

5 Mouens bellum iniustum compellitur restituere, quæ per violentiam occupauit, & soluere à iuramento illos, quos iuramento constrinxit; & si renouat, est cogẽdus excommunicatione, & eius terra interdicti sententiæ est supponenda, *ex cap. Sicut* 3.29. Clerici, qui non habent temporalia à Laicis, non debent eis fidelitatem iurare; secus verò si ab eis habeant feudũ, &c. *ex cap. Nimis* 30. Qui timenti conspirationem iurat de non essendo contra eum, potest, tali iuramẽto non obstante, in proprijs, & Ecclesiæ suæ causis stare contra eum, *ex cap. Petitio* 31. quia promittens alios defendere, non intelligitur cõtra seipsum. Menoch. *consil.* 123. *num.* 40. Sanchez *de matrimonio lib.* 4. *disp.* 7. *num.* 5. Clauis-regia *lib.* 5. *cap.* 7. *nu.* 6. & alij.

6 Quando agitur de vsuris, potest Iudex in qualibet parte litis ex officio suo, deficientibus probationibus, exigere à partibus iuramentum de veritate dicenda, *ex cap. Ex litteris* 32. Si positus in dignitate, etiã Laicali alienat bona dignitatis, non valet alienatio in præiudicium suæ dignitatis, &c. & si alienando iurauit non reuocare alienationem, iuramentum non tenet, *ex cap. Intellecto* 33. quia Principes res suæ Regiæ Coronæ donare, aut alienare nõ possunt, Con. *in cap. Quamuis pactum par.* 2. §. 2. *num.* 4. & communiter Doctores.

7 Si mulier iurauit, aliquem esse suum maritum, & non probet, quod iurat; vnde Iudex absoluit virum, non debet huiusmodi Iudex dare licentiam mulieri, vt alteri nubat, nè videatur auctor periurii, nec debet prohibere hoc, nè fortè impediat legitimum matrimonium, sed potest totum relinquere conscientiæ mulieris, *ex cap. Muliers* 34.

8 Qui iurauit seruare statuta, edicta, & postea ap illud iuramẽtũ aliter nõ iurãdo, promisit seruare edenda, non tenetur ex statuto ad hęc, licèt teneatur ex promissione, *ex cap. Clericus* 35.

9 Iuramentum litis decisorium, sinè iusta causa recusari non potest: delatum verò a parte licitè recusatur: in actione verò famosa, non licet Reo referre iuramentũ, *ex cap. Iuramentum* 36. Item Actore non probante, Reus est absque omni onere absoluendus: si verò est præsumptio pro Actore, defertur iuramentum Reo ad ostendẽdam suam innocentiam, & si Iudex, considerata circũstantijs personarum, & causæ, iudicet Actori deferendum, illi, & non Reo dare debet *ex cap. cit.* §. *fani*.

PARAG. IV.

Continuantur textus supradicti.

SVMMARIVM.

1 *Prælati iurantes, &c. non obligantur ad impossibilia.*
2 *Iudex Ecclesiasticus potest cogere Iudicem Laicum.*
3 *Quid agendum ab electo ad Prælat uram, si antè confirmationem iurat de calumnia.*

1 Prælati, Canonici, Rectores, & Officiales locorum, qui iurant statuta, & cõsuetudines scriptas seruare, & nõ scriptas, & Ecclesię seu loci, prętextu talis iuramẽti non obligantur ad illicita, impossibilia, vel obuiantia Ecclesiasticæ libertati, nec ad id intentio sua debet referri; ità *ex cap. Contingit* 1. *de iur. iur. in* 6.

2 Iudex Ecclesiasticus debet sub censura Ecclesiastica compellere Iudicem Laicũ, vt seruet ius Canonicum, quamuis sit cõtra ius ciuile, quando interuenit peccatum; ità *ex cap. licet mulieres* 2.

3 Electus ad prælaturam, si ante confirmationem, orta lite, iurat de calumnia, & postea posuit duas positiones inter se cõtrarias manifestè, seu duas responsiones inter se contrarias, præst at oppositionibus obiectis a parte aduersa, nisi iusta causa, & rationabilis extitisset, eijcitur ab electione, & beneficio, vt periurus, prout etiam eijcitur si illius Procurator eius nomine huiusmodi contrarias positiones, vel responsiones fecerit, electo expressè ipso mandante, vel sciente, vel ratum habente, seu non recusante, *ex cap. Cum impositi.* 3.

TITVLVS XXVI.

De Exceptionibus.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio quid sit.*
† *Duplex.*
2 *Exceptiones litigantium vndè proueniant.*
3 *Actor quomodo dicatur inhabilis.*
4 *Item Reus.*
5 *Item Procurator.*
6 *Exceptiones actionem continentes, quæ.*
7 *Exceptiones dilatoriæ solutionis, quæ.*
8 *Quæ sint peremptoriæ exceptiones*
9 *Peremptoria semper obstat agenti.*

1 Exce-

1 Exceptio est defensio ex iusta,& legitima causa,competens aduersus id, quod ab aduersario intéditur *leg. Cum nondum 4.leg.si quidam 9.* quæ vel est dilatoria, aut peremptoria. Dilatoria est, quæ rem, &iudicium differt,sed non tollit,&est duplex,vel declinatoria iudicij,vel dilatoria solutionis: prima vel concernit Iudicem, vel litigantes, vel modum actionis instituendæ,quę concernit Iudicem,partim ex ipsius persona, partim ipsius occasione prouenit,ex ipsius persona prouenit,exceptio fori incompetentis,pręuentionis, suspicionis, inhabilitatis, &c. Occasione Iudicis proueniunt exceptio loci non tuti, termini angusti, feriarum,&c.

2 Exceptiones,quæ litigantes concernũt, aliæ proueniunt ex actore,vel reo, aliæ ex Procuratore, &c. Ex actore prouenit exceptio non impetratæ veniæ, si agat contra personam,cui reuerentia debet,causæ connexæ non diuidendæ, &c. Ex persona Rei,exceptio reuocandi domum competens,legatis tempore legationis, ex negotio ante contracto ex parte vtriusque,exceptio iusti impedimenti, contumaciæ, cautionis,inhabilitatis,&c.

3 Actor dicitur inhabilis in totum, vel in partem: In totum si minor viginti-quinq; annis,nec tutoris, vel curatoris auctoritatem adhibeat; si mẽte,captus, furiosus, mutus, surdus, prodigus per sententiam tamen declaratus excommunicatus, &c. Item filius dicitur inhabilis abſque assensu Patris,nisi causa sit de rebus castrensibus, vel quasi castrensibus, vel etiam pro dote aduentitia.

4 Reus etiam dicitur inhabilis, si minor sit vigintiquinq; annis, mutus,surdus, furiosus,prodigus,seruus,&c. Item si magistratum cum imperio gerat, & causa sit ciuilis; non tamen si minorem magistratum gerat,*leg. nec Magistratibus ff.de iniuriis*. Est etiam inhabilis filius-familias, si de aduẽtitijs, in quibus vsus fructus est Patris, & profectitijs bonis agatur, quia tunc Pater est conueniendus. *leg. vltima cod. de bonis qua lib.* In alijs causis etiam ex delicto prouenientibus,absq; Patris assensu, conueniri potest,*leg.tam ex contract. ff. iudic.leg.filiusfamilias 39.ff. de oblat. & action.*

5 Ille Procurator dicitur inhabilis,qui est excommunicatus, *cap.Intelleximus 7.de iudic.* Item infamis,si detur pro personis Ecclesiasticis,non tamen pro laicis. Panorm.*in cap.Imperatorem 4.n.9. de iuram.Calum.* Itẽ Monachi, & Clerici tàm Regulares, quàm Seculares in quolibet gradu constitui in temporalibus, non autem in spiritualibus,*cap.Sed nec Procuratores 4.nè Clerici,vel Monachi.*Item minor 25. annis *cap. Qui generali 5.* Item est inhabilis Procurator, qui nullũ habet mandatum,*cap. uenostra 4. de Procurat.* vel si habet,non est legitimum *cap. Procurator 38.de electione in 6.* vel habet tantùm mãdatum generale,cùm in negotio requiratur mandatum speciale,*cap.Qui generaliter 5. de Procurat. in 6.*

6 Exceptiones modum actionis continẽtes,sunt,quòd libellus sit ineptus,incertus *cap.examinata 15.de iudic.* Ante tempus,& cõditionem, & pluſquàm debetur, petitum, *cap. Vnic de plus petitis.*

7 Exceptiones dilatoriæ solutionis sunt, per quas debiti solutionem quis in aliud; quàm petatur tempus differendum esse proponit, vt si quis à principio obtineat, non teneatur soluere,nisi post triennium, quod post annum teneretur soluere, *leg. vniuers. cod. de precibus Imperat. offerend.*

8 Peremptoriæ exceptiones sunt, quæ in totum ius agentis,& intentionem perimunt.Glos. *in cap. except. 12.* vt est exceptio transactionis,præscriptionis, iuramenti, maximè delatorij, pacti iuramẽto firmati, rei iudicatæ ab eo,qui potestatem habuit iudicandi,si quid contrà leges,canones,actum dicatur;si agenti,quod sua non intersit agere obijciatur: Harum quædam dicuntur peremptoriæ litis,quæ impediũt litis ingressum, & aduersus agentem omni tempore,vel in ipso iudicij limine:aliæ dicuntur simpliciter peremptorię, quę litis ingressum non impediunt, sed post litẽ contestatam,in quacumque litis parte,ante sententiam,non potest, nisi in certis casibus,vt de manifesta sententiæ nullitate, vel manifesta iniquitate, debent opponi, *leg. 2.cod.senten.rescript. non posse. leg. Præscriptionem cod.de excep. cap. 12. cap. in tua, qui matrimonium accusare possunt.*

9 Peremptoria semper obstat agenti, & perimit actionem,quam inuenit perimendam,vel saltem intentionem excludit; & harum exceptionum quædam sunt perpetuæ,& quædam temporales;aliæ personales,aliæ reales: Personales non transgrediuntur personas earum, quibus competunt rei cohærentes, alicui competunt,& omnibus,qui ex persona illius conueniũtur,*leg. exceptiones.* Et licèt exceptio sit propriè perpetua, non modò ad triginta annos,sed in æternum *leg si Pactum 6. verb. sine tempore*, etiam cum actio tantum est annalis; nam quę annua sunt ad agendum, eadem perpetua manent ad excipiendum, *leg.Quæsitum §. an vltro,de peculio.* Sunt tamen aliæ vi pacti temporales, ex vi pacti temporalis,v.g. ne contrà quinquẽnium agatur,*leg.3.vel rescripti,leg.vltim.cod.qui bon.cedune poss.§.appellationes.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Dilatoria exceptio quando proponi debeat.*
2 *Dilatoria solutionis exceptiones item quando possunt proponi.*

1 Dilatorię exceptiones, sint declinatorię iudicij,ab initio,&in litis ingressu proponi debent; alioquin omissæ non repetuntur, vt neque contrà Iudicem, vel eius Incompetentiam proponantur, quæ defensionem præcedere debent, *cap. Inter Monasterium 20.*

2 Dilatoriæ solutionis exceptiones post libellum oblatum ante litem cõtestatam intrà

intrà terminum à Iudice assignatũ, quandoque opponi possunt, *cap. Pastoralis 4* Post litis contestationem, quandoq; dilatoriæ opponi possunt, vt v.g. si de nouo sunt ortæ, *cap. Insinuante 25 de offic. iudic. delegat. cap. Pastoralis 4*: si ante quidem natæ rerum post litis contestationem ad excipientis notitiam peruenerint, *cap in nostra 24 de Procurat. cap. Pastoralis 4* si Iudex parti eiusdem exceptiones reseruauit, *cap ad dissoluendum 13. de desponsat. impuberum*; si continuò tractum eę habeant, si est exceptio excommunicationis.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio ad quid introducta.*
2 *Causa inducentes exceptionem, quæ?*
3 *Exceptiones calumniosa, non admittenda.*

1 EXceptio introducta est ad commoditatem maximam, interest enim potiùs retinere, quàm post solutum repetere. Cõparatæ igitur sunt exceptiones, defẽdendorum eorum gratia, cum quibus agitur ideò omnis exceptio apponitur aut quia factum est, quod oportuit vt exceptio rei vẽditæ, & traditę, & rei iudicatæ, aut quia factũ est, quod nõ oportuit fieri, vt exceptio violẽtiæ, & doli mali, aut quia nõ est factũ quod fieri debuit. Itẽ exceptiones alię traditę sunt propter fauorem vt Velleiana, aliæ propter causam à naturali ęquitate non abhærentem vt exceptiones non numeratæ pecuniæ.

2 Variæ sunt causę quæ inducunt exceptionem, ius, metus, dolus, res litigiosa, trãsactio pactorũ expressa, & tacita iuratio, iudicatio ex errore: I. ein tẽpus circa non numeratam pecuniam, sed & de sorte, excipitur: Item fauor, odium, ætas procuratio falsa, militaris pręrogatiua suas exceptiones inducunt.

3 Calumniosæ exceptiones admitti non debent, nam calumniari dicitur, & præsumitur, qui cõtrà ea quæ ex proprijs instrumentis, vel sigillis nouerit vera esse: ista igitur exceptio, tãquam calumniosa, admitti non debet.

PARAG. III.
Textus Sacrorum Canonum. de Exceptionibus.

SVMMARIVM.

1 *Testis per exceptionem quando reijciatur à testificando.*
† *Reo excipiente de excommunicatione contrà actorem, non obstat communionis replicatio.*
2 *Habens plura beneficia, non potest opponere contrà alium &c.*
† *Iudex debet statuere tempus ad dilatorias proponendas.*
3 *Excommunicatus, licèt possit se defendere, tamen non potest reconuenire.*
† *Excipiens non fatetur ea, quæ in exceptione includuntur.*
† *Exceptio falsitatis instrumenti semper potest opponi.*
† *Delictum personæ non redundat in damnum Ecclesiæ.*
† *Exceptio falsi in quacumque parte Iudicij opponi potest.*

1 SI testis de crimine contrà eum excepto conuincitur, vel alias cõuictus appareat, reijcitur testificando, quia testes debent esse absque infamia, vel suspicione, vel manifesta macula; tamen de crimine non punitur, si non tangit negotium principale; ità *ex cap. Denique 1. de except.* Titius communicauit scienter cum Martino excommunicato maiori excõmunic. & sic Titius est excõmunicatus. Titius accusat Martinũ; Titius excipit cõtrà Martinũ, ipsum esse excommunicatum maiori excõmunicatione, & per consequens non posse accusare: Martinus replicat, dicens, Tu non potes cõtrà me excipere, quia tu sciẽter mecum participasti in locutione, &c. Prima, exceptio valet: Secunda, verò non, quia maiori excommunicatione ligatus non potest accusare ligatum minori excõmunicatione, qui prohibetur solummodò a participatione Sacramentorum, *ex cap A nobis 2.*

2 Habens plura beneficia, non potest excipere contrà alium de pluralitate beneficiorum, *ex cap. Cum Ecclesiasticè 3.* Iudex statuere debet terminum ad probãdum omnes exceptiones dilatorias, post quem, excipientem non audiet, nisi priùs illas fuerint protestati; vel aliqua de nouo compete**n**s orta fuerit; vel si iurent postmodũ peruenisse ad notitiam suam, *ex cap. Pastoralis 4.* Post terminum à Iudice præstitum, nullus dilatorias exceptiones opponere poterit, etiam si lis nõ sit cõtestata. Rebuf. *in tract. except. n. 395. &c.*

3 Excommunicatus potest & appellare, & facere omnem legitimam defensionem in iudicio, sed agere, & reconuenire non potest *ex cap. Cum inter 5.* Dummodò tamen huiusmodi defensio non habeat naturam impugnationis. Si Reus, a quo res petitur, excipiat de permutatione ipsius rei cum actore, non fatetur per, hoc actorem fuisse Dominum, *ex cap Cum venerabilis 6.* Item exceptio falsitatis instrumenti non solùm potest abijci antè, sed etiam post sententiã latam vsque ad viginti annos. Item delictum personæ nõ debet redũdare in damnum Ecclesiæ, *ex cap. citato*. Confiteri non censetur excipiens ea, quæ in exceptione includuntur. Cou. *var. lib. 1. cap. 1. n. 2.* Cacheran. *decis. 178. n. 9.* Petrus Gregor. *Syntagmatum iuris lib. 21. cap. 17. n. 3.* Vnde excipiens se esse excommunicatum, non fatetur, se excomunicatum. Mascard. *de probat. concl. 700.* Exceptio falsi Procuratoris in quacunq; iudicij parte opponi potest. Rebuff. *in tract. except. n. 389.* Bellacomba *tom. 1. comm. opin. lib. 4. tit. 24. n. 36.* Menoch. *consil. 345.* etiamsi opponens vsque ad finem litis conscius omiserit exceptionem, nec etiam scientia redditur iudicium validum, sed consensu, & mandato Domini, cuius nomine agitur.

Bald.

Bald. & Iason. *in l. licèt cod. de Procurat.* Menoch. *consil. 345. n. 12.* Pinel. *in leg. 1. cod. de bonis maternis part. 3. n. 32.*

PARAG. IV.

Continuatur Textus.

SVMMARIVM.

1 *Appellans propter exceptionem non admissam, ipsam probare debet.*

† *Pro defensione sua Ecclesiæ, opponere quis potest exceptionem excommunicationis, &c.*

2 *Agens pro ordinatione suæ Ecclesiæ, est absoluendus, si excipiatur quod sit suspensus, &c.*

3 *Rescriptum impetratum à Sede Apostolicâ valet, etiam si non fiat mentio de excommunicatione, &c.*

4 *Per exceptionem excommunicationis, non debet quis excludi à prosecutione appellationis;*

5 *In qualibet parte litis potest reus opponere exceptionem excommunicationis.*

6 *Exceptio rei iudicatæ non competit Reo absoluto, si possidebat.*

† *Requisita, vt alicui obstet exceptio rei iudicatæ.*

7 *Valet rescriptum impetratum ab excommunicato super prosecutione appellationis, &c.*

1 QVi propter exceptionem non admissam appellat coram Iudice appellationis, probare debet, exceptionem esse veram, *ex cap. olim* 7 Pro defensione suæ Ecclesiæ, opponere quis potest exceptionem, nec per replicationem excommunicationis, & periurij, vel aliã legitimã exceptionẽ, nec per replicationẽ excõmunicationis, & periurij repelli potest, *ex cap. Dilecti* 8.

2 Quando quis agit pro ordinatione Ecclesiæ, & excipitur contrà eum, quòd sit suspensus, & amotus à beneficio, & agens vult probare, hanc sententiam esse falsam, est ad cautelam absoluendus, ne retardetur ordinatio Ecclesiæ, *cap. Apostolicæ* 9.

3 Valet rescriptum impetratum in causa appellationis, excommunicationis (exceptione non obstante) licèt de excommunicatione lata post appellationem, de grauamine nõ faciat mẽtionẽ, *ex cap Dilecti* 10.

4 Per exceptionem excommunicationis quilibet etiam principalis actor non debet excludi à prosecutione appellationis, etiam si ei opponatur excommunicatio; & conceditur omnis legitima defensio in iudicio *ex cap. significauerunt* 11.

5 Reus in qualibet parte litis potest opponere exceptionem excõmunicationis, & si malitiosè hanc omisit, vt defatiget actorem sumptibus, & laboribus, in expẽsis condemnabitur: si verò actor erat publicus excommunicatus, debet eum Iudex repellere, etiam si Reus non excipiat, *ex cap. Exceptionem* 12.

6 Si tempore litis motæ aduersarius desinebat rem dolo possidere, & ità absolutus fuit à Iudice: si deindè eam possideat, iterùm exceptio rei iudicatæ illi petenti non nocet *ex cap. Aduersario* 13. Tria copulatiuè concurrere debent, vt alicui obstet exceptio rei iudicatæ, nempè identitas rei, identitas personarum, identitas causæ agendę, & actionis. Surd. *consil. 312 n. 1. de alimen. tit.* & alij. Et sufficiunt saltem interpretatiuè concurrere. Socin. *consil. 18. n. 44.* Surd. *consil. 312. n. 6.* & alij.

7 Valet rescriptum ab excommunicato impetratum super prosecutione appellationis, licèt de excommunicatione nõ fecerit mentionem, *ex cap. venerabilem* 14.

PARAG. V.

Continuatur præcedens materia.

SVMMARIVM.

1 *Excipiens de excommunicatione contrà auctorem, debet exprimere speciem excommunicationis.*

2 *Exceptio rei iudicatæ per Iudicem Ecclesiasticum admitti debet, & è contrà.*

1 EXcipiens de excommunicatione contrà Actorem, debet in publica notione exprimere speciem excommunicationis; & nomen excommunicatoris: Debet etiam apertissimis documentis, infrà octo dies, non computando diem, in quo excipit, probare hanc exceptionem, quam si non probauerit, Iudex condemnabit illũ in expensis, quas Actor fecerit his diebus, & procedat in causa: si verò posteà durãte iudicio, iterùm excipiatur de eadem excommunicatione, vel de alia, & probatur Actor, in sequentibus excludatur; donec absoluatur; sed priùs acta tenent, *ex cap. Pia 1. de exceptionibus in 6.* Item vltrà duas vices, hęc exceptio excõmunicationis non ampliùs opponatur, nisi emergat noua excõmunicatio, vel superueniens noua, & euidens probatio de antiqua: Item si talis exceptio proponatur post rem iudicatam, tãtùm impediet executionem, sed sententia habebit suum robur: Item si Actor sit publicè excommunicatus, Iudex eũ quandocunque ex officio suo repellat, etiamsi Reus de hoc non expediat, *ex eod. cap.*

2 Iudex sæcularis, quando corã se agitatur causa, & excipitur de re per Iudicẽ Ecclesiasticum iudicata, debet admittere talem exceptionem, alioquin cogi potest ab Ordinario: similitèr Iudex Ecclesiasticus admittet exceptionem de re per Iudicẽ Laicum iudicata, si non est contrà animam; alioquin castigetur à suo Superiore, *ex cap. Cum quidam* 2.

TITVLVS XXVII.

De Præscriptionibus.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio tripliciter sumitur.*

2 *Ad eam quatuor requiruntur.*

† *Primò, possessio.*

3 *Bona fides.*

4 *Titulus promptus.*

5 *Continuatio possessionis iuxtà præfinitum tempus.*

6 *Tempus requisitum ad præscriptionem rerum immobilium contra priuatos inter præsentes, &c.*

† *Contrà rem immobilem Ecclesiæ.*

7 *Bona Principis, quo tempore præscribantur.*

8 *Contrà præscriptionem datur restitutio in integrum.*

1 PRæscriptio tripliciter sumitur apud Iuristas, & plerosque Theologos: Primò generaliter, vt idem sit, quod exceptio, quæ opponitur ad excludendam actionem intentam ab Actore: Secundò, accipitur specialiùs pro exceptione peremptoria prouenientè ex eo, quod tempore legibus definito rem aliquam possedimus, vel iure aliquo vsi sumus, vel quod alius tali tempore ab vsu alicuius rei cessauetit: Tertiò, accipitur pro acquisitione dominij, vel Iuris alieni, tempore legis definito præueniente, & sic præscribitur ager, domus, &c. Cou. *ad regulam possessor par. 2. §. vnico, n. 4.* Filliuc. *tract. 31. n. 182.* Layman. *lib. 3. tract. 1. cap. 8. n. 2. & 5.* Less. *lib. 2. cap. 6. dub. 3. n. 2.*

2 Ad legitimam præscriptionem quatuor requiruntur: Primò, possessio: Secundò, bona fides: Tertiò, titulus præsumptus: Quarto, continuatio possessionis cum bona fide, per tempus lege præscriptum.

† Primò, ponitur possessio, quia sine possessione non datur præscripito, & ideo Tutor, & Curator non possunt præscribere res pupilli, quia non possident nomine proprio. Reg. *iur. in 6.* quæ possessio, vel debet esse ciuilis, quia scilicèt solo animo rei nostræ & absentes insistimus; vel ciuilis, & naturalis, qua videlicet corpore, & animo res possidetur: naturalis autem sola non sufficit: hinc habens rem apud se depositam, & commodatam, vel conductam, non potest eam præscribere.

3 Secunda conditio est bona fides, quia possessor malæ-fidei vllo tempore nõ præscribit, & iure Canonico derogatum fuit omni consuetudini, aut legibus ciuilibus assentientibus dari posse præscriptionem absque bona fide: Bona fides autem est credulitas, qua quis sibi prudenter persuadet, rem esse suam, vel saltem nescit esse alienam, modo ignorantia non sit crassa, & affectata, *cap. Si diligenti* 17. Item qui bona fide incepit possidere, sed postea nondum finito tempore requisito, malam fidẽ habuit, non præscribit: Item non præscribit, qui cum dubio cœpit possidere: Ratio, quia non dicitur possidere bona fide: si vero dubium suboritur, postquam rem cœpit bona fide possidere, dubitans potest rem præscribere, adhibita prius diligentia ad inquirendum, an res sit aliena, quia cùm cœperit possidere bona fide dubitando, erit melior eius conditio. Cou. *in reg. possessor par. 2 § 7* Lessius *lib. 2. cap. 7. num. 12.* & alij. Mala fides auctoris nocet successori generali, & non particulari, idest hæredi, & non legatario: Ratio, quia hæres, seu successor generalis repræsentat personam defuncti; ita vt iuris fictione censeatur vna, & eadem persona; successor autem particularis, seu legatarius, &c. non repræsentat personã defuncti, & ideò in possessione tempus computatur à die obitus defuncti, & non ante.

4 Tertia conditio ad præscribendum est titulus probabiliter præsumptus, idest qui bona fide putetur validus, vt est titulus donationis, testamenti, successionis, &c. qui titulus satis est, quòd sit præsumptus, idest quòd putetur verus, quamuis re vera inualidus sit; requiritur enim titulus, non vt absolutè res præscribatur, quia etiam sine titulo res potest præscribi, sed vt breuiori tempore præscribatur; & ideò ad præscriptionem magis est necessaria bona-fides, quàm titulus, nam sine bona-fide nunquam currit præscriptio; currit verò aliquãdo sine titulo. *cap. Si diligẽti de præscrip.*

5 Quarta conditio est continuatio possessionis, tempore legibus definito: quare res mobiles corporales priuati hominis, vel etiam cuiuscumque Ecclesiæ, etiam Romanæ præscribuntur præscriptione bonæ-fidei cum titulo per triennium inter præsentes: inter absentes verò requiritur spatiũ quatuor annorum cum titulo; & bona fide: ad vsu-captionem verò mobilium sine titulo, requiruntur anni 30, siuè priuati ea sint, siuè Ecclesiæ.

6 Ad præscriptionem rerum immobilium requiritur contrà priuatos spatium 10. annorum inter præsentes cum titulo; inter absentes requiritur spatium 20. annorum, *cap. Sanctorum de præscript.* Lessius *lib. 2. cap. 7.* & alij communiter.

† Contrà rem immobilem Ecclesiæ requiritur spatium 40. annorum, tàm cum titulo, quàm sine titulo, tàm inter præsentes, quàm absentes, siuè is, qui præscribit, sit priuatus, siuè sit vna Ecclesia contrà aliam: Cõtrà Ecclesiam Romanam requiritur spatium 100. annorũ: Præsentes vero dicuntur ij, qui sunt in eadem Ciuitate, vel territorio eius, vel parte Regni; absentes verò, qui in diuersis Ciuitatibus, vel Regni partibus, seù territorij commorantur.

7 Bona Principis tamquàm priuati eodem tempore, quo priuati bona, præscribuntur: collectæ pro publica necessitate, 40. annis: ius imponendi vectigalia, 40. annis cum titulo; sine titulo, tẽpore immemoriali: quæ verò debentur Principi in recognitionem supremæ potestatis, nullo tempore præscribuntur.

8 Contrà præscriptionem datur restitutio in integrum, quæ nihil aliud est, quàm quoddam remedium, quo finita præscriptione, relinquitur priori Domino, qui rẽ suam amisit, vt auctoritate Iudicis possit restitui in dominium, & possessionem rei amissæ, quod datur minoribus ætate, locis pijs, &c.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptione dominium acquiritur.*
2 *Contra leges ciuiles præscribitur.*
3 *Præscribi quæ non possunt.*
4 *Præscriptio, quando dicatur procedere.*
† *Non procedere.*
† *Dormire.*
† *Quando interrumpatur.*
5 *Contra præscriptionem datur restitutio.*

1 PErfecta præscriptione dominium acquiritur, quia iustum inducit titulum, *cap. De quarta.*

2 Contrà leges ciuiles præscribitur consuetudo 10. annorum, aduersùs autem legem Canonicam requiruntur 40. anni, si consuetudo aliquo modo sit contrà ius Ecclesiæ. Angelus *verbo Consuetudo nu. 8.* Syluest. *ibidem num. 6.* & alij. Seruitus personalis præscribitur spatio 10. annorum cum titulo: sine titulo verò, spatio 30. annorũ: Seruitus realis si continua, aut quasi continua sit, præscribitur spatio 10. annorum: Seruitus verò inter præsentes: inter verò absentes spatio 20. annorum; seruitus verò discontinua non præscribitur, nisi spatio immemoriali.

3 Quæ possideri non possunt, nullo modo possunt præscribi, vt exemptio ab obediẽtia, res vsibus publicis deputatæ, ius decimarum à Laicis, limites Prouinciarum, Episcopatuum, & Parochiarum, si de iis constet; si autem non constet, præscribi possunt: Res indiuisa communis pluribus nullo tempore ab aliquo præscribi potest.

4 Præscriptio tunc dicitur procedere, quando post eius inchoationem, bona-† fide legitimè continuatur: tunc autem nõ procedit, quando non incipit, vel quando deest possessio ciuilis, vel titulus in ea, in qua is requiritur, vel bona fides, vel quia † res non potest alienari, *l. Resistente* Dormire dicitur præscriptio, quando postquam est inchoata, cessat aliquo tempore; ità tamẽ vt illo prætetito continuari possit cum † priori: Interrumpitur autem naturalitèr, aut ciuilitèr; naturalitèr, quando bonafides incipit deesse, vel titulus, vel possessio; ciuilitèr verò, quando per aliquem actum iuridicum interpellatur, vt per litis contestationem, citationem, &c. Syluester *verbo Præsumptio 1. num. 7.* Molina *disp. 78.* & alij.

5 Contrà præscriptionem, vt dictum fuit, datur restitutio in integrum: Primò, minoribus ætate: Secundo, pijs locis, & Ecclesijs, etiamsi prçscriptio sit 40. annorum: Tertiò, maioribus ætate, modo tamẽ probent cum iusta, & probabili ignorantia sua, aut omninò sine negligentia præscriptionem fuisse peractam: habent ij 4. annos à notitia completæ præscriptionis. Molina *disput. 80.* Reginaldus *lib. 10. num. 301.* & alij.

PARAG. II.

Textus Sacrorum Canonum, De Præscriptionibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus locum per se concessum triennio præscribit.*

† *Taciturnitas Prælati non nocet Ecclesiæ.*

2 *Ecclesia, quando præscribat res priuati.*

† *Quarta decimarum, quando præscribitur contrà Episcopum.*

3 *Possessor malæ-fidei non præscribit.*

1 EPiscopus contrà Episcopum locum per se concessum ad fidem præscribit triennio: sed cum vacat Ecclesia, vel est in schismate, non præscribitur cõ-† trà ipsum, *ex cap. Placuit 1. de præscript.* Taciturnitas Prælati non nocet Ecclesiæ, nec præiudicat successoribus, quin Ecclesiæ recuperent, *ex cap. Nihil 2.* quia Prælatus ad sedandum scandalum, potest iustè omittere repetitionem rerum Ecclesiasticarum, quæ contrà iustitiam vsurpantur. Cou. *in regula peccatum par. 1. num. 3.*

2 Per quietam, & sinceram possessionem 30. annorum præscribit Ecclesia rem pri-† uati, *ex cap. Sanctorum 3.* Quarta decimarum, & funeralium præscribitur contrà Episcopum, si 40. annorum spatio non soluatur, & Cathedralis Ecclesia interim non vacauit, *ex cap. De quarta 4.* quia Episcopo contingit quarta prouentuum, & emolumentorum pars, necnon decimarum Parochialiũ sui Episcopatus, sine vllo onere fabricę. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiastici par. 2. cap. 14. num. 28.* quia talis quarta inter iura Episcopalia connumeratur.

3 Possessor malæ fidei non prçscribit, *cap. Vigilanti 5.* & possessor malæ fidei dicitur ille, qui habet scientiam, quòd res, quam possidet, sit aliena. Ecclesia, si possidet decimas Parochiæ alterius, spatio 40. annorum, eas præscribit, *cap. Ad aures 6.*

PARAG. III.

Continuantur Textus.

SVMMARIVM.

1 *Laici non possunt spiritualia possidere.*

2 *Quæ præscriptio currat contra Ecclesiam.*

† *Fines prædiorum Ecclesiasticorum, &c. quo tempore præscribantur.*

3 *Tempore hostilitatis, &c. non currit præscriptio.*

4 *Procuratio, &c. nunquam præscribitur.*

† *Subditus non præscribit obedientiam contrà Prælatum.*

5 *Præscriptio centenaria sola currit contrà Romanam Ecclesiam.*

† *Schismaticum tempora deducuntur.*

† *Prælatus inferior potest præscribere ius Episcopale.*

6 *Subditus non potest præscribere contrà visitationem, &c.*

7 *Possidens, alieno nomine, non præscribit.*

† *Abbas in Capellis potest præscribere iura Episcopalia.*

8 *Renunciat præscriptioni, qui post ipsam impetrat priuilegium.*

† *Præscriptio, cum mala-fide non currit.*

1 LAici cùm non possint spiritualia possidere, nec illa possunt præscribere, *ex cap. Causam quæ 7.* & ideò nõ possunt præscribere decimas, etiam præscriptione immemoriali: Ratiò, quia ius decimandi est spirituale, dependens à Sacramentorum administratione, cuius Laici sunt omninò incapaces.

2 Sola prçscriptio 40 annorum currit cõtrà Ecclesiam, & si contrà ipsam opponatur interruptio, testes sunt recipiendi, & si probabitur interruptio; præscriptio non † tenebit, *ex cap. Illud 8.* Fines prçdiorum Ecclesiasticorum 40. annorum spatio præ-

 scri-

scribuntur, & quaestio terminanda est in praesentia iudicum. Syluest *verb. Praescriptio* 1. *par.6 num* 8 Molina *de iustitia tract* 2 *disput.* 79. Valentia *tom.3.disput.5.quaest.6.par.5. aut.3.* & alij.

3 Tempore hostilitatis, non currit praescriptio, *cap. Ex transmissa* 10. nec etiam post, quia contra populum hostilitate destructum, & bello, non currit praescriptio. Pinel *in auth. nisi num.* 42. & 43. Sic etiam pestis impedit praescriptionem. Rebuff. *tract. de pacifica poss. nu.303* Mascard *de probat. concl.7.nu.11.*

4 Procuratio, quae iure communi dari debet visitantibus, nullo vnquam tempore praescribi potest à Clericis saecularibus, *ex cap. Audientes* 11. Ratio, quia talis visitatio † vertitur in bonum publicum Ecclesiae. Subditus non praescribit obedientiam contra Praelatum, *ex cap. Cum non liceat* 12.

5 In iuribus ad Romanam Ecclesiam spectantibus currit sola centenaria praescriptio, *ex cap. Ad audientiam* 13. à qua tamen de- † bent deduci tempora Schismatum, quae † intercedunt, *ex cap. Cum vobis* 14. Praelatus inferior potest praescribere ius Episcopale In Ecclesijs illius Dioecesis; si per 40. annos sine interruptione praescripserint: subducitur tamen de praescriptione tempus, quo vacauerit Ecclesia; ità *ex cap. Auditis* 15.

6 Non potest subditus contra Superiorē, visitationem, aut procurationem, ratione visitationis debitam praescribere, quamuis alius in personam alterius praescribere possit vtramque, *ex cap. Cùm ex officijs* 16.

7 Possidens, alieno nomine, non praescribit, nec etiam is, qui proprio, nisi habeat bonam fidem, & titulum, *cap. Si diligenti* 17.

† Abbas in Capellis praescribere potest iura Episcopalia, *cap. Cùm olim* 18.

8 Qui, praescriptione completa, priuilegium contrarium impetrat, & vtitur illo, † praescriptioni renunciat; si praescriptio nō erat completa, quia tùc cessat bona-fides, nec potest amplius praescribere, *ex cap. Veniens* 19. nec in foro Canonico, nec ciuili valet praescriptio, cum mala fide, *ex cap. Quoniam* 20.

PARAG. IV.
Continuantur etiam Textus.

SVMMARIVM.

1 *Ad praescriptionem rei Ecclesiasticae, quae requirantur.*

2 *Bona Ecclesiae Romanae quando praescribantur.*

1 IN praescriptione etiam rei Ecclesiasticae sufficit bona fides; sed si ius commune, vel praesumptio esset contra eum, requiritur etiam titulus, qui tribuat possessori causam praescribendi, nisi allegetur praescriptio, cuius contrarij non extet memoria, *ex cap Episcopum* 1. *de praescrip in* 6.

2 Bona Ecclesiae Romanae, vel aliarum Ecclesiarum, quando quis habet, v. g. feudum, & ob sua scelera, bonis priuatur per sententiam, vel ipso iure, ipsa bona, si sint Romanae Ecclesiae, praescribi non possunt, nisi per 100. annos; si aliarum Ecclesiarum, per 40. Item si aliquis hereticus, qui crederetur catholicus, moritur, & eius heredes Catholici per annos 40. bona fide possident hereditatem, Ecclesia, ad quem spectabant bona, non potest illos molestare, qui iā praescripserunt; *ex cap. Si quis* 3. Verùm ad hāc praescriptionē requirūtur bona-fides, quae tūc cōsideratur, quando recipiēs putabat Catholicum esse eum, à quo bona illa accepit. Sanchez *in praecept. Decal. tom. 1. lib.2. cap.22. num.41.* & alij.

TITVLVS XXVIII.
De sententia, & re iudicata.

SVMMARIVM.

1 *Sententia quid sit.*

† *Duplex est.*

2 *Differētia inter interlocutoriā, & diffinitiuā sententiā.*

3 *Sententia, à quibus feratur.*

4 *Quis Iudex possit ferre sententiam.*

5 *De quo ferenda sit sententia.*

6 *Sententia lata contra suos litigatores, an valeat.*

1 SEntentia est iudicialis definitio, controuersiae finem imponens, condemnationem, vel absolutionem continens, *cap.* † *Et, qui appellat.* 41. §. *definitiua* 2. *quaest.6.* quę duplex est, vna interlocutoria, & altera definitiua: Interlocutoria est, quę inter principium, & finem causae super aliquo incidenti, vel emergenti profertur, *cap Significantibus* 49. *de appellat. cap. Significauerunt* 16. *de test. & attestat.* Dicitur interlocutoria à modo ferendi, quod summariè fertur inter partes, interim, & dum expectatur iudicium definitiuum feratur, *cap Quod consultationem* 15. Sententia definitiua est, quę causae principali finem imponit per condemnationem, vel absolutionem.

2 Inter sententiam interlocutoriam, & definitiuam hęc est differentia, quod interlocutoria quandocunque ante sententiam ab eodem Iudice reuocari potest, licet ab ea non sit appellatum, *l. quod iussit* 14. Definitiua ab eodem Iudice retractari, & corrigi non potest, *l. Paulus* 53. *l. Iudex* 55. Interlocutoria, nisi à Summo Pontifice lata sit, nec scribi, nec scripto recitari potest; definitiua verò scribi, & scripto recitari debet.

3 Sententia fertur, vel à iure, seu canone, vel a Iudice, vel arbitro: ius sententiam dicitur ferre, cum Canon, aut lex statuit, vt qui tale aliquid cōmisit, tali poena mulctetur, quę aliquando, ipso facto, absque Iudicis declaratione incurritur, *cap. A nobis* 21. *de sent. excommun. cap.* 29. *Si quis suadente.* Aliquando non fertur, ipso facto, sed eum declaratione. &c.

4 Ille Iudex fert sententiam, qui iurisdictionem habet in quaestione proposita, nā sententia lata à Iudice non competente, non valet, *cap At si Clerici* 4. *de iudic. cap. Ad nostram* 3. *de consuet.* & si sint plures Iudices competentes, omnes simul debent ferre sententiam, nisi quis per contumaciam absens

absens sit, quia tunc valet sententia præsentium, *cap. Prudentiam 21 §. absjeuntes, de officio Iud. delegat.* Item si vnus de mandato aliorū pronunciet, vel si in commissione contineatur, quòd vnus posset sine alio procedere, *l. Item si vnus 17. ff. de recept. arbit.*

5 Ferenda est sententia de eo, quod petitur, non de alio, *l. 1. & 2. Cod. si a non compoten.* & debet esse conformis libello, *cap. Qualiter 24. §. ad corrigendos.* De causa absentis regulariter sententia non est ferenda, *cap. Inter quatuor §. de maiorit. & obed. l. Absentem Cod. de pœnis.*

6 Contrà ius litigatoris facta sententia, valet quidem ipso iure, sed per appellationem suspenditur, *l. 2. Cod. quando provoc. non, ecc.* Sententia rectè lata, post 10. dies, si ab ea non fuerit appellatum, trāsit in rem iudicata, *cap. Quod ad consultationē 15. §. taliter.* Quòd si actionē, & exceptionē producit, in rem iudicatam non transit sententia, quę impugnari potest, vt est ea, quę est cōtrà matrimonium, *cap. Later 7.* aut pro matrimonio in gradu prohibito contracto lata, *cap. Consanguinei, &c.*

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Sententiarum species.*
2 *Sententia interlocutoria qua reuocari possit.*
3 *Sententia in quibus casibus sit nulla.*
4 *Nomine sententia, an veniat interlocutoria.*
5 *In ferenda sententia, an requiratur citatio partium.*
6 *Sententia definitiua an ferri possit sub conditione.*
7 *Sententia nulla, executionem non meretur.*
8 *Contumax an condemnari possit, & an debeat stare iudicio condemnatus.*
9 *Sententia vnius Iudicis an exequi possit ab alio Iudice.*
10 *Sententia sine causa cognitione ferri nequit.*
11 *Res iudicata, pro vera habetur.*
12 *Pro varietate sententiarum, varia dantur exequendi via.*
13 *Sententia executio, an propria authoritate facienda.*

1 Est etiam sententia alia definitiua; alia cōuētionalis, vt amicabilis cōpositio, alia interlocutoria, quæ dicitur illa, quæ data est inter causæ principiū, & finē, vocaturq; hęc sententia, definitio semiplena. Definitiua sententia dicitur plenissima quia plenissimum finem imponit.

2 Omnis interlocutoria sententia, per quam iurisdictio à Iudice non obligatur, & quæ vim definitiuę non habet, regulariter reuocari potest. Sententia verò definitiua non potest reuocari regulariter, nisi in aliquibus casibus: definitiua in scriptis fieri debet; interlocutoria verò, verbo tenus, & sine scriptis: definitiua imponit controuersię finem; interlocutoria, non, quia inter principium, & finem litis fertur.

3 Sententia in pluribus casibus est nulla: Primò ratione personæ, vt si sit Iudex incompetens, &c. Secundò ratione litigantium, vt si adultus litigaret cum pupillo sine tutore, &c. Tertiò ratione rei vt si arbiter iudicauerit de re criminali: Quartò, ratione causę, nulla est sententia de re iudicata lata. Item si nō est absolutoria, vel condemnatoria, &c. Ratione tēporis nulla est sententia, si sententiam iudex dixerit diebus festiuis, vel alijs diebus feriatis, nisi fit de consensu partium. Ratione loci nulla est sententia si Iudex tulerit in alio loco, quàm in eo qui statuitur. Ratione ordinis nulla est sententia, vt si non procuratorem ciuiliter agentem, vel litigatem, sed Dominum Iudex condemnauerit: sed in criminalibus, non procuratorem, sed mandantem cōdemnare debet. Item nulla est sententia, si primò tulerit sententiam, & posteà causam examinauerit.

4 Appellatione sententiæ, non venit interlocutoria, neque enim interlocutio Iudicis sub sententia continetur; in statutis enim si fiat mentio sententiarum, non cōtinebitur interlocutoria, nisi subiecta materia aliud exigat.

5 In ferenda sententia, citatio partibus facta requiritur; si tamen essent præsentes, valeret sententia, etiamsi non essent citatæ ad ferendam sententiam.

6 Sententia definitiua nō potest dari sub conditione: verū conditio est duplex, vna intrinseca, & altera extrinseca: intrinseca est, quæ recipit merita causæ, vt cum dicit *si probatam fueris, absolue, &c.* Extrinseca conditio est, quæ interponitur de aliquo extrinseco euentu *vt Condemno te in decem, si frater fuerit vxino meo patrocinatus.*

7 Sententia nulla executionem non meretur, eò quòd non habeat manifestum.

8 Contumax condemnari potest, & condemnatus, rebus iudicatis stare debet: necesse est, tamen vt antequàm condemnetur, sępè citetur: itaque debet saltem trina citatione citari, vel vna citatione peremptoria pro tribus in qua tamē tertiari debēt tres termini. Porrò vt possit ferri sententia definitiua contrà contumacem, requiruntur aliqua: Primò, quòd lis sit contestata: Secundò, quod Iudex condemnet absentem tamquàm contumacem: Tertiò requiritur vt habeat, & foueat iniustam causam, nam si haberet causam iustam; etiamsi esset contumax, sententia debet ferri pro eo, ac si esset præsens.

9 Sententia vnius Iudicis ordinarij potest exequi ab altero ordinario super eo improbato, siue æqualem requirat pro exequenda sua sententia; siuè inferior requirat superiorem, siuè superior requirat inferiorē, potest enim ab altero requiri, nō habita ratione æqualitatis, vel dignitatis rerū. Cū Iudex superior imploratur à Iudice inferiori pro exequēda sua sententia, tunc superior potest examinare causam si pars petat, ad hoc vt habeat cognitionem, qualitèr sententia sit lata. Item cui commissa est causa, vel executio sententię antequam cognoscatur de controuersia, potest de veritate precum cognoscere, nimirum sint, ne verę, vel surreptitię: Item qui habet executionem à iure, potest co-

gnoscere de causa, si forte Iudex inferior de causa non benè cognouisset: si autem sententia vnius Iudicis exequenda sit per alterum Iudicem, eum alter subsidium alterius implorat; tunc iste alter Iudex qui requiritur pro executione, non posset de causa iam finita cognoscere.

10 Sententia sine causę cognitione ferri non potest. Porrò verba sententię simpliciter intelligenda sunt, & nihil supplendum extrinsecùs.

11 Res iudicata, pro veritate habetur; quod quam maximè procedit, si sententia sit de longinquo lata, pro qua magis præsumitur; postquàm enim sententia in rem iudicatam transiit; de eius iustitia, vel iniustitia quærendum non est; nec enim post quā sententia transijt in rem iudicatam attenditur iustitia, sed sententia; post lapsum enim trienniu à die latę sententię, cui non fuerat contradictum, non posse opponi à quibusdam fertur.

12 Cùm variæ sint naturæ sententiarum, variæ quoque dantur exequendi viæ. In sententia absolutoria Reus non indiget aliqua executione quòad rem ipsam, quia talis sententia seipsam exequitur: si autem Reus condemnatur ad aliquid, erit distinguendum: nam aliquando condemnatur in quantitate; aliquando in specie danda, vel restituenda; aliquādo in facto, vt Reus aliquid faciat; aliquando in non facto, ne Reus aliquid faciat, &c. Quādo Reus condemnatur in quantitate, tunc sententia sub debito ac solito exequatur ordine. quod scilicèt primò vendantur mobilia; deindè immobilia, &c. Cùm autem condemnatur Reus ad restituendam certam speciem, &c. tunc executio est præcisa Iudex exequitur sententiam, vt præcisè cōpellat Reū restituere rē adquā condemnatur, &c. Si verò Reus condemnatur ad factum vt v.g. fodiat fossam, &c. Reus nō potest cogi præcisè vt faciat, id ad quod condemnatus est, sed executio fiet in interesse, iuxtà solitum exequendi ordinem, quia cogetur pars rea soluere interesse loco facti: si vero Iudex condemnaret Reum ad non factum, vt scilicèt non turbet, vel molestet actorem, &c. in istis sententijs requiruntur duò tùm vt perpetuum silētiū imponatur Reo, tū vt pręstet cautionē se pariturum esse sententiæ; hæc sententia non potest aliter exequi.

13 Executio sententiæ non debet fieri propria auctoritate; qui enim rem iustam habet; si proprio facto exequatur, ex re iusta, facit iniustam, & vsque adeò odiosum est proprio facto exequi, vt is qui talia conatur, furtū committat, &c. nisi Iudex permitteret parti, vt sententiam exequeretur.

PARAG. II.

Textus Sacrorum Canonum.

De sententia, & de Iudice.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata contrà leges, vel canones, non tenet.*

2 *Lites debent celeritèr terminari.*

3 *Sacerdos sinè iusta causa non est deponendus*

† *Quando quis petit iustè sententiam à Papa confirmari.*

4 *Executor merus alterius sententiæ, non cognoscit de exceptionibus, &c.*

5 *Reo damnato ad traditionem possessionis, non sufficit dare pignus;*

6 *Sententia lata contrà matrimonium, nunquam transit in rem iudicatam, &c.*

7 *Aliquando transit.*

8 *Sententia lata contrà matrimonium, potest retractari.*

1 SEntentia lata contrà leges, & canones non valet, licèt non fuerit appellatū; ità *ex cap. Sententia 1. de senten. & re iudic.* Et nō requiritur hominis ministeriū ad annullandam talem sententiam, ex eoquod est ipso iure nulla, & ita DD. *in cap. Probaris* Iudex verò ordinarius proferens talem sententiam, sicut & aliam ipso iure nullam, potest illam reuocare; ità *in leg. 1. C. de senten. interlocut, & in leg. si Præses 6. C. quomodo, & quando Iudex.* Delegatus verò non potest aliam sententiam proferre, Glos. 1. *in l. Iudex postea quam*, Vant. *de nullit. sit coram, quo à n. 14.* Sententia contrà ius non valet, quando error in tenore illius expressus ponitur pro fundamento eiusdem sententiæ *leg. 1. ff. quæ sententia sine appellat. l. 2.* quando probare non est necesse; quod intelligendum est, quando sententia in tali errore sūpto pro fundamento, ità fundatur, vt ab eo totalitèr dependeat, & in illo principalis causę diffinitio consistat; non verò quando vltrà prædictum errorem expressum in eadem sententia, exprimitur aliud fundamentū legitimum, & secundum ius procedens, ex quo eadem sententia in illo consistere possit: si quidem interueniente tali fundamento, prædicta sententia mero iure valida est, non obstante alio iuris errore, in tenore ipsius sententiæ expresso; ità Hipol. *Syneag. 617.* Tiraquel *cessante causa limit. 12. n. 2. & 6.* Requiritur enim, quòd error sit talitèr expressus, vt oculo corporeo legi possit, & non sufficit, quod ex mente comprehendatur; seù quod sententia ex mente reducatur ad erroneum intellectū, iuxta. Innoc. *in cap. P. & G. de offic. Delegat.* Alex. *consil. 79. lib. 2. n. 6.*

2 Lites debent celeritèr terminari, *ex cap. Iurgantium 2.* quod intelligēdum est de probatione sententię, postquàm in causa cōclusum est, quià in *l. Properandum*, textus dicit, à litis contestatione, vsque ad diffinitiuam sententiam, per spatium triennij processum iudicij durare posse.

3 Sententia Episcoporum de Sacerdote deponendo, debet esse ex iusta causa, & concors, *ex cap. Non potest 3.* Qui textus intelligēdus est de verbali depositione: in quibus autem casibus depositio, siuè verbalis degradatio fieri debeat, ostendit Bonac. *de Censuris disp. 4. p. vnic. n. 6.* Iustè quis petit, sententiam à Papa confirmari, si iustè, & rationabilitèr sit lata, *ex cap. ea, quæ 4.* Et ideò in sentētia iustè, & validè lata, postquàm transiuit in rem iudicatam, potest

petere

petere confirmationem à Pontifice. *Dec. in cap. 2 n. 8. de confirmatione vtili.*

4 Executor merus alicuius sententię non cognoscit de exceptionibus, quæ contrà illam opponuntur: admittere tamen potest exceptionem fraudis, ad effectum, vt remittat negotium ad superiorem, & non vt super principali pronunciet; si illam probabilem repererit *ex cap. De cætero 5.* Et hoc intelligendum est de mero executore, cui in auxilium iurisdictionis, integra, & adhuc non discussa sententiæ executio committitur; & merus executor cognoscere non potest de iustitia, vel iniustitia causæ, quia hoc non spectat ad eius officium, nisi solum exequi. Marant. *disp. 21.* Et ideò non debet admittere aliquam exceptionem. Felin. *in cap. Pastoralis §. quia verò n. 17.* Sigismondus *de appellat. quæst. 17. limit. 10. quæst. 37.* Item executor abstinere potest ab executione, quando sententia est notoriè nulla. Nauar. *in cap. Cum contingat, de rescriptis remed. 4.* Scacia *limit. 10. n. 38.* Surdus *consil. 405. n. 26.* Steph. Grat. *discept. forens. cap. 146 n. 10.*

5 Qui ex lata sententia possessionem dare debet, non sufficit dare pignus, *ex cap. Cum olim abbas 6* Ratio, quia condemnatus ad soluendum, non intelligitur soluere, dando pignora, & fide-iussores, Specul. *in tit. de pignor.* Tiraquel. *de retract. tit. 1. gl. 3 n. 15.* etiam si victor, cui possessio adiudicatur, acceptet huiusmodi pignora, quæ ad cautionē, & securitatem præstantur, quia non satisfit, per huiusmodi dationem, sententiæ *l. 4. §. si ex conuentione, vbi Doctores.*

6 Sententia contrà matrimonium nunquam transit in rem iudicatam; nam si cōstet, Ecclesiam errore deceptam, sunt denuò coniungendi, *ex cap. lator 7.* Sententia verò lata in fauorem, & pro validitate matrimonij facit transitum in rem iudicatam, Alex. *de noue consil. 38. n. 1.* Sanchez. *de matrim. lib. 7. disp. 100.* Sententia enim ratione peccati, non transit in rē iudicatam. Abbas, *in cap. Nouit. n. 21. de iudic.* & alij. Et licèt ratione peccati sententia matrimonij non transit in rem iudicatam, sustinendo matrimonium irritum, aut dissoluendo validum; transit tamen in rem iudicatam quò ad expensas, ad quas succūbens condemnatus fuit, à qua non est appellatum, nec enim restituentur postea reclamanti ac dicenti errorem sententiæ: Ratio quia vt dictum est, sententia matrimonij ideò non transit in rem iudicatam, ne foueatur peccatum, &c. quæ ratio in expensarum compensatio necessat, & ideò sortitur naturam aliarum sententiarum, quæ in rem iudicatam transeunt. Sic Felin. *cap. Lator n. 10.* Ioann. Andr. *cap. Venerabilibus verb. querimoniam, de sent. excommunic. 6.* & alij.

7 Et licèt sententia non transeat in rem iudicatam respectu coniugum; transit tamen respectu testis contrà matrimonium agentis, & ità si tertius opposuit impedimentum, & succubuit; sententia contrà ipsum lata, à qua non appellauit legitimo tempore; ità transit in rem iudicatā, quando ex illius sententię obseruantia, nutritur peccatum: nec consensu vtriusque partis potest cessare culpa, & matrimonium cōstare; ità apud. Sanchez *loco citato n. 12. & 13.*

8 Sententia pronuncians, matrimonium non esse validum, non ita transit in rem iudicatam, quin veritate comperta, possit omni tempore retractari: Ratio est, quia sententia, quæ iniustitiam continet, litigantium consensu, irremissibilem, non ita transit in rem iudicatam, quin veritate comperta, possit omni tempore retractari, vt communitèr docent Doctores: sed sententia pronuncians, non esse matrimonium contractum, vel legitimum, cùm in rei veritate, contractum, & legitimum sit, continet iustitiam litigantium consensu irremissibilem, eòquòd remittere nō possunt vitium, & iniustitiam illorum, quæ non sunt in ipsorum potestate, & ad superiorem spectant, quia vterque litigans, sciens sententiæ iniustitiam, grauitèr peccat, si obediat illi, cum potiùs teneatur oppositum facere, ergo, &c.

PARAG. III.

Continuatur Textus. De Sententia, &c.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata contrà Ecclesiam, retractatur.*
† *Item quæ continet manifestum errorem.*
† *Nulla est sententia lata contrà absentem non contumacem.*
2 *Est subreptitia collatio beneficij facta à Papa contrà propriam ordinationem.*
† *Sententia contrà vnũ litigatoris lata, valet, &c.*
† *Sententia lata nihil iniqui cōtinens, est cōfirmāda, &c.*
3 *Appellatio à sententia, quando incipiat currere.*
4 *Condemnato non appellante, transit sententia in rem iudicatam.*
5 *Valet sententia lata absque expressione causæ.*
† *Ab eadem sententia potest quis appellare.*
6 *Tenet sententia lata contrà absentem, qui ex legitima causa non comparuit.*

1 Retractatur sententia, prætextu iniquæ consuetudinis, lata cōtrà Ecclesiam, † *cap. Cum causa 8.* Sētēria, quę nō cōtinet manifestām iniquitatem, per Superiorem retractatur, etiamsi causa fuerit commissa, appellatione remota; si autem continet manifestam iniquitatem, est nulla, *ex cap.* † *Inter cæteras 9.* Sententia lata contrà absentem non contumacem in causa matrimoniali, est nulla, *ex cap. Tenor 10.* Sententia diuortij in causa matrimoniali lata ad solam coniugis confessionem, asserentis cōtrarium, nō reuocatur, sed interim ei statur, donèc legitimè de contrario edoceatur, *ex cap. Consanguinei 11.* Ratio, quia ad retractandam sententiam in causa matrimoniali prolatam, non sufficit, quòd is, pro quo lata fuit, confiteatur illius errorem, & veritatem esse in contrarium; imò nec sufficit vtriusque partis cōfessio, quia supposita sententia, pro qua ius præsumit, cō-

trà

trà illos est præsumptio, & timor collusionis. Abbas *in cap. Super Deo num. 5. qui cognouit consanguineam*, Cou. *de sponsal. par. 1. cap. 4. §. 1. num. 4.* Menoch. *de arbitr. casu* 103.

2 Quando Papa confert beneficium contrà ordinationem priùs factam, nulla de illa habita mentione, subreptitia dicitur collatio, & non tenet, *ex cap. Cum olim* 12.
† Valet sententia contrà ius litigatoris, si ab ea intrà decemdies non fuerit appel-
† latum, *ex cap. Cum inter* 13. Sententia lata cõtrà Actorem, nihil iniqui continens, si nõ fuerit appellatum, si non probetur, quod Iudex non seruauerit formam mandati, venit in causa appellationis confirmanda, *ex cap. Cumsamque* 14. Ratio, quia appellatio fuit introducta principalitèr, vt per eam iniquitas iudicantium, & imperitia corrigatur. Franch. *in cap. Suggestum* 15. *notab. sub num. 1.* & *in cap. Præterea* 22. *notab. 3. tit. de appellat.* Rebuffus *in tract. de appellat. in præfat. num.* 17.

3 Si sentẽtia aliquid præcipit fieri ad certum terminum, tempus ad appellandum currit à tempore sententię, non autem à die finiti termini: Item qui condemnatur soluere pęnam pecuniariam intra 10. dies, si accepiat terminum, videtur renunciasse quadrimestri tempore, & transactis 10. diebus, appellare non poterit, quia ex iusta causa potest Iudex abbreuiare tẽpus quadrimestre, licèt causa abbreuiationis non appareat, & sic non audietur, nisi in executione sententię modus canonicus excedatur, *ex cap. Quòad consultationem* 15.

4 Condemnatus non appellans, facit trãsire sentẽtiam in rem iudicatam. Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 94 num. 5.* & sententia dicitur res iudicata, quando ab ea non appellatur. Cou. *pract. cap. 23. nu. 2.*

5 Sententia sine expressione causę lata, tenet, *ex cap. Sicut nobis* 16. Ratio, quia non omnia, quę mouent Iudicem, sunt exprimenda, & in fauorem auctoritatis iudiciarię
† præsumitur, omnia præcessisse iuridicè: Ab eadem sententia non solùm Reus victus, sed quicunque sunt aggrauati, possunt appellare, & poterit sententia quòad Reum de iure suo docentem confirmari, & annullari, vel suspendi, respectu tertij rationabilitèr appellantis, *ex cap. Cum super* 17.

6 Si citatus ad sentẽtiam ex legitima causa Iudici ignota nõ comparuit, tenet sententia, eo absente lata; sed retractatur, eo probante legitimam absentię causam: si verò impedimentum probat non plenè, non retractatur, nisi priùs doceat de iniquitate sententię, quę iniquitas constabit ex tenore sententiæ, & ex actis, *ex cap. Cum Bertoldus* 17.

PARAG. IV.

Continuantur etiam.

SVMMARIVM.

1 *Papa in sententijs ordinem iuris seruat.*
† *Sententia secunda lata contrà primam, an valeat.*
2 *Sententia lata contrà priuilegium, &c. tenet, si ab ea non fuerit appellatum.*
† *Sententia, à qua fuit appellatum, quando retractetur.*
3 *Condemnatus actione iniuriarum, est infamis, &c.*
4 *Sententia reuocata ob defectum iurisdictionis, est denuò videnda.*
† *Lata ab excommunicato occulto valet.*
5 *Res inter alios iudicata, alijs non nocet.*
6 *Sententia lata à duobus Ordinarijs an valeat.*

1 PApa in sententijs, quas profert, ordinem iuris seruare debet, & contra iustitiam nulli debet parcere, & secundùm quod Papa iudicat, alij tenentur iudicare,
† *ex cap. In causis* 19. Tenet secunda sententia definitiua lata contrà primam, si de prima non fuit exceptum, neque appellatum à secunda, præsertim si prima sententia secundis Iudicibus fuit ostensa, *ex cap. Inter Monasterium* 20.

2 Tenet sententia lata cõtrà priuilegium ostensum, vel non ostensum; si ab ea non fuerit appellatum, vel supplicatum, *ex cap. Suborta* 21. Quando testes, qui iurant, con-
† stant conspiratores fuisse; sententia, à qua fuit appellatũ, retractatur, si propter eorũ dicta fuit lata sentẽtia: si verò nõ propter eorum dicta, sed aliorũ fuit lata sentẽtia, non est retractanda, *ex cap. Cùm I. & A.* 22.

3 Damnatus, actione iniuriarum, infamis est, & per Papam fama potest restitui: si verò iniuria sit minima, non est infamis, quiã infamia non incurritur ex leui iniuria, *ex cap. Cùm te* 23.

4 Reuocata sententia ob defectum iurisdictionis, vel quia vnus ex Iudicibus publicè excommunicatus erat, vel propter iuris ordinem nõ seruatum; iterùm de nouo causa principalis est videnda, *ex cap. Ad*
† *probandum* 24. Sententia verò lata ab excõmunicato occulto, valet, quia talis non erat de necessitate vitandus, siuè esset Iudex ordinarius, siuè Delegatus. Cou. *in cap. Alma mater par. 1. §. 7. num. 9. & §. 11. num. 4.* Sbroz *de officio Vicarij lib. 3. quæst. 17. num. 9.* Sanchez *de matrim. lib 3 disp. 31. nu. 1. 31. & 40.* Less *lib. 2 cap. 29. dub. 7.* & alij.

5 Res inter alios acta, regularitèr alijs nõ nocet, & ideò fallit in eo, qui passus est, illum litigare, cui secundo loco competebat actio, vel defensio: nocet etiam illi, qui passus est, eum, à quo habuit causam experiri, *ex cap. Quamuis* 25. Nocet sententia inter alios acta scienti, & pro suo interesse non comparenti. Flamin *de resignat. lib. 1. quæst. 16. num. 34.*

6 Ordinarij duo, si pronunciant contraria, tenet sententia pro Reo, non pro Actore, nisi in causa fauorabili pro Actore, vt in matrimonio, libertate, dote, vel testamento; si verò Iudices non sunt ordinarij, sed Delegati, sententia pendebit arbitrio Delegatis: si verò ex compromisso, neutra habet vigorem, *ex cap. Duobus* 26. In rebus verò dubijs, potiùs est fauendum Reo, quàm Actori, vt in reg. *Cùm iura partium, &c.* & Reus fauorabilior est Actore, *l. Fauorabiliores de reg. iur. in* 6. & *cap. Ex litteris de probat.*

PA-

PARAG. V.
Continuatur Textus.

SVMMARIVM.

1 *Iudex Ecclesiasticus, qui contrà iustitiam, & conscientiam agit, est condemnandus, &c.*
2 *Papa ex certis causis potest deponere Imperatorem; &c.*
† *Qui aliquam rem petit certam, si illam non probat, succumbit.*
3 *Arbiter, vel Iudex vnus ex pluribus datis, si ferendo sententiā vtitur num. pl. valet, ac si ab omnibus esset data.*
† *Conditiones sententiæ definitiuæ.*

1 Iudex, qui contrà iustitiam, & contrà conscientiam aliquid in iudicio fecerit in grauamen partis, per gratiam, vel per sordes, condemnandus est parti illæsę in æstimationem litis, & per annū est suspēsus; & si durante suspensione se ingerat in Diuinis, fit irregularis, á qua nisi per Papā liberari non potest, & hęc vltrà alias pœnas iuris, *ex cap. Cùm æterni, de sententia, & re iudicata in 6.*

2 Papa ex certis causis pōt deponere Imperatorem, & Reges, vt hic deponit Federicum Imperatorem, & Regem Siciliæ: Sicilia est Patrimonium S. Petri, & fuit data

† in feudum Federico, *ex cap. Ad Apost. 2.* Qui in iudicio petit aliquam rem sibi deberi, exprimēs certam causam, si illam nō probat, succūbit, licèt aliàs producat, & probet; si verò non expressit causam, si illam non probat, non succumbit, sed sufficit probare vnam iustam causam, *ex cap. Abbate sanè 3.*

3 Arbitri plures, vel Iudices, quando sunt dati; si vnus, aliis præsentibus, & mandantibus, recitat sententiam scriptam, vtendo

† numero plurali, *Nos*, Sententia valet, ac si ab omnibus esset recitata, *ex cap. Cùm ab vno 4.* Sententia definitiua, si non ponatur in scriptis, & ab ipsomet Iudice, & non ab alio, & sedendo, non stando, vel deambulando proferatur, est nulla, nisi sit Episcopus, *ex cap. Et si sententia 5.*

TITVLVS XXIX.
De Appellationibus, Recusationibus, Relationibus, &c.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio quid sit.*
† *Duplex.*
2 *Quando debeat fieri.*
† *Appellare qui possint.*
3 *Facienda est gradatim.*
4 *In quacunque causa potest fieri.*
† *In aliquibus casibus prohibetur.*
5 *Fieri debet post sententiam latam.*
6 *Appellās potest proponere causas, quas placuerit grauaminis, &c.*
7 *Appellationis effectus.*
8 *Quomodo excuset ab incurrenda censura.*
9 *A sententia declaratoria potest appellari.*

1 Appellatio est à minore Iudice ad maiorem, ratione grauaminis, facta appellatio, quę vel est iudicialis, vel extraiudicialis: Iudicialis appellatio est, quæ in iudicio de his, quę in illud veniunt, vel circà illud accidunt ante, vel post sententiam definitiuam, à minori Iudice ad maiorem interponitur, *cap. Significante 24. cap. Rodulphus 35. de rescript. cap. Cùm sit Romana, &c.* Extraiudicialis est, quę extrà iudicium ad

† Superiorem fit, quę dupliciter est consideranda: Primò, quando non à Iudice appellatur, sed à parte extrà iudicium, *cap. Bonæ 51.* vbi DD. Secundò, quando à Iudice procedente extraiudicialitèr appellatur.

2 Appellatio regularitèr fit post sententiam definitiuam, cum ab ipsa, tùm ab eius executione, *l. Ab executore 4. l. Ab execu-*

† *tione Cod quor. app. non recip.* Appellare possunt omnes, quorum interest, siuè suo, siue alieno nomine: Appellare tamen non potest, qui ob contumaciam fuit condemnatus; qui de crimine est confessus, & conuictus, qui se à Iudice non prouocaturum iurauit, qui sētentiā aliquo modo probauit, qui aduersarij appellationi in eadem causa non detulit, &c.

3 Appellatio est facienda gradatim, *cap. Dilecti 66.* Ad Superiorem appellati nō potest à Papa, *cap. Ipsi sunt canones 16. cap. Cuncta per mundum:* Item à Principe superiorē non habente, *cap. Per venerabilem 15. qui filij sint legitimi;* A Delegato Iudice appellatur Delegans, licèt is sit Papa, siuè alius Princeps, *cap. Significantibus 49.* Præterquàm si Delegās totius causæ iurisdictionem Subdelegato mandauerit, in isto casu, cùm ipse nihil iurisdictionis sibi reseruauerit, non ad eum, sed ad eius Superiorem facienda est prouocatio, *cap. Super quæstionem, §. Porrò, cap. Cùm te consulente 18. de officio Iudic. Delegat.* Clericus nō debet appellare ad Iudicē Laicum; nec Christianus alterius fidei Iudicem, *cap. 32. catholicus 2. quæst. 6.* nisi sub eo degat, quia in eo casu licet, *cap. Si in adiutorium 7. dist. 10.*

4 Appellari potest in quacunque causa, siuè ea sit ciuilis, siuè criminalis. *Can. Accusat quæst. 6. cap. Cùm sit Romana 5.* siuè maior, siuē minor prohibeatur: in pluribus casibus prohibetur appellatio: Primò, quando per eam quis impedire conatur, ne testamentum aperiatur, & sic non mittatur in possessionem scriptus hæres: Secundò, ab eo, quod edicto perpetuo receptum, & decretum est: Tertiò, à possessione momentanea: Quartò, ab executione, nisi in ea modus excedatur: Quintò, à regularis disciplinę correctione: Sextò, à sētētia interdicti: Septimò, in causa Fisci, vel tributariæ functionis: Octauò, à grauamine futuro, nisi de eo excommunicatio facta sit: Nonò, ab electionis confirmatione: Decimò, à rescripti concessione.

5 Appellatio fieri debet, vel statim post sententiam latam, aut grauamine imposito, Iudice adhùc pro Tribunali sedente; aut nondùm ad extraneos actus diuertēte, *cap. Post appellationem §. forma 2. quæst. 6.* viua voce, vel intrà tempus à iure constitutum,

idest

idest hodie decendium à tempore illati grauaminis, de momento ad momentum computandum in scriptis post vivam vocem, vel etiam lineca, *cap. Appellationeq. in certa appellationis rationabilis causa.*

6 Potest, qui à sententia definitiua appellauit, in iudicio appellationis, quas placuerit grauaminis causas proponere: Itē noua instrumenta, nouos testes producere, non adducta adducere, non probata probare, *cap. Constitutus 2. cap. Fraternitatis de test. cap. Cum Ioannes de iuramentis, &c.*

7 Appellatio deuoluit causę cognitionem ad Superioris Tribunal, maximè vbi ab inferiore est admissa, *cap. Sæpè, §. fatuis*, & suspendit sententię executionem, vt & officium Iudicis, qui eā protulit, & ca in causa, & articulo, in quibus est appellatū, *cap. Venientes 19. de iure iur. cap. Dilectis 55. cap. Licet de offic. legat. cap. Sacro de sentent. excomm.* Verùm in alia causa, quàm à qua appellatū est, Iudex contrà appellantem procedere potest, *cap. Cum teneamur 17. & cap. Præterea 22.* nisi causa ità sit connexa cum ea, à qua est appellatum, vt separatim cognosci de ea non possit: non tamen appellatio ità officium Iudicis suspendit, quin agere possit, nam si fructus rei petitę ab appellante post sententiam latam dissipentur, rectè potest iubere sequestrari, *cap. De sequest. poss. tan. quo. tit. post 2. quæst. 6.* Appellationi renunciatur expressè, desistēdo ab appellatione, vel tacitè non petendo Iudicem, ad quem appellauit intrà præfixum tempus.

8 Legitima appellatio excusat ab incurrenda censura lata sub conditione, modò appellatio fiat ante conditionis impletionem. Appellatio à sententia, sub conditione lata excusat ab incurrenda pœna, etiamsi appellatio posteà fuerit derelicta; Vndè citatus à Iudice ad comparendum intrà mensem sub pœna alicuius censuræ, non peccat, nec censuram incurrit non comparendo post factam appellationem, etiamsi illam non prosequatur. *Sayrus lib. 1. cap. 16. nu. 23.* Cou. *cap. Alma mater 1. par. §. 10.*

9 A sententia declaratoria licitum est appellare, vt si Iudex declaret aliquem excommunicatum propter delationē scloppi, potest Clericus ab hac declaratoria appellare, & probare, scloppū à se delatū non fuisse; Vndè declaratus excommunicatus, non est vitandus, facta appellatione à sententia declaratoria, modò delictū non sit adeò notum, vt nulla tergiuersatione celari possit, quia tunc non prodest appellatio, & non suspendit effectum, vt in primo casu. Nauar. *in cap. Contingat de rescrip. causa*, Suarez *de censuris disput. 3. sect. 6. num. 6.* & alij.

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Circà appellationem, quæ consideranda.*
2 *Apostoli, quid.*
3 *In omnibus causis an possit appellari.*
4 *Appellatio coram quo facienda.*
5 *Appellatione pendente, nihil innouandum.*
6 *Appellatio fit ab inferiore ad superiorem; non è contrà.*
7 *Quæ differentia inter appellatione ab interlocutoria, & definitiua.*
8 *Ab interlocutoria, an, & quando liceat appellari.*
9 *In appellatione requiritur litis contestatio.*

1 Circà appellationem, quatuor consideràda sunt: Primùm, tempus interponendi appellationem; Secundùm, petēdi Apostolos: Tertiùm, est tempus se prçsentādi coram Iudice, ad quem: Quartum, est tempus prosequēdę interpositę appellationis. Primum tempus est decem dierum, & illud tempus incipit currere à tempore latæ sententiæ, & à tempore scientiæ: Secundùm tempus est triginta dierū, quod tēpus incipit currere à tempore sententię latę: Tertium est, quod statuit Iudex, à quo appellat, infrà quod, Iudici, ad quē se præsentet cum Apostolis: Quartùm tēpus est circà prosequendæ appellationis instantiam, & illud est annus, vel ex causa, triennium, nisi fuerit lata alia sentētia: Prima sententia remanet firma, & istud tempus incipit currere à tempore interpositæ appellationis.

2 Sunt autem Apostoli litterę dimissorię, quas Iudex, à quo appellatur, dat in testimonium, & fidem appellationis interpositæ: & sunt triplices, aut enim sunt dimissorij, aut reuerentiales, aut refutatorij: debent autem Apostoli cum instantia peti, quia prodest ad mitigandam iram Iudicis, qui vt plurimùm prouocatur, & irascitur contrà appellantem.

3 In omnibus causis, & in quacunq; causa regularitèr appellari potest, nisi reperiatur specialitèr prohibitum. Fallit tamē in multis casibus, in quibus appellare non licet: de iure tamen Canonico, potest à quocunque grauamine appellari, siuè sit illatum in iudicio, siuè extrà iudicium.

4 Appellatio fieri debet in præsentia Iudicis, à quo appellatur: & ratio est, quia principalitèr rescindit factum Iudicis, & quia pars ab eo grauata est, Vndè iura volunt, coram Iudice, non coram parte fieri debere appellationem; vbi tamen in præsentia Iudicis non appellaretur; tunc debet ex interuallo appellari corā honestis viris, dummodò fiat præsentibus testibus: hæc appellatio ità facta debet Iudici intimari; aliàs enim prçiudicaret parti appellanti, & Iudex excusaretur, si in causa procederet; & sic teneret processus: Potest tamen ex causa legitima quis etiam in absentia Iudicis appellare, vt si erat absens tempore sententiæ; ità vt intrà decem dies non potuisset appellare, vel mittere ad Iudicem; tunc enim poterit in absentia Iudicis appellare: Item si erat infirmus, &c.

5 Appellatione pendente, nihil innouari debet: est communis regula, quæ tamen fallit in quinque casibus, in quibus aliquid potest innouari, appellatione pendente: Primò, quia introduci potest ex prouisione, *l. per hanc §. de temp. appell.* In causa namq; appellationis, licet vtrique parti non propositum

positum proponere, non probatum probare, si antiquā actionē respiciat: Secūdò, fallit in innouatione, quæ fit cōtrà appellationē partiū; quam innouationem fieri, aut nō fieri, nō interest appellātis: Tertiò, quando potest attestari id, quod potuisset attestari in causa principali: Quartò, quādo appellando innouatur, quæ innouatio fieri potest, vt si quis esset condemnatus in causa criminali, licèt appellauerit; si tamē fide-iussores fideles non habuerit, in carcerem conijci potest: Quintò fallit, quando appellatio est frustratoria, & euidentèr friuola, quia tunc, non obstāte tali appellatione, est innouandū, & potest fieri executio, tali appellatione pendente.

6 Appellatio debet fieri ab inferiore ad superiorem; non è conuerso; nec à pari in parem, quia par in parem non habet imperium: sed in hoc est differentia inter ius Canonicum, & ciuile, quia iure Canonico appellatur ab inferiore ad superiorē, scilicet Papam sine aliquo medio; iure autē ciuili, ab inferiori ad superiorem mediatū.

7 Est differentia inter appellationem ab interlocutoria, & appellationē à definitiua: Primò, quia appellatione pendēte à definitiua, nihil debet innouari; secùs in appellatione ab interlocutoria, quia appellatione pendente, potest innouari, nisi expressè sit prohibitum per Superiorem: Itē in appellatione à definitiua nō requiritur expressio causæ; in appellatione autem ab interlocutoria debet exprimi, & specificari causa: Item appellari debet ab interlocutoria in scriptis; vbi autē incontinenti appellatur à definitiua, potest appellari viua voce; aliàs, non.

8 Licèt regularitèr iure ciuili non possit appellari ab interlocutoria sententia, tamen in tribus casibus fallit: Primò, ab interlocutoria appellari potest, quādo grauamen non potest reparari per sentētiam definitiuam: Secundò, ab interlocutoria appellari potest, quæ habet vim definitiuæ: Tertiò, quando non speratur sequi alia definitiua, ab interlocutoria appellari potest.

9 Requiritur in appellatione litis contestatio, quemadmodùm in causa principali, & hoc si vtraque pars est præsens, quia si altera pars esset absens, non requiritur litis contestatio: Item quòd licèt causa prosequendi appellationem habeat quatuor menses; vbi autem principalis moriatur, pendēte tempore appellationis, tunc nullum tempus detur heredi prosequendi appellationem: Item licèt dicatur, quod tempus prosequendi appellationem incipiat currere à tempore interpositę appellationis; tamen dictum tempus non currit, nisi postquàm est datus Iudex, qui habeat cognoscere de appellatione. Quòd autem dictum est, appellatione pendente, nihil innouari debere, si tamen pendente appellatione, dilapidarentur fructus per possessorem, poterit peti sequestratio illorum fructuum: dicuntur autem dilapidati fructus, etiamsi conuertātur in proprios vsus, &c.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Recusatio quid.*
2 *Eius effectus.*
3 *Recusatio est appellationi affinis.*
4 *Quando debeat proponi.*
† *Debet fieri in scriptis.*
† *Iusta causa recusationis.*
5 *Relatio est appellationi affinis.*
† *Quid sit relatio.*
6 *Supplicatio quid sit.*
7 *Quando, & quomodo fiat supplicatio.*
8 *Restitutio in integrum quid sit.*
† *Quibus concedatur.*
9 *Quadriennium conceditur ad petendam restitutionem.*
† *Quando incipiat.*
10 *Qui restituantur in integrum.*
11 *Maiores quomodo à minoribus differant.*
12 *Restitutio petitur de iure potentiū.*

1 Recusatio est iurisdictionis, vel audientię, causa suspicionis, proposita declinatio, quæ in scriptis facienda est; & libellus conficiendus, in quo contineatur quis, quomodo, & in qua causa, & quare recusat: Recusari, secundùm Canones, quilibet Iudex potest; de iure verò ciuili, ordinarius Iudex recusari non potest, sed si vna pars habeat eum suspectum, potest peti, alium sibi adiungi, & adiungitur ei Episcopus loci; is enim recusari non potest.

2 Effectus recusationis is est, quod sicut pendente appellatione, Iudex supersedet principali; sic & recusatus Iudex; quod verum est, quantùm ad causam principalem, sed quantùm ad alia, non supersedet.

3 Recusatio est appellationi affinis, quia sicut per hanc receditur ab audientia Iudicis; ità per illam *cap. 2. Requiris de appellat. cap. Quod suspecti.* Tàm Iudex ordinarius, quā Delegatus recusari potest, nisi Delegatus ad petitionem partis non sit datus, quia in isto casu is, qui eum petijt, recusare non potest, *cap. Inducia, §. offeratur.*

4 Proponi debet recusatio ante litis contestationem, *cap. Inter Monasterium*, vel etiā post, si oriatur causa suspicionis, *cap. Insinuantem, de officio Delegat.* prestito tamen à recusante iuramento, causam de nouo ad eius notitiam peruenisse, *cap. Pastoralis, de exceptionibus.*
† Recusatio debet fieri in scriptis. Si iustę causæ recusationis sunt, si Iudex litigatoris sit inimicus, aut amicus, cognatus, affinis aduersarij, aut si in eodem negotio fuerit Aduocatus, Procurator, vel ipse cum alio habeat litem similem, nè Ius inter alios dicat, quod sibi dici postulat, *cap. Cùm speciali 61. cap. Cùm causam quæst. 18. de iudic.* Causa intrà annum non probata, Iudex perindè procedere potest, ac si recusatus non fuisset, *cap. 2. Requiris 41.* ea probata, debet abstinere, & causam alteri committere, vel ad superiorem transmittere, *cap. Cùm speciali 16. cap. Cùm te, de officio Delegati, cap. Peruenit 11. quæst. 1.*

5 Relatio est etiam appellationi affinis, quia cum ea in effectu conuenit, & relatio

Iudicis

Iudicis competentis de iure, ob difficultatem, vel eius ambiguitas dubitatis ad Papam, vel ad Principem missa consultatio, *cap. Inshimasti 68 de appellat.* Locum habet vel in casu controuersio propter diuersas Doctorum sententias, dubius, vel sibi contrarius, *cap. Pastoralis de fide instrumentorum, cap. Litteras, de restitut. spoliat.* Relatione pendente, quæ innouantur, vel de causæ meritis inquiruntur, vel fiunt, irrita habentur. *cap. Licet, de officio Delegat. cap. Bona de postul.* †

6 Supplicatio est etiam affinis appellationi: Est supplicatio, quędā Superioris imploratio aduersus sententiam, contra quā ordinarium remedium appellationis non competit. Abbas *in cap. Ex litteris.* Est enim remedium extraordinariū ex gratia Principis, seu Superioris concessum. Abbas *loco citato*, & conceditur solùm ei, cui remedium appellationis ordinariū nō cōpetit. Glos. *in c. ex litteris notab. 4.* Supplicatur ad eundem, a quo alias appellare non licet, Authen. *quæ supplicatio, C. de precib. Imperat. offerēt.* Supplicatur tantùm in casibus, vbi remedium appellationis ordinarium cessat. Glos. *in cap. Ex litteris in 4. notab.*

7 Fit supplicatio, vt appellatio, vel incontinenti, vel post, in scriptis debet fieri intrà biennium, si sit Superiori, vel Principi, *leg. vnica Cod. de sentent. Praef. prætor. infrà decem dies si Iudex sitt.* Glos. *in cap. Ex litteris in verbo supplicante*, si facta intrà decem dies, sententia non aliter executioni mandatur, nisi caueatur tantùm restituenti, si ipsum posteà succumbere contingat, quantam fuerit in condemnatione, cautionem præstiterit intrà biennium post decem dies: si facta supplicatio indistinctè sine vlla satisdatione, fit executio. Abbas *in cap. Ex litteris*, & Glos. *ibidem in verbo supplicante.*

8 Restitutio in integrum est etiam appellationi affinis: est autem restitutio, in pristinum statum reductio, *leg. Quod si minor 25. § restit. ff. de min.* † Conceditur priùs minoribus quadriennio post 25. annum completum, *l. vnica C. si aduersus vsucap.* Secundò, cōceditur Ecclesiis, & locis pijs, etiamsi præscriptio sit 40 annorum. Molina *disput.* 80. Tertiò, conceditur eis, qui Reipublicæ causa sunt absentes, vel in vinculis hostium, vel alio legitimo impedimento detenti, &c.

9 In iure continuum quadriennij spatium conceditur ad petēdam restitutionem ex quacunque causa: quadriēnium verò istud in restitutione minorum inchoatur ab ætate legitima, siuè exacto 25 ætatis anno. † In restitutione verò Ecclesię incipit à tempore factę lęsionis, nisi iusta causa postulare videatur, vt etiam post elapsum quadriennij tempus, Ecclesię, vel Reipublicæ restitutio concedatur. Molina *tom. 2. disput.* 554. Si verò personę Ecclesiasticę in proprijs bonis, aut iuribus lędantur, nō competit eis beneficium restitutionis in integrum, *ità cap. Auditis de integrum restit. l. omnia, C. de sacrosanct. Eccles.*

10 Restituuntur læsi in integrum aliquandò ad totam causam, si sint minores, etiāsi defensi fuerint; maiores autē, si causa Reipublicæ absfuissent, si sint defensi, non aliter restituuntur, nisi vt appellent, & datur restitutio, causa cognita, vocatis vocandis.

11 Maiores à minoribus in eo differūt, quia maiores in his tantùm restituuntur, quæ aduersùs eos gesta sunt: minores autem & in gestis à se, & contrà se restituuntur: Item minores solo Iudicis officio nituntur; maiores verò, officio, & iure, hoc est actione rescissoria proposita.

12 Petitur autem restitutio Iudicis officio, & cognitio saltem summaria de iure petentis requiritur, & erit in suis casibus necesse, libellum offerri, litem cōtestari, &c.

P A R A G. II.

Textus Sacrorum Canonum. De Appellatione.

S V M M A R I V M.

1 *Collatio beneficij post appellationem rationabilem, non tenet.*
2 *A correctione legitima an fiat appellatio.*
3 *Ad appellationem prosequendam quantum tempus detur.*
4 *Appellans ab vno Iudice in aliqua causa, an possit in alia coram eodem reconueniri, &c.*
5 *Appellans, & appellationem non prosequens ob impotentiam, an sibi præiudicet.*
6 *Articulo, in quo appellatum est, an supersedendum.*
7 *Lædentes Clericos, & appellantes, an, & quando compellendi ad prosecutionem appellationis.*
8 *Iudex, quando non debeat appellantem admittere.*
† *Appellantes ad futurum Concilium generale, ligantur excommunicatione in Cœna Domini.*

1 COllatio beneficij facta post appellationem, ex causa probabili, & verisimili, est ipso iure nulla, *ex cap. Dilectis, de appellat. &c.* Appellatio generalis, respectu causę, non valet, *ex cap. Inter cætera 2.* quia à futuro grauamine appellari non potest. Sigismund. Scac. *tract. de appellat. quæst. 5. num.* 102. & alij.

2 A correctione legitima non fit appellatio, nisi in correctione excedatur modus, *ex cap. Ad nostram 3.* Ratio, quia appellatio non debet fauere delinquēti. Si appellans intrà terminum à Iudice, à quo appellauit, vel à seipso statutum, appellationem non prosequitur; sententiæ, vel iudicio illius stare compellitur; quòd si appellās suæ appellationi terminum nimis prolixum statuerit, potest Iudex statuere competentem, *ex cap. Personas 4.*

3 Appellans ad prosequendam appellationem habet annum, & ex causa, bienniū, nisi Iudex moderetur; & si intrà tempus non prosequitur, rata manet sententia, vel redit ad primum, si ante sententiam appellauit, *ex cap. Cum sit Romana 5.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus appellans excusatur à desertione: Primus est in impedito, contrà quem appellationis prosequendæ terminus non currit. Flam. *de resignat. lib.* 11. *quæst.* 13. *num.* 13. Secundus casus est, pendente

dente compromisso: Tertius, ratione paupertatis. Thes. *decis.* 10. *num.* 5. Boer. *decis.* 247. *num.* 14. & alij: Quartus in minore, cui datur restitutio.

4 Quando quis appellauit in vna causa ab aliquo Iudice, si postea coram eodem conuenitur de alia causa, debet stare in iudicio, nisi illum vt suspectum recuset, *ex cap. Ad hæc* 2. 6. Si à Iudice inferiori vnus appellat ad Papã, alius ad inferiorẽ, tenetur appellãs ad Papam cõparere ad citationẽ Iudicis inferioris, saltẽ allegaturus appellationem suam; aliàs valebit processus à minori, nisi scluerit appellationem interpositam ad Papam; *cap. Si duobus* 7.

5 Qui appellauit, & intra biennium non est appellationem prosecutus ob impotẽtiam, non sibi præiudicat; quia potest in integrum restitui; *cap. ex Ratione* 8. Delegatus, cui committitur aliqua causa, si post citationem iuit ad Sedem Apostolicam, potest in causa procedere secundùm formam iuris, sed si iuit ante citationem, non potest procedere, *ex cap. Meminimus* 9.

6 Supersedetur articulo, in quo appellatum est, etiam super principali causa, si sine illo articulo expediri non potest, *ex cap. Super eo* 1. 10. Etiam pro minoribus, & leuioribus causis appellari potest, *ex cap. De appellat.* 11. Secundùm Canones, appellatur etiam ante sententiam; secundùm leges, nonnisi in quibusdam casibus: Item appellatio, & recusatio sunt pares in hoc, quia sicut in appellatione requiritur causa rationabilis; ita & in recusatione, *ex cap. Super eo* 2. 12.

7 Clerici, quando conqueruntur, se vulneratos, vel læsos esse, & malefactores, dum impetuntur ad Sedem Apostolicam, se appellabant; si eorum excessus non sit notorius, compellendi sunt, vt intra cõuenientem tempus appellationem interpositam prosequantur: Si verò excessus illorum sit notorius, non obstante appellatione illorum, denunciandi sunt excõmunicati; ac vt excõmunicati sũt vitandi donec satisfaciant, & cum litteris sui Iudicis Papæ se præsentent; *ex cap. Peruenit* 1. 13. In notorijs non datur appellatio, & quod est dubium, non est pro notorio habendum, *ex cap. Consuluit* 14. Vndè captus in flagranti crimine, cùm dicatur notorius delinquens, non poterit appellare: Itẽ in notorio præsumptionis, aut fictionis, prout surgit à facto notorio, non admittitur appellatio. Menoch. *præsumpt. lib.* 1. *præsumpt.* 76. *num.* 1. & 2.

8 Qui, postquam Reus appellatus appellauit ad Papam, reportauerunt litteras fauorabiles, post litteras obtentas fraude, vel malitia appellant; tunc Iudex non debet eorũ appellationẽ admittere, sed causam terminare, *ex cap. Suggestum* 15. Si post appellationem excommunicatus celebrat diuina, non incurrit aliquam irregularitatem, nec ex eo venit puniendus; si constat appellationem fuisse legitimam, *ex*
† *cap. Ad præsentiam* 16. Iudex, à quo fuit appellatum, potest reformare possessionem appellantis, si pendente appellatione, coram Superiore turbata fuerit ab aliquo, *ex cap. Cùm teneamur* 17. Appellatio generalis non valet, sed debet esse restricta ad certam causam, *ex cap. Consuluit* 2. 18. Ratio, quia à futuro grauamine appellari nõ potest. Abbas *in cap. Bonæ memoriæ* 51 *num.* 10. *de appellat. Differentia* 9. Sigismond. Scac. *in tract. appellat. quæst.* 2. *num.* 43. & *quæst.* 5. *num.* 101. limitat hanc doctrinam, vt non procedat in casu, quo grauamen esset irreparabile per appellationem subsequentẽ, & *nu.* 113. etiam limitat, quando futurum grauamen trahit originem à grauamine iam illato, & appellatio interponitur ratione vtriusque, & *num.* 114. pariter limitat, quãdo futurum grauamẽ esset comminatum per Iudicem, quia tunc ab huiusmodi futuro grauamine posset appellari, & *num.* 115. Limitat denique, vt non procedat in appellatione extraiudiciali. Est autem excommunicatio *in Cœna Domini* contra appellantes à grauamine ad futurum Concilium generale: Item ligantur ab excommunicatione præbentes auxilium, fauorem, &c. quicumque illi sint, modò non sint Vniuersitates, Collegia, &c. Hæc enim ligantur Interdicto.

PARAG. III.

Cotinuantur Textus antecedentes.

SVMMARIVM.

1 *Per appellationem friuolam non excusatur quis ab obedientia Superioris.*
2 *Appellatio ex causa subterfugij, non tenet.*
3 *Appellans in vna causa ab Ordinario, an in alia ei teneatur respondere.*
4 *Excommunicatus, an, & quo pacto possit absolui à Iudice, à quo fuit excommunicatus.*
5 *Canonice appellante, &c. quid?*
6 *Mittens ad Papam ante citationem, vel, &c. potest appellare.*
7 *Appellatio, contrà Constitutiones Regulares, an Religiosum defendat.*
8 *Causa, an, & quando remittenda Iudici, à quo, &c.*
9 *Causa appellationis quando ad priorem Iudicem remittenda.*
10 *Appellationi in quibus casibus non deferatur.*

1 APpellatio friuola non excusat inferiorem, quominus teneatur obedire Superiori; alioquin dicitur contemnere, & tenetur innocentiam suam probare, *ex cap. Cùm Parati* 19. Qui iurauit stare mandato Ecclesiæ, si posteà appellauerit, est compellendus seruare iuramentũ, si tamen de facto grauatur, appellare poterit, *ex cap. Ad hæc* 2. 20.

2 Appellationi, quæ est ex causa subterfugij, non est standum, *ex cap Quæst.* 21. sed inducenda eadem censura, v. g. excommunicatus præstitit iuramentum, quòd stabit mandato Ecclesiæ, & sic fuit absolutus, sed antequam mandatum fiat ei, appellat causa subterfugij, talis appellatio est nulla, *ex eodem cap.* Appellans ab Ordinario de delicto posteà commisso, ab eo

puniri debet, non obstante appellatione, *ex cap. Præterea* 1.22. Non curans appellationem factam, sed vlteriùs procedens, appellando, eius appellatio non consideratur, *ex cap. Constitutus* 1.23.

3 Appellans ab Ordinariò in vnacausa, in alijs coram eo respondere tenetur: potest tamen eum recusare, vt suspectum, nisi conueniatur de crimine manifesto, in quo non cadit excusatio, nec suspicio, vt quia imponitur pœna iuris surgens ex ipso facto, *ex cap. Propositus* 24. Ratio, quia in notorijs criminibus non potest Iudex, vt suspectus recusari. Antonius Gomez *tom. 3. variarum cap. 1. nu. 47.* Farinac. *in prax. crim. par. 1 quest. 21. num. 129.*

4 Excommunicatus potest absolui à Iudice, qui eum excommunicauit cautione recepta, quod parebit æquitati coram Papa, ad quem appellauit, vel corā eius Delegato, licèt aduersarius appellet ne absoluatur, *ex cap. Quā fronte* 25. Prælatus subditum suspendere, vel excommunicare non debet, nisi monitione præmissa, nec subditus contra disciplinam Ecclesiasticā appellare, maximè si sit Religiosus. Item Iudex debet præfigere tempus appellanti ad prosequendam appellationem, intra quod si nō prosequatur, Iudex, à quo reassumat iurisdictionem, & iudicet, *ex cap. Reprehensibilis* 26. Vndè Iudex, à quo, debet appellantes compellere, vt appellationem prosequantur, vel coram se iuri pareant; Et si Iudex recusatur, vt suspectus, insistat, vt eligant Iudicem, qui valeat dirimere quæstionem, *ex cap. Ad hæc* 3. 27.

5 Si Canonicus ad residentiam admonitus appellet, statuitur terminus ad appellationem prosequendam, & interim prouidere debet de idonea persona, quæ pro eo seruiat Ecclesiæ, assignata illi portione fructuum illius beneficij, vndè honestè viuat, & si appellationem non prosequitur, priuari debet præbenda, *ex cap. Peruenit* 2. 28 Appellatio, quæ est contra ius, vel executionem iuris, non est admittenda, *ex cap. Consuluit* 29.

6 Qui ante citationem, vel notitiam litterarum, misit Nuncium ad Papam, appellare potest, ne Delegatus procedat, secus si post, *ex cap. Ad hæc* 30. Qui non detulit appellationi interpositæ ad Papam mittitur cum litteris Ordinarij, ad Curiam puniendus, *ex cap. De Priore* 31.

7 Contra Constitutiones regulares, appellatio Religiosum non defendit, *ex cap. Quia nos* 32. Iudex, à quo, potest præfigere terminum appellanti, quo elapso, reassumit Iudex iurisdictionem, *cap. Ad aures* 33. Si præcedente grauamine, quis se submittat protectioni Superioris, habetur pro appellante, dummodò seruauerit ea, quæ in appellatione sunt necessaria, *ex cap. Ad Audientiam* 34.

8 Causa non est remittenda ad Iudicem, à quo, appellatione adhuc non iustificata, nisi de consensu partium, *cap. Accepta* 35. Delegatus datus cum clausula, *Appellatione remota*, potest recusari vt suspectus, si sit consanguineus, affinis, &c. *ex cap. Postremò* 36. Sententia Interdicti nō suspenditur per appellationē sequētē, *ex cap. Ad hæc* 5. 37. Quod intelligendū est de defectibus spiritualibus, non autem de alijs, quia in istis appellatio subsequens suspendit effectum Interdicti.

9 Iudex appellationis debet remittere appellantem, & causam ad priorem Iudicem, si ei constiterit, non esse appellatum à grauamine, vel iniusta sententia, *ex cap. Cum in Ecclesia* 38. Qui simul appellauit, & non prosequitur, si redit ad Iudicem, à quo, appellationi videtur renunciare, & deinde grauatus potest iterùm appellare, non obstāte prima desertione, *ex cap. Dilecti* 39. Ratio, quia licet censeatur renunciare appellationi interpositæ; non tamen censetur renunciare interponendæ, idest iuri appellandi. Felin. *in cap. Gratum* 20. *de offic. deleg.* Sac. *in tract. de appellat quæst. 17. limitat. 2. num. 26.* vbi refert alios contrarium tenentes.

10 Appellationi non defertur in illis quatuor casibus enumeratis, *in l. 13. tit. 23. par. 3.* quorum primus est, quando appellatur à sententia interlocutoria, cuius grauamen potest reparari: Secundus, quando partes conueniunt, ne appelletur à sententia ferenda: Tertius, in condemnatione debiti fiscalis: Quartus, quando Rex commisit causam cognoscendam, appellatione remota. Alij casus referuntur, *in l. 17. tit. 10. par. 3. & in l. 16. tit. 10. par* 3. Exemplum ponēs in publicis latronibus, seditiosis, & raptoribus, & qui per vim cognoscunt mulieres, virgines, aut viduas honestas, aut Religiosas, & in falsificatoribus auri, & argenti, & sigilla Regia adulterantibus, & mutantibus, & qui veneno, vel proditoriè occidunt homines: sunt etiam plures alij positi in alijs legibus.

PARAG. IV.

Continuantur etiam.

SVMMARIVM.

1 *Sententia excommunicationis lata sub conditione, quando suspendatur.*

2 *Terminus in appellatione datus habet vim peremptorij.*

3 *Appellatio friuolā in casu electionis, &c. non admittitur.*

4 *Quando locus iudicij non est tutus, an possit appellari.*

5 *Iudex, à quo appellatur, an possit præscribere tempus appellationi.*

6 *Itineris susceptio ad Superiorem, an, & quando vim appellationis habeat.*

7 *Excommunicatus quando censeatur renunciare appellationi.*

8 *Per appellationem, principale, &c. ad Iudicem appellationis defertur.*

9 *Littera commissionis, &c. super termino appellationis impetrata, quando non valeant.*

10 *Altera parte contumaciter absente, potest Iudex, licèt fuerit appellatum, causam definire.*

1 Sen-

1 Sententia excommunicationis, suspensionis, &c. lata sub conditione, suspenditur, si ante conditionis euentum fuerit appellatum, *ex cap. Praterea* 2. 40. Si per rescriptum committantur plures articuli connexi, & in vno remoueatur appellatio, intelligitur remota etiam in alijs, *ex cap. 2. Requiris* 41. Appellationi ab alio inter positæ non deferens, non gaudet beneficio appellandi, & sic ponitur in eo, in quo deliquit, *ex cap. An sit* 42. Merus executor non recusatur, nec ab eo appellatur, nisi modũ excedat, *ex cap. Nouit* 43. Ratio, quia si est aliquod grauamen, Iudex illud infert, & non executor merus. Crauet. *consil.* 273. Rebuf *tract. de appellat. art. 7. glos. 5. nu. 17.* Merus executor dicitur ille, cui post latam sententiam, & post habitam causæ cognitionem, super exceptione, Iudex committit vndè executionem facti.

2 Si appellatio recipitur à Iudice, vel approbatur à parte; terminus, qui datur ad prosequẽdam appellationem, habet vim peremptorij, vt in absentem procedatur, ac si peremptoriè fuisset citatus ad iudicium, & non venisset, *ex cap. Sæpè* 44. Appellans in causa electionis, si intra tempus legitimum non prosequitur, Iudex ex officio suo potest procedere in cognoscendo de impedimentis electi, quia negligentia partis non præiudicat officio Iudicis, *ex cap. Constitutus* 45.

3 Electus ad aliquam dignitatem, & confirmatus, ità vt in iure nihil desideretur, si appellatur friuolè, idest sine rationabili causa, ad impediendam scilicèt executionem; appellatio non admittitur, sed electus mitti debet in pacificam possessionem, & quia appellauit, si habet aliquid contrà eum, proponat, non per modum appellationis, sed accusationis, & denunciationis, *ex cap. Consulturus* 2. 46.

4 Si locus non est tutus, vbi pars vocatur, appellare potest etiamsi sit scriptum, appellatione remota; ità *ex cap. Ex parte* 2. 47 quia citatus ad locum non tutum, non tenetur comparere. Excipiens, Procuratorem posse solùm citare, & non agere, si appellat, quidquid fit post appellationem est vanum, *ex cap. Significauit* 48. Licitè appellat Reus, petens sibi declarari rem petitam in libello, si non auditur, *ex cap. Significantibus* 49.

5 Iudex, à quo non potest statuere tempus ad finiendam appellationem: quod si fecerit, intelligitur statuisse ad se præsentandum, *ex cap. Insinuatione* 50. Qui extrà iudicium appellat ex verisimilibus, & probabilibus causis, ne in possessione molestetur, si posteà spoliatur, restituitur antè omnia in statum, in quo erat tempore appellationis emissæ, *ex cap. Bonæ memoriæ* 51.

6 Itineris arreptio ad Superiorem habet vim appellationis, si seruantur ea, quæ seruari debent in appellatione, *ex cap. Dilecti* 2. 52. Ratio, quia facta magis declarãt voluntatem, quàm verba. Menoch. *consil.* 1. *num.* 264. & alij. Per clausulam, *appellatione remota*, inhibetur appellatio, quæ à iure non indulgetur expressè, *ex cap. Pastoralis* 53. Licèt excommunicatus ab excommunicatione appellet, nihilominus denũciari potest, & redditibus beneficij expoliari, *ex cap. citato.*

7 Si excommunicatus ab Episcopo, postquàm appellauit ad Papam, hanc causam defert simpliciter ad Metropolitanum, appellationi renũciat, & Archiepiscopus causam audiet: sed si protestetur contrarium, Archiepiscopus non cognoscet; quod si fecerit, non potest Episcopus non appellare, nisi notorium sit, excommunicatum non tenere, *ex cap. Solicitudinem* 54.

8 Per appellationem legitimè interpositam, principale eum accessorijs ad Iudicem appellationis defertur: & sententiæ excommunicationis, & interdicti post appellationem latæ, non tenent, *ex cap. Dilectis* 55. Postquàm Papa aliquam causam ad se reuocat, non valent processus per minorem Iudicem facti, ac si ab eo fuisset legitimè appellatum, *ex cap. Vt nostrum* 56.

9 Si terminum appellationis prosequendæ statutum ab homine altera pars præuenit, & impetrat litteras commissionis à Papa ad alios Iudices, hoc tacito, litteræ non valent: Si verò terminus fuit datus à lege, est standum secundis, nisi nimiũ procurauerit, vt supplantet impetrantem in commissione impetrandâ, & vbi ex dilatione imminet periculum, etiam neutra parte prosequente, potest Iudex, ad quem, supplere partes, compellendo ad prosecutionem, *ex cap. Oblatæ* 57.

10 Quando altera pars est contumacitèr absens, potest Iudex appellationis, si post litem contestatam fuerit appellatum, etiã principale negotium definire, *ex cap. Per tuas* 58. Appellans ante sententiam, tenetur exprimere causam rationabilem coram ipso Iudice, à quo; nec admittitur exceptio, quòd priùs miserat Nuncium ad Sedem Apostolicam, vel quòd litteras impetrauerat, quòd non sunt Iudici præsentatæ, *ex cap. Debitus* 59. Vndè omnis oppressus, siuè iniustè grauatus potest appellare; ità Ruginel. *in tractat. de appellat.* §. 5. *cap. 1. ampliat.* 12. *num.* 118. Scac. *in eodem tractat. lib. 3. cap. 2. qu. 5. art. 1. num. 1.* qui declarat, vt habeat locum non solùm in eo, qui non est grauatus, considerato præsenti statu causæ, sed potest esse grauatus, considerato possibili futuro statu; grauamen enim est causa appellationis, & appellatio quando dicatur sine causa, relinquitur arbitrio Iudicis. Scac. *quæst. 2. num.* 49 Appellatio debet ab appellante proponi coram Iudice, à quo. Rota *in vna Salernit. contributionis* 14. *Nouembris* 1614.

PARAG. V.

Item continuantur Textus. De Appellatione, &c.

SVMMARIVM.

1 *Iudex, reuocato grauamine, ob quod fuit appellatum, potest in causa procedere.*

G 2 2 *Ille-*

2 *Allegauti suspectum Iudicem, causa suspicionis sunt proponenda.*
3 *Procuratore errorem, &c. corrigente, an lis cotestetur.*
4 *Appellanti sua vera exceptio ostendenda.*
5 *Appellare ad superiorem, relicto medio, an quis possit.*
6 *Iudice, ante contestatam litem, aliquid innouante, an licitè appelletur.*
7 *Appellans, causā appellationis suæ veram debet probare.*
8 *Appellatio unius, an, & quando prosit alteri non appellanti.*
9 *Iustus metus non appellantis, an excuset, &c.*

1 SI Iudex, à quo fit appellatum ob grauamen, illud reuocat, potest in principali causa procedere, *ex cap. Cum cessante 60.* A sententia interlocutoria in pluribus appellari potest; principalitèr, quando grauamen sententiæ interlocutoriæ non potest reparari per sententiam definitiuam. Menoch *de arbitr. casu 490. num. 3.* Surdus *decis. 36. num. 13.* Miranda *de ordine iudiciario quæst. 30. art. 8.* etiamsi grauamen reparari possit ex toto, sed cum magna difficultate, seù præiudicio partis. Surdus *decis. 39. num 14. & 15.* Ricc. *in praxi resolut. 405. num. 2.* & alii. In quibus casibus grauamen non possit reparari per sententiam definitiuam, videndi sunt Doctores relati à Barbosa *in lib. 2. decret. tit 28.*

2 Volens Iudicem allegare suspectum, debet causā suspicionis coram eodem proponere, & eam coram arbitris communitèr eligendis probare: & si causa suspicionis non probetur legitima, Iudex debet vti sua iurisdictione: ea verò non probata, remittit negotium ad Superiorem, vel committat causam personæ idoneæ de cōsensu recusantis, *ex cap. Cum speciali 61.*

3 Procurator, quando corrigit errorem sui Aduocati dicentis falsum contrà partem, lis non dicitur contestata, & Iudex non potest recipere testes: Item nec potest approbare testes receptos à Subdelegatis; & si aliquid horum facit, licitè appellatur; & quidquid post appellationem fecerit, est irritum, *ex Cum causam 62.*

4 Appellans debet docere, quòd legitimā exceptionem, & veram opposuit, & etiam quod ipsa non fuit admissa, *ex cap. Dilecto 63.* Appellās, qui terminum appellationi præfigit, si mittit Procuratorem ad impetrandum, & contradicendum tantùm, & appellatio fuit accepta à Iudice, vel approbatā à parte legitime prosequenti, condēnatur in expensis, *ex cap. Nicolao 64.* Ab eadem sententia ab eodem tertio appellare non licet, *ex cap. Sua nobis 65.*

5 Appellare non licet ad superiorem Iudicem (omisso medio) si de hoc opponatur, *ex cap. Dilecti 3. 66.* Excipitur Summus Pontifex; vel quando proximior est inhabilis, vel quando denegat iustitiam. Mater ob transitum ad secundas nuptias, nō potest esse tutrix, nec potest nomine filiorum inuita conueniri; & si conueniatur, licitè appellare poterit, *cap. Ex parte M. 2. 64.* Iudex de iure dubitans, si vult consulere Superiorem, debet consultationes coram partibus edere; aliter ei non creditur, *ex cap. Inthimasti 68.*

6 Si ante litem contestatam circa principale negotium, Iudex aliquid innouat, vel diem assignatum fine causa præuenit, licitè appellatur: Item si Procurator missus ad prosequendam appellationem, excedit fines mandati, & interim annus transit, appellans post annum auditur, *ex cap. Significantes 69.*

7 Ad iustificādam appellationem ex causa interpositam, probare oportet causæ veritatem coram Iudice, ad quē, nisi fuerit coram Iudice, à quo, oblata probatio, & reiecta, *ex cap. Interposita 70.* Clausula, *appellatione remota*, si ponatur in medio litterarum, respicit præcedentia; si negotia sint separata: si repetatur in fine, respicit omnia, *ex cap. Inquisitionis 71.* Item quævis alia clausula in fine posita refertur ad præcedentia.

8 Appellatio vnius prodest alteri non appellanti, quando causa est communis, & vna, eademque defensio, *ex cap. Vnu sententia 72.* quia in causis communibus, quando sumus in indiuiduis, priuilegium vnius alteri suffragatur, *leg. Si commune fundum 10. ff. quēadmodum seruit. amitt.* Surdus *de alim. tit. 9. quæst. 14. num. 3.*

9 Iustus metus excusat, adeò vt non appellans habeatur pro appellāte, si coram bonis viris fuerit protestatus, se non audere appellare, & exprimat causas appellationis, *ex cap. Si iustus 73.*

PARAG. VI.

Continuatur præcedens materia.

SVMMARIVM.

1 *Appellans debet appellationis causam assignare in scriptis.*
2 *Iudex suspectus debet statuere terminum, intrà quem, &c.*
3 *Insuper appellans, ad principalem Iudicem remittitur.*
4 *Appellans, quando censeatur renunciare appellationi.*
5 *Existimans se grauatum, &c. potest intrà decem dies appellare.*
6 *Appellans, an possit à Iudice, à quo, compelli ad veritatem, &c.*

1 APpellans ad Papam in iudicio, vel extrà, super interlocutoria, vel grauamine, debet causam appellationis assignare in scriptis, & petere Apostolos, quos Iudex, à quo, tenetur exhibere, in quibus exprimat causam appellationis, & cur causam non admiserit, & si detulerit ei ob reuerentiam Superioris, *ex cap. Cordi nobis, de appellat. in 6.*

2 Iudex allegatus suspectus, arbitris iam electis competētem terminum, intrà quem terminent negotium suspicionis, statuat; alioquin Iudex ex tunc procedat in negotio principali, *ex cap. Legitima 2.* Ab officiali Episcopi non est appellandum ad Episcopum, quia sunt idem Tribunal, sed ad Archie-

chiepiscopum, *ex cap. Romane* 3. Iudex, à quo, requisitus non tradit Apostolos, iuxtà *caput Cordi*, & si procedit, eius processus est nullus, vti fuerit antea appellationi renunciatum, *ex cap. Vt super* 4.

3 Iudex appellationis iniquæ, appellantem ante sententiam, eodem die remittit ad Iudicem principalem, & condemnat in expensis: si verò prior Iudex detulit appellationi, quia à se consequenter abdicauit causam, Iudex non tenetur remittere causam ad priorem, sed potest, si vult, cognoscere de tota causa, vel remittere: si verò sit appellatum post sententiam, seruentur iura antiqua, *cap. Cum appellationibus* 5.

4 Appellans, si intrà 30. dies non petit instantèr Apostolos à Iudice, intelligitur renunciare appellationi, etiamsi vadat, vel mittat ad eam prosequendam, *ex cap. Ab eo* 6. Iudex, ad quem, potest reuocare omnia attentata ante appellationem, sed post sententiam definitiuam, & ante appellationem in decennio; illa verò, quæ sunt innouata per appellationem, siuè ante sententiam definitiuam, non poterit reuocare, nisi priùs constiterit, causam appellationis esse veram, *ex cap. Non solum* 7.

5 Putans se grauatum in actibus extraiudicialibus, vt in electione, &c. potest appellare intrà 10. dies, post quos licèt non possit appellare; potest tamen vti alijs iuris remedijs, vt debitè contradicendo, dummodò interim non consenserit electioni, *ex cap. Concertationi* 8. Appellatio in scriptis porrecta, licèt à Iudice non fuerit lecta, valet, *ex cap. Appellatio* 9.

6 Iudex, à quo, compellere non potest appellantem à grauamine ipsius, veritatem probare: si verò datur terminus appellāti ad audiendā causā grauaminis, & appellās non comparet, & Iudex, à quo, in termino cum effectu, & re ipsa reuocat grauamen; tunc potest Iudex, à quo, liberè in causa procedere, ac si non fuisset interposita appellatio, *cap. Si à Iudice* 10. A collatione facta à Capitulo, & Episcopo, non potest quis appellare ad eumdem Episcopum, si ipse interuenit, vt Prælatus; secùs verò vt Canonicus, *ex cap. Collationes* 11.

DE HIERARCHIA, ET IVRE

Ecclesiæ militantis,

LIBRI QVINTI.

PARS SECVNDA.

De modo procedendi in iudicio inter Regulares.

TITVLVS I.

De Forma iudiciali in iudicijs seruanda.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis possit Iudex procedere in ministrando iudicio.*
2 *Inquisitio duplex.*
3 *Facta inquisitione in generali, non est necessaria prævia infamia delicti.*
† *Non ita in particulari.*
4 *Ad infamiam, & c. quid requiratur.*
5 *Nulla præcedente infamia, non potest procedi per specialem inquisitionem.*
6 *Solemnitas seruanda in iudicijs per specialem inquisitionem.*

1 IVdex in ministrādo iudicio potest procedere tribus modis, vt in iudicijs iuris positiui Canonici; nimirùm via inquisitionis, denūciationis, & accusationis, sicuti habetur, *cap. Qualiter, & quando 2. de accusat.* Per viam inquisitionis, intelligitur actus iudicialis, quo Prelatus regularis tāquàm Iudex, nullo alio ipsum prouocante, ex se incipit inquirere delicta subditorum, &c.

2 Duplex est inquisitio, vna generalis, & altera specialis; generalis est illa, qua in genere inquiritur, an subditi seruent leges, & statuta ordinis: Inquisitio specialis est, qua in particulari inquiritur de tali persona, idque siuè in particulari de tali delicto, vel in generali, an commiserit aliquod delictum graue.

3 Si inquisitio fiat in generali, non est necesse, quod præcedat infamia delicti, de quo inquiritur: Ratio, quia cùm de nulla persona in particulari agatur, nulli fit iniuria: Si vero inquisitio fiat in particulari,
† necesse est, quod præcedat infamia delicti, de quo inquiritur: Ratio, quia fit iniuria ei, de quo inquiritur ob suspicionem, quæ indè de eo potest oriri: Dantur tamen aliqui casus, in quibus Iudex regularis, tempore visitationis, aut alio tempore potest procedere inquisitione speciali, etiamsi non præcesserit infamia delicti; & ità Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. cap. 12. à num. 4.* Primus est, si delictum, de quo inquiritur, sit contrà commune bonum Religionis, & immineat periculum alicuius grauis infamię, aut scandali: Secundus, si committantur delicta nimis grauia, & atrocia, & quidem redundantia in damnum aliorum: Tertius, si fiat crimina notoria cuiusmodi

esset illud, quod fieret coram decem personis: Vltimus casus est, si præcedant indicia sufficientia personę delinquentis. Verum concludit Suarez *num. 13.* quod licèt istę quatuor exceptiones per se non sufficiant ad propriam aliquam exceptionem faciendam; ex omnibus tamen simul sumptis potest admitti casus, in quo possit inquiri de aliqua persona in particulari, et si de illa non præcedat sufficiens infamia; nimirùm si delictum sit publicum, & enorme, & Iudici constet, adesse sufficientia indicia de aliqua persona, & alindè iudicetur esse moralitèr necessarium ad bonum publicum, quòd auctor delicti cognoscatur.

4 Ad infamiam non sufficit, quod Religiosus, de quo inquirendum est, malè habeat, siue generatim de vita sua, siue specialim de aliquo delicto, ad hoc, vt de illo inquiratur, an commiserit delictum; sed requiritur, vt infamia sit de tali persona circà tale delictum; aliàs enim infamia impertinens est, vipote quę non accusat verè talem personam: deindè infamia debet esse talis, vt faciat publicam, & probabilem suspicionē, & clamorosam insinuationem, quia in isto casu, infamia, & clamorosa insinuatio cōfunduntur, licèt alij aliter sentiant; tunc autem dicetur publica suspicio, si ea sit apud grauiores personas, etsi non sint plures; dummodò absolutè sint multi: & si quòad qualitatem personarum cætera sint paria, probabile est requiri opinionem maioris partis, & sufficere, vt hic probabilitèr credatur. Suarez *loco citato num. 14.* Ad hoc vero vt suspicio, quę requiritur ad infamiam, sit probabilis, necesse est, vt processerit non ex odio, aut ex leuibus indicijs, sed ex iusta probabili causa, & inter probos, & non suspectos homines diuulgata sit.

5 Prelatus nō potest procedere per viam specialis inquisitionis, si nulla præcessit infamia, licèt adsint indicia sufficientia, & quidem vehementia de eo delicto, de quo inquirendum est; ita colligitur *ex cap. Cum oporteat, de accusat.* & *cap. Inquisitionis.* Indicia alia dicuntur leuia, quæ communitèr nihil probant; & alia grauia, quę communitèr sunt vera, & vehementèr animum mouent ad aliquid credendum, probantque semiplenè; & alia violenta, quę ita mouent animum ad assentiendum alicui rei, vt in ea re quiescat, tamquàm vera, nec curet vltèr ius inuestigare. Nec sufficit etiam ad procedendum per modum inquisitionis specialis, infamia orta, postquàm reus detrusus est in carcerem: Ratio, quia ex ipsa detrusione gignitur infamia talis delicti; ità Sanchez *lib. 6. cap 3 disp. 26.*

6 Regularitèr hęc solennitas seruanda est in iudicijs, quando proceditur per modum inquisitionis specialis: Primo, requiritur infamia delicti, cuius notitia debet esse sufficientèr iuridica; ità vt faciat publicam fidem, quamuis tale iudicium non requirat omnes iuris subtilitates, cuiusmodi sunt citatio, &c. seruari tamen debent ea, quę sunt de iure Diuino, & naturali, qualia sunt congrue dilationes, legitimę exceptiones, &c. Constituendus est Notarius, seù Secretarius, qui omnes actus inquisitionis fidelitèr conscribat, &c. Potest tamen Religiosus, si velit se defendere, deputare aliquem Religiosum in suum Procuratorem, qui ipsius defensionem suscipiat, iuxtà *Clement. religiosi. de procurat.* Concedendus est ei terminus ad producendos testes in sui defensionem.

TITVLVS II.

De modo procedendi per viam denunciationis iudicialis.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio quid.*

2 *Denunciatio, an, & quando ordinari possit ad vindictam publicam.*

3 *Ad denunciationem non requiritur praua infamia delicti.*

4 *Regulares, an teneantur denunciare delicta, quæ nequeunt probari.*

1 Denunciatio est manifestatio delicti facta Superiori, ad effectum, vt remedium, aut correctionem, vel pœnam ex officio adhibeat; quę triplex est, nimirùm Euangelica, Iudicialis, & Canonica: Euangelica est illa, quę fit superiori ad solam correctionē: Iudicialis est, quę fit Iudici, & ordinatur ad satisfactionem, fitque secundùm formam iuris: Canonica est, quæ fit superiori ad impedienda mala, & damna ex delicto procedentia.

2 Quamuis nulla dictarum denunciationum ex natura sua ordinetur ad punitionem, & vindictam publicam; ad eam tamen per accidens ordinari potest, ob incorrigibilitatem denunciati, & ob mali grauitatem, quod nequeat alitèr impediri Sanchez *loco cit. cap. 4.*

3 Ad hoc vt fiat denunciatio, non requiritur, quòd præcedat infamia delicti denunciandi: Ratio, quia in via inquisitionis ideò requiritur infamia, vt suppleat vicē accusatoris; hic autem non adest talis necessitas, cùm denunciator sustineat vicem accusatoris. Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 10. cap. 12. nu. 35* Lezana *tom. 1. cap. 27. num 19.*

4 Regulares tenentur denunciare delicta, quę non possunt probari, si adsit præceptum Superioris, aut alliundè vrgeat obligatio denunciandi: Ratio, quia denuncians, vt sic, non suscipit in se onus probandi delictum; ità Sotus *lib. 5. quæst. 4. art. 3.* Lezana *loco citato num. 20.* Non tenentur tamen regulares denunciare Religiosum, quem sciunt esse emendatum de delicto, &c.

TITVLVS III.
De modo procedendi per viam accusationis.

SVMMARIVM.

1 *Accusatio quid.*
2 *Requisita ad accusationem.*
3 *Ad accusationem non requiritur praeuia infamia.*
4 *Accusare aliquem de delicto, quod non potest probari, non licet.*
5 *Accusatio in Religiosos facta, an possit ab eorum Prælatis aboleri.*
6 *Forma in accusatione seruanda.*

1 ACcusatio est delatio Rei de crimine ad vindictam publicam libello facta ad Superiorem competentem, vt ex punitione vnius, cæteri omnes ab huiusmodi delictis abstineant; & ità communitèr Doctores.

2 Ad accusationem sex requiruntur: Primò, vt fiat in scriptis: Secundò, vt exprimatur dies, & annus, quo intentatur: Tertiò nomen accusatoris, & accusati: Quartò, species delicti: Quintò, locus, & tempus, quo delictum fuit commissum: Sextò, inscriptio accusantis; ità colligitur *ex lege libellorum 3 §. 1 ff. de accusat.*

3 Non requiritur, quando proceditur via accusationis, quod præcesserit infamia, *ex cap. Qualiter, & quando 2. de accusat.* tùm quia vt dictum fuit, infamia requiritur, vt suppleat vicem accusatoris, in isto autem casu adest verus, & formalis accusator.

4 Non licet accusare aliquem de delicto, quod non potest probari, & in hoc differt denunciator ab accusatore, quod iste tenetur probare delictum, quod defert; denunciator verò non: tùm quia aliàs accusator infert iniuriam Reo, eius famam iniustè lædendo. Lezana *tom. 1. cap. 27. num. 24.* & alij.

5 Possunt Prælati regulares abolere accusationem coram ipsis factam aduersùs Religiosum subditum, aut impedire accusatorem, nè illam prosequatur; ex iusta tamen causa; ità Sanchez *lib. 6. consil. cap. 4. dub. 1. num. 6.*

6 Hæc forma seruanda est in accusatione scripta per Notarium, vt formata cum debitis requisitis, ea recipiatur à Superiore, eaque recepta, procedat in causa vsque ad sententiam definitiuam, & hoc iuxta statuta, & consuetudines vniuscuiusque Religionis, ob priuilegium Bonifacij VIII, quo cōceditur facultas Regularibus Prælatis, vt in causis suorum subditorum tractandis non teneantur seruare apices, & stimulas iuris, sed possint procedere secundùm consuetudines approbatas, & generalia statuta proprij Ordinis, tàm facta, quàm facienda.

TITVLVS IV.
De forma examinandi Reum.

SVMMARIVM.

1 *Examen quomodo faciendum.*
2 *Examinandus debet de statu causæ informari.*
3 *Religiosus examinandus, an, & quando non teneatur respondere Prælato interroganti.*
4 *Iudex de quibus tantùm possit Reum interrogare.*
5 *Iudex an possit Reum interrogare de complicibus.*
6 *Reus Iudici legitimè interroganti debet respondere.*
7 *Iudex tenetur dare Reo copiam indiciorum.*
8 *Reus an in sui defensionem, possit detegere Testium defectus in examine.*
9 *Ad validitatem iudicij, debet Reus iuridicè citari.*

1 EXamen debet inchoari interrogādo, an sciat, vel præsumat suæ vocationis causam, an aliàs fuerit denūciatus, aut de aliquo delicto inquisitus; ex quo tempore moretur in præsenti Monasterio: quod si exprimat causam sui examinis, debent ei fieri interrogationes, ex quibus eliciatur confessio delicti, &c. & est obseruandum, nùm inter respondendum, pallescat, trepidet, aut rubescat: hinc enim conijci possunt affectus Rei, quamuis non certò, vt notat Aulus Gellius *lib. 19. noct. Attic. cap. 1.*

2 Debet priùs Regularis examinandus informari de statu causæ, manifestando ei, contrà ipsum extare vel infamiam, vel indicia sufficientia, vel semiplenam probationem, & hoc, vt sciat, se esse in tali articulo constitutum, vt teneatur obedire Iudici præcipienti, & fateri veritatem; ità Dia. *in pract. crimin. cap. 129. num 5.*

3 Religiosus non tenetur respōdere Prælato iuridicè interroganti, si interroget per viam accusationis, nisi adsit infamia, aut semiplena probatio, vel indicia manifesta æquiualentia semiplenæ probationi, vel interroget via inquisitionis, aut denunciationis canonicæ; & Reus regularitèr non tenetur respondere, nisi præcedat infamia probata per duos testes; ità Sanchez *lib. 6. consil. cap. 3. dubi. 29. num. 9.* & alij; Ratio colligitur ex supradictis.

4 Iudex non potest interrogare Reum, nisi de ijs, de quibus vel præcessit infamia legitimè probata per duos testes, omni exceptione maiores, vel extāt indicia expressa, eaque legitimè probata; vel habetur semiplena probatio coniuncta cum accusatione formali, aut cum aliquo supplente vicem accusatoris, cuiusmodi est notoriū delicti, fama de auctore, & denunciatio iuridica; ità Lessius *lib. 2. cap 31. nu. 8.* & alij; & ideò Reus interrogatus de vno delicto non potest de alijs interrogari, nisi respectu aliorum delictorum extent indicia æquiualentia semiplenæ probationi. Rodriquez *tom. 2. qu. 19. art. 8.*

5 Iudex non potest interrogare Reum de complicibus, nisi contrà ipsos complices præcedat infamia, aut extent indicia sufficientia: aut certè delictum quod confitetur Reus, sit talis naturæ, & conditionis,

nis, vt non possit sine complice committi: Ratio est, quia sicut Iudex non potest interrogare Reum iuridicè, nisi praecedant vel indicia, vel semiplena probatio; ità non potest interrogare de complicibus, nisi praecedat aliquid ex supradictis.

6 Reus Iudici legitimè interroganti debet respondere formalitèr, & praecisè, affirmando scilicet, aut negando; non autem dubiè: Potest tamen Reus respondere aequiuocè, si ex confessione delicti ipsi mors infligi debeat, aut alia grauis poena: Ratio, quia praeceptum humanum nõ obligat ad respondendum propriè cum tanto periculo, cùm quisque habeat liberam facultatem se tuendi, nisi magnitudo negotij aliud exigat.

7 Iudex Regularis tenetur dare subdito copiam indiciorum, etiamsi ipse Reus illam non petat: Ratio est, quia Praelatus Regularis ità est Iudex Religiosi sibi subditi, vt communitèr etiam sit eius Aduocatus; ideòque sicut Aduocatus tenetur procurare suo clienti praefatam copiam indiciorum; sic & Praelatus.

8 Reus in progressu examinis, ad se defendendum, potest detegere occultos testium defectus, dummodò tamen sint veri, & eius detectio sit necessaria ad causae defensionem: Ratio, quia talis detectio est medium iure concessum, & Reus vtitur iure suo.

9 Ad validitatem iudicij debet Regularis iuridicè citari à proprio Iudice statim, ac habet notitiam criminis, ac Rei, siuè per inquisitionem, siuè per accusationem.

TITVLVS V.

De forma examinandi testes in iudicio Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Ad examen, exigendum est prauium à Reo iuramentum.*
2 *Ad probandum delictum Regularium, quot, & qui testes sufficiant.*
3 *Testium verba à Notario scribenda.*
4 *Testes iuridicè interrogati, debent veritatem aperire.*

1 A Testibus, prius quàm subijciatur examini, debet exigi iuramentum: Ratio, quia testis examinatus absque iuramento de dicenda veritate; non probat: debent etiam testes esse vocati, quia testis se offerens ad testificandum, & non vocatus, hoc ipso redditur suspectus, & nõ probat, *l. Presbyteri, C. de Episc. & Cleric.* Laici non possunt admitti ad testificandum in criminalibus contrà Religiosos, nisi delictum sit commissum in loco, vbi non essent Religiosi, quia tunc possunt admitti ad testificandum.

2 Ad probandum delictum Regularium, sufficiunt duo testes omni exceptione maiores, qui sint contestes, ità vt iurati deponant de eodem facto, loco, tempore, personis, & alijs circumstantijs ad substantiam facti pertinentibus, quia testes singulares non probant; sicut nec etiam testes varij, nisi varient corrigendo dicta, aut dictum suum confirment in tortura: Testis varius dicitur ille, qui vel contraria deponit in eodem examine, aut in diuersis, &c. Si verò testis corrigat dictum, standum est vltimo dicto; non tamen si se retractet ex interuallo, antequàm tamen pronuncietur sententia, quia tùnc standum erit priori dicto.

3 De valore indicij est, quòd in causis Regularium, verba testium scribantur a Notario: Ratio est, quia Iudex Regularis subijcitur dispositioni iuris communis: Testes verò in generali, aut speciali inquisitione, &c. examinati ante litis contestationem, nihil probant, nisi primam suam depositionem ratificent post litis contestationem, medio iuramento; & postquàm Reus negauit delictum; ità colligitur *ex cap. 2. de testib. & cap. Venien. 2. de testibus.*

4 Testes iuridicè interrogati, tenentur fateri veritatem; ità D. Thomas *2. 2. q. 70. art. 1.* & alij. Ratio, quia Iudex adstrictus iusto praecepto Praelati tenetur obedire; sic autem adstringitur quãdo iuridicè interrogatur: tenentur iurare, se totam veritatem dicturos: Secundo, vt partes praecipuè aduersae, vel alij ipsarum nomine sint praesentes, vt audiant, & videant testes quando testificantur: Tertiò, vt testis deponat viua voce: Quartò, vt non recipiantur testes, nisi citata parte, & post litis contestationem: Quintò, vt testis nõ se vltrò offerat: Sextò, vt deponat ex certa scientia, idest de vilis à seipso, si obiectum sit vilibile; aut de auditu proprio, si obiectum spectet ad auditum, Sanchez *lib. 6. consil. cap. 5. dub. 19.*

TITVLVS VI.

De forma ferendi sententiam in causis Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Sententia duplex, definitiua, & interlocutoria.*
2 *In causis Ciuilibus, minùs euidens probatio sufficit, quàm in Criminalibus.*
3 *Indicia non sufficiunt ad condemnandum.*
4 *Reo, antequàm condemnetur, dandus est Aduocatus.*
5 *Iudex Regularis an teneatur ferre sententiam in scriptis, & sedens pro Tribunali.*
6 *Iudex Regularis an possit sententiam à se latam mutare, vel interpretari.*
7 *Reus condemnatus an, & quando possit appellare à sententia definitiua, &c.*

1 Sententia duplex est, vna definitiua, & altera interlocutoria: definitiua est illa, per quam definitur principalis quaestio, & causa; quae duplex etiam est, vna absolutoria, qua Reus absoluitur à delicto; Altera condemnatoria, qua delinquens iuridicè probatus Reus, à Iudice competente condemnatur. Interlocutoria est illa, quae non datur super causae princi-

principali, sed super aliqua alia quæstione mota inter initium, & finem litis, sicq; dicitur, quia potest dari sola locutione.

2 Ad ferendam sententiam iudicialem in causis ciuilibus cedentibus in damnum tertiæ personæ; sufficit probatio minùs euidens, quàm in causis criminalibus ordinariis ad punitionem corporalem, idq; sufficit fama cum vno teste, aut præsumptiones, & coniecturæ multæ verisimiles ad idem tendentes: in criminalibus verò causis requiruntur probationes luce meridiana clariores. Sanchez *loco citato disput.* n. 4. Confessio etiam Rei sufficit ad ipsum condemnandum, si sponte confiteatur, & coram competenti Iudice sedente pro Tribunali: quæ confessio non solùm valet pro sufficienti probatione, sed etiã est efficacior quacunque alia probatione; vndè data tali confessione, dicitur, nullas esse partes Iudicis in confitentem, idest examinatorias; benè tamen cõdemnatorias: secùs dicendum si confessio extorta sit metu, ac vehementia tormentorum, & posteà liberè non ratificetur.

3 Indicia nullo modo possunt dari etiamsi sint violenta, ac indubitata, quæ sufficiant ad condemnãdum: Ratio est, quòd ad ferendam sententiam in criminalibus requiruntur probationes certissime, & ipsa luce clariores; indicijs autem subest sẽper aliquod dubium.

4 Regulariter debet Iudex antequàm Reũ condemnet, illi dare Aduocatum: Ratio, quia iure naturali, vnicuique conceditur, vt in iudicio licitis medijs possit se defendere, & cùm aliquando Reus id ex se non possit facere, idcirco Iudex debet dare illi Aduocatum, qui eius partes sustineat illumque defendat.

5 Non tenetur Iudex Regularis ferre sententiam condemnationis contrà Reum in scriptis, & sedẽs pro Tribunali: Ratio, quia Iudex Regularis, ex Indulto Bonifacij VIII. non tenetur in causis Religiosorum procedere apicibus, & cimulis iuris seruatis, sed de plano, & absque strepitu iudicij: debet tamen Iudex Regularis si velit ferre sententiam, viua voce, contrà eum, citare ipsum ad illam audiendam, cùm talis sententia sit veluti quædam lex, quæ non obligat nisi intimetur.

6 Iudex Regularis inferior non potest mutare sententiam à se latam, vel eam interpretari, etiamsi posteà manifestum fieret Iudici, sententiam à se latam esse iniustam, ex fide instrumentorum ipsi post sententiam exhibitorum: Ratio est, quia Iudex, qui tulit sententiam, functus est iam officio suo, *l. Iudex ff. de re iudic.*

7 Reus condemnatus nõ potest appellare à sententia definitiua proprij Iudicis, nisi in casu, quo per dictam sentẽtiam notabilis iniuria inferretur in vita, fama, honore, ac æstimatione, & de tali iniuria euidentèr constaret.



DE

DE HIERARCHIA ET IVRE *ECCLESIÆ MILITANTIS*, TOMI SECVNDI LIBER SEXTVS.

De Delictis militantium in Ecclesia Dei.

HActenus de Iudicio Ciuili, nunc ad Criminale progredimur, in quo de crimine, siuè delicto ob bonum publicum agitur. Delicti, nomine hic venit, non sclùm dolo malo commissum; sed damnum, licèt culpa leuissima datum, *cap. final. de iur. iur.*

TITVLVS I.
De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denunciationibus.

SVMMARIKM.

1 *Accusatio quid sit.*
2 *Eius requisita.*
3 *Differentia inter Denunciationem, & Accusationem.*
4 *Non est semper admittenda correctio ante accusationem.*
5 *Vt accusatio sit licita, quæ requirantur.*
6 *Casus, in quibus quis non tenetur ad accusationem.*
7 *Qui ab accusatione repellantur.*

ACcusatio est delatio rei de crimine ad vindictam publicam libello factam. Clauis regia *lib.12.cap.14 num 11.* & alij. Ad ipsam requiritur, vt fiat in scriptis: Secundò, vt exprimatur dies, & annus: Tertio, nomen accusatoris, & accusati: Quartò, species delicti: Quintò, locus, & etiam tempus, quo delictum commissum est: Sextò, subscriptio accusantis, qua se obligat ad pœnam talionis.

2 Inter accusationem, & denunciationẽ hæc est differentia, quòd accusatio semper datur in scriptis; Denunciatio non, cũ possit fieri verbis, & denũciator nõ se subijcit pœnę talionis, vt se subijcit accusator.

3 Non est regulariter necessarium præmittere correctionem fraternam ante accusationem, cùm finis accusationis non sit emendatio delinquentis, sed punitio, vt exemplo vnius, alij terreantur. Dixi regulariter, quia aliquando est præmittenda, & quando ex ea plus damni timetur, quàm speretur boni, & cùm accusatio sit actus virtutis, licitum est, alium accusare, etiam de iniuria sibi illata, seclusa vindicta, & odio. S. Thomas *qu.68.* Caiet. & Bann. *ibidem*, & alij.

4 Vt accusatio sit licita, tria debent caueri, calumnia, præuaricatio, & tergiuersatio. Calumnia est impositio falsi criminis ex malitia, & scienter, siuè in causa criminali, siuè ciuili: Et ideò calumniator ille dicitur, qui verum crimen, sed quod probari non potest, alteri scientèr obijcit. Præuaricatio est, quãdo quis cum fraude abscondit crimina, de quibus accusatio proposita erat. Tregiuersatio est, cùm absque iusta causa desistit ab accusatione, obligante eum ratione boni communis, vel præcepto Iudicis procedentis in causa ex officio.

5 Licèt regularitèr quis teneatur ad denunciandum, & accusandum, tàm in ciuilibus, quàm criminalibus, tamen sunt plures casus, in quibus quis excusatur ab accu-

accusatione, & denunciatione. Primus, nemo tenetur in causa propria, vel cum sui præiudicio accusare, & denunciare: Secundus, cum quis crimen commissum sciuit sub secreto, etiamsi aliquando tanquam testis interrogetur, & præcedat infamia delicti, & semiplena probatio, quia tenetur seruare secretum, vtpotè præceptum de iure naturali, & diuino. Salon. *a. 2. q. 71.* Aragon. *ibidem.* Petrus Nau. *lib. 2. cap. 4. par. 2. num. 222.* & alij: Tertius casus, non tenetur quis denunciare, quæ probare non potest, quia delictum, quod probari non potest, ità se habet, ac si nesciretur: Excipitur casus matrimonij, in quo qui aliquod impedimentum nouit, quod probare non potest, tenetur illud denunciare, quia vnus testis sufficit ad impediendũ matrimonium: Item quando crimen respicit fidem, vel est contrà bonum publicum: Quartus casus, non est obligatio renunciandi ea, quæ verè, realiter, & certò non scimus. Reginal. *lib. 34. num. 63.*

6 Ab accusatione iudiciali repelluntur excommunicati, infames, publici proditores, vsurarij, & concubinarij: Item subditi prohibentur accusare suos Prælatos, serui Dominos, filij parentes, Clerici Laicos, excepto crimine hæresis, & læsæ Maiestatis, &c.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum. De Accusatione, &c.

SVMMARIVM.

1 *De accusatoris persona prius quærendum est in iudicio.*
† *Qui non præmonuit, repellitur ab accusatione.*
† *Accusatio debet tractari coram illis, quorum interest.*
† *Accusatus, pendente accusatione, non potest promoueri ad Ecclesiasticas dignitates.*
2 *Episcopus ab accusatione repellere non potest, quem pro familiari habuit.*
† *Accusatus semel, non potest super eodem delicto iterum molestari.*
† *Cohabitantes inimicis accusati, ab accusatione repelluntur.*
† *Pœnitentia accusatoris calumniosi.*
3 *Iudex sine accusatore procedit super notorio crimine.*
† *Clerici quos accusare non possunt.*
† *Abbatem Monachi accusare possunt expensis Monasterij.*
4 *Presbyter ebriosus, &c. Ecclesia priuari debet.*
† *Inimicus etiam à voluntaria exceptione repellitur.*
5 *Accusator ante subscriptionem desistere potest.*
† *Procurator non admittitur ad agendum, absente Reo, &c.*
6 *Denunciator non tenetur se subscribere.*

1 Accusator, quando non est legitimus, non est molestandus, nec trahendus ad iudicium, *ex cap. Si legitimus 1. de accusat.* † *&c.* A denunciatione repellitur, qui legitimè, & charitatiuè non præmonuit, *ex cap. Si quis 2.* † Illi debent accusare, quorum interest, alioquin accusatio est nulla, *cap. Præpositorum 3.* Qui de aliquo crimine est accusatus, ad ordines, aut Ecclesiasticam dignitatem promoueri non debet, *ex cap. Omnipotens 4.*

2 Episcopus per exceptionem criminis, illum ab accusatione repellere non potest, quem antea sua familiaritate neglexit separare, *ex cap. Nolit 5.* Absolutus de certo crimine, de eodem non potest secundò, separari, *cap. de his 6.* Cohabitantes inimicis † accusati ab accusatione repelluntur. Accusans calumniosè aliquem innocentem, si occidatur innocens, in pane, & aqua per quadraginta dies pœnitentiã agere debet, & per septem sequentes annos pœniteat; si verò innocens est solùm mutilatus, per tres quadragesimas pœnitere debet, *ex cap. Accusanti 8.*

3 Super notorio procedit Iudex, nemine accusante, *ex cap. Videntia 9.* Laicus non ad† mittitur ad accusandum Clericum, nec qui fuit testis in vno casu, admittitur ad accusandum in eodem casu, *ex cap. Cùm P.* † *10.* Monachus potest accusare Abbatem, & de bonis Monasterij sunt administrandæ expensæ, donèc causa finiatur, *cap. Ex parte 11.*

4 Presbyter ebriosus Missam celebrans, non præmissa digestione, Ecclesia priuari debet: Si verò Ecclesia fuit ei canonicè data in titulum, & posteà non fuit conuictus de aliquo crimine, ob quod iure est expoliandus, si fuit expoliatus, post appellationem, est restituendus in possessione pacifica, *ex cap. Si constiteris 12.* Qui † præsumitur manifestus inimicus, excipere non potest contrà aliquem, *ex cap. Meminimus 13.*

5 Ante subscriptionẽ potest accusator ab accusatione desistere sine pœna, & si à termino non venerit, silentium ei imponitur, † *cap. Licèt 14.* Absente Reo, Procurator non admittitur ad agendum, vel defendendũ, licèt Reus se excuset, quod nõ venerit propter aliquas causas extrinsecas, friuolas, & reputatur contumax, sed deputatur Auditor, vt intelligat, an possit illum excusare, *ex cap. Veniens.*

6 Denunciator criminis nõ se subscribit, † quia ad correctionem tendit; Accusator verò se subscribit, quia tendit ad pœnam excipiens verò subscribit se ad pœnam extraordinariam, si per exceptionem deijcitur ab obtento, *ex cap. Super his 16.*

PARAG. II.

Continuantur Textus supradicti.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores generales, qui non seruauerunt debitum modum, quòd debent se corrigere.*
† *Iurans respondere ad interrogata tantùm post confessionem, auditur, & potest interpretando confessionem se excusare.*
2 *Inquisitio non fit de veritate criminum, nisi prius constet de infamia, &c.*

† Inh-

† *Inimicitia, vt repellat à testimonio, debet esse capitalis.*
3 *Qui repellantur à denunciatione.*

1 GEneralitèr Inquisitores, si non seruauerunt debitum modum inquisitionis, debent se corrigere, sed cautè, & prudentèr supersedendo, donèc inueniatur congrua occasio, nè auctoritas illorum
† vilescat, *ex cap. Qualitèr 1. 17.* Iurans respondere tantùm ad interrogata, & confitetur aliquod crimen, potest deindè se excusare, interpretando confessionem, non tamē eam perhibendo, & si sufficientèr probat illas exceptiones, liberabitur, dummodò possit probare, quod sub hac forma iurauerit, vel scripto, vel per testes, secus verò si iurauerit plenam, & meram veritatem dicere, *ex cap. Cùm dilecti 18.*

2 De veritate criminum non inquiritur, nisi prius constet de infamia, & tunc non inimici, vel periuri, sed idonei viri ad prosequendam inquisitionem admittun-
† tur, *ex cap. Cum oporteat 19.* Inimicitia, vt repellat testem à testimonio ferendo, debet esse capitalis, Mascard. *de probat. conclus. 857. num. 55. & 56.*

3 À denunciatione repellitur concubinarius publicus, ob id excommunicatus, & ille, qui denunciatus prius non præmonuit denunciandum, item ille, qui conspirauit in denunciandum, *ex cap. Cùm dilectus 20.* Publici concubinarij intelligendi sunt non solum ij, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in iure facta, seu per rei euidentiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari, notorius est, sed qui mulierem de incontinentia suspectam, & infamatam tenet, & per suum Superiorem admonitus, ipsam cum effectu non dimittit. Bellet. *disquisit. Clerical. par. 2. tit. de disciplina Cleric. §. 5. num. 4.*

P A R A G. III.
Item continuatur Textus.
De Accusatione, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Crimen probatum per modum inquisitionis, regularitèr pœna ordinaria non punitur.*
† *Contrà non infamatum inquiri non debet.*
2 *Manifestè criminosus petens restitutionem, &c. non audiendus.*
3 *Reus de ijs tantùm inquirendus, sub quibus processit infamia.*
4 *Præsules Metropolitani debent quotannis celebrare Concilium Prouinciale, ad correctionem &c.*
5 *Prælato denunciato de dilapidatione beneficij, debet interdici alienatio, &c.*

1 SI crimen in modum inquisitionis probatum, impedit, etiam post peractam pœnitentiam, executionem suscepti Ordinis, vel retentionem beneficij, vt homicidium, vel simonia in ordine, aut beneficio acquirendo, punitur quis sicut in accusationis iudicio, aliàs pœna erit arbitraria secundùm merita personæ, & qualitatem excessus, *ex cap. Inquisitionis 21.* Item contrà
†† non infamatum super veritate criminum inquiri non debet, etiàm si libellus famosus contrà eum oblatus fuerit in secreto, nec super principali creditur testi, qui iuratus dixit, se illius, contrà quē inquisitū est inimicum, item si hoc dixit ante iuramētum, nisi hoc præsumatur dixisse in fraudem. Similiter non punitur quis de crimine, de quo non constat, nisi per famam, & testium credulitatem, & per dicta paucorū non debet quis apud Iudicem infamatus reputari, *ex cap. Quæ fecundùs.*

2 Si is, de cuius crimine in iudicio constat, petit restitutionem propter iudiciorum ordinem non seruatum, non est audiendus; sed eum tamquàm notorium criminosum, debet superior de nouò priuare, *ex cap. Ad petitionem 22.* Agenti de possessorio adipiscendo in beneficialibus non obstat exceptio criminis, nisi de eo sit infamatus, & infamato, accusatore non probante, vel non apparente, indicitur purgatio, in qua si defecerit, punitur vt conuictus, *ex cap. Accedens 23.*

3 Superior contrà subditum, maximè Prælatum, de ijs tantum inquiret, sub quibus processit infamia, & inuocabit eum, vt exponantur capitula, & nomina testium, vt se defendat, & ipsius legitimas exceptiones admittet, & probato graui crimine, eum ab administratione semouebit. Circa regulares personas non est seruandus iste ordo, sed cùm causa requirit, faciliùs à suis administrationibus amoueri possunt, *ex cap. Qualitèr quando 2. 24.*

4 Metropolitani ad correctionem excessuum, singulis annis cum suis Suffraganeis debent celebrare Concilium Prouinciale, in quo statuere debent personas idoneas per singulas Diœceses, quæ sollicitent, inuestigent, quæ sunt corrigenda, & reformanda, & ea referant ad Concilium Prouinciale in anno sequenti, & super his, & alijs prouideant, & quæ statuuntur, publicari faciant in Synodis Episcopalibus annuatim celebrandis; & qui id neglexerit adimplere, suspendatur ab executione sui officij, *ex cap. Sicut olim 25.*

5 Contra Prælatum denunciatum de dilapidatione, fit commissio super inquirenda, & pendente negotio, debet illi interdici potestas alienandi, *ex cap. Olim 26.*

P A R A G. IV.
Continuantur etiam.

S V M M A R I V M.

1 *Confessi certa crimina non valet excusatio, quod, &c.*
2 *Reo præsente, inquisito de criminibus ante inquisitionem infamato, & tacente, tenet processus.*

1 POstquàm aliquis est confessus certa crimina coram Iudice inquirente, nō potest se excusare, dicendo, quod non fuit diffamatus in illis, vel quod Iudex nō tradidit capitula, super quibus erat inquirendus, sed condemnabitur, *ex cap. Postquàm 1. accusat.*

accusationibus, &c. in 6. nam confessio spontè facta absque tormentis, vel tormentorum metu, etiam nullis indicijs præcedentibus, vel non data indiciorum copia, probat, & sufficit sine ratificatione ad condemnandum confitentem. Mascard. *de probat. concl. 353. nu. 34.*

2 Iudex, quando omissa inquisitione infamiæ, inquirit de criminibus coram Reo præsente, & tacente, non potest ampliùs impugnari processus, ex eo, quod non fuit priùs quæsitum de infamia, *ex cap. Si is, eod. 2.* quia in iudicialibus præsens, & tacens consentire censetur, etiam in sibi præiudicialibus. Tiraquel. *de iure mariti gl. 7. num. 37.*

TITVLVS II.
De Calumniatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Calumnia quid sit.*
† *Calumniator quis dicatur.*
† *Dolus, & calumnia, quando præsumantur.*
2 *Pœna calumniatoris non probantis.*
3 *Calumniatores sunt graviùs puniendi.*
† *Non punitur de calumnia, accusans in crimine læsæ Maiestatis, & c. si non probet.*

1 Calumnia est falsa crimina scienter intendere: ideò calumniator dicitur ille, qui verum crimen, sed quod probare non potest in iudicio alteri obijcit: itē qui falsa crimina scientèr animo calumnian-
† di, vel vexandi Reum intendunt: Item calumniator ille dicitur, qui sciens se ius nō habere, item mouit iniustè, siuè agendo, siuè defendendo, vel contradicēdo, etiam eius liter: Item calumniator, eo ipso, quod non probat id, quod intendit, præsumitur calumniari. Mascardus *de probat. conclus. 25.*
† Menoch. *de arbitr. casu 321. num. 4.* Et ideò dolus, & calumnia præsumitur in illis, qui obiecta non probant: cessat tamen calumniæ, & malitiæ præsumptio in notorijs. Sigismund. Scac. *de appell. quæst. 19. concl. 4.*

2 Calumniator, qui crimen, quod obiecit, non probauerit, easdem dabit pœnas, quas daturus erat accusatus, rationis retributione puniendus, idque iure Diuino antiquo, Pōtificio, & ciuili cautum. Bellet. *de pœnis Cleric. §. 21. nu. 5.*

3 Calumniatores sunt graviùs puniendi, quoniā alio delinquente. Menoch. *consil. 2. num. 95.* & quod vltrà condemnationem expensarum debent condemnari ad pœnam calumniæ, & iudex contrà calumniatorem euidentem potest procedere absque
† accusatore: non punitur tamen de calumnia accusator in crimine læsæ Maiestatis, & in crimine simoniæ, si non probat. Barbosa *ad Clarum quæst. 62. num. 30.* Item calumniæ præsumptio sublata, & extincta omninò censetur per iuramentum. Franc. Molin. *de ritu nuptiarum lib. 2. diff. 11. num. 57.*

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De Calumniatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Diaconus Subdiaconum calumniosè accusans, qua pœna mulctandus.*
2 *Denuntians crimen, & non probans, ab officio, & beneficio suspendendus.*

1 Svbdiaconus calumniosè accusās Diaconum, est priuandus officio Subdiaconatus, publicè verberibus cædendus, & in exilium mittendus, *ex cap. Cum fortius 1. de calumniatoribus*; licèt hodie pœna talis Clericis non imponatur, cùm sit ignominiosa, & Clericis non est imponenda pœna ignominiosa, eò quòd non sint publicè, sicut alij plebæi dehonestandi.

2 Denunciator in probatione criminis deficiens, ab officio, & beneficio, ,si suspendendus est, donec se purget canonicè, quòd non causa calumniandi denunciauit; *ex cap. Cum dilectus 2.* Et ille præsumitur non habuisse animum calumniandi, qui à fide dignis se accepisse probauit. Tiraquel. *de pœn. tempor. causa 51. num. 30.*

TITVLVS III.
De Simonia.

SVMMARIVM.

1 *Simonia quid.*
† *Eius diuisio.*
2 *Mentalis Simonia.*
3 *Diuersimodè committitur Simonia.*
4 *Ad Simoniam quæ concurrant.*
5 *Adnexum res spiritualis, an sit materia Simoniæ.*
6 *Commutatione rei spiritualis cum spirituali, non committitur Simonia.*
7 *Commutatio Beneficiorum, propria auctoritate facta, non tenet.*
8 *Quænam excusent à Simonia.*

1 Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, pretio temporali, vel pretio æstimabili; ità D. Thomas 2. 2. *quæ. 100. art. 1.* & omnes conuenientèr. Diuiditur Simonia in prohibitam iure Diuino,
† & iure Ecclesiastico: Diuiditur etiam in mentalem, conuentionalem, & realem.

2 Mentalis est, cùm nullum factum intercessit, sed sola praua dantis, aut recipientis intentio, *cap. Tua nos 24.* Conuentionalis est illa, quando non solùm est internū propositum obligandi, sed etiam proceditur ad externam conuentionem, sine tamen executione. Realis est quando pactio ex vtraque parte est completa, vel saltem inchoata.

3 Committitur Simonia, non tantùm cū pecunia ipsa pro re sacra datur, recipitur, aut promittitur, sed & cùm dans à lingua, vel manu, obsequio recipientis munus exigit, *cap. Sunt nonnulli qu. 1.* Appellatiōe pecuniæ intelligitur, tàm res mobilis, quā im-

immobilis, siue incorporalis, *l. pecunia nomine*. Munus à lingua est fauor; Munus ab obsequio est seruitus indebitè præstita, *cap. Nonnulli*.

4 Ad Simoniam duo concurrunt, quorū vnum est veluti pretium, & alterum est veluti merx, idest res aliqua spiritualis, seu spirituali annexa, quæ propriè materia Simoniæ est: Vndè committitur Simonia vendendo gratiam sanctificantem, &c. Item pro iure sepulturæ aliquid velle tamquam pretium, est simoniacum: Item pro materia proxima sacramētorum aliquid pacisci, est simoniacū, licèt pro materia remota possit aliquid accipi: Item sacramentalia omnia sunt materia Simoniæ; ità vt simoniacū sit pro sacramentalibus exigere pretium: sicut etiam simoniacum est aliquid petere pro collatione ordinum, &c. Similitèr simoniacum est accipere aliquid pro ingressu in Religionē, seu professione facienda, quia hic status est promissio rei supernaturalis, pro quo nihil potest accipi: Item omnis actus iurisdictionis Ecclesiasticæ est materia Simoniæ, quia sicut potestas Ecclesiastica est spiritualis; ità etiam actus ab ea procedentes: pro concessione Indulgentiarum: pro absolutione à censuris: pro dispensationibus votorum aliquid pacisci, est simoniacum.

5 Adnexum spirituali, ratione connexionis, est materia Simoniæ, siue res sit annexa antecedentèr, vt vasa sacra, &c. concomitanter, vt labor ad rem, seu actionem, vel consequenter, vt beneficia, &c. Vndè beneficium est materia Simoniæ contrà ius Diuinum, sicut etiam simoniacum est vendere titulum Beneficij, cùm sit spirituale quoddam ius.

6 In commutatione verò rei spiritualis cum re spirituali, non est Simonia, cùm Simonia propriè consistat in commutatione rei spiritualis pro temporali. Pensiones spirituales emere, est simoniacum; non est tamen Simonia vendere pēsiones spirituales, quæ etiam Laicis dantur.

7 Commutatio beneficiorum, si fiat propria auctoritate, est irrita, & iure Ecclesiastico Simonia, *cap. Quæsitam*, cap. *Olim de rer. per mutat.* Licèt sit licitum tractare de permutatione, &c. & etiam concludere in ordine ad consensum Prælati; Beneficium resignare in fauorem tertij, simoniacum est, quia resignatio debet esse pura, & absoluta in manibus Ordinarij: Secùs verò si fiat in manibus Pontificis: Item simoniacum est resignare Beneficiū pacto, vt prouisus soluat expēsas, cùm sit exigere temporale pro spirituali. Resignationes reciprocæ coram Ordinario sunt etiam materia Simoniæ: Ratio, quia continent pactum resignationis reciprocæ, quod est simoniacum.

8 Plura excusant à Simonia: Primò, quando datur aliquid liberalitatis gratia: Secundò, quando accipitur aliquid pro sustentatione: Tertiò, pro labore extrinseco licet aliquid accipere: Quartò, ad redimendam vexationem, &c. Sunt etiam plures casus, de quibus apud auctores.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum. De Simonia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, eorumque Notary, pro collatione Ordinū, nihil pessunt accipere.*

† *Simoniacus accusatus prohibetur à diuinis.*

2 *Ordinatus per Simoniam, prohibetur à Missarum celebratione.*

3 *Pro consecratione Ecclesiæ nihil debet accipi, præter procurationem.*

4 *Notorius simoniacus, à beneficio deponendus.*

5 *Pecuniam pro Chrismate exigere, simoniacum.*

1 Episcopus pro Ordine conferendo, vel eius Notarij, nihil accipere possunt, *ex cap. In ordinandis 1. de Simonia*: Item Simonia est non deponere aliquem à suo beneficio, mediante pecunia, *ex cap. Qui alium 2.* Quilibet Catholicus admittitur ad accusandum de crimine Simoniæ, *ex cap. Si Dominus 3.* Simoniacus, pendente accusatione, prohibetur celebrare Diuina Officia, donec veritas cognoscatur, *ex cap. Accusatus 4.*

† Vndè accusatus de Simonia, siuè publicè infamatus, pendente accusatione, prohibetur ab administratione Diuinorum, donec se purgauerit, *cap. Accusatum*: Quod idem dicendum est de accusato, seu infamato de alijs delictis, pendente infamia, seu accusatione.

2 Ordinato per Simoniam prohibetur Missarum solemnia celebrare, *ex cap. Quoties 5.* Simoniacus est deponendus, *ex cap. Sicut 6.* Simoniacum accusare potest tertius, meretrix, & criminosus, *ex cap. Tanta 7.* Simoniacum est accipere pecuniam pro ingressu Religionis, &c. *ex cap. Non satis 8.* Simoniacū est etiam pretium exigere pro introducendis personis in Sedem Ecclesiasticam, instituendis Sacerdotibus, sepeliendis mortuis, benedicendis nuptijs, vel pro Sacramentis conferendis, &c. *ex cap. Cùm in Ecclesia 9.*

3 Pro consecratione Ecclesiæ, nihil præter procurationem potest exigi, *ex cap. Cùm sit 10.* Conuictus de Simonia, debet deponi, *ex cap. De hoc 11.* Promittere rem spiritualem pro obsequio temporali, est Simonia, *ex cap. Cùm essem 12.*

4 Notorius simoniacus in beneficio ab illo debet deponi: si solùm de tali crimine sit infamatus, purgatio indici debet, & si in ea deficit, perpetuò priuatur Beneficio, *ex cap. Insinuatum 13.* Simoniacum est celare peccatorem pretio, vel fauore, vel dignè poenitentem à reconciliatione remouere, *ex cap. Nemo 14.* Ecclesia emi, vel redimi nō potest, *ex cap. Querelam 15.*

5 Pro Chrismate ab Ecclesijs pecuniam exigere, simoniacum est, etiamsi hoc habeat consuetudo, *ex cap. Ea, quæ 16.* Pro habendis spiritualibus homagium facere, simoniacum est, *ex cap. Ex diligenti 17.* In arbitran-

bitrandis muneribus, an inducant Simoniam, debent considerari personæ dantis, & recipientis; qualitas; & quantitas muneris, & donationis, *ex cap. Etsi quæstiones 17.*

PARAG. II.

Continuantur Textus supradicti.

SVMMARIVM.

1 *Pecuniam accipientes pro alicuius ingressu in Religionem, ab officio, &c. suspendendi, &c.*
2 *Contradicens electo propter pecuniam, &c. est simoniacus.*
3 *Promotus simoniacè, sed inscienter, ad beneficium; quod renunciauit, potest iterum ad illud promoueri.*
4 *Pro benedictione nubentium, & exequijs mortuorũ, nihil accipiendum.*
5 *Abbas contra deponentes de Simonia in ipsum, quid possit excipere.*
6 *Conferens bona Ecclesiæ cum pacto, &c. Simoniam committit.*

1 Abbas, & seniores de Conuentu, si pro ingressu Religionis pecuniam accipiant, aut paciscantur, quamuis dicant, esse consuetudinem, sunt suspendendi ab Officio, & Beneficio, & pecunia est restituenda danti, *ex cap. Vniuersi 19.* Si ordinatus præsentatori suo aliquid dedit ex pacto, simoniacum est; non tamen deponitur, si est occultum, *ex cap. Ex tua 20.* Pro ministerio Ecclesię exercendo non potest exigi, aut peti pecunia, *ex cap. Ad nostram 21.* Cum simoniacè ordinatis, ipsis nescientibus, dispensare potest Episcopus, quia nõ sunt simoniaci, *ex cap. De Simoniacè 22.*

2 Si contradicens electo pro pecunia à voluntate electi tradita à contradictione cessat electus, posteà confirmatus, est simoniacus, & tenetur statim relinquere administrationem, *ex cap. Matthæus 23.* Pro absoluendo excommunicato, nihil potest accipi, aut peti, *ex cap. Ad aures 24.* Monachi per Simoniam recepti, sunt simoniaci, & ad arctiora Monasteria debent ire; si ipsis ignorantibus fuit data pecunia, cogendi sunt renunciare eidem loco, & postea si ità expedierit, sine scandalo reducendi in eundem locum, vel collocandi in alio, in quo seruiant Deo, *ex cap. De regularibus 25.*

3 Renuncians Beneficio simplici, ad quod per Simoniam, eo ignorante, fuerat assũptus, potest ex dispensatione in ea vacatione denuò ad illud assumi, nihil tamen ratione primæ electionis poterit sibi vindicare, *ex cap. Nobis 27.* Electio simoniaca alicuius ab aliis, ipso inscio, est reprobanda, nisi hoc fuerit factum in fraudem electi, & Episcopus non dispensat cum electo reprobato per vitium Simoniæ, *ex cap. Nobis 27.* Qui dat Prælato pecuniam, ne illum molestet in iure suo, si deinde Prælatus contrà pactum, illum molestat, debet restituere pecuniã, *ex cap. Dilectus 1.28.*

4 Pro benedictionibus nubẽtium, & exequiis mortuorũ nihil exigi debet, & si aliquid exigatur, debet restitui, *ex cap. Suam 29.* Si per accusationem constat, Monachũ simoniacè receptum esse, receptus, & recipiens debet deponi; si vero per solam inquisitionẽ, recepti simoniaci in arctiora Monasteria mitti debent ad agendam pœnitentiam: Recipienti verò, & maioribus pœna condigna debet imponi; & iterùm ab executione sacrorum ordinum suspenduntur, *cap. Dilectus 2. 30.*

5 Abbas contra testes, qui deposuerunt per viam inquisitionis de Simonia contrà eum, potest excipere, quod sint eius inimici, & conspiratores: alias verò exceptiones criminũ opponere nõ potest, *ex cap. Licet Heli 31.* Testes criminosi admittuntur in crimine Simoniæ ex æquitate iuris; si de Simonia agatur ciuiliter, *ex cap. Per tuas 1.32.* Electo cõfirmato non imputatur, si eo prohibente, per ipsius confirmationẽ pecunia data fuit, *ex cap. Sicut tuis 33.*

6 Si Clericus cum pacto confert Ecclesię suæ bona, vt in ipsa recipiatur in Canonicũ, & illa sibi retineat pro pręhenda, Simonia committitur: Secùs si faciat sine pacto, *ex cap. Tua nostra 34.* quia tunc id possunt facere Canonici sine Simonia, & hoc in foro conscientiæ: Si verò, qui dat, ducitur hac intentione, vt per temporalia bona adipiscatur spiritualia, est simoniacus: similitèr si Canonici eum non essent recepturi, nisi perciperent temporalia, sunt simoniaci in conscientia, *ex eodem cap.* & ità Reginald. *lib 23 num. 244.* Azor. *par. 3. lib. 12. cap. 7. quæst. 2.* Vbi etiam in Simoniæ peccatum non incideret, si gratis, & liberalitèr sua bona donaret, & posteà peteret, vt in Canonicum admitteretur, & Canonici absolutè, & gratis consentirent, prout etiam tenet, Simoniã non esse, si auctoritate, & consensu Episcopi retineret sibi potestatem præficiendi Clericũ ad probandam ex suis bonis in Ecclesia institutam, & nisi probetur pactum, & cõuentio; sola autem correspectiuitas non inducit Simoniam. Farinac. *in prax. crim. par. 4. consil. 75. nu. 11.*

PARAG. III.

Continuatur præcedens materia.

SVMMARIVM.

1 *Ordines ab eo, qui creditur simoniacus, nõ suscipiẽdi.*
2 *Dare pecuniam pro officio aliquo Ecclesiastico, simoniacum.*
3 *Recepti per simoniam in Monasterium, & recipientes, ab illo eijciuntur.*
4 *Sacramenta liberè conferenda.*
5 *In Canonicum receptus, debet à recipientibus prouideri de præbenda.*
6 *Ordinans, aut præsentans, iuramentum exigentes, nè, &c. suspenduntur, &c.*
7 *Mandatum Papæ de dispensatione super, &c. quomodò intelligendum.*
8 *Casus, in quibus possunt munera intercedere.*

1 Non debet quis recipere ordines ab eo, quem credit simoniacum, licèt

possit ministrare in ordine suscepto, *ex cap. Per tuas* 3. 35. Pro inuestitura Ecclesiarum non potest aliquid accipi, & Ordinarius consuetudinem tollere debet, *ex cap. In tantum* 36. Ordinatus in Subdiaconum, si præsentatori promisit se non petiturum portionem in ea Ecclesia, in suscepto ordine, non potest ministrare, nec ascendere ad superiores, nisi cum eo fuerit dispensatum, *ex cap. Per tuas* 3. 37.

2 Simonia est dare pecuniam pro Vicariatu, vel alia administratione rerum spiritualium, vel Ecclesiasticarū recipienda, quia tàm emens, quàm vendens sunt simoniaci, *ex cap. Consulere* 38. Simoniacum etiam est, pro consecratione Episcopi, benedictione Abbatis, & ordinatio nibus Clericorum aliquid accipere, nec excusat consuetudo, *ex cap. Sicut* 3. 39.

3 Religiosi recepti per simoniam, vnà cum recipientibus, de Monasterio eijciuntur, & in arctioribus Monasterijs ad agendam pœnitentiam detruduntur, *ex cap. Quoniam* 40. Episcopi nihil exigere debent, vt permittant in Ecclesijs sibi subiectis Clericos institui, Monacos profiteri, vel mortuos sepeliri, & si aliquid accipiunt, duplum restituere debent, *ex cap. Audiuimus* 41.

4 Sacramenta sunt liberè conferenda; cogere tamen potest Episcopus ad laudabiles consuetudines obseruandas, *cap. Ad Apostolicam* 42. Abbates Cisterciēses prohibentur solenniter installari, *ex cap. Nè Dei* 43. Est autem installatio, quando electus, & confirmatus ducitur in stallum, idest in sedem, siuè locum constitutum in Choro, & Abbati deputato ad sedendum. Abbas *in cap. Transmissa nu. 3. de elect.*

5 Canonici, quando receperunt aliquem in Canonicum, & fratrem, tenentur illi prouidere de Præbenda, & prouentibus, sicut vni ex fratribus, appellatione remota, & non obstante consuetudine in contrarium habenti priùs prædium, *cap. Iacobus* 44. Ratio, quia à Canonico nouitèr recepto non potest aliquid exigi, etiam modicum, conuertendum in commodum, & vtilitatem Canonicorū ac personarū Ecclesiæ, & si exigatur, est simoniacum, non obstante aliquo statuto, vel consuetudine in contrarium. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. Sotus *de iust. lib.* 9. *quæst.* 7. Guttier. *can. lib.* 1. *cap.* 39. *à num.* 26. & alij.

6 Ordinans, vel præsentans aliquem ad Ordines, recipiendo promissionem, vel iuramentum, quod non inquietabit Episcopum, defectu tituli, vel patrimonij super prouisione sua; tunc ordinans à collatione, præsentatór ab executione Ordinum, per triennium est suspensus: ordinatus verò est suspensus ab Ordine suscepto, donec à Sede Apostolica obtinuerit dispensationem, *cap. Si quis* 45.

7 Papa, quando mandat alicui, vt dispenset in Monachis, qui per simoniam sunt accepti in Monasterium, iuxtà *capus Quoniā* intelligitur mandatum extendi ad dispensandum cum Abbate, qui eos simoniacè recepit, *ex cap. Mandato* 46. Item qui sine pacto præcedente, & sine aliquo dato, vel recepto, sed solo affectu animi vtrumque acquirunt, spiritualia, & temporalia, non tenentur ea resignare pro hac simonia; sed satis est, si eos pœniteat, & satisfaciant Creatori, *ex cap. cutare*: Ratio est, quia simoniacus mentalis non tenetur ad restitutionem, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. Syluest. *verbo simonia, quæst.* 20. Armilla *eodem verbo nu.* 38. Nauar. *in man. cap.* 23. *num.* 103.

8 Sunt plures casus, in quibus munus à manu nō interdicitur in spiritualibus: Primus, cū quid spōtè datur, & gratis offert: Secundus, cum omnia illa concurrunt, quæ distinguuntur *in cap. Et si quæstiones*: Tertius, pro operibus spiritualibus, ad quæ qui confert exofficio, tenetur, vt cum Episcopus consecrat Ecclesiam, &c. Quartus, cum eleemosyna datur pro vita æterna, & peccatorum remissione, iuxtà illud Sapientis; *Peccata tua eleemosynis redime*: Quintus pro redimēda vexatione, quæ in rebus spiritualibus iniustè infertur: verùm licèt talis redemptio iniustè vexato permittatur, prohibetur tamen iniustè vexanti, & pro cessatione vexationis recipienti.

TITVLVS IV.

Nè Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus prælationem suam in spiritualibus locare non potest.*

† *Triplex ratio prohibitionis.*

2 *Successor Prælati, an teneatur stare locationi per prædecessorem factæ.*

1 Prælatus prælationem suam sub pretio cōcedere non potest ad locationem, & conductionem, cuius prohibitionis tri-
† plex est ratio: Prima, quia iurisdictio, & officium Prælaturæ conducitur in grauamen subditorum, & subuersionem iudiciorū reddūdat: Secunda, quia qui Vicariū constituit, curam tradit, & pro Vicaria dare, vel accipere pecuniā, est simoniacū: Tertia est, quia cùm Prælatus debeat iudicare, & mundas seruare manus, nullumq; contingere lucrum, constituit iudicia venalia, in quo Deum, & legem offendit, & licèt Prælatura propter rationes allatas non possit locari, tamen Ecclesia, & Præbenda potest locari, & conduci, fructuum causa, quia fructus, etsi proueniant ex spiritualibus, tamen non sunt spirituales; & ideò locari, & vendi possunt, quanto autem tempore locari possint, dictum est alibi.

2 Successor Prælati non tenetur stare locationi per suum prædecessorem factæ, si Prælatus, vel alius beneficiatus, nomine proprio, locet redditus suæ dignitatis, vel beneficij in suam vtilitatem, secùs si nomine Ecclesiæ contraxisset, & pecunia indè recepta, in vtilitatem Ecclesiæ conuersa fuisset;

fuisset; ità Quaranta *in sum. verbo Alienatio nu. 19.* Azor. *par. 3. lib. 8. cap. 6 quæst. 7.* Bonacina *de contract. disp. 3. quæst. 7. par. vlt. num.* 10. & alij. Modò annus nõ sit inchoatus, quia si erit inchoatus, successor tenetur stare locationi. Surd. *decis. 52. nu. 12.* & alij.

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum.

De Prælatis vices suas, &c.

SVMMARIVM.

1 *Pœna dantis pecuniam, vt iurisdictionem Episcopalem exerceat.*
† *Item dantis pecuniam, vt exerceat aliam dignitatem.*
2 *Fructus Ecclesiarum, &c. possunt locari.*
† *Simplex præstatio fidei non est iuramentum.*

1 QVi dat pecuniam, vt Episcopalem
iurisdictionem exerceat, officio suo
† priuatur, & Episcopus, qui vendit, amittit
potestatem conferendi tale officium, *ex
cap. Præterea 1. ne prælatio, &c.* Regimen Ecclesiæ non debet Sacerdotibus committi sub annuo censu, *ex cap. Quoniam 2. 3.*

2 Fructus Ecclesiarum sub annuo censu possunt locari ad certum tempus, & si conuentum fuerit, intrà illud tempus nõ auferre, standum est promissis, nec potest auferri, *ex cap. Querelam* 4. Licèt fidei præstatio sit iuramentum quòad Deum, tamẽ in dubio promittens per fidem, intelligitur de humana, per quam nobiles, & alij solent suam fidem adstringere, & in isto casu, cùm non sit iuramentum per rem sacram, non erit periurus eam frangens, licèt peccet, ratione violatæ fidei. Cou. *in cap. Quamuis pactum par. 1 §. 2. nu. 2.* & alij.

TITVLVS V.

De Magistris, nè aliquid exigatur pro licentia docendi.

SVMMARIVM.

1 *Magister quis dicatur.*
† *Magistri obligationes.*
2 *Qualitates.*

1 QVi docendi munere fungitur, dicitur Magister, eo, quòd magis quàm
alij, monet, ac monstrat, *leg. Cui præcipua 27.*
† *ff. de verbor. signicat.* Obligationes Magistri
sunt sex: Prima, vt non dissimulent eorum peccata, sed reprehendant, ea corrigant, vbi opus fuerit: Secunda, debet vti diligentia, vt promoueat discipulos in litteris: Tertia, curam eorum gerere in rebus pertinentibus ad mores, & honestam educationem; succedit enim loco parentum: Quarta, nè doceat doctrinam falsam, quę sit contrà fidem, vel bonos mores: Quinta, vt officio suo satisfaciant: Sexta, vt accommodent se captui discipulorum, quia aliàs possent inferre damnum notabile.

2 In eo requiruntur plures qualitates: Primò, requiritur probitas vitæ: Secundò, requiritur scientia: Tertiò, veritas, & pietas: sunt etiam alię, de quibus alibi fuit dictum.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum.

De Magistris.

SVMMARIVM.

1 *In Ecclesia Cathedrali, &c. debet esse Magister, &c.*
2 *Pro licentia docendi, nihil potest accipi.*
† *Pœna exigentium.*
3 *Magister idoneus in Ecclesia Cathedrali debet eligi, & illi debent assignari fructus vnius Præbendæ, &c.*
† *In Metropolitana Theologus debet constitui, &c.*
4 *Prælati, & Capitula, quos debeant mittere ad iudicium.*
† *Docentes, & studentes quibus priuilegijs gaudeant.*

1 ECclesia Cathedralis debet prouidere de Magistro, qui Clericos, & pauperes scholares doceat, & ei competens prębeatur beneficium: Item in Ecclesia Metropolitana, vel Cathedrali, vel Collegiata debet esse Theologus, cui fructus alicuius Præbendæ, quamdiù docuerit, debẽt ministrari, & si taliter prouidere non poterit, tunc per eos, qui beneficia habent in Ciuitate, Diœcesi, &c. vt commodiùs fieri poterit, Episcopus de Capituli consilio huic prouidebit, *ex cap. Quoniam 1. De Magistris, &c.*

2 Pro licentia docendi nihil debet exigi,
& si aliquid exigatur, debet restitui, & si
promissum est, remittendum est, *ex cap. Pro-*
† *hibeas* 2. & pro tali licentia nihil debet exigi sub pœna excommunicationis, & priuationis officij, & dignitatis, etiamsi hoc habeat consuetudo, *ex cap. Quanto 3.*

3 In qualibet Cathedrali Ecclesia, vel alia,
cũ facultatibus sufficientibus debet à Prælato,
vel Capitulo vnus Magister eligi, cui
redditus vnius Præbendæ debent assigna-
† ri: In Metropolitana verò Ecclesia etiam debet eligi Theologus, qui Sacerdotes, & alios instituat in sacra pagina, & præsertim in ijs, quę spectant ad curam animarũ, cui debet prouidere ex redditibus ipsius Ecclesiæ; *ex cap. Quia nonnullis* 4.

4 Prælati, & Capitula mittere debent ad
studium aliquos dociles, qui deindè possint
in Ecclesia docere, quibus subministrent
necessaria; si proprij redditus Ecclesiastici
non sufficiunt, & studentes debent
per quinquennium percipere fructus integros
Præbendarum, & beneficiorum, *ex*
† *cap. Super specula* 5. Ratio, quia docentes sacram scripturam in scholis publicis, sicut & discipuli, qui in illis student, priuilegijs omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & beneficiorum suorum in absentia plenè gaudent, & fruuntur; ità Cõc. Trid *sess. 5. de reform. cap. 1.* Rebuff *in prax. tit. de dispens. de non residendo nu. 25.* Fuscus *de visit. lib. 2. nu. 9. cap. 10.* & alij.

TITVLVS VI.

De Iudæis, Sarracenis, & eorum seruis.

SVMMARIVM.

1 *Iudæi qui sint.*
† *Undè denominentur.*
† *Sarraceni vndè dicantur.*
2 *Quæ sunt prohibita Iudæis, &c.*
3 *Iudæi à Christianis puniri possunt ciuilibus pœnis.*

1 IVdæi dicuntur, qui Mosaicam legem se- quuntur, eam ad litteram obseruando, se circũcidendo, & alia legalia faciendo: † Dicti sũt Iudæi à nomine dignioris tribus, scilicet à Tribu Iudæ, quæ inter alias Tribus bellicosior, & in bellis primam aciem, & Regni priuilegium obtinuit; scilicet vt ex ea sola Rex crearetur, sicut ex Tribu Le- † ui Sacerdotes. Sarraceni dicuntur, secundùm aliquos, qui à Sarra originẽ trahunt, vel vt alij dicũt, ab Agar Ancilla Abrahę, de qua eorum fuit origo.

2 Multa prohibentur Iudæis, tàm lege ciuili, quàm Canonica: Primò, interdicitur his quæcunque administratio, vel dignitas apud Christianos: Secundò prohibentur nouas synagogas extruere, licèt possint antiquas retinere, & reficere: Tertiò, vt qualitate habitus publicè ab alijs populis distinguantur: Quartò, in die Parasceues, ostia, & fenestras habere apertas: Quintò, non licet Iudæo habere seruum Christianum.

3 Iudæi puniri possunt ciuilibus pœnis ob crimina, quæ in Rempublicam, vel alios priuatos homines committunt; spiritualibus pœnis puniri non possunt, cùm Ecclesiæ non subijciantur, cùm sint extrà illam.

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum. De Iudæis, &c.

SVMMARIVM.

1 *Christianum Iudæi seruum permittitur redimere duodecim solidis.*
† *Iudæus Christianum in seruum habere non potest.*
† *Potest tamen Christianos habere Colonos.*
2 *Iudæis non permittitur nouas synagogas extruere.*
† *Nec in die Veneris Sancti tenere ostia, vel fenestras apertas.*
† *Excommunicandi sunt Christiani, qui in domo seruiunt Iudæis.*
3 *Item deferentes Sarracenis merces prohibitas.*
† *Iudæi possunt veteres synagogas reparare.*
4 *Christiani esse non debent in familiari seruitio Iudæorum.*
5 *Iudæi non sunt inuiti baptizandi.*
† *Nec ad Baptismum compellendi, &c.*
6 *Priuilegia prædicantium Paganis.*
† *Quæ debeant facere transeuntes ad terras Sarracenorum, &c.*
† *Excommunicati sunt, qui tempore belli, cum Sarracenis commercium habent.*
7 *Iudæi, nutrices, &c. Christianas habere non debent.*
† *Iudæus, qui percussit Clericum, temporaliter puniatur.*
† *Iudæi, &c. debent vti habitu, per quem à Christianis discernantur.*
8 *Iudæi in Officijs publicis poni non debent.*
† *Quomodo illis aperiendum gremium Ecclesiæ.*
9 *Iudæi publicis Officijs præficiendi non sunt.*
† *Prohibita Iudæis.*

1 CHristianus nullus Iudæo seruiat, quia nefas est blasphemum detinere Rede- † mptum à Christo. Ideò quilibet Christianus potest duodecim solidis captiuũ Christianum à Iudæo redimere: idem dici debet, si seruus Iudæi desiderat fieri Christianus, & ei non permittitur, *ex cap. Praesenti 1. De Iudæis, & Sarracenis, &c.* Nec Principes Christiani possunt concedere in suo Regno, quòd Iudæi habeant mancipia Christiana. Sigismund. Scac. *de appellat. quæst. 16. limit. 1. num. 129.* nec etiam Episcopus, cùm non possit dispensare contrà ius, nisi ex- † pressè, vel tacitè permittatur. Potest tamẽ habere Iudæus Colonos Christianos, qui peragant omnia iura, quæ de Colonis, vel originarijs statuuntur; sed si Iudæus alió illos transferat, vel in alio obsequio detineat, amittit ius colonię, & ius dominij, *ex cap. Multorum 2.*

2 Iudæi antiquas synagogas retinere possunt, sed nouas erigere non possunt, *ex cap.* † *Iudæi 1. 3.* Iudæis non licet tenere ostia, & fenestras apertas in die Parasceues, *ex cap.* † *quia Super 4.* Excommunicari debent Christiani, qui in domo seruiunt Iudæis, Sarracenis, siuè Paganis, & Principes sæculares excommunicari debent, qui Iudæos baptizatos suis bonis expoliare præsumunt, *ex cap. Iudæi 5.*

3 Christiani deferentes Sarracenis merces prohibitas, vel in ipsorum nauigijs nauigantes, excommunicandi sunt, & rebus ipsorum priuandi, & efficiuntur capien- † tium serui, *ex cap. Quorundam 6.* Iudæi veteres synagogas in priorem statum reformare possunt, de nouo erigere non possunt, *ex cap. Consuluit 7.*

4 In familiari seruitio Iudæorum Christiani esse non possunt, & obstetrices, & nutrices pueros Hebræorum in eorum domibus nutrire non debent, né ob assiduam familiaritatem, simplices peruertantur, *ex cap. Ad hæc 8.* Extrà domum poterunt Iudæi habere nutrices Christianas, per quas suos infantes lactari faciant.

5 Iudæi nolentes, non sunt inuiti baptizãdi, nec ad hoc cogendi sunt, nec sine iudicio puniendi, vel in suis festiuitatibus molestandi, nec eorum Cœmeteria inuadere, nec humata corpora effodere præsumat, *ex cap. Sicut Iudæi 9.*

6 Prædicantes Pagani fidem Christi, possunt edere cibos ministratos à Paganis, seruata qualitate ciborum secundùm ius † Canonicum, *ex cap. Quam sit 10.* Transeuntes ad terras Sarracenorum pro redimendis captiuis, debent iurare coram Episcopo, se non laturos in suis mercibus, & alio modo aliquid, quod erit commodũ, & in sub- † sidium Sarracenis, *ex cap. Significauit 11.* Excommunicati sunt, qui tempore belli cum

Sarra-

Sarracenis aliquod commercium habent, vel eis præstant subsidium per se, vel per alios, *ex cap. Quod olim* 12.

7 Iudæi nutrices Christianas habere non debent, vel alias seruientes: contrafacientibus interdicitur Christianorum commercium, *ex cap. Si Iudæos* 13. Iudæus, qui percussit Clericum, debet puniri in re temporali, & iurare, vt læso satisfaciat, etsi de facto puniri non potest, interdicitur illi Christianorum commercium, donec satisfecerit iniuriam passo, *ex cap. Postulasti* 14.

† Iudæi, & Sarraceni debent in terris Christianorum vti habitu, per quē à Christianis distinguantur, ac in hebdomada sancta non exire in publicum: si secus faciant, eos sæculares Principes puniri faciant, nè Christum blasphemare præsumant, *cap. In nonnullis* 15.

8 Iudæi in Officiis publicis poni non debent: qui autem illi commiserit publicum Officium, à Concilio Prouinciali debet corripi; & cum Iudæo proposito Christiani nullum commercium habere debent, *ex cap. Cum sit* 16. Iudæis non est aperiendum gremium Ecclesiæ, nisi priùs restituant in subsidium terræ sanctæ totum, quod lucrati sunt in commercio, & si impotens sit ad soluendum, debet temporali pœna castigari, vt alij terreantur, *ex cap. Ad liberandam* 17.

9 Iudæi, & Pagani publicis Officijs præficiendi non sunt, & si regalia iura eis vendita sunt, ad ea colligenda præficiendus est Christianus non suspectus, *ex cap. Specialis* 18. Non licet Iudæo baptizatum, aut volentem baptizari emere, aut in suo seruitio retinere, *ex cap. Nulli* 19. Item si Iudæus causa commercij emit hominem nonconuersum ad fidem, & emptus baptizatur, vel vult fieri Christianus, datis illi duodecim solidis, liberatur seruus à seruitio: Item si Iudæus intrà tres menses non exponit venalem hominem talem, vel si emit eumdem ad sibi seruandum; tunc nec Iudæus potest illum ampliùs vendere, nec alius eum emere, sed sine pretio fit liber, *ex cap. citato*; ita Ric. *in tract. iur. personarum extrà gremium Ecclesiæ exist. lib. 2. cap. 28. num. 7.* Paulus Comit. *respons. moral. lib. 3. quæst.* 43. vbi ei, ait dicit, duodecim solidos, idest aureos ducatos esse, pro seruo optimo esse minuēdos, si seruus talis non sit.

TITVLVS VII.
De Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Hæresis quid sit.*
† *Requisita ad hæresim.*
† *Dubius in fide, est infidelis.*
2 *Qui voluntariè non dubitat, non est infidelis.*
3 *Pertinacia quid sit.*
† *Qui dicantur pertinaces.*
4 *Hæreticus duplex.*
† *Hæreticus externus excommunicationem Bullæ incurrit.*
† *Non item Hæreticus mentalis.*
5 *Quos comprehendat excommunicatio Bullæ.*
6 *Ab hæresi occulta, qui possint absoluere.*

1 Hæresis est error in intellectu voluntarius cum pertinacia contrà aliquam fidei veritatem: Vndè, vt quis hæreticus dicatur, tria necessaria sunt: Primum, vt subiectum capax sit hæresis: Secundum, vt errorem habeat in intellectu circà fidem: Tertium, vt sit pertinax in
† suo errore. Dubius in fide, est infidelis, nec est credendum ei: Ratio est, quia de fide est, res fidei esse certas, non autem dubias; talis autem iudicat esse dubias; ergò habet errorem contrà sententiam fidei: qui verò dubitat, hoc est, hæret, suspensus, & neutri parti assentitur, Metaphysicè loquēdo, non est hæreticus, licèt moralitèr dici possit: Ratio primæ partis est, quia hæresis est assensus pertinax, contrarius sententiæ fidei: at qui dubitat, hoc est, manet suspensus, non assentitur alicui parti; ergò non est hæreticus, quia hæresis est error contrarius fidei, & error dicit assensum, vel dissensum; ergò, &c. Ratio secundæ partis est; quia communitèr cum dubitatione intellectus circà res fidei, coniungitur etiam actualitèr iudicium, quo iudicatur, res fidei esse ambiguas, & dubias; at quando adest tale iudicium, moralitèr est hæresis; ergò, &c.

2 Qui voluntariè non dubitat de fide, nō est infidelis: Vndè dubitatio proueniens ex subreptitia tentatione, non facit hæreticum, quando in se reuersus, captiuat intellectum in obsequium Christi, & deliberat credere, quod credit Ecclesia; ità Augustinus de Ancona *de potestate Ecclesiæ quæst. 28. artic. 3.* Bannes *2. 2. quæst. 11. art. 1.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 7. num. 13.* Layman. *lib. 2. tract. 1. cap. 13. num. 2.* Siluius *2. 2. quæst. 11. art 1.* & alij. Qui verò voluntariè, & positiuè dubitat de aliquo articulo, quem scit ab Ecclesia definitum, vel alias sufficientèr propositum, ità vt prudentèr debeat illū fide diuina tenere, est hæreticus; ità *ex cap. Dudum de hæreticis*, & Auctores citati.

3 Pertinacia in materia hæresis, est assertio in propositionem aliquam, quam scit quis ab Ecclesia, aut Summo Pontifice reijci tamquàm hæreticam, & falsam in fide; ità apud Sanchez *cap. 7. nu.*
† *25. & 26.* & alij. Vndè pertinaces censentur, qui hæresim complectuntur, postquàm audierint res fidei, & sufficientèr illis propositæ fuerint, si non credant: Secundò, si nō credunt, quod fuit ab Ecclesia definitum: Tertiò, qui existimat Ecclesiam falsò aliquid definiuisse: Quartò, qui adhæret, ram firmitèr vni opinioni, putans esse de fide, vt etiamsi Ecclesia decernat, nō esse, tamen non est paratus acquiescere illi definitioni: Vltimò, qui negaret propositionem Theologicam, quæ infertur ex vna de fide, & altera ex euidente lumine naturali.

4 Hæreticus, alius est internus, & alius externus: internus, seù mētalis est ille, qui licèt internè in mēte sua hæreticus sit, hæresim

resim tamen suã nullo signo externo manifestat, Externus dicitur ille, qui hæresim suam, quam mente tenet, aliquo verbo, vel signo externo manifestat, etiam nemine audiente. † Hæreticus purè mentalis non incurrit excommunicationem, & proindè potest absolui à quocunque Sacerdote, qui à peccatis mortalibus nó reseruatis absoluere potest, cùm Ecclesia de actibus internis non cognoscat, nec † iudicet. Hæreticus, qui aliquo signo externo erroris manifestatiuo, etiam occultissimo, hæresim suam manifestauit, excómunicationem Bullæ Cenæ contrà Hæreticos latam incurrit: Si verò signa non sint propriè, & per se manifestatiua erroris, sed sint indifferentia, vt sunt nó aperire caput, dùm eleuatur Sanctissimum Christi Corpus, &c. non incurritur excommunicatio.

5 Pœna excommunicationis lata in Bulla contrà Hæreticos, extenditur etiam ad eorum credentes, receptatores, fautores, & defensores, secuto effectu.

6 Ab hæresi occulta, vigore Cócilij Tridentini *sess. 24. cap. 6. de reformat.* absoluere possunt Episcopi; & plures Doctores sustinent, hanc facultatem non esse illi sublatam, quam sententiam. Diana *par. 1. tract. 5. resol. 2.* & alij probabilem vocant. Inquisitores habent etiam facultatem absoluédi ab hæresi in vtroque foro. In articulo mortis, potest quilibet Sacerdos absoluere ab hæresi: Ratio, quia in articulo mortis nulla est reseruatio.

PARAG. I.
Texts Sacrorum Canonum. De Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Dubius in fide infidelis est.*
2 *Reuocare valens alium ab errore, & tacens, errare se demonstrat.*
† *Hæretico nihil prodest.*
† *Auctor quando damnatur, etiam eius scripta, &c.*
3 *Episcopus in suo testamento instituens Hæreticum, excommunicatur, &c.*
4 *Christus est verus Deus, & verus Homo.*
† *Hæretici, &c. sunt excommunicati.*
5 *Hæreticus malè sentiẽs de Sacramentis, est excommunicatus, &c.*
† *Sæculares Principes, qui nolunt iurare de defendenda Ecclesia, sunt excommunicati.*
† *Item Ciuitates resistentes his Statutis.*
† *Item exempti.*

1 DVbius in fide, est infidelis, nec est credendum ei, qui fidei veritatem ignorat, *ex cap. Dubius 1. de Hæreticis.*

2 Reuocare valens alios ab errore, & tacens, seipsum errare demonstrat, *ex cap.* † *Qui alios 2.* Hæreticus nisi se emendauerit, nó potest consequi salutem æternam, nec ei proderunt Baptismus, &c. & mori pro † Christo, *ex cap. Firmissimè 3.* Damnato auctore, & eius scripta damnantur, sinè bona, siuè mala, *ex cap. Fraternitati 4.* Vndè legentes, vel habentes libros Hæreticorum, subsunt excómunicationi Bullę Cęnę, & potest inquiri contrà eos tamquàm suspectos de hæresi. Viuald. *in candelabro aureo in explic. Bulla Cæna num. 11.* Zerola *in prax. Episc. par. 1. verb. Casus.* Sayrus *de censuris lib. 3. cap. 5. num. 12.* & alij. Quod etiam dicendum est de imprimentibus libros Hæreticorum. Sanctarel. *de Hæresi cap. 13. num. 18.*

3 Episcopus, &c. in suo testamento instituens hæredem Hæreticum consanguineum, vel affinem, incidit in excommunicationem, *ex cap. Si quis Episcopus 5.* & *ex cap. Inter eos 6.*

4 Christus est verus Deus, & verus Homo: sentiens oppositum, est Hæreticus, *ex* † *cap. Cum Christus 7.* Hæretici, & receptatores eorum sunt excommunicati, & decedẽtes in hoc peccato, in Cęmeterio Ecclesiæ sepeliri non debent, nec pro eis potest fieri oblatio, oratio, &c. *ex cap. Sicut 8.*

5 Hæreticus malè sentiens, & malè dicẽs de Sacramentis, excommunicatus est, & conuictus, nisi se correxerit, & errorem abiurauerit, si Clericus est, declarari debet, & Curiæ sæculari tradi, vt puniatur: & eadem est pœna suspecti de hæresi, si se non correxerit, sicut & Laicus punitur, nisi statim abiurauerit, &c. pro qualitate † criminis; ità *ex cap. Ad abolendam 9.* Sæculares Principes, qui iurare nolunt de Ecclesia defendenda, excommunicãtur, ac eo† rum terrę interdici debent: Ciuitates verò resistentes his Institutis, & contrà monitionem Episcopi negligunt punire Hæreticos, commercio aliarum Ciuitatum priuari debent, ac dignitate Episcopali priuari, *ex eodẽ cap.* Item ij, qui sunt exempti ab Episcopo, & soli Papæ subiacent; in ijs tamen, quę sunt instituta contrà Hęreticos, subijci debẽt Episcopis, tamquàm Delegatis Sedis Apostolicę, non obstantibus priuilegijs, *ex eodem cap.*

PARAG. II.
Continuatur materia præcedens.

SVMMARIVM.

1 *Bona Hæreticorum confiscantur.*
† *Item Hæretici priuantur officijs.*
2 *Aduocati inseruientes Hæreticis, &c. sunt suspensi, & infames.*
† *Laici non debent prædicare, nec publica conuenticula facere.*
3 *Quicunque Hæretici sunt excommunicati, & tradi debent brachio sæculari.*
† *Hæreticis adstricti, liberantur ab omni obligatione.*

1 BOna Hęreticorum confiscantur, & in terris Ecclesię applicantur Fisco Ecclesię; in terris Principum Sęcularium, eorum Fisco. Item filij Hęreticorum amittũt hęreditatem, sicuti in crimine lęsę Maie† statis, *ex cap. Vrgenti 10.* Item Hęretici priuantur officijs publicis. Vndè Hæreticus non potest esse Aduocatus, Tabellio, &c. *ex cap. Nullo officio, dist. 54.*

2 Aduocati, & Notarij Hęreticis inseruientes,

uientes, vel prębentes auxilium in caussis, vel Instrumenta publica pro eis fecerint, sunt suspensi ab officio, & subiacent perpetuò infamię, *ex cap. Si aduersus* 11. Laici celebrantes occulta conuenticula, vel officium prędicationis sibi vsurpantes, seù eludentes simplicitatem Sacerdotum, aspernantes eorum consortium, reprehensione digni sunt, *ex cap. Excommunicamus* 13. & *ex cap. Sicuti in vno* 14.

3 Hęretici, quibuscunque nominibus appellentur, sunt excommunicati, & brachio sęculari tradi debent; & si Clerici, debent priùs degradari, *ex cap. Excommunicamus* 2.15 Liberantur ab omni obligatione fidelitatis homagi, &c. qui Hæreticis tenebãtur adstricti, *ex cap. Absolutus* 16. Vndè filius propter hæresim paternam liberatur à patria potestate. Mancipia Christianorum ob Dominorum hęresim, libertatem consequuntur.

PARAG. III.

Continuantur Textus præcedentes de Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Clericus in Sacris, pro crimine hæresis, à solo Episcopo degradatur.*
2 *Sepeliens Hæreticum, excommunicationem incurrit, &c.*
† *Item Laici, qui publicè, vel secretò disputant de fide.*
† *Item Ecclesiasticus, qui recipit beneficium ad preces Hæretici.*
† *Emancipatio filiorum Hæreticorum, &c. est nulla.*
3 *Filij, &c. qui dum in lecto decumbunt, vocant Hæreticos, &c. non admittuntur ad probandum. &c.*
4 *Relapsi in hæresim, sunt tradendi Curiæ Sæculari.*
5 *Excommunicati, & particeps criminis admittuntur ad testificandum contrà Hæreticos.*
6 *Officiales alicuius Regni, &c. licèt excommunicati, possunt tamen contrà Hæreticos exercere iustitiã.*
7 *Excommunicatus propter contumaciam, &c. post annum damnatur, vt Hæreticus.*
8 *Abiurans in iudicio hæresim, si iterato labitur, relapsus dicitur.*
† *Hæreticus in vna specie, &c. si posteà incidit in aliam, relapsus dicitur.*
† *Item ille, de cuius lapsu constat, si posteà Hæreticos recipiat.*
† *Item testis periurus.*
† *Inquisitores non debent punire sortilegia, &c. nisi sapiant hæresim.*
† *Nec se intromittere in caussis vsurarum, &c.*
† *Hæres mortui fautoris Hæreticorum, an possit cogi ad satisfaciendum aduersus Hæreticos mortuos, potest per sententiam ad confiscationem, &c. procedi.*
† *Clerici, qui impediunt citatos Hæreticos, &c. possunt ab Inquisitoribus castigari.*

1 CLericus in Sacris quando, pro crimine hæresis est tradendus brachio sęculari, vel perpetuò murandus, sufficit solus eius Episcopus ad eum degradandum, conuocatis Abbatibus, & alijs Prælatis, & Religiosis, & personis litteratis suę Ecclesiæ, si ità expedire iudicauerit, *ex cap. Quoniam de Hæreticis in 6.*

2 Excommunicationem incurrit, qui scientèr sepelit Hæreticum, vel eorum fautores, receptatores, &c. nec meretur absolutionem, nisi proprijs manibus exhumulet, & proijciat huiusmodi corpora damnatorum, & ille locus debet carere † perpetuò sepultura, *ex cap. Quicunque* 2. Item Laici, qui publicè, vel secretò disputant de fide, sunt excommunicati, *ex eod. cap.* Hęretici, receptatores, &c. & ipsorum filij vsque ad secundam generationem, non possunt admitti ad aliquod beneficiũ Ecclesiãsticum, vel officium publicum: si secùs fiat, factum est irritum, & inane, † *ex eod. cap.* Item Ecclesiasticus, qui ad preces alicuius Hæretici, aliquod beneficium adeptus est, priuatur à quæsito, & si illud scientèr recipit, fit inhabilis ad alia, vel † similia beneficia, *ex eod. cap.* Emancipatio filiorum, quorum parentes deteguntur fuisse Hæretici ante emancipationem, est nulla, quia statim, ac pater est Hæreticus, filij sunt sui iuris, nec indigent emancipatione, *ex eodem cap.*

3 Filij, vel hæredes illorum, qui dùm in lecto decumbunt, vocant Hęreticos, vt ab ipsis consolentur, non admittuntur ad probandum quòd tunc eorum parentes iam defuncti, non erant sanę mentis, quãdo petierunt illam consolationem, si dùm viuebant erant defamati, vel suspecti de hæresi, vel legitimè constiterit, quòd quãdo petierunt Hæreticos, erant sanæ mentis, *ex cap. Fily* 3.

4 Relapsi, idest, qui abiurarunt errorem, vel se purgarunt, in examinatione proprij Antistitis, & iterùm reincidunt in abiuratam hæresim, sine audientia, sæculari iudicio relinqui debent, etiamsi conuertantur: quia tamen Ecclesia non claudit suũ gremium redeuntis non debent illis petita Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ denegari, *ex cap. Super eo* 4.

5 Excommunicati particeps, & socij criminis admittuntur ad testificandum contrà Hæreticos, credentes, fautores, &c. si ex cõiecturis verisimilibus; ex numero, & qualitate personarum, & ex alijs circũstantijs præsumantur non dicere falsa, *ex cap. In fidei fauorem* 5.

6 Officiales alicuius Regni, Prouinciæ, vel loci, licèt sint excommunicati, & de facto tantùm, & non de iure habent iurisdictionem, possunt tamen, & debent licitè requisiti ab Ordinarijs, vel Inquisitoribus, vel Delegatis, contrà Hæreticos, credentes, fautores, &c. exercere iustitiam, & suum officium, quando sine periculo moræ, vel negotij, ad legitimos Superiores recurri non potest, *ex cap. Prudentes* 6.

7 Suspectus de hæresi vocatus ab Inquisitoribus, vt fide respondeat, & ob id, quod fuerit contumax, non parendo, vel se absentando, excommunicatur, si per annũ talem excommunicationem pertinaci sustinuerit animo, ex tunc condemnatur tãquàm Hæreticus, *ex cap. Cùm contumaciam* 7.

8 Abiurans in iudicio hæresim, propter vehementem suspicionem, si iterato labitur, licèt non fuisset plenè probatum, censetur relapsus ex quadam iuris fictione, & punitur pœna relapsorũ: si autem suspicio fuit leuis, & modica, non censetur relapsus, sed lapsus, licèt sit grauitèr puniẽdus, non tamen relapsorũ pœna puniri debet,
† *ex cap. Accusatus* 8. Itẽ Hæreticus in vna specie hæresis, vel secta, vel in vno articulo, vel Sacramento, & deindè generalitèr, & specialitèr abiurat hæresim, si post in aliam speciem hęresis, vel sectam incidit, vel alio articulo, vel Sacramento; iudicatur, vt relapsus in hæresim, *ex eodem cap.*
† Item ille, de cuius lapsu in hæresim ante, vel post abiurationem constat, si posteà Hęreticus recipiat, deducat, visitet, vel associat, aut dona, vel munera eis donet, vel mittat, vel fauore impendat, qui excusari non possit, etiamsi sine adoratione, vt dicunt, meritò iudicatur, vt relapsus; quia id fit ex consequentia probati erro-
† ris, *ex eodem cap.* Item testis periurus, licèt post pœnitentiam repellatur, tamen in causa hęresis, si vult corrigere suum periurium, deponendo contrà se, vel alios suos complices, si manifestis indicijs appareat, talem non ex leuitate animi, vel ex fomite odij, vel corruptione pecuniæ, sed solo fidei Catholicæ zelo suum dictũ corrigere, nisi aliud obsistat, in fauorem
† fidei admittitur; *ex eodem cap.* Item Inquisitores non debent se intromittere, nec punire exercentes diuinationes, & sortilegia, nisi manifestè sapiant hęresim, sed relinquant eos puniendos suis iudicibus,
† *ex eodem cap.* Item Inquisitores non debent se intromittere in causis vsurarum, etiãsi sint contrà illos, quibus pro crimine hęresis iniunxerũt restitutionem vsurarum, & illi obligauerunt se, & sua bona. Item Hęreticorum, non tamen Hęreticus, quãdo promisit Inquisitoribus, & obligauit sua bona ad faciendam pœnitentiam, quã Inquisitores iniungere vellent: Si moritur antequàm iniungatur ei pœnitentia, hæres mortui non potest cogi ad satisfaciendum: si verò antequàm moreretur, fiat pœnitentia iniuncta, nondum tamen perfecta, & pœnitentia erat complenda in bonis temporalibus; tùnc hęres debet cogi ad explendum talem pœnitentiam; quia tam bona transierunt cùm hoc o-
† nere, *ex cap. citato.* Item aduersus Hęreticos iam demortuos potest per sententiã declaratoriam ad confiscationem bono-
† rum procedi, *ex eodem cap.* Item Clerici, qui impediunt, instruendo citatos Hęreticos, vel eorum credentes, de veritate celanda, vel dicenda falsitate, vel eos indebitè liberando, possunt ab Inquisitoribus castigari debita pœna, vt carceratione, vel alia, prout culpa exigit: Si verò sint Religiosi, sunt immurãdi, vel grauiori pœna puniendi, quàm Laici. Si inuenti sint deliquisse in hęresi, vel consimilibus, *ex eodem cap.*

PARAG. IV.

Continuantur etiam Textus præcedentes.

SVMMARIVM.

1 *Statuta non valent, per quæ Inquisitorum officium impeditur.*
† *Inquisitoris officium non expirat morte concedentis.*
2 *Quando sunt plures Inquisitores, quomodo debeant procedere.*
† *Testes quomodo recipiendi in crimine hæresis.*
3 *Facultas concessa Inquisitoribus est committendi citationes, &c.*
† *Christiani ad Iudaismum transeuntes, & redeuntes, hæretici reputantur.*
4 *Dotes vxorum innocentium non confiscantur propter hæresim maritorum.*
† *Filij hæreticorum, &c. quomodo sint inhabiles ad beneficia.*
5 *Inquisitor nisi habeat speciale mandatum, non inquirit contra Episcopum.*
6 *Delegatio Papæ, &c non derogat Ordinarijs.*
7 *Principes, &c. debent obedire Episcopis, & Inquisitoribus.*
8 *Bona hæreticorum sunt ipso iure confiscata.*
9 *Inquisitores quomodo debeant procedere contrà hæreticos.*

1 Statuta loci, quæ directè, vel indirectè impedire, vel retardare possunt Inquisitorẽ, nè procedat, non valent, & Rectores censuris compelli valent, vt statutum deferãt Inquisitori, & si tale reperitur, est reuocandum, vel moderandum, nè concedatur, vel retardetur processus inquisi-
† tionis aliquo modo, *ex cap. Statutum* 9. Inquisitoris officium non expirat morte cõcedentis, v.g. Papæ, nec quoad negotia, quæ nondùm erant cœpta, vel orta, *ex cap. Ne aliquid* 10.

2 Inquisitores plures, quando sunt singuli, vel coniuncti, simul possunt cognoscere causas, & in condemnandis, vel absoluendis Reis secundùm Canones, anteponant honorem Dei respectibus humanis, sed solertèr considerent in absoluendo, nè simulatè, & fraudulentèr conuertantur absoluendi, & se, & Inquisitores decipiãt, *ex cap.*
† *Nè aliqui* 11. Itẽ quando testes sunt excipiendi super crimine hæresis, vel ipsum tangẽtibus debẽt coram publico Notario accipi, adhibendæque sunt duæ personæ Religiosę, & discretę, & si Notarius commodè haberi non potest, depositiones testium per duos viros idoneos scribendæ sunt, *ex eodem cap.*

3 Inquisitoribus, vel eorum singulis facultas concessa est committendi citationes, &c. quas ferrẽt cõtrà Hęreticos credẽtes, &c. vocandi quoslibet peritos, vt eis assistant, dùm sententiam ferunt, & consilium dent, prout iudicauerint expedire, &c. *ex*
† *cap. Vt commissi* 12. Christiani, qui transeunt, vel redeunt ad Iudaismũ, licèt in infantia fuerint baptizati, non tamen absolutè, & præcisè coacti, veniunt tamquàm hæretici puniendi, si sint confessi, vel per Christianos, vel Iudæos conuicti, & contrà talium

fau-

fautores,&c.est procedendum, sicut contra fautores,&c.hæreticorum,*ex cap. Contra Christianos* 13.

4 Catholicorum vxorum dotes non confiscantur propter hæresim maritorum, si quando contraxerunt matrimonium, nesciebant, illos esse hæreticos, *ex cap. Decreuit*

† 14. Filij hæreticorum, receptatorum,&c.ex paterna linea vsq; ad secundum gradum, ex materna vsque ad primum, non possunt habere beneficia, vel officia: & intelligitur, quando Parentes vt tales, idest vt hæretici mortui sunt: secùs quando constat, eos esse emendatos, & re Incorporatos Ecclesiæ, & ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam pro culpa egisse, vel paratos ad eam recipiendam fuisse, *ex cap. Statutum* 2.15.

5 Inquisitor deputatus à S. Sede Apostolica non potest inquirere de hæresi, vel procedere contrà Episcopos, nisi in litteris commissionis Sedis Apostolicæ expressè ponatur: si tamen Inquisitor sciuerit, vel inuenerit, Episcopum, vel eo Superiorem commisisse crimen hæresis, aut esse diffamatos, vel suspectos de hoc, tenetur denunciare Sedi Apostolicæ, *ex cap. Inquisitores* 16.

6 Papa, quando delegat generalitèr negotium hæreticorum alicui in aliqua Diœcesi, non derogat Diœcesano, quin possit procedere in eodem negotio authoritate ordinaria, vel delegata, si eam habet, & de eodem facto Ordinarius, & Inquisitor cõmunitèr, vel diuisim inquirere possunt, & si diuisim procedant, tenentur inuicem communicare processus, vt veritas meliùs inueniatur, & nisi in tali casu alter alteri iudicauerit deferendum, sententia proferatur simul per vtrosque; & si non conueniunt, mittatur ad Sedem Apostolicam negotium sufficientèr instructũ per vtrosque, *ex cap. Per hoc* 17.

7 Principes, & Rectores sæculares obedire debent Episcopis, & Inquisitoribus, & intendere in captione, inuestigatione, & diligenti custodia hæreticorum, &c. cùm fuerint requisiti, vt tradantur in carcere Episcoporum, & Inquisitorum, vel alibi, vbi Episcopus, & Inquisitor mandauerit, vt custodiantur per viros catholicos deputandos per Episcopum, vel Inquisitorem, donec eorum negotium terminetur per Ecclesiasticum Iudicẽ: & quando condemnati de hæresi, ipsis relinquuntur, statim eos accipere, & punire debent, non obstante appellatione, vel proclamatione eorum, quia hæc sunt illis interdicta, *ex cap. Vt inquisitoribus* 18.

8 Hæreticorum bona sunt ipso iure confiscata: executio verò confiscationis, &c. non debet fieri ante sententiam promulgatam ab Episcopo, vel à persona habente potestatem Ecclesiasticam, *ex cap. Cum secundum* 19.

9 In inquisitionis hæreticæ prauitatis negotio procedi potest simplicitèr, & de plano, & absque Aduocatorum, & Iudiciorũ strepitu, & figura: Item si propter potentiam Reorũ timetur imminere graue periculum accusatoribus, &c. si publicentur nomina eorum, non publicè, sed secretò coram Episcopo, vel eo absente, coram Vicario, quando Inquisitores procedunt: si verò procedit Episcopus coram Inquisitoribus, si haberi possit copia eorundem commodè, & semper etiam coram alijs personis prouidis, honestis, & iurisperitis, quibus seriò manifestetur, & explicetur totus processus, & de eorum consilio procedatur ad sententiam, & condemnationem; & ad cognitionem Iudicis instruendam adhibeatur plena fides depositionibus talium testium, non obstante, quod deponentium, &c. nomina non fuerint ostensa, *ex cap. Statuta* 20.

TITVLVS VIII.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

SVMMARIVM.

1 *Schisma vndè dicatur.*

† *Non consistit in qualibet inobedientia.*

2 *Schisma ab hæresi differt.*

3 *Schismatici sunt excommunicati.*

4 *Tenens beneficium à schismatico est excommunicatus, &c.*

1 Schismatici à Scissura dicti sunt, qui ab vniuersali Ecclesia per inobedientiam se diuiserunt, *cap.* 14. *Schisma, cap. Inter hæresim,* & ideò sunt excõmunicati, & damnati, *cap. De liguribus* 23. *quæst.* 5. & hoc crimen de natura sua importat hæresim, licèt differat

† schisma ab hæresi, vt infrà dicetur. Verùm schisma non consistit in qualibet inobedientia, sed in ea obediẽtia, quę habet rebellionem in Pontificem, non ex parte rei præceptę, sed ex parte officij ipsius Põtificis, nempè quando quis recusat subesse Pontifici, vti capiti Ecclesię, & sic ratione officij, quo fungitur. Valentia 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 13. *par.* 1. Vgolin. *de censuris Papa reseruatis par.* 2. *cap.* 1. Azor. *par.* 1. *lib* 8 *cap.* 20. *qu.* 4. Sanchez *in præcep. Decal. tom.* 1 *lib.* 2. *cap.* 36. & alij.

2 Differt schisma ab hæresi, quia hæresis in principio sui habet peruersum dogma, quod non habet schisma, sed in fine contigit aliquam hæresim, vt rectè videatur ab Ecclesia recessisse, *cap. Inter hæresim, & schisma*, vel est talis differentia inter hæresim, & schisma, qualis est inter genus, & speciem, quia omnis hæreticus est schismaticus, sed non conuertitur, nisi schisma durauerit; nam tunc in hæresim incidit.

3 Oẽs schismatici sunt excõmunicati, verũ cum hac differẽtia, quòd schismatici, qui habent coniunctam hæresim, excõmunicatur, *ex cap. Excõmunicamus de hæreticis*, sed schismatici, qui non habẽt coniunctã hæresim, sunt excõmunicati vigore, *cap. Licèt de elect.*

4 Tenens beneficium Ecclesiasticum à schismatico sibi concessum, vel consentiẽs ordinationi factę per eundem, est excommunicatus, in qua solus Papa potest dispensare, si beneficium sit Episcopatus, *cap. Quã diligentia, de electione:* Item si sit dignitas exempta.

PA-

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum.

De Schismaticis.

SVMMARIVM.

1 *Ordinationes facta à schismaticis, &c. sunt nulla.*
† *Ordinatus à schismatico est repellendus ab officio.*
† *Schismatici sunt inhabiles ad beneficia.*

1 IRritæ sunt ordinationes, & beneficiorum collationes, & Ecclesiasticarum rerum alienationes à schismaticis factæ, & à dignitate, & ordine suspeduntur, quia schisma tenere iurant, *ex cap. Quod à prædecessore 1. De schismate, &c.* Ordinatus à schismatico est statim repellendus ab officio, nisi legitimè probet secum fuisse dispensatum ab habente auctoritatem *ex cap. Fraternitati 2.* Ratio, quia schismatici etiã post peractam pœnitentiam inhabiles sunt ad beneficia Ecclesiastica obtinenda absque dispensatione. Vgolinus *de irregular. cap. 36. §. 3. num. 7.* Suarez *tom. 5 de censuris disput. 43. sect. 2. num. 7.* Azorius *par. 1. lib. 8. cap. 20. quæst. 8.* Sanch. *in precept. Decal. lib. 2. cap. 36. n. 18.* & alij.

TITVLVS IX.

De Apostatis, & reiterantibus Baptismum.

SVMMARIVM.

1 *Apostata, qui sunt.*
† *Quotuplex Apostasia.*
2 *Religiosus, qui recedit à Monasterio, censendus est Apostata.*
3 *Monachus in Apostasia ordinatus non potest exercere actum Ordinis.*

1 APostatæ sunt, qui à statu fidei obedientiæ, vel Religionis, quam se tenere professi sunt, temerariè recedunt, cuius Apostasiæ tres sunt species, perfidiæ, inobedientiæ, irregularitatis: Perfidiæ est, cum Christianam Religionem, eiusq; cultum deserunt, *cap. Non potest 2. quæst. 7* & ad alios ritus deflectunt: Apostasia inobedientiæ est, cum qui præcepta Superioris trãsgrediuntur, vel sacris statutis, & Canonibus non obediunt, *cap. Alieni 3. quæst. 4. cap. Si quis de maiorit. & obed.* Irregularitatis Apostasia est, cum qui ab Ordine assumptæ Religionis recedunt.

2 Apostata in rigore loquendo, censendus est ille, qui recedit à suo Monasterio, & Religione, inconsulto Prælato, & sine habitu, habens voluntatem firmatam in malum, & animum, atq; intentionẽ nõ redeundi ad Religionem ampliùs; & ità Caldeninus *consil. 1. Super hoc tit.* Nauar. *consil. 10. n. 6.* & alij: Itẽ Religiosus professus recedẽs sine licentia sui Prælati, & non subijciens se alterius obedientiæ, propriè est Apostata, quantumcunque habitũ, & tõsuram retineat; oportet enim, vt ingrediatur Monasterium, si vult euitare Apostasiam, & si intret Monasterium latius, non est Apostata.

3 Monachus in Apostasia ordinatus non poterit exercere actum illius Ordinis, & in Ordine sacro solus Papa dispensabit, in minoribus Episcopus; & non poterit ad superiores Ordines promoueri: & quia Apostatæ sunt excommunicati; si in ipsa ordinantur, accipiunt Ordinem, vt habetur *in cap. Illorum, de sentent. excommunicat.* Religiosus fugitiuus reuerti volens, debet in Monasterium admitti; imò Prælatus ad hoc compellitur, *cap. Nè Religiosi extrà, &c.*

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum.

De Apostasia, &c.

SVMMARIVM.

1 *Clerici Apostatæ in crimine comprehensi per censuram Ecclesiasticam non liberantur.*
† *Acolytus, qui ministrauit Sacerdoti rebaptizanti, an possit promoueri, &c.*
† *Infamatus de Apostasia, deficiente probatione, compellitur ad se purgandum.*
2 *Baptizati alterius Secta ritus dimittere compellantur.*
† *Apostata incarcerari, &c. possunt, vt habitum reassumant.*
† *Monachus in Apostasia ordinatus non potest in suscepto Ordine ministrare.*

1 PEr censuram Ecclesiasticam, non liberantur Clerici è manibus Laicorum, si sine habitu, & tonsura sunt deprehensi; si priùs se habebant per omnia, vt Laici,
† *ex cap. Præterea 1. de Apostolis, &c.* Acolytus, qui administrauit Sacerdoti rebaptizanti, potest promoueri ad alios Ordines: si crimẽ est occultũm, *ex cap. Litterarum 2.* secùs verò si peccatum est publicum, nisi fiat Religiosus, & in fauorem Religionis cum eo dispensetur, *ex eodem cap.* Infamatus de Apostasia, qui habitum dimisit, non est relinquendus in habitu sæculari, sed censuris cogendus, vt deficiente probatione, canonicè se purget, *ex cap. Tua fraternitati 3.*

2 Voluntariè baptizati, si deindè ad priores ritus reuertuntur, sunt per Prælatos
† coërcendi, *ex cap. Quidam 4.* Apostatæ, qui dimisso habitu, detinentur in carcere, affligi possunt, vt habitum reassumant, *ex*
† *cap. A nobis 5.* Monachus in Apostasia ordinatus non potest ministrare in Ordine suscepto sine dispensatione Summi Pontificis, *ex cap. Consultationi 6.*

TITVLVS X.

De ijs, qui filios occiderunt, & de Parricidio.

SVMMARIVM.

1 *Parricidium quid sit.*
2 *Pœna parricidy.*
3 *Pœna mulieris procurantis abortum.*

1 PArricidium est, quando occiduntur parentes, vel filij, vel aliæ personæ sanguine coniunctæ; vndè qui scientèr libe-

ros

ros occiderunt, graniùs peccant, quàm homicida, & grauiùs puniri debent, *cap. Cum iuramento, de homicidio, cap. Aus facta de pœnit. dist. 1.*

2 Cùm quis occidit aliquem parentem, In iure tali pœna mulctabitur, vt Parricida virgis verberatus; deindè in culleum iniectus cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & simia; deindè in mare profundè iactetur culleus, vel in amnem, *l. Pœna, vt Cœlum super sit*, & terra mortuus, auferatur: secùdùm Canones, non sic, sed imponitur pœna intrusionis in Monasteriū: si is, qui occidit, coniugem, & filios non habet cap. *Aliás Iecius ex cap. Intelleximus.*

3 Mulier partum animatum medicamentis, vel alitèr abigens spontè, vel abortum ita faciens, capitali supplicio est plectenda, *cap. Aliquando 1. cap. Semina 32. qu. 2.*

P A R A G. V N I C.

Textus Sacrorum Canonum.

De ijs, qui filios occiderunt.

S V M M A R I V M.

1 *Pœna mulieris occidentis suum filium.*
2 *Item suffocantis filium in lecto.*
† *Parentes, & nutrices prohibentur tenere paruulum in lecto.*

1 MVlier occidens filium spontè, est inducenda in Monasterium, vt agat perpetuam pœnitētiam, & si nolit ad hoc induci, & timeatur de incontinentia, dari debet, vel saltem non denegari licentia illi nubēdi, *ex cap. Veniens 1. de ys, qui filios occiderunt.* Mulier item occidens filium, propter hoc à viro non est separanda, vt alios filios gubernare valeat, sed alia pœnitentia est illi imponenda, *ex cap. Intelleximus 2.* quod intelligendum est in foro conscientiæ.

2 Si infans in lecto suffocans inueniatur, & quis ex coniugibus eū oppresserit, ignoretur, vterque, mortis euentu considerato, pœnitere debent ad arbitrium Superioris; si verò sint certi, quod ipsi certò suffocarunt, penitentiam agere debent trium annorum, quorum vnus in pane, & aqua; & ideò ad euitandum hoc malum, Episcopi

† Constitutionem Synodalem faciūt, quod parentes, nutrices non teneant filios paruulos in lecto; imò sibi talem casum reseruant, quia iacere in eodem lecto cum infante non caret culpa, cùm res periculosa sit suffocationis, &c.

T I T V L V S XI.

De Infantibus, & languidis expositis.

S V M M A R I V M.

1 *Infans quis dicatur.*
2 *Peccant parentes, filios exponendo.*
3 *Filius expositus c. nsendus est illegitimus.*

1 INfans dicitur vsque ad septimum annum exclusiuè, & dicitur infans, non quia fari non possit, sed quia est præditus tali voce, quæ pro nulla iure habetur, & illic terminatur, vndè oritur pueritia, seu puellaris ætas, quæ in maribus ad 14. annū extēditur; fœminis verò 12. annorū spatia desiderat: Proximus verò infantiæ dicitur post septennium vsque ad 10. annum cum dimidio, si masculus sit; si verò fœmina, vsq; ad 9. annos cum dimidio. Glos. *in verbo Infantia proximus nu. 3.*

2 Peccant parentes, qui filios exponunt, si eos commodè alere possunt. Azorius *par. 1. lib. 2. cap. 2. quest. 2.* Henriquez *in sum. par. 2. lib. 11. cap. 19. §. 3.* & alij. Parentes possunt cognoscere expositos pro filijs, qui tunc censebuntur legitimi, & eorū hæredes. Steph. Grat. *cap. 267. num. 14.* vbi resoluit, quod licèt pater exponens filiam, amittat propriam potestatem, non tamen eximitur ab onere dotandi, quia solùm perdit patriam potestatem quoad ea, quæ sunt sibi vtilia, non tamen circà ea sibi onerosa. Surdus *de alim. tit. 6. quest. 8. num. 9.* Azorius *par. 2. lib. 2. cap. 46. qu. 2.* & alij.

3 Filius expositus, secundùm communiorem sententiam, censendus est illegitimus, & per consequens, irregularis. Suarez *in 3. par. de censuris disput. 50. sect. 4. num. 8.* Fillincius *tom. 2. tract. 19. cap. 5. nu. 141.* Toletus *lib. 1. cap. 52.* & alij: Ratio, quia in huiusmodi casu adsunt coniecturæ, ex quibus possumus coniecturare esse illegitimum, & irregularem: Primò, ex parte Hospitalis pro illegitimis fundati: Secundò, ex parte expositorum, qui quasi semper tenentur ex turpi conceptu; tùm etiam quia prohibitum est exponere legitimos, licèt dicendum sit cū Cou. *in Clement. si furiosus num. 9.* Diana *tract. 5. Misc. 1. resolut. 2.* posse absque dispensatione Ordinarij, cùm simus solùm In dubijs, &c. in dubijs nullus sit priuandus suo iure, & In dubijs præterea sit pars benignior sequenda. Verùm ad tollendos scrupulos, bonū erit petere dispēsationem ab Episcopo, nō quia possit dispēsare in irregularitate proueniente ex defectu natalium, sed quia illius facultas prodesse nos potest ad pacandam conscientiam, adiuncta opinione probabili, expositum non esse irregularem.

P A R A G. V N I C.

Textus Sacrorum Canonum.

De Infantibus, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Infans expositus est liber à patria potestate, &c.*

1 INfans à patre exposito, vel ipso sciente, vel ratum habente, est liber à patria potestate, & sic libertus, vel seruus à Domino expositus, libertatem nanciscitur; illi verò, qui eos suscipiunt, non acquirunt ius in eorum personis, *ex cap. Si à patre vnic. de infantibus, & languidis, &c.*

TITVLVS XII.
De Homicidio.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium quid sit.*
† *Priuata auctoritate non licet interficere.*
2 *Quisque tenetur vitam suam conseruare.*
3 *Non licet occidere innocentem.*
4 *Non licet matri dare pharmacum, quo prouocetur abortus, &c.*
5 *Princeps ob aliorum culpam non potest occidere obsides.*
6 *Non licet fœmina ad euitandam infamiam procurare abortum.*
7 *Licitum est, concurrentibus conditionibus, alium occidere ad defensionem propria vita.*
8 *Aggressorem propria vita non licet praeuenire, &c.*
9 *Homicidium duplex.*
† *Voluntarium duplex.*
10 *Item casuale duplex.*

1 HOmicidium est violenta vitę hominis ademptio, *cap. Homicidium 28. de pœnit. dist. 1.* Priuata auctoritate, non licet interficere malefactores, sed tantùm publica; nec est licitũ se directè, & per se interimere, cùm homo non sit dominus suæ vitæ, & suorum membrorum: Dixi directè, quia indirectè licitum est, quando subest iusta causa, aliquid facere, aut omittere; vndè certò scitur, quod secuturus sit interitus.
†

2 Tenetur vnusquisque vitam suam conseruare: Sunt tamen multi casus, in quibus homo non tenetur eam tueri, vt quando quis permittit se occidi, nè alter moriatur in peccato mortali, cùm alterius vita sit multum inutilis Reipublicę: Item Reus nõ potest fugere è carcere, etsi certò sciat, se morte plectendum, &c.

3 Directè, & per se non licet occidere Innocentem, iuxtà illud Exodi *cap. 23. Insontem, iustum ne occidas*. Indirectè tamen licitum est occidere innocentem; vndè licitum est in bello iusto mœnia bombardis subuertere, &c. etiamsi multi innocentes opprimantur.

4 Matri non licet dare pharmacum, quo prouocetur abortus ante, vel post animationem fœtus: quando verò mater extremè laborat, & non sit alia spes, quam pharmacum, ex natura sua curatiuũ illius morbi, potest illi dari cum intentione curandi morbum, licèt mors sequatur fœtus nondùm animati anima rationali. Lessius *lib. 2. cap. 9. num. 10.* Syluest. *verbo Medicina*, & alij: Ratio, quia magis præstat vita matris, quã proles futura, seù fętus inanimatus: si verò proles censeatur animata, vel de animatione dubitetur, non potest dari matri pharmacum sanatiuum illius morbi cum periculo fœtus animati, quia tunc proles censetur esse in extrema necessitate spirituali, & salus spiritualis semper est pręferenda corporali. Syluest. *verbo Medicina*, & alij: si verò probabile esset, non adhibito remedio, vtrumque moriturum, adhibito verò pharmaco, saltem matrem posse seruari, eo tempore potest illi dari remediũ curatiuum illius morbi, licèt cum periculo fœtus animati. Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 10. nu. 64* & alij.

5 Princeps non potest ob aliorum culpam occidere obsides. Molina *disput. 122.* ob rationem allatam in Exodo, *Insontem, & innocẽtem nè occidas*: Potest tamen alijs pęnis puniri, bonis expoliari, detineri in carcere, &c. Ciuitas potest cogere innocentem; quem obsidens petit, vt occidat, vt ex Ciuitate exeat, & ad obsidẽtẽ accedat, si nolit tali ratione desistere ab obsidione; ità Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 10. num. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 7. num. 39.* Petrus Nauar. *lib. 2. de restitut. cap. 3. num. 520.* & alij: Imò si nolit exire, potest illum compellere, non tamen interficere: ità Auctores citati.

6 Non licet fœminę cuiuscunque conditionis, ad euitandam infamiam, aut mortem, accipere pharmacum, quo procuretur abortus. Syluest. *verbo Medicus*, Azorius *3. par. lib. 2. cap. 4.* & alij: Ratio, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona; Item non licet marito occidere vxorem in adulterio deprehensam; sicut nec etiam licitũ est patri occidere filiam in stupro inuentã, licèt si in tali casu occidat, id faciat impunè.

7 Licitum est priuata auctoritate alium occidere ad defensionem propriæ vitæ, concurrentibus istis conditionibus: Primò, vt vis ab altero inferatur, & inuasor iniustè inuadat: Secundò, vt occisio fiat in ipso actu aggressionis, ità vt non pręueniatur inimicus: Tertiò, vt occisio non fiat post factum, quia aliàs esset vltio, & non defensio: Quartò, vt fiat cum moderamine inculpatæ tutelę, hoc est, quando efficitur id tantùm, quod expedit ad vitam cõseruandam: Quintò, vt inuasus probabilitèr credat, se grauitèr lædendum, vel occidendum, si vim non repellat, seù inuasorem non occidat; ità Clauis-regia *lib. 7. cap. 10. num. 18.* Nauar. *cap. 15. num. 3.* Valentia *tom. 3. quæst. 8. par. 4.* & alij: Ratio, quia vim vi repellere licet, quãuis Inuasus possit permittere se occidi ab inuadente; ità Toletus *lib. 5. cap. 6. num. 10.* Em. Sà *verbo Homicidium nu. 21.* Molina *disp. 4. nu. 21.*

8 Aggressorem proprię vitę non licet pręuenire, antequàm inceperit moralitèr actum aggressionis, quia ante actum aggressionis non infertur iniuria, aut vis, quę sit repellenda. Licitum est tàm Clericis, quàm Laicis occidere inuasorẽ suarum facultatum, si illę sint magni momẽti, nec sit probabilis spes eas alitèr recuperandi, quia omnibus licitum est iure naturę vim vi repellere, nõ solùm à propria vita, sed etiam ab ijs, sine quibus simplicitèr, vel commodè vita sustineri non potest: tamen si alitèr saluari, vel recuperari res possint, non est licitum occidere inuasorem. Rodriquez *cap. 135. num. 15. & 16.* Valentia *tom. 3. disp. 5. qu. 8. pun. 4.* & alij.

9 Homicidium duplex est, vnum voluntarium, & aliud casuale: Homicidiũ voluntariũ est duplex, vnum directum, vel in seipso, siuè voluntarium simplicitèr, & est
†

illud

illud, in quod voluntas fertur immediatè, siuè in quod immediatè tēditur ab agēte: alterum vocatur indirectum, seu volitum in alio, quia nec in seipso, nec in actione aliqua proximè coniuncta cum illo intenditur, sed sequitur præter intentionem, & solùm in causa per accidens est intentum, ideoque dicitur casuale.

30 Homicidium casuale item duplex est: Primū, quod est indirectè voluntarium, & culpabile, quia nō adhibetur ea diligētia, quam quis debebat, ad ipsum præcauendū: Secundum, quod non est indirectè voluntarium, quia videlicèt omnis diligentia adhibita est, ne ex propria actione sequatur homicidium.

P A R A G. I.

Textus Sacrorum Canonum. De Homicidio, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Homicida proditoriè debet deponi.*

† *Pœna occidenti latronem, cùm possit se liberare.*

† *Fur diurnus non potest occidi. Nocturnus, sic.*

† *Illicitum non venit sub promissione.*

† *Homicida censetur, qui dat venenum sterilitatis.*

2 *Iudex debet considerare qualitatem personæ.*

† *Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei illicitæ, &c.*

† *Homicidium in ludo commissum à Clerico, quando irregularitatem operetur.*

† *Homicidium casuale sine culpa, non inducit irregularitatem.*

† *Irregularis efficitur is, ex cuius opera illicita homicidium sequitur.*

3 *Homicidium casuale non imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ.*

† *Monachus ab irregularitate excusatur, qui dum campanam deponeret, puerum oppressit, &c.*

4 *An sit irregularis Clericus, qui stimulando equum calcaribus, præter intentionem, mulierem occidit, &c.*

† *Non censetur irregularis, cuius occasione homicidiū committitur.*

5 *An censeatur irregularis, qui alium lethaliter percussit, qui postea ab alijs fuit extinctus.*

6 *Religiosus Chirurgiam exercens, quando censeatur irregularis.*

† *Item dans causas abortus.*

7 *Clericus militiam petens, an censeatur irregularis.*

8 *An irregularitatem incurrat, qui ludendo lapidem in alium proiecit, &c.*

9 *Homicidium casuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa.*

† *Clericus pro fide pugnans, si dubitet aliquem interfecisse, quid facere debeat.*

† *Presbyter dans operam rei licitæ, adhibita diligentia, si sequatur mors, non est irregularis.*

1 QVi proditoriè proximum interfecerit, est deponēdus, & ab Altari excludendus, vt moriatur, *ex cap. Si quis 1. de homicidio.*

† Latronem occidenti, cùm possit aliter se liberare, imponitur pœnitentia quadraginta dierum: Si verò non poterat se aliter liberare, & ex odio non occidit; non imponitur pœnitentia, *ex cap. Interfecisti 2.*

† Fur diurnus nō occiditur sine culpa; sed nocturnus occiditur sine culpa, *ex cap. Si perfodiens 3.*

† Promissio generalis firmata iuramento, non extenditur ad illicita, *cap. Cum inguamento 4.*

† Homicida est, qui dat homini, vel mulieri sortilegia, vel venenum sterilitatis, *cap. Si aliquis 5.*

2 Iudex in pœnitentia imponenda, debet considerare quantitatem, & qualitatem delicti, & circumstantias personæ, *cap. Sicut dignum 1. 6.*

† Sacerdos est deponendus, qui corrigendo puerum, excedit modum, ex quo mortuus est, vel in infirmitatem decidit, ex qua deindè moritur, *ex cap. Presbyterum 7.*

† Est irregularis Clericus, qui dū ludit, aliquis mortuus est, si non adhibuit diligentiam ad præcauendam mortem, *ex cap. Continebatur 8.*

† Homicidium verò casuale sine culpa, nō inducit irregularitatem, *ex cap. Lator 9.*

† Irregularis est, qui dat operam rei illicitæ, à qua vt plurimum sequitur mors, etiā si vtatur diligentia ad ipsam præcauēdam, secuto tamen effectu, *ex cap. Suscepimus 10. & ex cap. De Cætero 11. & ex cap. Ad audientiam 12.*

3 Irregularis non est, qui dans operam rei licitæ, sine culpa fuit causa mortis alicuius, *ex cap. Dilectus 13.* quia nec actu, nec voluntate homicidium commisit, & *ex cap. Ex litteris 1. 14.*

† Monachus non est irregularis, qui intersiens ad deponendum campanam de campanili, mouit quoddam lignum, quod corruit, & occidit puerum; si rem necessariam agebat, & crederet, aliquem non transire in illo loco; *ex cap. Ex litteris 2. 15.*

4 Quidam Clericus, dū equitaret, Equus illum proiecit in flumen, propter quod Clericus grauiter stimulauit eum calcaribus, & præter intentionem currendo, mulierem occidit: Vndè Clericus, si non sciebat equi vitium, non est irregularis, licèt ad cautelam debeat illi iniungi pœnitentia competens, *ex cap. Significasti 16.*

† Non censetur homicida, nec irregularis, cuius occasione, eo tamen prohibente, ab eius consanguineis, vel famulis homicidium committitur, *ex cap. Petrus 17.*

5 Irregularis censetur, qui aliquē lethaliter percussit, licèt ab alijs fuerit extinctus: Item si non apparet, an lethaliter percusserit, licèt ab alijs fuerit extinctus: Item si non apparet, an lethaliter esset ab alijs percussus, & obijt, & non apparet, ex quo vulnere obierit: Item si est percussus non lethaliter, si animum occidendi habuit; & ex aliorum verberibus percussus expirauit, *ex cap. Significasti 2. 18.*

† 6 Religiosus Chirurgiam exercens secūdùm regulas artis, si ex ea mors sequatur, etiā si peritus sit, & hoc fecerit causa pietatis fit irregularis, sed post peractā pœnitētiā, potest cū eo dispēsari, vt celebret: secùs autem si nō secūdùm regulas artis, & causa pietatis, *ex cap. Tua nos 19.*

† Dans causam abortus, est irregularis, si fœtus erat animatus; alias non, *ex cap. Sicut ex litterarum 20.*

7 Non est irregularis Clericus ciuiliter

iustitiam petens de Laico, si posteà Iudex in Laicum exerceat iustitiam sanguinis, *ex cap. Postulante 21.* Licèt nunc temporis ad non incurrendam irregularitatem necessaria sit protestatio, non intendere pœnam sanguinis, sicut etiā potest Clericus, facta protestatione, denuntiare aliquod delictum tendens in perniciem publicam, quod non posset aliter impediri, quàm per denunciationem. S. Thomas *2. 2. quæst. 33. art. 7.* Sotus *de iustitia lib. 5. quæst. 5. art. 1.*

8 Irregularitatem non incurrit ille, qui ludendo, lapidem in alium proiecit animo eum detrahendi; Ille verò alius, fugiendo eum lapidem, casu lapidem in alium impegit, & in capite fuit vulneratus, at tandem Medici imperitia, & incuria mortuus est, *ex cap. Exhibita 22.*

9 Sacerdos dans operam rei licitæ, si casu fortuito, & sine sua culpa aliquis interficitur, nō fit irregularis, *ex cap. Ioannem 23.*
† & *ex cap. Quidam 25.* Clericus, qui contrà inimicos Fidei Catholicæ pugnat cum aliis, si dubitat aliquem interfecisse, vt Irregularis, à ministerio Altaris abstinere
† debet, *ex cap. Petitio 24,* Presbyter dùm dat operam rei licitæ, adhibita diligentia, quam debuit, si sequatur alicuius mors, non fit irregularis, nec quoad officium, nec quoad beneficium, quia non tenetur præuidere omnes casus, *ex cap. Quidam. 25.*

P A R A G. II.

Continuatio eiusdem materiæ.

S V M M A R I V M.

1 *Pœna facientis aliquem occidere per assassinum.*
2 *Clerici, &c. de suis malefactoribus possunt deponere querelam, &c.*
3 *Mandans aliquem verberari, est irregularis, si mandatarius excedat fines mandati, mutilando, &c.*

1 Per assassinum faciens Interficere aliquem Christianum, vel mandans, licèt mors non sequatur, incurrit ipso facto excommunicationem, & depositionē à dignitate, &c. *ex cap. Pro humani 1. de homicidio in 6.*

2 Prælati, & Clerici de suis malefactoribus possunt deponere querelam coram Iudice Sæculari, & petere emendam sibi fieri, & prouideri nè contrà eos de cætero talia fieri præsumant, etiamsi in tali casu pœna sanguinis à Iudice irrogari videatur; licèt deindè ille mortem inferat secundùm iura, tùnc enim non fiunt Irregulares, dummodò protestentur expressè, quòd non intendunt vindictam cū pœna sanguinis; alioquin si timore irregularitatis non auderent conqueri, daretur occasio aliis ipsos trucidandi, & ipsorum bona depredandi, *ex cap. Prelatis 2.*

3 Mandans aliquem verberari, licèt expressè prohibeat, nè occidatur, vel mutiletur; si mandatarius fines mandati excedendo, mutilet, vel occidat, fit irregularis, quia mandando fuit in culpa, & debuit cogitare, hoc posse euenire.

TITVLVS XXIII.

De Torneamentis.

S V M M A R I V M.

1 *Torneamenta, quæ sint.*
2 *Morientium in torneamentis pœna.*
3 *Non modò est irregularis occidens in torneamentis, sed omnes, qui venerunt causa pugnandi, &c.*

1 Torneamenta sunt nundinæ, vel feriæ; in quibus milites ex condicto conuenire solent ad ostentationem virium suarum, & audaciæ, temerè congredi. Vndè, quia ex his vt plurimū mortes proueniunt, prohibentur.

2 Morientibus in torneamētis, quod intelligitur de eo, qui venit causa se exercendi, licèt cum vulnere lethali superuixerit, & pœniteat, Ecclesiastica sepultura careat: secus verò si venerit causa debita exigēdi, vel alia sua negotia exercendi, & ideò denegatur sepultura causa terroris, & correctionis, nō autem sunt priuandi Ecclesiastica sepultura. Morientes in congressibus cum tauris, aliisque bestiis, quia Clemens VIII. non solùm pœnam excōmunicationis, sed etiam alias pœnas impositas à Pio V. omninò sustulit, reducēdò eas ad terminos iuris communis, in quo talis priuatio sepulturæ non inuenitur contrà tales decedentes.

3 Cùm aliquis in torneamētis occiditur, non modò est irregularis ille, qui occidit, vel mutilatur, sed etiam omnes, qui illū sic vulnerarunt causa pugnandi, licèt ipsi non occiderint, vel mutilauerint; sicut etiam sunt irregulares omnes, qui intersūt in bello iniusto causa bellandi, secuta morte. Episcopus tamen cum talibus dispensare poterit, sicùt de existentibus in bello iniusto, sed non occidentibus, & ità Sylvest. *verb. Homicidium 3. §. 6.* Armilla *verb. Torneamentum num. 2.* & alii.

P A R A G. I.

Textus Sacrorum Canonum. De Torneamentis.

S V M M A R I V M.

1 *Torneamenta prohibentur.*
† *Item agitationes cum Tauris.*
2 *Qui accedentes priuentur sepultura.*

1 Si quis in torneamento moritur, sepultura Ecclesiastica carere debet; per ē-ti tamen non est deneganda pœnitentia,
† *ex cap. Felicis 1. de torneamentis.* Prohibentur etiam agitationes cum Tauris ex eodem motiuo, & causa, nimirùm ob periculum cędium, vulnerum, mutilationem membrorum, *ex eodem cap.*

2 Solùm accedentes ad torneamenta animo pugnandi, priuantur Ecclesiastica sepultura, quia si accedant ex alia causa, veluti ob debita exigenda, &c. Si in eo loco moriatur, non est priuandus Ecclesiastica sepultura, *ex cap. Ad audientiam 2.*

Sic

Sicut etiam non priuatur, qui accedit ad torneaměta animo videndi ea, & ibi moritur: Licèt textus non loquatur de tali causa, sed solùm de priori, nimirùm de accedente ad torneamenta, causa exigendi debita: Ratio, quia cùm ista sit pœna, debet solùm restringi in proprijs terminis, nimirùm in accedentibus ad torneamenta, causa pugnandi, non autem causa exigendi debita, aut videndi ea. Ità Doctores.

TITVLVS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

SVMMARIVM.

1 *Duellum quid sit.*
2 *Duellum quolibet iure prohibetur.*
† *Ad quos extendatur,*
3 *In quibus casibus non incurruntur pœnæ.*
4 *Et in quib. s licitum.*

1 DVellum est pugna singularis deliberatè ab vtraque parte spontè, & ex condicto suscepta, statuto loco, & tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris. Rixæ, quæ concitantur ex subita ira; nec pugna, quæ fit ob necessariam defensionem; nec proditor, qui insidijs occidit inimicum, dicitur committere duellum, quia non adest mutua conuentio. Clauis-regia *lib.7.cap.13.num.*11 Valentia *tom.3 disp.3.quæst.*17 *punct.*1. Bannes 2 2. *quæst.*40.*art.*1. Filliuc. *tract.*15. *num.*107.

2 Duellum prohibetur iure Canonico, *cap. Monomachiam*, & *cap.* 1. & 2. *de purgatione can.* Prohibetur etiam iure Ciuili; & iure Canonico excommunicantur, & excommunicatio est reseruata Papæ, & alijs. Ex-
† communicatio extenditur primò, ad pugnantes: Secundò, ad concedentes locũ: Tertiò, ad aliquo modo cooperantes, vt mandato, consilio, fauore, cartellis, intimatione, publicatione, etiamsi duellum sequutum non fuerit; nisi fortè per ipsos cooperantes steterit, ne sequeretur: Quartò, ad spectantes ex industria, qui ex condicto se offerunt, certaminis spectatores, & testes.

3 Pœnæ non incurruntur primò, quando quis prouocat non animo pugnandi, sed causa honoris defendendi, &c. cum morali certitudine quod nulla læsio, aut membri mutilatio sit sequenda; licèt in foro externo talis prouocatio censeatur duellũ: Secundò, cũ quis alium prouocat, nullo statuto loco, & tempore: Tertiò, qui accessit ad locum simpliciter causa visendi; dummodò effectus sequutus non sit. Sunt etiam alij casus, sed isti sunt principaliores.

4 Duellum in duobus tantùm casibus cõsetur licitum: Primus est ad sedandos duos exercitus contrarios: Secundus, quando aliquis compellitur sub vitæ periculo duellum acceptare, quilibet enim debet consulere vitę proprię, etiam cum morte inuasoris: & ità communiter DD.

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum.

De Clericis pugnantibus in duello.

SVMMARIVM.

1 *Clericus offerens, & acceptans duellum, est deponendus.*
2 *Irregularis est Clericus, non solùm si ipse interfecit, sed etiamsi pugil ab eo ductus, aduersarium occidit.*
† *Episcopus ad quale beneficium cum homicida possit dispensare.*
3 *Parochus non potest priuare sepultura defunctum, quando duellum non fuit euidentèr notum.*

1 CLericus, si spontè alicui duellum obtulit, vel oblatum acceptauit; est deponendus; sed si non est secuta mors, vel mutilatio, potest cum eo Episcopus dispẽsare, *ex cap. Porrò* 1. *de Cleric. pugnantibus, &c.*

2 Irregularis est Clericus, nõ solùm qui seipse interfecit per se, sed etiã qui deficiente probatione secundùm consuetudinem patriæ, introducit pugilem, qui in duello pugnet cum litigante, si aliquis interficiatur, quia homicidium non solùm committitur de facto, sed etiam præcepto, consilio, defensione, &c. cum eo tamen circà beneficium poterit Episcopus dispensare,
† *ex cap. Henricus* 2. Quia Episcopus potest cũ homicida etiam voluntario, quoad beneficium simplex dispensare. Guttier. *can. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 19. & alij. Farinac. *in praxi crim. par.* 5. *quæst.* 119 *num* 59. nisi Episcopus dispensaret in præiudicium illius, qui beneficiũ homicidæ impetrauit; tunc.n. nõ valet talis dispensatio ante litis pendentiam, ex quo impetranti est iam ius quæsitum ad illud beneficium: ità Farinac. *loco citato num.* 60. & 61. & dicit, secùs esse quoad beneficiũ cum cura animarum, & quoad ministeriũ Ordinis, & Altaris: ad hæc enim non Episcopus, sed Pontifex dispensare potest, & ità Rebuffus *de pacif. possessionibus num.* 363. Flamin. *de resignat. benefic. lib.* 3 *quæst.* 16. *num.* 62. Azorius *par.* 2 *lib.* 7. *cap.* 18. *quæst.* 2. Verùm hodie post Concilium Tridentinum *sess.* 14 *de reformat. cap.* 7. is, qui homicidium voluntarium commisit, nullo tempore ad sacros Ordines promoueri potest, nec illi aliquod Ecclesiasticum beneficium, etiam sine cura cõferendum est. Guttier. *cap.* 13 *nu.* 19. Sayrus *de censuris lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 14. & 15. Farinac. *loco citato quæst.* 119. *num.* 62. & alij.

3 Quando duellum non fuit euidentèr notum, non potest Parochus priuare sepultura defunctum in illo. Pereg. *de duello quæst.* 7. *num.* 3.

TITVLVS XV.

De Sagittarijs.

SVMMARIVM.

1 *Sagittariorum, &c. ars est prohibita.*
2 *Mandans balistu, &c. aliquem occidi, quando sit irregularis.*

1 Sagittariorum, & balistariorum arte adversùs Christianos, & Catholicos sub pœna excommunicationis vti non licet.

2 Mandans, Balistis, vel Sagittarijs aliquē occidi, est irregularis, secuta morte, quādò mādatum est illicitū, quia secùs sicitum, veluti quando Magister, Pater, &c. correctionis, & disciplinæ causa mandat verberare filium, discipulum, &c. & nihil refert, si mādatum non sit expressum, sed solùm tacitum, vt v.g. si Dominus dicat servo, non reuertaris domum, donèc aliquid no ui sentiam de Petro; nam tunc occiso Petro, ex parte proferentis verba contracta est irregularitas. Con. *in Clement. si furiosus par.* 2. §. 1. *num.* 3 Nauar. *cap.* 27. *num.* 233. & alij.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum. De Sagittarijs.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicandi sunt Balistarij, & Sagittarij contrà Christianos, &c.*

1 Excommunicandi sunt, qui exercent mortiferam artem balistarum, & sagittariorum contrà Christianos, & Catholicos, *ex cap. Artem vnic. de sagittarijs*, quod intelligendum est de bello iniusto, quia in bello iusto licet vti quolibet genere armorum, imò vt vincatur, potest vti dolis, & insidijs, quia nihil refert armis, contingat palma, dolisvè, sed contrà Paganos, & persecutores fidei Christianæ potest hoc officium exerceri: pœna autem exercentium hoc genus armorum contrà Christianos est anathema, vt dictum fuit: Verùm iste Canon hodie pro nihilo est secundùm Caiet. *in sum. verbo Sagittarius*, dùm quilibet bellum suum, vt iustum habet.

TITVLVS XVI.
De Adulterijs, & Stupro.

SVMMARIVM.

1 *Adulterium quid sit.*
† *Pœna adulteriorum, quæ.*
2 *Cuius censeatur filius, quando duo accedunt ad mulierem, quæ concepit.*
3 *Filius non tenetur matri asserenti ipsum esse illegitimum.*
4 *Stuprum quid sit.*

1 Adulterium est accessus ad alienum Thorum; vndè requiritur, vt vterque, vel alter sit coniugatus; vndè adulterium dicitur etiam violatio alterius
† Thori. Pœnę adulteriorum plures sunt: Primò, mulier adultera amittit dotem propter adulteriū: Item amittit arhas, & munera propter nuptias, *cap. Plerumque de donat. inter coniuges*: Secundò, mulier adultera non potest accusari ab hæredibus mariti, si viuente marito, adulterium illi fuit notum: Tertiò, amittit ius petendi debitum: Quartò, adulter per sententiam Iudicis potest priuari cohabitatione cum altero coniuge: Quintò, iure ciuili contrà adulteros pœna capitis est inflicta.

2 Quando duo adulteri cognoscunt vnā, & eamdem fœminam, quę tunc temporis concepit, quo maritus absens erat, tenetur vterque ad alimenta prolis, & restituere damna pro sua parte, & altero nolente, tenetur alter in integrum: idem dicendum, quando duo carnaliter cognouerunt aliquam solutam, ex qua proles genita est, sed dubitatur, cuius sit proles suscepta. Molina *tom.* 4. *de iust. tract.* 3. *disp.* 103. Vasq. *t.* 2. *disp.* 66. *cap.* 8 *nu* 48. & alij.

3 Filius non tenetur credere matri dicenti, ipsum esse illegitimum, quamuis hoc asserat cum iuramento, aut etiam in articulo mortis, si mater tempore conceptionis habitabat cum viro; vndè nec tenetur à se abdicare hæreditatem: Ratio, quia allegāti suam turpitudinem eum alterius præiudicio nulla debetur fides: Si verò filius omninò conuincatur, quia mater testibus fide dignis probat, maritum tempore conceptionis absuisse, &c. tunc filius tenetur credere se esse illegitimum, & non adire hæreditatem.

4 Stuprum est violatio virginis, etiamsi ipsa consenserit; vndè qui virginem stuprauit, tenetur eam ducere, vel dotare, vel curare, vt æquè benè nubat, ac si virgo esset: si verò puella liberè consensit, ad nullam tenetur restitutionem, modò non manifestauerit copulam occultam, ex qua secutum sit aliquod damnum: qui etiam copulam extorsit nimis persuasionibus, blāditijs, &c. obligatur ad restitutionem: Ratio, quia preces importunæ æquiparantur coactioni, dummodò concesserit sui copiam, animo repugnante, & quasi coacta.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum. De Adulterijs, & Stupro.

SVMMARIVM.

1 *Virginem stuprans tenetur eam dotare, &c.*
† *Stuprator, qui non vult puellam stupratam in vxorem ducere, debet castigari.*
2 *Maritus retinens vxorem adulteram, censetur particeps delicti.*
† *Maritus ob suspicionem, potest accusare mulierem de adulterio.*
3 *Sacerdos non debet puniri ob solam confessionem mulieris dicentis, ipsum esse adulterum.*
4 *Coniux coniugem de adulterio accusare non potest, si & ipse adulterium commisit.*
5 *Matrimonium quoad Thorum separari non debet, quando ambo coniuges fuerunt adulterati.*

1 Virginem desponsatam seducens, & dormiens cum ea, dotauit eam, & si habebit in vxorem, & si pater virginis nolit eam dotare, dotabit eam secūdùm morem Regionis, *ex cap. Si seduxerit* 1. *de adulterijs, & stupro*, & si renuit eam ducere, corporaliter

raliter castigatus, & excommunicatus in Monasterium detrudēdus est, in quo agar pœnitentiam, & à quo non egrediatur sine licentia, *ex cap. Peruenit 2.*

2 Maritus, qui scienter manet cum vxore adultera, quæ non egit pœnitentiam, censetur particeps delicti; secus si egit pœnitentiam, non tamen sæpè debet eam recipere, *ex cap. Si vir 3.* Possunt mariti etiam ex
† suspicione, vxores accusare de adulterio, & in accusando præfertur cęteris, *ex cap. Maritis 4.*

3 Ad solam mulieris confessionem dicentis, se cum Sacerdote peccasse, non debet Sacerdos puniri, sed sibi infamato potest indici purgatio, quam si prĕstiterit, permitti debet ministrare in officio; si verò non, suspenditur ab officio, *ex cap. Significasti 5.*

4 Coniux separata à viro, si petat sibi restitui virum, est cogēdus vir accipere mulierem: si verò constet, ipsam esse adulteratam, non est cogendus vir illam assumere, nisi per legitimos testes constet, etiam virum esse adulteratum, quia tunc vir debet cogi ad ipsam recipiendam, *ex cap. Intelleximus 6.*

5 Non debet separari matrimonium quòad Thorum propter adulterium, quando constat, ambos coniuges fuisse adulteratos, *ex cap. Tua fraternitati 7.* Ratio, quia adulteria coniugum mutua compēsatione tolluntur.

TITVLVS XVII.
De Incæstu.

SVMMARIVM.

1 *Incæstus quid sit.*
† *Quotuplex incæstus.*
2 *In peccatis contrà naturam reperitur etiam incæstus.*
3 *Incæstuosus est infamis.*
4 *Copula inter Confessarium, & Pœnitentem non est incæstus.*
† *Parochus, qui rem habet cum sua Parochiana, committit speciale peccatum.*

1 Incæstus est congressus cum consanguinea, vel affine intrà gradus prohibitos. Verùm incæstus consanguinitatis distinguitur specie ab incæstu affinium: Incæstus
† consanguineorum non distinguuntur specie pro varietate graduum, sicut etiam incæstus affinium non distinguuntur specie, sed solùm secundùm magis, & minùs in eadem specie: Incæstus cognationis spiritualis distinguuntur specie inter se, & ab incæstibus cognationis carnalis: Incæstus cognationis legalis differunt specie ab alijs, sed non inter se.

2 In peccatis contrà naturam reperitur etiam incæstus, quòad malitiam, & reuerentiam debitam consanguineis, & affinibus; fit enim iniuria naturali reuerentiæ; non est autem incæstus, neq; in ordine ad impediendum matrimonium, neque in ordine ad pœnas legales, tàm ciuiles, quàm Canonicas, quia ex tantùm sunt contrà incæstum ex vase naturali; vndè oritur affinitas; ità Azor. *par. 3. lib. 3. cap. 18. quæst. 5.* Grassius *de arbitr. confess. lib. 2. cap. 34. n. 5.*

3 Incæstuosus est infamis, *cap. 17. Infames qu. 2.* Item interdicitur etiam illi matrimoniū cum alia, licèt non dirimat contractum cum alia, cùm non sit impedimentum dirimens, sed solùm impediens, *cap. Transmissæ 4. de eo, qui cogn.* in quo impedimento Episcopus potest dispensare. Liberi nati ex incæstu non sunt legitimi, neque parentibus succedunt.

4 Copula inter Confessarium, & Pœnitentem non est incæstus, quia incæstus cōmittitur inter cognatos; Sacramentū confessionis non inducit propriè cognationē spiritualem, cùm nullo iure sit expressa; tamen si Confessarius vtatur Sacramēto, tamquàm medio ad sollicitandam pœnitentem, vel eam sollicitauerit in confessione, vel propè actum confessionis ante, vel post, non committit incæstum, sed sacrilegium necessariò exprimendum in cōfessione ob grauissimam irreuerentiam, quam irrogat Sacramento, & de hoc crimine cognoscunt Inquisitores hæreticæ prauitatis, quia talis incurrit vehementem suspicionem hæresis contrà Sacramētum Pœnitentiæ, & in hac re fides præstatur
† vnico testi. Parochus verò committēs copulā cum sua Parochiana, committit speciale peccatum, etiamsi eam non baptizauerit, quia peccat contrà proprium officiū; tenetur enim ex officio oues sibi subiectas bonis moribus induere. Bonac. *de matrim. qu. 4. pun. 16. nu. 8.* & alij.

TITVLVS XVIII.
De Raptu.

SVMMARIVM.

1 *Raptus quid sit.*
† *Ad raptum quatuor requiruntur.*
2 *Cuius persona sit raptus.*
3 *Raptoris pœna sunt plures.*

1 Raptus est peccatum Luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad actum turpem cum ea exercendum, vel ad contrahēdum matrimonium; Vndè ad raptum quatuor requiruntur:
† Primò, vt vis inferatur: Secundò, vt fiat causa libidinis, vel ad matrimonium contrahendum: Tertiò, vt fit abductio de loco ad alium locum: Quartò, requiritur, vt rapta sit honesta, &c. quia si esset raptor meretricis, non incideret in pœnas, nisi pœnituisset, & instituisset honestam vitam.

2 Non modò raptus est virginis, sed viduæ, vel corruptæ; dummodò abductio fiat libidinis causa, vel contrahendi matrimonium, & fit, dissentientibus parentibus, vel dissentiente puella; qui verò virginem in propria domo deflorat, vel ipsā de cubiculo ad cubiculum trahit, vt commodiùs cum ipsa copulam habeat, non dicitur

dicitur committere raptum.

3 Raptoris pœnæ sunt plures: Prima, vt raptor perpetuò sit infamis, excommunicatus, & incapax cuiuscunque dignitatis, vt etiam consilium, fauorem, &c. præstantes ad raptum: Secunda, quod raptor tenetur dotare raptam, etiamsi matrimoniū cum ea contrahat. Coninc. *de matrim. disput.* 31. Sanchez *lib. 7. de matrim. disput.* 13. Henriq. *lib. 12. cap. 14. num.* 5. Tertia, inter raptorem, & raptum matrimonium est inualidum, quamdiù est in potestate rapientis, etiamsi dicat liberè consentire, & etiam sponsalia quamdiù est in potestate rapientis. Sanch. *disp. 13, num.* 17. & alij.

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum. De Raptoribus.

SVMMARIVM.

1 *Raptus non est, quando mulier consentit, &c.*
2 *Rapta cum raptore potest contrahere, &c.*
† *Quid determinet Concilium Tridentinum de raptoribus.*

1 RAptus non est, quando mulier consentit; & si fiat matrimonium, tenet, & si consummetur, nō potest ingredi Religionem, vel continentiam profiteri sine cōsensu viri, & matrimonium potest probari fuisse, vel ex probationibus viri, vel ex confessione mulieris, *ex cap. Cum causam 6. de raptoribus, &c.*

2 Rapta cum raptore potest contrahere, si ambo consentiant, licèt priùs dissenserint, dummodò sint legitimæ personæ, *ex cap. Accedens 7. de raptoribus*. Quod clarè apparebit, si rapta extrà raptoris potestatem abducta, ac loco tuto, & libero constituta liberè in matrimonium consentit. Sanchez *de matrim. lib. 7. disput.* 12. *num.* 4. Lessius *lib. 4. cap. 6. dub. 9. num.* 68. Henriquez *in summ.*
† *lib. 12. cap. 14. num.* 4. & alij; ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. matrim. cap.* 6. Nullum potest consistere matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù ipsa in potestate raptoris manserit, & nisi sit separata à raptore modo supradicto, illum in virum habere consenserit.

TITVLVS XIX. De Fornicatione.

SVMMARIVM.

1 *Fornicatio quid sit.*
† *Semper est prohibita.*
2 *Concubinarius semper est in peccato mortali.*
3 *Pœna Clerici publicè concubinarij.*
4 *Quomodo contrà concubinarium sit procedendum.*

1 FOrnicatio est concubitus soluti cum
† soluta, quę fornicatio semper est prohibita, *cap. Predicandum 22.* quia repugnat rectę rationi, & iuri naturali, & est contrà educationem, & institutionem prolis; nec facit fornicationem licitam, quod meretrices permittantur à Principibus in aliquo loco Ciuitatis, quia etiam Deus permittit aliqua mala, vt vitentur maiora, vel vt sequantur maiora bona. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 154 *art.* 4. Lessius *lib 4. cap. 3. dub. 7. num.* 47. Siluius 2. 2. *qu. 154. art. 2.* & alij.

2 Concubinarius semper est in peccato mortali, nec potest absolui, nisi dimittat concubinam, quam habet domi, vel alibi suis expensis alit: Ratio est, quia quamdiù persistunt in proxima occasione peccandi, non censentur habere sufficientem dolorem, ac propositum vitandi peccata in futurum: verùm quando sine graui infamia, scandalo, &c. Concubina non potest dimitti; tunc difficultas huius occasionis dimittendæ efficiet occasionem, & non volūtariam; & ideò in tali casu posset dari absolutio: si verò non sit concubinarius publicus, & à populo credatur esse, non debet absolui, donèc scandalum tollatur, & euulgetur, ipsum non esse concubinarium, vt docet Lopez *par. 1. instruct. confess. cap.* 78. cauendum est enim à scandalo, & ideo concubinarius nolens abijcere cōcubinam, si est periculum incidendi denuò in peccatum, non debet absolui, quia re vera non est contritus.

3 Clericus publicus concubinarius, & notorius, vel per sententiam, vel per propriam cōfessionem in iudicio factam, sine dubio est suspensus, & efficitur irregularis, si celebrat, & cōtrafacientes faciunt contrà pręceptum Ecclesiæ; si verò sit notorius notorietate facti, quia tenet cōcubinam in domo, & habet filios, & non potest aliquo modo se excusare secundùm mentem D. Thomæ 4. *sentent. dist.* 13. quando fornicatio est ità notoria, quod nullam dubitationē habet, efficitur irregularis, si celebrat, & Panorm. dicit, hanc esse iuris intētionem.

4 Concilium Tridentinum *sess. 24. cap.* 8. & *sess. 25. cap.* 14 dat formam procedendi contrà concubinarios; scilicèt primò, vt termoneatur ab Ordinarijs: Secundò, si hoc facto non resipisceret, esse excommunicādos: Tertiò, si animo indurato per annum sic steterunt, pro qualitate criminis, seuerè ab Ordinario puniantur. Mulieres, quæ publicè cum suis concubinarijs viuunt, nisi vt suprà, admonente Ordinario, paruerint, extrà oppidum, siuè Diœcesim eijciātur, inuocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari: quòad Clericos, personasq; Ecclesiasticas, relictis pœnis de iure antiquo irrogari solitis de iure nouissimo sūt statutæ à Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 14. de reformat.* Primò, quod si à Superioribus moniti ab ipsis concubinis non abstinerent, tertia parte fructuum quarumcunque pensionum, & beneficiorum sint ipso iure priuati: Secundò, si in eōdem delicto cum eadem, vel alia fœmina perseuerantes, secundæ monitioni adhùc non paruerint, non tantùm fructus omnes beneficiorum amittant, sed ab administratione beneficiorum suspendātur, arbitrio Ordinarij tāquàm Sedis Apost. Delegati. Sunt etiam aliæ pœnæ, vt videre est in Conc. *loco citato.*

TI-

TITVLVS XX.
De Luxuria contrà naturam.

SVMMARIVM.

1 *Peccati contrà naturam species.*
2 *Sodomia quid sit.*
3 *Item Pollutio voluntaria.*
† *Dupliciter dicitur voluntaria.*
4 *Pollutio, quæ sequitur ex vi naturæ, &c. non est peccatum.*
5 *Non est licitum desiderare pollutionem.*
6 *Pollutio impedit sumptionem Eucharistiæ.*
7 *Bestialitas quid sit.*
8 *Quot modis contingat coniunctio naturalis modo indebito.*

1 PEccati contrà naturam sunt quatuor species. Prima est Sodomia: Secunda est Pollutio, seù Mollities: Tertia est Bestialitas: Quarta est quando coniũctio maris cum fœmina fit quidem in vase naturali, sed modo indebito.

2 Sodomia propriè accepta est coitus inter psonas eiusdẽ sexus; & ità cõmuniter DD. impropriè verò sumitur pro coitu præpostero inter virum, & fœminam extrà vas naturale. In confessione est aperienda circumstantia personę, vt si persona sit consanguinea, vel affinis, in primo, vel secundo gradu: Item si est agens, vel patiens, quia tales circumstantiæ spectant ad obiectum peccati, & per consequens aperiendæ.

3 Pollutio est voluntaria seminis emissio ob solam delectationem Veneream, quæ dupliciter potest dici voluntaria: in causa,
† & in effectu: In causa, quando aliquid fit, à quo immediatè, & ex intentione potest esse effectus pollutionis: Causa item est triplex, aut est necessaria, aut vtilis, aut honesta; & hæc duplex etiam est, aut proxima, aut remota: Pollutio quando prouenit ex causa necessaria, vel vtili, vel honesta, non est voluntaria; Quando verò non prouenit ex causa necessaria, vtili, &c. est voluntaria, si causa sit proxima notabiliter influens in effectum; quia secùs si causa sit remota, non notabiliter influens in effectum. Sanchez *de Matrimon. lib. 9. disp. 45.* Less. *lib. 4. cap. 3. dub. 14.* Henriq. *lib. 11. cap. 16. num. 6.* & alij.

4 Quando Pollutio sequitur vi naturæ, vel quando sequitur ex aliqua causa, quæ habet aliqui effectum. Non est peccatum mortale: quando verò est voluntaria, semper est peccatum mortale. Non est tamen obligatio reprimendi in vigilia pollutionem, quæ in somnis cœpit: Ratio, quia talis Pollutio censetur inuoluntaria; ità Filliuc. *tom. 2. tract. 3. cap. 8. num. 144.* Ioan. della Crux. *in Directorio par. 1. precept. 6. art. 3. dub. 10.*

5 Non est licitum mediatè, vel immediatè procurare pollutionem, etiam ob sanitatem: Ratio, quia talis procuratio est actus contrà naturam; ità Nauar. *cap. 16. num. 6.* Em. Sà *verb. Luxuria*, & alij. Nec item licitum est eam desiderare ob delectationem Veneream, vel de ipsa gaudere, secuuto effectu; ità Em. Sà *verb. Luxuria*, quia esset consentire peccato Pollutionis: ob finem verò honestum, licitum est de ipsa gaudere, v. g. ob sanitatem, ob sedatam tentationem, &c.

6 Pollutio, ratione culpæ, impedit sumptionem Eucharistiæ: Secundò, ratione maculæ, & effectus inde orti ex congruitate impedit: Ratio, quia Eucharistia recipienda est cum deuotione, & non cum distractione mentis: Tertiò, Pollutio, quæ solùm est venialis, non impedit sumptionem Eucharistiæ.

7 Bestialitas est coniunctio carnalis cum Brutis, aut cum Dæmone, quod aliquando fit cum Dæmone apparente in forma viri, & dicitur Incubus; & aliquando in forma feminæ, & dicitur Succubus. Peccata bestialitatis non differũt specie pro diuersitate belluarum, sed est formale vnum peccatum. Azor. *3. par. lib. 3. cap. 22.* Filliuc. *tract. 30. num. 161.* & alij.

8 Coniunctio naturalis modo indebito facta contingit varijs modis. Primò, quãdo masculus succumbit fœminæ, & fœmina supergreditur: Secundò, quando copula fit præposterè: Tertiò, quando copula fit sedendo: Quartò, quando fit stando, & in his modis, quando non datur periculum emissionis feminis extrà vas, non est peccatum mortale.

TITVLVS XXI.
De Raptoribus, & Incendiarijs.

SVMMARIVM.

1 *Rapina duplex.*
2 *Incendiarij, qui dicantur.*

1 RApina est duplex: vna simplex, & altera qualificata. Rapina simplex est fraudulosa rei alienæ per vim facta ablatio, *cap. Lex illa 36. quæst. 1. cap. Raptoribus 36. quæst. 1.* Quæ si fiat in rebus immobilibus, dicitur Inuasio; si in beneficijs, Intrusio, *cap. Cum qui de præbend.*

2 Incendiarij dicuntur, qui data opera, ex odio, vel vindicta, ignem ad conflagranda ædificia ponunt.

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De Raptoribus.

SVMMARIVM.

1 *Forum quis sortitur ratione Rapinæ.*
† *Raptor manifestus quando ad pœnitentiam, &c. debeat admitti.*
2 *Pœna expoliantium nauigantes, &c.*
3 *Prælati, ex Principis delegatione, possunt de raptu cognoscere.*
4 *Incendiarius Ecclesiæ quando possit absolui.*
† *Peccant differentes executionem voluntatis defuncti.*

1 DEprędantes, vel rapientes in aliena Diœcesi, sunt excommunicandi à

Præ-

Prælatis illius loci, *ex cap. De illis 1. de Raptoribus, &c.* Ratio, quia ratione delicti censentur sortiri forum in ea Diœcesi. Raptor manifestus ad pœnitentiam, & sepulturam debet admitti, si restituit, vel de restituendo in vita, vel in morte cauet; secùs non debet admitti. Imò Clerici interessentes, vel imponentes pœnitentiam, deponuntur ab ordine, & beneficio, *cap. Super eo 2.*

2 Excommunicari debent, qui capiunt, vel expoliant fideles ex iusta causa nauigantes: qui autem naufragos expoliant, sunt excommunicati, nisi ablata restituãt, *ex cap. Excommunicationi 3.* Vnde in Bulla Cœnæ excõmunicantur omnes Piratæ, &c. discurrentes Mare Ecclesiæ à Monte Argentaro, vsque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, &c.

3 Ex Principis delegatione possunt Episcopi de raptu, & alijs criminibus iudicare; pœnam tamen sanguinis infligere non possunt, *ex cap. In Archiepiscopatu 4.*

4 Incendiarius Ecclesiæ in morte pœnitens potest absolui, & in loco sacro sepeliri: hæredes tamen debent reficere damna de bonis relictis, *ex cap. Immiteris 5.* Grauitèr etiã peccat hæres, differendo per tẽpus notabile exequi volũtatem defuncti, & est causa, cur differatur liberari anima defuncti è Purgatorio, executio voluntatis defuncti; ità Petrus Nauarra *lib. 3. cap. 4. à num. 16.* Molin. *de iustit. tract. 2. disp. 251.* Et ideo omissio restitutionis obest animæ existenti in Purgatorio; licèt non possit esse causa, vt in perpetuum ibi torqueatur, quia pœna æterna solùm datur peccato mortali, quod per confessionem fuit remissum; si autem non fit restitutio, coguntur illæ animæ integrè per se satisfacere illis pœnis debitis, & sic diuturniores fiunt illæ pœnæ, nec absoluuntur, donec soluant per se, vsque ad minimum quadrantem.

TITVLVS XXII.

De Sacrilegio.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegium quid sit.*
† *Quot modis committatur.*
2 *Cõtrà personam.*
3 *Contrà loca sacra.*
4 *Contrà res sacras.*
5 *In materia Luxuriæ quot modis committatur.*
6 *Quot modis polluatur Ecclesia.*
7 *Sacrilegium ex suo genere est peccatum mortale.*

1 Sacrilegium est violatio rei sacræ, quod committitur, aut auferendo Sacrum de Sacro, vel Sacrum de non Sacro, vel non Sacrum de Sacro, *cap. Si quis contumax cap. Quisquis 17. quæst. 4.* Item committitur Sacrilegium cõtra personas sacras, contra loca sacra, & contrà res sacras.

†

2 Contrà personam quatuor modis potest contingere Sacrilegium: Primò, inferendo manus violentas in Clericum: Secũdò, subijciendo personas Ecclesiasticas iudicio fori sæcularis: Tertiò, per impositionem tributi Clericis: Quartò, luxuriosè violando corpus personæ Deo sacratæ per votum continẽtiæ perpetuæ.

3 Contra loca sacra committitur Sacrilegium quoties fit in eo id, quod repugnat ipsius sanctitati, & quoties fit id, quod prohibetur fieri in loco Sacro, seu in Ecclesia, quæ tria sunt: Primò, facere actũ in ea, quo ipsa polluitur: Secundò, profanando Ecclesiam ad actus vulgares, & ciuiles: Tertiò, immunitatem ipsius violando; Suarez *lib. 3. cap. 4.* Filliuc. *tract. 24. num. 235.*

4 Committitur Sacrilegium contra res Sacras, ipsis abutendo, vt v. g. abutendo Sacramentis, vel ea indignè administrando, vel in peccato mortali; profanando vasa Sacra, & Paramenta, &c. violando Imagines Sanctorum; abutendo sententijs scripturæ ad superstitiones, facetias, &c. Si Reliquiæ Sãctorum sine decore habeantur; si dies sacri violentur operibus seruilibus; si decimæ non soluantur.

5 In materia Luxuriæ committitur Sacrilegium: Primò, si persona Sacra in turpe opus externum consentiat, vel in delectationem morosam; violat enim sanctitatem suæ personæ: Secundò, si persona non sacra consentiat in opus turpe circa personam sacram: Tertiò, si vtraque sit sacra: Quartò, si actus Venereus fiat in loco sacro illicitè, vel licitè, absq; necessitate. D. Thomas *2. 2. qu. 154. art. 10.* Azor. *3. par. lib. 3. cap. 24. qu. 8.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 12.* & alij. Per desiderium libidinosum, vel cõtactum turpem absq; pollutione non cõmittitur Sacrilegium, cùm isti non sint casus expressi in iure. Nauar. *cap. 16. num. 3.* Filliuc. *tract. 30. num. 233.* Siluius *2. 2. quæst. 154. art. 10.* & alij.

6 Polluitur Ecclesia acquisitione hominis in ea, quæ sit culpabilis: Secundò, effusione sanguinis humani: Tertiò, effusione humani seminis voluntaria: Quartò, sepultura excommunicati vitandi: Quinto, sepultura non baptizati, &c. Polluta Ecclesia, censetur etiam pollutum Cemeterium illi contiguum; Polluto verò Cemeterio, non censetur polluta Ecclesia: Ratio primæ partis est, quia accessorium sequitur principale, & nobilius trahit ad se minùs nobile: Ratio secundæ partis est, quia minùs nobile non trahit nobilius.

7 Sacrilegium ex suo genere est peccatũ mortale, quia per illud fit grauis iniuria Deo. Vnde mortale Sacrilegium est, quãdo procedit ex cõtẽptu rei sacræ, vel cultus, ad quem refertur. Item mortale Sacrilegium est, quando fit aliquid voluntariè in materia graui, quod peculiarem repugnantiam habet cum rei sanctitate, vt si actus matrimonij fiat in loco sacro extrà casum necessitatis: Item quando ex ignorantia, vel negligentia crassa fit aliqua notabilis iniuria rei sacræ, vt si quis malè baptizet, consecret, absoluat, &c.

Ra-

Ratione autem inadvertentiæ, vel paruitatis materiæ, Sacrilegium potest esse peccatum veniale, vt si quis rem paruam furetur in Ecclesia; & ità communitèr Doctores.

TITVLVS XXIII. De Furto.

SVMMARIVM.

1 *Furtum quid sit.*
2 *Furtum veniale, ratione damni, potest esse mortale.*
3 *Quantitas requisita ad furtum.*
4 *Inferentes damnum ex communi consensu, peccant mortalitèr.*
† *Item quando fur peruenit ad summam notabilem.*
5 *Furans minima, cum intentione ascendendi, peccat mortalitèr.*
6 *In extrema necessitate licet surripere.*
7 *Maior quantitas requiritur in domesticis, quàm in extraneis.*

1 FVrtum est alienæ rei acceptio, Domino rationabilitèr inuito, *cap. Dudū Ecclesia 54. de electione, cap. Non furem 7. quæst. 1.* & illa quantitas sufficit in furto ad constituendum peccatum mortale, quæ omnibus consideratis, infert Domino graue damnum, vel notabili priuat vtilitate, & respectu omnium etiam personarum illustrium, &c. Nūmus aureus censetur quātitas notabilis, & sufficiens ad peccatum mortale.

2 Furtum, quod ex se solùm est peccatum veniale, respectu damni dati, potest esse mortale, vt si quis Sutori auferat Subulā: Item si quis aufert rem parui momenti, quam tamen Dominus maximè facit, & propter quam maximè perturbabitur.

3 Maior quantitas requiritur ad peccatū, quādo quis eidem furatur maximis interuallis temporum, quam dùm breui tempore, vel simul accipit. Furans minima, intentione furandi maiora, peccat mortalitèr, quando peruenit ad summam notabilem: requiritur tamen, vt furta facta moralitèr continuentur; nimirùm ratione personæ, vel negotij, intentionis, temporis, aut scientiæ.

4 Quando plures ex communi consensu, consilio, &c. inferunt damnum alicui per furta minutim facta, peccant omnes mortalitèr: Ratio, quia censentur omnes cooperari ad damnum notabile: Si verò id casu fiat; ità vt alter furti alterius non sit conscius, nemo peccat mortalitèr: Ratio, quia nemo censetur causa damni notabilis. Azor. *3. par. lib. 5. cap. 13. quæst. 5.* Na-
† uar. *cap. 17. num. 130.* & alij. Item fur, quando peruenit ad notabilem summam, si furetur denuò scientèr, & meminiscens furtorum iam factorum, peccat denuò mortalitèr: Ratio, quia censetur inferre damnum notabile, cùm illud furtum denuò factum continuetur ob scientiam aliorum cum furtis præcedentibus. Sanchez *lib. 7. moral. cap. 21. num. 23.* Vasquez *par. 2. disp. 146. cap. 2.* & alij.

5 Furans minima à pluribus, cum intentione coacervandi notabilem quantitatem, peccat mortalitèr illa intentione, ex quovis exteruo furto minuto, & ex eius vi procedente, & sub mortali tenetur ad restitutionem, siuè pauper, siuè diues; modò inuitis Dominis, id faciat, quia ablatio rei notabilis est peccatum mortale, & sub mortali restituendum, à quo ablatū est, etiā si non damnificet multum eū, à quo ablatum est. Salon. *2. 2. quæst. 66. art. 1.* Valeut. *loco citato,* & alij.

6 In extrema necessitate, licet alienū surripere, quia in eo casu omnia sunt communia; modò tamen Dominus non existat in æquali necessitate, quia in pari causa melior est conditio possidentis: quod etiam dicendum est in graui necessitate, cùm facilè detur ex ista lapsus in extremā.

7 Ad constituendum peccatum mortale maior quantitas requiritur in furto vxoris, filiorum, & aliorum domesticorum, quàm in alijs: Ratio, quia Pater, Maritus, non est ità inuitus circà furtum vxoris, filiorum, sicut circà furtum aliorum. Clauis regia *lib. 9. cap. 16. num. 13.* Vasq. *de rest. cap. 4. §. 2. num. 6.* Siluius *2. 2. quæst. 66. art. 6.* & alij.

PARAG. VNIC. Textus Sacrorum Canonum. De Furtis.

SVMMARIVM.

1 *Qui furatur hominem, pœna, &c.*
† *Quando Sacramenta sint deneganda.*
† *Furans ex necessitate non est grauitèr puniendus.*
2 *Furem non indicans propter lucrum censetur particeps delicti.*
3 *Fur occultus quando possit ad Ordines promoueri.*

1 QVi furatur hominem, & vendidit, conuictus, morte puniri debet, *ex cap.*
† *Qui furatur 1. de furtis.* Furibus, & latronibus Sacramenta sunt deneganda, si in peccato moriuntur, vel occiduntur: Si verò in morte eos pœnituit, sunt administran-
† da, *ex cap. Furens 2.* Committens furtum ex necessitate multùm vrgēte, non grauitèr peccat; leuisque pœnitentia est ei imponenda, *ex cap. Si quis propter 3.*

2 Non solùm fur, sed furti conscius est reus furti; & ideò non indicans furem propter lucrum, reus est peccati, *ex cap. Qui cum fure 4.*

3 Fur occultus, facta satisfactione, & pœnitentia, potest ad Sacros Ordines promoueri, si aliud nō obstat; ità *cap. Ex litteris 5.* Ratio, quia licèt verum sit, quod criminosi, & infames non possint suscipere habitum Clericalem, si notorij, & manifesti sint; tamen si sint occulti, si promoueri voluerint, non debent aliqua ratione prohiberi, *cap. Ex tenore de temp. ordinat.*

TITV-

TITVLVS XXIV.
De Vsuris.

SVMMARIVM.

1 *Vsura quid sit.*
† *Ad eam quatuor requiruntur.*
2 *Vsura diuisiones.*
3 *Vsura quolibet iure prohibita.*
4 *Pactum imponens mutuatario, & obligationem, est vsurarius.*
† *In aliquibus casibus potest aliquid exigi à mutuatario.*
5 *Item ratione periculi, &c.*
6 *Item ob moram soluendi.*
† *Pactum legis commissoria regulariter est probitum.*
7 *Chirographa minoris emere, quando sit vsurarium.*
8 *Pœna vsurariorum, qua sint.*
9 *Lucrum, quomodo possit intendi ex mutuo.*

1 VSura est lucrum immediatè proueniens ex mutuo; & ità communitèr Doctores: Vndè ad vsuram quatuor re- † quiruntur: Primum, est mutuum: Secundum, est lucrum vltrà sortem: Tertium, vt lucrum sit pretium æstimabile: Quartum, vt lucrum proueniat ratione mutui.

2 Vsura est duplex: vna expressa, & altera tacita: Expressa est, quæ committitur in mutuo formali: Tacita, seù palliata est, quæ latet in alio contractu: Item alia est externa, & alia mentalis: Externa est, quando contingit aliquod pactum, saltē implicitum reddendi aliquid supra sortē: Mentalis est, quando nullum pactum, sed mutuans dat eo animo, & intentione, vt acquirat lucrum ex mutuo. Toletus *lib. 5. cap. 29.* Nauar. *in man. cap. 17. num. 206.* Siluius *2. 2. quæst. 78. art. 1. & 2.* & alij.

3 Vsura est prohibita à iure Diuino, & humano; & ità Nauar *loco citato num 207.* Valentia *tom 3. disp. 5. quæst. 21. punct. 1.* Siluius *loco citato art. 1.* Azor. *3. par. lib. 5. cap. 2.* & alij. Mentalis vsura non committitur ab eo, qui pecuniam mutuat alteri indigēti, sperans illum gratum fore: Regulæ verò ad cognoscendum, an animus fuerit vsurarius, sunt sequentes: Prima, si mutuās sperauit lucrum ex liberalitate, & gratitudine: Secunda, si mutuator id intendit tamquàm pretium, quia si dubitat, an fuerit datum animo liberali, est condemnandus vsuræ, & si non constat de animo dantis, desumenda erit ex qualitate ipsius tradentis.

4 Omnis pactio, & conuentio, per quam imponitur mutuatario onus, & obligatio quasi ex iustitia, ad quam mutuatarius aliàs non tenetur, labem vsuræ continet, quia talis obligatio est pretio æstimabilis ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi amittendi rem mutua- † tam. Potest mutuans aliquid pacisci suprà sortem: vt verò mutuator possit aliquid exigere suprà sortem, tres conditiones requiruntur: Prima, vt re vera mutuum sit causa damni: Secunda, vt tempore contractus in pactum deducatur damnum: Tertia, vt non magis paciscatur, quàm sit periculum damni: Item tres cōditiones requiruntur, vt ratione lucri cessantis, possit aliquid pacisci supra sortē: Prima, vt mutuatio sit causa, cur cesset lucrum, quod habebatur in spe certa, aut probabili: Secunda, vt tantum exigatur, quātum valet spes illa lucri, deductis expensis, & æstimatione valoris, qui in ea ponendus erat: Tertia, vt lucri cessantis æstimatio non statim exigatur, sed determinato tempore.

5 Ratione periculi, difficultatum, aut expensarum, quæ in re mutuata recuperanda metuuntur, licitum est aliquid exigere: Ratio, quia hujusmodi pericula sunt pretio æstimabilia, nec mutuator tenetur illa gratis subire. Ex simplici carentia pecuniæ, vel pro obligatione expectandi vsque ad determinatum tempus, nihil potest exigi: Ratio, quia talis carentia, & expectandi obligatio intrinsecè spectāt ad mutuum, pro quo nihil potest accipi.

6 Licitum est pacisci, vt si mutuatarius tempore determinato non restituat mutuum, aliquod soluat in pœnam suæ moræ vltrà sortem; dummodò tamen id non faciat in fraudem, & debitor verè sit in culpa, & pœna sit moderata, & mora sit notabilis. Filliuc. *tract. 34. cap. 5. num. 105.* & alij.
† Pactū verò legis commissoriæ in mutuo, est illicitum, & vsurariū, quia per huiusmodi pactum videtur aliquid accipi suprà sortem: potest tamen aliquando esse licitum.

7 Vsura est, anticipata solutione, emere chirographa minoris suo credito in posterum exigenda: secluso damno emergēte, vel lucro cessante, creditum non certū, sed litigiosum potest absque labe vsuræ ab eo, qui non est causa difficultatis, minoris emi, quàm valeat, ad ratam difficultatis, & incertitudinis: Ratio, quia creditum cū tali periculo, &c. minùs valet, quàm certum, & non periculosum.

8 Pœnæ vsurariorum hæ sunt: Prima, est Infamia iuris: Secunda, vt non admittatur ad communionem Altaris, donèc satisfecerit, nec ad oblationes offerendas, nec ad confessionem, donèc satisfecerit, vel præstiterit cautionē, nec ad sepulturā Ecclesiasticā. Testamentū, codicillus, vel alia vltima volūtas manifesti vsurarij nō valet, nisi ante mortem soluerit, vel cautionem debitam dederit: validum tamen erit testamentum illius, qui ante mortem non erat notorius vsurarius, licèt post mortem talis habeatur, & per sententiam damnetur de crimine vsuræ.

9 Cùm duobus modis possit intendi lucrū ex mutuo: Primo, quasi debitum ex iustitia, & vt pretium mutui, siuè immediatè ex mutuo: Secundò, tamquàm ex beneuolentia, ratione gratitudinis, quia scilicèt mutuatarius ex naturali honestate tenetur ad remunerandum suum benefactorē; ex mutuo principalitèr, nec minùs principalitèr licet sperare lucrum, quod debetur ex obligatione iustitiæ: sperare verò lucrum ex mutuo, mediāte amicitia, vel gratitudine, non est vsurarium, cùm non ac-

cipiatur

cipiatur Domino inulto, sed liberè donã-
te. Nauar. *cap. 27. num. 109.* Petrus Nauar. *lib.*
3. cap. 2. num. 197. & alij. Non est tamen licitũ
deducere amicitiam in pactum, ratione
mutui, quia non licet mutuo imponere al-
teri obligationem, ad quam alter aliàs nõ
tenetur. Valentia *2. 2. disput. 5. quæst. 21. punct. 1.*
Salon. *2. 2. quæst. 78. art. 2.* & alij. Licèt plures
alitèr sentiant.

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum. De Vsuris.

SVMMARIVM.

1 *Vsura est lucro facere fructus rei pigneratæ, &c.*
† *Secus facere est peccatum, &c.*
† *Vsurarij repelluntur à communione Altaris, &c.*
2 *Vsura nunquàm est committenda.*
† *Vsurarij obligantur ad restitutionem.*
3 *Vendens rem dilata solutione plus quam valet, est vsurarius.*
† *Clericus vsurarius monitus non desistens, debet suspendi.*
4 *Fructus rei pignoratæ computari debent in sortem.*
† *Hæres vsurarij, restituere tenetur.*
† *Vsurarius mentalis, quando teneatur ad restitutionem.*
† *Vsurarius appellans, &c. audiendus non est.*
5 *Iudæi sunt cogendi vsuras restituere.*
6 *Item vsurarij per censuras Ecclesiasticas.*
† *Vsurarius repetens vsuras, non est audiendus.*
7 *Ordinarius potest procedere contrà vsurarios.*
† *Maritus non tenetur fructus pignoris in sortem computare.*
8 *Iudæi sunt compellendi vsuras redimere.*
9 *Vsurarius qui censeatur.*

1 SI creditor percepit sortem ex fructi-
bus pignoris, deductis expensis, debent
fructus pignoris in sortem principalis cõ-
† putari, *ex cap. Pluris 1. de vsuris*, & secùs face-
re est vsura; imò ad restituenda pignora,
censura Ecclesiastica sunt compellendi, *ex*
† *cap. Quoniam 2.* Manifesti vsurarij ad com-
munionem Altaris, & sepulturam admitti
non debent, & Clerici contrafacientes pu-
niuntur, *ex cap. Quia in omnibus 3.*
2 Non potest quis committere vsuram,
etiam pro opere pio faciẽdo, *ex cap. Super eo*
† *4.* Vsurarij, qui possunt soluere, sunt cogẽ-
di, vt restituant ijs, à quibus acceperunt, &
si non habent, vndè restituant, excusan-
tur; si verò habeant prædia empta ex pe-
cunia vsuraria, illa vendere debent, & cre-
ditoribus satisfacere, *ex cap. Cum tu.*
3 Vendens rem, dilata solutione plus,
quàm valeat, peccat, nisi dubium sit, an
res venditæ plus, minusque, tempore solu-
tionis, valituræ essent, & venditor vsque
ad illud tempus seruasset, *ex cap. In Ciuitate*
† *6* Episcopus suum Parochianum vsura-
rium, vbi admonitus nõ desistit, si est Cle-
ricus, debet ab officio, & beneficio suspen-
dere: si Laicus, excommunicare, donèc sa-
tisfaciat, *ex cap. Præterea 7.*
4 Fructus rei pignoratæ computari debẽt
in sortem, nisi pignus sit Terra de fundo
† Monasterij, *ex cap. Conquestus 8.* Hæres vsu-
rarij, siuè sit filius, siuè extraneus, debet re-
stituere vsuras, quas tenebatur defunctus
† restituere, *ex cap. Tua nos 9.* Vsurarius men-
talis tenetur restituere id, quod accepit
suprà sortem, ratione mutui, *ex cap. Consu-*
† *luit 10.* Manifestus vsurarius appellans ad
subterfugiendum restitutionem, non au-
diendus, *ex cap. Quam perniciosum 11.*
5 Per Principes sæculares cogẽdi sunt Iu-
† dæi vsuras Christianis remittere, & Chri-
sti-fideles abstinere tenentur sub pœna
excommunicationis à commercijs, & om-
nimoda communione cum Iudæis, donèc
vsuras restituant, *ex cap. Post miserabilem 12.*
6 Iudex cogere tenetur vsurarium ad re-
stituendas vsuras, censura Ecclesiastica,
& eas non exigendas, appellatione remo-
ta, non obstante iuramento de non repe-
† tendis vsuris, *ex cap. Tuas dudum.* Vsurarius
repetẽs vsuras, non debet audiri, nisi prius
ipse restituat, quas ab alijs extorsit, *ex cap.*
Quia frustrà 14. & ex cap. Michael 17.
7 Ordinarius etiam, nemine accusante,
potest procedere contrà manifestos vsu-
rarios cum pœnis Concilij Lateranensis.
† Socer, quãdo pro dote dat in pignus pos-
sessionem Genero, non tenetur cõputare
fructus pignoris in sortem principalem,
cùm accipiatur ad sustentandum onera
matrimonij, *ex cap. Salubritèr 16.*
8 Iudæi sunt compellendi vsuras extortas
à Christianis restituere, & etiam compel-
lendi sunt satisfacere pro decimis, & ob-
lationibus, quas solebant possessiones eo-
rum, quæ priùs erant Christianorum, *ex*
cap. Quanto 18.
9 Vsurarius est, qui mutuando pecuniam,
aliquid suscipit suprà sortem, *ex cap. Naui-*
ganti 19. Licèt licitè aliquid possit accipi
pro assecuratione, &c. vt communitèr do-
cent Doctores; & ideò suscipiens pericu-
lum, debet exprimere, si aliquid accipiat
suprà sortem, illud accipere pro assecura-
tione, &c.

PARAG. II.
Continuatio eiusdem materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Vsurarij non sunt permittendi, &c.*
2 *Vsurarijs manifestis quando non detur sepultura.*

1 NVlla, vel singularis persona permit-
tat, alienigenas publicè fœnebrem
pecuniam exercentes, aut exercere volen-
tes, ad hoc in terris suis domos conduce-
re, aut aliàs habitare, & huiusmodi vsura-
rios manifestos intrà tres menses expellãt
de Terris suis, nec alios admittant, & ne-
mo illis domos locet, vel sub alio titulo
concedat ad fœnus exercendum: qui con-
trafecerint, si sint Ecclesiastici, etiam Pa-
triarchæ, & Archiepiscopi, suspensionis; si
minores personæ singulares, excommuni-
cationis; si Collegium, vel Vniuersitas, in-
terdicti sententiam ipso facto incurrant,
& si per mensem sunt obstinati, ipsorum

Terræ sunt interdictæ, dum ibi habitant vsurarij: si fuerint Laici, compelluntur per censuram Ecclesiasticam ab Ordinario, cessante, *ex cap. Vsurarum 1. de vsuris in 6.*

2 Vsurarijs manifestis in vltima voluntate mandantibus, vt restituantur vsuræ acceptæ, non datur sepultura Ecclesiastica, donec fuerit satisfactum, prout patiuntur facultates eorum, vel nisi dent cautionem de restitutione facienda, quibus interest, vel his absentibus, Ordinario, vel eius vices gerenti, vel Parocho suę Parochię coram aliquibus fide dignis. Qui autem contra prædictum modum tales in Ecclesia sepelire præsumunt, pœnas excommunicationis incurrũt. Testari minimè possunt vsurarij, & factum testamentum non valet: nullus debet admittere eos ad confessionem, vel absolutionem, nisi satisfaciant, vel cautionem prę̃stent, *ex cap. Quamquam 2.*

TITVLVS XXV.

De Crimine falsi.

Textus Sacrorum Canonum. De Crimine falsi.

SVMMARIVM.

1 *Falsitas quid sit.*
† *Quot modis committatur.*
2 *Item circa res.*
† *Circa personam.*
† *Circa mensuram, &c.*
3 *Clericus falsans sigillum Principis, degradatur.*
† *Existens in Curia, a quo recipiat litteras Apostolicas.*
4 *Modi falsandi litteras Apostolicas.*
5 *Falsæ sunt litteræ, in quibus Episcopus vocatur filius.*
† *Falsificantes litteras Papæ, quas pœnas incurrant.*
6 *Falsare litteras de iustitia quis non præsumatur.*
† *Quomodo quis euitet pœnam falsi.*

1 FAlsum, & falsitas nihil aliud est, quàm veritatis mutatio, quę quando fit cum dolo, semper est peccaminosa, *cap. Omnes §. quia ergo, cap. Hi autem § nemo*, & committitur
† circa homines, vel circa res: Circa homines falsum committit, qui partum supponit, *l. qui falsam 19. §. 1 ad l. Cornel. de falsi.* Item qui nomen falsum in alterius præiudicium vsurpat, *l. falsi nominis 13.* Itẽ falsus testis est, qui mendacium dicit, & veritatem occultat, quia ille vult nocere, hic prodesse non vult, *ex cap. Falsitatis 1. de crimine falsi.* Testis falsus tribus personis est obnoxius Deo Iudici, & Innocenti: Item qui impetrat à Pontifice in preiudicium alterius sine eius mandato rescriptum; Vndè Ordinarius, quando videt, rescriptum esse redarguendum falsitatis, non debet ei fidem adhibere, nec obscurare quod per illud mandatur, sed retinere eum, qui rescriptum præsentauit, *ex cap Super eo 2.* Similiter, qui aperit alterius litteras sigillatas, & potissimũ Principis, vt in *cap. Cũ olim de offic. Deleg.* Sunt etiam plures alij casus, de quibus apud Auctores.

2 Circa res, falsum committitur circa monetam, scripturam, mensuram, & alias res: Circa monetam, si nummos quis radat, tingat, aut quidquam prohibitum eis immisceat, vel eos legitimo pondere fraudet,
† *l. Quicunque 8.* Circa scripturam, si rasis litteris aliud in locum eius, quod erat scriptum, scribat, vt in *cap. Olim 25. de rescript.* Item qui Chirographum alienum imitatur, testamentum, aut instrumentum fal-
† sum scribat, signet, &c. Circa mensuram, si alia, quàm publicè probata mensura vtitur: Circa alias res falsum committit, qui falsos Canones, leges allegat, qui indumenta supprimit, aduersarijs tradit, qui alchimiam exercet, vel procurat.

3 Clericus falsans sigillum Principis, degradatur charactere, & in exilium mittitur, *ex cap. Ad audientiã 3.* Existens in Curia non debet recipere litteras Apost. nisi de manu Papę, vel Officialium ab ipso deputatorum: Personæ tamen magnæ auctoritatis per Nũcios à se missos recipere possunt de manibus prædictorum: qui secus fecerit, si Laicus, est excommunicandus, & si Clericus, suspendendus ab officio, & beneficio, *ex cap. Dura 4.*

4 Nouem sunt modi falsandi litteras Papales: Primus, vt falsa Bulla falsis litteris apponatur: Secundus, vt filũ de vera Bulla extrahatur ex toto, & per alium filum immissis falsis litteris inseratur: Tertius, vt filũ ab ea parte, in qua charta plicatur, incisum cũ vera Bulla falsis litteris immittatur: Quartus, cum à superiore parte Bullæ altera pars fili sub plũbo reseinditur, & per idem filum litteris falsis inserta reducitur infrà plumbum: Quintus, cum litteris bullatis, & redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur: Sextus, cum charta artificijs dealbatur, & iterum inscribitur: Septimus, cum chartæ abolitæ, & abrasæ alia subtilissima charta conglutinatur: Octauus, cum non recipiunt litteras de manu Papæ, vel Bullatoris: Nonus, qui falsas litteras sub Bulla vera proijciunt, *ex cap. Licet 1.*

5 Falsæ sunt litteræ Papales, quibus Episcopus vocatur filius, & non Frater, vel cũ loquitur ponit in plurali, vestras, *ex cap. Quam graui 6.* Qui per se, vel per alios, litteras Papæ falsant, excommunicati sũt, & si sunt Clerici, priuati sunt perpetuò omni officio, & beneficio Ecclesiastico, & tradendi sunt Curiæ sæculari puniendi, vt
† Laicus falsarius. Qui verò falsis litteris vtuntur, & si Clericus est, officio, & beneficio priuatus, si Laicus tamdiu excommunicatus est, donec satisfaciat, *ex cap. Ad falsariorum 7.*

6 Non præsumitur falsare litteras Apost. de simplici iustitia, nec punitur, si hoc cõperto destiterit illis vti *ex cap. Accedẽs 8.* Propter paucarum litterarum rasuram in loco non suspecto, non probat litteras esse falsas, & si pars contraria obligauit se sub periculo causę probare, litteras esse falsas, & tantùm ostendit hanc rasuram, nõ probat, & causam perdit, cui liberè renunciauit, *ex cap. Ex conscientia.* Euitat enim pœnam falsi.

falsi, qui cum falsas litteras se habere cognoscit, intrà viginti dies destruit, aut resignat, quod intelligẽdo verùm in litteris, quas quis per alium impetrauit; quia secùs si per seipsum & cõscius fuit falsi, aut esse
† debuit, vt *in cap. Falsariorũ*: Item cultat quis esse pœnam, si dum cognoscit, litteras de simplici iustitia falsas esse, siuè per seipsũ impetrauerat, siuè per alium, verus eis nõ est, vt *in cap. Accedens*; non enim est verisimile, quod falsum commiserit in litteris talibus, quæ in Curia de facile obtineatur, sicut nec præsumitur dolus in re modica, vt *ff. de dolo, l. si oleum §. vlt.* Item rasura paucarum litterarum, quæ nequaquam animo sapientis in dubitationem vertere debet, suspicionem falsitatis non inducit; dummodò talis rasura, vel immutatio syllabæ sensus non inducat varietatem; aliàs secùs, rasura verò lineæ suspicionem falsitatis inducit, maximè si inueniatur in narratione facti, *cap. Ex litteris*.

TITVLVS XXVI.
De Sortilegio.

SVMMARIVM.

1 *Qui propriè dicantur sortilegi.*
2 *Diuinationis plures sunt species.*
3 *Diuinatio triplex.*
4 *Dæmon quomodò cognoscat futura contingentia.*
5 *Quæ sint adiuncta diuinationi cum pacto expresso.*
6 *Diuinatio cum Dæmonis inuocatione, quibus alijs modis etiam fiat.*

1 Licèt in genere sortilegium omnem diuinationis, impietatis, vanitatisq; magis speciem comprehendat, *cap. Si per sortem* [?] *33 quæst. 1.* Propriè tamen sortilegi dicũtur, qui sub nomine fictæ Religionis, per quaidam sortes diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione, futura promittunt, *cap. sortilegi 26. qu. 1.*

2 Diuinationis plures sunt species; per terram, quæ Geomantia dicitur; per aquã, quæ Hidromantia; per aerem, quæ Atmomantia; per ignem, quæ Pyromantia dicitur, *cap. Igitur genus 26. quæst. 3. cap. Nec mirum 26. quæst 5.*

3 Diuinatio triplex est: Vna Diuina, qua supernaturali Dei beneficio, futura, & occulta cognoscuntur: Altera humana, qua futura, & occulta prædicũtur ex proprietatibus rerum: & altera Diabolica, quæ nihil aliud est, quàm significatio occultorum, quæ fit ope Dæmonum, quæ duplex est: vna quæ fit cum expressa Dæmonis inuocatione; & altera, quæ fit per tacitam Dæmonis inuocationem, quæ multipliciter contingit: Primò, quia quis signo vano vtitur ad inquirendam veritatem occultam, etiamsi non intendat inuocare Dæmonem: Secundò, contingit in adhibendis medijs inutilibus ad diuinandum, etiamsi Dæmon nullum anteà pactum cum aliquo inierit concurrendi cum eo, qui huiusmodi signis vsus fuerit.

4 Quamuis Dæmones certò non sciant futura contingentia, quia non habent causam determinatam, sed à nostro pendent arbitrio; longè tamen plura de rebus futuris, alijsque occultis cognoscere possunt, quàm homines: Primò enim cognoscunt nostras affectiones, & inclinationes: Secundò, causas naturales, & virtutes eorum: Tertiò, longam habent rerũ experientiam: Quartò, scripturas melius intelligunt, quàm homines: Quintò, sciũt quod ipsi, & alij Dæmones sint facturi, si Deus permiserit, ac posita in ipsis hac cognitione, fit vt arte Dæmonis aliqua possint diuinatores pronuntiare, ac diuinare: docentur autem diuinatores à Dæmone, Primò, aut quia Dæmones sũpta à forma visibili, illos alloquũtur, aut quia formãt in aere vocem, aut quia tradũt scripturam, in qua continetur res denuncianda, aut quia in somnis, aut etiam in vigilia disponũt illorum phantasmata ad diuinandum iuxtà phantasmatum dispositionẽ; ità Sanchez *in opere moral. lib. 2. cap. 38. num 8.* Pereyrus *cap 5 num. 35.*

5 Diuinatio cum pacto expresso habet adiunctam abiurationem Baptismi, & Apostasiã à Christo, Idololatriã ergà Dæmonem, per genuflexionem, sacrificiũ, &c.

6 Diuinatio cum expressa Dæmonis inuocatione fit etiam per apparitionem fictam in figuris, &c. Per Necromantiam, quæ fit excitando aliquem mortuum, &c. vt supra.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum De Sortilegijs.

SVMMARIVM.

1 *Pœna Sortilegiorum.*
† *Presbyter, qui per inspectionem Astrolabij furtum inuenit, suspenditur.*
2 *Electio per sortes prohibetur.*

1 Furta Sortilegijs inquirere præsumentes, vel obseruantes aliquam diuinationẽ, pœniteãt per quadraginta dies, *cap.*
† *In tabulis 1. de Sortilegijs.* Presbyter, qui per inspectionẽ Astrolabij, furta requirit, suspenditur ab Altaris ministerio per annũ, si ità videtur Episcopo, *cap. Ex tuarum tenore.*

2 Electio per sortes fieri non debet, nec compromissarij per sortes eligi debent, *ex cap. Ecclesia 3.*

TITVLVS XXVII.
De Collusione detegenda.

SVMMARIVM.

1 *Collusio quid sit.*
2 *Quando fiat.*

1 Collusio nihil aliud est, quàm occulta conuentio eorum, qui inter se in-

K 2 dicio

dicio contendere simulant, *cap. Si quemquã quæst.* 2. Vndè, qui partem aduersam adiuuat, præuaricari dicitur, *cap. Si quem, si causæ sint criminales*, cap. *Si quis* §. *his autem* 2. *quæst.* 1. Si spirituales colludere dicitur.

2 Fit autem Collusio in criminali causa plerumque, scilicèt quando accusator veras criminum probationes abscondit, seù dissimulat; falsas verò probationes admittit, & per hoc incidit in vitium præuaricationis: vel quando accusator in vniuersum ab accusatione desistit, & per hoc incidit in vitium tergiuersationis; nam causarum tria sunt genera; alia Ciuilis, altera Criminalis, & altera Spiritualis: Item à lite duobus modis receditur, per gratiam, & per transactionem: in causa Ciuili, etiam sine Iudicis auctoritate, licet à causa recedere, præterquã in actione famosa, in qua sine auctoritate Iudicis transigi non potest. In causa verò Criminali, antè inchoatã accusationem, per gratiam licet desistere, vt *ff. ad turpil. l. Mulier*, & *l. Quæsitum*, si post inchoatã, non licet citrà auctoritatem Iudicis, & etiam Rei consensum, si tormenta, & vincula passus sit, vel propter accusationem infamatus. In causa Spirituali licet quandoque per gratiam à lite recedere, sed qui sine iusta causa recedit, punitur, *cap. Quapropter de Simon. cap. Nemo*. Per transactionem à causa Spirituali discedere non licet, *cap. Super eo, cap. Præterea*.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum.
De Collusione detegenda.

SVMMARIVM.

1 *Accusatore desistente ab accusatione, Iudex potest inquirere.*
† *Multis modis potest quis à lite recedere.*
2 *Accusatore, & accusato desistente, Iudex prosequitur.*
† *Colludẽs in causa beneficiali, priuari debet beneficio.*
† *Absolutio facta de criminibus, &c. non impedit nouam accusationem.*

1 ACcusator quando desistit ab accusatione, debet Iudex inquirere super illo crimine, an per collusionem hoc fiat; *ex cap. Scripsit de Collusione detegenda* 1. † Multis modis potest quis à lite recedere; Primò, propria auctoritate, quia sic sibi placet: Secundò, per gratiã; vt v.g. quia ob preces Rei vult à lite recedere: Tertiò, per transactionem, vt quia recedit à lite, aliquo sibi dato, vel recepto; Quartò, per oblationem impetrando à Iudice facultatem recedendi, & vt accusatio aboleatur, & deleatur, & cancelletur ex aliqua causa, quæ per errorem contingit, vt si calore iracundiæ accusauit, vel ex alia aliqua causa legitima.

2 Etiamsi accusator desistat ab accusatione, & pacificatur cum accusato, Iudex potest punire crimina audita, & probata, *ex cap. Criminis* 2. † Beneficio suo priuatur, qui collusionẽ facit in Beneficio, vt v.g. si aliquis molestatur, & posteà transactione facta, actor cedit liti, & Reus dat illi pensionem cum futura successione, *ex cap. Audiuimus* 3. † Absolutio de criminibus illatis per collusionem facta, non impedit facultatem iterùm accusandi, & inquirendi de illis criminibus, *ex cap. In tantum* 4.

TITVLVS XXVIII.
De Clerico Venatore.

SVMMARIVM.

1 *Venatio est prohibita Clericis.*
† *Quotuplex Venatio.*
2 *In aliquibus casibus permittitur.*
3 *Quando Ecclesiasticus fit irregularis ratione venationis.*
4 *Piscatio non est prohibita Clericis.*
5 *Princeps potest liberè sibi seruare venationem, &c.*

1 VEnatio Clericis prohibetur, quia est clamoris plena, & in ea plerumque rixæ, iniuriæ, pacis violationes contingunt. Et ideò ratione status, minimè decet Clericos, quia ea Clerici à Diuinis distrahuntur. † Est autem Venatio, secundùm Canones, alia oppressiua, quę homines perdit, alia Arenaria, alia Saltuosa, quæ in syluis, & saltibus, feras persequendo, & occidendo, exercetur. Oppressiua est iure diuino prohibita. Saltuosa, aliquando est prohibita, & aliquando permissa.

2 In subsequentibùs casibus permittitur Venatio: Primus, si Clericus haberet redditus in Venatione: Secundus, quandò Venatio est quieta, quæ sine strepitu exercetur, & vtilitatis causa, seù recreationis, ad excitandum appetitum, vel calorem naturalem: Tertius, Venatio cum laqueis retibus, &c. etiam cum canibus permittitur Clericis, dummodò cum modestia, & silentio fiat; & si saltuosa Venatio rarissimè fiat, non erit illicita. Graff. *decis. aur. par.* 2. *lib.* 2 *cap.* 3. *num.* 9. & alij.

3 Si verò Venatio ex suo genere esset periculosa homicidij, aut mutilationis, qualis esse solet caprorum Venatio; tùnc si Ecclesiasticus esset causa huiusmodi venationis, ex eaque, etiam sine sua culpa mors, aut mutilatio sequeretur, irregularitatem incurreret, eòquod dederit operam rei sibi illicitę; ità Molina *de iust. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 44. Sayrus *in Claui reg. lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 7. & alij.

4 Piscatio non est prohibita Clericis; Ratio, quia in ea cessat ratio, qua prohibetur Venatio; tùm etiam, quia Piscatio habet exempla virorum Sanctorum, nempè Apostolorum, quos piscãtes ad se Saluator vocauit; tùm etiam, quia Piscatores non dicuntur nec negotiatores, nec Venatores.

5 Quamuis libertas venandi sit de iure naturali, seù gentium, tamen Princeps supremus temporalis, tàm in locis publicis, quàm priuatis, potest prohibere venationem,

nem, etiam posita pœna propter vtilitatem publicam; tùm etiam propter suam recreationem; ità Medina *C. de restit. quæst. 12.* Molin. *disp. 46.* Salon. *2. 2. quæst. 62. art. 3.* & alij. Ratio est, quia cùm Princeps pro Republica laboret, habere debet necessaria ad sui sustentationem, & debet habere locum suæ recreationi accomodatum, & hoc fit per prohibitionem, & reseruationem Venationis, & non solùm potest prohibere Venationem, sed etiam sub pœnis Venationem sibi reseruare, & efficere Venantes contrà prohibitionem, inhabiles ad acquirendum dominium ferarum, & subiacere alijs pœnis. Cou. *Regula peccatum par. 2. §. 8. num. 6.*

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum, De Clerico Venatore.

SVMMARIVM.

1 *Clerico prohibetur Venatio, & contrafacienti imponitur pœna.*
2 *Omnibus seruis Dei interdicitur.*
† *Clericus Venator, quali pœna debeat puniri.*

1 EPiscopi, Presbyteri non possunt habere canes, accipitres, &c. ad venandum, & Episcopi, si frequentes sint in huiusmodi venationibus, suspendi debent à communione tribus mensibus, Presbyteri, duobus; Diaconi, & Subdiaconi ab omni officio suspendendi sunt, *ex cap. Episcopum 1. de Cleric. Venatore.* Clerici verò in minoribus constituti, arbitraria pœna sunt puniendi.

2 Omnibus seruis Dei interdicitur Venatio cum canibus, & accipitribus, ac falconibus, *ex cap. Omnibus 2.* Venationem exercentes puniri non possunt à Iudice Ecclesiastico pœna aduersus Laicos statuta in edictis sæcularibus venationē prohibē-
† tibus; quoniam edicta sæcularia non ligant Clericos, sed pro modo culpæ erunt puniendi pœnis iuris Canonici, arbitrio Iudicis Ecclesiastici imponendis.

TITVLVS XXIX.
De Clerico Percussore.

SVMMARIVM.

1 *Non licet Clerico alium percutere.*
† *Pœna percutientis Clericum.*
† *Solus Episcopus potest punire delinquentes Clericos.*

1 NOn licet Clerico alium Clericum percutere flagris, aut verberibus. Pœna percutientis Clerici est suspēsio ab officio, & nisi monitus se corrigat, degradatio: Itē Clericus Clericum percutiens, est excommunicatus, *cap. Cùm illorum de sent. excom. cap. Cùm Religioso in 6.* Item Monachus Monachum percutiēs, *cap. Monachi, cap. Pa-*
† *rochianos.* Clericus duobus modis potest dici percussor, spiritualitèr, & corporalitèr: Spiritualitèr, quando inutili sermone corda ferit audientium, & de ista percussione in isto capite non agitur. Corporalitèr verò, cùm flagris, & verberibus Clericus eum, qui ipsi non est subiectus, vel eū, qui est subiectus erudelitèr cædit, *cap. Præterea.* cùm maximè dedeceat Clericum eas violētèr manus alicui inijcere quæ Deo solenni ritu consecratæ sunt quæ extensæ pro omnibus Deum supplicant, quæ in eius honorem tremēda Corporis, & Sanguinis Christi mysteria peragunt: Leuitèr etiam per alium Clericum Episcopus, correctionis clausa, delinquentes Clericos tantùm punire potest, *cap. Cùm Beatus dist. 45. cap. Ante omnia dist. 35.*
† Episcopus suis manibus nullum verberare potest, *cap. Cum non liceat.*

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum. De Clerico Percussore.

SVMMARIVM.

1 *Clericus percutiens alium, si non se emendat, est deponendus.*
2 *Episcopus, qui crudelitèr alium iubet cadere, est suspendendus.*
3 *Clericus, qui fuit præsens in conflictu, &c. non punitur vt homicida.*
4 *Item Clericus, qui in iusto conflictu fuit, quando sit irregularis.*

1 CLericus in sacris, si est percussor, & se non emendat, est deponendus, *ex cap. Si qui de Clerico percussore:* Ratio, quia ob statum decentiam, ab omni percussione debet abstinere, tàm priuata, quàm publica auctoritate facta; ità Clauis regia *lib. 7. cap. 11. num. 2.* & omnes communitèr, quia Ecclesiasticorum arma sunt spiritualia, vt lectio, oratio, &c.

2 Duobus mensibus Episcopus, qui crudelitèr aliquem iubet fustigari, licèt fustigatus non moriatur ex ea, à Missarum administratione suspenditur, *cap. Præterea 2.* Cùm non oporteat Episcopum esse percussorem, & facilem ad vindictam.

3 Non punitur Clericus, vt homicida, qui fuit præsens in conflictu, & ex parte repellentium: cùm lapides iecit, & quia ibi aliqui mortui sunt, suspenditur duobus annis à Missarum celebratione, *ex cap. Præsentium 3.*

4 Clericus, qui in iusto conflictu fuit, vbi aliqui occisi fuerunt, sine eius facto, & consilio, potest vlteriùs promoueri in Subdiaconatu tantùm, & ministrare ex dispensatione, *ex cap. Continentia 4.*

TITVLVS XXX.
De Clerico maledico.

SVMMARIVM.

1 *Maledictio quid sit.*
† *Duplex.*
2 *Maledictio, quæ infertur in Deum, est propriè blasphemia.*

† *Qua duplex est.*
3 *Quot modis committatur.*

1 MAledictio est imprecatio mali alicui facta sub ratione mali, quæ du-
† plex est; vna materialis, qua quis imprecatur alicui malum sub ratione boni, iusti, aut vtilis, aut qua quis optat alicui malum, sine tamen desiderio mali, quod ore profertur: Formalis est, qua quis imprecatur malum alicui, vt malum est.

2 Maledictum, quod in Deum, Beatam Virginem, &c. confertur, vocatur pro-
† priè blasphemia, quæ duplex est: Alia hæreticalis, & alia simplex. Hæreticalis est, quæ articulis Fidei directè opponitur. Simplex dicitur illa, quæ non opponitur articulis Fidei. Omnes blasphemiæ, quæ non continent hæresim, sunt eiusdem speciei, cùm omnes opponantur Religioni, quæ tribuitur cultus Deo, & Sanctis propter Deum.

3 Blasphemia duobus modis cōmittitur: Primò, tribuendo aliquid per contumeliam Deo, quod non habet, & eius Diuinæ bonitati repugnat: Secundò, auferendo aliquid à Deo, quod illi conuenit: Primo modo committitur blasphemia, detestando Diuina, vt maledicendo Deum, illique aliqua mala imprecando, quia tribuitur aliquid Deo, quod non habet: Secundò, committitur blasphemia exprobrando ea, quæ Deus habet, seù tribuendo, quæ habet, sed irreuerenter, vt iurando per Corpus, vel Sanguinem Dei ex indignatione, vel ira contrà Deum; Ratio, quia tribuitur aliquid Deo per contumeliam, quod non habet: Item committitur blasphemia ab eo, qui iuramentum emittit per pudendas partes Christi, vel Sanctorum: Item maledicendo Creaturis, vt Creaturæ Dei sunt, vel spernendo Sanctos, quia sicùt in Sanctis Deus laudatur, ità spernitur.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum.
De Maledicis.

SVMMARIVM.

1 *Maledicens Papæ est puniendus.*
2 *Pœna blasphemantium contrà Deum, vel Sanctos.*

1 MAledicens Papæ, est puniendus, ne de cætero contrà Romanam Ecclesiam loquatur; & sit talis error, *ex cap. Innotuit 1. de maledicis.*

2 Blasphemans contrà Deum, vel Sanctos antiquitùs publicè per septem dies Dominicos existere debebat præ foribus Ecclesiæ in conspectu Populi, & vltimò illorum die, sine pallio, & calceamentis ligatus corrigia circa collū, ieiunabat septem diebus præcedentibus in pane, & aqua; nec in Ecclesiam ingrediebatur; & si possit, pauperes singulis diebus horum reficiebat, *ex cap. Statuimus 2.* Verùm hæc pœna non est amplius in vsu; est tamen blasphemia mixti fori; & ideò datur locus præuentioni.

TITVLVS XXXI.
De Clerico excommunicato deposito, vel interdicto.

SVMMARIVM.

1 *Pœna Clerici excommunicati celebrantis.*
2 *Collatio beneficij, &c. facta excommunicato, est inualida.*
† *Acceptatio beneficij facta excommunicato, &c. tenet.*

1 CLericus excommunicatus maiori excommunicatione, interdictus, vel suspensus ab officio, si scienter celebrat Diuina Officia, peccat, & est irregularis; & ità communiter Doctores: excommunicatus verò minori excommunicatione celebrans, licèt peccet, non est tamen irregularis, & potest omnia, quę sunt iurisdictionis exercere.

2 Collatio beneficij, & pensionis facta excōmunicato, titulo Clericali, est inualida; secùs verò si pensio esset sæcularis; ità Hēriq. *lib. 13. cap. 13. num. 3.* Suar. *tom. 5. disp. 13. sect. 1. nu. 9.* Filliuc. *de censuris cap. 5. qu. 4* & alij: Ratio est, quia excōmunicatus non solum est incapax beneficij, verùm etiam pensionis; vndè obtinenti pensionem à Summo Pontifice concedi solet absolutio cēsurarum, ad hunc effectum, vt sit capax beneficij, & pensionis: Vndè excommunicatus non potest fructus pensionis, & beneficij percipere, quia nullum ius ad illos habet: sed de hac re meliùs infrà, cum de pœnis, &c. Va-
† lidè tamen acceptatur beneficium, vel pensio ab eo, qui tempore collationis, & electionis non erat excommunicatus, licèt sit excommunicatus tempore acceptationis beneficij; ita Vgolinus *tab. 2. cap 13* Sayrus *lib. 2. cap. 2, num. 11.* Cou. *in cap. Alma mater 1. par. §. 7. num. 4. notabili 12.* Flamin. Paris. *de resignat. lib. 10. quæst. 8. num. 39.* & alij: Ratio, quia iura solum irritant collationem, & electionem beneficij, non verò acceptationem. Collatio beneficij facta excommunicato minori excommunicatione, est valida. Suarez *tom. 5. disp. 24. sect. 2.* Tolet *lib. 1. cap. 2. nu. 4.* & alij.

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum.
De Clerico excommunicato, &c.

SVMMARIVM.

1 *Pœna Clerici depositi audentis celebrare.*
2 *Item Clerici degradati, & suspensi, &c.*
† *Interdictus, & excommunicatus celebrans monitus non desistens, debet deponi.*
† *Nisi propter multitudinem mitigetur pœna.*
3 *Dubitans de excommunicatione, quid debeat agere.*
† *Excommunicatus celebrans, à beneficio deponitur.*
4 *Collatio beneficij facta excommunicato, non tenet.*
† *Limitatur in aliquibus casibus.*
5 *Collatio beneficij facta excommunicato absoluto, tenet.*

† *Sus-*

5 *Suspensus, &c. celebrans cum ignorantia, non est irregularis.*
6 *Sicut nec excommunicatus minori excommunicatione.*

1 Clericus depositus iustè pro certo crimine, si ausus fuerit tractare ministerium sibi iam commissum, abscindatur ab Ecclesia, *ex cap. Si quis Episcopus 1. de Clerico excommunicato, &c.*

2 Clericus degradatus, vel suspensus, & correctus ab Episcopo adhuc in præsumptione perseuerar, excommunicari debet, & si nec sic desistat, per sæcularem potestatem, ad requisitionem Ecclesiæ, damnetur exilio, *ex cap. Si quis 2.* Clerici verò excommunicati, vel interdicti celebrantes Diuina Officia, & moniti non desistunt, sunt perpetuò deponendi, *ex cap. Clerici 3.* Si verò Clerici excommunicati sunt plures, qui præsumunt celebrare Diuina Officia, & excedunt numerum quadraginta; tunc solùm deponuntur in perpetuum, qui magis dederunt causam delicti: Alij verò, ad tempus, sed omnibus iniungitur pœna arbitrio Ordinarij, *ex cap. Latores 4.*

3 Sacerdos dubitās, se esse excommunicatum, debet se tamquàm excommunicatū gerere, secùs celebrando, incidit in pœnas Canonum, licèt cum eo Papa solus, misericorditèr debeat dispensare, *ex cap. Illud 5.* Et excommunicati, qui præsumpserint celebrare, omnibus beneficijs sūt priuandi, *ex cap. Fraternitatis 6.*

4 Collatio beneficij facta excommunicato, est inualida, & qui scientèr illis confert beneficium, suspenditur à collatione beneficiorum, quoadusque veniam consequatur, *ex cap. Postulasti 7.* Quod tamen intelligendum est cum tali limitatione, vt non procedat, si excommunicatio sit nulla. Nauarrus *in cap. Cùm contingat de rescript. remed. 6. num. 9. & 11.* Secundò, quando prouisus esset triennalis, quia tunc non obstat excommunicatio. Reginaldus *lib. 31. num. 1.* Tertiò, vt non procedat in beneficijs iā collatis acceptatione facta ab excommunicato. Azorius *par. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 9.* Quartò, excommunicatio superuenir post collationem, vel electionem factam. Ricc. *lib. 4. cap. 13. num. 9.* Quintò, item in eo, qui fuit excommunicatus post interpositam appellationem. Ricc. *loco citato. num. 4.* Sextò, vt non procedat in prouisione Papæ facta in excommunicati fauorē. Henriquez *lib. 13. §. 3.* Item in possessione beneficij capta ab excommunicato. Zerola *in praxi Episc. verb. Excommun. dub. 8.*

5 Valet collatio beneficij facta excommunicato, qui posteà tēpore collationis fuit absolutus, *ex cap. Proposuisti 8.* Celebrans cum ignorantia probabili se esse suspensum, vel irregularem, aut excōmunicatum, non efficitur irregularis, nisi ignorantia esset crassa, supina, vel erronea, *ex cap. Apostolici 9.*

6 Excommunicatus minori excommunicatione celebrans, non est irregularis, sed peccat, & potest omnia, quæ sunt iurisdictionis, exercere; potest eligere, sed non eligi, & si confert Sacramenta, peccat, tamen collatio tenet, & habet suum effectum, *cap. Si celebrat 10.*

TITVLVS XXXII.

De Clerico non ordinato ministrantē.

SVMMARIVM.

1 *Pœna statuta contrà Clericos non ordinatos ministrantes.*

1 Clemens Octauus in sua Constitutione incipiēte, *Et si alias* data anno 1601. sub die 4. Decembris, statuit, deperditos homines ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotos, qui præsumunt Missam celebrare, à Iudicibus Sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs tamquàm misericordia Ecclesiæ indignos, à foro Ecclesiastico abijciendos, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habent, degradatos, statim Curiæ sæculari tradendos, per Iudices sæculares debitis pœnis plectendos: Quę Constitutio fertur à Quaranta *in summa Bullary, verbo Ordo.* In irregularitate, quā quis contraxit, exercendo ordines, quos non habebat, solus Pontifex dispensare potest, vt altiorem promoueatur ordinē; ità Bonacina *de censuris disput. 7. quæst. 3. pun. 6. num. 10.* Reginaldus *in praxi lib. 10. num. 56.* & alij: Si verò delictum sit occultum, tunc Episcopus dispensare potest, vt alios suscipiat, per Concilium Tridentinum *sess. 24. de reformat. cap. 6.* Sacerdos ministrans Sacramentum Pœnitentiæ, &c. non fit irregularis, quia irregularitas incurritur ab exercente Ordinem, quem non habet, sed Sacerdos in his casibus non exercet actum Ordinis, quam non habet, cum verè sit Sacerdos, sed potiùs dicitur exercere actum iurisdictionis, quem non habet, ergò non est irregularis, cùm non sit lata irregularitas contrà exercentes actum iurisdictionis, quem non habet, ergò non est irregularis, cùm non sit lata irregularitas contrà exercentes actum iurisdictionis alienæ. Henriquez *lib. 2. cap. 59. num. 2.* & alij; secùs verò dicendum de Clerico, qui si sacramentalitèr absoluat, est irregularis; ità Sotus *de iust. quæst. 5. art. 1.* & plures citati à Bonac. *loco cit. nu. 4.*

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum.

De Clerico non ordinato ministrante.

SVMMARIVM.

1 *Pœna exercentis actum Ordinis, quem quis non habet.*
2 *Pœna Diaconi celebrantis Missam.*

1 Exercens actum Ordinis, quem quis nō habet, debet eijci ab Ecclesia, & numquàm ordinari; *ex cap. Si quis baptizauerit, de Clerico non ordinato*, & fit irregularis Clericus etiam in extrema necessitate solennitèr bapti-

baptizans. Nauar. *in man. cap. 22. n. 7.* Valent. *tom. 4. disp. 4. qu. 2.* Suar *tom. 3. qu. 71. art. 4. disp. 31. sect.* Henriq. *in summ. lib. 2. de baptismo cap. 29. §. 1.* Sicut etiam est irregularis, si ex officio exerceat actus aliorū Ordinum, quos non habet: tunc dicitur exercere solenitèr, vel ex officio actū Ordinis, quādo actus talis est, vt ab alio non possit exerceri, quàm ab eo, qui talem Ordinem habet: quando verò potest eodem modo ab alio exerceri, nō dicitur solenitèr exerceri, & ex officio.

2 Diaconus Missam celebrans, ad Sacerdotium non potest promoueri, sed debet manere suspēsus per duos, vel tres annos, arbitrio Ordinarij, sed in beneficio poterit cum eo dispensari, ne cogatur reuerti ad negotia sæculi, *ex cap. Ex litteris 2.*

TITVLVS XXXIII.

De Clerico per saltum promoto.

SVMMARIVM.

1 *Quis dicatur per saltum promotus.*
2 *Pœna Clerici per saltum promoti.*
3 *In quo casu possit Episcopus dispēsare cū saltū promoto.*

1 ILle Clericus dicitur per saltum promoueri, qui non gradatim, sed per saltum, idest à minori ad maiorē, omisso medio, vt ad Diaconatum ante Subdiaconatum, ad Presbyteratum ante Diaconatum fit promotus.

2 Promotus per saltum, est ipso iure suspensus ab administratione Ordinis suscepti; & ità Syluest. *in summa, verbo Irregularitas, quæst. 11.* Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 4.* Nauar. *in man. cap. 27. n. 242.* & alij: nō est autem promotus per saltū, suspensus ab Ordine ritè suscepto, & ideò in illo ministrare poterit absque præiudicio irregularitatis. Henriquez *lib. 4. cap. 6. §. 3.* Auila *de censuris par. 7. disp. 9. sect. 1. dub. 2.* & alij.

3 Episcopus, ex iusta causa, ex dispositione Concilij Tridentini *sess. 23. de reformat. cap. 14.* potest dispēsare cum promotis per saltum, vt prætermissum Ordinem suscipiat, & vt in Ordine malè suscepto ministrent, & ad superiores Ordines ascendant, si nō ministrauerūt in Ordine suscepto. Maiol. *de irregularitate lib. 4. cap. 12. nu. 2.* Nauar. *in man. cap. 25. num. 71.* Suarez *de censuris disput. 31 sect. 2. nu. 31.* siuè scienter, siuè ignorantèr fuerint promoti, quia Trid. nō distinguit, sed simplicitèr loquitur, & vbi lex nō distinguit, nec nos distinguere debemus. Verùm si huiusmodi per saltū promotus ministrauerit in Ordine malè suscepto, & crimen sit occultum, poterit etiam Episcopus cū eo dispensare, vt prætermissum Ordinem suscipiat, ministret in malè suscepto, & ad superiores Ordines ascendat, vigore Cōcilij Tridentini *sess. 24. de reformat. cap. 6.* fit tamē irregularis per saltum promotus, si exerceat actum Ordinis prætermissi; ità Suar. *tom. 5. de censur. disp. 31. sect. 4. n. 5. & 9.* Filliuc. *de cēsuris n. 209.* & alij, licèt sit etiā irregularis ex alio titulo, nimirùm ex violatione suspensionis.

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum.

De Clerico per saltum promoto.

SVMMARIVM.

1 *Pœna Subdiaconi, qui ignorantèr fuit per saltum promotus.*

1 ILli, qui ignorantèr, & per saltum, de Subdiacono fit Presbyter, omisso Diaconatu, digna pœnitentia iniungi debet, quia ignorantia fuit crassa, quæ peracta, in Diaconum ordinari debet, quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur, sed mox vt in Sacerdotio ministrare possit, permittatur, *ex cap. Tuæ nos. de Clerico per saltum promoto.*

TITVLVS XXXIV.

De eo, qui furtiuè Ordines suscepit.

SVMMARIVM.

1 *Quis dicatur Ordines furtiuè suscipere.*
2 *Sequitur eadem materia.*

1 FVrtiuè Ordines censetur suscipere, qui tempore ordinationis se clàm cū alijs intrusit, & cū aliquibus est promotus, *cap. Quando Episcopus dist. 24.* Item plures Ordines vno tempore suscepit simul.

2 Item ille est suspensus, seù potiùs irregularis, qui furtiuè, idest nesciente Episcopo, nec approbante, nec examinante, Ordinem suscepit, in qua suspensione videtur, quod Episcopus possit dispensare, vigore priuilegij concessi in Tridentino, *sess. 24. cap. 6.* ita Henriquez *lib. 14. cap. 6. num. 5.* Suarez *tom. 5. disput. 42 sect. 3. num. 5.* Vgolinus *cap. 39. num. 3.* & alij. Ille dicitur Ordines furtiuè suscipere, qui, inscio Episcopo, non vocatus, non approbatus accedit ad Ordines, aut qui alium in sui locum examini sub suo nomine submittit, deindè vocatus proprio nomine Ordines capit, & tunc vinculo irretiri probabilissimum est, *ex cap. Veniens de eo, &c.* vbi datur facultas Episcopo dispēsandi cum eo, qui furtiuè Diaconatum accepit, vt ad Sacerdotium promoueretur, ex qua loquendi forma præcipuè indicari videtur irregularitas, in qua irregularitate, quando delictum est occultum, ex decreto Cōcilij Tridentini *sess. 24. cap. 6. de reformat.* Episcopus potest dispensare, dummodò sit occulta ratione delicti, quamuis materialitèr publicè fiat.

PA-

PARAG. VNIC.

Textus Sacrorum Canonum.

De eo, qui furtiuè Ordinem suscepit.

SVMMARIVM.

1 *Pœna suscipientis Ordinem furtiuè.*
2 *Episcopus, quando possit dispensare cum Subdiacono furtiuè Ordinem suscipiente.*
3 *Item pœna suscipientis duos Ordines sacros eodem die.*

1 QVi furtiuè Ordinē suscepit, si contrà facientes hæc lata erat excōmunicatio, non potest Episcopus cū eo dispensare, sed si lata non erat, Episcopus poterit dispensare, imposita priùs pœnitētia arbitraria, *ex cap. Veniens 1. de eo, qui furtiuè Ordinem suscepit.*

2 Subdiaconatum furtiuè accipiētis, Episcopus potest permittere, vt in minoribus se exerceat; secùs si de maiori, nisi ingrediatur Religionem, & postquàm ibi honestè vixerit, Abbas in omnibus Ordinibus poterit dispensare, *ex cap. Cum H. lator 2.*

3 Qui eodem die duos sacros Ordines suscipit, præcedente sententia excommunicationis, in susceptis ministrare nō potest, & si fiat Religiosus, peracta pœnitentia, de licentia Papæ, poterit cū eo dispensari, *ex cap. Innotuit 3.* Vndè Sacramentum Ordinis verè datur excommunicato quòad characterem, licèt non quòad executionem.

TITVLVS XXXV.

De excessibus Prælatorum.

SVMMARIVM.

1 *Prælati officium circà subditos.*
† *Item subditorum circà Prælatos.*

1 PRelati peccant, cùm excedunt officium suum ergà subditos, & peccant subditi, cùm ergà Prælatos officium suum excedunt: Officium subditi ergà Prælatum est, vt ei honorem, & obedientiam exhibeant,
† *cap. Ad aures 5. de temp. ordinat. dist. 91.* Officium Prælati ergà subditos est, vt eos tamquàm Clericos honoret, & diligat, nec solùm eis præsit, sed prosit.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum.

De excessibus Prælatorum.

SVMMARIVM.

1 *Prælati non possunt grauare Clericos sibi subditos.*
† *Episcopus non potest priuare Presbyteros suis Ecclesijs, &c.*
2 *Habens collationem beneficij, non potest illud pro se retinere.*
† *Sodomiæ pœna.*
3 *Priuilegiatus non tenetur parere Superiori præcipienti contrà priuilegium.*
4 *Vicarius, &c. qui contrà iuramentum vsurpat sibi Personatum, admitti non debet.*
† *Excommunicatio lata contrà subditum priuilegiatum, non tenet.*
5 *Prælatus sine consensu non potest suam Ecclesiam alteri vnire, &c.*
† *Clericus, qui de suo crimine gloriatur, suspendi debet.*
6 *Præstans causam homicidio, est irregularis.*
7 *Beneficia non sunt conferenda indignis.*
8 *Ad quem spectat cognoscere de causa matrimoniali, &c.*
9 *Confessarius non potest cogi ad reuelandum peccatorem.*
† *Quæ non faciunt vnum corpus, non possunt habere commune sigillum.*
10 *Pœna negantis, Prælatum esse suum Dominum, &c.*
11 *Episcopus præcipitur, nè grauamina inferat Religiosis.*
12 *Non seruans interdictum, est suspensus, &c.*

1 EPiscopi, & Prælati non debent grauare Clericos sibi subiectos talcis, & exactionibus iniustis, & Sacerdotes non debent tractare, vt vassallos, sed vt fratres, *ex cap. Peruenit 1. de excess. Prælat.* & ideò non debent eos suspendere, &c. sine ordine iu-
† diciario, nec potest Episcopus priuare Presbyteros suis Ecclesijs, & iuribus, vel eos minuere, *ex cap. Ad hæc 2.*

2 Habens subiectionem, seù collationem beneficij, illud pro suo vsu retinere non potest, seù sibi conferre, *ex cap. Ad aures 3.*
† Committentes peccatum sodomiæ, si sint Clerici, debent eijci à Clero, & in Monasterium detrudi; si Laici, excommunicari debent, *ex cap. Clerici 4.* Pius Quintus in sua Constitutione incipiente *Horrendum scelus* de anno 1568. sub datum Romæ die tertia Septembris, rigidiùs cōtrà sodomitas duxit procedendum, per quam omni priuilegio Clericali, officio, & beneficio, & dignitate priuati degradantur, ac brachio sæculari traduntur, vt ab illis illud capiāt supplicium, quod in Laicos.

3 Priuilegiatus non tenetur parere Superiori contrà tenorem sui priuilegij, & ideò subditi non tenentur obedire Superiori in his, in quibus sunt liberi per priuilegiū Papæ; & ideò Abbas non tenetur obedire Episcopo, quando agitur de libertate Ordinis concessa à Papa, *ex cap. Sanè 5.*

4 Vicarius, qui contrà iuramentum præstitum in Ecclesia vsurpat sibi Personatum, ad executionem sui officij admitti nō
† debet, *ex cap. Illud 6.* Excommunicatio lata contrà priuilegiatum, quia non obediuit in his, in quibus erat priuilegiatus, est nulla, *ex cap. Cum ad quorumdam 7.*

5 Sicut Episcopi sine consensu Papæ non possunt vnire Episcopatus; sic nec Prælatus inferior potest suam Ecclesiam, vel sibi subiectam alteri vnire, sine Episcopi cōsēsu, *ex cap. Sicut vnire 8.*
† Clericus, qui de suo crimine publicè gloriatur, propter quod scandalum secutum est, ab officio, & beneficio suspendi debet, *ex cap. Quam sit graue 9.*

6 Episcopus præstans causam directè, vel indirectè homicidio committendo, eo cōmisso, est irregularis, & priuari debet officio Pontificali, & Sacerdotali, & ab administra-

nistratione Episcopatus remoueri, *ex cap. Si litteris* 10. & ideò prohibitum est Episcopo indicere purgationem ferro candenti.

7 Beneficia Ecclesiastica non sunt conferenda indignis, vt vsurarijs, aleatoribus, &c. *ex cap. Inter dilectos* 11. Ratio, quia sunt infames, & infamibus non conferuntur beneficia.

8 Cognoscere de causa matrimoniali spectat ad dignitatem Episcopalem; Vndè inferior Prælatus de his se intromittere nō debet, nisi ei competat de iure speciali, *ex cap. Accedentibus* 12. Item publicas pœnitentias, & Indulgentias iniungere, *ex cap. cit.*

9 Confessarius nullo modo potest cogi ad reuelandū peccatorē, siuè peccatū auditū in confessione, *ex cap. Dilectus* 13. etiamsi id
† præciperetur sub excommunicatione. Qui non faciunt vnum corpus, nec Collegium constituere possunt, nec habere commune sigillum, nisi à Superiore concedatur, *ex cap. Dilecta* 14. Vndè plures beneficiati Ecclesiæ Parochialis non possunt constituere, quia non faciunt vnum corpus.

10 Qui contrà iuramentum negat putatum esse suum Dominum, vel coram Iudice seculari, de Episcopo cōqueritur, vel ipsum inuadit, debet deponi, *ex cap. Grauen.* 15. Vndè Archidiaconus, qui negauit, Episcopū esse suum Dominum, tamquàm periurus punitur.

11 Præcipitur Episcopis, nè grauamina inferant Religiosis circà Sacramenta, sepulturas, Missas, eleemosynas, & oblationes, *ex cap. Nimis* 1. 16. vbi Episcopis etiam mandatur, vt desistant grauare Prædicatores, & minores, & enumerantur duodecim grauamina, *ex cap. Nimis* 2 17.

12 Non seruans interdictum, suspensus est ab officio, & beneficio, & ab omni iurisdictione, *ex cap. Tanta* 18.

PARAG. II.

Continuatur Textus eiusdem materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Mendicantes Religiosi non possunt recipere de nouo domos.*

† *In quibus casibus possint recipere, &c.*

1 Mendicantes Religiosi non possunt recipere de nouo domos, vel loca quæcunque, seù recepta mutare, vel alienare in alios sine licentia Papæ, & de hac prohibitione mentionē specialitèr faciēte, & secùs fiat, irritum sit; per hæc tamen non interdicitur, vt qui de licētia suorum Superiorum voluerit agere vitam hereміticam, seù solitariam, non possit eligere, seù acquirere, ac mutare domos in Heremo, seù locis solitariis, vbi non habitant sæculares, *ex cap. Cùm ex eo vnic. de excessibus Prælatorum in 6.* Lex decem Prouincialibus Minorum concessit priuilegium transferendi ex causa necessaria Ecclesias, & Monasteria, tàm Fratrum, quàm Monialium ab vno loco ad aliū, & conuertendi priora loca ad humanos vsus, prout expedire visum fuerit. Suarez *de censuris disput.* 23. *sect.* 5. *num.* 35. Toletus *lib.* 1. *cap.* 40 *num.* 13. Filliuc.
† *tract.* 14. *cap.* 8. *quæst.* 8. *num.* 145 Licitum est Religiosis antiquas domos reficere, nō enim est recipere domos: Item licitum est domum in alio oppido acquirere, recreationis gratia, vel hospitijs. Bonac. *de censuris extrà Bullam disp.* 20. *qu.* 8. *nu.* 4.

TITVLVS XXXVI.

De Pœnis.

SVMMARIVM.

1 *Pœna quid sit.*

† *Pœna triplex est.*

2 *Pœnæ positiuæ, quæ ad sui executionem requirunt actionem hominis, quando incurrantur.*

† *Item pœnæ, quæ nullam actionem requirunt.*

3 *Pœna conuentionalis quando sit debita.*

1 Pœna est læsio, quæ punit vindicans, quod quisque commisit, *cap. Pœnitentia est*
† *quædam, dist.* 3. quæ secundùm Iuris-peritos duplex est: Vna secundùm se considerata, & altera ex parte causæ pœnam inferentis: secundùm se considerata, triplex est: Prima, spiritualis: Secunda, corporalis: Tertia est pecuniaria: ex parte causæ pœnam inferentis, etiam triplex est: Vna legalis, quæ à lege decernitur: Altera iudicialis, quam in particulari causa Iudex imperat: Tertia, conuentionalis, quæ partium contrahentium consensu statuitur, soluēda ab eo, qui à contractu recesserit, vel in mora culpabili fuerit restituendi debiti.

2 Pœnæ positiuæ, quę ad sui executionem requirunt actionem hominis, siuè imponantur ipso iure, ipso facto non incurruntur sine sententia Iudicis, nisi manifestè appareat, talem esse legislatorum intentionem, vt velit, delinquentem pœnam subire ante Iudicis sententiam; ità Cou. *de matrim. par.* 2. *cap.* 6. §. 8. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 29. *dub* 8. *num.* 67. Azorius *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *qu.* 4. & alij: secùs autem in pœnis, quæ nullam actionem ad sui executionem requirunt, qualis pœna est inhabilitas ad aliquid fa-
† ciēdum, priuatio vocis actiuę, &c. Verùm non tenetur peccans has pœnas subire absq; sententia declaratoria, quoties hoc nequit facere absque infamia, &c. Ratio, quia ad famam conseruādam tenetur iure naturæ, quod præponderat iuri humano.

3 Pœna conuentionalis an sit debita in foro conscientiæ, quando non imponitur pro interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, Prima sententia est Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 37. *nu.* 4. & aliorum negantium, pœnam conuentionalem esse soluēdam ante Iudicis sententiam: Secunda est Couar. & aliorum asserentium, pœnam conuentionalem soluendam esse ante Iudicis sententiam: Ratio, quia hæc videtur intentio contrahentium, vt violans fidem, soluat pœnam; tùm etiam quia quod debetur ex contractu, soluendum est, nulla expectata sententia Iudicis, & licèt vtraque sententia sit probabilis, tamen hæc secunda videtur probabilior.

PA-

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum. De Pœnis.

SVMMARIVM.

1 *Delinquens toties puniendus est, quoties reiterat delictum.*
† *Pœna interficientis Presbyterum.*
2 *Prælati pro pœna pecuniam exigere non debent.*
3 *Victus victori in expensis condemnandus est.*
† *Limitatur in aliquibus casibus.*
4 *Sacerdos gubernans nauem, quando sit deponendus.*
† *Clericus pro magno scelere commisso deponi debet.*
† *Contrahentium vterque si venit contrà contractum, vterque tenetur ad pœnam, &c.*
5 *Testis, si propter vacillationem incarceratus, non est infamis.*
† *Pœnam non incurrit, qui determinato tempore soluit maiorem sortem debiti.*
6 *Pœna occidentis Prælatum.*
† *Item prorumpentis contrà Iudicem.*
7 *Patroni, &c. pœna vendicantes in suis Ecclesijs plus, quam iura permittant.*
8 *Sordescens in excommunicatione, quomodo sit suspectus de hæresi.*

1 CRiminosus toties puniendus est, quo-
ties delictum reiterat, *ex cap. Ea 1. de pœ-
nis*, quia iteratio eiusdem criminis ex in-
† teruallo, nouum delictum est. Interfector
Presbyteri puniendus est, & dimidia pars
pœnæ tribuenda est Ecclesiæ, cui præfuit,
& altera pars tribuenda est pauperibus
pro anima mortui, *ex cap. Presbyteri 2.*
2 Non debent Prælati pro corrigendis ex-
cessibus, & peccatis pecuniam exigere à
† Clericis, vel Laicis, *ex cap. Licèt 3.* Item pro
annua exactione non suspendant suspen-
siones, nec Ecclesias interdicant, &c. & si
alitèr fecerint, sunt excommunicati, non
obstante appellatione, *ex cap. citato.*
3 Victus victori condemnatur in expen-
sis, etiam in causis pecuniarijs, quando
fertur sententia pro præsenti, quia secùs
† pro absenti, *ex cap. Calumniam 4.* Limitatur
tamen in Fisco victo, qui non condemna-
tur in expensis, sicut etiam quando existit
iusta causa litigandi, quæ aliquando ex-
cusat à pœna expensarum: Item nè proce-
dat, dum quis ex probatione semiplena, &
oblationem iuramenti suppletorij obti-
nuerit, &c.
4 Sacerdotes, qui gubernant nauem, &
pugnant, & qui personalitèr conflictum
exercent, & alios inuitant ad pugnādum,
omnes sunt deponendi, *ex cap. Quod in dubijs*
† 5. Clericus in magnis criminibus deprehē-
sus deponi debet, & detrudi in Monaste-
rium ad agendum pœnitentiam, *ex cap. Tuæ*
† 6. Quando duo aliquem contractum inter
se faciunt, & opponunt pœnam contrà nō
obseruantem, si vterque non obseruat,
vterque incurrit pœnam, sed fit compen-
satio pœnarum, *ex cap. Constitutus 7.*
5 Testis, qui propter vacillationem incar-
ceratur, non illicò incurrit infamiā, *ex cap.*
† *Super his* 8. Obligatus soluere certam quan-
titatem certo die, si soluit maiorem partē
debiti, non incidit in pœnam propter mi-
norem partem non solutam, *ex cap. Suam 9.*
6 Occidentes Prælatum priuantur bene-
ficijs, & feudis, quæ habent in Ecclesia, cui
præerat Prælatus, & nec ipsi, nec hæredes
possunt habere eadem beneficia, vel alia
† quælibet de nouo, *ex cap. Ad aures 10.* Pro-
rumpens contrà Iudicem, arbitrio Supe-
rioris punitur, *ex cap. Dilectus 11.*
7 Patroni, Aduocati, Vice-Domini ven-
dicantes in suis Ecclesijs plus, quàm iura
permittant, per censuram compellendi
sunt, & si occidant Rectorem, vel Clericū,
perdunt, quod habent ab Ecclesia, & eo-
rum posteri vsque ad quartam generatio-
nem, non admittuntur ad Clerum, nec in
Religionibus præficiuntur, *ex cap. In quibus-
dam 12.*
8 Sordescens in excommunicatione per
duos annos, est suspectus de hæresi, & do-
mino excommunicato manente, manent
subditi à iuramento fidelitatis exempti,
quamdiù remanet in excommunicatione,
ex cap. Graueni 13.

PARAG. II.

Continuatio eiusdem materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Metropolitanus potest punire percutientes se, &c.*
† *Degradatio qualitèr sit facienda.*
2 *Carceris inuentio, finis.*
3 *Pœna imposita alicui quibus extendatur.*
4 *Pœna hostilitèr insequentes Cardinalem.*

1 MEtropolitanus, dùm visitat suam
Prouinciam, potest punire percutiē-
tes se, vel suos Nuncios, &c. vel dùm iuris-
dictionem exercet, dummodò iniuria illa-
† ta sit notoria, *ex cap. Romana de pœnis in 6.* De-
gradatio, siuè depositio à proprio Episco-
po fieri debet sibi assistentibus Archiepi-
scopis; si degradatur Presbyter, siuè Epis-
copus, duodecim Episcopis: si verò Diaco-
nus, siuè Subdiaconus, tribus Episcopis,
cap. Si autem Presbyteri cap. Degradatio 2. in 6.
2 Carcer licèt sit inuentus ad custodiam,
tamen conuictis, vel confessis de crimine,
potest dari in pœnam in perpetuum, vel
ad tempus, *ex cap. Quamuis 3.*
3 Pœna ab homine, vel à iure imposita
alicui, eius filijs, vel posteris vsque ad cer-
tam generationem non extenditur, ad de-
scendentem ex linea fœminina, si aliud in
iure non sit expressum, *ex cap. Vbicumque 4.*
4 Cardinalē hostilitèr insequens, est Reus
læsę Maiestatis: Item cooperantes: item
infamis, bannitus non potest testari, &c. *ex
cap. Felicis 5.*

TI-

TITVLVS XXXVII.

De Pœnitentijs, & remissionibus.

Textus Sacrorum Canonum.

De Pœnitentijs, & remissionibus.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia consideratur dupliciter.*
2 *Peccata manifesta quomodò purgantur.*
3 *Occidentis Presbyterum pena.*
† *Penitentia arbitraria imponēda est illi, qui excessit modum se defendendi.*
4 *Indulgentiæ concessæ à Prælatis, quibus prosint.*
† *Penitens non est, qui non habet animum non deserendi peccatum.*
† *Obligatus ieiunare pane, & aqua, deficiente pane, ad quid obligetur.*
5 *Quæ penitentia detur Sacerdotibus Græcis, quorum filij reperiuntur in lectis mortui.*
† *Circumstantiæ pœnitentiæ arbitrariæ.*
6 *Penitentia non est deneganda mulieri adulteræ.*
† *Abbatissa non potest Moniales benedicere, &c.*
7 *Tempore Interdicti generalis, quæ concedantur.*
8 *Quando obligetur confiteri doli capax.*
† *Confessarius directè, vel indirectè non potest prodere penitentem.*
9 *Medici vocati ad infirmos quid debeant agere.*
10 *Eleemosynarum questores non debent admitti sine debita licentia.*
11 *Archiepiscopi, quibus possint concedere Indulgentias.*
† *Qui possint sibi eligere Confessarium.*

1 Pœnitentia consideratur, vt est virtus, & Sacramentum, & quia iam de ea loquuti sumus: Idcirco breuitèr hic aliqua solùm breuitèr attingam.

2 Peccata manifesta nō sunt occulta correctione purganda, *ex cap. Manifesta de pœnit. & remiss.*

3 Occidens Sacerdotem, duodecim annos debet pœnitere, & si est conuictus, & miles carere debet cingulo militari per totum tempus suæ vitæ, & manere absque spe coniugij, *ex cap. Quæ Presbyterum* 2. Consideratis circumstantijs, arbitraria pœnitentia indicenda est ei, qui pro libertate sua, vel pro Ecclesia pugnat; si multum excedit, nè pro asperitate Pœnitentię ipsi, vel alij retardentur ad defensionem Ecclesiæ, *ex cap. Significauit* 3.

4 Indulgentiæ concessæ à Prælatis prosunt tantùm suis subditis, *ex cap. Quod autem*, quia alienis Indulgentia concedi non potest, cùm talis concessio sit actus iurisdictionis, qui in subditos solum exercetur. Non est verè pœnitens, qui peccandi animū non deponit, *ex cap. Quod quidam* 5. Qui ex pęnitētia debet certa die in pane, & aqua ieiunare; potest deficiente pane, alijs cibis non delicatis vti, *ex cap. Licèt* 6.

5 Sacerdotes Græci procurantes, vel studio negligentes oppressionem filiorum, deponuntur, & si crimen est publicum, publicè puniuntur, *ex cap. Quæsitum* 7. Sacerdotis arbitrio pœnitentia est moderanda, non secundùm quantitatem excessus, sed moderatè, considerata contritione, & qualitate personæ, *ex cap. Deus, qui* 8.

6 Pœnitentia non est deneganda mulieri, quæ de Adulterio concepit, nec etiam mulieri, quæ inscio viro, supposuit sibi partum, nè hæreditas mariti transeat ad alienos, *ex cap. Officij* 9. Abbatissa non potest Moniales benedicere, neque earum confessiones audire, nec publicè prædicare, quia tale munus, nec Beatæ Mariæ Virgini fuit concessum, licèt fuerit dignior Apostolis, *ex cap. In noua* 10.

7 Tempore Interdicti generalis conceditur morientibus Viaticum, & Pœnitentia: Secundò, Clerici, qui seruauerunt Interdictum, possunt cum silentio in cæmeterio sepeliri: Tertiò, In Conuentualibus Ecclesijs possunt Clerici bini, vel terni horas submissa voce dicere: Quartò, Cruce signatis, & Peregrinis, tempore Interdicti pœnitentia concedi potest, *ex cap. Quòd in te* 11.

8 Quilibet doli capax tenetur, saltem semel in anno, confiteri proprio Sacerdoti, vel de eius licentia alteri, & Eucharistiæ Sacramentum ad minus in Pascha recipere: Sacerdos cauere debet, nè verbo, vel signo, aut alio quouis modo, prodat peccatorem; si secùs fecerit, deponēdus est, & in Monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam, detrudendus, *ex cap. Omnis vtriusque sexus* 12.

9 Medici vocati ad infirmos, debent antè omnia suadere illis, vt confiteātur: Sępè enim peccatū est causa infirmitatis, & medicus, qui transgreditur tamdiù, ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec competentèr satisfecerit: Item Medicus sub pœna excōmunicationis nō adhibeat ægroto aliquid pro salute corporali, quod sit in præiudicium animæ, *cap. Cùm infirmitas* 13. Et ideò Pius V. in suo motu proprio edito anno 1560. incipiente *Supra Gregem Dominicū*, statuit vt Medici, vltrà tertiū diē ęgrotum non visitent, nisi de Infirmi cōfessione fidem habeant; & Collegio Medicorum præcepit, vt cùm licentiā medēdi alicui concesserint, aut ad gradum Doctoratus promouerint, exigant ab eo iuramentum hæc seruandi. Syluestr. *verb. Medicus num.* 3. Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 30. Nauar. *in Man. cap.* 25. & alij.

10 Eleemosynarum quęstores, sine Apostolica, vel Ordinariorum licētia admitti non debent, & non proponant nisi id, quod in litteris continetur, & sint modesti, & discreti, non hospitentur in tabernis, &c. *ex cap. Cùm ex eo* 14.

11 Archiepiscopus potest concedere Indulgentias intrà suam Diœcesim, secundùm formam Concilij generalis, *ex cap. Nostro* 15. Episcopi, & Superiores, & Prælati minores possunt sine licentia Superioris eligere sibi prouidum Confessorem, *ex cap. Ne pro dilatione* 16. quod priuilegium extenditur etiam ad suffraganeos inuito Archiepiscopo, & Cardinalibus, quibus communicatur priuilegium concessum Episcopis, & Prælatis exemptis. Henriq. *in Sum. lib.* 6. *cap.* 13. §. 3. Paul. Comitol. *resp. mora.*

moral.lib.1.quaest.150.num.4. Azor. *par. 2. lib.4. cap.3. quaest.6.* & alij.

PARAG. VNIC.
Continuantur Textus de Pœnitentijs, &c.

SVMMARIVM.

1 *Quaestoribus, &c. non potest dari licentia citandi, benè tamen monendi.*
2 *Confessarius generalitèr electus non habet facultatem absoluendi à reseruatis.*
3 *Indulgentia, &c. non habent vires, si excedunt statutum Concilij generalis.*

1 QVæstoribus, v. g. pro fabrica Ecclesiæ dari non debet ab Ordinario facultas citandi Laicos, sed satis est, vt soleāt charitatiuè monere: In concedendis quoque Indulgentijs Archiepiscopus non excedat statutum, *ex cap. Cum Romana 1. de pœnitent. & remiss. in 6.*

2 Episcopus, quando concedit suo subdito, vt possit eligere Confessorem idoneū, electus nō potest absoluere à casibus specialitèr reseruatis Episcopo, quia in generali concessione non veniunt illa, quæ verisimilitèr in specie non esset quis concessurus. Nulla quoque potest introduci consuetudine, quod aliquis præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absoluere, &c. *ex cap. Si Episcopus 2.*

3 Indulgentiæ, quæ ab vno, vel pluribus Episcopis in Dedicationibus Ecclesiarū, vel alijs casibus conceduntur, non habēt vires, si excedunt statutum Concilij generalis, *ex cap. Indulgentia 3.* Valent tamen vsque ad facultatem cōcessam inclusiuè, quia numerus dierum est separabilis, quo casu vtile per inutile vitiari non debet. Azor. *par. 2. lib. 3. cap. 55. quaest. 6.* & alij.

TITVLVS XXXVIII.
De Excommunicatione.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio est censura Ecclesiastica, &c.*
† *Diuisio eiusdem.*
2 *Diuiditur etiam in iure, & ab homine, &c.*
3 *Excommunicatio ab homine, à quo ferri possit.*
4 *Causa materialis excommunicationis duplex, &c.*
5 *Mandantes, consulentes, &c. quando incurrant excommunicationem.*
6 *Causa materialis excommunicationis, quæ.*
7 *In ferenda excommunicatione, quæ seruanda.*
8 *Excommunicatio lata per statutum non ligat existentes extrà territorium.*
† *Secus verò si sit lata per modum sententiæ.*
† *In ferenda censura est seruanda circumstantia temporis, &c.*

1 EXcommunicatio est Censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur consortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragijs. Toletus *lib. 1. cap. 4.* Nauar. *cap. 27. num. 1.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quaest. 17. punct. 1.*
† & alij, *ex cap. Cùm omnis Christianus.* Et diuiditur in excommunicationem maiorem, & minorem, quæ priuat solùm participatione passiua Sacramentorum: Maior verò tribus supradictis bonis enarratis.

2 Diuiditur etiam excommunicatio in illam, quæ est à iure, & in alteram, quæ est ab homine. A iure illa est, quæ per aliquē Canonem, vel Statutum, vel Constitutionem fulminatur. Ab homine illa est, quæ per aliquem Iudicem fertur, & vtraque, tàm à iure, quàm ab homine, vel est latæ, vel ferendæ sententiæ. In excommunicatione latæ sententię ponitur verbum præteriti temporis; In excommunicatione verò ferendæ sententiæ verbum futuri temporis.

3 Excommunicatio ab homine, ab illo ferri potest, qui habet iurisdictionem ordinariam, vel delegatam non impeditam; & ideò fęmina, vel Laicus non potest excommunicare, nec simplex Sacerdos, licèt Curatus sit, quia ij omnes non habent iurisdictionem exteriorem; Ex dispensatione Summi Pontificis possunt: Ratio, quia talis Delegatio non est contrà ius Diuinum, & naturale, licèt non legatur, talem facultatem fœminæ concessā fuisse. Paludan. *in 4. dist. 18. quaest. 1. art. 3.* Nauar. *cons. 71. de sent. excomm.* Sotus *dist. 20. quaest. 1. art. 4.* Vgol. *tabula 1. cap 2. §. 7.* & alij.

4 Causa materialis excommunicationis duplex est, vna proxima, & altera remota. Proxima est peccatum mortale, non internum, sed externū consummatum, & non sufficit peccatum præteritum, nisi habeat contumaciam præsentem adiunctā, & actio externa debet esse perfecta in ratione integritatis: Vndè, quis non incurreret excommunicationem latam contrà occidentes: si actio externa esset solùm inchoata, & non totalitèr perfecta: Item actus debet esse perfectus in esse morali, idest, vt adsit verus animus, & intentio, v. g. occidendi, quibus deficientibus, nō incurreretur excommunicatio propter actum incompletum in esse morali, quia potius censeretur effectus casualis, quàm voluntarius.

5 Mandantes, consulentes, &c. effectum prohibitum sub excommunicatione, ipsam non incurrunt, nondùm secuto effectu: quod tamen intelligendum est, quando mandatum, consilium fuit prohibitū accessoriè, quia secùs esset, si ęque principalitèr prohiberentur, ac effectus.

6 Causa materialis remota excommunicationis est homo, viator, baptizatus, determinatus, inferior, subditus: Dicitur, baptizatus, quia infideles, sicut & Cathecumeni non possunt excommunicari: Dicitur secundò, determinatus, quia Vniuersitas, vel Collegium non potest excommunicari per sententiam, nisi in particulari distinguantur excommunicandi: Dicitur tertiò, inferior, quia nullus seipsum excōmunicare potest: Dicitur vltimò, subiectus, quia debet esse iuridictioni excom-

municantis subiectus.

7 In ferenda excommunicatione non sunt necessaria verba præscripta: tamen quando profertur excommunicatio, requiritur primò, vt præcedat trina monitio: Vrgente necessitate, sufficiens erit vna, quæ virtualitèr contineat tres admonitiones, & excõmunicatio feratur verbo, aut scripto, cum expressione causæ ipsius excommunicationis: Item requiritur ad validitatem excommunicationis causa rationabilis, & manifesta: Item requiritur, vt seruetur circumstantia loci, seu proprij territorij, quando ad istam ferendã opus est contentiosa iurisdictione, quæ nequit extra territorium exerceri absque licentia Ordinarij: secus autem quando non est opus iurisdictione contentiosa, quia tunc excommunicatio potest fieri in alieno territorio.

8 Excommunicatio lata à Superiore per statum contrà delinquentes; existentes in alieno territorio non ligat, quia Ius-dicenti extrà territorium non paretur impunè:
† Si verò erit lata per modum sententiæ, afficit personam subditam, etiamsi existat extrà territorium, siuè sit lata per sententiam generalem, siuè specialem: Item in excommunicatione seruanda est circumstantia temporis: Item quod quando fuerit lata contrà determinatam personam, ei denuncietur de mandato Superioris. Causa autem finalis excommunicationis est resipiscentia idest vt ob bonum quis se conuertat, &c.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Primus effectus excommunicationis quis.*
2 *Excommunicationis maioris effectus.*
3 *Priuat etiam participatione Diuinorum, &c.*
4 *Excommunicatus est inhabilis ad beneficia, dignitates, pensiones, &c.*
5 *Priuatur etiam iurisdictione.*
† *Gesta ab excommunicato, quando sint valida.*
6 *Priuatur etiam communione ciuili, &c.*
† *Excipiuntur aliqui casus.*
7 *Priuatur communione in actionibus fori ciuilis.*
8 *Effectus excommunicationis minoris.*

1 PRimus effectus excommunicationis est priuatio omnium Ecclesiæ suffragiorum, quibus etiam priuatur excommunicatus toleratus, etiamsi occultè sit excommunicatus. Publicus Clerici percussor priuatur etiam omnibus suffragijs. Excommunicatus contritus, & per pœnitentiam Diuinæ gratiæ restitutus nõ priuatur fructu sacrificij Missæ: Ratio, quia sacrificium Missæ habet effectum in his, qui per fidem, & charitatem Christo vniuntur; & ideo cùm excommunicatus sit Diuinæ gratiæ restitutus, ideò non priuatur fructu sacrificij, & aliorum suffragiorum merè internorum.

2 Excommunicatus maiori excommunicatione priuatur participatione actiua, & passiua Sacramentorum; ità *ex cap. Si celebrat, de sent. excommunic.* Verùm si excommunicatus recipiat Sacramenta, validè, sed illicitè ea recipit quoad substantiam: Ratio, quia in receptione Sacramentorum adsunt omnia requisita ad validitatem Sacramenti. Excipitur tamen Sacramentũ Pœnitentiæ, quod non validè recipitur ab excommunicato vitando, nec validè confert excommunicatus vitandus, excepto casu extremæ necessitatis: Sacramenta verò administrata ab excõmunicato tolerato valida sunt: Ratio, quia per excommunicationem occultam non priuatur iurisdictione administrandi Sacramentum.

3 Priuatur etiam excommunicatus participatione Diuinorum Officiorum, & sacrarum rerum: priuatur etiam Ecclesiastica sepultura, cùm sit quædam participatio in Diuinis: si verò in articulo mortis fuerit absolutus, tunc potest sepeliri in loco sacro: Ratio, quia per absolutionem sublata est excommunicatio.

4 Excõmunicatus est inhabilis ad beneficia; vndè excommunicatus, siuè toleratus, siuè vitãdus est, inhabilis ad beneficia cõsequẽda, ad dignitatẽ, & officia Ecclesiastica ideò collatio beneficij facta excommunicato est inualida: Acceptatio tamen beneficij collati ante excommunicationem est valida: Ratio, quia iura solùm irritãt collationem, nõ autem acceptationem: Item impetratio litterarum obtenta ab excommunicato, est inualida: Collatio pensionis facta excommunicato est nulla, modò sic pensio tituli Clericalis, non autem sæcularis, quia huiusmodi pensio est quid Ecclesiasticum: Item excõmunicatus est priuatus fructibus sui beneficij: Ratio, quia beneficium, & fructus dantur propter officium; cùm autem excommunicatus sit priuatus officio, ità etiam fructibus, ideòq; in conscientia non facit fructus suos, sed tenetur eos restituere: qui verò est iniustè excõmunicatus, & cogitur à Choro abesse, potest percipere fructus, & distributiones: Ratio, quia nullus absque sua culpa debet pati incommodum; vndè potest repetere distributiones, quæ alijs Canonicis fuerunt datæ. Filliuc. *lib. 12. nu. 133.* Vgolin. *tab. 2. cap. 12. nu. 4.* & alij.

5 Excommunicatus priuatur etiam iurisdictione Ecclesiastica; ità vt gesta per ipsum sint innalida, quoties fiunt ex officio, tamquàm iurisdictionis propriæ; ità *ex cap.*
† *Audiuimus 24. quæst. 1.* Gesta verò ab excommunicato vsu iurisdictionis non propriæ, valida sunt; vndè Parochus excommunicatus, validè assistit matrimonio, & validè concedit alteri facultatem assistendi: Ratio, quia talis assistentia non est actus iurisdictionis propriæ: Acta verò ab excommunicato tolerato, ratione publici officij valida sunt; ità Nauar. *cap. 27. num. 21.* Auila *2 par. disp. 6. cap. 6. dub. 3.* Suar. *disp. 14. sect. 1. nu. 8.* Reginal. *lib. 8. nu. 47. & 48.* & alij.

6 Excommunicatus priuatur etiam com-
† munione ciuili, & ideò alij non possunt cum ipso cõmunicare, nec ipse cum alijs, & ideo hæc prohibentur,

Os,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

In subsequentibus casibus excusantur fideles à peccato, participādo cum excommunicato.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

7 Priuatur etiam, excommunicatus communione in actionibus fori ciuilis; ità vt excommunicatus nō possit esse Iudex, vel Actor, &c. Quod non modò dicitur de excommunicato vitando; sed etiam de tolerato, qui tenetur vitare alios: in gratiam tamē aliorum, si cùm ipso agant, potest & ipse vicissim agere, & quantùm postulat aliorum causa.

8 Excommunicatio minor est censura Ecclesiastica, priuans participatione passiua Sacramentorum, & Ecclesiastici beneficij; ità *ex cap. Si celebrat de Clerico excommunicato minist.* Non priuat tamen administratione licita Sacramentorum. Nauar. *cap. 27. num. 24.* & alij communitèr: Priuat etiam passiua electione, præsentatione, & collatione beneficij; ità vt non possit eligi, & si eligatur, electio est nulla; ità *ex cap. Si celebrat. de Clerico excomm. ministr.*

P A R A G. II.

Textus Sacrorum Canonum.

De sententia excommunicationis.

S V M M A R I V M.

1 *Excommunicatio, &c. quomodo sit ferenda à Iudice.*
2 *Quomodo quis possit absolui ad cautelam.*
3 *Excommunicatio maior lata contrà participantes, &c. canonica monitione non præmissa, non tenet.*
4 *Episcopi non incurrunt sententiam Interdicti, &c. nisi de illis expressè fiat mentio.*
† *Archiepiscopus non potest relaxare censuras latas ab inferioribus, antequam recurratur ad immediatos superiores.*
5 *Prælatus contrà potentiam temporalem potest vti gladio spirituali.*

1 IVdex, qui excommunicat, suspendit, &c. in scriptis hoc faciat, & causam cōscribat, & requisitus, exemplum sententiæ tradat infra mensem, *ex cap. Cum medicinalis 1. de sentent excommunic. in 6.* Excommunicans, non seruato præscripto ordine, est suspensus per mensem, & si infrà mensem exequitur Diuina, fit irregularis, *ex eodem cap.*

2 Excommunicatus, quando petit absolui à Superiore, ad cautelam dicens excommunicationem esse nullam, tunc est absoluendus, licèt excommunicato aduersarius se opponat, nisi obijciat, quod sit excommunicatus pro manifesta offensa, & si hoc dictum infrà octo dies probet, non absoluetur, nisi priùs sufficientē præstet emendam, seù competentem cautionem parendi iuri; si offensa est dubia, proponat, *ex cap. Solet 2.*

3 Iudex non potest excommunicare maiori excommunicatione participantes cum excommunicatis ab eo, nisi præmittat canonicam monitionem, saluis tamen constitutionibus latis contrà eos, qui præsumunt participare in crimine damnato; alitèr autem in participantes excommunicatio lata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare, *ex cap. Statuimus 3.*

4 Episcopi non incurrunt sententiam Interdicti, vel suspensionis, nisi in ipsa sit expressa mentio de Episcopis, *ex cap. Quia periculosum 4.* Officiales Archidiaconorum, &c. quando excommunicant suos subditos, † vel, &c. non potest Archiepiscopus relaxare sententias illis subditis, antequàm recurratur ad immediatos Superiores, nisi sit consuetudo in contrarium, *ex cap. Romana 5.*

5 Prælatus contrà potentiam temporalē etiam spirituali gladio potest se tueri, idest excommunicatione, aut interdicto, &c. quia omnia iura permittunt singulis vim vi repellere, &c. *ex cap. Dilecto 6.*

P A R A G. III.

S V M M A R I V M.

1 *Quis possit absoluere ab excommunicatione minori.*
2 *Item ab excommunicatione lata à iure reseruata.*
† *Episcopus potest absoluere ab excommunicationibus Papæ reseruatis, quando delictum est occultum.*
3 *Item habentes legitimum impedimentum, &c.*
4 *Ab excommunicatione à iure nemini reseruata, quilibet Confessarius potest absoluere.*
5 *Quis possit absoluere ab excommunicatione lata ab homine.*
6 *Inuitus, & absens, ab excommunicatione possunt absolui.*
7 *Qui habet facultatem ordinariam, potest absoluere, etiam non satisfacta parte.*
† *Secus de habente facultatem delegatam.*
8 *Quilibet Sacerdos potest absoluere in articulo mortis.*

1 AB excommunicatione minori potest absolui quilibet Sacerdos approbatus ad audiendas confessiones, *ex cap. Nuper de sentent. excommunic.* licèt probabilis sit etiam sententia. Nauar. *cap. 2. num. 25.* Toletus *lib. 1. cap. 11.* & aliorum dicentium, quod sicut simplex Sacerdos potest absoluere pœnitentem habentem solùm venialia; ità etiam posse absoluere ab excommunicatione minori.

2 Ab excommunicatione lata à iure, & reseruata ille solùm potest absoluere, cui facta est reseruatio; nimirùm si Papæ, solus Papa, si Episcopo, Episcopus tantùm, † &c. Episcopus tamen ex cōmissione Concilij Tridentini *sess. 24. de reformat. cap 6.* potest absoluere ab omnibus excommunicationibus Sedi Apostolicæ reseruatis; dummodò fuerint occultæ, & non deductæ ad forum contentiosum in sua Diœcesi, non modò per seipsum, sed etiam per propriū Vicarium ad id specialitèr deputandum, imposita salutari pœnitentia, & id etiam procedere in casibus Bullæ Cœnæ, vt docet Nauar. *lib 5. consil. tit de sentent. excommunic. consil. 43.* Ratio, quia nulla esset ratio, cur Concilium specialem mentionem faceret hæresis, quoad eam suam restringens facultatem,

restituant, vel satisfaciant, *ex cap. Quicunque ll. de sentent. excommunic. in 6.*

Si Iudex Laicus detineat captum malefactorem, qui dicit se esse Clericum, ideò petat remitti ad Ecclesiasticum, vel Iudex Ecclesiasticus illum repetat, cognitio huius causæ spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, vocato tamen Iudice seculari: verùm si notorium sit, vel fama publica, quod ille sit Clericus, tunc statim incontinenti, etiam ante cognitionem, an ille sit Clericus, debet restitui Curiæ Ecclesiasticæ, *ex cap. Si Iudex Laicus 12.*

Excommunicatus post legitimam appellationem, si per negligentiam non fuerit eandem appellationem prosecutus, post tempus elapsum non ideo conualescit excommunicatio lata, sed delapso tempore est publicè denunciandus excommunicatus, & est vitandus in iudicio, & extrà illud, donèc doceat, quod fuit excommunicatus post appellationem, vel aliàs de nullitate excõmunicationis, *ex cap. Licèt 14.*

PARAG. VI.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sint excommunicationes Papæ reseruatæ in Bulla Cœnæ.*

1 Excommunicationes Papæ reseruatæ in Bulla Cœnæ sunt: Primò, hæretici, & Apostatæ à fide, & eorum receptatores, & fautores, & scientèr eorum libros continentes hæreses, vel de Religione tractantes, retinentes, &c. Schismatici: Secundò, appellãtes ad futurum Concilium generale dantes auxilium, &c. Tertiò, piratæ, &c. discurrentes maris Summi Pontificis, eorum fautores, &c. Quartò, surripientes bona Christianorum naufragantium, &c. Quintò, imponentes noua pedagia, & imposita augentes: excipiuntur tamen, qui habent supremam potestatem: Sextò, falsificantes litteras Apostolicas, &c. Septimò deferentes equos, arma, &c. infidelibus: Octauò, impedientes, qui victualia Romã adducunt, inuadẽtes eos, qui prædicta aduchunt, &c. Defendentes, qui prędicta faciũt: Nono, interficiẽtes, &c. vsurpantes sibi iurisdictionem Sũmi Põtificis: Decimò, interficiẽtes, &c. Romipetas, morantes in Vrbe, recedẽtes ab Vrbe, dãtes auxiliũ, &c. Vndecimò, interficiẽtes, &c. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, &c. Duodecimò, occidentes, &c. recurrentes ad Romanam Curiam, &c. ob lites, &c. exequentes per alios procurantes, &c. Decimo-tertiò, recurrentes ad Laicam potestatem, &c. capientes aliquam ex personis, quæ sunt partes actrices, &c. Decimo-quartò, anocantes causas spirituales ab Auditoribus Curiæ Romanæ, &c. impedientes earumdem causarum cursum, &c. & commnnicationem litterarũ Apostolicarum, &c. præstantes fauorem, &c. Decimo-quintò, trahentes, trahi facientes personas Ecclesiasticas ad sua Tribunalia, &c. facientes statuta, quibus læditur libertas Ecclesiastica, vtentes statutis contrà libertatem Ecclesiasticam: Decimo-sextò, Impedientes Episcopos, &c. ne iurisdictione vtantur contrà quoscunque recurrentes ad Curiam secularem; eludentes sententias Ecclesiasticorum, procurãtes à Curijs secularibus prohibitiones, mandata, &c. contrà sententias Ordinariorum Delegatorum, mandata eadem exequentes, auxilium, &c. dantes in prędictis: Decimo-septimò. vsurpantes, sequestrantes sine legitima facultate iurisdictionem, fructus, &c. pertinentes ad Summum Pontificem, &c. ratione Ecclesiarum, &c. Decimo-octauò, imponẽtes decimas, &c. personis Ecclesiasticis, &c. etiamà spontè dantibus: Decimo-nonò, quoscunque Magistratus, &c. qui contrà personas Ecclesiasticas in causis capitalibus quomodolibet se interponunt, sine Sedis Apostolicæ licentia specifica, expressa: Vigesimò, inuadentes, &c. Ciuitates, Terras, &c. Ecclesiæ Romanę mediatè, vel immediatè subiectas, vsurpantes, &c. iurisdictionem in dictis locis: Vigesimo-primò, absoluentes à præfatis excommunicationibus sine debita facultate, &c.

PARAG. VII.

Textus Sacrorum Canonum.
De sententia excommunicationis.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus capi faciens suos subditos propter excessus, non est excommunicatus.*

† *Nec item capientes.*

2 *Celebrans in Ecclesia polluta non fit irregularis.*

† *In quibus casibus possit Sacerdos celebrare coram excommunicato, &c.*

1 Prælatus capi faciens suos subditos propter excessus commissos, etiamsi capiat per Laicos, nè fugiant, & custodiat in carcere, quamuis nondùm constet, illos esse incorrigibiles, non est excommunicatus, nec capientes sunt excommunicati, quia non adest temeritas, nec iniuria, nisi ex proposito excedant, *ex cap. Si Clericos 13. de sent. excommunic.* Item si Clerici dant cautionem fideiussoriam Episcopo, patendo iuri, Prelatus non debet eos detinere, nisi enormitas excessus, vel alia causa rationabilis persuaserit illos esse detinendos, *ex eodem cap.*

2 Celebrans scientèr in Ecclesia sanguinis, vel seminis effusione polluta, vel præsentibus maiori excommunicatione annodatis, licèt temerariè agat, tamen irregularis non fit, quia hoc nõ est expressum in iure, *ex cap. His qui 18.* Propter vrgentem necessitatem mortis potest Sacerdos celebrare coram excommunicato, sicut etiam propter necessitatem grauissimi scandali, aut infamię vitandę, nisi comminatio fieret in odium Religionis Christianę, aut in contemptum Ecclesię. Toletus *lib. 1. cap. 12. nu. 5.* Suarez *tom. 5. disp. 9. sect. 4. nu. 8.*

PARAG. VIII.
De excommunicationibus Papæ reseruatis extrà Bullam.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationes Papæ reseruatæ extrà Bullam.*
2 *Quæ reseruantur contrà Clericos, & Religiosos.*
3 *Sunt aliæ, quæ non reseruantur in Clementina extrauagant. &c.*
4 *Excommunicationes reseruatæ Episcopis.*
5 *Religiosus, quando percutit Clericum, an possit absolui ab Episcopo.*
6 *Absolutus propter mortis periculum reincidit, si non se præsentat.*
7 *Ratum habens percussionem Clerici, an sit excommunicatus.*

1 Excommunicationes Papę reseruatę extrà Bullam sunt, sequentes: Prima, in incendiarios: Secunda, in exhibentes litteras Apostolicas falsas, & in falsarios litterarum Apostolicarũ: Tertia, in effringentes, & spoliantes Ecclesias: Quarta, in communicātes eodem crimine in excommunicato à Papa: Quinta, in vexantes eos, qui censuram in alium tulerunt: Sexta, in absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non implentes: Septima, in violantes interdictum Papę: Octaua, in dantes, & recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad Religionem: Nona, in simoniacos reales circà Ordinem, vel beneficium: Decima, in committentes simoniam confidentialem: Vndecima, in impedientes executionem litterarum sacræ pœnitentiariæ: Duodecima, in dantes, & recipiētes aliquid pro gratia, aut iustitia apud Sedem Apostolicam: Decima-tertia in cōmittentes duella, & ad id cooperantes: Decima-quarta, in mulieres ingredientes Monasteria Regularium: Decima-quinta, in impugnantes institutum Societatis Iesu: Decima-sexta, in faciētes iurare illicita, & contraria libertati Ecclesię: Decima-septima, in capientes bona Ecclesiastica, vel exigētes tributa ab Ecclesiasticis: Decima-octaua, in violātes libertatē Ecclesiasticam, quòad fugientes ad Ecclesiam: Decima-nona, in docentes, posse fieri confessionem in absentia: Vigesima, in eos, qui alterutram opinionem de Conceptione Beatę Virginis, damnant peccati mortalis, &c. Item in eos, qui in Concionibus, alijsque publicis actibus, vt lectionibus, conclusionibus, &c. asserunt, Beatam Virginem conceptam in originali peccato: Vigesima prima, in percussores Clericorum.

2 Contrà Clericos, & Religiosos sunt sequentes: Prima, participātes in sacris cum excommunicatis à Papa: Secunda, procurantes alienationem Ecclesiarum: Tertia, in Concionatores, qui scripturę sensum à Doctorum interpretatione alienum circà tempus Antichristi, &c. extremi iudicij, aliaque similia reuelata prædicant: Quarta, in Parochos non implentes iuramentum de residentia factum: Quinta, in Mendicantes transeuntes ad alium Ordinem, prçter Charthusianum: Sexta, in Moniales exeuntes è Claustra sine licētia: Septima, in Religiosos, qui sine priuilegio, aut speciali sine licentia Parochi Clericis, aut Laicis Sacramentum Eucharistię, vel Vnctionis, vel matrimonia solennizare præsumunt.

3 Sunt etiam plures aliç excommunicationes, itàm in Clementinis extrauagantibus *sext. decret.* quarum aliquę sunt contrà priuatas personas, & aliç contrà omnes, tam Clericos, quàm Religiosos, contrà Magistratus, Iudices, &c. quę nemini reseruantur; Aliç in decreto, & c contrà omnes Papę reseruatę, quę breuitatis causa omittuntur.

4 Excommunicationes reseruatę Episcopis sunt sequentes: Prima, quę contrahitur ex percussione leui Clerici: Secunda, in eos, qui absoluti in articulo mortis ab eo, qui aliàs non poterat, non se prçsentāt Superiori, postquàm conualuerint: Tertia, in procurantes abortum fœtus animati, secuto effectu: Quarta, in eos, qui communicant cum excommunicatis ab Episcopo: Quinta, ex omnes, quas ferunt Episcopi per statuta, &c. & sibi reseruant.

5 Episcopus potest absoluere Religiosum, qui percutit Clericum sçcularem in eo casu, in quo posset Clericum sçcularem absoluere, qui alium percussisset, *ex cap. Religiosus 21. in 6.* Nouitium Religionis percutiens est excommunicatus, licèt antequàm fecerit professionem, Religiosus censeri non possit, *ex cap. eodem*, quia in priuilegijs, & gratijs concessis Religioni gaudet, & ipse, sicuti Religiosi professi. Henriq. *in summ. lib. 7. cap. 22. §. 7.* Sayrus *de censuris lib. 7. cap. 13. num. 6.* Molina *de iustit. tract. 2. disput. 139.* & alij.

6 Absolutus propter mortis periculum, vel ob aliud impedimentum ab eo, à quo aliàs non poterat, si cessante impedimento, non se prçsentat, cum commodè poterat ei, à quo absolui debet, reincidit in eādem excommunicationem, *ex cap. eos 22.*

7 Clericum, quando quis percutit nomine meo, sed sine meo mandato; si postcà ego ratum habeo, sum excommunicatus, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur; si verò percussio non fuit facta meo nomine, & ego deindè ratum habeam, non sum excommunicatus, licèt peccem, quia nullus potest ratum habere, quod suo nomine non est factum, *ex cap. Cum quis 23.*

PARAG. IX.
Textus Sacrorum Canonum.
De sententia excommunicationis.

SVMMARIVM.

1 *Quis Clerici percussor possit ab Episcopo absolui.*
2 *Non irretitur excommunicatione percutiens Clericũ, si talem esse probabiliter ignorabat.*
3 *Incidentes in Can.* Si quis suadente, &c. *an, & qui possint ab Episcopo absolui.*

4 Per-

4 *Percutiens Monachum, est excommunicatus vitandus.*
5 *Percussor Clerici, si propter impedimenta, &c. nequeat adire Romam, potest ab Episcopo absolui.*
6 *Qui non teneantur, ob percussionem Clerici, adire Romam.*
7 *Communicare cum excommunicato nemini licet.*
8 *Percutiens leuiter Clericũ, ab Episcopo potest absolui.*
9 *Excommunicatus ob percussionem Clerici, & incendiarius debent adire Papam pro absolutione.*

1 IMpubes, qui Clericum percussit, ab Episcopo absolui potest: item qui ioco, vel causa disciplinæ percutit Clericum, etiãsi sit maior excommunicatus non est; qui verò odio est excommunicatus, & ità Papa debet absolui, *ex cap. Super eo 1. de sent. excommunic. in 6.* Monachi, &c. se inuicem percutientes non sunt mittendi Romam, sed ab Abbate absolui possunt, & discretione illius deficiente, ab Episcopo absolui possunt, *ex cap. Monachi 2.* Officialis, qui arcendo turbam, leuitèr percutit Clericũ, Episcopus illum absoluere potest; si verò deliberatè iniiciat manum in Clericum, à Papa debet absolui, nisi fortè arcẽdo turbam, non ex deliberatione, sed casu id faciat: Item qui incontinenti Clericum percussit, vim vi repellendo, excommunicatus non est: Item qui occidit Clericum turpitèr inuentum cum matre, sorore, aut filia propria, excommunicatus non est; secùs si inueniat cum alia consanguinea, nõ ità proxima, *ex cap. Si verò 1.3.*

2 Qui percutit aliquem, probabilitèr ignorans ipsum esse Clericum, excommunicatus non est; Ignorantiam tamen probare debet per iuramentum; quod si id facere recusauerit, pro excommunicato haberi debet, & à Papa debet absolui, *ex cap. Si verò 2.4.* Percutiẽs Clericum, vel Religiosum, etiam Conuersum est excommunicatus, & non potest absolui ab alio, præterquàm à Papa, excepto articulo mortis, *ex cap. Non dubium 5.*

3 Mulieres, & aliæ personę, quę non sunt sui iuris, si inciderunt *in Can. Si quis suadente*, absolui possunt ab Episcopo, quod etiam dicendum est de personis delicatis, quę nõ possunt ire Romam: Item mandans, &c. percutere Clericum, excommunicatus est, sicuti ipse percutiens, *ex cap. Mulieres 6.* Clericum occulte etiam percutiens, est excommunicatus, & à Papa debet absolui, satisfacta parte priùs, *ex cap. Porrò 7.* Etiã priuilegiati tenentur vitare excommunicatos, & si Clericos percutiunt, sunt & ipsi excommunicati, & vitandi, *ex cap. Nullus 8.*

4 Percutiens Monachum, vel Conuersũ, est excommunicatus vitandus, & non potest absolui nisi à Papa, satisfacta parte, *ex cap. Parochianos 9.* Absoluens aliquẽ virtute litterarum Apostolicarum ab excõmunicatione pro percussione Clerici, debet ab illo exigere iuramentum, nè de cętero in Clericum, vel Monachũ, vel Conuersum Religionis iniiciat manus violentas, nisi se defendendo, aut de mandato Superioris, *ex cap. Ex tenore 10.*

5 Episcopus potest absoluere excommunicatum ob percussionem Clerici, qui ob inimicitias, vel aliud impedimentum non potest petere Romam, dummodo iuret, quod sublato impedimento, Papam adibit, mandatum Apostolicum recepturus, *ex cap. De cæterò 11.* Cum Papa absolutionem excommunicati delegat, mandat, vt expressè præstet cautionem, quod obediet iudicio Ecclesiastico, qui à Sedes Apostolica sic consueuit dare litteras, *ex cap. Ad hæc 12.*

6 Licèt excommunicatus ob percussionẽ Clerici Papam debeat adire, vt absoluatur, excipiuntur tamen senes, infirmi, &c. qui ab Episcopo absolui possunt modo supradicto, *ex cap. Ea noscitur 13. & ex cap. Quod de his 26.* Percussor publicus Clerici est vitandus, licèt non sit denunciatus: Item interficiens Clericum, qui cõtempto Clericali habitu, enormitatibus se immiscet, non est excommunicatus, tamen pœnitentia asperior est illi imponenda, quàm qui Laicum occidit, *ex cap. Cum non ab homine 14.*

7 Communicare cum excõmunicato nullus potest, antequàm absoluatur, etiamsi iurauerit stare mandato Ecclesiæ: Item nullus debet participare cum eo, de quo est publica fama, verberasse Clericum, nisi priùs se purget ad arbitrium Episcopi, vel ad cautelam, priùs absoluatur, *ex cap. Cum desideres 15.* Sacerdos, qui Regularem, vel Clericos, qui ludendo in Ecclesia, officia Diuina perturbant, manibus oppositis, nolentes egredi cogit extrà Ecclesiã manere, non est excommunicandus, nec vitandus, *ex cap. Veniens 16.*

8 Excõmunicati pro leui percussione, vel iniectione manuum in Clericum, ab Episcopo absolui possunt, cuius est arbitrari, an percussio, vel iniectio sit leuis, *ex cap. Peruenit 17.* Clericus, qui scientèr, & spontè participat cum excommunicatis à Papa, admittendo eos ad Diuina officia, sunt excommunicati excommunicatione maiori, & pro absolutione mittendi sunt ad Papam cum litteris Ordinarij, *ex cap. Significauit 18.*

9 Excommunicatus pro iniectione manuum in Clericum, vel ob percussionem, vel incendiarius post denunciationem, mittendi sunt ad Papam pro absolutione, *ex cap. Tua nos 19.* Excommunicati ob percussionem, possunt absolui à Legatis à Latere, *ex cap. Ad Eminentiam 20.* absque eo, quod hoc habeant expressum in mandatis, *ex eod. cap.* etiamsi atrox sit iniuria, vel læsio enormis, veluti quę fit in loco publico, vel quæ lędit Abbatem, aut Episcopum, aut cum morte Clerici, aut magna sanguinis effusione: Item potest absoluere ab alijs excommunicationibus Papæ reseruatis, nisi fuerit excommunicatio ità Papæ reseruata, vt in ipsa Constitutione expressè dicatur, vt à nullo alio, nisi à Papa possit absolui; ità Azor. *2. par. lib. 5. cap. 32. quæst. 6.* & alij.

P A-

PARAG. X.

Continuatur Textus de sententia excommunicationis.

SVMMARIVM.

1 *Generalis excommunicatio quos liget.*
2 *Abbas mandans verberari Monachum per Laicum, ipse vnà cum verberante, est excommunicatus.*
3 *Laicus detinens Clericum in custodia, est excommunicatus.*
4 *Communicare cum excommunicato, qui teneantur.*
5 *Moniales incidentes in excommunicationem Canonis, à quo debeant absolui.*
6 *Prælati Clericum incorrigibilem tenentur carcerare.*
7 *Excommunicatus ab Episcopo ad Metropolitanum appellans, ab eo potest absolui.*
8 *Excommunicatus à pluribus, propter plura, non sufficit, si ab vno solùm absoluatur.*

1 GEneralis excommunicatio non ligat, nisi subditos excommunicantis; nisi maior auctoritas ei delegerit, *ex cap. A nobis* t. 21. Expoliantes Ecclesias cum effractione sunt excommunicati denunciandi, & à solo Papa post denunciationem possunt absolui, satisfacta parte, & cum litteris Ordinarij, *ex cap. Conquesti* 22. Sacerdos, qui se nominat filium Regis, & acceptis armis, seditionem facit, & bellum mouet, si verberetur, & occidatur; occidens non tenetur ire Romam pro absolutione, sed Ordinarius potest ei imponere pœnitentiam competentem pro qualitate personæ, quia non pro pulsando, sed inferendo iniurias, fuit occisus, *ex cap. Perpendimus* 23.

2 Abbas, qui facit Monachum per Laicũ verberari, ipse, & verberans sunt excommunicati, & non possunt absolui, nisi à Papa, *ex cap. Vniuersitatis* 24. Clericus, qui vt Laicus incedit, & tertiò monitus à Prælato, non resipiscit, non gaudet priuilegio Canonis, *ex cap. Si quis suadente, ex cap. In Audientia* 25. Ratio, quia frustra implorat Ecclesiæ auxilium, qui committit in ipsam. Ligatus pluribus excommunicationibus, licèt eodem facto obtinens absolutionẽ, expressa solùm vna causa, seù vna excõmunicatione, absoluitur ab vna, & remanet excommunicatus pro altera causa nõ expressa, & tenetur pro illa satisfacere, *ex cap. Cùm pro causa* 27.

3 Excommunicatus est Laicus, qui detinet Clericum in custodia, vel in vinculis, etiãsi sine læsione: Item, qui cũ nominatim excommunicato communicat in crimine criminoso, *ex cap. Nuper* 29. Communicãs verò non in crimine potest absolui à proprio Sacerdote, *ex eod. cap.* Excommunicatus quamuis iurauerit stare mandatis Ecclesiæ, adhùc tamen est excommunicatus: Item nullus tenetur communicare cũ excommunicato, præter personas exceptas, & qui participant cum excommunicatis scientèr, si admoniti non desistant, sunt excommunicati minore excommunicatione, *ex cap. Quod in dubijs* 30.

4 Cum excommunicato communicare tenentur obligati ad obsequium particulare, *ex cap. Inter alia* 31. Si excommunicatus pro iniectione manuum recipit Ordines scientèr, si est Clericus, deponendus est, si Rgularis, ab executione Ordinis est suspensus. Qui verò ignorans ius, vel factum, si excõmunicatus recipit Ordines, si est Clericus sęcularis, solus Papa potest cum eo dispensare; si verò Regularis, Abbas, si ignorantia est probabilis, & factum non est graue, *ex cap. Cum illorum* 32.

5 Moniales, quæ incidunt in excommunicationem Canonis, absolui debẽt ab Episcopo, in cuius Diœcesi est situm Monasterium, *ex cap. De Monialibus* 33. Contractus non dissoluuntur per superuenientem excommunicationem in aliquo ex contrahentibus, sed potest non excommunicatus cum excommunicato participare, *ex cap. Si verè* 34.

6 Potest Prælatus, & debet Clericum subiectum incorrigibilem carcerare, & Laici citrà metum excommunicationis de Prælatorum licentia capere possunt Clericos, & ad iudicium ducere, *ex cap. Vt fama* 35. Excommunicatus est, qui in Clericum consentientem manus iniecerit violẽtas, etiãsi hoc faciat in satisfactionem præcedentis iniuriæ, *ex cap. Contingit* t. 36. Seruus excommunicatus pro iniectione manuum in Clericum, à Papa debet absolui: verùm si ex hoc Dominus, qui non fuit in culpa, graue damnum patitur, vel seruus hoc fecit in eius fraudem, absolui potest ab Episcopo, si læsio non fuit enormis, *ex cap. Sicut* 39.

7 Si excommunicatus ab Episcopo ad Metropolitanum appellat, ab eo absolui potest: Metropolitanus tamen volens suos suffraganeos deferre, potest illum sibi remittere ad absoluendum, & tenetur etiam remittere, quando propter manifestum excessum fuit excommunicatus, & antè absolutionem non auditur, volens probare se iniustè excommunicatum, *ex cap. Per tuas* 40. Si Papa per suas litteras excommunicatum salutat, non propter hoc eum absoluit, *ex cap. Si quando* 41.

8 Excommunicatus à pluribus Prælatis propter plures excessus, si ab vno tantùm absoluitur, non est communioni restituẽdus, *ex cap. Officij* 42. Coram excommunicatis, & interdictis prædicari potest verbum Dei, non autem celebrari Diuinum Officiũ, *ex cap. Responso* 43. Si cõiux scit pro certo adesse impedimẽtum, quamuis illud probare nõ possit, nõ debet reddere debitum, & si cogatur ab Ecclesia, debet potius excommunicationem pati: si autem hoc credit ex causa probabili, & discreta; tunc potest reddere debitum, nõ autem exigere: sed si ex leui, & temeraria causa; tunc debet conscientiam deponere, & debitum reddere, ac petere, *ex cap. Inquisitioni* 44. Coniux verò, qui bona fide contraxit matrimonium, & posteà dubitare cœpit de validitate ipsius, non potest petere debitum antequàm vsus sit diligẽtia ad exequendam veritatem: Ratio, quia ageret contrà conscientiam, petendo debitum

ante

ante exhibitam diligentiam ad cognoscẽdam veritatem? tùm quia petendo exponeret se periculo fornicationis: tenetur tamen alteri coniugi non dubitanti reddere debitum, non solùm post adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem, sed etiam ante adhibitam: Ratio est, quia alter coniux, qui non dubitat, habet ius petendi, & est in possessione; ergò nõ reddendo coniugi nondubitanti, facit contrà ius illius, & peccat contrà iustitiam: post verò adhibitam diligentiam, nonmodò potest reddere, sed etiam petere: Ratio, quia in dubijs post adhibitam diligẽtiam, melior est conditio possidentis: ità Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 6. puncl. 2.* Reginald. *lib. 31. num. 299.* & alij.

PARAG. XI.
Continuatio Textus eiusdem materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Clericus non deferens habitum, & Tonsuram ter monitus, amittit priuilegium Clericale.*
2 *Subditus non excommunicandi, nisi premissa monitione.*
3 *Fratres Hierosolymitani se inuicem percutientes, à suo Priore possunt absolui.*
4 *Statuentes aliquid cotra libertatem Ecclesiasticam, debent excommunicari, &c.*
5 *Excommunicatus minori excommunicatione non priuatur iurisdictione.*
6 *Excommunicatio simpliciter lata, intelligitur de maiori.*

1 Clericus, qui nongestat habitum, & Tonsuram, & ter monitus non se emendat, amittit priuilegium Clericale, *ex cap. Contingit 2. 45.* Qui non præmonnit, imò cum excommunicato in mensa, vel in Diuinis, excommunicationem obijcere non potest, *ex cap. Præsentia 46.* Excommunicatus est permittens, Clericum percuti, si ex officio poterat prohibere, *ex cap. Quanta 47.*

2 Prælatus excõmmunicare non debet subditum, nisi præmissa competenti monitione, & ex caussa manifesta, & rationabili: Item subditus debet puniri, qui conqueritur de Prælato falsò, dicens, iniustè sussse excommunicatum, *ex cap. Sacro 47.* Excommunicati sunt omnes Hæretici, & eorum fautores: Item, qui faciunt seruare statuta edita contrà libertatem Ecclesiasticam: Item sunt excommunicati statutarij, & scriptores statutorum. Necnon Consules, Rectores, Consiliarij locorum, vbi huiusmodi statuta edita fuerunt, & illi, qui secundùm illa præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata, *ex cap. Honor 3.*

3 Fratres Hospitalis Hierosolymitani, si se inuicem percusserint, absolui possunt ab eorum Priore Presbytero, nisi excessus fuerit enormis, quia tunc eos absoluere spectat ad Papam, *ex cap. Canonica 10.* Monachi Græci excõmunicati ob percussionem, qui non possunt induci ad iurãdum, possunt pro illa vice absolui cũ sola promissione manuali, quia aliquando, consideratis circumstantijs locorum, & temporum, sit aliquid seueritati detrahendum, *ex cap. Super eo 51.* Quãdo dubitatur de iuribus sentẽtiæ, potest quis absolui ad cautelam, præstito priùs iuramento, quod parebit mandatis, *ex cap. Venerabili 12.*

4 Excommunicãdi sunt Officiales, in quibus sunt statuta contra libertatem Ecclesiasticam, nisi ea deleri fecerint, & statutarij si habeant feuda Ecclesiastica, illis priuari debent, *ex cap. Grauem 53.* Alloquẽs excommunicatum de pertinentibus ad salutem animæ, non est excommunicatus, licèt incidenter interponat alia verba, *ex cap. Cùm voluntate.* Communicans cum criminoso in crimine damnato, incidit in eãdem sententiam excommunicationis, *ex cap. Si concubinæ.*

5 Excommunicatus minori excommunicatione, non priuatur iurisdictione: & ideò potest absoluere aliũ Clericum etiã excommunicatum minori excommunicatione, *ex cap. Duobus 56.* Percutiens Clericum, licèt satisfecerit parti læsæ, non ex hoc potest ab Episcopo absolui, exceptis casibus infirmitatis, senectutis, &c. *ex cap. Quamuis 58.*

6 Excommunicatio simpliciter lata, intelligitur de maiori, *ex cap. Si quem 59.* Pueri excommunicati pro iniectione manuum in Clericos, ab Episcopo absolui possunt, etiamsi post pubertatem postulent absolui, quia rigor est mansuetudine temperãdus propter defectum ætatis, in qua fuit commissa, *ex cap. Quæris 60.*

TITVLVS XXXIX.
De Interdicto.

SVMMARIVM.

1 *Interdictum quid sit.*
† *Quotuplex.*
2 *Locale quid sit.*
† *Item personale.*
† *Item mixtum.*
3 *Interdictum locale duplex, &c.*
4 *Interdicto populo, non est interdictus Clerus.*
† *Interdicta familia, sunt etiã interdicti Clerici eiusdẽ.*
5 *Qui ligantur interdicto personali.*
6 *Amentes, & pueri non censentur interdicti.*
7 *In interdicto personali non interdicitur Iudex.*
† *Socius in interdicto locali.*
8 *Tres sunt effectus interdicti.*
9 *Quando relaxetur interdictum generale positum.*

1 Nterdictum est censura Ecclesiastica, qua certis personis, loco, à iure, vel à Iudice Diuinis Officijs, sepultura, & Sacramentorum perceptione, donèc impetratis satisfecerint, interdicitur, *cap. Si sententia 16.*

† Est ergò interdictum aliud Canonis, aliud iuris, aliud Iudicis: Iuris est, quod ipso facto, ipso iure inducitur: Iudicis est, quod per sententiam Iudicis competentis inducitur, & hoc est, vel locale, vel personale, vel mixtum.

2 Locale est, quo directè interdicitur locus,

locus, nè in eo Diuina Officia audiantur ab incolis, &c. quamuis personæ loci interdicti possint alibi audire Diuina Offi-
† cia. Personale est, quo prohibetur populus, vel aliqua persona particularis audi-
† re Diuina Officia, vbicunque sit. Mixtum verò comprehendit locale, & personale. Interdicto loco, non censetur interdictus populus, & posito interdicto personali, nō censetur positum interdictum locale; Vndè interdicta Ecclesia, possunt Sacerdotes illius in alia Ecclesia Diuina celebrare, modò non dederint causam interdicto.

3 Interdictum locale est duplex: Vnum generale, quo interdicitur Regnum, vel Prouincia, Ciuitas, &c. *cap. Si sententiam, de sent. excommunic. in 6.* speciale est, cum interdicitur vna Ecclesia, *cap. Si Ciuitas 17. de sent. excommunic. in 6.* Interdictum personale est etiam duplex: Vnum generale, & aliud speciale: Generale est, quo interdicitur generalitèr populus totius Regni, Prouinciæ, vel Ciuitatis, &c. Speciale est, quando interdicitur aliqua pars populi, vel Ciuitatis, &c. Valent. *tom. 4. disp. 7. qu. 18.* Nauar. *cap. 27. nu. 167.* & alij.

4 Interdicto populo non intelligitur interdictus Clerus, & e contrà: interdicta tamen familia, censentur etiam interdicti Clerici eiusdem familiæ, & interdictis Doctoribus alicuius Collegij, censentur etiam interdicti Doctores Clerici eiusdem Collegij, quia nomen Doctoris, tàm conuenit Laicis, quàm Clericis. Henriquez *cap. 41.*
† *lib. 13. nu. 3.* Auila *5. par. disput. 1. dub. 4. num. 9.* & alij. Interdicto populo Ciuitatis, non intelliguntur interdicta Suburbia, si habitantes in Suburbijs non sunt de populo Ciuitatis, quia aliàs censerentur interdicti.

5 Quando fertur Interdictum personale generale, personæ absentes, etiam censentur interdictę, quia sūt pars Communitatis interdictæ. Saytus *cap. 4. num. 13.* & alij: Si verò aliò transtulerint domicilium, non sunt interdictæ, modò non dederint causam culpabilem Interdicti: interdicto verò populo, non censentur interdicti exteri habitantes in Ciuitate, vt sunt scholares, quamuis ad longum tempus ibi habitent. Nauar. *cap. 27. num. 167.* quia non sunt pars populi, vel Ciuitatis.

6 Amentes, & pueri, interdicta Ciuitate, non censentur interdicti: Ratio, quia non sunt capaces doli: priuantur tamen sepultura Ecclesiastica: Interdicta Ciuitate, intelligūtur etiam interdicta Suburbia, quæ sunt extrà muros illius Ciuitatis, vel contigua, vel vicina, etiamsi illa loca sint alterius Diœcesis, quia tunc non ab Episcopo, sed à iure communi Interdicuntur, *cap. Si Ciuitas 17. de sent. excommunic. in 6.* & interdicta Ecclesia, censentur etiam interdictæ Capellæ, & Cœmeteria contigua Ecclesię, quia censentur vnum corpus cum Ecclesia, *cap. Si Ciuitas 17. §. ratione quoque,* & interdicta Vniuersitate, interdicti etiam censentur singuli de eadem Vniuersitate, *cap. Si sententia 16. §. Cum verò.*

7 In Interdicto personali non includitur Iudex, qui tulit Interdictum, quia non potest seipsum interdicere, cùm non habeat
† auctoritatem coactiuam in seipsum. In locali vero Interdicto includitur etiam Iudex, vel Superior, vel æqualis, quia effectus Interdicti sunt de iure communi, cui Iudex est subiectus.

8 Effectus Interdicti sunt tres: Priuatio actiua, & passiua quorundam Sacramentorum; priuatio actiua, & passiua Diuinorū Officiorū, & priuatio Ecclesiasticę sepulturæ. Tẽpore Interdicti localis generalis, vel specialis, Sacramentū Baptismi, Cōfirmationis administrari potest, *ex cap. Responso 43. de sent. excommunic.* & Pœnitentia. & Eucharistia morientibus ministrari potest cum solita solennitate, modò tamen recipientes non dederint causam, vel auxilium ad delictum perpetrandum, propter quod latum est Interdictum, quia isti absolui non possunt, nisi priùs satisfaciāt, vel idoneam saltem dent cautionem de satisfaciendo, vel iurent, se quamprimùm satisfacturos; ita *in cap. Alma mater de sent. excomm. in 6.*

9 Interdictum positum generalitèr in Ciuitates, Castra, & alia loca, seù Terras, nō relaxatur ad cautelam, *ex cap. Præsenti 10. de sent. excommunic. in 6.* Vndè Interdictum latum pro delicto præterito absq; vlla adiecta conditione, quæ pendeat ex voluntate eius, qui interdicitur, & absque temporis limitatione, auferri non potest, nisi per relaxationem, ant absolutionem Superioris habentis potestatem: quando autem fertur interdictum, vt pura pœna pro peccato præterito, & pro tempore definito; tūc nō est necessaria Interdicti absolutio, elapso illo tempore, sed ipso facto cessabit Suar. *disput. 38. sect. 1.* Sayrus *lib. 5. cap. 15. num. 2.* & alij.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Extrema-vnctio non ministratur tempore Interdicti.*
† *Nec Sacramentum Ordinis.*
2 *Matrimonium administratur.*
3 *Item & sponsalia.*
4 *Effectus secundus Interdicti quid sit.*
† *Quæ prohibeantur nomine Diuinorum Officiorum.*
5 *Iure antiquo, quæ licita erant, &c.*
6 *Solennitates, in quibus tempore Interdicti, &c. licitum est celebrare.*
7 *Quæ personæ admitti possint, &c.*
8 *Differentia inter Interdictum locale, generale, & speciale.*
† *Item inter Interdictum locale, & personale.*
9 *Priuilegiatus audiendi Diuina Officia potest cum sua familia interesse.*

1 SAcramentū Extremæ-vnctionis non est ministrandū tẽpore Interdicti localis, generalis, vel particularis, vel personalitèr interdicto, nisi aliquibus sit permissū ex priuilegio speciali, nec ēt in alijs festiuitatibus, in quibus ex priuilegio permissum
† est andire Diuina Officia. Sacramentum Ordinis personalitèr interdicto, nec tempore Interdicti localis generalis ministrari

rì potest: excipitur tamen casus necessitatis, vt si non essent Sacerdotes, qui ministrarent Sacramenta, quia tunc licitum est couferre Ordines in loco interdicto.

2 Matrimonium, tempore Interdicti, non solùm validè, sed etiam licitè cōtrahi potestiità ex Abb. *in cap. Non est de sponsal. num.* 8. Syluest. *verbo Interdictum* 5. *num.* 9. Nauar. *cap.27.num.179*. Henriquez *lib.13.cap.45.num.3.* Ratio, quia per Interdictum solùm prohibetur ea ministratio Sacramentorum, quę sunt ex Ecclesię dispensatioue, seù ministratione; tale autem non est matrimonij Sacramentum, cuius ministri suut ipsi contrahentes.

3 Sponsalia licitè, & validè fieri possunt, tempore Interdicti, cùm non sint Sacramentum, nec aliquid sacrum, sed tantùm humanus contractus: Benedictiones verò, quæ fiunt coniugatis, licitæ sunt tempore Interdicti localis generalis, modò fiant ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, & sine solennitate: ijs diebus, quibus permissum est celebrari Diuina Officia, possunt fieri cum solennitate. Suarez *disput. 33. sect.1.num.46.* Henriquez *cap. 34. num.1.*

4 † Effectus secundus Interdicti est priuatio Diuinorum Officiorum; Vndè celebratio Missæ, & Diuina Officia in loco interdicto prohibentur. Nomine Diuini Officij intelligitur illud, quod fit in Ecclesia à Ministro Ecclesiastico, seù à persona consecrata, & deputata ad illud Diuinum Officium: Omnis oratio publica, quæ ab Ecclesia instituta est: Item omnia Sacramentalia, seù benedictiones, quæ nomine Ecclesiæ fiunt à Sacerdotibus; Horæ quoque Canonicæ, nomine Diuini Officij cōprehenduntur, licèt obligati ad Diuinum Officium teneantur illud priuatim recitare.

5 Iure antiquo vna Missa in hebdomada, tempore Interdicti localis, celebrare licebat causa consecrandi Eucharistiam, *ex cap. Permittimus* 54. Iure autem nouo Bonifacij VIII. *in cap. Alma mater* conceditur, vt singulis diebus in Ecclesijs, & Monasterijs celebrari possit cum subsequenti moderatione: Primò, vt celebretur submissa voce: Secundò, ianuis clausis: Tertiò, non pulsatis campanis: Quartò, exclusis excommunicatis, & interdictis; Verùm ad comitandam Eucharistiam, quę ministratur infirmis; ad Salutationem Angelicam, vel ad indicandam populo festiuitatem, licitum est pulsare campanas. Nauar. *cap. 27. num.* 173. Sayrus *lib.5.cap.7.* Cou. *in cap. Alma mater par.* 2. § 4. Reginaldus *lib.33.cap.28.num.35.* & alij.

6 *In cap. Alma mater* dantur aliquæ festiuitates, in quibus licitum est, tempore Interdicti localis generalis, celebrare Diuina Officia, & Missas publicè cum sono campanarum, ianuis apertis, &c. Festiuitates sunt, Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ Virg. quibus ex concessione Martini V. accessit festum Corporis Christi cum sua Octaua, & à Leone X. Conceptio B. Mariæ Virg. cum Octaua; ità Hēriq. *cap.47.* Conin. *disp.17.dub. 2. nu.34.* & alij. Nomine Paschatis, & Pentecostes intelliguntur omnes tres dies Paschatum, &c.

7 Tempore Interdicti localis generalis, aliquæ personæ admitti possūnt ad Diuina Officia, vt infantes careutes vsu rationis, amentes: Item Clerici non coniugati, modò non sint excommunicati, interdicti, nec dederint causam culpabilem Interdicto: Clerici verò coniugati, qui non sunt adstricti ministerio alicuius Ecclesiæ, reputātur tamquàm sæculares, quāuis gaudeant priuilegio Canonis, & fori: Laici verò non habentes priuilegium, non possūt admitti ad Missas, Diuina Officia; possunt tamen admitti habentes priuilegium assistendi, *ex cap. is, cui, de sentent. excommunicationis*, & *cap. Licèt de priuileg. in 6.* Imò possuut secum ducere suos familiares, nam ipsi gaudent tali priuilegio, *ex cap. Licèt* §. 1. dummodò de more soleant Dominum concomitari; ità Vgolin. *cap.8.* § 4. *nu.2.*

8 Magna differentia est inter Interdictum locale, & generale, & locale speciale, quòd tempore Interdicti localis specialis, non est licitum singulis diebus celebrare Diuina Officia, vel Missas, sed solùm licitum est semel in hebdomada celebrare Missam ad venerandam Eucharistiam in loco, vbi asseruatur Eucharistiæ Sacramentum, sicut licitum erat iure antiquo: Item differentia est inter interdictum locale, & personale, quod tempore Interdicti personalis, personæ interdictæ personaliter Interdicto particulari, vel generali non possunt celebrare Missas, nec interesse. Henriq. *lib.13.cap.44.num.3.* Nauar. *cap.27.num.173.* & alij.

9 Habens priuilegium audiendi Diuina Officia, potest simul cum sua familia Diuinis interesse, modò inter eos non adsit aliquis, qui dederit causam culpabilem Interdicto: nomine familiæ intelliguntur vxor, filij, serui, in illius domo commorantes, &c.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Qui sit tertius effectus Interdicti.*

2 *Tempore Interdicti localis generalis, an sit licitum sepeliri Laicos adultos.*

3 *Laicus tempore Interdicti sepultus in loco sacro, eo sublato, potest sepeliri in loco sacro.*

† *Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, à quibus censeatur interdictus.*

4 *Clerici, tempore Interdicti, an possint sepeliri in loco sacro.*

5 *Tempore Interdicti omnes admittuntur ad Sacramentum Pœnitentiæ, &c.*

1 Tertius effectus Interdicti, tàm localis, quam personalis, generalis, vel specialis, est Ecclesiasticæ sepulturæ, vel ingressus Ecclesiæ priuatio; ità vt tempore Interdicti, fideles, quamuis non interdicti, non possint sepeliri in loco sacro: Laici tamen

tamen, qui habent priuilegium assistendi Diuinis Officijs, tempore Interdicti, morientes possunt sepeliri in loco sacro. Suarez *disp. 35. sect. 1.* Filliucius *tract. 18. cap. 4.* Sayrus *lib. 5. cap. 8.* Syluest. *verbo Interdictum 5. num. 50.* & alij.

2 Tempore Interdicti generalis localis, licitum est sepelire Laicos adultos in diebus priuilegiatis, in quibus interesse possunt Diuinis Officijs; ità Syluest. *verbo Interdictum 5. quæst. 2.* Sayrus *cap. 8. num. 11* Henriq. *cap. 44. num. 5* & alij: Ratio, quia his diebus relaxatur Interdictum, & cui communicamus viuo, possumus etiam mortuo cõmunicare, *cap. Sanè dist. 24. qu. 2.*

3 Laicus, tẽpore Interdicti, sepultus in loco nõ sacro, sublato Interdicto, exhumãdus est, & sepeliendus in loco sacro; nam sublata cẽsura, cessat etiam effectus illius.

† Interdictus ab ingressu Ecclesiæ non potest in Ecclesia, vel Cœmeterio sepeliri, *ex cap. Is cui, de sent. excommun.* nisi dederit signa contritionis, quia tunc potest sepeliri; ità Cou. *par. 1. §. 1. num. 3.* Vgolinus *cap. 16. §. 4.* & alij: Item huiusmodi interdictus priuatur exercitio Ordinis sacri, & si secùs faceret, esset irregularis: extrà Ecclesiam poterit celebrare, vt v.g. in Oratorio priuato, in Cœmeterio, &c. quia interdictus ab ingressu Ecclesiæ nõ cẽset interdictus ab ingressu Cœmeterij, &c. Suar. *disp. 34 sect. 1. n. 36.* & alij: Item non potest formalitèr audire Diuina Officia, vt patet *ex cap. Is cui, &c.* Potest tamen interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quando in ea non celebrantur Diuina Officia, recipere Sacramenta; ità Sayrus *de suspens. cap 7.* Henriq. *cap. 3. num. 2.* & alij.

4 Clerici non interdicti, nec qui illius culpabilem causam dederunt, possunt, tempore Interdicti localis, generalis, vel etiã specialis sepeliri in loco etiam specialitèr interdicto, idest in Ecclesia, vel Cœmeterio, modò fiat sine solennitate, &c. vt patet *ex cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* imò *ex cap. Alma mater* possunt sepeliri cum Diuino Officio, iuxtà moderationem illius capitis supradictams. Interdictus nõ priuatur vsu iurisdictioni exterioris; ità Henriq. *cap 43.* Vgolin. *tab. 5. cap. 3. §. 2.* Syluest. *verbo Interdictũ quæst. 5.* Ratio, quia effectus Interdicti sunt solummodò tres; idest priuatio aliquorũ Sacramentorum, Diuinorum Officiorum, & sacræ sepulturæ; actus autem iurisdictionis exterioris ad nullum horum effectuum reduci potest.

5 Interdicti tempore, siuè ab homine, siuè à iure, omnes tàm infirmi, quàm sani admittuntur ad Sacramentum pœnitentiæ, dummodò non sint excommunicati; hi enim non admittuntur, nisi in mortis articulo, nec etiam admittuntur ij, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem fuit positum Interdictũ, nec qui ad talem culpam interdicti dederunt consilium, fauorem, &c. nisi pro ipso delicto priùs satisfaciant, vel dent idoneam cautionem de satisfaciendo, vel si non possunt, iurẽt, quod satisfacient, quando potuerũt, & laborabunt pro posse, dãdo consilium, auxilium, vt qui debent, satisfaciant; non tamẽ idcò relaxatur Interdictum, sed tantùm eis cõceditur pœnitentia: Item, tempore Interdicti, in Ecclesijs, & Monasterijs, singulis diebus Missæ, & alia Diuina Officia celebrentur, vt priùs submissa voce, ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, & non pulsatis campanis, &c. ità vt Canonici, & alij Clerici, qui Horis Diuinis non intersunt, amittant distributiones, sicuti quando non est Interdictum.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Violantes Interdictum, quam pœnam incurrant.*
2 *Interdictum personale tripliciter violatur.*
3 *Laicus peccat violando Interdictum.*
4 *Clericus, quando peccat communicando cum Interdictis, &c.*

1 Violantes Interdictum, mortalitèr peccant; ità communitèr Doctores: Ratio, quia faciunt cõtrà prohibitionem Ecclesiæ in materia graui: Clerici verò violantes Interdictum, præter peccatum mortale, incurrunt etiam irregularitatẽ, violantes ipsum, per exercitium Ordinis sacri; ità *ex cap. Is, cui, de sent. excommunicat. in 6.* præter irregularitatem, incurrunt etiã suspẽsionẽ ab Officio; ità *ex cap. Tanta de excess. Prælat.* Item violantes Interdictum locale, generale interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, *cap. Episcoporum, de priuilegijs*, & ità Sotus *dist. 22. quæst. 3. art. 5.* Syluest. *verbo Interdictum 6. quæst. 3.* Caiet. *verbo Interdicti violatio*, & alij.

2 Interdictum personale à Clericis potest violari triplicitèr: Primò, si personalitèr, ac specialitèr interdictum actum Ordinis exercere præsumant: Secundò, si interterdicti personalitèr, ac specialitèr sacris intersunt: Tertiò, si aliquem personalitèr interdictum post Interdicti denunciationem sacris interesse præsumant: Interdictum verò locale violatur à Clericis, & Religiosis: Primò, si celebrent Diuina Officia, non obseruata moderatione, *cap. Alma mater*: Secundò, si ij, quibus regimen Ecclesiæ commissum est, alios sine dicta moderatione Diuina Officia in loco interdicto celebrare permittant, vt colligitur *ex cap. Non est vobis, de sponsalibus ibi nè celebretis, nec alium celebrare permittatis.*

3 Laicus peccat mortalitèr, qui per violentiam violat Interdictum locale, se ingerendo, vel Clericis iubentibus exire, obtemperare recusant, &c. Si Laicus personalitèr nõ interdictus sine vi, fraude, &c. Diuinis solùm intersit, peccat solùm venialitèr: Ratio, quia non videtur facere contrà obligationem grauem Ecclesiæ: Itẽ si sine vi, fraude aliquod Sacramentum in loco interdicto recipiant. Suarez *disput. 35. sect. 2. num. 6.* videtur peccare mortalitèr: Ratio, quia inducit Clericum ad id, quod sine peccato agere nequit: nullam pœnam incurrunt Laici violantes Interdictum, quia nulla est in iure expressa, preterquàm

in

in Clement.2.de sent.excommunicat., vbi ex communicatione ligantur Laici cogentes aliquē celebrare in loco interdicto, aut vocantes alios interdictos, vt intersint Diuinis Offic ijs, aut prohibentes, nè interdicti exeant, postquam fuerint à celebrantibus exire admoniti; ità Nauar. *cap.2.n.104.* Sayrus *lib.5.cap.14.nu.14.* & alij.

4 Clericus communicās cum nominatim interdictis in rebus, à quibus sunt interdicti, mortaliter peccat, communicans cum Interdicto cum rebus humanis non peccat, quia Interdictum prohibet tantùm Officia Diuina, Sacramēta, & sepulturam; similitèr non est peccatum communicare cum Interdicto non denunciato, vt patet *ex extrauagant. ad euitanda scandala.*

PARAG. IV.

SVMMARIVM.

1 *Causa efficiens Interdicti.*
2 *Interdictum, quando auferatur.*
3 *Interdictum locale non cessat destructione loci.*
† *Episcopus, quando possit dispensare in Interdicto.*
4 *Parochus ab Interdicto absoluere quando possit.*
5 *Quæ facienda ante absolutionem ab Interdicto.*

1 INterdicti causa efficiens est: Primò, Papa: Secundò, Episcopus sine consensu Capituli; subiectum Interdicti personalis sunt homines, in quos iurisdictionem externam spiritualem exercere potest is, qui fert Interdictum: Causa materialis Interdicti est culpa: causa finalis Interdicti est resipiscentia, & emendatio delinquentis. Suarez *disput 36 sect.3.num.2.* Cou. *in cap. Alma mater par 2 §.1.num.4.* & 5. Syluest. *verbo Interdictum 3 quæst.5* & alij. Licet maior culpa requiratur in Interdicto personali generali, quàm in speciali, & maior culpa in Interdicto locali, generali, quàm in Interdicto locali particulari.

2 Interdictum latū pro delicto purè præterito absque vlla adiecta conditione, quę pendeat ex voluntate eius, qui interdicitur, auferri non potest, nisi per relaxationem, aut absolutionem Superioris habentis potestatem; quando autem fertur, vt pura pœna pro peccato præterito, & pro tempore definito; tunc transacto tempore, desinit Interdictum; quando fertur sub hac conditione, donèc satisfiat, impleta conditione, cessat Interdictum. Suarez *disp 38 sect.1.nu 5* & alij.

3 Interdictum locale non cessat destructione loci interdicti, cùm etiā solum censeatur Interdictum, Episcopus potest absoluere ab Interdicto locali posito à iure, vt patet *ex cap. Nuper de sent.excōmun.* Quia Interdictū iuris nō est reseruatū; ità Henriq. *lib. 3. disput. 48. num. 3.* Auila *par.5.disp 4.dub.1.* Quando Interdictum latū est à Papa, Episcopus non potest in eo dispensare, quia inferior non habet potestatem in Superiorem, sicut etiam non potest in Interdicto personali, nisi sit occultum, quia tūc potest absoluere virtute Concilij Tridēt. *sess.14.cap.6.*

4 Parochus non potest absoluere ab Interdicto locali generali, nec etiam ab Interdicto personali generali; potest tamen absoluere ab Interdicto personali speciali non reseruato, vt patet ex forma *Absolutionis, &c.*

5 Ante absolutionem ab Interdicto debet præcedere satisfactio, vel saltem cautio de satisfaciendo, *in cap. Super eo 2.* & *cap. Venerabili de sent.excommunicat* In articulo mortis potest relaxari quodlibet Interdictum; ita ex Conc. Trid. *sess.14.cap.7.*

PARAG. V.

Textus Sacrorum Canonum. De Sent. excommunicationis, &c.

SVMMARIVM.

1 *Interdictum non tenet, nisi præmissa monitione.*
2 *Interdicto Clero, Populus non est interdictus.*
3 *Ciuitas interdicta, etiam suburbia sunt interdicta.*

1 SVspensio, vel Interdictum lata in participantes non tenet, nisi præmissa monitione canonica, *ex cap. Statutum 13. de sent. excomm in 6.*

2 Interdicto Clero, non intelligitur Interdictus Populus, nec è conuerso, quare alter potest interesse Diuinis; cùm propter delictum Domini, vel Rectoris, Ciuitas est interdicta, Ciuesque non sunt culpabiles, nec interdicti, possunt extrà Ciuitatem interesse Diuinis: at interdicto Populo, singulares de Populo sunt interdicti, nec possunt audire Diuina, vel accipere Sacramenta, nisi in casibus à iure cōcessis, *ex cap. Si sententia.*

3 Ciuitas, vel Castrum, &c. si Interdicatur, intelliguntur etiam interdicta Suburbia, & continentia ædificia. Ideò (enim hæc interpretatio fit latior, ne contemnatur interdictum); Si verò interdicatur Ecclesia, sunt interdictæ Capellæ, & Cœmeteria contigua, & sic non potest in eis sepeliri, secùs si non sunt contigua, *ex cap. Si Ciuitas 17.*

PARAG. VI.

Continuatio Text. de sent. excom. &c.

SVMMARIVM.

1 *Celebrans in Ecclesia polluta an sit irregularis.*
† *Item celebrans in loco interdicto.*
2 *In loco interdicto potest fieri Chrisma.*
3 *Quæ liceant Ministris Ecclesiæ tempore Interdicti.*

1 CElebrans scienter in Ecclesia sanguinis, vel seminis effusione polluta, vel præsentibus maiori excommunicatione nodatis, licèt temerariè agat, tamen irregularis non fit, quia non est expressum in
† iure, *ex cap Is, qui, de sent excomm. in 6.* Celebrans scienter in loco interdicto, nisi in casibus permissis, vel ex priuilegio, fit irregularis, in qua nemo potest dispensare, nisi solus Papa, & non potest eligere, nec eligi, *ex eodem cap.*

2 Quando Terra est interdicta, licitè potest fieri Chrisma in die Cœnæ Domini, quia est necessarium in Baptismo, & Confirmatione, quæ tempore interdicti licitè dantur pueris, & adultis, *ex cap. Quoniã 19.*

3 Ministris Ecclesiæ licet Interdicti tempore semel in hebdomada Missarum solemnia celebrare causa conficiendi Corpus Christi, quod datur morientibus in pœnitentia, non pulsatis campanis, submissa voce, ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, *ex cap. Permittimus 57. de sent. excomm.*

TITVLVS XL.
De Suspensione.

SVMMARIVM.

1 *Suspensio quid sit.*
† *Quomodo differat ab alijs censuris.*
† *Item ab irregularitate, &c.*
2 *A quo sit potestas ferendi suspensionem.*
† *Quæ sint causa suspensionis.*
3 *Suspensus peccat exercendo actum, à quo est suspensus.*
4 *Quibus priuetur suspensus.*
5 *Effectus suspensionis simpliciter lata, &c.*
6 *Suspensus ab ordine non est suspensus à iurisdictione, &c.*
7 *Suspensus ab Officio à quibus sit suspensus.*
8 *Item suspensus ab ingressu Ecclesia.*
9 *Quid agendum cum suspenso à Beneficio, &c.*

1 SVspensio est censura Ecclesiastica priuans Clericum vsu Ecclesiastici Officij, aut Beneficij, aut Ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus, & ideò suspensio differt à cęteris censuris: Primo, ab excommunicatione, quia excõmunicatio priuat actionibus, quatenus sunt quædam communicatio: Suspensio verò illis priuat, quatenus sunt quædam
† functio Officij, vel Beneficij: Differt etiam ab interdicto, quia non inducit priuationem tantarum rerum, sicut inducit inter-
† dictum: Differt etiam ab irregularitate, quod irregularitas priuat susceptione Ordinis, vt Ordo est; suspensio verò priuat exercitio Ordinis, vel Beneficij, &c. vt est quædam functio: Differt vltimò à degradatione, & depositione, quod per degradationem, seu depositionem inducitur priuatio vniuersalis Beneficij, & Officij sine spe reconciliationis, cũ solemni quadam cęremonia, quod non accidit in suspensione, ità communitèr Doctores.

2 Potestas ferendi suspensionẽ est à Christo. Institutio verò ab Ecclesia, is autem potest suspendere, qui potest excommunicare; Causa subiectiua, & materialis est solus Clericus, quia omnis suspensio, vel est ab Officio, vel Beneficio, vel Ordine,
† quæ propria sunt Clerici solius. Causa materialis proxima est peccatum, & quidem si grauis sit suspensio, requiritur peccatum mortale; si leuis potest etiam ferri pro veniali. Forma suspensionis non est determinata in iure, & ideò varijs modis potest exprimi: Requiruntur semper tamen verba, quæ exprimant speciem suspensionis: & quando suspensio fertur ob contumaciam, requiritur quod præcedat monitio: quando verò fertur in pœnam delicti, non requirit monitionem. Filliuc. *tract.27. num. 65.* Tolet. *lib. 1. cap. 44. num. 8. & 9.* & alij. Finis verò suspensionis est idẽ, qui & excommunicationis, qui est vtilitas animæ. Tolet. *num.11.*

3 Suspensus peccat mortalitèr, exercendo actum, à quo est suspensus: Ratio, quia violat præceptũ Ecclesiasticum in re graui. Suspensus ab Ordine, exercendo actũ Ordinis solennitèr, non solùm peccat, sed etiam est irregularis: Item suspensus ab ingressu Ecclesiæ, efficitur irregularis, celebrando in Ecclesia: Item Episcopus suspensus à Pontificalibus, efficitur irregularis, exercendo actus proprios solius Episcopi: Item suspensus à Diuinis, irregularis efficitur, illa ex officio persoluendo.

4 Suspensus priuatur communione eorũ, in quo est suspensus: Item priuatur iurisdictione propria, ità quod acta, à suspenso denunciato nominatim sint inualida; secùs verò si nõ sit nominatim denunciatus, quia tũnc eius acta valida sunt, cùm illi non adimatur iurisdictio.

5 Suspensio simplicitèr, & absolutè lata, suspendit absolutè ab omnibus, nisi ex antecedentibus verbis, aut ex intentione Iudicis colligatur restrictio; ità Syluest. *verb. Suspensio quæst. 5.* Auila *de susp. dub. 1.* Sayrus *lib.4. cap.4. num.3.* Vgolin. *tabula 4. cap. 14.* & alij. Suspensio verò lata cum expressione alicuius effectus particularis extenditur ad illum effectum, & ad ea, quæ sunt illi annexa.

6 Suspensus ab Ordine non est suspensus à iurisdictione, nec è contrà, nec suspensus ab Ordine Pontificali, non est suspensus à Sacerdotio, nec ab alijs Ordinibus, quia Pontificalia non spectant ad substãtiam Ordinis; suspensus verò à minori Ordine, suspenditur etiam à maiori, non autem è contrà, & suspensus ab vno Ordine, non potest ad maiores ascendere.

7 Suspensus simplicitèr ab Officio, censetur suspensus, non tantùm ab officio Ordinis, sed etiam iurisdictionis, non intelligitur tamen suspensus à Beneficio, licèt suspensus ab officio debeat per alium supplere onera Beneficij, quia secùs non potest fructus Beneficij percipere.

8 Suspensio ab ingressu Ecclesiæ priuat actu solenni cuiuscumque Ordinis ex Officio intrà Ecclesiam: Item priuat Ecclesiastica sepultura; Suspensio ab administratione prohibet administrationem tẽporalem, & spiritualem. Suspensio à Diuinis prohibet, ne Clerici possint in Choro Psalmos, &c. Suspensio à Beneficio priuat vsu iuris recipiendi emolumentum ex Beneficio fructum cuiuscumque conditionis sint.

9 Suspenso à Beneficio in pœnam perpetrati delicti tradendo est portio fructuum sufficiens ad congruam sustentationem ea-

taxandam auctoritate Superioris, quoties suspensio fuit lata ab homine per sententiam; Quando fuit lata à iure, nec delictū fuit deductum ad forum contentiosum; portio fructuū taxari potest iudicio prudentis viri: Si verò suspensio sit lata pro contumacia, suspensus non est alendus ex fructibus Beneficij. Filliuc. *tract. 27. num. 53.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Suspensio quando auferatur.*
2 *Tripliciter potest auferri.*
3 *Duobus modis interrumpitur.*
4 *Suspensus ex delicto violando suspensionem, est irregularis.*
† *Acta per suspensum an sint valida.*

1 SVspensio lata simplicitèr, & absolutè absque conditione, vel limitatione tēporis durat, donec auferatur per absolutionem; si verò lata sit cum temporis determinatione, durat vsque ad tempus determinatum; Suspensio ab Officio simplicitèr lata absque loci determinatione, valet pro omni loco, quia suspensio est censura, quæ sequitur suspensum, vbicumque sit, quod etiam dicendum de suspensione à Beneficio lata simplicitèr absque determinatione loci.

2 Suspēsio lata in puram pœnam triplicitèr potest auferri: Primò, per temporis lapsum: Secundò, per dispensationem Superioris: Tertiò, per absolutionem. Suspensio verò lata sub cōditione, donec satisfeceris, exhibita satisfactione, cessat. Absolutio suspensionis, quæ est ab homine, pertinet ad eum, qui tulit sententiam, vel ad eius Successorem, vel Superiorem. Suspensio lata ob cōtumaciam, & ob perseuerantiam in illa, non potest tolli, nisi ab auctore illius, vel Superiore, etiam à successore latam contumaciam, etiam à successore in Officio, si sit ab homine. Si verò sit à iure, tūnc si est reseruata, tantùm poterit auctor, Superior, vel successor; Imò etiā Episcopus, si sit reseruata Papæ, & delictū sit occultum, ex concessione Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 6.* Si non sit reseruata; Tùnc poterit ab ea absoluere quilibet Ordinarius. Suarez. *disp 29. sect. 2. num 2.* & alij.

3 Suspensio duobus modis interrumpitur, vno modo per appellationem, quę si præcedat suspensionem, facit ipsam irritam. Si verò sequitur suspensionis sententiam, suspensio non interrumpitur, quando est merè à spiritualibus, vt ab Officio, &c. Si verò suspensio sit mixta, idest partim à spiritualibus, & partim à temporalibus, ipsa, post latam sententiam, interrumpitur per appellationem, ex ea parte, quæ exiat tēporalibus; ità Reginald. *lib. 32 tract 2. num. 40.* Interrumpitur etiam per auctoritatem Superioris, à quo lata est, & consequentèr à successore, vel Superiore ipsius.

4 Suspensus ex delicto fit irregularis, violando suspēctionem, per exercitium solenne maioris Ordinis, à quo est suspensus. Nauar. *cap. 27. num. 103.* Tolet. *lib. 1. cap. 45.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 18. punct. 1.* & alij. Acta per suspensum, qui non est nominatim denunciatus, valida sunt: Ratio, quia huiusmodi suspensus toleratur ab Ecclesia, consequentèr illi non adimitur iurisdictio; Acta verò iurisdictionis propriæ per suspensum nominatim denunciatum, inualida sunt, nisi adsit titulus coloratus, & error communis vulgi. Actus verò Ordinis, qui non requirunt iurisdictionem ad sui valorem, validi sunt, vt consecrare, &c. Actus Sacramentalis inualidè exercetur à suspenso nominato, quia requirit Ordinem, & iurisdictionem. Suarez *disp. 27. sect. 2.* & alij.

† (margin mark beside "iurisdictio")

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sunt suspensiones impositæ pro Clericis,*
2 *Item contra Religiosos.*
3 *Contrà Capitula.*
4 *Contra Episcopos.*

1 SVspensiones, quæ Clericis ipso iure imponuntur, sunt sequentes: Prima, in recipientes Ordines ab eo, qui renuntiauit Episcopatui, *cap. 1 De Ordinat. ab Episc. qui renunciauit.* Secunda, si recipiat ab alieno Episcopo sine licentia proprij. Tertia, si recipiat à proprio in aliena Diœcesi, sine licentia Diœcesani, *cap. Episcopum 9. quæst. 2.* Quarta, si recipiat ab Episcopo excōmunicato, vel suspenso: Quinta, si recipiat Ordinem ante legitimam ætatem, *cap. Vel non compos, de tempor. ordinat.* Sexta, si recipiat Ordines extrà tempora sine dispēsatione: Septima, si non seruatis interstitiis ab Ecclesia præscriptis: Octaua, si ficto titulo, quis ordinetur: Nona, si quis sit promotus per saltum: Decima, si post matrimonium contractum, etiam nou consummatum, quis suscipiat Ordines: Vndecima, si excommunicatus, suspensus, vel interdictus ordinetur: Duodecima, si vacante Episcopatu, & nō arctatus occasione Beneficij recepti, vel recipiendi, intra annum cum litteris dimissorijs à Capitulo receptis, quis ordinetur in sacris. Tridentinum *sess 7. cap. 10. de reformat.* Decima-tertia, item contrà Clericos, qui præter modum in iure concessum vtuntur ordine in loco interdicto: Decima-quarta, Contrà eosdem, si celebrent coram excommunicato, vel interdicto, vel eundem admittant ad Diuina, vel sepulturam, *cap. Episc. de priuileg.* Decima quinta, tradentes sepulturæ publicos vsurarios, *cap. Quia in omnibus de vsur.* Decima-sexta, contrà Parochum iungentem sponsos alterius Parochiæ sine licentia Parochi illorum, vel eosdem benedicentem. Tridentinum *sess. 24. cap. 1 de reformat. matrim.* Decima-septima, contrà Parochos, qui contempserint prohibere matrimonia clandestina, vel contracta contrà Interdictum Ecclesiæ, *cap. Cum inhibitio, de clandest. desponsat. in puber.* Decima-octaua,

abutētes vestibus cōtrà iuris statuta Clement. 2. *de vit. & honest. Cler.* Decima-nona, grauantes Ecclesias sibi commissas alienis debitis, *cap. 2. de solut.* Vigesima, occupantes bona Pręlati defuncti, *cap. Quia sapè, de elect. in 6.* Vigesima-prima, electores Episcoporum, qui infrà octo dies non presentarent electionem factam electo, *cap. Capientes in 6.* Vigesima-secunda, compromissarium eligentem indignum in Episcopum, vel Curatum, *cap. Cum in cunctis de electione.* Vigesima tertia, postulantes in Pręlatum Cathedralis eos, qui prohibentur: Vigesima quarta, qui opponit in electum, & posteà deficit in probationibus, *cap. 1. de elect. in 6* Vigesima-quinta, consentientem electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis, *cap. Quisquis, de elect.* Vigesima sexta, inferiores Episcopi non seruantes in visitatione Constitutionem Innocentij IV Vigesima-septima, conferentes Beneficia eorum, qui seruiunt in Curia, *Extrauagant. 3 de priuileg* Vigesima-octaua, facientes in Iudicio per sortes aliquid contrà conscientiam, & iustitiam in grauamen partis: Vigesima-nona, conseruatores, qui de alijs, quam de manifestis iniurijs se scientèr intromiserint, *cap. vltimò, de officijs, de elect. in 6.* Trigesima, occupantes bona, census, &c. Ecclesiæ, Beneficij, vel Pij loci: Trigesima-prima, publicos peccatores: Trigesim-secunda, publicos concubinarios: Trigesima-tertia, Sodomiam exercentes: Trigesima quarta, Simoniacos: Trigesima quinta, iurantes de tenendo Schismate: Trigesima-sexta, prouocantes ad duellum, vel acceptantes: Trigesima-septima, raptores, vel præbentes auxilium, &c. raptui: Trigesima octaua, disputantes de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis.

2 Suspensiones contrà Religiosos sunt sequentes: Prima, contrà Apostatas Ordines recipientes: Secunda, recipientes ad professionem ante annum probationis: Tertia, Superiores concedentes redditus Ecclesiarũ alicui ad vitam: Quarta, vsurpantes decimas sibi non conuenientes: Quinta, non vtētes habitu, & vestitu modo ipsis præscripto: Sexta, Superiores, ad quos occasione excessuum istorum aliquid peruenerit: Septima, non facientes conscientiam pœnitentibus de decimis: Octaua, non professos recipientes Ordines Sacros: Nona, introducentes mulieres in Monasterium prætextu facultatis Apostolicæ.

3 Suspensiones contrà Capitula eæ sunt: Prima, si dilapidant bona relicta, vel obuenientia tempore vacationis: Secunda, si recipiant Prælatos promotos in Curia absque litteris Papæ: Tertia, si perant in receptione ad Religionem, aut post illam, pastus, & prandia: Quarta, si non seruēt contenta in Constitutione Quanta Pij V.

4 Suspensiones contrà Episcopos eę sunt: Prima, conferentes Ordines simoniacè: Secunda, conferentes suspenso, & ordinantes Religiosum non professũ: Tertia, ordinantes, accepto iuramento, quod nō molestabuntur super eorum prouisione: Quarta, ordinantes Monachum sine licētia Abbatis: Quinta, non promulgantes Cōcilium Prouinciale toti Diœcesi: Sexta, intromiscentes se in caussis spectantibus ad electionem Episcoporum: Septima, submittentes Laicis bona Ecclesiæ sine debito consensu: Octaua, occupantes bona vacantium pertinentium ad eorum prouisionem: Nona, in causa alienationis malè vtentes delegata potestate: Decima, alienantes bona Ecclesiæ vltrà biēnium: Vndecima, admittentes resignationem contrà formam pręscriptam in Constitutione Quanta: Duodecima, fouentes vsuras locando suas domos: Decima-tertia, abutentes munere Inquisitorũ in caussa Fidei: Decima-quarta, delinquentes contrà Clericorum immunitatem: Decima quinta, non seruantes, *Extrauag. 2. de electione.* Quoad perceptionem fructuum primi, & secundi anni: Decima-sexta Promotos à Sede Apostolica sine litteris autenticis eiusdem: Decima septima, Concubinarios à Synodo admonitos, & non se emendantes: Decima octaua, relaxantes insidiarijs pœnam contentam in iure: Decima-nona, negligentes procedere contrà Simoniacos: Vigesima, non facientes comburi libros Talmut: Vigesima-prima, publicantes Populo Indicem casuum: Vigesima-secunda, non visitantes limina Apostolorum tempore præscripto in Cōstitutione Sixti V. Vigesima-tertia, ingredientes Monasteria Monialium sine necessitate.

TITVLVS XLI.

De Remotione, seù Degradatione.

SVMMARIVM.

1 *Degradatio Clerici duplex.*
2 *Differentia inter depositionem verbalem, & actualē.*
3 *Crimina, per quæ quis degradatur verbalitèr.*
1 *Item realitèr.*
4 *Effectus depositionis actualis, &c.*

1 DEgradatio Clerici duplex est: Vna verbalis, quæ depositio, seù remotio dicitur: & altera realis, quæ degradatio dicitur. Degradatione verbali priuatur Clericus omni Officio, & Beneficio in perpetuũ per sententiã Ecclesiasticam, sine spe restitutionis: Retento tamen priuilegio Clericali. Degradatio realis est priuatio priuilegij Clericalis facta post depositionem, adiuncta reali actione, & cęremonia per Canones instituta. Suarez *de censuris disp. 30. sect. 1. & 2.* Valent. *tom. 4. disp. 7. quæst. 19 punct. 4.*

2 Est multiplex differentia inter depositionem actualem, & verbalem: Prima est, quia actualis solet fieri cum maiori solēnitate, nam solet fieri, Astantibus Abbatibus infulatis, & astantibus alijs in dignitate constitutis. Verbalis fit solummodo verbis, quibus Clericus deponitur à Beneficio,

ficio, &c. Degradatus verbalitèr gaudet priuilegio fori, & consequentèr non potest puniri a Iudice Laico. Actualitèr autem degradatus amittit priuilegium Clericale, Canonis, & Fori. Degradatus verbalitèr potest ab Episcopo restitui. Actualitèr verò secundùm communiorè sententiam à solo Papa. Syluest. *verb. Degradatio.* Filline. *tract.* 18. *cap.* 8. *num.* 190. Manet tamen in degradato actualitèr character Ordinis, & potestas, quamuis ei interdicatur exercitium, *cap Quod quidam* 1. *quaest.* 1. *cap. Lecité* 32. *quaest.* 5.

3 Crimina, per quæ quis meretur degradationem verbalem, sunt sequētia: Adulterium, Concubinatus, post monitionem perseuerans, Stuprum, Incestus, Furtum, Periurium, Homicidium etiam patratum solo consilio, Simonia notoria, Delictum, quo quis permittit Parochianum decedere sine Baptismo, & alia crimina maxima, & atrocia, quæ inferunt irregularitatem.

† Crimina verò, quæ realem merentur degradationem sunt: Homicidium qualificatum, Crimen hæresis, Sodomia sæpius exercita, & similia, quæ Iudicis arbitrio tali pœna digna sunt. Effectus huius degradationis realis est actus, quo quis traditur Curiæ sæculari, qui effectus non tamen semper sequitur degradationem realem, cùm non omnis degradatus tradatur Curiæ sæculari, sed solùm quando degradatur ob delicta enormia: vt ob homicidium sui Episcopi, vel ob homicidium iteratum, vel ob delictum valdè Reipublicæ perniciosum, vel ob crimen hæresis, vel ob falsitatem litterarum Papalium, vel ob Sodomiam sæpius exercitam, *cap. Si quis Sacerdotum* 51. *quaest.* 1. Iniiciens manus in degradatum, non incidit in Canonis pœnam, *Si quis suadente* 17. *quaest.* 4.

4 Depositus actualitèr non gaudet priuilegio Fori, & Canonis, *cap Degradatio de pœnis in* 6. Depositus verò verbalitèr fruitur priuilegio Canonis: Vndè, qui illum percutit, incurrit excommunicationem. Percutiēs Clericum damnatum ad triremes, non incurrit excommunicationem, si percutiat ex officio: Ratio, quia fungitur suo munere. Si verò percutiat ob alias causas, incurrit excommunicationem, quam alii incurrunt percutientes Clericum verbalitèr depositum: Similitèr Clericus degradatus verbalitèr gaudet priuilegio Fori, consequentèr non potest cogi, nec puniri à Iudice Sæculari, nisi post depositionem verbalem factus sit incorrigibilis; ita Nauar. 27. *num.* 85. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quaest.* 19. *punct.* 4. Suarez *disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 88. & alii. Dicitur autem incorrigibilis, quando perseuerat in prioribus criminibus.

TITVLVS XLII.

De purgatione Canonica.

SVMMARIVM.

1 *Purgatio Canonica quid sit.*

2 *Qualiter indicatur.*

1 Pvrgatio canonica est ostensio innocentiæ super obiecto crimine, certis à iure inuentis mediis facta. Et idcircò dicitur canonica, quia à Canonibus inuenta, & prodita: Indicere eam potest is Iudex, qui de negotio cognoscit, vel cognoscere debet, *cap. Cum dilectis* 15. *cap. Ad abstinentiam, de consuet. cap. Licet, de offic. Legati.*

2 Indicitur purgatio à Iudice, vel ad instantiam partis, vel ad instantiam eius, qui purgandus est, & iniungi non debet cuilibet Reo, sed tantùm fide digno, quem verisimile est, non facilè peieraturum.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum.

De purgatione Canonica.

SVMMARIVM.

1 *Infamatus fide dignus per iuramentum se purget, &c.*

2 *Infamatus tertiò monitus se non corrigens vsque ad purgationem ab officio suspenditur.*

3 *Regulares purgant se delicto secundùm regulam Canonicam.*

† *Delictum, si est probabile, non inducitur purgatio, &c.*

4 *Episcopus infamatus de simonia, &c. debet se purgare iurando.*

5 *Episcopus Parochianum suum infamatum compellere potest ad se purgandum.*

† *Qualitates purgatorum.*

† *Deficiens in purgatione, quas pœnas incurrat.*

6 *Absolutio facta secundum purgationem vulgarem non tenet.*

† *Cum purgator sufficit, quod sit toleratus ab Ecclesia, bona fama, &c.*

1 Infamatus fide dignus, deficiente accusatore, se cum duodecim hominibus ingenuis purgare debet; quod si ante fuerit deprehensus in furto, periurio, aut falso testimonio, non admittitur ad iuramentum, sed ei tamquàm non ingenuo indicitur purgatio canonica, *ex cap. Nobilis* 1. *de purgatione canonica.*

2 Si Presbyter fuerit infamatus, & negligens famam suam purgare, Episcopus debet cogere populum manifestare eius infamiam, qua patefacta, si accusator defuerit, Episcopus illum seorsum admoneat, & si se non correxerit, adhibeat duos, aut tres, & si sic se non corrigit, Episcopus eum publicè admoneat, & si sic non iurauerit se emendare, suspendat ab officio vsque ad dignam satisfactionem, nec in populo sit scandalum, *ex cap. Si quis* 2.

3 Monialis, si accusetur libidini inseruire, & hoc probari non possit, purgatio est illi indicenda, secundùm tenorem Regulę, *ex cap. Moniales* 3. Si aliquis Clericus eõuiĉtus fuerit in iudicio, vel confessus se consensisse raptoribus alienarum sponsarum, vel interuenisse in raptu, à proprio gradu debet repelli, & si de hoc verisimilitèr infamatus fuerit, canonicè se expurget, *ex cap. Si quis de gradu.* Contrà raptores hodie in Concilio Tridentino sic statuitur, & nihil-

 omi-

ominibus raptor ipse, ad omnes illi consilio, ac fauorem præbentes, sunt ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant.

4 Episcopus infamatus de simonia, si accusatores non probant, debet se purgare, iurando, cum tertia manu sui Ordinis, & quarta Abbatum, & Religiosorum Sacerdotum. Tenor purgationis talis esse debet: † iurabit Episcopus super Sancta Dei Euangelia, quod pro Ecclesia S. Petri Presbytero danda, nec per se, nec per aliam personam aliquid accepit, nec aliquis, eo sciente, *ex cap. Quoties 5.*

5 Episcopus potest compellere suum Parochianum infamatum de aliquo crimine, deficientibus probationibus, ad se purgandum, nisi fortè ad Superiorem appellauerit, quia tunc Iudex appellationis iudica† bit, *ex cap. Inter nos 6.* Purgatores debent esse honesti, & bonæ opinionis, & notum habere eum, quē purgāt, & quod verisimile sit eos nolle odio, vel amore, aut obten† tu pecuniæ deierare: Itē qui deficit in purgatione, officio, & beneficio est priuandus: Item qui recipit purgationem, non debet ostendere maleuolentiam, vel indignationem, nec impedire eum, nec ab aliis, in quantum in ie est, impediri permittat, *ex cap. Cum P. 7.*

6 Absolutio facta secundùm purgationē vulgarem, non est valida, & ideò de nouo debet se purgare purgatione canonica, licèt idonei accusatores nō appareant, ideò vt cùm septima, vel quinta manu sui Ordinis ostendat suam innocētiam, qua præstita est absoluēdus, non obstante contradictione, vel oppositione alicuius, *ex cap.* † *Ex tuarum 8.* Sufficit, quod cùm purgator sit bonæ famæ, toleratus ab Ecclesia, nec de crimine suspectus, aut accusatus, & secundùm propriam conscientiam, & opinionem iuret, quod purgandus sit immunis à crimine, nec est inquirendum, nec facienda indagatio de iis, sicut de ordinandis, *ex cap. Constitutus 9.*

PARAG. II.

Continuatio eiusdem materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Iudex, quomodo procedere debeat contra infamatum infamia publica.*

2 *Suspicio verisimilis quid operetur.*

3 *Purgatus de eodem non potest iterum accusari.*

1 QVando quis apud suum Iudicem infamatus est, & infamia publica laborat, & non est orta ab inimicis, tunc Iudex debet præfigere terminum, vt si quis vult, accusare, compareat, qui si compareat, auditur canonicè; si non compareat, & infamia crebrescit, procedat indè Iudex ad inquisitionem, & si nullus appareat, etiam denunciator, nec conuincitur, tunc compellat eum Iudex ad purgationem canonicam. Glos. in cap. Presbyter 2. [illegible]

2 Suspicio verisimilis sufficit ad inducendum talem purgationem, quamuis non quis infamatus, sed vt temeraria suspicio repellatur, *cap. Si quis eo*; violenta autem suspicio sufficit ad sententiam, *cap. Dixit 33. quæst. 1.* Plures tamen tenent, quod infamia verisimilis non sufficit, si non est infamis, nec semi-conuictus. Quādo crimen est notorium, vel apparet accusator, non debet Reus ad purgationem recipi, etiamsi offerat.

3 Purgatus de eodem non poterit iterùm accusari, quia Sacramentum est maioris authoritatis, quàm sententia, & iuramentum bona fide exactum consummit actionem popularem, nisi accusans suum dolorem prosequatur, & doceat suam purgationem indictam se ignorasse, vel nisi velit probare deierasse purgatum, quod potest fieri, cum iuramentum sit iudiciale, & contrà iuramentum iudiciale probari possit, *de iur. iur. l. admonendi.*

PARAG. III.

Continuatio Textus de purgatione canonica.

SVMMARIVM.

1 *Infamatus, &c. potest aliquando suspendi ob magnitudinem criminis.*

2 *Compurgatores admittendi debent esse persona viciua, &c.*

† *Infamia, quando non sit de necessitate indicenda, &c.*

† *Compurgator debet iurare de credulitate.*

3 *Infamatus super defectu natalium non debet promoueri.*

4 *Purgatio non est indicenda super notorio crimine.*

5 *Prælatus infamatus quid debeat facere, si vult se purgare.*

1 LIcèt secundùm Canones infamatus sit suspendendus, donèc se purgauerit; tamen propter enormitatem criminis, v.g. hæresis, potest suspendi ab officio, & beneficio, etiam nullo accusante, sed ex sola fama potest Episcopus ex officio suo accipere testes contrà ipsum, & augetur numerus purgantium: Post purgationem ab hæresi restituitur beneficium, sed suspenditur ab officio in pœnam, donèc cesset scandalum, & faciat actus contrarios hæreticis, sed si deficit in purgatione, debet pro conuicto haberi, deponi ab officio, & beneficio detrudi in Monasterium ad agēdam pœnitentiam, *ex cap. Inter sollicitudines 10. de purgatione can.*

2 Compurgatores debent esse personæ vicinæ illius, quem purgant, *ex cap. Cum dilectus 11.* quia vicinus præsumitur scire acta vi† cini: Si infamia ortum non habeat ex probabilibus coniecturis, non est de necessitate indicenda purgatio; potest tamen indici ad instantiam purgandi, *ex cap. Cum in iuventute 12.* sufficit, si purgatores iurēt, quod credant eum dicere veritatem, *ex cap. De testibus 13.*

3 Infamatus super defectu natalium non debet promoueri, nisi priùs se purget, *ex cap.*

cap. Accedens 14. quia quoties de se contraria fama existat, non potest promoueri ad sacros Ordines, nisi priùs probet se legitimè natum.

4 Quando crimen est notorium, purgatio non est indicenda, sed condemnatio: Item pendente iudicio coram Iudicibus delegatis Papæ, non debet Ordinarius purgationem indicere infamato, & si purgauit, purgatio non valet, sed est purgandus à Delegato Papę, si contrà infamatum non apparet accusator, *ex cap. Cùm dilectis 15.*

5 Prȩlatus infamatus de criminibus, si vult se purgare, debet iurare, quod non commisit illa delicta, postquam fuit assumptus ad Prælaturam, & compurgatores debent quoque iurare se ità credere, quia non tenetur iurare de tota sua vita, *ex cap. Accepimus 16.*

TITVLVS XLIII.
De Purgatione vulgari.

SVMMARIVM.

1 *Purgatio vulgaris quot modis fiebat.*
2 *Purgationi vulgari an quis teneatur stare.*

1 PVrgatio vulgaris triplex olim fuit, per iudicium aquæ frigidæ, tactum ferri candentis, aquæ feruentis, & per duellum, quæ est à sacris Canonibus improbata ex triplici ratione: Primò, quia hęc facta fuit inuidia fabricāte, vt *in cap. Mennam*: Secundò, quia Deus tentari videtur: Tertiò, quia plerumque innocens condemnatur, *cap. Significantibus*, Deus autem tentari non debet.

2 Huiusmodi purgationi non tenetur aliquis stare, sed potest eam retractare, detecto errore: Ratio est, quia talis sententia est contrà ius scriptum, & ideò nulla, *cap. Ex quo §. Definitiua, & Cod. de sent. interlocut. omnium Iudicum, l. prolatam*; & ideò veritate cōperta potest retractari, vt *ff. de condict sine causa, l. si nullo*, & sententia lata ex tali purgatione est nulla, vt patet *ex cap. citato Significantibus.*

PARAG. VNIC.
Textus Sacrorum Canonum.
De Purgatione vulgari.

SVMMARIVM.

1 *Purgatio vulgaris per duellum in nullo casu tolerari debet.*
† *Pœna contrà duellantes.*
2 *Purgatio vulgaris in nullo casu tolerari debet.*
3 *Ferri candentis iudicium interdicitur.*

1 PVrgatio vulgaris, quæ habetur per duellum, in nullo casu tolerari potest,
† *ex cap. Cura 2. de purgat. vulgar.* & ideò contrà duellantes plures pœnæ statutæ fuerunt in Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. cap. 19.* A Pio V. in sua Constitutione incipiente *Ea quæ à prædecessoribus*, sub dat. Idibus Nouembris 1560, & à Gregorio XIII. in sua Constitutione incipiente, *Ad tollendum*, sub dat. 24. Decembris 1582, & à Clemēte VIII. in nouissima Constitutione incipiente, *Illius vices*, sub dat. 2. Septembris 1592.

2 In nullo casu tolerari debet purgatio vulgaris, quia sæpè per hoc fallat iudiciū, tentato Deo, innocens impiè ex præsumptione damnabatur, & ideò sententia lata ex tali purgatione est nulla, ità *ex cap. Significantibus 2.*

3 Purgatio ferri candētis interdicitur sub censura, quia est tentare Deum, *ex cap. Dilecti 3.* & ideò Papa mandat templarios, qui Liuones de nouo ad fidem conuersos tale iudicium subire compellebant sub censura, vt omninò à tali iudicio desistant, & nè ampliùs Liuones ad fidem Christi conuersos tali iudicio grauent, &c.

TITVLVS XLIV.
De iniurijs, & damno dato.

SVMMARIVM.

1 *Iniuria duplex, &c.*
2 *Ad contumeliam quid requiratur.*
3 *Contumelia ex genere suo est peccatum mortale.*
† *Fit aliquando veniale.*
4 *Est peccatum contra iustitiam, &c.*
5 *Derisio est maius peccatum, quam contumelia.*
6 *Irrisionis gradus.*
7 *Susurratio est maius peccatum, quàm contumelia.*
† *Duplex susurratio.*
8 *Non licet ob propriam vtilitatem, &c. aliquem excludere ab amicitia.*
9 *Susurrationes sunt eiusdem speciei.*
10 *Materialis susurratio, quo fit.*

1 INiuria duplex, vna verbalis, & altera in scriptis: Iniuria verbalis est, cùm alicui obijcitur crimen, vel defectus, quæ obiectio iniuriæ propriè dicitur contumelia, & si fiat intentione inducendi erubescentiam; Dicitur derisio; si verò fiat talis obiectio, intentione seminandi discordias inter amicos: Dicitur susurratio, ità Nauar. *cap. 18. num. 13.* Clauis-regia *lib. 12. cap. 3.* Azor. *3. par. lib. 12. cap. 8.* Molina *tract. 4. disput. 25.* & alij. Iniuria, quæ fit scripto, est, cum quis conficit libellos continentes iniuriam, vel infamiam alicuius, vel etiam priuatas literas, &c.

2 Ad contumeliam, siuè iniuriam requiritur scientia, & dolus, *l. Sed in conuicij*; non requiritur tamen ad contumeliam directum propositum lædendi, sed sufficit virtuale, vt cum qui scientèr talem actionem exercet, ex qua alterius honor suaprè natura violatur.

3 Contumelia ex genere suo est peccatum mortale; ità Reginaldus *cap. 24. num. 100.* Rebell. *lib. 4. de restitut. quæst. 1. num. 8.* & alij: Ratio, quia in materia graui lædit famam;
† ratione paruitatis materiæ, potest esse solùm peccatum veniale, vt cum quis leue conuicium in alium iacit intentione leuitèr honorem lædendi: Item contumelia est contrà iustitiam: Ratio, quia infert dānum lædendo famam, honorem, &c. &

ideò

ideò est grauiùs peccatum, quàm detractio; ità S. Thomas 2.2. qu. 73. art. 2. Azorius 3. par. lib. 13. cap. 6. dub. 3. & alij.

4 Cùm contumelia sit peccatum contrà iustitiam, idcircò ex ea oritur obligatio restituendi; restituitur autem honor ablatus varijs modis: Primò, pacifica, & amica salutatione: Secundò, læso dando locum honoratum, vel illi propinquando, &c. Tertiò, petendo veniam prò iniuria illata, &c.

5 Derisio verò est maius peccatum, quàm contumelia, quia maiorem continet contemptum, & concurrentibus subsequentibus conditionibus, semper est pecc. mortale: Prima, quod derisus grauitèr de derisione tristetur: Secunda, quãdo adest intẽtio grauitèr cõfundẽdi proximũ: Tertia, quãdo deridens manifestat graue vitium, &c.

6 Irrisionis sunt quatuor gradus: Primus, est irrisio proximi facta promissiuè: Secundus, est derisio proximi tamquàm viri iusti: Tertius, est irrisio parentum: Quartus, est irrisio Dei, & in aliquibus casibus irrisio non est peccatum mortale: Primus, quando non adest contemptus personę, vt si fiat in risum, & in ludum: Secundus, quãdo fit causa corrigẽdi proximum, vel causa recreationis honestæ, modò non intendatur confusio, & erubescentia proximi; ità S. Thomas 2.2. quæst. 75. art. 2. Valent. tom. 3. disput. 5. quæst. 18. pun. 2. Azorius 3. par. lib. 13. cap. 9. Molina tract. 4. disput. 21. num. 4. & alij. Et quia per derisionem violatur iustitia; idcircò deridens obligatur ad restitutionem.

7 Susurratio est maius peccatũ cõtumelia, & derisione, cùm maius damnum afferat dissoluendo amicitiam, quæ præstantior est bonæ famæ, & honoris, iuxtà illud Ecclef. 6. Amico fideli nulla est comparatio

† &c Verùm duplex est susurratio: vna formalis, & altera materialis; formalis est illa, quæ fit intentione seminandi discordias, & dirimendi amicitias, & hæc regulaVitèr semper est peccatum mortale: Dixi regularitèr, quia aliquando excusatur à peccato mortali, ratione indeliberationis, & inaduertentiæ: Secundò, quando quis seminat discordias, non ad dissoluẽdam veram amicitiam, sed perniciosam.

8 Non licet medijs illicitis ob propriam vtilitatem per susurrationem aliquem excludere ab amicitia, & gratia, v.g. infamãdo proximum, &c. Si verò id agatur solùm narrando aliquos defectus naturales, aut alios veros, & non occultos, ex quibus nõ sequitur infamia, nec dissolutio amicitiæ, sed tantùm familiaritatis illius ordinariç, v.g. cum Rege, & Principe, quã habebat, non est peccatum mortale; ità Aragonius 2.2. quæst 74. art. 2. Sotus de iust. quæst. 11. art. 1. & alij: Ratio, quia medijs licitis vtitur iure suo.

9 Omnes susurrationes sunt eiusdem speciei, quia oẽs versantur circà idẽ obiectum formale, dissolutionem scilicèt amicitiæ; possunt tamen tales circumstantiæ accidere in susurratione, vt trahantur in diuersam speciem, vt si quis coniugum amicitiã dissoluere cogatur, vt abutatur vxore, quia talis susurratio trahitur ad speciem adulterij, & sic in alijs consimilibus easibus dicendum erit.

10 Materialis susurratio est illa, quando dicitur malum nonob fine, vt seminentur discordiæ, sed ex loquacitate, vel affecta quodam susurrandi, quæ iuxtà qualitatem materiæ aliquando est mortalis, & aliquando venialis.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Damnum inferri potest dupliciter.*
2 *Modi diuersi concurrendi, &c.*
3 *Concurrens efficaciter quomodo obligetur ad restitutionem.*
4 *Quando insolidum obligentur.*
† *Aut pro rata parte.*
5 *Quid agendum, quando vna causa, vel principalitèr, vel minus principalitèr obligata, restituit.*
6 *Causa per accidens damni, ad quid obligetur.*
7 *Item participans in opere intrinsecè malo.*

1 Dupliciter potest quis alicui inferre damnum mediatè, & immediatè: Infertur damnum immediatè, accipiendo, retinendo rem alienam, vel etiam exequẽdo aliquam actionem, à qua immediatè fit damnum: Infertur mediatè consulendo, mandando, &c. Sunt autem sex modi quibus aliquis concurrit ad damnum alterius mediatè, vel immediatè, his versiculis comprehensi.

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

2 Qui concurrit ad damnum sex primis malis concurrit positiuè, tribus autem vltimis negatiuè. Quando plures ex supradictis causis concurrunt consulendo, mandando vnum, & indiuiduum effectum, vnaquæque illorum censetur causa totalis illius damni, quando verò concurrunt consulentes, &c. non eumdem indiuiduum effectum, non censentur causa totalis, sed partialis.

3 Quicumque autem ex prædictis modis concurrit efficacitèr ad effectum damni, tenetur ad restitutionem; ità Azor. 3. par. lib 4. cap. 10. Rebell. lib. 2. de restitut. quæst. 14. nu. 1. Em. Sà verbo Restitutio, & alij: Dixi efficacitèr, quia quando causæ nullo modo influunt in effectum consulendo, &c. tales sunt, ac si non essent, & per consequens non obligantur ad restitutionem, qui verò dubitat, an sua actione, vel omissione cooperatus sit ad damnum, adhibita diligentia, si dubium perseuerat, non obligatur ad restitutionem; ità Lessius lib. 2. cap. 13. num. 4. Reginaldus lib. 10. tract. 2. num. 41. Emi Sa verbo Restitutio num 34. Sanchez in sum. lib. 2. cap. 10. num. 44. & alij: Ratio, quia possessio stat pro illius libertate, nec in foro externo præsumitur contrà ipsum.

4 Quando causæ concurrunt prioribus modis, obligati sunt in solidum ad restitutionem.

tionem, si concurrunt in damno faciendo; secùs verò dicendum, si concurrunt in damno dato: Ratio, quia priori modo cēsentur causa totius damni; posteriori verò modo solummodo partis, & hoc mo- † do obligantur solùm pro rata parte, & in defectum alterius obligantur in solidum; verùm restituente causa principaliori, cęteræ, quę minùs principalitèr cōcurrerunt ad damnum, liberæ sunt ab onere restitutionis; ità S. Thomas *2.2. quæst. 62. art. 7.* Valentia *tom. 3. disput. 5. quæst. 6. punct. 3.* Vasquez *cap. 9. dub. 5. num. 51.* Clauis-regia *lib. 10. tract. 2. cap. 12. num. 16.* Rebellus *lib. 2 de restitut. quæst. 15. nu. 1.* & alij; & restituente causa minùs principali: causa principalior non debet restituere parti læsæ, sed restituere causæ minùs principali, quæ restituit; ità Lessius *lib. 2. cap. 13. num. 40.* Reginaldus *lib. 10. num. 117.* & alij.

5 Quando verò causæ tenentur æqualitèr restituere, restituēte vna, cæteræ, q̄ æqualitèr debent restituere, tenentur illi suam portionem refundere. Lessius, & Reginaldus *locis citatis*: si verò Dominus, cui damnū illatum est, condonet obligationem restituendi causæ principaliori, & in solidum obligatæ; cæteræ causæ minùs principales sunt liberæ ab onere restitutionis: si verò causæ minùs principali condonauit obligationem restituendi, cæteræ causæ minùs principales non sunt liberæ, sed tenentur pro sua rata parte ad restitutionē: Ratio primæ partis est, quia causa minus principalis tenetur solùm in defectum principalioris; & ideò si obligatio restituendi fuerit causæ principaliori condonata, causæ minùs principales liberātur ab obligatione restituendi: Ratio secundæ partis est, quia condonatio facta vni causæ non redūdat in vtilitatem alterius; ità Lessius *lib. 2. cap. 14 dub 8. num. 59* Reginaldus *lib. 10. num. 134.* Clauis-regia *lib. 10. tract. 2. cap. 12. num. 22.* & alij.

6 Causa, quæ solùm per accidens influit in damnum, non obligatur ad restitutionem; ità Rebellus *2. par. lib 2. quæst. 10. num 14.* Nauar. *cap. 17. num. 140.* Molina *tom. 3. disp. 728. num. 2.* & alij: Ratio, quia non censetur causa voluntaria, sed inuolūtaria damni: Ratum verò habens damnum suo nomine illatum, non censetur causa efficax, cùm habeat ratam præteritam; ità Medina *quæst. 1.* Rebell. *lib. 2 qu. 14 sect. 3.* Pet. Nauar. *lib. 3. cap. 4. n. 69.* Vasq. *de restit. lib. 9. §. 1. dub. 2.* Item qui alteri est occasio remota damni, non obligatur ad restitutionem; secùs verò si fuerit occasio proxima: Ratio, quia occasio proxima censetur voluntaria, & remota inuoluntaria, sicut etiam non obligatur ad restitutionem inferens damnum absolutè, & simplicitèr consentiēti: Ratio, quia consentienti nulla fit iniuria; secùs verò dicendum inferens damnum consentienti, non absolutè, sed secundùm quid.

7 Participans in opere intrinsecè malo peccat contrà iustitiam, & tenetur ad restitutionem damni secuti: Ratio, quia culpabilitèr, & efficacitèr influit in damnum; qui verò iusto metu coactus ex rationabili causa participat in opere intrinsecè malo, excusatur à peccato, & ab obligatione restituendi; ità Molina *tom. 1. de iustit disp. 115.* Reginald *lib. 21. cap. 8. nu. 119.* Azor *3. par. lib. 4. cap. 15. qu. 2.* & alij.

PARAG. II.
Textus Sacrorum Canonum. De iniurijs, & damno dato.

SVMMARIVM.

1 *Percutiens aliquem, quando teneatur soluere expensas.*

† *Item causa damni alicuius animalis.*

2 *Item quando bos cornupeta alium interfecit.*

† *Item quando iumentum lædit agrum, &c. alterius.*

† *Campum suum incendens, quando teneatur ad restitutionem.*

† *Item ad quid teneatur, qui incenderit domum.*

3 *Sæcularis, qui Clericum banniuit, ad quid obligetur.*

† *Statutum super damnis non repetendis ad quid extendatur.*

4 *Ad quid obligetur, qui est in culpa alicuius damni.*

1 QVando plures rixati sunt ad inuicem, & alter alterum lapide, vel pugno percusserit, nec mortuus fuerit, sed iacuit in lecto; percutiens opera, & expensas soluere debet, *ex cap. Si rixati 1. de iniurijs, & damno dato*: † si aliquis effoderit cisternam, & non cooperuerit eam, & bos alterius, vel aliud animal in eam inciderit, Dominus cisternæ tenetur reddere pretium bonis, & illud quod mortuum est, Domini cisternæ erit, *ex cap. Si quis aperuerit 2.*

2 Bos si erat cornupeta, & non custoditus, & alium bouem interfecit, Dominus illius tenetur reddere bouem, & accipere † cadauer, *ex cap. Si bos 3.* Si iumentum alicuius læserit agrum, vel vineam alterius, restituet æstimationem damni, *ex cap Si læserit* † *4.* Si aliquis apposuerit ignem in agro suo, damnum tenetur soluere, si egressus ignis combussit alienas segetes, *ex cap. Si egressus 5.* † Si quis domum alicuius incenderit, totum damnum restituet, & tres annos pęniteat, *ex cap. Si quis domum 6.*

3 Sæcularis potestas, quæ Clericum banniuit, est condemnanda secundùm æstimationem iniuriæ in expensis, & damnis, quia facit contrà libertatem Ecclesiasticā, † *ex cap. Olim 7.* Statutum de non repetendo damnum, non extenditur ad expensas, quę non obstante iuramento, sunt soluendæ ad arbitrium Iudicis, *ex cap. In nostra 8.*

4 Quando aliquis sua culpa damnum dedit alicui, vel iniuriam irrogauit, vel alijs irrogantibus auxilium dedit, aut hæc euenerunt imperitia, & negligentia, tenetur illi satisfacere, nec excusat ignorantia, si scire debuit ex suo facto posse sequi damnum, vel iniuriam alicuius: Item si animalia, v.g. Tua damnum inferent, satisfacere te oportet, nisi animalia ad damnum passo dederint, sed si animalia tua ferocia fuerunt, & quæ consueuerunt nocere, & diligentia

gentia non fuit præstita, non sufficit ad li-
berationem obligationis dare animalia:
Item licet, qui causam damni dat, damnũ
dedisse videtur; tamen secùs est in eo, qui
adhibuit omnem diligentiam, quam debe-
bat, nè contingeret, *ex cap. Si culpa 9.*

TITVLVS XLV.
De verborum significatione.

SVMMARIVM.

1 *Duplex verborum significatio.*
2 *Quomodo debeat extendi.*

1 DVplex est verborum proprietas: Pri-
ma, est naturalis, non quia sit à natu-
ra, sed quia talis est ipsorum significatio
ex prima ipsorum institutione, aut ex cõ-
muni loquendi vsu totius populi: Secun-
da, dicitur ciuilis, quia ob similitudinem,
aut iuris fictionem extenditur à iure ad
aliquid significandum, quàm ex prima sua
institutione significet, vt est professio, quę
appellari solet mors ciuilis, nõ iuxtà pro-
prietatem verborum naturalem, sed po-
tius iuxtà ciuilem; ità Suarez *lib. 6. de leg.*
cap 1. nu 9. & alij.
2 In fauorabilibus verba sunt intelligen-
da, non solùm iuxtà significationem natu-
ralem, sed etiam ciuilem, quia verba non
sunt restringenda, sed amplianda; at verò
in odiosis verba sunt restringenda in sua
significatione naturali; ità Suarez *lib 6. cap.*
1. num 6. modo necessitas, seù specialis ali-
qua ratio non cogat alitèr accipere.

PARAG. I.
Textus Sacrorum Canonum.
De verborum significatione.

SVMMARIVM.

1 *Noua le est ager nunc primum rescissus, &c.*
† *Patris appellatione venit Auus.*
2 *Natus non videtur, qui statim mortuus est.*
† *Dictio antequàm non semper implicat.*
3 *Primogenitus quis dicatur.*
† *Verba quomodò sint intelligenda.*
† *Diuersitas verborum non vitiat.*
4 *Sensum, non verba considerare debemus.*
5 *Præpositus quis dicatur.*
6 *Nomine fori quid intelligatur.*
7 *Pacti nomine quid intelligatur.*
† *Ius dicitur à iure.*
8 *Quæ continentur nomine oblationis.*
† *Sacerdos solus potest ministrare Sacramentum Extrema vnctionis.*
† *Sententia definitiua potest ferri per verbum Statuo*
9 *Beneficium Principis quomodò interpretandum.*
10 *Interdictum generale quid sit.*
11 *Nomine Clericorum qui veniant.*

1 NOuale est ager nouitèr ad culturam
redactus, *ex cap. Innouatè 1. de verb. signific.*
Appellatione patris veniunt in lata signi-
ficatione ascendentes, *ex cap Nam, & Rex 2.*
secundum propriam, & naturalem signifi-
† cationem nomine Patris venit solùm
genitor, sed secundùm ciuilem proprieta-
tem veniunt etiam ascendentes: verba sũt
intelligenda non secundùm proprietatem
ipsorum, sed secundùm communem vsum
loquendi; ideò pro interpretatione ver-
borum recurrendum est ad communẽ vsũ
loquendi, quia vsus loquendi præfertur
propriæ significationi verborum, & secũ-
dùm communem vsum loquendi, nomine
Patris, veniunt etiam ascendentes, *l. 4. §.*
Parentes ff. de in ius vocãdo, l. Iuris consultus §. Pa-
rentes ff. de gradibus.
2 Puer, qui statim moritur, dicitur, ac si
non fuisset, & secundus vocatur vnigeni-
tus, *ex cap. Nam, & ego 3.* & ideò Salomõ pro-
tulit hæc verba; *Nam & ego vnigenitus fui corã*
matre mea, & tamen alium habuit fratrem,
† qui pręcessit ipsum: Dictio *Antequàm*, non
semper implicat, in Euãgelio apud Math.
† sunt hęc verba; *Antequàm conuenirent*, & ideò
hęretici à contrario volebant arguere,
quod posteà conuenirẽt Maria, & Ioseph;
sed Hieronymus sup. dicta verba ostendit,
quod nunquàm conuenerunt, cùm ex dictione,
Antequàm non sequatur, quod conuenirent.
3 Primogenitus dicitur, qui primò nasci-
tur, etiamsi nullus sequatur eum, *ex cap. Io-*
seph 5. & ideò dicitur, quod Maria peperit
primo genitum: Dicitur primo-genitus,
etiamsi secundus non sequatur; verba non
sunt intelligenda, vt sonant, sed secundùm
mentem proferentis, *ex cap. Intelligentia 6.*
diuersitas verborum non vitiat, si idem
in substantia concludatur, *ex cap. Nihil ob-*
stat 7.
4 Epistolam legens non verbum ex ver-
bo, sed sensum ex sensu transferẽdum est,
quia dùm proprietas verborum attendi-
tur, sensus veritatis amittitur, *ex cap. Prete-*
reà 8.
5 Prępositus vocatur propriè ille, qui
pręest, sed vsus obtinuit eos præpositos
vocati, qui habẽt quandam Curam, Prio-
ratus super alios, *ex cap. Quamuis 9.*
6 Forus est locus, vbi iudicium exercetur,
quando verò ponitur neutri generis; tunc
forum denotat territorium Iudicis, in quo
habet potestatem terrendi, & animaduer-
tendi in sceleratos, *l. Pupillis, §. territorium.*
† Forus vt est locus Iudicis, constat causa,
l. Iudicio. Causa est negotiũ, quod dùm pro-
ponitur, est causa; dum discutitur iudiciũ,
dùm finitur iustitia: In omni negotio re-
quiritur Iudex, Accusator, & Reus, & te-
stes. In teste tria requiruntur, conditio, na-
tura, & vita: conditio vtrum sit seruus, vel
liber; natura, si sit mulier, vel vir; vita, si
innocens, & integer, *ex cap. Forus 10.*
7 Pactum dicitur inter partes scriptura
conueniens legibus, moribus comprobata-
ta, & dicitur pactum, quasi pace factum,
† *ex cap. Pactum 11.* Ius dictum est à iure, & id
iure possidetur, quod iustè, & ille iustè pos-
sidet, qui auctoritate Iudicis possidet; quod
autem malè possidetur, alienum est, malè
possidet, qui vel suis malè vtitur, vel vsur-
pat aliena, *ex cap. Ius dictum 12.*
8 Decimę, primitię, & oblationes connu-
merantur

merantur in bonis Ecclesiasticis, & ideò à sæcularibus possideri non possunt, & qui eas accipit, est raptor, & sacrilegus, *ex cap.*
† *Causa* 13. Sacerdos, vno tātùm Clerico præsente, potest vngere infirmum, *ex cap. Quæsitum* 14. verbum *Statuto*, & verbum *Præcipio* si-
† gnificant sententiam definitiuam, quia intentio, & non verba sunt consideranda, *ex cap. In his* 15.
9 Beneficium Principis est latissimè interpretandum, *ex cap. Olim* 16.
10 Interdictum dicitur generale, nō solùm quod fertur in Regnum, Prouinciam, sed etiam quod fertur in Ciuitatem, Villam, Castrum, &c. *ex cap. Cum in partibus* 17.
11 Nomine Clericorum, etiam Canonici comprehenduntur, & ideò quando Papa concedit, vt Episcopus possit disponere de rebus Clericorum decedentium ab intestato, intelligitur etiam, & Canonicorum, *ex cap. Cum tibi* 18. Iurans obedire Prælato, & Clero Ecclesiæ, non Clero Diœcesano, sed Capitulo Ecclesiæ Cathedralis obedire tenetur, *ex cap. Cum Clerici* 19. Appellatione Ecclesiarum Ciuitatis, aut Diœcesis simpliciter non includitur Ecclesia Cathedralis, & è contrà in odiosis, & materia stricta. Felinus *in cap. In nostra*, Cou. *in cap. Alma mater par.* 2. §. 1. *nu.* 4. In fauorabilibus verò appellatione Ecclesiarum venit Cathedralis, sicut etiam quando dispositio est fauorabilis appellatione quorumcunque beneficiorum venit Cathedralis. Rota *decis.* 895. *num.* 1. *lib.* 3. *par.* 3. *diuers.* &c. Verùm habens mandatum de prouidendo in aliqua Ecclesiarum Ciuitatis, & Diœcesis non poterit prouidere in Ecclesia Cathedrali, quia cùm propter ipsius honorem, & præeminentiam sit qualificata sub generalitate beneficiorum, non includuntur beneficia existentia in Ecclesia Cathedrali. Gomez *de expectatione num.* 44. Quemadmodum dispensatus à Papa ad beneficia obtinenda non potest habere in Cathedrali Canonicatum, nisi aliud exprimatur, *cap. De prebend. in* 6.

PARAG. II.
Continuatio Textus de verborum significatione.

SVMMARIVM.

1 *Qua veniant nomine censura Ecclesiastica.*
† *Nomine matricis Ecclesiæ, qua intelligatur.*
2 *Excommunicatus, &c. quomodò possit absolui.*
3 *Verba priuilegiorum quomodò intelligenda.*
4 *Hæretici manifesti qui dicantur, &c.*
† *Quomodò intelligendum mandatū legati alicui Principi, vt iustitiam exhibeat.*
5 *Clericus quando censeatur degradatus.*
† *Pœna falsarij.*
6 *Oblationis nomine, qua intelligantur.*
† *Quando lis dicatur mota.*
7 *Priuilegium Papa concessum Episcopo super fructus beneficiorum, quanto tempore censeatur concessum.*

1 QVando in litteris Apostolicis fit censuræ mentio, intelligitur excommu-
† nicatio, suspensio, & interdictum. Per matricem Ecclesiam intelligitur Cathedralis, *ex cap. Venerabili* 21.
2 Excommunicatus, vel interdictus ob contumaciam, vel pro offensa dubia potest absolui, cautione præstita, de stando iuri: si verò quis fuerit excomunicatus, vel interdictus pro manifesta offensa, tunc prius debet satisfacere, antequàm absoluatur, & dicitur manifesta, de qua constat per cōfessionem, vel probationem legitimam, vel rei euidentiam, *ex cap. Ex parte* 23. & *ex cap. Cum olim* 24.
3 Verba priuilegiorum debent sic intelligi, vt aliquid afferant, & non remaneat ambiguitas, & ideò verba secundùm, & iuxtà non sumuntur, vt conditionales, sed causatiuè, *ex cap. Abbate* 25.
4 Hæretici manifesti sunt, qui contrà fidem catholicam prædicant, aut confitentur, seu defendunt errorem, vel coram Prælatis suis sunt cōuicti, aut confessi, aut ab eis sententialiter cōdemnati super hæretica prauitate, ipsorum bona confiscantur, & ipsi secundùm leges puniūtur: Item quando Legatus Apostolicus interdicit pedagia, &c. intelliguntur illa, quæ non sunt introducta ex antiqua, & immemo-
† riali consuetudine: Item quando Legatus mandat alicui Principi sæculari, vt secūdùm arbitrium ipsius Legati, vel Iudicis Ordinarij, vel Delegati Apost. iustitiā exhibeat, intelligendū est in omni causa, quæ ratione personarum, vel rerū ad Ecclesiasticum forū pertinet, & super omnibus capitulis, quæ pro pace seruanda statuta sūt per ipsum Legatum, vel auctoritate Apostolica statuenda, *ex cap. Super quibusdam* 26.
5 Clericus degradatus tunc intelligitur traditus Curiæ sæculari, quando degradatur præsente potestate sæculari, & post degradationem renunciatur eidem sæculari, vt in suum forum recipiat degradatum, pro quo tamen Iudex Ecclesiasticus debet intercedere, vt non moriatur, *ex cap. Nouimus* 27. Item falsarius in perpetuum carce-
† rem est detrudendus cum pane, & aqua, *ex cap. eisato*: Si Papa indulgeat Reo, qui propter absentiam Actoris recuperare non potest, quod ei lapsus anni non noceat, intelligitur hoc secundùm ius commune, idest si in illo anno poterat legitimè recuperare, quia ius alteri parti tollere non intendit, *ex cap. Dilecto* 28.
6 Oblationis nomine intelligitur quidquid auffertur Ecclesiæ, quocumque modo in Missa, vel extrà, *ex cap. Cum inter*
† *vos* 29. Lis dicitur mota, eo tempore, quo fuerit contestata; ità *cap. Ex parte* 2. 30. Legatus, quando facit cōstitutionem de soluendo tertiam mortuariorum Episcopo, non intelligitur de ijs, quæ spectant ad ornamenta Ecclesiæ, &c. sed intelligi debet de mortuarijs, quę iure communi illi debentur; ità *cap. Ex parte* 3. 31.
7 Quādo pro honesta, & fauorabili causa est concessum priuilegium Episcopo, Papa fructus beneficiorum concedit primi anni ad releuanda debita Episcopalia, nomine

mine beneficiorum veniunt, etiam maiora, *ex cap Tua nobis* 32. verbum moderationis, quando ponitur in litteris diminutionem continet, non augumentum, *ex cap. Transmissa* 33.

PARAG. III.

Continuatio eiusdem materiæ.
De verborum significatione.

SVMMARIVM.

1 *Per verba posita*, Recipimus vos, &c. *non fiunt exempti à iurisdictione Ordinariorum.*

† *Canonici statuendo, &c. quando censeantur conspiratores.*

2 *Quid intelligatur nomine cellæ, &c.*

3 *Nomine Clericorum, qui intelligantur, quando conceditur priuilegium alicui, vt possit conferre beneficia Clericorum.*

1 PEr verba posita in priuilegijs, *Recipimus vos in filios Romanæ Ecclesiæ* non fiunt exempti à iurisdictione Ordinarij, tamen non possunt excommunicari, &c. nisi à Papa, vel eius Delegato, *ex cap. Veniens 1 de verb. significat. in 6.* Canonici alicuius Ecclesię, qui

† statuunt non recipere in Canonicum, mãdante Papa, sunt conspiratores, &c. contrà Sanctam Romanam Ecclesiam, & vt tales sunt puniendi, secundùm ius, *ex cap. De constit.* 2.

2 Priuilegium, quando conceditur, vt Monachi, vel Fratres habitantes in cellis spectantibus ad Monasteria, non possint excommunicari ab Ordinario, nec cellæ interdici: nomine cellę intelliguntur tantùm loca solitaria, & secreta ab hominum conuersatione separata ad Deo vacandũ, nõ Prioratus Ecclesię, nec Capellę, nec in eis commorantes, *ex cap. Priuilegium* 4.

3 Priuilegium, quando conceditur alicui, vt possit conferre beneficia Clericorum suorum sedentium, vel decedentium, nomine Clericorum suorum intelliguntur illi Clerici, qui sunt familiares, & viuunt in expensis priuilegiati, etiamsi contingat aliquos ex illis abesse pro negotijs gerendis priuilegiati, *ex cap. Sicut nobis* 5.

TITVLVS XLVI.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.

SVMMARIVM.

1 *Residentia quid.*

2 *Parochus ad quid teneatur.*

3 *Beneficiati an teneantur ad residentiam.*

4 *Clerici à beneficio absentis pœna.*

5 *Beneficiatus per breue tempus absens, an teneatur ad restitutionem, &c.*

6 *Beneficiatus habitans in Ciuitate distanti, &c. ab Ecclesia, non dicitur residere.*

7 *Parochus, quando excusetur à residentia.*

1 REsidentia quòad præsens attinet negotium, est assiduitas commorationis in loco beneficij causa seruitij Ecclesiastici personalitèr præstandi; ad quam residẽtiam obligantur omnes beneficiarij, qui onus per seipsos in loco beneficij exercere debent, & spectato iure communi, omnia beneficia obligant ad residentiam: cõsuetudo tamen obtinuit, vt in quibusdam beneficijs simplicibus non resideatur. Habentes verò Parochiales Ecclesias, aut etiam Canonicatus in Ecclesijs Cathedralibus residere debent, vel etiam in Collegiatis, etiamsi consuetudo contraria introducta esset ante Concilium Trident. non residendi.

2 Parocho non satis est residere, sed debet curam animarum exercere, quia si talem curam non exerceret, perindè esset, ac si non resideret, & per consequens obligaretur ad restitutionem fructuum perceptorum: Ratio, quia qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, licèt possit fructus retinere, quando per Capellanum Parochialia munera exercet. Sancius *in select. disp. 47. num 7.*

3 Beneficiati tenentur ad residentiam iure Diuino, naturali, & Canonico, si habeant curam animarum: Ratio, quia Pastores sunt, & Pastores debent apud oues residere: Beneficiati, qui habent dignitatem in Cathedralibus, vel Collegiatis, Canonicatus, Præbendas, vel portiones, etiamsi beneficia simplicia sint, tenentur ad residentiam; causæ verò excusantes à residentia ad aliquod tempus secundùm Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 1. de reformat.* Sunt Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas. Iure Canonico assignari solent etiam aliæ causę, nimirùm audire Theologiam, aut ius Canonicum ad quinquennium, docere easdem facultates etiam ad longum tempus; docendi verò litteras humaniores, vel Philosophiam; requiritur licentia Episcopi, nisi cõsuetudo pręscripserit: Item obsequium duorum Canonicorum, quod præstant Episcopo in Ecclesiæ vtilitatem, alitèr verò non potest abesse absque licentia.

4 Si Clericus à beneficio postulante residentiam illegitimè absit, fructibus priuandus est, sed causa priùs cognita; Parochus, aut Episcopus, alisvè curam animarũ habens, tenetur pro rata absentiæ restituere fructus ante vllam Iudicis sententiã. Nauar. *cap. 25 num. 121.* Layman. *lib. 4. tract. 2. cap 6. num. 6.* id negare videntur: Ratio, quia lex pœnalis non obligat ante Iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis.

5 Parochus, qui per breue tempus, v.g per bimestre non residet, non tenetur ad restitutionem fructuum tempori absentiæ respondentium: Ratio, quia Tridentinum impunè permittere videtur talem absentiam: Item debet habitare in domibus proprijs Ecclesiarum, licèt Ecclesia Parochialis sit in loco, vbi minor pars Parochorũ inhabitat, & maior pars longè habitet, quando verò in Parochia sunt duę Ecclesiæ æquè principalitèr distantes residere debet in digniori, quod si non constet, quę

sit

sit dignior, in frequentiori, quod si vna fuerit extrà, & altera intrà Vrbem, residere debet in ea, quę est intrà; ità apud Garzi. *de benef. par. 3. cap. 2. nu. 139.*

6 Si Ecclesia Parochialis distet à Ciuitate tria, aut quatuor milliaria, non habebitur Parochus pro residente, si in Ciuitate habitet Dominicis, & festiuis diebus ad Ecclesiam accedens. Garzias *loco citato.* Item si Ecclesia Parochialis distet duo milliaria à Ciuitate, non potest Parochus deputari Magister grammaticæ, & ob id à residentia excusari, etiamsi velit singulis diebus Parochiali interesse. Garzias *loco citato*, aut etiam relicto idoneo Vicario cũ congrua mercede in Parochiali, quãuis solẽnibus diebus intersit. Riccius *in praxi decis.* 50. Sanctarell. *variar. resol. quæst.* 3 *nu.* 32. & alij.

7 Excusatur etiam Parochus à residentia, quando graues superueniunt inimicitiæ, quod Parochus sine vitæ discrimine non possit in suo beneficio residere, quia tunc constituto idoneo Vicario cum licentia Episcopi, poterit abesse per id tempus, quo inimicitię perdurauerint. Sunt etiam plures alij casus excusantes Parochum à residentia, de quibus possunt videri Auctores supradicti, & alij.

PARAG. II.

Textus Sacrorum Canonum.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopis an liceat trãsire de suo in aliũ Episcopatũ.*
2 *Cardinalis tenetur residere in Curia, & assistere Papæ.*
3 *Plures dignitates Ecclesiasticas, &c. an quis possit habere.*
4 *Præsentatus ad Ecclesiam, &c. nec volens residere, an admittendus.*
5 *Clericus vnius Diœcesis an admittendus in altera Diœcesi.*
6 *Pœna non residentis in beneficio.*
7 *Absens ab Ecclesia, citandus, & si sit contumax deponendus.*
8 *Archiepiscopi temerè recedentis à suo Archiepiscopatu pœna.*
9 *Item pœna Clerici sine causa absentis à beneficio, &c.*

1 Episcopo non licet transire ex suo Episcopatu ad alium, *ex cap. Non licet* 1. *de Clericis non residentibus*; quod tamen intelligendum est sine licentia Papę: Ratio, quia pręsumeretur id ex ambitione facere: cum licentia Papæ potest id facere.

2 Cardinalis tenetur in Curia residere, & assistere Papæ, & ob id dicitur pars corporis Papæ: Vndè quidam Cardinalis, qui per quinquennium non residebat, & admonitus nõ se correxit, fuit canonicè depositus à suo titulo Parochiali, *ex cap. Ex gestis* 2. & ideò dignitas Cardinalatus incõpatibilis est cum Episcopatu, quia Cardinales tenentur in Curia residere apud Sũmum Pontificem, & cùm Episcopus teneatur in sua Diœcesi residere, sequitur Cardinalatum incompatibilẽ esse cũ Episcopatu, quia vna, & eadem persona non pot. in pluribus locis naturaliter existere. Abbas *in cap. Bona mem.* 1. *num.* 6. *de postul. Prælat.* nisi promoueantur ad illos sex Episcopatus Vrbi proximos, qui solent optari per antiquiores Cardinales, qui cùm parum distent, Romæ residẽtes, & per se, & per suos Vicarios negotijs suorum Episcopatuum nauare possunt, & ideò eorum absentia non reputatur Diœcesi perniciosa.

3 Vnus non potest habere plures dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias Parochiales, & quando Ecclesia est prouidẽda de persona Ecclesiastica, illa debet eligi, quæ per seipsam tale officium possit exercere, & si secùs fiat, accipiens amittit beneficium, & qui dedit, priuatur potestate conferendi, *ex cap. Quia nonnulli* 3. Ratio est, quia Pastores curam animarum habentes, non solùm de iure Canonico, sed etiam de iure Diuino tenentur ad residentiam. Tridentinum *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1.

4 Præsentatus ad Ecclesias, vel ad beneficia, si apparet, quod nolit residere, cùm possit, non est admittendus, & admissus est remouendus, non obstante appellatione, nisi absit de licentia Superioris ob studiũ, vel honestas causas, *ex cap. Relatum* 4. Vndè Clerici beneficiati obligati ad residẽtiam non possunt abesse, studij causa, & manere in aliqua Vniuersitate, nisi de licentia sui Ordinarij, quę licentia non suffragatur vltrà quinquennium à die, quo cœpit studere. Moneta *de distribut. quotid. quæst.* 10. *nu.* 14. & alij.

5 Clericus alterius Diœcesis non debet recipi in alia Diœcesi sine litteris commendatitijs sui Episcopi, *ex cap. Fraternitatis* 5. vndè Concilium Tridentinum præcipit, nullum Clericum peregrinum sine commendatitijs litteris sui Ordinarij admitti ad Diuina celebranda, & Sacramenta administranda, &c.

6 Non residens in beneficio etiam modicæ æstimationis, illo priuatur, *ex cap. Conquerente* 6. Ratio, quia etiam beneficia modicæ æstimationis requirunt residentiam. Absentes in seruitio Episcopi, licèt distributiones non possint accipere, tamen fructus suarum Præbendarum percipere, & retinere possunt, *ex cap. De cætero* 7. quod tamen intelligendum est solùm de Canonicis, non autem de alijs beneficiatis; quia Rectorem Ecclesiæ Parochialis non potest Episcopus ab illius seruitio extrahere, & illum occupare in suo, vel Ecclesiæ Cathedralis seruitio, & referunt decisum à Sacra Congregatione, Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancellariæ glos.* 6. *num.* 238. Quaranta *verbo Residentia*, licèt in casu magnæ necessitatis Ecclesię, vel vrgentis necessitatis ipsius Episcopi possit in hoc dispensare. Quando Canonicatus consistit solùm in distributionibus, tunc Canonici in seruitio Episcopi absentes, eas lucrantur, deducta tertia parte, quę seruientibus accrescit. Nicol. Garz. *cap.* 2 *num.* 113. *& nu.* 115. 52. *&* 353. Moneta *qu.* 8. *nu.* 15. & alij.

7 Qui abest ab Ecclesia, est citandus, vt veniat, & si citatus non vult venire, tempore præfixo, deponendus est, & alius pro illa dignitate eligendus est, *ex cap. Ex parte 8. num. 4.* & *ex cap. Ex tua.* Verùm in Concilio Tridentino *seß. 24. de reformat. cap. 12. De Canonicis, & dignitatibus;* disponitur, vt eis non liceat vltrà sex menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse, alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum; secundò verò anno priuetur omnibus fructibus; crescente verò contumacia, priuetur Canonicatu; ità Flam. *de resignat. lib. 1. qu. 10. à nu. 62.*

8 Archiepiscopus, qui temeritate propria recessit ab Archiepiscopatu, nec iam vltrà quadriennium expectatus redierit, per literas etiam reuocatus, est illo priuandus, *ex cap. Qualitèr 9.* hodie verò in Concilio Tridentino *seß. 23. de reformat. cap. 1.* præscribitur modus procedendi contrà Episcopum non residentem.

9 Clerici Ecclesias, vel Præbendas habentes, si sine iusta causa sint absentes, & citati intrà tempus præfixum non veniunt, eis iustè priuari possunt, *ex cap. Inter quatuor 10.* Tamē sententia priuationis beneficij lata ob contumaciam nō habet executionem, nisi post lapsum terminum ad appellandū datum, & eadem sententia transierit in rem iudicatam. Gaz. *de beneficijs par. 11. cap. 3. num. 125.* A sententia autem priuationis beneficij ob non residentiam, non datur appellatio ad effectum suspensiuum, si fuerit lata, iure Ordinis seruato, *cap. Conquerente de Clerico non residente.* Concil. Triden. *seß. 23.* vbi sancitum est, executionem sententiæ latæ ob non residentiam contrà non residētes, quolibet priuilegio, siuè appellatione, aut inhibitione suspendi non posse, etiam quod per edictum citati, non personalitèr, contumaces fuerint, &c.

PARAG. II.

Continuatur Textus de Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

1 *Clericus, qui se absentat à beneficio in locum, vbi non adest causa Studij, an vtatur priuilegio.*

2 *Iurans residere in sua Ecclesia, et se absentans pro eiusdem seruitijs, an periurus.*

3 *Canonici cum Episcopo absentes causa eius seruitij, an possint fructus percipere.*

4 *Deficientibus Ecclesiæ ministris, priuilegiati possunt reuocari, &c.*

5 *Beneficiati sine licentia transeuntes ad aliam Diœcesim, possunt beneficio priuari.*

1 Clericus, qui causa studij, de licentia Superioris, est absens, & percipit fructus beneficij, si se transferat in Villā, vel Castellum, vbi nullum est, vel minùs competēs studium, priuilegio non vtitur, quia fraus nemini debet patrocinari, *ex cap. Tua fraternitatis 12.*

2 Qui iurauit in Ecclesia sua residere, si pro seruitijs eiusdem absentet, non dicitur periurus, sed debet censeri residens; ità *ex cap. Parte 2. 13.* Familiares Papæ, non obstante consuetudine contraria, Præbendæ fructus percipiunt in absentia, quia pro præsentibus habentur, *ex cap. Cum dilectus 14.* Extenditur etiam priuilegium ad omnes, qui morantur in Curia de mandato Papæ, licèt scriptores sint; secùs verò si voluntate propria: quod etiam dicendum est de Cantoribus Capellæ Pontificiæ; qui dùm actu inseruiunt, percipere possunt fructus sui Canonicatus, & Præbendæ, vt fuit resolutū in vna Barbastrē. Canonicatus 26. Iunij 1626. coram R.P.D. Durando, vbi fuit responsum, non obstare, quod huiusmodi Cantores recipiunt salarium, cùm alij familiares Pontificis, vt sunt Cubicularij illud recipiant, & nihilominus fructus in absentia lucrentur: nec obstat, quod requiratur, vt familiares Papæ debeant seruire vniuersali Ecclesiæ, quia existentes in seruitio Papæ, dicuntur inseruire vniuersali Ecclesiæ: nec obstat etiam, quod aliqui dicunt, hoc ius esse correctum per Conc. Trid. *seß. 24. de reform. cap. 12.* quia contrarium est verius: quo etiam priuilegio gaudent familiares Cardinalium.

3 Duo Canonici absentes cum Episcopo, causa eius seruitij, fructus Præbendarum suarum percipere possunt, non obstante constitutione contraria Ecclesiæ, quia qui sunt absentes pro seruitio Episcopi, vel Ecclesiæ, dicuntur præsentes, *ex cap. Ad audientiam 15.* Beneficiatus etiam, infirmitate durante, potest percipere fructus, & quotidianas distributiones, si solitus erat residere, & in loco sui residentiæ, quamuis ex propria culpa in morbum inciderit. Azor. *par. 2. lib. 7. cap. 7. qu. 11.* Fuscus *de visit. lib. 1. cap. 20. num. 26.* Sanctarell. *resol. lib. 1. quæst. 8.* & alij: Item si abest à Choro, quia medicinam sumit, vel sanguine minuitur, vel quia sanitatis causa, ad balnea, vel ad alium locum iret; Canonicus autem, qui est in seruitio Episcopi, censetur esse in seruitio Ecclesiæ; Episcopus enim in Ecclesia est, & Ecclesia in Episcopo, *cap. Scire debes 7. quæst. 1.* licèt plures teneant opinionem contrariam, nimirùm absentes pro seruitio Episcopi non esse absentes pro seruitio Ecclesiæ, quę opinio videtur approbata à multis: verùm dicendum est, quod vrgente necessitate, gaudent hoc priuilegio, quia filij in necessitate debent subuenire parentibus, sed vbi necessitas non vrget, præualet secunda opinio.

4 Si Ecclesia patitur ministrorum defectū, priuilegiati à Papa, vel Episcopo, si tot sint, vt Ecclesia patiatur defectum, Episcopus debet eos reuocare, non obstantibus priuilegijs, & si non veniant, de ipsorum Præbendis debet facere seruire Ecclesiæ, & quod superest, conuertat in vtilitatem Ecclesiæ, *ex cap. Cùm ad hoc 16.*

5 Clerici, qui habent beneficium, quod requirit residentiam, eo priuari possunt, si absque eius licentia transeunt, morandi causa, in aliam Diœcesim, & moniti non redierint ad terminum sibi datum, priuari debent

debent beneficio, nisi ostendant rationabilem causam, *ex cap. Clericos* 17. Non residẽs non potest priuari beneficio, nisi prius admoneatur personalitèr; licèt in alijs contrà non residentem, non requiratur ordo iudiciarius; in beneficijs verò, quæ non requirunt residentiam, talis Textus non habet locum, quia ex eo, quod non tenentur residere, possunt abesse, non tamen vagando, quia ex delicto vagationis potest priuari beneficio. Monendus est Clericus per tres citationes in loco beneficij, seù Ecclesiæ successiuè factis, neq; sufficit vna peremptoria; ità *ex cap. Ex tua*, Felinus *in cap. Consuluit nu. 13. de offic. delegat.* Quę distantia debeat esse inter monitionem, & monitionem ostendit. Scraph. *decis. 290. nu. 14.* post vltimam verò citationem debent expectari sex menses, antequàm deueniatur ad priuationem. Abbas *in cap. Ex tua*, vnica tamen citatio sufficere videtur, quãdo personalitèr fuit executa. Mantica *decis. 67. num. 5.* & eo casu poterit Ordinarius procedere ad priuationem, etiam non expectatis sex mẽsibus, Scraph. *decis. 1346. num. 5.* Ad procedendum contrà Clericum beneficiatum, ratione absentię à beneficio, non est necessaria solennis citatio, neque solennis priuatio, sed sufficit requisitio, & spoliatio de facto iuxtà Tex. *in cap. Ex parte* 1. vbi Abbas *de Clerico non residente.*

PARAG. III.

Continuatio eiusdem materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Distributiones, seù victualia, &c. quibus danda.*

1 Distributiones, quę manualia beneficia, seù victualia vocantur, dari non debent, nisi Canonicis beneficiatis, & Clericis, qui Diuinis Officijs in ipsis Ecclesijs inseruiunt, secundùm distributionem rationabilẽ exactam, vel faciẽdam pro Horis Canonicis; qui verò absens aliquid distributionum accepit, totum debet restituere, nisi infirmitas, vel iusta rationabilis corporis necessitas, vel euidens Ecclesiæ vtilitas excuser: Item idem seruãdum pro distributionibus, & anniuersarijs defunctorum, *ex cap. Consuetudinem vnic. de Cleric. nõ residentib. in 6.* vndè consuetudine introduci non potest, vt distributiones absentibus dentur, & qui Diuinis Officijs personalitèr non intersunt. Selua *de benef. par. 4. quæst. 2. nu. vlt.* Nauar. *de horis can. cap. 5. num. 19.* & alij cõmunitèr: Item inualida est consuetudo, qua est introductum, quod is, qui habet Canonicatus in diuersis Ecclesijs, percipiat distributiones in vtraque, cùm tamen in vna resideat. Moneta *tract. de distribut. quotid. par. 2. quæst. 12. num. 40.* Sanctarell. *var. resol. quæst. 10. num. 20.* & alij.



DE HIERARCHIA ET IVRE *ECCLESIÆ MILITANTIS,*

TOMI SECVNDI LIBER SEPTIMVS.

De Regulis iuris Canonici.

REGVLA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest sine Canonica institutione obtineri.

Regula hæc desumitur *ex cap.* 3. *de instit.* & *ex cap. Relatum* 2. *de iure-patronatus*, & de hac loquuntur Ioaon. Sylua *de benefic. par.* 3. *quæst.* 20. Rebuff. *in cap. Postulastis, in glos. verbo Pertinere num.*12. Lambertin. *de iure-patronat. par.*3. *lib.*2. Riccius *in Collect. decisionum par.*5. Thomas de Thomasetis *reg.*61.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium quid sit.*
† *Quomodò diuidatur.*
2 *Beneficium aliud titulare, aliud manuale.*
3 *Modi acquirendi beneficium.*
† *Præsentatio, institutio, &c. quid sint.*
4 *Conditiones requisita in beneficiato.*
5 *Summus Pontifex est generalis collator beneficiorum.*
† *Collegium Cardinalium an possit conferre beneficia.*
6 *Beneficium indigno non est conferendum.*
7 *Beneficia quot modis vacent.*
8 *Non dicitur beneficij possessor, qui illud obtinet sine canonica institutione.*
9 *Pœna contrà obtinentes beneficia sine canonica institutione.*

1 Beneficium est ius perpetuum percipiēdi fructus ex bonis Ecclesię propter aliquod beneficium spirituale auctoritate constitutum Ecclesiæ, *cap. Relatum de prabend.* Sylua *verbo Beneficium*, Malderus 2.2. *de iustitia tract.*9. *cap.* 2. *dub.* 1. Toletus *lib* 5. *cap.*76. Filliuc. *tract.*41. *num.*3. & 4. & alij:
† Diuiditur primò in regulare, quod tantùm Regularibus confertur, & in sæculare, quod etiam subdiuiditur in simplex, quod nullam haber administrationem, nec est vlla iuris qualitate affectum, sed tantùm institutum ad recitandas Horas Canonicas, vel alia Diuina Officia persoluenda, vt Canonicatus, &c. & in beneficium iuris qualitate affectum, & habens administrationem tantùm, vt Sacrista, &c. vel curam animarum, vt Parochia, Episcopatus, &c. Layman *lib.*4. *tract.* 2. *cap.*4. Malderus *loco citato*, Rebuffus *de benef. cap.*4. Filliuc. *loco citato nu.*6. & alij.

2 Beneficium aliud est titulare, quod à beneficiato sine graui causa auferri non potest, & aliud manuale, quod potest reuocari ad nutum eius, qui confert: Alia compatibilia, quæ simul possunt sub codē tecto haberi, & alia incompatibilia, quorum singula per se, vel naturali iure, vel saltem Ecclesiastica constitutione residentiam postulant, vt sunt duo Episcopatus, duæ Parochiæ, &c. Layman *loco citato cap.*8. *nu.*2. Lessius *par.*2. *cap.*34. *dub.*27. *nu.*140. & alij.

3 Sex modis acquiritur beneficium. Rebuffus *in prax. nu.*17. præsentatione, electione, postulatione, collatione, permutatione, & resignatione, de quibus dictum fuit:
† Præsentatio est exhibitio quædam personæ per Patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta. Institutio est concessio beneficij, facta legitima auctoritate Episcopi, vel alterius Clerico à Patrono præsentato. Azorius *cap.* 22. Electio est alicuius personæ ad Ecclesiā Pastore destitutam canonicè facta vocatio.

vocatio. Hostien. *in summ. de elect.* Filliucius *tract.* 41. *cap.* 3. *num.* 1. Postulatio est supplex quædam à Collegio Canonicorum facta apud Superiorem petitio, qua petitur, vt aliquis certæ Ecclesiæ vacanti præficiatur. Hostien. *in sum. tit. de postulat.* Collatio est cõcessio beneficij vacantis, siuè per obitum, siuè per resignationem, siuè deuolutionē liberalitèr factam ab habente potestatem, vt ab Ordinario, Papa, &c. Azorius 2. *par. lib.* 6. *cap.* 26. *quæst.* 2. & 3. Permutatio beneficiorum est reciproca quædam resignatio, quæ ad inuicem inter permutãtes fit cum legitima Superioris auctoritate. Filliuc. *cap.* 9. *nu.* 2. Resignatio, vel renunciatio generatim sumpta, est iuris proprij spontanea, & libera dimissio, seu cessio: præsè autem sumpta est libera beneficij dimissio facta cum causa coram legitimo Superiore, quæ vel fit tacitè ex iuris dispositione absq; verborum expressione, vel expresse, vt cum quis sponte suum beneficiũ expressis verbis coram legitimo Superiore dimittit, quæ aliquando fit absolutè, & purè, vt cum absque conditione beneficiũ dimittitur; aliquando est conditionalis, & in fauorem tertij, & hæc vel est simplex in fauorem, vt quando fit absq; reseruatione, vel est qualificata, vt quando fit, reseruato sibi iure regressus, vel pensione. Azorius 2 *par. lib.* 7. *cap.* 19 *qu.* 1. & 2. & alij.

4 Multę conditiones requiruntur, vt quis idoneus censeatur ad beneficium: Primò requiritur, quod sit legitimus: Secundò, quod sit Clericus: Tertiò, legitima ætas, nimirùm ad Episcopatum, ætas triginta annorum, ad beneficiũ Parochiale ætas 25. annorũ, ad alias verò dignitates, vel personatus, quibus nõ subest cura animarum, satis sunt vigintiduo anni: Quartò, requiritur scientia proportionata dignitati, vel officio: Quintò, morum probitas: Sextò, cœlibatus: Septimò, vt sit nulla censura irretitus: Octauò, habilitas ex parte corporis: Vltimò, intẽtio determinata Ecclesiastici status, & ordinis requisiti in beneficio; ità Nauar. *cap.* 25. *num.* 12. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 4. *a.* 1. 2 & ita *ex cap. Cùm in cunctis de electione cap.* 1. & 2. *de Clericis coniugatis, cap. Postulastis, de Clerico excommun.* Panormit. *in cap. Tanta, de excess. Prælat.*

5 Summus Pontifex est generalis collator beneficiorum, cùm solus ipse sit generalis dispensator bonorum Ecclesiasticorum. Glos. *in cap. Fælicis.* Tribus modis beneficia confert, iure præuentionis, vt quando alicui cõfert gratiam expectatiuam ad primum beneficium vacaturum. Rebuffus *in prax.* §. *de deuolutionibus*: Secundo, concurrendo cum alijs collatoribus, in hoc casu necesse est, vel vt beneficium reseruet sibi, vel illud conferat ante Ordinarium: Tertiò, confert iure deuolutionis, vt quãdo collatio, ratione criminis, v.g. simoniæ, &c. vel ratione negligentiæ collatoris, ius cõferendi deuoluitur ad Pontificem ex dispositione Canonum. Filliucius *loco citato cap.* 2. *nu.* 12. Concilium generale non potest conferre beneficia, nisi de mandato Papæ, Collegium Cardinalium, sede vacante, non potest conferre beneficia, *ex cap. Vbi periculum, de elect. in* 6. in suis titulis possunt conferre; ità DD. *in cap. de maiorit. & obed.* Cardinalis à Latere potest conferre beneficia suæ Prouinciæ, *ex cap.* 1. *de officio Legati in* 6. & *cap. Si à sede, de præbend. in* 6. etiamsi existat extrà Prouinciam. Glos. *in cap. Nemo, de officio Legat.* Cæteri verò Nuncij, seu Legati nati non possunt conferre beneficia, nisi id eis sit specialitèr concessum, *cap. Litteras de suppl. negl. Prælatorum*, & *cap.* 1. *de offic. Legat. in* 6. Episcopus potest conferre omnia beneficia suæ Prouinciæ, præter reseruata. Selua *par.* 2. *quæst.* 1. *num.* 14. Azorius *lib.* 3. *cap.* 29. *quæst.* 5. Lessius *cap.* 34. *dub.* 10. Gonzal. §. 1. *in proœmio num.* 22. & est communis, cùm sint Principes, & moderatores sacrorum. Vicarius generalis Episcopi non potest cõferre beneficia, nisi de speciali mandato, cùm non possit expedire, quæ sapiunt gratiam, sed solùm quæ sunt iustitiæ, & necessitatis.

6 Beneficium nunquàm indigno est conferendum, licèt in aliquibus casibus possit conferri digno, prætermisso digniori: in concursu omittere digniorem absq; causa, est peccatum, cum obligatione ad restitutionem, cùm digniori fiat iniuria, hoc ius strictum, quod habet ex Concilio Tridentino *sess* 24. *cap.* 18.

7 Vacatio beneficij multis modis contingit, *cap. Accepta, cap. Olim. de restitut. spoliat. cap. Ad aures, de his, quæ vi, &c.* Primò, de facto tantùm, cũ quis possessionẽ nõ amittit, sed titulum: Secundò, de iure: Tertiò, de iure, & facto: de iure vacat tripliciter: Primò, per mortem naturalem, aut per mortem ciuilem: Secundò, vacat ex delicto, vt ratione hæresis, schismatis, percussione Cardinalis, Episcopi, vel homicidij qualificati, sodomiæ sæpiùs exercitæ, simoniæ cõfidentialis, &c. Tertiò, vacat per sententiã Iudicis, ob quam Clericus priuatur beneficio, *cap. Conquerente de Clerico*, Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 14.

8 Obtinens beneficium sine canonica institutione, non potest dici verus beneficij possessor. Oldrad. *consil.* 1. *num.* 4. Panormit. *in cap. Pastoralis nu* 27. *de causa possessionis*, & alij, quia vbi ius resistit, possessio dari non potest, *l. Vniuersas* 30. §. 1.

9 Pœnæ constitutæ contrà obtinentes beneficia absque canonica institutione sunt plures, vt videre est in constitutionibus Bonifacij VIII. Iulij II. Pauli III. Iulij III. non faciunt fructus suos, priuantur beneficijs obtentis, & inhabiles redduntur ad illa obtinenda.



REGVLA II.

Possessor malæ fidei, vllo tempore, non præscribit.

Continetur hæc Regula in Regulis iuris, *cap. Possessor de reg iuris in 6. cap. Si virgo 34. quæst. 2.* De hac tractant, Cou. *in reg. Possessor par 2. §. 8. num. 4.* Molin. *de primogen. lib. 2. cap. 6. nu. 67* Guttier. *can. lib. 1. cap. 34 num. 68.* Valasc. *consult. 8. num. 25.* Mascard. *de probat. concl. 999.*

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio quid sit.*
2 *Requisita ad præscriptionem.*
3 *Dubitans non habet bonam fidem.*
4 *Ignorantia, &c. non sufficit ad præscribendum.*
5 *Mala fides cui noceat.*
6 *Ad præscriptionem requiritur titulus, &c.*
7 *Magis necessaria est bona fides, quàm titulus.*
8 *Tempus ad præscribendum.*
9 *Debita quo tempore præscribantur.*
10 *Decem anni sunt sufficientes ad præscribendum.*
11 *Res furtiuæ non possunt præscribi.*
12 *Præscriptio quando non procedat.*
13 *Contra præscriptionem datur restitutio, &c.*

1 PRæscriptio est acquisitio dominij vtilis, vel directi rei alienæ per continuationem possessionis bonæ fidei, spatio tamen temporis a lege definiti.

2 Ad legitimam præscriptionem quatuor requiruntur: Possessio continuata, titulus præsumptus, bona fides, tempus à lege præscriptum: Bona fides in isto casu est credulitas, qua quis sibi prudentèr persuadet rem esse suam, vel saltem nescit esse alienam: Quæ bona fides non modò requiritur in principio possessionis rei, sed debet continuari toto tempore possessionis, quia si à principio quis inceperit possidere bona fide, deindè factus esset malę fidei, non censeretur pręscribere.

3 Dubitans an res sit sua, non censetur habere bonam fidem ad inchoandam possessionem requisitam ad præscriptionem. Clauis regia *lib. 9. cap. 12. num. 15.* Azor. *cap. 18.* Less. *lib. 2. cap. 6. dub. 3.*

4 Ignorantia iuris dari non sufficit ad præscribendum, etiamsi sit incuspabilis; vndè acquisita contractu vsurario ab eo, qui ignorabat contractum esse iniustum, non potest acceptum per huiusmodi contractum præscribere, eo quod ignorantia iuris dari non sufficiat ad præscribendum, sufficit tamen hęc ignorantia ad pręscribendos fructus, quia ignorantia circà fructus, censetur facti, *l. iur. ff. de iuris, & facti ignorantia,* Syluest. *verbo Præscriptio 1. num. 4* Filliuc. *tract. 31. nu. 189.*

5 Mala fides nocet successori vniuersali, non particulari, quia hæres defuncti, siuè successor vniuersalis censetur vna persona cum defuncto; hæres autem particularis, quia personam sui auctoris non repręsentat, potest præscribere, modo bona fide rem habeat, *l. si mala fides,* Filliucius *loco citato num. 191.* Clauis regia *loco citato num. 38.* & alij.

6 Bona fides ad præscriptionem non sufficit, sed requiritur etiam titulus, quia sicuti ex temporis tractu non tollitur aliquod ius; ita & non constituitur, *cap. Dudum 31. de decimis, l. obligationum ff de obligat. & actione:* Titulus est iusta possidendi quod nostrum est, causa. Glos. & DD. *in cap. Si diligenti.*

7 Ad præscriptionem magis necessaria est bona fides, quàm titulus, nã mala fide non põt quis præscribere, *cap. Si diligenti, de præscript.* sine titulo aliquando currit præscriptio: Titulus requiritur solùm ad præscribendum tempore ordinario, non verò ad præscribendum tempore longiori: Vndè si ad aliquid pręscribẽdum cũ titulo, requiruntur 10. vel 20. anni; ad præscribendum sine titulo necesse erit spatium 30. vel 40. annorum.

8 Ad pręscriptionem rerum immobilium contra priuatos, requiritur spatium 10. annorum inter præsentes cum titulo; inter absentes, viginti, *l. Cùm in long. Cod. de præscriptione longi temporis:* in præscriptione 30. annorum non requiritur titulus, neque de iure ciuili, neque Canonico; ità DD. *in cap. Si diligenti,* inter absentes requiritur spatiũ longius, *cap Sanctor. de præscrip.*

9 Debita rerum mobilium, & immobiliũ præscribuntur annis 30. sicut etiam legata: Seruitus personalis præscribitur spatio 10. annorum cum titulo inter præsentes, inter absentes, spatio 20. annorum cum titulo. Azor. *3. par. lib. 1. cap. 22. qu. 10.* Less. *lib. 2. cap. 6. dub. 4.*

10 Spatium 10. annorum est sufficiens ad præscribẽdum contrà legem ciuilem. Angel. & consuetudo: Contra legem Canonicam ad præscribendum requiritur spatium 40. annorum, *cap. De præscriptione longi temp.*

11 Res furtiuæ non possunt præscribi, nisi bona fide possessæ fuerint: Subditi nõ possũt præscribere, nè visitẽtur. Res Ecclesiasticę à Laico nõ possũt præscribi. Princeps per præsumptionem non potest acquirere ius conferendi beneficia. Fuscus *tom. 4. cons. 452. num. 28.* Plura sunt etiam, quæ non possunt præscribi.

12 Præscriptio tunc dicitur non procedere, quando non incipit, vel quia deest possessio ciuilis, vel titulus, vel bona fides. Syluest. *verbo Præscrip. 2. quæst. 12.* tunc dicitur dormire, quando inchoata aliquo tempore cessat; ità tamẽ, vt illo pręterito, continuari possit cum primo: dicitur interrũpi, quando ità cessat, vt etiam si deindè incipiat, non continuetur cum priori. Cou. *regul. possessor par. 2. §. 12.*

13 Contrà præscriptionem datur restitutio in integrum, quæ est remedium, quo finita præscriptione, prior Dominus potest auctoritate Iudicis rem suam vendicare: hoc remediũ conceditur: Primò, minoribus ætate: Secundò, Ecclesijs, & pijs locis:

vinculis

Tertiò, absētibus causa Reipublicæ, vel in vinculis hostiū, vel qui fuerūt impediti legitimo impedimento nè iura sua reperirent, & habēt 4. annos à notitia completæ præscriptionis, vel à die cessantis impedimenti.

REGVLA III.
Sine possessione, præscriptio non procedit.

Desumitur ex lege *fine possessione ff. de vsucap.* & ex alijs iuribus citatis à Glossa. De ista loquuntur Paris. *constit.* 27. *num.* 150. Puteus *decis.* 107. *lib.* 1. Boerius *decis.* 58. *num.* 6. Mascard. *de probat. conf.* 14. *num* 23.

SVMMARIVM

1 *Possessio vndè dicatur.*
2 *Possessio facti quid sit.*
3 *Item possessio iuris.*
4 *Dupliciter aliquis potest possideri.*
5 *Possessio quot modis acquiratur.*
6 *Item possessio iurium, &c.*
7 *Possessio mobilium quomodo amittatur.*
8 *Item immobilium.*
9 *Possessio parit præsumptionem dominij.*
10 *Seruitus dupliciter accipitur.*
11 *Quomodo diuidatur.*
† *Tribus modis constituitur.*
12 *Quomodo finiat.*

1 Possessio dicitur à pedum positione, *l. 1. ff. de acquirenda, vel amittenda possess.* Actus possidendi dicitur possessio facti; ius verò possidendi dicitur possessio iuris.

2 Possessio facti est detentio rei corporis, & animi, & iuris adminiculo. Syluest. *verbo demeritum*, siuè detentio rei corporalis, vel apprehensio, adminiculo corporis, animi, & iuris.

3 Possessio iuris, est ius insistendi alicuius rei tamquàm suæ, non prohibitæ possideri. Bart. *in l. 1. ff. de acquir. possess.* Cou. *ad regul. possessor nu. 3.*

4 Dupliciter aliquid potest possideri: Primò, ratione alicuius tituli, & bona fide: Secundò, mala fide. Diuiditur etiam possessio in ciuilem, & naturalem: Ciuilis est, qua solo animo res detinetur: Naturalis est, qua corpore simul, & animo res detinetur. Azor. *3. par. lib. 1. cap. 31.*

5 Possessio tribus modis acquiritur, apprehensione vera, apprehensione ficta, legis dispositione. Gometius *in l. 45. Tauri num. 55.* & ideò ad possessionem tria concurrunt, corpus, animus, & ius; per corpus intelligitur apprehensio, &c.

6 Possessio iurium, & seruitutum duobus modis acquiritur: Primò, vsu rei tamquàm ad rem pertinentis, sciente eo, ad quem pertinebat cōcedere, vel prohibere. Cou. *regul. possessor 2. par.* §. 8. Secundò, missione in agrum, in quo quis seruitutem vult constituere, & alterius profectione eodem animo. Filliuc. *loco cit. nu 88.*

7 Possessio rerum mobilium, tùm ciuilis, tùm naturalis amittitur: Primò, sola voluntate possessoris nolentis eam amplius possidere: Secundò, per furtum, aut rapinā alterius: Tertiò, si alterius custodię subsit, qui eam incipiat possidere tamquam suā: Quartò, per fugam, si sint animalia, vel per amissionem rei, v. g. buriç, annulli: at possessio serui, seu ancillæ non amittitur per ipsorum fugam. Less. *lib. 2. cap. 3. dub. 12. num. 50.* Filliuc. *cap. 32. nu. 89* &c.

8 Possessio rerum immobilium varijs etiā modis amittitur: Primò, si possessor longo tempore sit absens, nec per alium insistat: Secundò, si scit rem ab alio possideri, & ipse eam negligat: Tertiò, si regressus repetat suum, sed ab occupante repellitur, & ipse non audet resistere: Quartò, si timens repulsam non audeat rem suam repetere: Quintò, si res sit occupata à potente, vt non sit probabilis eius recuperatio.

9 Possessio parit in iudicio præsumptionē dominij. Secundò, potest armis rem suam defendere, expulsus potest armis possessionem suam repetere: Tertiò, potest rem suam defendere, vim vi repellendo, *l. 3. ff. de vi, & vi armata.*

10 Seruitus dupliciter accipitur: Primò, pro subiectione: Secundò, pro iure, quod respondet illi actioni. Lessius *lib. 2. cap. 3. dub. 7.*

11 Seruitus diuiditur in personalem, realē, & mixtam: Personalis dicitur, quæ à personā personę debetur: Realis subdiuiditur † in rusticanam, & vrbanam. Seruitus tribus modis constituitur: Primò, lege: Secūdò, vltimis voluntatibus: Tertiò, donatione, pactionibus, & præscriptione.

12 Seruitus finit finito tempore, pro quo fuit instituta: Secundò, remissione seruitutis: Tertiò, si quis compararet dominium prædij, quod sibi tantùm, aut alteri suo prædio seruiebat. Azor. *lib. 1. cap. 31.*

REGVLA IV.
Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

Desumitur ex S. Augustini *epist.* 54. *ad Macedon.* cuius verba habentur *in cap. Si res* 14. *quæst.* 6. & *in cap. Cùm tu de vsuris.* De peccato tradunt Summistæ *verbo Peccatum*, de restitutione agunt S. Thomas 2. 2 *quæst.* 62. Sotus *lib* 4. *de iustitia quæst.* 6. & 7. Nauar. *in man cap.* 17. *num* 6. Azorius *par.* 3 *lib.* 4 *de restit.* Vasquez *tract de restit. &c.*

SVMMARIVM.

1 *Peccati definitio.*
2 *Requisita ad peccatum.*
3 *Quomodo diuidatur.*

4 *Mali-*

constituunt vnum peccatum cum actu externo; si verò moralitèr interrumpantur, sunt plura obiectaian actus externus, quãdo continuatur cum actu interno, superaddat illi malitiam: respondeo negatiuè, sed solùm consummationem actus.

13 Peccata numero distinguuntur duobus modis: Primò ex diuersis obiectis, vt quãdo peccans distinctis actibus successiuè versatur circà ipsa: Secundò, per interruptionem actuum moralem. Filliuc. *tract. 21. cap.* 8. quibus modis interrumpantur actus moralitèr.

14 Peccata distinguuntur specie per ordinem ad diuersas perfectiones, quibus priuant obiectum Beccanus *tom. 2. tract. 1. cap. 5.* non per ordinẽ ad diuersa præcepta condita eodem motiuo; quia secùs si distincto motiuo sunt condita, etiam in materia eiusdem virtutis.

15 Peccata, quæ sermone complentur, multiplicantur specie, & augentur numero, quando verbum diuiditur ad obiecta specie diuersa: secùs dicendum, si eodem impetu odij, vel iræ proferantur, quia cùm perseueret vna voluntas, censetur etiam vnum peccatum perseuerare. Peccata verò, quæ opere consummãtur, specie distinguuntur ex obiectis specie distinctis, ex fine, & ex circumstantijs mutantibus speciem. D. Thomas 1. 2. *qu. 72. Art. 9.*

16 Peccatum formalitèr sumptum est in sola voluntate. Motus primo-primi non sunt peccata mortalia, nec venialia, cùm præueniant rationem: Motus secundo-primi sunt peccata, pro ratione materiæ, cùm sint actus deliberati.

17 Peccati circumstantia est accidens actus humani, qui peccatum est. Nauar. *cap. 6. de circumstantijs*, Huiusmodi quædam sunt impertinentes, quædam minuentes, aggrauantes, & mutantes speciem.

18 Pęnitens non obligatur regularitèr cõfiteri circumstantias aggrauantes: in duobus casibus tenetur: Primò, quãdo per circumstantiam aggrauantem violatur aliqua iustitia specialis: Secundò, quando circumstantia est quid spectans ad obiectum peccati: Circumstantię mutãtes speciem sunt necessariò confitendæ. Concil. Trid. *sess. 14. can.* 7. quia habent malitiam, & deformitatem particularem.

16 Circumstãtiæ particulares sunt septem: Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

20 Consuetudo peccati per se non est aperiẽda in cõfessione, quia nec mutat speciẽ peccati, nec pertinet ad obiectum ipsius: si verò Pęnitẽs insta causa interrogaretur à Confessario de consuetudine, teneretur tunc dicere veritatem, quia consuetudo arguit infirmum propositum emendationis, quod Confessario tamquàm Medico debet petere. Sanchez *lib. 1. moral. cap. 32. num. 45.*

21 Circumstantia manifestatiua complicis nõ est regularitèr aperienda, etiamsi nullum sequatur damnum. Valent. *tom. 4. disp. 7. qu. 11. pun. 4.*

22 Peccatum in hac regula sumitur pro reatu ad pœnam æternam. Aduertendum est, peccatum continere duas deformitates, nimirùm auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturas, propter quas deformitates, duplices meretur pœnas: vna respondet auersioni, quæ dicitur damni: Altera, quæ respondet inordinatæ conuersioni ad creaturas, & dicitur sensus, & vtraque est æterna, & peccatum hic sumitùr pro isto reatu ad pœnam æternam; ità vt non dimittatur, nisi restituatur ablatũ; quod intelligi debet, dummodò subtractor habeat facultatem restituendi, quia si non habeat, quia inops sit, si habeat propositum restituendi, cùm peruenerit ad pinguiorẽ fortunam, peccatum ei remittitur, vt notat Glos. *in cap. Peccatum.*

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quo res accepta restituitur, vel damnum datum compensatur; ità D. Thomas 2. 2. *quæst. 62. art. 1.* Non est necessaria necessitate medij, sed solùm necessitate præcepti. Valent. *tom. 3. disp. 5. qu. 6* & alij.

2 Radices restitutionis sunt quatuor: Res accepta, iniusta exceptio, damnificatio, & ex contractu.

3 Obligatio restitutionis non solùm oritur ex peccato mortali, sed etiam ex veniali, & vbi non est culpa, ibi nulla obligatio restituendi.

4 Qui

4 Qui rem alienam bona fide possedit, tenetur ex iustitia restituere, statim ac cognoscit esse alienam; & si stante bona fide rem alienam vel consumpsit, tenetur ad id, in quo est ditior factus: si verò durante bona fide res periit, factus malę fidei ad nihil tenetur. Molina *tom. 1 disput. 246.* & alij.

5 Qui rem alienam bona fide possedit, & postea dubitare incepit alienam esse, potest eam retinere, vel vendere; si posita inquisitione non comperit alienam esse, modo paratus sit, comparente Domino, eam restituere, aut id, in quo est ditior factus. Sanch. *lib.1 cap.10 nu.9.* & alij.

6 Qui rem alienam bona fide accepit, & posteà cœpit dubitare alienam esse; si res ipso vsu consumitur, aut deterior efficitur, non potest illa vti, quia exponeret se periculo consumendi, vel deteriorem faciendi rem alienam, inuito Domino.

7 Mala fidei possessor debet rem alienam restituere, vel si perit, æstimationem eius vnà cum incremento, & fructibus, deductis tamen expensis, non tantùm quos percepit, sed etiam quos Dominus verisimiliter percepturus erat. Em. Sà *verbo Restitutio*, & alij.

8 Qui rē mala fide accepit, dubitans alienam esse, tenetur adhibere debitam diligentiam ad sciendam veritatem, & si non potest rei veritatem inuenire, tenetur restituere rem inter eos, quorum esse dubitat, ad ratam dubij.

9 Acceptum bona fide per contractum onerosum, factus malæ fidei non obligatur restituere illi, à quo bona fide accepit, sed potest rescindere contractum, & restituere illi, à quo bona fide accepit. Nauar. *cap.17. num.6.*

10 Possessor bonæ fidei dubitans, qui neglexit inquirere Dominum, & posteà factus est impotens ad ipsum sciendum, peccauit mortaliter, sed non obligatur ad restitutionem. Bonac. *de contractibus disp.1 qu.2. pun.2.* & alij.

11 Modi, quibus cooperatur ad damnum, sunt nouem, nimirum iussione, consilio, consensu, laudando, &c. de quibus dictum fuit suprà.

12 Qui tacitè, vel expressè iussit, vel mandauit aliquod damnum, tenetur ad restitionem damni secuti, nisi reuocauerit mādatū. Clauis-regia *lib.10 cap.7. tract 7.* & alij.

13 Consilium præbens ad damnum inferēdum, obligatur ad restitutionem. Azorius *3.par lib.4.cap.11.* & alij, etiamsi reuocauerit consilium, nisi forsan consilium fuerit falsum, etiamsi alter consuluisset illud damnum. Reginaldus *lib 10 num.109*, & alij. Qui verò suo consilio fuit causa minoris damni, non tenetur ad restitutionem. Clauis-regia *loco citato num. 3.* qui verò fuit causa maioris damni, non obligatur ad restitutionem totius damni, sed tantùm illius excessus, cuius fuit causa, & qui parato furari vni, suasit alteri furari, de quo nō cogitarat, obligatur ad restitutionem, cùm censeatur causa efficax damni. Clauis-regia *loco citato num.4.* & alij.

14 Dubitans an suo consilio sit secutum aliquod damnum, non obligatur ad restitutionem. Syluest. *verbo Restitutio*, & alij.

15 Consentiēs in damnum, obligatur ad restitutionem, si suo consensu fuerit causa damni; secus verò non; quod etiam dicendum est de palpante, recipiente, &c.

16 Concurrentes positiuè ad damnum, obligantur in solidum ad restitutionē, dummodò concurrant in damno faciendo, & non in facto, quia quando concurrunt in damno facto, obligantur solùm pro rata parte.

17 Restituente causa principaliori, cæteræ, quæ minùs principaliter concurrerunt ad damnū, liberæ sunt ab onere restitutionis. S. Thomas 2.2. *qu 62. art.7* & alij. Restituente verò causa minùs principali, causa principalior nō debet quidquā restituere parti læsæ, sed debet restituere causæ minùs principali Less. *lib.2. cap.13. nu.40.* & alij.

18 Restituente vna ex causis, cæteræ, quæ æqualitèr debent restituere, tenētur illam suā portionem infundere. Lessius *loco cit.* Si Dominus, cui damnum illatum est, condonet causæ principaliori obligationem restituendi, cæteræ causæ minùs principales sunt liberæ ab onere restitutionis. Less. *cap.14 dub.8. nu.59.* & alij.

19 Causa negatiua, quę omittendo id, quod tenetur facere, &c. est causa damni, obligatur ad restitutionem; ità communitèr omnes.

20 Causa, quæ solùm per accidēs influit in effectum, non est obligata ad restitutionem. Rebell. *2. par. lib. 2. quæst. 10. num. 14.* & alij.

21 Qui alteri est occasio proxima damni, obligatur ad restitutionem; secùs autem quandò solùm est occasio remota.

22 Ratum habens damnum illatum, non obligatur ad restitutionem.

23 Accipiens aliquid à fure, vt taceat, tenetur ad restitutionem damni illati à fure, si ob id fur factus est animosior, & securior ad furandum; si verò animus furantis non sit factus animosior, & pecunia tradita nō sit pars furti; accipiens non tenetur ad restitutionem. Lessius *lib.2. cap.13. dub.10. nu.68.* & alij.

24 Inducens ad tacendum volentem clamare contrà furem vi, aut metu, &c. non obligatur ad restitutionem damni secuti, si ex sola charitate tenebatur clamare. Rebell. *par. 2. lib.2. qu.14. sect. 8.* secùs verò si ex iustitia tenebatur.

25 Qui vi, aut fraude impedit aliquem à consequendo beneficio, vel officio, quo dignus erat, vel nè instituatur hæres, &c. tenetur ad restitutionem quanti ea spes ipsi valebat. Azorius *3. par. lib. 4. cap.9.* qui autem sine vi, & fraude, &c. impedit dignum, vel digniorem à beneficio, vel officio, non tenetur ad restitutionem, etiamsi illud ex malo animo faciat. Filliuc. *tract. 31. nu.72.* & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Ad quid obligetur, qui alterum induxit ad peccandum.*
2 *Item qui extraxit aliquem à Religione.*
3 *Res quomodo restituenda.*
4 *Possessor bonæ fidei ad quid obligetur.*
5 *Pro opere illicito an possit aliquid accipi, &c.*
6 *Turpiter accepta restituenda sunt.*
7 *Item accepta pro faciendo id, quod tenetur ex iustitia.*
8 *Non quando accipitur pro abstinendo ab opere, à quo abstinendum est ex alia virtute.*
9 *An noua restitutio facienda, si res perit, quando mittitur.*
10 *Et quid quando res debetur ex contractu.*
11 *Cui facienda restitutio.*
12 *Ad quid obligetur possessor bonæ fidei factus malæ fidei.*
13 *Accepta ob turpem causam, quando restituenda pauperibus.*

1 QVi alterum suasione, aut exemplo ad peccatum induxit, non ex iustitia, sed ex sola charitate obligatus est ad emendationem ei procurandam. Caietanus 2.2. *quæst.62. art.*2.& alij.

2 Qui sine vi, fraude, &c. suasione tantùm alterum à Religionis proposito, quamuis iam ingressum extraxit, ad nullam restitutionem tenetur. Lessius *cap.* 8. *dubit.*21. qui verò professum à Religione abducit, obligatur ad restitutionem Religioni, aut curare, vt fugitiuus redeat, ipse autem ex iustitia non obligatur ingredi Religionem. Nauar. *cap.*12.*num.*4 5 6.& alij.

3 Res aliena, si extat, est restituenda; si verò res ipsa non extet, ipsius valor est restituendus, & tantum restituendum, quantum sufficit ad faciendam æqualitatem debiti, vel damni illati, & debitor, qui non soluit præfixo tempore, tenetur restituere creditori lucrum cessans, quod illi sequitur ex iniusta dilatione. Azor. 3 *par. cap.*25. & alij.

4 Possessor bonæ fidei debet restituere rem, si extat, factus malæ fidei, alioquin id, in quo est ditior, & locupletior factus.

5 Pro opere illicito patrando nihil dari, aut accipi potest. Nauar. *cap.*17. Acceptum ob turpem causam, ante factum, in foro conscientiæ non potest retineri, sed debet restitui dāti, quamuis non detur illi actio repetendi in iudicio, patrato verò delicto, ob ipsum simpliciter non potest retineri, si iam fuerit datum, aut si non datum, non potest peti, sed ob circumstantiam comitantem delictum, potest peti, & retineri.

6 Turpiter accepta, etiam ex voluntate libera dantis, restituenda sunt, non solùm ante factum, sed etiam post, quando lex positiua, vel facit dantem inhabilem ad dandum, vel recipientem incapacem ad recipiendum, vnde hac ratione accepta per simoniam sunt restituenda. Nauar. *cap.* 23. *nu.*30.

7 Acceptū pro aliquid faciendo, ad quod ex iustitia iam erat obligatio, debet restitui. Em. Sà *verbo Restitutio num.*9. acceptum verò pro faciendo opus debitum solùm ex charitate, potest retineri, si accipiatur pro aliqua circumstantia annexa operi. Less. *lib.*2.*cap.*14.*dub.*9 *nu.*69.

8 Acceptum pro abstinendo ab opere illicito, à quo abstinendum erat ex alia virtute, quàm ex iustitia, non tenetur accipiens restituere. Less. *loco citato.*

9 Res, quæ ex delicto debetur, si perit, antequàm perueniat ad Dominum, culpa ipsius debitoris, vel Nuncij ab eo electi, perit ipsi, & noua restitutio est facienda. Rebell. 2. *part. lib.*2 *quæst.* 13. *tract.* 3 Si verò pereat culpa creditoris, vel Nuncij ab eo electi, perit creditori.

10 Quando res debetur ex contractu non transferente dominium, si pereat absque culpa creditoris, perit ipsi debitori. Clauis reg. *lib.*10.*tract.*7.*cap.*9 Secùs in contractu transferente Dominium: quia si res pereat, licet absque culpa debitoris, semper obligatur ad nouam restitutionem; quod etiam dicendum est, quando debitor est in mora restituendi, quia tunc si res pereat, perit ipsi.

11 Restitutio facienda est Domino rei, vel cui damnum illatum est. S. Thomas 2. 2. *quæst* 62. *artic.*5. Per Dominum intelligo nō modò, qui habet dominium in re, sed etiā illum, qui habet possessionem. Sunt casus, in quibus res non est restituenda ei, cui fuit ablata: Primus, si is non est capax dominij; Secundus, quando non potest restitui Domino sine magno damno vitæ, honoris, &c. Tertius, quando Dominus rem petit, vt sibi, vel alijs dominium inferat. Rebell. *lib.*2 *de restit quæst.*11 *sect.* 3. *num.*18.

12 Possessor bonæ fidei, qui rem alienam titulo oneroso accepit, non obligatur, postquam cognouit rem esse alienam, restituere sed potest, rescisso contractu, restituere illi, à quo accepit. Syluest. *verb Restitutio, quæst.*10. Si verò non conueniatur ille, à quo emit, vel quia mortuus est, vel quia abijt in regionem longinquam, obligatur eam restituere Domino, etiamsi amissurus esset pretium. *cap.*17. *num* 6. & alij.

13 Accepta ob turpem causam restituenda sunt pauperibus, si dans iniustè dedit; secùs verò, restituenda sunt danti; Acquisita iniustè à filia, vel ab vxore possunt retineri; Accepta ob turpem causam ante factum restituenda sunt danti. Sanchez *in sum.lib.*2.*cap.*38.*num.*96. Item acceptum ab Amasio, dolo, vi, &c. illi est restituendum.

PARAG. III.

SVMMARIVM.

1 *Bona incerta cui restituenda.*
2 *Item Thesaurus inuentus, &c.*
3 *Item animalia mansueta, &c.*
4 *Et quid de eo, qui vulnerauit feram, &c.*
5 *Item de eo, qui à flumine extraxit rete*
6 *Capta per venationē prohibitam an sint restituenda.*
7 *Cedentes ligna, &c. an obligentur ad restitutionē.*
8 *Custodes agrorum, &c. quando teneantur.*
9 *Apud quem sit ius effodiendi metalla, &c.*

10 Vbi

10 *Vbi res restituenda.*
11 *Mutuatarius vbi debeat restituere mutuum.*
12 *Restitutio quo tempore debeat fieri.*
13 *Quot peccata committat non restituens, &c.*
14 *Restitutio quomodo facienda.*
15 *Qui non vult restituere, non poterit absolui?*
16 *Causa differendi restitutionem.*
17 *Causæ excusantes omninò à restitutione.*
18 *Debitor non potest ingredi Religionem, nisi prius restituat.*

1 BOna incerta restituenda sunt pauperibus, nisi compositio obtenta sit à Sūmo Pontifice. Petr. Nauar *lib 2. de restit. qu. 12. sect. 1.* Bona Laicorum ab intestato morientium, & non habentibus hæredem intrà decimum gradum, deuoluuntur ad Fiscum. *l. vacantia C. de bonis vacantibus.* Bona Peregrini sine testamento morientis per Episcopum sunt diuidenda in pias causas. Less. *lib. 2. cap. 14. dub. 7. num. 49.* Bona derelicta sunt primi occupantis. Instit. *de rerum diuisione.*

2 Thesaurus inuentus in fundo, quod duos Dominos habet, est diuidēdus inter Cōdominos. Less. *lib. 2. cap. 5. dub. 15.* Thesaurus inuētus in loco publico est primi occupantis. Instit *de rer. diuis.* Si inuētus erit in fundo dotali, diuidendus est inter vxorem & maritum. Ban *2. 2. quæst. 56. artic. 5.*

3 Animalia mansueta, si aufugiantur, restituenda sunt Dominis. Animalia syluestria, vel mansuefacta, quæ libertatem acquisiuerunt, sunt accipientis. Instit. *loc. cit.*

4 Si quis vulnerauit Feram cum morali certitudine eam capiendi, ipsius censetur esse: si verò non fuit lethaliter vulnerata, tunc est primi capientis. Less. *lib. 2. cap. 5. dub 6.*

5 Qui è fluuio extraxit Rete plenum piscibus, quos cēpit, & Rete posuit in eodem loco, & alios pisces cēpit, obligatur ad restitutionem piscium captorum. Rebell. *loco citato num. 21.*

6 Capta per venationem prohibitam non sunt restituenda, si animalia primam retinebant libertatem, licèt peccet mortaliter venans. Rebell. *lib. 10. 1. parte nu. 360.* Qui verò venatur in alieno fūdo, inuito Dño, obligatur ad restitutionem, & compensare damna. Less. *lib. 2. cap. 5. dub. 8. nu 43.* Examen Apum considentium in arbore, est capientis. Less. *dub. 6.*

7 Cędentes ligna, vel pecora ducentes in locū alterius Communitatis, vel alicuius priuati, cuius ciues, vel priuati non possunt idem facere, obligantur ad restitutionem. Reginald. *lib. 10. tract. 1. cap. 8. num. 370.* Cędentes ligna, &c. in fundo alteri locato, obligantur ad restitutionem.

8 Custodes agrorum, &c. tenentur ad restitutionem, non denuntiantes eos, qui in locis prohibitis piscantur, &c. Medina *C. de restitutione quæst. 12. §. vltimo.*

9 Ius effodiendi Metalla spectat ad Principem loci. Sot. *lib. 5. quæst. 3. artic. 3.* & alij. Venæ lapidicinæ sunt Domini fundi. Conart. *practicar. cap. 37.* Gemmæ, quæ in littore Maris reperiuntur, sunt primi occupantis. Instit. *de rerum diuisione*; Quæ inueniuntur in littore Maris, platea, &c. possunt, post adhibitam diligentiam, ab inuentore retineri, si sit pauper; & si non sit, debet locis pijs restituere. Nauar. *cap. 17. num. 92.* & alij. Eripiens aliquid ex vndis, quod certò periturum erat, potest ereptum sibi retinere: Eripiens verò aliquid ex naufragio, quod certò periturum non erat, non potest ereptum sibi retinere, licèt possit detrahere æstimationem vitæ. Less. *lib. 2. cap. 5. num. 77.* & alij.

10 Restitutio si oriatur ex re bona fide accepta; res est restituenda vbi habetur, quando cognoscitur aliena. Vasquez *cap. 10. de restitutione dub. 2. num. 42.* Si verò debitum sit ex iniusta acceptione, debet restitui expensis debitoris, vbi Dominus rem suam habuisset, si illi non fuisset ablata. Caiet. *2. 2. quæst. 72. art. 5.* Si verò expensæ facienda longè maiores essent; tunc non obligatur remittere Domino absenti, sed potest restitutionem differre, donec ipsā possit facere sine tanto detrimento: *si ve*rò obligatio restituēdi oriatur ex contractu, si contractus sit in vtilitatem recipiētis; debet restitui vbi conuentum fuit: Si verò sit in vtilitatem dantis, debet restitui expensis creditoris, & non debitoris. Less. *cap. 15. dub. num. 53.*

11 Mutuatarius debet restituere pecuniam mutuanti in loco, in quē migrat, si ipsam exportaturus erat, alioqui, non. Si sit in mora restituēdi, debet eam restituere vbi Dominus migrat proprijs expensis. Caietan. *2. 2. quæst. 62. artic. 5.* & alij.

12 Restitutio debet fieri eo tempore, quo inter partes conuentum est: quòd si non soluit determinato tēpore, obligatur cōpensare damnum, quod creditori sequitur; dummodò mora sit culpabilis: quòd si nullum tempus solutioni sit præfixum debitor nō censetur esse in mora, nisi postquàm creditor exegerit. Molina *tom. 2. disp. 534.* Si verò obligatio restituendi oriatur ratione rei acceptæ, vel iniustæ acceptionis, vel detentionis rei alienæ, statim fieri debet, ac commodè potest. Rebell. *lib. 2. quæst 7. num. 2.*

13 Qui non restituit statim, ac commodè potest, tot peccata committit, quot actus intentionis, & voluntatis moralitèr interrupti. Vasquez *2. 2. disp. 75. cap. 2.* Et ideò non restituens rem alienam prima opportunitate, non peccat peccato à primo distincto: Sicut etiam denuò non peccat, qui rogatus, vt debitum soluat, ipsum nō restituit, etiamsi videat creditorem graui necessitate laborantem.

14 Restitutio non debet fieri per partes, sed tota simul est facienda. Azor. *3. part. lib. 4. cap. 35.* Quando verò res debetur ex contractu, facienda est iuxtà conuentionem, & pactum contrahentium, & qui per se non potest facere restitutionem, nisi se prodat, per alium faciat. Azor. *loc. cit.*

15 Pœnitens, qui non vult restituere, non potest absolui, sicut etiam qui multoties promisit absoluere, & non absoluit, sicut,

qui

qui vult restituere nisi per partes, cùm possit totum restituere. Filliuc. *tract. 32. cap. 47.*

16 Sunt plures causæ excusantes à restitutione ad tempus: Prima est damnum ipsius creditoris, vel tertiæ personæ: Secunda, damnum ipsius debitoris, quod intelligendum est de damno distincto à re ipsa restituenda, & quando damnum debitoris est longè maius, quàm creditoris: Tertia, est impotentia debitoris: Vndè extrema necessitas, vel grauis debitoris, vel parentum, &c. excusat à restitutione: Quarta, est cessio bonorum, quæ excusat in vtroque foro. Less. *lib. 2. cap. 16. dub. 3.* Et istæ causæ excusãt solùm ad tempus: quãdo verò debitor peruenerit ad pinguiorem fortunam, obligatur ad restitutionem. Less. *cap. 16. num. 21.*

17 Causæ excusantes omninò à restitutione: Prima est, quando debitor satisfacit creditori sui creditoris. Syluest. *verb. Solutio num. 4.* Secunda est remissio libera creditoris: Tertia est compensatio, quæ excusat à restitutione. Clauis-regia *lib. 10. cap. 7.* & alij. Quarta, est compositio cum Põtifice, quando incertum est, quod debetur, quia si creditores sint noti, non valet compositio obtenta. Less. *lib. 2. cap. 16. dub. 17. num. 83.* & alij. Quinta, est iactura bonorum Superioris Ordinis. Azor. *3. part. lib. 4. cap. 29.* Sexta, iactura status iustè reacquisiti, quia cum iactura status iniustè acquisiti debet fieri restitutio. Petr. Nauar. *lib. 4. cap. 4.* & alij.

18 Debitor non potest ingredi Religionẽ, nisi priùs restituat, quod debet. Reginald. *lib. 20. num. 2.* Valet tamen professio, si de facto Religionem ingrediatur. Less. *loco citato num. 70.* Monasterium, quod scienter grauatũ ære alieno recipit ad Religionẽ, peccat, & obligatur ad restitutionẽ: & debitor, qui Religionem professus est, debet de licentia sui Superioris curare, vt suo labore, & arte acquirat bona, vt suis creditoribus satisfaciat. Nauar. *cap. 17.* & alij.

REGVLA V.

Peccati Venia non datur, nisi correcto.

Desumitur hæc Regula, *ex cap. Legatur 24. quæst 2.* & habetur *in cap. Venia, de regulis iuris in 6.* De hac loquũtur. Sot. *in 4. dist. incl. 17. quæst 2. artic. 6.* Ledesma *1. parte quæst. 26. artic. 1.* & de hac regularitèr loquuntur omnes Summistæ, &c.

SVMMARIVM.

1 *Venia quomodo accipiatur.*
2 *Correctio quid importet.*
3 *Contritio duplex; perfecta, & imperfecta.*
4 *Contritio quid.*
5 *Ad cõtritionem an requiratur certa doloris intensio.*
6 *Contritio de actibus intrinsecè malis, qualis esse debeat.*
7 *Contritio non necessaria necessitate medij.*
8 *Contritio quando obliget.*
9 *Contritio quomodo ab attritione differat.*
10 *Attritio duplex.*
11 *Quodnam sit obiectum materiale confessionis.*
12 *Quodnam obiectum formale contritionis.*
13 *Sine actu contritionis an possit homo iustificare.*
14 *Contritio itidem duplex.*
15 *Vnicus actus contritionis an sufficiens ad plura peccata delenda.*
16 *Moribundus nullo modo contritus an possit absolui.*
17 *In articulo mortis post confessionem, an debeat elici actus contritionis.*
18 *Attritio an possit fieri contritio.*
19 *Contritio sine voto Confessionis an sufficiat ad veniam impetrandam.*

1 VEnia licèt multiplicitèr sumatur, Primò, pro impunitione pœnæ in foro exteriori: Secundò, pro remissione reatus ad pœnam temporalem in hoc sæculo, vel in Purgatorio luendam; nihilominus hic accipitur pro remissione culpæ, idest reatus ad pœnam æternam, quę non potest esse, nisi per gratiæ infusionem, per quam homo fit gratus Deo, & dignus vita æterna; ità D. Thomas *1. 2. quæst. 113.* Huiusmodi verò gratiæ infusio, quamuis sit opus Dei, iuxtà illud D. Pauli *ad Romanos 3. Vnus est Deus, qui iustificat*; nihilominus ex parte ipsius lapsi conueniens est sui ipsius pręparatio per modũ liberi arbitrij; iuxtà illud D. Augustini *de verbis Apostoli Serm. 13. Qui fecit te sine te, non iustificat te sine te*; ad quam præparationem necessaria est gratia actualis, quæ dicitur gratia gratis data, seù pręueniens, quia præparationem ipsam singulari Dei beneficio antecedit. Deindè necessaria est gratia excitans, atq; adiuuans, quæ excitat, & nos ad progrediendũ in dicta pręparatione adiuuat: dicitur etiã gratia cooperans, quia nobiscũ in ordine ad illum effectum cooperatur. Post hanc infunditur gratia gratum-faciens, & in hac consistit lapsi iustificatio, quæ est venia, seù remissio culpæ.

2 Correctio duo importat, detestationem peccatorum; & propositum non amplius peccandi; cùm isti duo actus requirantur ad præparationem in ordine ad infusionem gratiæ: Et ideò correctio in ista regula nihil aliud est, quàm pœnitentia, & pœnitentia nihil aliud est, quàm detestatio peccatorum, cum proposito non amplius peccandi, *cap. 1. de pœnit. dist. 3.*

3 Contritio duplex est, seù pœnitentia, perfecta, & imperfecta; seu formata, & informis. Formata, & perfecta dicitur illa, quæ charitate perficitur, & propriè dicitur contritio: Informis verò, & imperfecta dicitur illa, quæ sine charitate est, & dicitur attritio.

4 Contritio est actus charitatis, quo quis detestatur sua peccata super omnia detestabilia, quatenus sunt offensa Dei Infinitè amabilis, cum proposito in futuro non peccandi, confitendi, & satisfaciendi. Toletus *lib. 3. cap. 4.* & alij.

5 Ad contritionem non requiritur certa

intensio doloris, sed quælibet intensio est sufficiens. Nauar. *cap. 1. num. 9.* Ad contritionem non sufficit dolor, quo quis non doleat. Busemb. *lib. 6. tract 4. dub. 2. num. 6.* Actus supra scripti ad contritionem requiruntur impliciè, seu virtualitèr. Nauar. *cap. 1 num. 18.* Nec requiritur, vt pœnitens habeat distinctam cognitionem peccatorum, sed satis esse confusam.

6 Contritio de actibus, qui sunt intrinsecè mali, debet esse de ipsis actibus: De actibus verò extrinsecè malis, contritio satis est, quod sit de malitia, seu de modo operandi. Filliuc. *tract. 6. de contritione cap. 9. num. 127.*

7 Contritio non est necessaria necessitate medij ad salutem, sed necessitate præcepti. Valent. *disp. 7 quæst.* 8. & alij.

8 Contritio obligat primò in articulo mortis, si non adsit Confessarius. Secundò, quando quis vult ministrare, vel recipere Sacramenta, &c. non obligat post commissum peccatum, nec quoties peccata memoriæ occurrunt. Nauar. *cap. 1. nu. 2.*

9 Contritio differt ab attritione: Primò, quod Contritio dicitur actus perfectus, & Attritio imperfectus: Secundo, Contritio est actus charitatis; Attritio virtutis pœnitentiæ: Tertiò, Contritio detestatur peccatum quatenus est offensa Dei summè dilecti; Attritio quatenus est offensa summè Dei metuendi: Quartò, Contritio detestatur peccatum amore filiali; Attritio timore seruili: Quintò, contritio extrà Sacramentum confert gratiam; Attritio verò non potest. Vasquez *qu. 82. artic. 1. dub 2. num. 14.* & alij.

10 Attritio duplex est, vnà naturalis, qua quis dolet de peccatis ob turpitudinẽ ipsorũ, vel ob aliud motiuũ naturale. Attritio supernaturalis est, qua quis detestatur peccata Diuino impulsu Bellarm. *de pœnit. lib. 2 cap. 17.* Attritio naturalis cum Sacramento pœnitentiæ non est sufficiens ad producendam gratiam, licèt efficiat Sacramentum validum. Henriquez *lib. 4. cap. 10. num. 6* Attritio supernaturalis est sufficiens cum Sacramento Pœnitẽtię ad producendam gratiam; & ità communitèr Doctores.

11 Obiectum materiale cõfessionis est peccatum commissum Henriquez *lib. 4. cap 19.* quod dicitur obiectum materiale destruẽdum; Deus autem est obiectum materiale amplexãdum, propter quem homo detestatur peccatum: Peccatum verò futurum non est obiectum contritionis, sicuti nec peccatum alienum S. Thom. *in addit. ad. 3. part. qu. 2 art 3.* nec vnum peccatum, potest sine alio detestari, quia actus contritionis includit actum dilectionis; nullus autem potest Deum super omnia diligere, nisi saltem implicitè detestetur omnia, quæ Deo displicent.

12 Obiectum formale contritionis est peccatum, quatenus est offensa Dei summè dilecti, & in hoc distinguitur specie ab Attritione, quæ non detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei summè dilecti.

13 De potentia Dei ordinaria homo non potest iustificari absque cõtritionis actu. Valent. *tom 4. disp. 7. qu. 3. part. 2.* De potentia verò absoluta potest homo iustificari à peccato mortali, absque vlla pœnitentia, modo cesset actus peccati. Beccan. *2. part. cap. 3. quæst. 3. num. 28.* & alij.

14 Contritio est duplex: prima est, quæ elicitur auxilio Dei supernaturali, ab homine peccatore: Secunda est, quæ ab homine iusto in gratia Dei iam existente elicitur: prima non est coniuncta cum gratia habituali, & dicitur informis: secunda verò est semper coniuncta cum gratia, quia elicitur ab homine existente in charitate. Capreol. *in 4. dist. 14. quæst. 3. artic. 3.* & alij.

15 Vnus actus contritionis est sufficiens ad delenda plura peccata. Suarez *de pœnit. disp. 14 sect. 6. nu 2.* Actus quo detestamur mortalia est sufficiens ad detestanda venialia, sed non è contrà: de maiori peccato debet haberi maior contritio quàm de minori. Graff. *lib. 1. decis. cap. 4. num. 5.* & alij.

16 Moribundus, qui nec actualitèr, aut virtualitèr est contritus, non potest absolui: verùm si ante Laicũ dedit signa contritionis, qui postea amisit loquelam, põt absolui, dũmodò virtualitèr cẽseatur perseuerare in contritione: Item potest absolui moribundus, qui solitus fuit christianè viuere, &c. quia testimonium bonæ vitæ, & habitus christianè viuendi ostendunt, ipsum esse contritum: Similitèr potest absolui moribundus, qui non audit, nec loqui potest, sed suspicans pectus suum tundit, &c. videntę Confessario, quia talia signa tũnc censeri debent ad absolutionem sacramentalem directa.

17 In articulo mortis post confessionem factam cum attritione cognita, non est necesse elicere actum contritionis. Layman. *in Theolog. Moral. lib. 4 tract. 7. cap. 2. num. 6.*

18 Attritio formalitèr non potest fieri cõtritio cùm non possit mutare propriam formalitatem: effectiuè potest fieri, quia potest habere eundem effectũm, quem habet contritio; dummodò coniungatur cum Sacramento.

19 Contritio sine confessione, saltem in voto, non sufficit ad consequendam veniam, seu remissionem culpæ.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Confessio quid sit.*
2 *Peccata quomodo manifestanda.*
3 *Manifestanda secundùm numerum.*
4 *Quoties peccet, qui per annum distulit confessionem.*
5 *Manifestato actu principaliori, non est necesse manifestare actum minus principalem.*
6 *Verba* Plus, & Minus *quomodo, intelligenda.*
7 *Peccatum omissionis, & commissionis æquè manifestandum.*
8 *Dans operam actioni bonæ, quando peccet.*
9 *Conditiones principales Confessionis, quatuor.*
10 *Peccata sua Confessario, an etiam teneatur Pœnitenti aperire.*

11 Con-

11 *Confitens peccata in confessione generali, an teneatur iterùm illa secundùm circumstantias aperire.*
12 *Pœnitens habens solùm peccata venialia, an teneatur illa secundùm speciem aperire.*
13 *Mentiri in confessione, an, & quale peccatum sit.*
14 *Confessus maiorem numerum peccatorum, an de illis factus certior teneatur, iterùm illum confiteri.*
15 *Pœnitens nolens obedire Confessario, non absoluendus.*
16 *Confessionis finis qualis esse debeat.*

1 CONfessio est Accusatio legitima sacramentalis, & secreta de proprijs peccatis, facta coram proprio Sacerdote habente locum Dei in iudicio sacramentali.

2 In confessione peccata manifestanda sunt secundùm species, numerum, & circumstatias.

3 Peccata manifestanda sunt secundùm numerum, quòad moralitèr fieri potest. S. Thomas *in 4. dist. 47 quæst. 3.* Si pęnitens non recordetur numeri certi, satis est, vt probabilitèr ipsum explicet. Reginaldus *lib. 6. num. 121.* & alij.

4 Qui per annumm omisit confessionem, non peccat toties, quoties non confitetur oblata opportunitate. Valent. *tom. 4. disp. 7. qu 9. par. 4.* & alij.

5 In confessione manifestato actu principaliori, non est necesse manifestare actum minus principalē, si moralitèr continuatur cum principaliori: secùs verò si moralitèr non continuatur cum principaliori: quando verò actus principalior non est secutus; tunc minus principales sunt manifestandi. Vasquez *quæst. 91. art. 2. dub. 5. n. 33.* & alij.

6 Verba *Plus*, & *Minus* sumenda sunt per ordinem ad maiorem, vel minorem numerum; ità vt in maiori numero magis extendantur, quàm in minori numero. Hurtad. *de sacram. disp 9. de pœnit.* & alij.

7 Tàm peccatum omissionis, quàm commissionis manifestandum est in confessione: actiones verò, quæ fuerūt causa omissionis, non sunt manifestandę, dummodò non habeant malitiam distinctam à peccato omissionis. Valentia *tom. 2. disp. 6. qu. 1.* & alij.

8 Qui dat operam actioni bonæ, eo tempore, quo præceptum adimplendum est, peccat quoties omissio præcepti imputatur ad peccatum, licèt talis malitia peccati imputetur ad peccatum omissionis. Bonac. *de leg. disp. 2. qu. 4. & 5 nu. 26.* & alij.

9 Licèt sint sexdecim conditiones confessionis, tamen principaliores sunt quatuor, Integra, fidelis, diligens obedire, parata. Integra duplicitèr dicitur: Primò, materialitèr, quando explicantur peccata secundùm species, numerum, & circumstantias: Secundò, formalitèr, quando explicantur peccata, quæ moralitèr explicari possunt, tacendo ea, de quibus habet iustam causam reticendi: iustæ autem causæ reticendi peccatum in confessione, sunt primò oblinio inculpabilis: Secundò, ignorantia inuincibilis: Tertiò, impotentia: Quartò, vtilitas pœnitentis: Quintò, vtilitas ipsius Confessarij.

10 Pœnitens tenetur etiā confiteri peccata, quę sunt nota Cōfessario; ità Syluest. *verbo Confessio 2. quæst. 3.* & nō modò tenetur exprimere actus externos, sed ēt internos, quando necessariā non habent connexionē cū actu externo. Henriq. *lib 4. cap. 4. nu. 4* & alij.

11 Qui facit confessionem generalem peccatorum iam ritè confessorum, non tenetur illa manifestare secundùm species, numerum, & circumstantias. Angelus *verbo Confessio num. 1.* nec etiam peccat pœnitens, qui vni Confessario manifestat mortalia, & alteri confitetur venialia.

12 Pœnitens, qui solùm habet peccata venialia, supposito q ipsa subijciat Sacramēto Pœnitentię aliqua debet sigillatim manifestare secundùm suas species, &c. cùm materia confessionis debeat esse certa.

13 Mentiri in confessione circà circumstantias non pertinentes ad materiam confessionis, est peccatum veniale: quando verò mentitur circà speciem peccati, est peccatum mortale, & confessio est inualida. Suarez *tom. 4. disput. 22.* sicut etiam mentiri circà materiam necessariam. Syluest. *verbo Mendacium* Mentiri circà materiam nō necessariam contingit duplicitèr: Primò, negando, quod factum est, & sic nō est mortale: Secundò, affirmando non factum, vt dicendo peccatum veniale, quod non cōmisit, & tunc si illud peccatum est tota materia confessionis, & peccatū mortale, sacrilegium est, quādo tunc non est peccatum mortale. Syluest. *verbo Confessio cap. 2. nu. 37.* Malitiosè mentiri circà numerum, est peccat ūmortale. Syluest. *loco cit. &c.* Qui nō recordatur numeri certi, satisfacit dicendo numerum æquiualentem, vel manifestando tempus, quo fuerat in tali statu, & consuetudine, & ità communitèr omnes.

14 Qui confessus est maiorem numerum peccatorum, non tenetur cognito errore numerum certum fateri: qui verò dubia pro certis, vel è contrà malitiosè manifestat, peccat mortalitèr, & confessio est inualida: & qui confessus est peccatum dubium, si posteà certò scit illud commisisse, obligatur illud tamquàm certum in cōfessione manifestare. Diana *tract. 4 de sacram. resol. 91.* & alij.

15 Pœnitens, qui non vult obedire Confessario, derelinquendo peccatum, vel restituendo rem alienam, &c. non est absoluendus.

16 Confessio debet esse pura quoad intentionem; ità vt non fiat ad prauum finem, sed spe remissionis obtinendę. Sanchez *in summa lib. 1. cap. 3. num. 1.* Non debet misceri negotijs, &c. Nauar. *cap. 21. num. 40.* Non est tamen inualidum Sacramentum factum alio fine, quàm remissionis. Sot. *in 4. dist. 18. qu. 3. art. 3.* & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Examen debet præcedere confessionem.*
2 *Confessio an possit esse valida, & informis.*

3 *Confessio, in quibus casibus iteranda.*
4 *Confitens peccata excommunicato vitando, an validè confiteatur.*
5 *Pœnitens malitiosè petens absolui prius à peccatis, quàm à censura, inualidè confitetur.*
6 *Quando iteranda est confessio, quid agendum Pœnitenti.*

1 EXamen conscientię debet semper pręcedere confessionem, ex Trid. *sess.21. cap.* 5. quod debet fieri iuxtà qualitatem conditionis personæ, & iuxtà temporis interuallum post vltimam cōfessionem. Nauar. *cap.*8.*nu.*10. & alij.

2 Confessio aliquando est valida, sed informis, non modò respectu doloris, sed etiam respectu examinis. Henriquez *in summa lib.*5.*cap.*11.*num.*1. & Pœnitens, qui se exposuit periculo peccandi, debet tale periculum fateri, quia in moralibus idem est exponere se periculo peccandi, ac peccare.

3 Confessio iteranda est in sequentibus casibus: Primò, quando pœnitens deficit in essentialibus, vt quando non habet dolorem sufficientem, vel quando malitiosè tacet aliquod peccatum, vel est excommunicatus: Secundò, ex defectu Confessarij, vt quando Confessarius deficit in essentialibus, vt si careret iurisdictione, vel si non haberet debitam intentionem, aut si alteret essentialitèr formam absolutionis, ità vt talis alteratio mutet sensum.

4 Qui bona fide cōfitetur peccata excommunicato vitando, validè confitetur, dummodò adsit error communis, & titulus coloratus: qui verò scientèr confitetur peccata excommunicato tolerato, validè cōfitetur, quia excommunicatus toleratus non priuatur iurisdictione.

5 Pœnitens excommunicatus malitiosè accedens ad Confessarium, vt priùs absoluatur à peccatis, quàm ab excommunicatione, inualidè confitetur: si verò Pœnitēs inuincibilitèr ignoret se esse excommunicatum, si absoluatur, validè absoluitur, & confessio non est iteranda Henriquez *lib.* 13. *cap.* 2. *num.* 22. & alij. Validè etiam absoluitur, si sciat se esse excommunicatum, sed inuincibilitèr putat posse priùs absolui à peccatis, quàm à censura. Em. Sà *verbo Confessio num.*16. & alij. Si pœnitens confessus est Sacerdoti habenti facultatem absoluendi ab excommunicatione, & oblitus sit peccati, cui annexa est censura, absolutus remanet ab excommunicatione.

6 Quando confessio repetenda est coram eodem Confessario, satis est, quod Pœnitens in genere ea manifestet, si Confessarius peccatorum recordetur: si verò confessarius non recordetur, aut confiteatur alteri cōfessario, debet saltem in confuso principaliora peccata manifestare, vt Confessarius acquirat notitiam ad taxandam pœnitentiam.

PARAG. III.

SUMMARIUM.

1 *Praeceptum confessionis est de iure Diuino, & humano, & quos obliget.*
2 *Obligat semper in articulo mortis.*
3 *Consuetudo confitendi in Paschate an inducat obligationem.*
4 *An praeceptum obliget ad venialia aperienda.*
5 *Confitens inualidè an satisfaciat praecepto.*
6 *Non satisfaciens praecepto anni praeteriti, tenetur quamprimùm confiteri.*
7 *Impuberes an incurrant excommunicationem latam contrà non obseruantes praeceptum, &c.*
8 *Omittens per obliuionem aliqua peccata, quamdiu possit illorum confessionem differre.*
9 *An teneatur quis per scriptum confiteri in articulo mortis.*
10 *Qui mortalia non potest, an teneatur in Paschate venialia aperire.*
11 *Ex confessione nascitur obligatio sigilli.*
12 *Ad sigillum qui teneantur.*
13 *Confessarius an, & quando non possit loqui extrà Cōfessionem de auditis in confessione.*
14 *Confessarius interrogatus de peccatis Pœnitentis, debet uti aequiuocatione.*

1 PRæceptum confessionis est de iure Diuino, & Ecclesiastico, & obligat omnes illos, qui post baptismum peccarunt mortalitèr, ex Tridentino *sess.*18. *cap* 5. & tenentur fideles ex pręcepto confessionis, non solùm peccata externa, verùm etiam interna, certa, & dubia manifestare. Nauar. *cap.*10.

2 Pręceptum confitendi obligat in articulo mortis vero, vel pręsumpto: Secūdò, quando quis est sumpturus Eucharistiam: Tertiò, cum quis ex conscientia iudicat se teneri certo tempore confiteri: Quartò, si quis ex voto, aut iuramento ad eam se deuinxit: Quintò, si quis in Sacramento acceptasset pro pœnitentia confessionem tali tempore faciendam: Sextò, quando quis lucraturus est Indulgentias, in quarum concessione conditio cōfessionis faciendę exprimeretur: qui verò pręuidet, fore vt nō sit habiturus copiam Confessarij in articulo mortis, aut sequenti temporis pręsentis anni, tenetur pręuenire confitendo. Syluest. *verbo Confessio* 1. *nu.*2.

3 Consuetudo confitendi in Paschate nō inducit obligationem, sicut etiam non inducitur ex eo, quod reputetur medium necessarium ad vincēdam tentationem, & periculum peccandi mortalitèr, licet quis teneatur sumere media necessaria ad euitanda peccata. Reginaldus *lib.*16. *de sacram. confess. nu.*28. & alij.

4 Non obligantur fideles vi pręcepti cōfiteri venialia. Azorius 1. *par. cap.* 2. *quaest.*3. tenētur tamen ratione scandali euitandi. Vasq. *qu* 90 *nu.*19. & alij.

5 Qui inualidè confitetur, non satisfacit pręcepto. Medina *de confess. quaest.*16. quia nō adimplet pręceptum; secùs verò de eo, qui facit confessionem validam, sed informē. Sanchez *disp.*36 *sect.*2. *nu.*6.

6 Qui non satisfacit pręcepto anni pręteriti,

tis, tenentur quamprimùm confiteri; ità vt magis peccet, quò magis differt confessionem. Nauar. *cap.* 21. *num.*25. quia tempus non prefigitur ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem, & ideò, qui distulit confessionem anni preteriti, non satisfacit vnica confessione precepto anni preteriti, & anni præsentis. Suar. *disp.*36 *sect.*4 *nu.*5. & alij.

7 Impuberes non incurrunt excommunicationem latam ab Episcopo contrà non obseruantes præceptum annuæ confessionis, vel communionis in Paschate. Corduba *in Sum. quæst.*6. & alij.

8 Ommitentes aliqua peccata ex obliuione inculpabili, vel alia rationabili causa, possunt illorum confessionem differre vsque ad tempus obligationis sequentis anni. Reginald. *lib.*6. *num.*40. sicùt etiam non tenetur confiteri, qui post confessionem, & communionem commisit aliquod peccatum mortale, nondum elapso anno. Victoria *in Summa num.*934. & alij.

9 Non tenetur per scriptum confiteri in articulo mortis, qui alio modo non potest. Valent. *tom.* 4. *quæst.* 11. *punct.* 1. si verò dubitat de contritione, tunc tenetur confiteri per interpretem. Suarez *in tertiam partem tom.*4. *disp.*26. *sect.*6. *num.*5. Mutus verò, qui per signa non potest manifestare peccata, si per scripturam potest, obligatur ea manifestare. Syluest. *verb. Confessio.*

10 Non tenetur quis in Paschate cofiteri venialia, si mortalia, quæ habet, ratione alicuiuspericuli, confiteri non possit. Suarez *in tertiam partem tom.* 4 *disput.*36. *sect.*6. Sicùt etiam non obligatur confiteri peccatum de quo dubitat, an aliàs confessus sit cũ circunstantia talis dubij. Sanch. *in Summa lib.*1. *cap.*10 *num.*66. & alij.

11 Ex confessione sacramentali perfecta, vel inchoata oritur obligatio sigilli, & cadunt sub sigillo, omnia, quæ pœnitens manifestat in ordine ad confessionem. Vasq. *quæst.*93. Secus verò si fuerint dicta non animo se accusandi, sed solùm manifestãdi ea Confessario, vel ipsum attrahendi ad aliquod factum.

12 Tenetur ad sigillum non modò Confessarius, sed etiam omnes, qui norunt aliquid ratione confessionis; & ideò, nec cum pœnitente sine licentia ipsius, licet loqui de auditis in confessione, nec Parochus potest repellere à matrimonio, eos, quos in confessione nouit habere impedimentum: potest tamen Confessarius, si in confessione nouit aliquam proditionem, in genere admonere Gubernatorem Ciuitatis, vt inuigilet, dummodò non adsit periculum reuelationis auctoris.

13 Confessarius non potest loqui extrà cõfessionem de auditis in confessione, quando adest periculum reuelationis personæ, secùs verò potest, nec etiam potest vti scientia in confessione habita, quando adest tale periculum. Honophrius *de sigillo sect.*2. *quæst.* 2. *dub.*2.

14 Confessarius debet vti equiuocatione, quando interrogatur de peccatis pœnitentis: Item Confessarius si certò scit delictum pœnitentis, quod ipse negat, debet illũ absoluere, quia debet existimare habere iustam causam reticendi, quod non sit certus, sed dubius; debet ipsum interrogare in genere, quod si pœnitens ipsum neget, debet ipsum absoluere ob rationem allatam. Nauar. *cap. num.*16.

REGVLA VI.

Nemo potest ad impossibile obligari.

Hæc Regula desumitur *ex lege si quis in graui*, vbi Surdus *decis.*189. *num.*21. Flamin. Parisien. *de resignat. benefic. tom.*2. *lib.*11. *quæst* 3. *num.*8. Bellet. *disquis. Cleric. punct.*1. *tit. de Clerico debitore* § .1. *num.*4. Quia cùm omnis obligatio consistat in dando, vel faciendo; impossibilia autem de facto, vel de iure à nemine fieri possint; ideò concluditur, neminem posse ad impossibile obligari.

SVMMARIVM.

1 *Impossibile quid sit.*
2 *Impotentia duplex.*
3 *Impotentia moralis, quæ excuset.*
4 *Conditio impossibilis, quando irritat contractum.*
5 *Addita matrimonio non irritat ipsum.*
6 *In vltimis voluntatibus censentur pro non adiectis.*
7 *Difficiles conditiones à matrimonio, &c. non reijciuntur.*

1 IMpossibile dicitur, quod inspecta humana potentia fieri nequit, siuè quia natura impedit, ne fiat, siuè quia à iure prohibetur, & ideò impossibile duplex, de facto, & de iure: impossibile de facto est, quod fieri non potest; de iure, quod prohibetur fieri.

2 Impotentia duplex, vna Physica, & altera Moralis: Impotentia Physica contingit, quando quis non potest absolutè aliquid facere; Moralis contingit, quando non potest absq; notabili damno aliquid fieri; & ideò impotentia coeundi impedit matrimonium, & dirimit factum, *ex cap.* 2 *de frigidis, & maleficiat.* Ratio, quia ad valorem matrimonij requiritur, quod coniuges fiant vna caro; sed cum impotentia coeundi non possunt fieri vna caro; ergò, &c.

3 Impotentia Moralis loquendi excusat ab integritate confessionis. Sotus *in* 4. *distinct.*18. *quæst.*2. *artic.*3. Item excusat ab obligatione recitandi Diuinum Officium. Filliuc. *tract.*23 *cap.*9. *quæsito* 3. *&* 4. Itẽ ab obligatione ieiunij. D. Thomas *in* 4. *dist.* 14. *qu.* 3. *art.*2. Item excusat ab audienda Missa. Suarez *dispu.*88. *sect.*6. Impotentia Moralis debitoris est causa sufficiens differendæ restitutionis. Layman. *lib.*3 *sect.*5. *tract.*2. *cap.* 12. *num.*1. *&* 2. & alij.

4 Conditio impossibilis addita cõtractui

facit ipsum irritum, quia vel cognoscitur incompatibilis à disponente, & vt sic nullam induit obligationem cùm iam incõpossibilium nulla sit actio possibilis: vel putatur, vt possibilis, & vt sic nullam inducit obligationem, non quia non adsit consensus, sed quia suspenditur à conditione, quæ nunquàm fuit, nec erit,

5 Conditio impossibilis addita matrimonio non irritat ipsum, sed cènsetur pro nõ adiecta, sicut etiam conditio turpis, modò non sit contrà substantiam ipsius. Sanch. *de matrim. lib. 5. disp. 4. num. 7.* & alij.

6 In vltimis voluntatibus conditio turpis, & impossibilis censentur pro non adiectis, Lessius, *lib. 2. cap. 18. dub. 16. num. 123.* & alij.

7 Difficiles conditiones à matrimonio, & vltimis voluntatibus non reijciuntur, cùm solùm iura loquantur de conditionibus impossibilibus; & ideò ius non est ad difficiles trahendum, in quibus ratio, & verba deficiunt. Molina *lib. 2. cap. 13. nu. 8.* & alij.

REGVLA VII.

Priuilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

Desumitur hæc Regula *ex lege in omnibus causis 68. & ex lege priuilegia 157.* De ista agunt Menoch. *consil. 1007. & de præsumptionibus præsump. 103. nu. 45.* Card. Tusc. *tom. 6. litt. P. concl. 109. nu. 6.* Suarez *de legibus lib 8. cap. 10. & 11.* Salas. *de legib disp. 19 sect. 6. & 8.* Azorius *part. 1. lib 5. cap. 22 quæsito 6.* Cardos. *verbo priuileg. 4.* & alij.

Et quia in libro sequenti agam ex professo de priuilegijs, idcircò ad ipsum remitto Lectorem.

REGVLA VIII.

Semper malus, semper præsumitur malus.

Hæc Regula desumitur *ex lege filius §. 1. cap. paruuli 22. quæst. 5.* De ista agunt Alciat. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 32.* Tusc. *tom. 5. litt. M. concl. 28.* Fr. Em. *quæst. regul. tom. 2. quæst. 12. art. 3.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo intelligatur hæc Regula* Semper malus, &c.
2 *Procedit etiam in dubio.*
3 *Dubium quid sit.*
4 *Quomodo in dubio sit iudicandum.*
5 *Item in dubio voti.*
6 *In dubio de irregularitate, &c.*
7 *Item in dubio de censuris.*
8 *In dubio an casus sit reseruatus.*
9 *Item, quando quis dubitat an sit legitimus.*
10 *Item, quando dubitatur, cuius sit proles suscepta.*

1 SEmel malus semper præsumitur malus, intelligitur in eodem genere mali, vt patet *ex capite Paruuli citato*; vbi si aliquis in certa causa productus in testem iurauit deponere meram, & puram veritatem sine aliqua falsitate; & posteà deposuerit falsum, & sic peierauerit; in alia causa, non debet in testem produci, ex quo enim semel peierauerit, præsumitur, quod semper peierabit: Non verò præsumitur malus respectu mali diuersi, quia quo ad illud nulla adest coniectura. Mascard. *de probat. concl. 222.* Secùs verò, si se emendauerit, & egerit pœnitentiam, & de illa constet, vt notat Gloss. *in cap. Semel.*

2 Procedit etiam in dubio: Dubia regulariter in meliorem partem sunt explicanda, quia quilibet habet ius ad bonam famam, & nisi adsint sufficientia signa ad malam opinionem concipiendam, dubia in meliorem partem sunt explicãda. Quãdo verò agitur de damno vitando, vel remedio adhibendo ad præcauendum malum, licitum est dubia in peiorem partem explicare, non determinatè, sed indeterminatè, sibi cauendo propter incertitudinẽ probitatis, & improbitatis illius. Bonac. *de rest. disp. 2. quæst. 7. punct. 4. num. 3.* quia quilibet, potest adhibere media efficacia ad præcauendum malum: Vndè Superior ob indicia dubia potest arguere subditos tãquàm malos, illisque pœnitentias iniungere ad cautelam, & emendationem ipsorum, ac si aliquid mali commissuri essent, aut commisissent. Molina *tract. 4. disput. 14.* & alij.

3 Dubium, secundùm mentem Diui Thomę, est contrariarum rationum ęqualitas; vndè homo propriè dubitat, quando habet rationes ad vtramque partem æqualitèr: quod dubium duplex est, vnum speculatiuum, quo quis in genere dubitat de re aliqua; Alterum practicum, quod quis habet, quando hic, & nunc operatur: qui habet dubium speculatiuum, debet in praxi formare iudicium simile speculatiuo, nisi ratione sufficienti moueatur ad variandum dubium, & ad aliter in praxi iudicandum: Iusta verò ratio, & causa faciendi contrà dubium speculatiuum est possessio, quæ est titulus, non solùm in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum, posita sufficienti diligentia ad veritatem assequendam.

4 Qui post adhibitam diligentiam dubitat an tale ius extet, vel aliquid includatur sub præcepto, in foro externo iudicãdum est in fauorem subditi possidẽtis suã libertatem: Vndè nulla est obligatio ad faciendum id, de quo est dubium, an latũ sit præceptum. Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 41. num. 36.* Quando autem constat de lege, vel pręcepto, dubiũ est, an in aliquo casu

ratione

ratione necessitatis, &c. eximatur aliquis ab obligatione, tenetur lege, vel præcepto, quia possessio stat pro lege. Medina *quæst.* 96.

5 In dubio voti, nimirùm an quis vouerit, seù qualitatis voti, nimirùm an habuerit voluntatem se obligandi, fauendum est libertati, quia vbi tractatur de inducenda obligatione, est faciēda interpretatio stricta: Quando verò, quis est certus de valore voti, sed dubitat an votū obliget ratione debitæ materiæ, aut finis, vel alterius circunstantiæ; tùnc tenetur voto, cùm certus sit vouisse, & se priuasse sua libertate. Diana 4 *part. tract.* 3. *resolut.* 13.

6 In dubio de irregularitate proueniente ex homicidio, si dubium sit iuris, non est censendus irregularis post adhibitam diligentiam, quia possessio est pro volūtate; *cap. his qui, de sent. excom. in* 6. Si autē sit facti dubium, censendus est irregularis in vtroque foro, *cap. ad audientiam.*

7 In dubio de censuris, siuè iuris, siuè facti, post adhibitam diligentiam non tenetur quis pro excommunicato haberi, cùm melior sit conditio possidentis. Sanchez *in Summa lib.* 1. *cap.* 10 *num.* 55. & alij.

8 In dubio, an casus sit reseruatus, siuè sit dubium iuris, siuè facti, censeri potest nō esse reseruatum. De-lugo *de pænit. disput.* 16. *sect.* 2. §. 53 *num.* 63. & alij.

9 Qui dubitat, an sit legitimus, si adhibita diligentia ad assequendā veritatē, adhuc remanet dubius, potest cum alijs fratribus paternam hęreditatem diuidere, quia possessio illi fauet; sicùt in dubio, si quis expleuerit vigesimum-primum annum, post adhibitam diligentiam non tenetur ieiunare, nam possidet suam libertatem, & præceptum ieiunij nondùm dicitur in possessione respectu ipsius. Sanchez *de matrimon. lib.* 2. *disputat.* 41. *num.* 38. & alij. Secùs quando quis dubitat, an peruenerit ad annos requisitos ad recipiendos Ordines, quia possessio suffragatur præcepto Ecclesiæ requirentis legitimam ætatem iure pręscriptam. Sanctius *in selectis disput.* 54. *num.* 5. & alij.

10 Qui post adulterium commissum dubitat, an proles suscepta sua sit, vel mariti adulteræ, non tenetur ad restitutionem, quia possessio stat pro matrimonio: & ideò præsumendum, prolem ēsse ex vero matrimonio.

REGVLA IX.

Ratum quis habere non poterit quod ipsius nomine non est gēstum.

Desumitur hæc Regula *ex l. pupilli* 6. §. *sed si ego, de negot. gest. cap. penult. de sent. excommunicationis*, & de hac loquūtur Tiraquel. *de retract. leg* §. 1. *glos.* 9. *num.* 247. Menoch. *cons.* 191. *num.* 83. Surdus *decis.* 33. *num.* 15. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Triplex fictio in lege, &c.*
2 *Rati-habitio tria requirit.*
3 *Dupliciter potest haberi.*
4 *An habeatur per taciturnitatem.*
5 *Ratum-habens percussionem Clerici, quam pœnam incurrat.*

1 TRiplex fictio potest esse, inductiua, priuatiua, & translatitia. Bart. *in l. si his qui pro emptore num.* 25 *ff de vsucapione:* Inductiua est, quando lex fingit esse, quod non est, veluti quod mortuus in bello aiunt per gloriam, *l. bello amissi ff. de excusat. tut.* Priuatiua, quando per contrarium lex fingit non esse, vel non existere, quod in veritate existit, veluti quod Monachus deportatus, &c. habeatur pro mortuo, iuxtà *cap. Placuit quæst.* 5. Translatiua est, quando lex actum certo tempore, vel modò factum, alio factum fingit, quasi ad aliud tempus, vel ad aliam formam transferat, vt in rati habitione, in qua fingit non modò ratum-habere, sed a principio interuenisse, & tunc licèt actus gestus fuerit sine mandato per rati habitionem, cum illo gestum fuisse fingitur; vndè cum ra-tihabitio alitèr non possit fieri, quàm per translatiuam fictionem, sequitur non posse in re gesta, nomine alterius, sed solum nomine proprio, quia in isto casu adest aliquid habens effigiem, & symbolum actus, verbi gr. mei, in quem consensus per rati-habitionem facilè transit, & ità actus, vel negotium efficitur illius, qui ratum habuit, perindè ac si mandasset. Philis *de fictionibus pun.* 4. *cap* 3.

2 Rati-habitio tria requirit: primo, quod ratum-habens potuerit mandare: secundò, vt id ratum habeat per aliquod signum externum, v.g. per verba, nutus, &c. tertiò, vt res acta sit nomine ipsius, propter rationē allatā; ità Nauar. *cap.* 87 *n.* 78.

3 Rati-habitio dupliciter potest haberi, expressè, vel tacitè; expressè quādo quis verbis ratum habet, quod nomine illius gestum erit: tacitè, quando factum ratum-habet, quod nomine illius est gestum.

4 Per taciturnitatem rati habitio non potest esse, propter præiudicium, quod continere potest, quia non sufficit regularitèr ad exprimendum consensum, licèt in aliquibus casibus Ius accipiat taciturnitatem pro expressione consensus, vt accidit, quando quis promittit fœminæ matrimonium, quę tacet coram patre, vel matre, vel alio curam ipsius gerente, & pater, vel mater, vel aliùs illius curam gerens pro ea se promittit, quia tunc validè contrahitur matrimonium: si fœmina interiùs consentiat de pręsenti: quando tamen Puella tacet, & nullus pro ea respondet, quamuis ipsa interiùs consentiat, non est validum matrimonium, neque etiamsi promittenti extraneus respondeat: Ratio, quia in primo casu valet regula, *Qui tacet, consentire videtur*, quando autem extraneus pro tacente respondet, taciturnitas non accipitur pro expressione consensus. Couar. 2. *par. cap.* 4. *nu.* 14. & alij.

5 Ra-

3 Ratam-habēs percussionem Clerici suo nomine factam, incurrit excommunicationem, & si de illa gaudeat, nesciens esse factam suo nomine, non contrahit excommunicationem propter rationem allatā. Molina *disp.52.nu.5.* & alij.

REGVLA X.

Rati-habitionem retro-trahi, & mandato non est dubium comparari.

Desumitur hæc Regula *ex l. si fundus 16. §.1.ff.d. pignorib.* & *ex l.vlt. Cod. ad Macedon.* ità Felinus *in cap. Sicut tuis num.1.de simon.* Tiraquel. *in tract. lign.§.1.glo.10.num.64.* Cou. *in Clement. si furiosus*, & alij.

SVMMARIVM.

1 *Rati-habitio per quid fiat.*
2 *Ad rati-habitionem quid requiratur.*
3 *Ad hoc, vt ratihab. sua sit legitima, quid requiratur.*
4 *Quo tempore fieri debeat rati-habitio.*
5 *Requisita ad retrotractionem rati-habitionis.*
6 *Rati-habitio ad quid retro trahatur.*
7 *Ratum-habens damnum suo nomine illatum, an teneatur ad restitutionem.*
8 *Rati-habitio duplex, expressa, & tacita.*
9 *Consensus voluntatis eiusdem duplex.*
10 *Consensus voluntatis ad rati-habitionem requisitus.*

1 Rati-habitio fit per fictionem translatiuam ex coniunctione duorum extremorum, per quam fingitur, actum, de cuius rati-habitione agitur, fuisse à principio gestum ex mandato ratum-habentis; hæc autem coniunctio fieri non potest, nisi vnum extremum trahatur ad aliud; vndè oportet rati-habitionem ipsam, quæ est extremum, à quo fictio inchoatur, trahi retro ad actum præcedētem tāquam ad id, quod per fictionē principalem intenditur.

2 Ad actum rati-habitionis, præter coniunctionem duorum extremorum, requiritur, quod actus ille potuerit fieri ex mādato ratum-habentis; siquidem rati-habitio in his tantùm negotijs versatur, in quibus mandatum à principio potuit interuenire; vndè negotium infantis, vel furiosi nomine gestum non potest ab ijsdem, etiā cessante impedimento, haberi ratum. Abbas *in cap. vlt. de consuet. sud.* Sylucst. *in summa verbo Consensus 6.* Item vbi negotium à principio nullum est; ità vt non sit in potestate ratum-habentis, illud validum efficere, cessat rati-habitio, cum à principio ex mādato ipsius facere nequiuerit, & ita *l. ob. fernaro*, & ibi Bart. *nu.4.*

3 Requiritur etiam, vt rati-habitio sit legitima, quod quis ratum habeat; vt suo nomine gestum; alitèr, etiamsi gestum approbet, rati-habitio deficit. Ratio, quia nihil est in extremo, à quo, per quod etiam retrotractione actus perueniatur illius, qui ratū habet, *l.1.§. de vi,ex, de vi,& vi armata.*

4 Requiritur etiam, quod actus rati-habitionis fiat eo tempore, quo actus principalis fieri potuisset, Tiraquel. *de retract. lign. §.1.glo.10.n.89.* quia cùm rati-habitio æquiparetur mandato, oportet illam eo tempore fieri, quo res ex mandato ratum-habentis perfici potuisset. Cou. *lib.3.var. cap.16. nu.5.* & alij.

5 Vt autem rati-habitio retro-trahatur, requiritur, quod nihil sit, quod impediat retro-tractionem, & impediat medij coniunctionem; vndè oportet rem esse integram, idest tempore rati-habitionis omnia esse in eo statu, quo fuerunt tempore, quo negotium gestum est. Bart. *in l. si vxor §. si quis vxorem num. 3.* Cessat similitèr effectus rati-habitionis, vbi per illam fieret præiudicium: Tertiò, cui, vel medio tempore, vel alitèr vtrumque ius quæsitum est, *l. si partem §.vlt.ff.* quemadmodū seruitutes, stāte enim præiudicio tertij, huiusmodi fictio retrotractionē nō operabitur. Tex. *in cap. Si proce.*

6 Rati-habitio retro-trahitur, non solùm ad tempus, idest ad diem actus celebrati, vt docet Bertach. *in repert. verbo. Ratificatio*, sed etiam ad locum actus à principio gesti, in quo ratum-habens, idipsum fingitur gessisse, vel mandasse, *l. cendecem §.1.* vndè fit, vt is, qui habet ratum contractum, vel delictum, non in loco rati-habitionis, sed in loco actus gesti forum sortiatur, iuxta *cap. vlt. de foro compet.*

7 Ratum-habens damnum suo nomine illatum, non tenetur ad restitutionem: Ratio, quia non dicitur participare in damno alterius, cùm iam damnum fuerit illatum, nec etiam tenetur ratione rei acceptæ; nam ratum-habens damnum illatum ob simplicem ratificationem, nihil habet alterius, nec etiam tenetur, ratione iniustæ acceptationis, quia non influxit in dānum, cùm rati-habitio fuerit post secutum damnum; ità Rebellus *lib. 2 quest. 14. sect. 3.* Petrus Nauar. *lib. 3. cap. 4. num. 69.* Molina *tom 3. tract. 2. disp. 729.* Reginaldus *lib. 10 tract. 2. nu. 48.* licèt Nauar. *cap. 17. nu. 133* & alij alitèr sentiant.

8 Cùm duplex sit rati-habitio, expressa, & tacita; expressa sit per actualem actum voluntatis; tacita per virtualem actum voluntatis; idcircò triplex est actus voluntatis, vnus formalis, alter virtualis, & tertius interpretatiuus consensus formalis est, cum quis formali, & positiuo actu voluntatis sibi complacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè indicat; qui consensus dicitur etiam directus: Virtualis consensus duplex etiam est, alter, qui ex natura sua includitur in aliquo consensu formali; alter est ipsemet consensus formalis præteritus, quatenùs remanet virtute, & vi ipsius perseuerat, quousque per actus formalitèr interrumpatur interpretatiuus cōsensus est, cū quis aliquid facit, vel omittit, prçuidēs indè secuturum aliquod peccatum, vel damnum, aut quando negatiuè se habet, seù quando negligens est in tentationibus repellendis, &c. D. Thomas 1.2. qu. 15. art. 1. & alij.

9 Con-

9 Consensus voluntatis est duplex: Vnus perfectus, qui requirit plenam aduertentiam, & iudicium rationis de eo, cui consentitur. Valentia *tom. 2. disp 2. quæst. 10. par. 1.* alter imperfectus, vt quando quis in deliberando non habet aduertētiam, nec perfectum iudicium, vt in semi-dormientibus, &c. Reginaldus *lib. 11. cap. 4. num. 55.* & alij.

10 Ad rati-habitionem requiritur consensus voluntatis, & ille actus dicitur voluntarius, cui voluntas consentit cum aduertēria, & deliberatione; vndè motus vocati primo-primi nullam habent rationē peccati, ne quidem venialis, cùm præueniant omnē voluntatis consensum liberum; hic autem consensus, ad rationem peccati, & rati-habitionis non tantùm formalis sufficit, sed etiam virtualis, & interpretatiuus. Consensus voluntatis, qui requiritur ad peccatum, debet esse liber, cùm consensus sit actus voluntatis liber, quo ipsa sibi cōplacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè iudicauerit.

REGVLA XI.

Cum sunt partium iura obscura, Reo fauendum est potiùs, quàm Actori.

Hæc Regula desumitur *ex lege fauorabiliores de reg. iuris in 6.* & de hac agunt Doctores Hipol. *in l. vnius §. in ea à num. 6. ff de quæst.* Alciatus *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 44.* Menoch. *de præsump. lib 2. præsump. 90.* Sanch. *in præcep. decalogi tom. 1. lib. 1. cap. 9 num. 51.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc regula apud quosdam quomodo intelligenda.*

1 Aliqui Doctores dicunt, hāc regulam regulariter intelligendam esse de fine litis, *vt in l. matrem*, vbi dicitur, quod si Iudex sit dubius in pari causa, debet ferre sententiam in fauorem Rei, & ipsum absoluere; secùs in principio litis, quia magis fauemus actori, quàm Reo, & in medio equaliter *l. de die ff. qui satisd. cog.* tùm propter conditionem ipsius miserabilem, tùm etiam propter causam absolutionis, quæ in re dubia securior, & fauorabilior est, *l. absent. ff. de pœnis*; Alij verò dicunt, non modo intelligēdam esse de principio litis, sed etiam de medio, & fine respectu sententiæ ferendæ: quando verò Actor tenetur causam iure fauorabilem, ex quo etiam tunc omnia ex parte ipsius, & Rei non sunt paria, præponderat fauor causæ, & sententia pro Actore fertur *cap. Ex literis de probat.*

REGVLA XII.

De Iudicijs non est acceptatio personarum.

Desumitur *ex prouerb cap. 18. cap. Nouit. &c.* & de hac agunt D. Thomas 2. 2. *quæst. 63.* Sotus *de iust lib. 3 quæst. 6 art. 5.* S. Antoninus *par. 2. lib 1 cap. 19. & 20.* Personam hominis accipere, ait Gregorius, est hominem, non quia homo, sed propter aliquid, quod circà ipsum, est honorare.

SVMMARIVM.

1 *Iudiciorum nomine quæ intelligantur.*
2 *Acceptio personarum in quibus locum habeat.*
3 *Acceptio personarum quale peccatum sit.*

1 Iudiciorum nomine intelliguntur illa, in quibus de meritis iudicatur, & examinandæ sunt qualitates necessariæ secūdùm iustitiam in ordine ad id, de quo agitur; excluduntur tamen actus illi, in quibus non agitur de qualitatibus, vt quia distributio non fit secundùm leges iustitiæ; sed secundùm voluntatem, vt quādo quis bona propria ad suum arbitrium distribuit, quia tunc cessat acceptatio personarum iuxtà illud Math. 20. *Non ne licet mihi, &c.*

2 Locum habet acceptio personarum: Primò, in distributione dignitatum, &c. Secundò, in distributione iuris facienda per Iudices, dùm partibus ius dicunt: Tertiò, in distributione onerum: Quartò, in collatione beneficiorum, & in electione, & præsentatione ad illa: D. Thomas 2. 2. *quæst 59 art. 4.* & alij.

3 Acceptio personarum est peccatum cōtrarium iustitiæ distributiuæ, & idem ex genere suo mortale, licèt ratione paruitatis materiæ possit esse peccatū veniale. Ad incurrendum hoc peccatum, præcipuè in materia beneficij, duo requiruntur: Primò, quod collatum conferendum sit ex debito, quia secùs si ex iustitia. Siluius *reg. 2. quæst. 59. art. 1.* 2. quod ratio, & causa dandi non faciunt ad hoc, quod recipiens reddatur dignus accepto.

REGVLA XIII.

Ignorantia facti non iuris excusat.

Desumitur *ex lege genero ff his quæ not. infam. leg. 1. de iure facti, & ignorantia*, lege generali *Cod. de tabell. lib. 10.* De hac locuti sunt Canonistæ, & Theologi omnes.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia quid.*
2 *Ignorantia alia iuris communis, alia particularis.*

3 Item

3 *Item alia inuincibilis, & alia vincibilis.*
4 *Ignorantia vincibilis duplex, affectata, & crassa.*
5 *Ità alia est antecedens; alia comitans; alia subsequens.*
6 *Ignorantia inculpabilis, de quibus dari possit.*
7 *Excusat à peccato.*
8 *Ignorantia pœnæ non excusat à peccato.*
9 *Ignorantia comitans an excuset.*
10 *Per ignorantiam, an mortale possit fieri veniale.*
11 *Peccata cum ignorantia vincibili, & cum scientia commissa, specie non differunt.*

1 IGnorantia, iuxtà D. Thomam 1. 2. *quæst.* 66. *art.* 2. nihil aliud est, quàm priuatio scientiæ, quam quis potuit adipisci, quæ duplex est, vna iuris, & altera facti: Ignorantia iuris contingit, quando nescitur præceptum ignorantia facti contingit, quando adest scientia, & notitia facti, sed facti ignoratur.

2 Ignorantia alia est iuris communis, & alia iuris particularis: Ignorantia iuris cõmunis contingit, quãdo ignoratur lex vniuersalis, quæ vniuersaliter obligat: Ignorantia iuris particularis est illa, qua ignoratur, ius obligans solùm particulares aliquas personas, vel tantùm in aliquo particulari territorio. Bonac. *de conf. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. & alij.

3 Ignorantia, siuè iuris, siuè facti subdiuiditur in probabilem, quæ dicitur inuincibilis, & inculpabilis; & in improbabilem, quæ dicitur etiam vincibilis, & culpabilis: Vincibilis est, quæ vinci potuit, sed ignorans non adhibuit debitam diligentiam, ad illam vincendam: ignorantia probabilis dicitur illa, quæ vinci nõ potuit, etiam post adhibitam diligentiã. S. Thom. *loco cit.*

4 Ignorantia vincibilis est etiam duplex, vna affectata, & altera crassa, & supina: Ignorantia crassa, & supina dicitur illa, quæ procedit ex lata culpa ignorantis: Ignorantia affectata est, quando quis eligit nescire præceptum.

5 Ignorantia aliquando est antecedens, aliquando concomitans, & aliquando cõsequens: antecedens est, qua non posita, actus malus non fieret: Comitans est, quæ si non adesset, actus fieret. Ignorantia subsequens est, quæ quouis modo est voluntaria, & culpabilis.

6 Ignorantia inculpabilis dari potest iuris Diuini, & mysteriorum fidei, nam aliqui fideles extiterunt, ad quos nulla peruenit cognitio mysteriorum fidei: Potest etiam dari ignorantia aliquorum præceptorum naturalium, non tamẽ omnium, quia sunt quædam prima principia iuris naturæ notissima, vt sunt illa, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Deus est colendus: malum fugiendum,* Iuris verò humani potest dari ignorantia inuincibilis, vt quis nunquàm de lege cogitauerit. Clauis regia *reg lib.* 2 *cap.* 9. *num.* 17. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 16. *num* 32. Coninch. *de pœnit. disput* 8. *dub* 17. *num.* 135. Reginaldus *lib.* 11. *nu.* 23 Valent. *tom.* 2. *disp.* 6 *quæst.* 6. & alij.

7 Ignorantia inuincibilis tàm iuris, quàm facti excusat à peccato: Ratio, quia voluntarium non potest esse cum ignorantia inuincibili. Nauar. *cap.* 23. *num.* 46. Vasquez 1. 2. *disput.* 122. *cap.* 2. & alij: Ignorantia verò iuris in foro externo neminem excusat, *l. iuris ignorantiam Cod. qui admittit, l. sanctissime Cod. de legib.* Dixi, regulariter, quia fallit in personis priuilegiatis, vt in rusticis, milite muliere, vel minore: Item fallit in iure satis obscuro. Beccan. *in respons. casuum conscientiæ casu* 22. Fallit etiam in materia fauorabili, & priuilegiata, vt ait Nauar. *cap.* 16. *num.* 41. vndè maritus, qui fuit Patrinus filij sui, errore, aut ignorãtia iuris, non perdit ius petendi debitum ab vxore, nec inter eos oritur cognatio spiritualis, quæ impediat huiusmodi petitionem, quia matrimonium fauorabile est; ignorantia verò acti excusat, *l. genero de his, qui not. infam.*

8 Ignorantia pœnæ non excusat à peccato, quia non tollit voluntarium: excusat tamen à pœna; vndè qui scit, aliquod delictũ prohibitũ esse, sed nescit esse prohibitũ sub tali pœna, nõ incurrit illam, cõmittẽdo tale delictũ. Nauar. *c.* 27. *n.* 274. & alij.

9 Ignorantia comitans excusat actionem externam à peccato. Azorius *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14 *quæsit.* 4. Suarez *de censur. disput.* 4. *sect.* 8. *num.* 8. Ratio, quia peccator cum tali ignorantia habet maiorem affectum ad peccatum: Ignorantia inuincibilis, siuè iuris, siuè facti; quæ crassa est, non excusat à peccato, nec à pœna. Reginald. *lib.* 9. *nu.* 138. Filliuc. *tract.* 21. *cap* 9. *qu.* 12. & alij.

10 Ignorantia potest facere, quod peccatũ mortale sit veniale: Ratio, quia peccatum cum ignorantia commissum, est minùs voluntarium; voluntarium autem imperfectum excusat à peccato mortali; vndè qui præceptum aliquod non adimplet ob inaduertentiam, vel ignorantiam, excusatur à peccato, quia laborat ignorantia inuincibili, cùm nulla præcesserit cogitatio, vel dubitatio præcepti, &c.

11 Peccata commissa cum ignorantia vincibili sunt eiusdem speciei cum peccatis, quæ fiunt cum scientia, quia opponuntur eidem virtuti, & præcepto. Suarez *tom* 4. *disp.* 22 *sect.* 4 *nu.* 14. Sanchez *lib.* 1 *cap.* 17. *nu* 13. Clauis regia *lib.* 2. *cap.* 9 *num.* 38. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 35.

REGVLA XIV.

Cum quis succedit in ius alterius, iustam ignorantiæ causam censetur habere.

Colligitur hæc Regula *ex l. in alterius* 43. & de hac tractant multi Doctores: cuius fundamentum est, quia subrogatus motu proprio præsumitur ignorare sententiam contrà suum antecessorem latam. Ruinus *cons.* 116. *num.* 2. & alij.

S V M M A R I V M.

1 *Clericus in quibus possit succedere.*

2 Cle-

2 *Clericus successor in beneficio, tenetur ad debita sui prædecessoris, in bonum Ecclesiæ facta.*
3 *Ad quod etiam teneatur.*
4 *Locatio per prædecessorem facta, an obliget successorem.*
5 *Delegatio, &c. an transeat ad successorem.*
6 *Successor particularis tenetur stare locationi per antecessorem factæ, &c.*
7 *Item successor vniuersalis.*
8 *Successor in dignitatibus Marchionatus, &c. tenetur ad omnia sancita ab Antecessoribus, cum subditis.*
9 *Episcopus succedens potest amouere officiales à prædecessore positos.*
10 *Possessor beneficij tenetur ad iura Episcopalia persoluenda.*
11 *Successor in beneficio an teneatur ad pensiones tempore prædecessoris decursas.*
12 *Vt successor teneatur stare locationi per prædecessorem factæ, quid requiratur.*

1 Clericus succedit in omnibus, sicut & Laicus succedit, *cap. quia nos, qui*: Ratio, quia per Clericatum non amittuntur iura successionis, & ideò Clericus potest succedere in Marchionatu, Ducatu, emphyteusi, &c. Ratio, quia Clericus cuiuscunque successionis est capax, quia iurisdictio temporalis etiam suprema cum Sacerdorio non repugnat, nisi forsan in institutione maioratus, &c. excluderetur Clericus; ità Molina *de primogenitis lib. 1. cap. 13. num. 100.*

2 Clericus successor in beneficio tenetur ad debita per suum antecessorem facta in vtilitatem Ecclesiæ; ità *cap. quod quibusdam*, & ibi Doctores: Item si prædecessor contraxit debita pro sua sustentatione, vel in sua infirmitate, quia pro vtilitate Ecclesiæ censentur contracta cum Ecclesia, tenetur illum alimentare. Abbas *in capite ex præsentia num. 3. de pignor.* Bursat. *cons. 226. nu. 95.* & alij. intelligendum est tamen de vltima infirmitate qua decessit. Surd. *decis. 255. nu. 26.* Tenetur item successor soluere medicinas, &c. & debita contracta in vltima voluntate: Item ad funeralia, quæ salutem animæ prædefuncti respiciunt, *cap. hæc bonus placuit 12. quæst. 2. cap. Cum in officijs*, & ibi Couar. *num. 2. de testamentis, cap. Quia sæpè, de elect. in 6.* impensæ verò, quæ tendunt ad amicorum, & vinorum solatia, pertinent ad hæredem patrimonij; ità apud Bellet. *de Cleric. debit. §. 3. num. 4.* Clericus successor tenetur ad expensas funeris sui prædecessoris, etiamsi elegerit sepulturam in alia Ecclesia. Abb. *in cap. Ut præterita qu. Sēpronius.*

3 Successor tenetur etiam ad expēsas vtiles, & necessarias in lite factas per prædecessorem, *cap. Ut præsente*, Ad hoc autem, quod successor possit pro debito contracto per antecessorem conueniri, requiritur, quod pecunia probetur versa in vtilitatem Ecclesiæ, *cap. Quod quibusdam*, vel quod probetur saltem casus necessitatis Ecclesiæ. Archid. *in cap. Hoc ius porrectum nu. 3. & 4.* Abbas *in cap. Quod quibusdam num. 7.*

4 Locatio facta ab antecessore nomine Ecclesiæ obligat successorem, & si fuerit facta in vtilitatem eiusdem: si verò fuerit facta nomine Rectoris, vel probetur esse in præiudicium Ecclesiæ, non obligat successorem; & ideò successor potest eam annullare, etiamsi antecessor pro pluribus ānis fictus exegerit; ità plures apud Bellet. *loco cit. §. 4. num. 2.* Secùs verò dicendum, si locatio fuerit facta nomine Ecclesiæ, & interuenerit auctoritas Superioris, quia in isto casu successor tenetur stare contractui, & huiusmodi locationem obseruare: Ratio, quia dispositiones, quæ fiunt super rebus dignitatis, etiam expresso nomine proprio Prælati, transeunt ad successorem, *cap. Dilectis*, & ibi Gloss. *1. de foro compet. l. annua §. 1.* vbi legatum factum Sacertoti Templi etiam expresso eius nomine, debetur successori.

5 Delegatio, seù commissio facta alicui, vt v. g. dignitati non cessat per obitum illius, neque extinguitur, sed transit ad successorem; Secùs autem si sit commissa personæ, quia tùnc expirat deficiente persona, *cap. Quoniam*: Imò successor potest exequi commissionem factam dignitati, etiāsi rescriptum successori non fuerit præsentatum. Dec. *in cap. Quoniam.* Abbas *in dicto cap. num. 15.*

6 Singularis successor tenetur stare locationi, quando locator promisit conductori de re locata contractum non facere cùm minus pacificè frui posset, sed ipsum in possessione rei manu-tenere, & conseruare sub pœna, & obligatione bonorum, &c. omnia promissa, & conuenta habere promisit firma rata, &c. quia vigore talis obligationis habet conductor ius in re, quam poterit retinere loco pignoris, & hipothecæ, neque expelletur colonus, donec sibi satisfaciat de totali interesse. Bart. *in l. filio § fin. ff. solut. matrim. in l. qui fundum ff. locat.* & alij Secùs verò si in locatione non fuerit pactum supradictum.

7 Successor vniuersalis non potest resilire à contractu locationis à prædecessore stabilito, *l. sed Addes.* & *l. Cum in plures*: Item in eo, qui succedit per sententiam Iudicis, vt si quis emat à Iudice, qui vendidit, vel vendi fecit bona debitoris, tenetur emptor stare colono debitoris. Bald. *in cap. Quod si super.*

8 Successor in Marchionatu, &c. ligatur transactionibus, conuentionibus, & pactis ab antecessoribus suis, cum subditis initis. Osasc. *decis. 39.* Menoch. *cons. 1. num. 228. vol. 1. & cum eo plures citati.* Non tenetur tamen soluere debita prædecessoris, nisi probetur, quod pecunia expensa sit in vtilitatem Marchionatus, &c.

9 Successor Episcopus potest remouere Officiales positos per antecessorem, quia non durant, nisi durante vita Episcopi cōcedentis. Innocent. *in cap. Cum P. Tabellio*, & ibi Doctores; & ità fuisse resolutum refert Gonzal. *ad regulam octauam gloss. 5. §. 11. num. 17.* nisi consuetudo in contrarium extaret, vel huiusmodi concessio esset confirmata à Sede Apostolica ex certa scientia. Rot. *diuers. part. 3. lib. 3. decis. 622.* vel nisi pro-

prouisio fuisset facta de cõsensu Capituli. Afflict. *decis.* 101. qui multos citat, neq; concordia super decimis ligat successorem, nisi adsit auctoritas Apostolica, *cap. Veniens, de transact.* Abbas *in cap. Multiplici nu.* 2. & *in cap. Cum homines num.* 4. *de decimis.*

10 Possessor beneficij tenetur soluere iura Episcopalia, etiam pro tempore præterito, quo suus prædecessor fructus percepit, & item in decimis prędialibus; item possidens rem emphyteuticam, vel feudalem tenetur ad solutionem pensionis etiam pro tempore sui prædecessoris non solutæ, ita Afflict. *decis.* 95. Ratio, quia huiusmodi onera sunt realia, & sequuntur Ecclesiarum, quę obligant successorem, & possessorem, *cap. Si quis Laicus* 16. *quæst.* 1. *cap. Querelam*: Ratio, quia beneficium transit cum suo onere, *leg. Imperator ff. de publican. cap. Cum non sit, cap. Ex litteris de pignorib.*

11 Successor in beneficio non tenetur ad pensiones decursas tempore prædecessoris, nisi prius facta fuerit cum eodem prędecessore, vel eius hæredibus diligentia de illis consequendis, vt decisum fuit per Rotam *in vna Hispalen. coram Blanchetto sub die* 16. *Decembris anni* 1567. *&* 22. *Ianuarij* 1578. *coram Pamphilio, in vna Cesar Augustana pensionis* 13. *Aprilis* 1592. & in alijs, vt refert Franciscus Leo in Thesauro fori Ecclesiastici *cap.* 22. *n.* 52. Riccius *in praxi resol. par.* 1. *resolut.* 372.

12 Vt locationi teneatur stare successor in beneficio, requiritur assensus Apostolicus, etsi adsit, & fuerit facta solutio anticipata prædecessori, non nocet successori, nisi in assensu expressa fuerit facta mentio, vt possit fieri anticipata solutio, etiamsi Rector Ecclesiæ, qui locauit, beneficio renũtiauerit ante finitã locationẽ, vt eius successor nõ teneatur stare locationi. Couar. *lib.* 2. Bart. *cap.* 15. Quaranta *verbo Alienatio num.* 19. Item sicut successor in beneficio non cogitur stare locationi factæ per Rectorem mortuum; pariter non cogitur conductor perseuerare in conditione, si noluerit, vt seruetur æqualitas: Caroc. *part.* 3. *conclus.* 26. *num.* 78. A alijs ab eo citatis, nisi locatio fuerit facta, vt dictum fuit, nomine Ecclesiæ cum debita solennitate, quia tunc sicut successor tenetur stare locationi factæ à prædecessore; ità nec etiam conductor potest ab ea recedere. Quaranta *loco citato.*

REGVLA XV.

Odia restringi, & fauores conuenit ampliari.

Hæc Regula desumitur *ex l. cum quidem ff. de liberis, & posthumis, cap. Renouantur; 22. distinct. cap. Quædam lex §. quod scripsi 35. quæst.* 3. *cap. Tua, de decimis.* De ista loquuntur omnes Doctores.

S V M M A R I V M.

1 *Verborum proprietas duplex.*
2 *Lex humana odiosa quomodo explicanda.*
3 *Quæ lex dicatur fauorabilis.*
4 *Leges secundum quam proprietatem explicandæ.*
5 *In dubijs pœnalibus, pars benignior amplectenda.*
6 *Statuta particularia iuri communi cohærentia, quomodo explicanda.*
7 *Lex pœnalis non extenditur de casu ad casum, &c.*

1 PRoprietas verborum duplex est, vna Naturalis, & altera Ciuilis: Naturalis est, quæ habet talem significationem à primæua sui institutione; Ciuilis est, quę fictione iuris ob similitudinem extẽditur ad aliquid significandum, quod ex prima sui institutione non habet.

2 Lex humana odiosa explicanda est solùm secundùm suam significationem naturalem: Lex humana fauorabilis extendenda est non solùm ad significationem naturalem, sed etiam Ciuilem; ità Eman. Sà *verb. Interpret. nu.* 1. *&* 3. & omnes communiter: Vndè lex fauorabilis loquens de filijs, extenditur etiam ad adoptiuos, quia adoptiuus venit nomine filij, iuxtà proprietatem ciuilem à iure institutam: Item lex loquens de legitimis, extenditur etiam ad legitimatos, quia legitimati veniunt nomine legitimorum in fauorabilibus.

3 Lex illa dicitur fauorabilis, quæ primariò prodest aliquibus, quamuis alijs secundariò noceat: illa verò dicitur odiosa, quæ primariò continet pœnam, etiamsi alijs secũdariò prosit: Itẽ potest dari lex, quæ in vno capite sit odiosa, & ex alio fauorabilis: explicanda est, vt fauorabilis, & ex ea parte, quę est odiosa, explicanda est, vt odiosa, modò fauor, & odium distingui possint: Quando verò fauor, & odiũ distingui non possunt, si ex primario fine est fauorabilis, explicanda est, tamquàm fauorabilis: si verò ex primario fine est odiosa, explicanda est, tamquàm odiosa; ità Couar. 2. *var. cap.* 11. *num.* 5. & plures apud Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disput.* 1. *num.* 4. apud Salas. *de legibus disput.* 21. *sect.* 4. *nu.* 10. Odium in hac materia non accipitur formalitèr, prout contrariatur charitati, sed accipitur latiùs, prout importat tędiũ, & molestiam: fauor verò accipitur, prout comprehẽdit quidquid prouocat fauorem, beneuolentiam, & gratiam; ità colligitur ex *l. qui exceptionem, & l. quod fauore C. de legib.*

4 Leges tàm fauorabiles, quàm odiosæ, non sunt explicandæ vltrà proprietatem verborum naturalem, aut ciuilem, quam habent, nisi necessitas cogat ad extensionem faciendam; quæ necessitas censetur adesse, quando ex omissione extensionis sequeretur aliqua iniustitia, vel absurditas, vt quando lex fieret inutilis, & illusoria, omissa extensione; nam omnis dispositio ità explicanda est, vt potius valeat, quàm pereat; iuxtà axioma omnium Iuris-peritorum, & Theologorum.

5 In dubijs materiæ legis pœnalis interpretatio facienda est secundùm benigniorem partem, seruata tamen proprietate verborum: Dixi, seruata proprietate verborũ, quia lex nõ excedit terminos verbis expres-

expressos, & quando lex generalitèr loquitur, generalitèr est accipienda: si verò particularitèr, particularitèr; & quando verba legis habent duplicem sensum, vnũ proprium, & alterum improprium, nec cõstat quo sensu legislator loquatur, verba accipienda sunt secũdùm propriam significationem, *l. non aliter ff. de legat. 3.* Si verò verba plures habeant sensus proprios, interpretatio facienda est secundùm sensum, qui magis potest conuenire rei, si non constat quem sensum legislator intẽderit: Item si verba duplicem habeãt sensum, vnum iuxtà propriam verborum significationem, & alterum iuxtà communem loquendi modum, explicari debent iuxtà communem loquendi modum, iuxtà quem accipiebantur verba, quando lex condita fuit; nam legislator censetur vti verbis iuxtà communem loquendi modũ; ità Em. Sà *verb. Interp. num. 15.* Salas *de legib. lib. 7. cap. 17. num. 5.* & alij. Quando verò verba legis duplicem habent sensum communem, sed vnum proprium, & alterum improprium, verba legis accipienda sunt secundùm eum sensum, quem probabilius conijcere possumus esse intentum à legislatore, nam peccat contrà legem, qui verba legis amplectens, cõtrà legislatoris nitatur voluntatem, *l. non dubium.*

6 Quando per particularem constitutionem disponitur aliquid; quod etiam habetur in iure communi, constitutio explicanda est, & restringenda iuxtà formam iuris communis, nisi aliter constet de mẽte legislatoris, *l. 2. C. de noxalib.* nàm vitanda est legum contrarietas, nec legislator præsumitur voluisse legibus derogare, nisi aliter expresse expresserit; ità Baldus *l. 2. citata.* Rebel. *lib. 1. part. 1. quæst. 6. num. 35.* Suarez *lib. 6. cap. 2. num. 18.* & alij.

7 Lex pœnalis ob paritatem rationis nõ extenditur de casu ad casum, vel de vno crimine ad aliud, vel ab vna persona ad aliam; ità plures apud Bonac. *de legibus disput. 1 quæst. 1. punct. 8. num. 23.* Ratio, quia pœnæ pendent ab intentione legislatoris, qui vnum crimen punire potest, & aliud non, aut vnum punire vna pœna, & aliud alia; & ideò si legislator vnum crimen expressit, & non aliud, signum est non esse faciendã extensionem ad aliud; quod intelligendum est, modò vnus casus, seù vnũ crimen non sit positum gratia exempli, quia tùnc cùm lex sit generalis, potest fieri extensio: Ratio, quia cùm in alio crimine eadem ratio sit tacitè, videtur comprehendi in lege.



REGVLA XVI.

Decet concessum à Principe beneficio esse mansurum.

Hæc Regula colligitur *ex cap. si super gratia 9. de offic. delegat.* & *ex cap. Si cui nulla 36. de præbend. cap. celebritatem de consecrat. distinct. 3. &c.* quia Princeps intendit conferre beneficium, quam perfectum, & firmum, vt ità plenior sit liberalitas, *cap. 1 de donat.* Molin. *de primogeneis lib. 4. cap. 3. num. 20.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium à Principe concessum, aliud reale, aliud personale.*
2 *Beneficium à Principe concessum potest reuocari.*
3 *Concessiones gratiosæ an cessent morte Principis?*
4 *Beneficium à Principe concessum cessat, cessante causa, ob quam fuit concessum.*

1 Beneficium, quod à Principe conceditur, vel est reale, vel personale; Personale est, quod immediatè conceditur personæ; Reale est, quod proximè, ac directè alicui conceditur respectu rei, loci, muneris, dignitatis, &c. Item aliud est gratiosum, quod gratis conceditur, nulla habita ratione meritorum illius, cui conceditur, vel aliorũ: aliud remuneratorium, quod conceditur alicui ratione meritorum ipsius, vel alterius.

2 Licèt regularitèr beneficium concessũ à Principe debeat esse perpetuum, tamen potest reuocari etiam post ius quæsitum a se, & à suis antecessoribus cõcessum pro libito suæ voluntatis; ità Couar. *lib. 3. var. cap. 6. num. 1.* Peregr. *de iure fisci lib 1. tract. 3. num. 59.* & alij. Et non modò potest reuocari beneficium gratiosè concessum, sed etiam ob merita, posita tamen iusta causa.

3 Concessiones gratiosæ non expirãt morte Principis, etiam re integra, cùm Principum beneficia debeant esse permansura, nisi contrarium ex intentione, vel aliundè colligatur; ità Molina *loco citato*; & ideò gratia iam facta non expirat morte concedentis, modò concessa sit sine limitatione, quia si concessa sit cum limitatione tẽporis, amittitur, & finitur lapsu termini præscripti, cùm talis gratia non sit concessa vltrà intentionem concedentis.

4 Beneficium concessum à Principe, licèt ex natura sua sit perpetuum, tamen finitur cessante causa, ob quam fuit concessum; si verò beneficium mãdatum sit executioni, non cessat cessante causa: Item beneficiũ, quo conceditur alicui facultas faciendi aliquid in grauamen aliorum, amittitur per non vsum, spatio decem annorum inter præsentes, viginti autem inter absentes; quod verò concessum est absque gra-

namine alicuius est perpetuum, & nullo tempore etiam longissimo amittitur, modò concessum sit absque temporis limitatione. Suarez *de legib lib. 8 cap. 14 num. 11.* Rodriquez *tom 1 quaest. regular quaest. 8. artic. 4.* Layman. *lib 1. tract 4 cap. 23 num. 22.* & alij.

REGVLA XVII.

Indultum à iure beneficium non est alicui conferendum.

Colligitur hæc Regula *ex lege 4. §. si quis condemnat ff de re iudic. l. adulter Cod. ad l. Iuliam de adult.* De ista agunt Iurisperiti, & Canonistæ, quorum ratio est, quia beneficia simpliciter alicui à iure concessa non possunt à beneficiaro, eo inuito auferri, nisi aliquis in ius ipsum peccauerit, iuxtà *l. auxilium ff. de minor.*

SVMMARIVM.

1 *Beneficium à iure concessum, à iure tolli potest.*
2 *Priuilegia Clericis a iure concessa, à Laico auferri nequeunt.*

1 Licet beneficium à iure concessum nemini sit auferendum ab homine, tolli tamen potest a lege: Ratio primæ partis est, quia pār in parem non habet imperium &c *cap. innotuit de elect.* Item hanc regulam non obtinere locū in beneficijs, quæ à iure non conceduntur non impliciter, sed in defectum prouisionis hominis, quia tunc si homo prouideat, cessat beneficium legis, & ideo vulgò dicitur, quod prouisio hominis tollit prouisionem legis scilicet introductam non simpliciter, sed in defectum hominis.

2 Priuilegia iure concessa Clericis, à laica potestate non possunt auferri, & Clericus nullo modo potest renunciare priuilegijs sibi concessis, cùm in fauorem status Clericalis sint concessa, & ideò à laica potestate non potest tolli priuilegium immunitatis, libertatis, &c. concessum Clericis, cum talia priuilegia non modò sint de iure positiuo; verùm etiam de iure Diuino, in quibus inferior nullo modo potest dispensare.

REGVLA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

Desumitur hæc Regula *ex lege quod initio 30 ex cap. Placet de conuers. coniugat. ex cap. Auditis 29. de elect. ex l. 1. § pubcris.* De qua loquuntur. Calderinus *conf. 1. de elect.* Imola *in l. 1 §. vlt. ff. de verbor. oblig.* Dec. *conf. 665.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Culpa triplex.*
2 *Clericus &c. exercens Chirurgiam, &c. an, & quando fiat irregularis.*
3 *Clericus assistens in bello iusto, secuta morte, an fiat irregularis.*
4 *Iudex Ecclesiasticus aliquem degradans, &c. non fit irregularis.*

1 Culpa est triplex, lata, leuis, & leuissima: culpa lata est, quando quis facit, vel omittit id, quod vt plurimum homines suæ professionis ea in parte non facerent, aut omitterent, aut quando non præuidet, quod communiter omnes præuidere debent: culpa leuis est omissio diligentiæ, quàm diligentiores eiusdem artis adhibere solent; culpa leuissima est omissio diligentiæ, quàm diligentissimi, & prudentissimi adhibere usi vnde sunt in culpa, qui absq; competenti peritia artis eamdem profitētur, immiscentes se officio non pertinente ad eos demissic Medicus imperitus, vt culpabilis, de damno secuto renetur, & aliquando puniri potest, *l. idem iuris §. vlt. ff. ad l. Aquil. l. illicitas, §. veritas ff. de offic. Præsid.* Item Iudex, qui ex imperitia malè iudicat, obligatur satisfacere parti læsæ, & ad expensas litis. Reginaldus *lib. 25. num. 657.* Nauar. *cap. 25. num. 12.* & alij. Quod etiam dicendum est de Aduocatis, Procuratoribus, &c.

2 Clericus, & Monachus exercens Chirurgiam, vel Medicinam, non secundùm regulas artis, secuta morte, ob eius imperitiam fit irregularis, *in cap. Tua nos* Denunciatur irregularis Monachus, qui aperuit à postema in gutture mulieris, ex quo mortua est: Ratio est, quia in *cap. sententiam sanguinis, nè Clerici, vel Monaci,* & in *cap. Tua nos, de homicidio* prohibetur, nè in sacris initiati abscindant, vel adurant, & secuta morte ex abscisione, vel adustione, sunt irregulares; secùs si Clericus, vel Monachus exerceat Medicinam, vel Chirurgiam secundùm regulas artis citrà abscisionem, vel adustionem, quia nullo iure probatur hoc esse prohibitum sub irregularitate. Clericus, qui adiuuat Chirurgū, vel Medicum ad iustè secandum ægroti membrum, non est irregularis, quia in iure Canonico non imposita est talis irregularitas.

3 Clericus assistens in bello iusto, non fit irregularis, secuta morte, dummodò per seipsum non mutilet, vel occidat, etiamsi hortetur milites, vt fungantur suo munere; secùs verò si assistat in bello iniusto, quia est irregularis, secuta morte, &c.

4 Iudex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, non est irregularis, quia degradando non cooperatur ad mortem, *cap. Nouimus de verb. signific.*

RE-

REGVLA XIX.
Nullus prohibetur, vti pluribus defensionibus.

Desumitur hæc Regula *ex lege his, qui* 5. & *l. nemo ff. de except.* & *l. nemo ex his* 44. *&c.* & de hac agunt Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 2. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Actor potest actionis titulos multiplicare.*
2 *Defensionis definitio.*
3 *Defendere quid.*
4 *Reus multiplici defensione potest se tueri.*

1 Licèt Actor non possit in iudicio vti pluribus actionibus, tamen non prohibetur multiplicare titulos, cùm aliud sit multiplicare actiones, & aliud multiplicare titulos, quia plures tituli contineri possunt sub vna actione, vt si quis agens, rei vendicatione, intendat rem ad se pertinere ex titulo donationis, vel emptionis, &c.

2 Defensio sic definitur, Est ius à natura concessum se, vel alios, atque etiam rem publicam contrà vim, ac iniuriam imminentem moderatè tuendi; quæ defensio duplex est; vna iudicialis, & altera extraiudicialis, quæ etiam duplex est; vna publica, & altera priuata.

3 Defendere est iudicium Rei nomine suscipere, & eamdem vicē obire, quàm Reus subiturus esset; defensores autem quidam necessarij sunt, & quidam spōtanei: necessariò defensores coguntur, qui alieno nomine agunt, quare non solùm is, qui ex mandato agit, sed & coniuncta persona, si agere velit, etiam defendere debebit.

4 Reus in iudicio pluribus defensionibus, non solùm se defendere potest, sed etiam diuersis, non tamen contrarijs, Reo enim non licet, vti pluribus exceptionibus, quæ necessariam, & ineuitabilem contrarietatem continēt, idest quæ ad nullum verum sensum possunt esse simul verę, iuxta exēplum. Glos. *in cap. imputari*, & ità Socin. *in l. nemo* 8. Cagnol. *in l. nemo ex his num.* 8. Couar. *l. nemo cap.* 2. *num.* 3. & alij. Potest etiam Reus ad sui defensionem multiplicare titulos; sui iuris, cùm possibile sit, Reum vtrumque titulum de facto habuisse, vt si dicat, rem ad se pertinere titulo donationis, emptionis, ex priuilegio, & præscriptione; ità *l. nemo*, & *cap. Auditis de præscript. cap. Constitutus, cap. penult. De Religiosis domibus*; & ità Doctores, & ideò dubius de iure sui tituli, alios titulos multiplicare potest ad cautelam, & vtrique in iudicium deducere, nō simpliciter, quasi ex vtroque simul ius acquisierit, vel ex vtroque simul obtineat, sed in eum sensum, vt si alter non sufficit ex altero, tamē defendatur; ità Innocentius *in cap. Auditis num.* 2.

REGVLA XX.
Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

Colligitur hæc Regula *ex lege sicut, Cod. de action. & obligat. cap. Nenolus* 32. *quæst.* 5. de hac tradunt Surdus *decis.* 265. *nu.* 25. Tuscus *practicarum conclus. tom.* 6. *littera Q. conclus.* 48. & alij; & hęc Regula docet perseuerantiam in bono, quia absque perseuerantia, neque qui pugnat victoriam, vel palmam victor consequitur, vt inquit S. Bernardus *epist.* 139.

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula*, Quod semel, &c. *in quibus fallat.*
2 *Metus diuisio.*
3 *Metus cadens in constantem virum, qui.*

1 Licèt regularitèr, quod semel placuit, ampliùs displicere non possit; tamen fallit hæc regula ex causa superueniente, quia quæ de nouo emergunt, nouo etiam indigent auxilio, *cap. Insinuante de offic. delegat. in* 6. Fallit etiam in casibus, in quibus displicentia permissa est, vt in testamento, &c. quia testamentum mutari potest, *cap. vlt. volunt.* tùm etiam quia licèt verùm sit in ijs, quæ scientèr, & liberalitèr placent; tamen fallit in ijs, quæ per errorem facti, vel vim, aut iustum metum placuerunt, errantis enim nullus consensus est, *l. si per errorem ff. de iurisdict. hom. iudic.* & metus rescindit cōtractum, *l. metum ff. quod metus causa*: vndè contractus metu graui celebrati, quamuis iure naturæ, & iure positiuo non sint omninò irriti, possunt tamen in foro conscientiæ rescindi, & in irritum reuocari pro arbitio eius, qui metum passus est; si metus fuit iniustè incussus ad contractum extorquendum, quia secùs si metus fuit iustè incussus.

2 Metus quidam est cadens in constantem virum, & est timor magni mali, qui & iustus dicitur, probabilis, & grauis: quidam verò metus est cadens in inconstantem virum, & vocatur timor iniustus, improbabilis, &c. vt autem timor sit cadens in constantem virum, hæc desiderantur: Primò, vt malum, quod timetur, sit in se consideratum graue: Secundò, vt æstimatio mali, quod timetur, sit fortis: Tertiò, vt metum incutiens potens sit minas executioni mādare: Quartò, vt timens minas facilè illis occurrere non possit.

3 Metus cadens in constantem virum est timor mali, quod viro constanti est formidabile, qualis est metus mortis, mutilationis atrocis, cruciatus longi, carceris, diuturni exilij, seruitutis, stupri, amissionis honorifici status, amissionis omnium bonorum, vel certè notabilis partis, infamię iuris, vel etiam facti, excommunicationis

iniustę, &c. Item metus reuerentialis, quo filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, vxor viri, Monachus Abbatis, Clericus Episcopi.

REGVLA XXI.

Non debet aliquis alterius odio grauari.

Desumitur *ex lege Non debet alteri* 18. & *ex l. factum* 197. De hac loquuntur Rebuff. *ad l. vrbis appellatio* 2 *ff. de verb. signific.* Surdus *decis.* 102. *nu.* 1. Farinac. *in prax. crimin par* 4 *conf* 4 *num.* 45 Tiraquel. *de iure meriti glos.* 8 *num.* 141. & alij, quę regula intelligenda est, quod nullus debet pati damnum ex pacto, contractu, vel odio alterius.

SVMMARIVM.

1 *Pœna quotuplex.*
2 *Pro peccato alterius, an quis pœna plectatur?*
3 *Pœna a iure imposita alicui delicto, an locum habeat, &c.*

1 POena duplex, est priuatiua, quę dicitur pęna damni, qua pro culpa aliquid aufertur, & infertur priuatio large, strictè verò qua pro culpa infertur priuatio, & aufertur perfectio huiusmodi est carentia Diuinæ visionis: Secunda dicitur positiua, quæ dicitur pœna sensus, idest afflictiua appetitus siuè superioris, siuè inferioris, & propriè pœna sensus est, qua aufertur perfectio, & infertur priuatio afflictiua appetitus, saltem naturalitèr. Toletus *lib.* 3. *cap.* 3. Vasq 1.2. *disp* 100 *cap* 1. *nu.* 3. & alij.

2 Nunquam homo pœna spirituali punitur pro peccato alterius; pro temporali verò pœna potest puniri: Ratio, quia vnus homo temporalitèr est res alterius, & ideò in pœnam eius ipse punitur; sicuti filij secundùm corpus, sunt quædam res patris, & serui quædam res dominorum, &c. licèt regularitèr non sit verum, quod pœna temporali filius possit puniri pro patre.

3 Pœna imposita iure in aliquo delicto locum non habet in actu vicino ipsi delicto, nisi quis actum perficiat: idem dicendum est de pœna imposita per statutum, quando verba statuti exigunt actum perfectum, vndè non sufficit inchoasse: secùs autem de pœna, quę venit imponenda per decretum Iudicis, quia talis sic punitur, ac si perfecisset, ex quo prouenit ad actum propinquum.

REGVLA XXII.

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

Desumitur hæc Regula *ex lege. si putator ff ad l. aquil.* & *ex cap. Cognoscentes,* & *ex cap Constit.* & *ex cap. Cùm volunt. de sent. excommun* & de ista agunt plures Doctores: quæ Regula intelligenda est, quando non adest propria culpa, quia vbi culpa deficit, cessat ratio medicinæ.

SVMMARIVM.

1 *Necessitas boni publici an possit pœnam causare etiam innocentibus.*
2 *Innocentem directè non licet occidere.*

1 NEcessitas boni publici potest esse iusta causa, vt innocentes pœna comprehendat: Ratio; quia inter delinquentes, & innocentes contingit esse annexionem, vt hic censeatur veluti res, & pars illius, vt est filius, respectu patris, *l. cùm simus;* pœna verò spirituali, vt dictum, fuit pro delicto alterius puniri nō debet, quia cùm hæc pœna animam afficiat, quòad illam non potest innocens considerari, vt res, vel pars delinquentis, in qua delinquens ipse puniatur; tùm etiam quia pro bono temporali non debet quis priuari bono spirituali, cùm bonū spirituale sit dignius bono temporali, *cap. Solitè, de maior. & obed.* D. Thomas 2.2. *quæst.* 108. *art. vlt.* Cou. *lib.* 2. *variar cap.* 8 *num.* 1. & alij.

2 Non licet directè occidere innocentem, & ità communitèr Doctores, & colligitur *ex Exodo* 23. *Insontem, & iustum nè occidas:* Indirectè verò ad mortem innocentis licitum est cooperari, ratione boni publici: Secūdo, quando mors innocētis necessaria est ad victoriam: Ratio, quia non intenditur directè mors innocentium, sed procuratur victoria permissa morte innocentum: Item licet interficere innocentem, qui pro scuto seruit inuasori vitam iustè oppugnanti, quando alitèr non potest occidi iniustus aggressor, & nō potest vitam propriam aliter defendere: Item qui non potest alitèr se defendere ab hoste insequente, quàm fugiendo per angustum iter, vbi conculcat infantem iam baptizatum, &c. nam vtitur iure suo illàc transeundo, vt vitam suam tueatur, permissa morte infātis, &c. Ità Rodriq. *ex* 1. *par. cap.* 136. *num* 6. & 7. Iulius Clarus §. *homicidium,* Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *nu.* 59. & alij. Verùm si infans non sit baptizatus, non potest illàc transire cum periculo mortis, quia tunc non solùm est periculum vitæ corporalis, sed etiam salutis spiritualis, quæ præferenda est saluti corporali, quando proximus existit in extrema necessitate spirituali.

RE-

REGVLA XXIII.

Quod quis mandato facit, Iudicis dolo facere non videtur.

Desumitur hæc Regula *ex l. non videtur 128. §. qui iussu, & ex alijs iuribus*, & de ista loquuntur Iuris-periti, &c. quia agens ex mandato Superioris, cui parere tenetur, præsumitur facere ex necessitate obedientiæ, & itá non habet animum machinandi, sine quo dolus non contrahitur, & ideò percutiens Clericum ex mandato Superioris, non incurrit excommunicationē.

SVMMARIVM.

1 *Subditus an teneatur obedire Iudici aliquid contrà Diuinam legem præcipienti.*

† *Item an præcipienti contrà conscientiam.*

1 SVbditus non tenetur parere Superiori præcipienti aliquid contrà legem Diuinā manifestè notorium; & itá Textus *in cap. Non semper, cap. Inter cæteros de re iudic.* Abbas *in cap. Si quando de offic. deleg.* D. Thomas 2. 2 *quæst. 64. art. 6.* in quo casu subditus potest resistere Superiori temerè præcipienti, *l. prohibitum Cod. de iure fisci lib.* 10. Couar. *lib. 1. variar. cap. 2. num. 12.* Menoch. *remed. 8. num. 9.*

† Nec etiam tenetur subditus obedire Superiori præcipienti aliquid contrà conscientiam: Ratio, quia magis obligat conscientia, quàm præceptum Superioris: Ratio est, quia si conscientia inuincibilitèr errāte adimpleatur id, quod ipsa conscientia dictat, non committitur peccatum, quia cōscientia errat inculpabilitèr, & ignorātia inuincibilis tollit omnem voluntarij rationem: si verò non committatur, non adimpleatur, quòd ipsa conscięntia dictat, committitur peccatum, quia conscientia licèt erronea obligat ad faciendū id, quod ipsa dictat per modum præcepti: Ratio est, quia qui non facit, quod dictat conscientia, facit contrà dictamen rationis dictans aliquid esse faciēdum per modum præcepti, cùm regula actionū sit conscientia, & per consequens censetur agere contrà propriam obligationē; itá plures apud Bonacinam *disput. 2. de legib. quæst. 4. pun. 6. nu. 22.* Verùm si conscięntia erret vincibilitèr, & culpabilitèr, magis obligat præceptum Superioris, quàm ipsa: Ratio est, quia qui conscientia vincibilitèr errante facit, quod ipsa dictat contrà præceptum Superioris, peccat; cùm non excusetur à transgressione præcepti ob conscientiam vincibilitèr errantem, & per consequens magis obligat præceptum Superioris, quàm ipsa conscientia vincibilitèr errans.

REGVLA XXIV.

Mora sua cuilibet nociua.

Desumitur hæc Regula *ex l. condemnatione 123. §. vnicuique, & ex l. emptori ff. de aqua pluuia, l. mora, de vsu-cap Decimæ 16. quæst. 1.* De ista tractant Iurisperiti: Item & Theologi Morales.

SVMMARIVM.

1 *Mora quid, & quotuplex.*
2 *Mora incupabilis excusat, &c.*
3 *Mora culpabilis debitori noxia.*
4 *Mora quando debitori non noceat.*
5 *Quæ requiruntur, ad hoc vt quis dicatur in mora.*
6 *Morosus an teneatur ad damna, &c. quæ alius passus est, &c.*

1 MOra est quædam tarditas, quæ duplex est, vna inculpabilis, & altera culpabilis, quæ est dilatio culposa circà delictum soluendum, vel creditum recipiendum, & obligat ad restitutionē damni sequuti, quæ in iure duplex est, vna dicitur ex persona, quæ regularis dicitur, alia verò ex re, quæ vulgo irregularis dicitur: mora ex persona est, quæ ex legitima hominis interpretatione inducitur: irregularis verò mora est, quæ reipsa solūmodo nulla interpretatione vera, vel ficta, sed fit absque hominis facto legis ministerio, *l. in minor. 3. cap. in quis causis in integr. restitut.*

2 Iusta dilatio, siuè mora inculpabilis habet excusationem, & liberat debitorē à mora; vndè in isto casu extincta re debita post moram inculpabilem, ad nihil tenetur *l. sciēdum ff. de vsu*: si verò mora sit culpabilis, sed modici temporis debitor etiā liberatur à restitutione damni; mora enim modici temporis non cōsideratur in iure, *l. si debitore ff. de re iudicata.*

3 Mora culpabilis nocet debitori, nisi ab illa per legitimam purgationem ex iuris æquitate liberetur: Ratio, quia omnis culpa nocet delinquenti quòad pœnam, nisi ab illa ex æquitate, vel iusta causa liberetur, vt patet *in l. Sancimus C. de pœnis, & in cap. Vt fama 35. de sent. excommunic.* Vndè quando quis interpellatus est à die, vel ab homine, & habuit possibilitatem dandi, tùnc est in mora sibi nociua, & si res debita perijt, suo periculo perijt, licèt etiam casu fortuito ad Dominum perijsset; secùs autem quando non fuit interpellatus à die, vel ab homine, quia vbi nulla petitio, ibi nulla mora dicitur fieri, *l. nulla ff. de regul. iur. in 6.*

4 Licèt mora culpabilis ex sua natura nociua sit, ex æquitate tamen inductum est, vt si morosus legitimè satisfecerit suę obligationi absque detrimento creditoris, moram ipsam purget, & ab illius effectibus liberetur, *l. si seruus 91. §. sequitur, & l. interdum. 73. §. vlt. de verb. obligat.*

5 Vt quis dicatur esse morosus, siuè in

 mora

mora, vel culpa adimplendi contractum hæc requiruntur: Primò, vt sciat, vel scire debeat, teneri ad illum adimplendum, & quod sit interpellatus à die, vel ab homine, idest monitus *l. magnam C. de contrahen.* Secundò, vt habuerit facultatem adimplendi, *ex l. quod te ff. de reb. cred.* quod intelligitur quando est præfixus certus dies soluendi, seù adimplendi contractum: si verò non est præfixus dies, obligatio ex iustitia tūc incipit, cùm petitur à creditore, quia petitio secūdū iura dicitur interpellatio: potest tamen dies solutionis præueniri, inuito creditore, *l. quod in diem ff. de solut.* nisi dies esset præfixus in gratiā creditoris, vel vtriusque. Quando quis ex contractu est obligatus ad rem aliquam soluendam, nō tenetur eam deponere in domum, vel in locum creditoris, &c. nisi fuerit facta conuentio de illo.

6 Morosus tenetur in conscientia ad omne interesse, & damnum, quod alius passus est ex ea mora, quia est causa culpabilis illius damni, & interesse: tenetur etiam ad pœnam legis, post tamen sententiam Iudicis, & ad conuentionalem, ad petitionē partis. Filliuc. *tract. 23. cap. 10. num. 151.* & alij.

REGVLA XXV.

Ea, quæ fiunt a Iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt.

Colligitur hæc Regula *ex l. factum à Iudice 132.* & de ista loquuntur Couar. *lib. 1 var cap 17 num. 13.* Aloysius Ricc. *in collect. decis. punct 4 collect. 1013.* & alij. quia officium Iudicis fundatur in iurisdictione publica, à qua validitas gestorum per Iudicem pendet, *capite forus*.

SVMMARIVM.

1 *Gesta illegitimè a Iudice, an valida.*
2 *Ista Regula*, Ea quæ, &c. *in quibus procedat.*
3 *Iudex, in quibus tamquàm priuatus censeatur.*

1 Omnia gesta, quę non pertinent ad Iudicis officium, siuè quia extrà territorium ius dicit, *cap. vlt. de constit.* siuè quia est omninò incompetens, *cap. at si Clerici, de iudic.* vel si est competens, tamen sine ordine iuris procedit, nulla sunt, quia quando Iudex procedit sine forma iuris, iudicium factum est nullum: Forma verò iuris in Iudice necessaria in quatuor consistit, in modo procedendi, in præparatorijs, in ferenda sententia, & in pœna imponenda: modus autem procedendi duplex est; vnus modo ordinario, & iuxtà iuris communis formam; alter summariè, & de plano, sola rei veritate inspecta apicibus iuris, &c. propositis.

2 Regula ista solū procedit in ijs, quę constat notoriè ad Iudicis officiū non pertinere; secùs verò ijs, de quibus an pertineant, dubitatur, circa quæ pro Iudice præsumitur, ad cuius officium spectat examinare ea, quæ ad ipsius iurisdictionem pertinent, *cap. Cum super litteris de rescriptis.*

3 Iudex, in ijs, quæ ad Iudicis officium nō spectant, priuatus censetur, *cap. Conquerente, de restit. spoliat.* & per consequens gesta ab illo, tamquàm à priuato, propter defectū publicæ potestatis, inualida sunt. Peccant etiam vsurpatione iudicij Sæculares Iudices iudicantes Clericos tam in Ciuilibus, quàm in criminalibus, quia sunt exempti ab eorum iurisdictione; sicuti etiam peccant vsurpatione Iudicij, si reus extrà Ecclesiam extrahatur, & condemnetur.

REGVLA XXVI.

Scienti, & consentienti non fit iniuria.

Hæc Regula Colligitur *ex l. nemo videtur 187. l. 1. de act. empt.* De ista agunt S. Thomas 2 2 *quæst 59. art* 3. Sotus *lib. 3. de iustitia qu. 3. art. 3.* & omnes Theologi, & Iurisperiti, quia iniustitia non fit, nisi ei, qui ab alio vim patitur, sed planè sciens, & consentiens non patitur ab alio vim, & per consequens eidem non fit iniuria, nec iniustitia.

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula*, Scienti, &c. *quando verificetur.*
2 *Deflorans Virginem consentientem, an teneatur ad restitutionem, &c.*

1 Verificatur hæc Regula, quando quis spontè, & absolutè, seù simpliciter consentit, quia secùs si per vim, aut metum, vel importunitatem, seù dolosam persuasionem, quis consensum præstauerit, quia tūnc ille consensus non dicitur voluntarius simpliciter, sed secundùm quid, quia in necessitate nemo liberalis dicitur, *l. rem legatam ff. de aliment.* & propterea, qui accepit ad vsuram, quamuis in illam consenserit, præsumendum est tamen, quod necessitate pressus id fecerit: Vndè. vsurarius tenetur ad restitutionem, quia soluens vsuras spontè, & absolutè eas nō promisit, & soluit, sed necessitate pressus, quia aliter pecuniam ab vsurario non poterit habere, quàm promittendo vsuras.

2 Qui deflorat Virginem consentientem, non obligatur ad restitutionem: Ratio, quia obligatio restituendi oritur ex iniuria facta, sed in isto casu nulla censetur iniuria, cùm puella spontè consenserit, & non fuerit decepta; ergò, &c. Secùs verò dicendum, si puella consensit, quia importunis precibus, vel etiam promissionibus decepta fuit, quia tūnc tenetur eam ducere,

ducere, vel dotare in foro fori, ratione deceptionis, quia censetur decepisse puellã; & ita Textus *in l. vnic. C. de raptor. Virg.* qui verò percutit Clericum cõsentientem, est excommunicatus, cùm Clericus non possit cedere priuilegio concesso statui Clericali.

REGVLA XXVII.

Quæ à iure communi exorbitant, non sunt ad consequentiam trahenda.

Desumitur hæc Regula *ex l. quod contrà ratione*, & ex alijs iurib. citatis *à Gloss. hic*, de ista agunt Iurisperiti, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Quæ dispositio dicatur exorbitans.*
2 *In exorbitantibus an fiat extensio.*
3 *Extensio de casu ad casum, an, & quando facienda.*
4 *Priuilegium tangens iura concedentis, latè interpretandum.*
5 *Potestas concedendi dispensationes an strictè interpretanda.*
6 *Potestas dispensandi quando non extendatur.*

1 Illa dispositio dicitur exorbitans, quæ corrigit ius commune, si non in totũ, saltem in aliqua parte: Statutum dicitur correctorium iuris communis, quando illud in totum corrigit; & exorbitans, quando solùm in aliqua parte illud corrigit. Farinac. *part 1. litt. E num. 120.*

2 In exorbitantibus non fit extensio, sed potius restrictio, & prætereà statuta omnia, municipia, & priuilegia cùm recedant à iure communi, restringi debent, & strictissimè sunt intelligenda. Abbas *in suis cõsilys cons. 1.* Verùm in exorbitantibus fauore piæ causæ potest fieri extensio. Aymo *de antiquitate temp. part. 4. num. 79.*

3 Extensio de casu ad casum non est faciẽda, nisi eadem ratio inter eos adesset, & proptereà pœna ob vxoricidium extenditur ad matricidium, propter rationem allatam: Verùm in exorbitantibus facilius admittitur extensio, quàm in correctorijs, & ius correctorium difficiliùs extenditur, quàm ius exorbitans.

4 Priuilegium tangens iura concedentis, sẽper est latè interpretandũ, & priuilegiũ, quod est contrà ius, semper est strictè interpretandum, nisi aliter cogat necessitas, vel grauis aliqua causa, quia tùnc ampliari potest; prout recta ratio, & prudentia dictat; vt si dispensatio alloquin reddatur inutilis, & illusoria, aut si hoc exigat materia necessariò, & inseparabilitèr cõnexa. Priuilegium contentum in corpore iuris, non est strictè interpretandum, cùm censeatur vim legis, & iuris cõmunis habere: Item priuilegium Regulari concessum ad beneficia censetur solùm concessum ad beneficia simplicia, non autem ad Curata, aut dignitatis: Item priuilegium concessum ad Ordines, censetur solùm concessum ad Ordines minores, quia hæc dispensatio est contrà ius commune: item priuilegium cõcessum ad lites, strictè debet accipi: similitèr illud, quod vergit in præiudicium tertij, cùm sit contrà ius tertio acquisitum, restringendum est quantũ verba patiuntur.

5 Potestas concedendi dispẽsationem non est strictè interpretanda, sed latè, seruata tamen verborum proprietate, quia hæc potestas non repugnat illi iuri, vt illis; est enim ad commune bonum, si moderatè, & prudentèr exerceatur, nec vlli notabile præiudicium affert, licèt præiudicet ipsi Principi, qui voluntariè cedit iuri suo: Vndè priuilegia facultatis Iubilæi latè sunt interpretanda ob rationes allatas.

6 Potestas dispensandi non extenditur, quoties vergit in præiudicium tertij, vel quando præiudicat illi, qui facultatẽ habet ordinariam ad dispensandum, quia Superior non præsumitur velle alteri notabile præiudicium afferre, vel quoties adest consuetudo in contrarium: Item non extenditur ad ea, in quibus ipse Superior non potest dispensare, vel quę sunt specialissimè reseruata ipsi Summo Pontifici, vt dispensatio in matrim onio rato, voto Castitatis, aut Religionis, &c. vel quoties dirigitur ad dispensandum cum personis expressis; & quoties facultas cõceditur ad instantiam, & petitionem illarũ personarũ, cũ quibus dispẽsandũ est. Sãchez *de matrim. lib. 8. disput. 2. nu. 3. 4. 5. 6.* Syluest. *verb. Dispensatio quæst. 5. num. 9.* Couar. *4. decret. 2. part. cap. 8. §. 8.* & alij.

REGVLA XXVIII.

Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.

Desumitur hæc Regula *ex l. 1. & vlt. C. de auctorit. & ex aliy iuribus*, & de ista agunt plures Iurisperiti, &c.

S V M M A R I V M.

1 *Hæc Regula*, Quod omnes, &c. *quomodo intelligenda.*
2 *In capitul. &c. sufficit, vt maior pars consentiat.*

1 Hæc regula intelligenda est circà ea, quæ pertinent ad aliquos, velut ad singulos, de quorum præiudicio agitur, quod debet ab omnibus approbari, & nõ sufficit, quod maior pars consentiat, nisi ex iusta causa aliud expressum reperiatur: Dixi, de quorum præiudicio, &c. ad excludendos illos, de quorum præiudicio solũ secundariò agitur, quorum approbatio nõ est necessaria: dixi secũdò, nisi ex iusta causa, &c.
2 quia per illam iure induci potest, vt maior pars, etiam in ijs sufficiat *cap. 2. de iur. patron.* in quo speciale est, vt in negotio præsentationis, quæ ad singulos patronos pertinet, sufficiat maior pars, vel quia aliàs sequeretur absurdum aliquod,

quod, vel iniquitas, quæ vitari debent, *leg. nam absurdum de bonis libert.* vel quia exiguū est præiudicium, *l. scio ff. de integr. restitut.* vel tandem, quia vtilitas, & bonum publicum maximè vrgent.

1 In capitulis, &c. sufficit, vt maior pars consentiat, etiamsi id, de quo agitur spectet ad omnes: vndè quādo agitur de alienatione facienda, requiritur solùm consensus expressus maioris partis capituli, eorum scilicet, qui sunt præsentes, cùm nō requiratur consensus absentium, vt patet *ex cap. 1. de ys, quæ fiunt à Prælatis, & cap. fine exceptione 12. quæst. 2.* qui consensus satis est, quod singulariter præstetur, modò tamen præcesserit tractatus, quia adhuc dicitur adesse consensus capituli, quamuis singulariter præstetur, *vt ex gloss. notat.* Syluest. *verb. Alienatio num. 5.* Vasquez *de reddendis in opuscul. cap. 2. §. 2. dub. 12 num. 42.* contrà Hostiensem, & alios apud Syluestrum *loc. cit.*

REGVLA XXIX.

In obscuris minimum est sequendum.

Hæc Regula desumitur ex *l. in obscuris*, & ex *l. semper stipulationibus ff. hoc titulo.* de ista agunt Tiraquel. *de retract. lig. §. 30. Gloss 1 num 27.* Roland. *consil. 16. n 32. lib. 3.* Menoch. *de præsumpt lib. 4 præsumpt 104. n. 17.* Surdus *decis. 208.*

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula*, In obscuris, &c. *quomodo intelligenda.*

1 Hæc Regula intelligenda est, quando non adest medium, *vt in l. apud Iulianum §. fin. ff de legat. 1.* Vbi legato fundo, si duos fundos testator habebat, neque appareat, de quo fundo senserit, minimus debetur, sed quando medium adest, in obscuris media via est eligenda, *cap. 1. de offic. cust.* & notat Gloss. *in cap. de obscuris.*

REGVLA XXX.

Eum qui certus est, certiorari vlterius non oportet.

Hæc Regula colligitur ex *l. 1. ff de action. empt.* & de hac agit *Gloss. verb. Cognouerunt, cap. Cùm inter 18 de elect.* Tiraq. *de retract. lignag. Gloss. 2. §. 36. num. 24.* Gera *in con. 33. num. 5.* vbi ampliat, quod locum habeat, etiam in actibus de sua natura prohibitis: secundò, vt procedat etiam in casibus, in quibus requiritur insinuatio, & inthimatio, quod quis habet plenam notitiam, quia non requiritur alia inthimatio, & certioratio; ità Rebuf. *in tract. de nominat. quæst. 14 n. 117.* Thes. *decis. 121.* Menoch *cons. 825. nu. 11. vol. 9.* Surd. *cons. 272. num. 12.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula*, Eum qui, &c. *quomodo intelligenda.*

1 Regula hæc debet intelligi, quando denunciatio, inthimatio, certioratio fit solùm ad finem, vt quis sciat, quia tùnc sufficit, quod quis sciat, & in isto casu certus non debet certiorari: si verò certioratio sit de substantia, vel forma, vt quando lex mandat denunciari, aliàs actus sit nullus, tùnc non sufficit scientia, sed debet fieri denunciatio ei, qui certus est: Itē quādo notificatio fit, vt aliquis certus reddatur, tùnc si ipse, cui debet fieri denunciatio, certus sit, non est necessaria alia notificatio; si verò notificatio fiat ad ipsum inuitandum, vt aliquid faciat, vel ad prohibendum ne aliquid faciat, tùnc nō sufficit scientia, sed ipsa denunciatio debet fieri: similitèr, vel inthimatio requiritur ad commodum denunciantis, aut requiritur ad commodum denūtiati: primo casu, tùnc si agitur ex notificatione, notificans ius acquirit, vel vt notificatus pœnā, vel morā incurrat, non sufficit sola sciētia notificati: si verò agitur, vt notificatus incidat in malam fidem, sola scientia sufficit: si verò agitur, vt fiat denūnciatio ad commodum eius, cui denunciatur, semper sufficit sola scientia. Fuscus *practicar. concl. tom. 1. littera C concl. 199. num. 8.*

REGVLA XXXI.

Non licet Actori quod Reo licitum non est.

Desumitur hæc Regula ex *l. non debet ff. hoc tit cap: non licet*; & ità Sigismund. Scaccia *de appellat. quæst. 18. limit. 7. nu. 23.* Fusc. *practicar. conclus litt. A concl. 119.* quia à pari procedit Reus, & Actor, *cap. 2 de mutuis petitionib. & leg. vlt. C. de fruct. & litium expensis*, quia Actor, & Reus sunt correlatiui. Marcus-Anton. *var. resol. lib. 3. resol. 9. nu. 3.*

SVMMARIVM.

1 *In quo fallat hæc Regula*, Non licet, &c.

1 Licet regularitèr vera sit talis Regula, tamen fallit, quia fauorabilior est Reus, quàm Actor, quia moriens habet dilationes, & magis punitur contumacia Actoris, quàm Rei; vt notat *gloss. in cap. non lices*, & quando dicitur, quod Rei sunt fauo-

fauorabiliores Actoribus, *l. fauorabiliores ff. de reg. iur. l. matrem C. de probat.* procedit in fine litis, vti dicitur *in dicta l. matrem*, vbi dicitur, quod si Iudex sit dubius in pari causa, debet ferre sententiam in fauorem Rei, & ipsum absoluere, quia proniores ad absoluendum, quam ad condemnandum esse debemus, *cap. non satis 86. dist.* Secùs est in principio litis, quia magis fauemus Actori, quam Reo, & in medio litis equaliter fauendum est Reo, & Actori. *l. de die ff. qui satisdat.*

REGVLA XXXII.

Mutare consilium quis non potest in alterius præiudicium.

Desumitur hæc Regula *ex l. nemo potest mutare*, de qua Surdus *de alimentis tit. 5. quæst. 3. num. 39.* Thuscus *pract. conclus. tom. 5. litt. M. conclus. 435.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc regula* Mutare consilium, *&c. quomodo intelligenda.*
2 *Sine damno alterius, potest mutari consilium.*
3 *Acquisitum ab aliquo ius, ipsi inuito non potest auferri.*

1 Hæc regula intelligenda est tantùm, vbi ex consilio alicui ius quæsitum est, vt pater in electione, præsentatione, sententia, &c. per quæ ius acquiritur electo præsentato, vel ijs, pro quibus sententia fertur, *cap. Cùm inter*, quia in isto casu cùm ius alteri quæsitum sit ex consilio, consilium mutare non potest, vt etiam in illis casibus, in quibus resistit mutatio, vt in contractibus, matrimonio, & huiusmodi.

2 Circumscripto damno tertij, in meliùs mutare consilium quis potest, *cap. Mutare leg. non nunquam*, Rebuffus *in tract. nominat. quæst. 17. num. 4.* Surdus *consil. 167. num. 10.* Sigismundus Scac *de appellat. quæst. 17. limit. 47. membr. 1. num. 33.* vndè dicitur, Mutare propositum in melius, sapientis est.

3 Quando est acquisitum ius alicui ab eo, & sibi inuito auferre non potest, quando ius acquisitum est in re, & ad rem irreuocabiliter; secùs si in re tantùm, & reuocabiliter sit acquisitum, quia tunc ab eo, & sibi inuito auferri potest; vndè qui absque fraude, & dolo, &c. est causa mutationis alicuius testamenti, legati, &c. non tenetur ad restitutionem, quia hæredi, & legatario non erat ius acquisitum in re, & ad rem, quia testamentum semper reuocari potest, cùm ambulatoria sit testatoris voluntas vsque ad extremum; secus verò dicendum, si dolo, fraude, &c. sit causa mutationis testamenti, legati, &c. quia tunc obligatur ad restitutionem damni secuti, qui est causa mutationis testamenti, &c. etiamsi alter non haberet ius in re, vel ad rem, quia impediens per vim, & fraudem, fecit alteri iniuriam, & licet qui impeditur à consecutione, &c. non habeat ius in re, vel ad rem, nihilominùs habet saltem ius, nè per vim, & fraudem impediatur: qui verò impedit alium, nè consequatur id, quod ei debetur ex iustitia sine fraude, semper obligatur ad restitutionem, quia sic faciendo violat iustitiam.

REGVLA XXXIII.

Generi per speciem derogatur.

Colligitur hæc Regula *ex l. in toto iure 80. & l. sanctio 41 ff. de pœnis cap. 1. cap. Pastoralis § quoniam de rescrip.* De ista agunt Menoch *consl. 141. nu. 26.* Surdus *de alimentis tit. 2. quæst. 15. num. 130.* Thomas de Thomas. *in floribus legum reg. 132.* & alij; nisi lex in aliquo casu declaret, quod derogari non possit, vt *l. legata ff. de suplen. l. sibi legat suppellectili*, cùm species ex abundanti enumerari soleant, vel per imperitiam Notarij generali legati derogari non potest.

SVMMARIVM.

1 *Testamenta posteriora derogant primis.*

1 Quia posteriora derogant prioribus, idcircò posteriora testamenta facta tollunt obligationem primi *§. posteriore*, sicut per leges posteriores, si sint contrariæ, tolluntur priores. Fallit autem hæc regula in sententia, quia valet prima, non secunda ab eodem, & super eadem re lata, *l. iudex ff. de re iudic.* & ità notat Glos. *in §. citato posteriore*: Item procedit regula, quando posteriora iure perfecta sunt, aliàs non derogant, neque nocent prioribus, vt notat Glos. *in § posteriore*, & ideò iuramentũ factũ contrà iuramentum, vel promissionem iuratam priùs validè emissam, non obligat, quia posterius iuramentum, vel posterior promissio non est de re, quæ sine peccato seruari possit, & ideò non obligat.

REGVLA XXXIV.

Plus semper in se continet, quod est minus.

Hæc Regula desumitur *ex l. in eo, quod plus ff. 111. hoc tit.* & de ista agunt Doctores.

SVMMARIVM.

1 *Plus, & minus, quomodo considerentur.*
2 *Plus in quantitate continet, quod est minus.*
3 *Dispensans in voto castitatis, potest dispensare & in voto non nubendi.*

1 Supponendum est *Plus*, & *Minus* varijs modis considerari, aliquando in quantitate,

titare., vt in maiori summa, mensurâ, vel pondere respectu minoris, aliquando in toto, & suis partibus, cuiusmodi est domus, & partes respectu illius, *l. Eum qui ades 23 ff. de vsucap.* aliquando in genere respectu specierum, *l. si Chorus 87 ff de legat. 3.* aliquando in qualitate, vt in obligatione pura, vel in diem respectu conditionalis: in hac regula solùm agitur de eo, quod est plus quantitate, vel toto, quia in ijs tantùm, & non in alijs plus semper continet sub se, quod est minus.

2 Plus in quantitate, necessariò, & naturalitèr côtinet id, quod est minus, sicut & totû côtinet suas partes, & nô ex iuris interpretatione; vndè dispositio de maiori summa verificatur etiam in minori, nisi alitèr appareat de mente disponentis; vndè, verba, quæ maiorem quantitatem significant, v.g. 20. non verificantur in 10. tantùm, dùm aliud non apparet de mente disponentis, *l. non aliter 63. ff de legat. 3.* & stipulatio omnis, in qua aliquis ex contrahentibus expressit maiorem summam, non valet in minori, nisi aliud constet, *§ præterea inst. de inutilibus, &c.* Dixi, nè alitèr appareat de mente disponentis, quia cum verisimilitèr appareat, disponentem de maiori quantitate intendisse, etiam quamcumque summam contentam sub maiori, tunc dispositio côtenta super maiori summa obligat etiam in minori.

3 Habens facultatem dispensandi in voto castitatis, habet etiam facultatem dispensandi in voto non nubendi: Ratio, quia votum non nubendi continetur in voto castitatis, sicut pars in toto; at habens facultatem dispensandi in voto non nubendi, non habet facultatem dispensandi in voto castitatis, cùm facultas dispensandi sit strictè interpretanda, & non possit extendi: Item habens facultatem dispensandi non potest commutare, cùm dispensatio, & commutatio differant, & vnum non contineatur in altero, sicut pars in toto, vel sicut species in genere, & ideò habens potestatem vnius non habet alterius.

REGULA XXXV.

Pro possessore habetur, qui dolo desinit possidere.

Hęc Regula colligitur *ex regula, qui dolo esse it, l. non parem esse.* De hac loquuntur Menoch. *remed. 1. adipis. possess. num. 65 &c.* Mascard. *de probat. conclus. 532. nu 100.* & alii; dolus enim nemini debet prodesse, sed obesse, *l. quod si dolo, l. is, qui dolo ff. de rei vendicat.*

SVMMARIVM.

1 *Possessio vndè dicta.*
2 *Possessio duplex, iuris, & facti.*
3 *Quot modis acquiratur possessio.*
4 *Possessio iurium, & seruitutum quot modis acquiratur.*
5 *Possessio rerum mobilium quomodo amittatur.*
6 *Priuilegia possessionis bona fidei, quæ?*

1 POssessio dicitur à pedum positione, nã per pedum positionem suprà bona immobilia, vt supra agrum, vel fundum, soler acquiri possessio: tribuitur autem hoc nomen aliquando bonis possessis, quomodo dicuntur possessiones, sed in ista regula accipitur pro actu possidendi.

2 Possessio accepta pro iure possidendi est duplex, iuris, & facti, possessio iuris est ius insistendi alicui rei, tamquàm suæ, non prohibita possideri: possessio facti est detentio rei corporalis, vel apprehensio adminiculo corporis animi, & iuris. Diuiditur autem possessio in ciuilem, naturalem, & mixtam: ciuilis est, quæ solo animo retinetur: naturalis est, quæ animo, & corpore simul possidetur: mixta est, cû quis corpore, & animo iustè, & accommodatè iure ciuili rem habet. Azorius *3. par. lib. 1. cap. 31. quæst. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 3. dub. 10.* & alij.

3 Possessio tribus modis acquiritur, apprehensione vera; legis dispositione, & apprehensione ficta: apprehensio vera est, quæ fit manibus possessio; legum dispositione transfertur absque vlla vera, vel ficta apprehensione, si leges ità statuant, quia modus acquirendæ, vel amittendæ possessionis iuri humano subiacet. Cou. *lib. 3.* Bart. *cap. 5. num. 6.* Lessius *loco citato num. 48.* Filliuc. *tract. 31. num. 87.* & alij. Possessio iuris fictione est primò, si antiquus possessor tradat alteri, cui vult possessionem cedere, claues domus, in quo sunt merces tradendæ: Item si tradat alteri scripturam, vel instrumentum, vt constet de titulo, quo rem possidet: Item si antiquus possessor à loco remoto, vel propinquo ostendat prædium, & dicat, se illius possessionê tradere, alius autem accepter; tunc enim dicitur apprehendere successionem. Azorius *loc. cit. cap. 32* Less. *loco cit. nu 48.* & alij.

4 Possessio iurium, & seruitutum duobus modis acquiritur: Primò, vsu iuris tamquàm ad se pertinentis, sciente, & ferente eo, ad quem pertinebat concedere, vel prohibere: Secûdò, missione in agrum, in quo quis seruitutem vult constituere, & alterius possessionem eodem animo.

5 Possessio rerum mobilium, tùm ciuilis, tùm naturalis amittitur: Primò, sola voluntate possessoris nolentis eam amplius possidere: Secundò, per furtum, & rapinam alterius: Tertiò, si alterius custodiæ subsit, qui incipiat eam detinere tamquàm suam: Quartò, per fugam, si sint animalia, vel per amissionem rei, v.g. bursæ: possessio tamen serui, &c. non per fugam amittitur, *l. possideri ff. de acquir. possess. l. Pomponius ff. ibidem.* Lessius *loco citato dub. 12.* Azorius *cap. 34.* & alij.

6 Priuilegia possessionis bonæ fidei hæc sunt: Primò parit præscriptionem, & facit, vt res, quæ non est tua, elapso tempore fiat tua, & omnes fructus percepti: Secundò, in

in iudicio parit præsumptionem dominij: Tertiò, possessor potest armis suam possessionem non modò naturalem, sed etiam ciuilem tueri: Quartò, possessor expulsus potest armis suam possessionem repetere; modò id fiat confestim, & non ex interuallo: Quintò, potest quis actius suam possessionem tueri vim, vi repellendo; Septimò, si Dominus rei iniustè expellat possessorem à possessione, amittit dominium, & applicatur expulso: si autem non sit Dominus, tenetur reddere possessionem expulso, & insuper, æstimationem eius; ità *l. si quis tantam, Cod. vnde vi*, quę non videtur esse amplius in vsu, vt docet Couar. &c.

REGVLA XXXVI.

Vtile non debet per inutile vitiari.

Desumitur hæc Regula *ex l. 1 par. 1. §. sed simili de verbor. obligat.* & ex alijs iuribus, & de ista agunt in pluribus locis Theologi morales, &c.

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula, Vtile, &c. de quibus intelligenda.*
2 *Quando fallat hæc regula.*

1 HÆc regula intelligenda est in rebus diuiduis, & separabilibus, in quibus vtile per inutile vitiari non debet, non autem in rebus indiuiduis, in quibus vtile per inutile vitiatur; vndè locatio bonorum Ecclesiasticorum facta ad plures annos, nō solum inualida est pro eo tempore; sed etiam pro primo triennio: quare si quis locauit prædium Ecclesiæ ad quinque, vel sex annos, locatio inualida est, nō solùm pro quinque, vel sex annis, sed etiā pro primo triennio. Azorius *3 par. lib. 5. §. de locato cap. 3. quæsito*, Carocius *de locat. 3 par. §. de rebus Eccles. secund. conclus. 5* Lessius *lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 83.* & alij Si verò distincto cōsensu locatio bonorum fiat ad sex annos, vel nouē; ità vt tot sint distinctę locationes, quot sunt triēnia, vt si quis locet hoc modo: Concedo tibi hanc vineam ad tres annos, quibus elapsis, ex nunc pro tunc, cōcedo tibi eamdem vineam ad alios tres annos, & sic deinceps, locatio est valida quoad primum triennium; inualida verò quoad secundum, quia vtile per inutile non vitiatur in rebus separabilibus, sed tantùm inseparabilibus; & ideo prima locatio ad septem, &c. annos est inualida, nō solùm pro eo tempore, quod excedit, sed etiam pro triennio; cùm sit vna, & indiuidua locatio; in secundo verò casu prima locatio est valida, non verò secunda, quia sunt distinctę locationes, & separabiles, & in rebus separabilibus vtile per inutile non vitiatur.

2 Fallit autem hæc regula, quando in iure venit expressum, quod vtile per inutile vitiatur, *vt in cap. Dilecti, 3. quæst. 9.* si verò testis admisceat aliquid falsitatis, eius testimonium non valet, sed tota testimonij fides partis mendacio destruitur: Item in rescripto Apostolico; quod si in aliqua parte habeat vitium grammaticæ, in cæteris omnibus fidem, & auctoritatem non habet quoad alia omnia, etiam separata, quæ in eodem rescripto absque aliquo vitio continentur, vt colligitur ex Textu *in cap. Ad audientiam 11. de rescriptis*, sicut etiam vbi deficit fides, & auctoritas Notarij, quia in aliqua parte instrumenti falsum scripsit, totum corruit instrumentum, etiam quoad alias partes, & capitula separata. Glos. *fi. in cap. Si ad scripturas, glos. 2. in cap. Quid ergo*, Bart. *in l. si ex falso*, quia fides Notarij est omninò indiuisibilis, & falsitas in vna parte commissa, in totum reddit suspectam fidem Notarij.

REGVLA XXXVII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod missus est impugnare.

Colligitur hęc Regula *ex cap. Ex eo, hic ex l. Papinianus §. meminisse ff de inofficiosis testamentis* De ista loquuntur Menoch. *consil. 395 num. 89.* Surdus *cons. 157. num. 10.* & alii.

SVMMARIVM.

1 *Impugnans testamentum, &c. an perdat, &c.*

1 QVando aliquis impugnauit testamētum, dicēs illud inofficiosum, & nullum esse, si improbè id dixerit, & succubuerit, quidquid ex testamento capiebat, perdit; secùs autem si simpliciter protestatus, vel si inciperet agere, aut excipere, & desisteret à sententia, quia verba semper sunt intelligenda cum effectu, *cap. Relatum, de Clerico non residente*, & notat Glos. *in cap. Ex eo*; vndè non potest quis approbare posteà quod semel impugnauit Surdus *consil. 157 num. 10* & *consil. 196. num. 2.* quia semel approbatum non potest amplius reprobari, *l. Pomponius ff de negot. gest.* Quæ tamen regula procedit in materia fauorabili, vt *in §. eadem l.* vbi si seruus manumissus sit ex aliqua causa a Iudice approbata, fauore libertatis, non retractatur manumissio: si tractu temporis reperiatur iniusta causa, quæ priùs videbatur iusta; secùs autem regulariter, vt notat Glos. *in §. eadem.*



R I.

REGVLA XXXVIII.

Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

Desumitur hæc Regula *ex l. oratio ff. de sponsalibus, l. pupillus* *sed si per interpositam ff de auctorit tutor. & ex alijs iurib.* & de hac loquuntur Surdus *cons* 301. *num* 74 Mascard *de probat concl.* 102. Francisc. Leo *in Thesauro fori Ecclesiastici part.* 1 *cap* 15. *num.* 20. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Regula*, Cum quid, &c. *quomodo, & de quibus intelligenda.*

1 HÆc Regula intelligenda est de illis medijs, quibus necessariò peruenitur ad rem prohibitam, non autem de illis, quibus contingentèr peruenitur, aut possibilitèr ad ipsam rem prohibitam, vt docet Bart *in l ambitiosè num.* 21 *ff. de decret. ab ordin. faciend.* & ideò prohibito aliquo peccato, v. g. Adulterio, &c. prohibentur etiam omnia conducentia necessariò ad tale peccatum, v. g. oscula, tactus libidinosi, &c.

REGVLA XXXIX.

Pluralis locutio, duorum numero est contenta.

Desumitur hæc Regula *ex l. vbi numerus ff de testib. l libertas §. vlt. ff. de manum. testamentis, l. interualla ff. de verb. oblig.* de qua loquuntur Oldrad. *cons.* 215. Calderin. *concl* 438. Mascard. *de probat. concl* 838 *num* 12. Marc. Anton. *var resolut. lib* 1. *resol* 109. *num.* 37. Tusc. *tom.* 2. *lit D. concl.* 333. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Pluralis locutio quando verificetur in singulari.*

1 PLuralis locutio verificatur in singulari, quando est eadem ratio vnius, & multorum. Rebuff *in l. non est sine libris*. Stef. Grat. *discept. forens. cap.* 621. *num.* 31. & *cap.* 741. *num.* 13. vbi dicit, quod pluralitas resoluitur in singularitates, quando concurrit metus contrahentis, & non sequitur absurdum, aut aliquid repugnans iuri naturali, aut ciuili iustitiæ, aut æquitati.

REGVLA XL.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.

Hæc Regula colligitur *ex cap vlt. de elect. & cap. quia diuersitate, de concess. præbend.* & de hac loquuntur plures Auctores, &c.

SVMMARIVM.

1 *Conditio quando censeatur adimpleta.*

1 COnditio videtur adimpleta, ex quo non remanet per eum, qui vult eam adimplere; vndè quando non remanet per eum, qui commodum in se sentit, sed stat per eũ, qui onus sentire debet; cõditio tũc videtur adimpleta, quia secùs si per casũ fortuitum conditio adimpleri non possit, quia tùnc pro adimpleta non habetur, vt *in l. legat. C. de cond. inserta*, vbi legatum relictum mulieri sub conditione, si nupserit filio eius, mortuo filio ante matrimonium, non debetur legatum, & conditio non habetur pro completa, licèt per eam mulierem non steterit.

REGVLA XLI.

Accessorium naturam sequi congruit principalis.

Desumitur hæc Regula *ex l. Cum principalis* 130. & *l. nihil dolo* 172. & de hac loquuntur Menoch *concl.* 78. *num.* 13. Afflict. *lib* 3. *constit. rub* 5. Conat. *in cap. quamuis pactum part.* 2. §. 3. *num.* 2. Franciscus Leo *in Thes. fori Ecclesiast. part.* 2. *cap* 16 *num.* 70. Marc. Anton. *var. resol. lib.* 1. *resol.* 72. *num.* 6. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula*, Accessorium, &c. *in quibus militet.*
2 *Principale quid dicatur.*
3 *Accessorium sequitur naturam principalis.*

1 REgula præsens militat in cõiunctis, & vbi militat eadem ratio, quia secùs est in separatis, & vbi ratio est diuersa: Itẽ in actibus denotantibus translationẽ dominij, & quando accessorium à principali est diuisibile. Oldradus *cons.* 121. *nu.* 9. Tusc. *lit. A. conclus.* 79. *num.* 2. Item quando accessorium est arduum, & non verisimilitèr cogitatum à concedente, quia tùnc accessoria non censentur cõcessa, cõcesso principali. Federicus de Senis *cons.* 191. *nu.* 3. quẽ refert Tusc. *loco citato lit. A.*

2 Principale dicitur illud, quod propria virtute subsistit: accessorium dicitur illud, quod

quod pendet à principali, & per se non subsistit, & alteri inest: Hoc autem accessorium quatuor modis accipitur; primò dicitur id, quod ità rei prodest, vt sine eo res nulla, vel inutilis reddatur: Secundò dicitur id, quod alicui rei inest; ità vt sit portio, vel pars illius: Tertiò modo dicitur, quod vel ex natura rei, vel legis dispositione, aut mente partium, ità aliquod concomitatur, vt semper illud sequatur: Quartò, dicitur accessoriū, quod pendet ex aliqua re, immediatè tamen, tamquàm effectus à causa.

5 Accessorium regulariter sequitur naturam sui principalis: Vnde dispositio concedens aliquod principale, censetur etiam concedere id, quod accessoriè venit ad illud principale, *cap. ad prudentiam §. si verò, de officio deleg.* Vndè accessorium venit in necessariam consequentiam principalis, & concesso principali, censetur etiam concessum accessorium, &c. etiamsi accessorium sit dignius principali. Tusc. *conc. 76. num. 26.* & ideò, quia bona accessoria sunt ad personam. Authent. *in grati C. de Sacros. Eccles.* Felin. *in cap. Eccles. S. Mariæ num. 8.* Si persona est exempta, bona etiam exempta dicuntur, quia accessorium sequitur naturam sui principalis.

REGVLA XLII.

Qui tacet, consentire videtur.

Desumitur hęc Regula *ex l. 2. §. voluntatem ff. solut. matrim. l. qui tacet, capite Nonne de præsumpt.* & de hac loquuntur Iurisperiti, &c.

SVMMARIVM.

1 *In quibus intelligenda sit hæc Regula*, Qui tacet, &c.
2 *In dubijs, &c. tacens censetur consentire.*
3 *In actu pariter honorabili, &c.*

1 HÆc Regula intelligenda est in fauorabilibus, quia in odiosis, qui tacet, nec consentire, nec dissentire videtur; vndè quando parentes contrahunt sponsalia, &c. pro filijs, ipsi taciturnitate consentire cēsentur: Ratio, quia cùm parētes diligant filios, præsumitur, eos rectè filijs consulere; ideoque præsentia, & taciturnitas filiorum rectè reputatur consensus: idem dicendum est, si tutor contrahit spōsalia pro filijs tacentibus, & non contradicentibus, quia ius in hoc casu accipit taciturnitatem pro consensu.

2 In dubijs, an res sit fauorabilis, aut odiosa, qui tacet consentire videtur, *l. item quæritur 14. §. qui impleto 5. ff. de adoptionib. l. si vt proponas C. de nuptys, cap. 1. §. vlt. de sponsal. impuber. in 6.* Couar. *de sponsal. part. 2. cap. 4. num. 4.* & alij. Si verò in fauorabilibus, & in dubijs tacens, nutu, vel alio signo ostendat contradictionem, cessat tunc præsumptio cōsensus, quia nutu, vel signo contraria voluntas ostenditur, *l. si tamen 48. §. si qui, l. Pauli respondit 5. ff. rem gratam haberi.* In illis casibus, in quibus consensus expressus requiritur, fallit hæc Regula, vt notat *glos. in cap. ijs, qui tacet.*

3 Item, quando quis tacet in actu honorabili, vel concupiscibili, qui tacet consentire videtur, vt in *l. 1.* vbi pater agens de dote filiæ, de ipsius voluntate agere videtur, si filia non contradicat; sed in actu vituperabili, & præiudiciali, in quo esset verecundum, aut damnosum loqui, vel contradicere, tacens plerumq; dissentire videtur, *l. filius-familias §. inuitus ff. de procurat.*

REGVLA XLIII.

Is qui tacet, non fatetur, sed nec vtique negare videtur.

Colligitur hęc Regula *ex l. qui tacet 185. ff. hoc tit. l. 1. § scientiam ff. de tribut. act.* De ista loquuntur Bartolus *in leg. quæ dotis num. 21. ff. solut. matrim.* Sot. *in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3.* Lanfranc. *de arbitr. par. 1. num. 41.* & alij. Ratio, quia tacens inter confitentem, & negantem, non eligit vnum ex prędictis extremis.

SVMMARIVM.

1 *Præsens, & tacens, dupliciter debet considerari.*

1 QVi præsens est, & tacet, dupliciter potest considerari; primò, vel simpliciter tacet absque extrinseca coniectura, quæ confessionem, vel negationē suadeat, vel cum aliqua extrinseca coniectura, quæ confessionem, vel negationē suadeat: primo modo, medium datur inter confessionem, & negationem; ità vt tacens, neque fateri, neque negare videatur; in secundo verò, aduersatiuè ex sibi illatis alterum fatetur, vel negat, *cap. Nonne, de præsumpt. cap. 1. de postul. prælator.* Ratio differentię est, quia in primo casu, quando aliquis absolutè, & simpliciter tacet, nihil affirmat, verum, vel falsum; in secundo verò, vnum negando, aliud concedere videtur, *cap. qualis 25. dist. l. cum prætor ff. de iudic.* siuè contrà, vnum concedendo, aliud negare videtur, *l. maritus C. procurat. l. cum ità C. de condit. & demonstr.*



REGVLA XLIV.

Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerùmque fieri consueuit.

Hęc Regula desumitur *ex leg. in obscuris inspicimus hoc tit.* de hac loquuntur Tusc. *practicar. concl. tom. 5. litt. O. conclus. 55.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Verisimile quid dicatur.*

1 VErisimile dicitur, quod vel iuri, vel naturæ conforme est; ità Aymo *consil. 75. num. 4.* Menoch. *cons. 114. num. 12. & 13.* & ideò in obscuris inspicimus, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consueuit, cùm iura potius ea adaptent ad ea, quæ frequentèr accidunt, quàm ad ea, quæ fiunt rarò, *l. nam ab eo ff. de legibus l. iura*, & optima est semper præsumptio, quę deducitur ex accidentibus communibus; quod tamen intelligēdum est regularitèr, quia aliquando iura ad ea, quę fiunt rarò, adaptantur. Instit. *de rer. diuis.* vbi Insula, quæ in Mari nata est, quod rarò accidit, occupantis fit: at verò Insula in Flumine nata, quod frequentèr accidit, eorum est, qui habent prædia vicina.

REGVLA XLV.

Is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, vti debet.

Desumitur hæc Regula *ex l. qui in ius, & l. aliud, & l. non debeo hoc tit.* de qua loquuntur Rebuff *in tract. nominat. qu. 8. num. 12.* Gonzal. *ad regulam octauā, Cancell. glos. 15 § 1. num. 79.* Aloys. Ricc. *in collect. decis. collect.* 1784. Moneta *de decimis quæst. 4 num. 50.*

SVMMARIVM.

1 *Filius Patri succedens, succedit etiā in eius iure, &c.*

1 EX hac Regula, filius, qui succedit Patri, succedit etiam in iure, quod ipse habet: potest perficere pręscriptionem incohatam ab ipso Patre, cùm sit hæres vniuersalis: hæres autem legatarius, siue particularis, non potest perficere pręscriptionem incohatam ab ipso Patre. Item Filius succedit Patri in oneribus realibus, licèt in personalibus non succedat; & ideò Filius tenetur ad onera realia Patris, & ea tenetur exequi, non tenetur verò ad personalia.

REGVLA XLVI.

Præsumitur ignorantia vbi scientia non probatur.

Desumitur hæc Regula *ex glos. verb. Docere potes, ex l. 1. C. ad Masset. ex l. si tutor penitus C. de pœnis tutor* de hac loquuntur Menoch. *remed. 16. num. 28.* Sebast. Medic. *de casib. fort. part. 1. qu. 3. num 16.* Mascard. *conclus. 880. num. 3.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia facti alieni præsumitur, &c.*
2 *Ignorantia iuris naturalis nullum excusat.*
3 *Ignorantia facti triplex.*
4 *Ignorantia iuris nullum excusat.*

1 IGnorantia facti alieni in dubio regularitèr præsumitur, & excusat. Roman. *cons. 45 num. 3.* Roland. *cons. 96. nu. 1.* Mascard. *conclus. 879. num. 1. & 2.* & alij. Item quis scire præsumitur, quod aliàs indagare tenetur. Ioann. Garg. *de nobilit. glos. 4. nu. 29.* Nescire autem id, quod quis inuestigare, & scire tenetur, est ignorantia crassa, & supina, & tùnc ignorans habetur pro sciente; ità Socin. *regul: 176.* & ideò Episcopus non præsumitur ignorare vacationē beneficij, quia cùm debeat visitare Ecclesias, præsumitur hoc scire. Crescent. *decis. 10. nu. 12. de dolo, & contum.* Item præsumitur scire deuolutionem iuris-patronatus cùm semel in anno Ecclesiam visitare teneatur. Item hæres conficiens inuentarium, præsumitur scire bona defuncti, ex quo illa indagare tenetur. Bellon. *cons. 10. n. 22.* & Tutor præsumitur scire facta pupilli, cuius bona administrat, cùm ratione officij, illa perquirere teneatur. Roland. *cons. 72. nu. 20.* Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 23. num. 66.* Mascard. *cons. 637. num. 13.* & alij.

2 Ignorantia iuris naturalis neminem excusat, nec minorem, nec mulierem, nec militem, nec rusticum; ità Sebast. Medic. *de casibus fortuitis part. 1. quæst. 3. nu. 1.* Mascard. *de probat. conclus. 639. num. 14.* & alij.

3 Ignorantia facti est triplex, vna publica, quando communitèr omnes ignorant factum; altra priuata, sed improbabilis, quia omnes sciunt, & vnus ignorare dicitur, & hęc non excusat, quia latere in vicino non potuit, quod ad nos de longè, peruenit; vltima est priuata probabilis, quando omnes sciunt, & vnus ignorat, quia fuit absens, vel alia iusta causa, & ista excusat.

4 Ignorantia iuris neminē excusat. *L. iuris ignorantiam C. qui admitti*, Fallit autem in personis priuilegiatis, vt in minore, rustico, mulieribus, &c. in casibus tantùm à iure expressis. Baldus *in l. cum allegans.*

RE-

REGVLA XLVII.

Non debet locupletari aliquis cum alterius iniuria, vel iactura.

Colligitur hæc Regula *ex l. iure naturæ 206 ff ob tit. l nam hæc natura. l. natura-l ièr l. hæc conditio 66 ff de condit. indeb. l. vlt C. de vsu capione pro em; t.* de qua loquuntur Natta *cons.* 304 *n* 13. Marc. Anton. *var. resol* 23. *num.* 3. Vgolin. *de officio, & potestate Episcopi cap.* 18. §. 2. *nu.* 4. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula*, Non debet, &c. *an, & quando fallat.*

2 *Priuilegia cum alterius præiudicio non concedenda.*

1 Licèt hæc Regula regulariter sit vera, tamen fallit in vsu-capione, & præscriptione, quæ propter omnium vtilitatem, & vt licitus sit finis introducta est, & hoc non solùm de iure Ciuili, sed etiã de iure Canonico, & in foro conscientiæ, dummodò tamen præscriptio, & vsucapio habeant omnia requisita: item fallit Regula in exceptione non numeratæ pecuniæ, quæ intrà biennium continnum proponenda est, quo elapso, locupletatur possidens cum alterius iactura, vt notat *glos.* in præsenti Regula.

2 Priuilegia non debent concedi cum alterius præiudicio *l* 2. §. *si quis à Principe ff ne quid in loco publico*, quod intelligendum est, quando præiudicium est magnum, & notabile, quia secùs quando paruum existit, quia paruum præiudicium toleratur, vt notat *glos in l. necanus*, paruum enim pro nihilo reputatur, & paruitas rei in qualibet materia excusat. Nauar. *cap.* 17. *num.* 2.

REGVLA XLVIII.

In pœnis benignior est interpretatio facienda.

Desumitur hæc Regula *ex l factum cuiq. §. in pœnalib. hoc tit. l penult ff de pœnis cap pœnæ de pænit. dist.* 1. *cap. ex litteris de const.* Et de hac tradunt Tiraquel. *in l. si vnquam num.* 246 *C de reuocand. donat.* Aloys. Ricc. *in praxi rerum fori Ecclesiastici resol.* 303 *num.* 2. Vgolin. *de officio, & potestate Episcopi cap.* 6. §. 1. *num.* 3. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Pœna à Iure imposita vbi locum non habeat.*

2 *Pœna non extendenda de casu ad casum.*

1 Pœna imposita à iure, in aliquo locum non habet, in actu vicino ipsi delicto, nisi quis actum perficiat: Idem dicendum est de pœna, quæ imponitur per statutũ, quia verba statuti exigunt actum perfectum; Secùs verò de pœna, quæ venit imponenda per decretum Iudicis, quia talis sic punitur, ac si perfecisset ex quo peruenit ad actum propinquum; & ideò in legibus pœnalibus diligentèr considerare oportet, qualis-nam sit res, aut operatio, quæ per talem legem prohibetur, & propter quam pœna à lege imponitur, si enim pœna feratur ob aliquem actum, intelligitur de actu cõsummato: Ratio, quia statutum, & maximè pœnale, est strictissimè interpretandum; & ideò oportet, Iudicem esse ministrum legis, ac proindè debere imponere pœnam secundùm qualitatem loci, temporis, & personæ, & duriùs, & mitiùs agere, secundùm quod videtur Reipublicæ expedire. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *quæst.* 85. vbi dicit, quod fuit traditum per modum consilij, non autem per modum necessitatis, vt in pœnis alternatiuis Iudex eligat minorem.

2 Pœna non extenditur de casu ad casũ ob paritatem rationis: Ratio patet à simili, quia dispensatio sic non extenditur, & per consequens neq; pœna, modò vnus casus non sit allatus per modum exempli; Vndè pœna imposita contrà surripientes centum nũmos aureos, extenditur ad eos, qui res æqualis valoris surripiunt, quia aurei videntur solùm appositi per modũ exempli, & crimen censetur æquiualens, & eiusdem rationis: Item vnum correlatiuorum positum est solùm per modum exempli, quod dicitur de vno, dicitur etiã de alio; & ideò pœna, seù casus reseruatus contrà Sodomiam, non solùm incurritur ab eo, qui agit, verùm etiam ab eo, qui patitur, & cooperatur huic crimini. Bonac. *de legibus disput* 1. *quæst.* 1. *punct.* 8. *num.* 25.

REGVLA XLIX.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

Desumitur hæc Regula *ex l actus legitimi ff. hoc tit.* de qua agunt Tusc. *tom.* 1 *litt. A. conclus.* 129. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 1. *nu* 5. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Quæ conditiones, etiam tacitæ, in quolibet contractu intelligantur.*

2 *Differentia inter conditionem tacitam, & expressam, quæ?*

3 *Consensus ad matrimonium præstitus an admittat conditionem.*

4 *Actus legitimi, si nihilo conditionem, saltem modum admittunt.*

5 *Contractus an recipiant conditionem.*

1 Conditiones quædam sunt generales, quæ tacitè cuilibet cõtractui insunt, quamuis non exprimantur, & aliæ sunt speciales, ex quibus aliquę sunt intrinsecę, & aliæ sunt extrinsecæ; ex quibus quędam sunt necessariò euentura, aliæ contingentes, aliæ omnino impossibiles, & aliæ possibiles, aliæ turpes, aliæ indifferentes; & ex turpibus quædam sunt contra substantiã contractus, & aliæ sunt turpes, sed non cõtra substantiam contractus.

2 Differentia inter conditionem tacitam, & expressam hæc est, quod expressa conditio transmissionem impedit, etiam in vltimis voluntatibus, *l. vnica §. sin autem aliquid Cod. de caduc. tollen.* Secus dicendum in conditione tacita, qua extante, potiùs executio, & effectus obligationis, quàm obligatio suspenditur, nec trãsmissio impeditur, *l. conditiones, ᵛ. quæ extrinsecus*; præterquam si insunt voluntate testatoris.

3 Matrimonium licet non recipiat conditionem, tamen consensus præstitus ad matrimonium recipit conditionem; matrimonium verò recipit solùm conditiones generales, quæ in omni contractu intelliguntur, tacitèque insunt; contractus verò diem, & conditionem recipiunt, & ideo emptio, & venditio possunt contrahi sub conditione.

4 Actus legitimi licet conditionẽ, aut diẽ non recipiant, recipiũt tamẽ modum, quia licet dies, & conditio suo modo dispositionem suspendant, quæ suspensio repugnat actui legitimo, quem lex voluit purè, & perfectè celebrari; secus tamen dicendũ est in modo, qui dispositionem, aut illius effectum non suspendit, quando data conditione de eodem modo adimplendo, statim suum effectum sortiatur, *l. quibus diebus §. 3. nullum*; sequitur hanc regulam non procedere in conditione de præsenti, seu de præterito, quia conditio de præsenti, seu de præterito, cum non pendeat ex dubio sed euentu, conditio propriè non potest dici.

5 Actus legitimi, qui sunt contractus, recipiunt ad diem, & ideo emptio, & venditio possunt contrahi sub conditione, vndè valet talis emptio *Eme tuum agrum, si mihi placuerit intra mensem, §. emptio*, & ibi Doctores: Item omnes actus, qui à nostra voluntate procedunt, regulariter possunt accipere conditionem, & diem; Ratio est, quia cum omnes actus humani à nostra voluntate proueniant, & consensu vero, vel interpretatiuo, qui habet se in eisdem actionibus per modum substantiæ, sic naturalis libertas petit, vt quilibet possit hoc, vel illo modo liberè, & honestè contrahere, ac proinde modo conditionẽ aducere, dummodò id nõ repugnet ex natura rei, vel ex speciali aliqua lege, qui si non recipiunt conditionem, ad quem diem, recipiunt tamen modum, qui tamen non suspendit dispositionem, neque illius effectum.

REGVLA L.

Semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlteriùs transferendum.

Desumitur hæc Regula *ex cap. Semel hic, & ex cap. Nulli 12. quæst. 2.* De hac loquuntur Remigius *in tract. immunit. Eccles. ampliatione* 20. Nauar. *de spoliat. Cleric. §.* 18. *num.* 7. *&* 8. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc regula*, Semel Deo, &c. *quomodo intelligenda.*
2 *Papa an possit cum initiato sacris ordinibus dispensare, vt nubat.*

1 Hæc regula intelligenda est ad vsus sæculares: Item in rebus inanimatis, quia secus in animatis, vndè serui sacris initiati, contradicentibus Dominis, & nescientibus, Episcopo ordinante, ac præsentantibus ipsis Dominis restituuntur; ità Campanil. *in diuers. iur. can. rubr. 11. cap. 8. num. 11.*

2 Potest Papa dispensare cum initiato Ordinibus sacris, vt vxorem ducat; & ità Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 27.* Beccan. *de matrim. cap. 20. quæst. 10.* Sotus *de iustitia lib. 3. quæst. 4. art. 2.* Diana *tract. de potestate Pontificis resolut. 71.* & alij: Ratio est, quia obligatio seruandi castitatem non est de iure Diuino, & Papa potest dispensare in his, quæ nõ sunt de iure Diuino: Item ex iusta causa potest Papa dispensare in voto castitatis solenni; Ratio patet à simili, quia sicut potest dispensare in voto castitatis, quod habetur per ordinem; ità potest dispensare in voto, quod habetur per professionem; & ita Auctores citati, & alij.

REGVLA LI.

Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.

Colligitur hæc Regula *ex cap. Non præstat hic, ex cap. Verùm 31. qu. 1.* & de ista loquuntur Pereyra *de potest. elig. cap. 63. n. 5.* Tusc. *practic. concl. tom. 1. litt. A. concl. 139. nu. 2.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 22.* Gonzales *ad reg. octauæ Cancellariæ glos. 17. num. 30.* Steph. Gratianus *discept. forens. cap. 58. num. 6.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc regula quomodo intelligenda.*
2 *Item intelligenda, nisi, &c.*

1 Hæc regula intelligenda est regulariter, quia quod nullum est, nullũ producit effectum, *l. 4. cap. Condemnatum ff. de re iudic. l. Non putauit, §. non quæsiuit ff. de bonorum possessor*; paria enim sunt nullum esse, vel esse

sine effectu. Surdus *decis 51. num 21. & 22.* Mar. Antonin. *variar. resolut. lib. 1. resolut. 61. num. 24.* & alij; vndè Titius, qui contraxit matrimonium cum Berta consanguinea sua, obstante impedimento, posteà contraxit cum alia, cum qua nō erat impedimētum, valet istud secundum matrimonium, & primum matrimonium non obstat, quia nullum, & de iure non est sortitum effectum; *cap. Veniens qu. 2.*

2 Item hæc regula intelligenda est, nisi in pœnam alicuius aliquid prohibeatur; vndè maleficia licèt effectum non sortiantur, præstant tamen impedimentum promouendis, & interdùm matrimonio contrahendo. *can. 1. & 2. dist. 50.* & notat Glos. *in cap. Non præstat.*

REGVLA LII.

Cui licet quod est plus, licet vtique, quod est minus.

Colligitur hæc Regula *ex l. non debet ff. hoc tit.* cū quæ agitur Textus *in l. in suis ff. de liberis, & posthum.* dùm inquit, licitum esse exheredare, qui te occidere permittebant, *l. nec in ea 222.* & de ista agunt Doctores, &c.

SVMMARIVM.

1 *Vbi locum habeat hæc regula.*
2 *Cui licet plus, etiam minus.*

1 HÆc regula propriè habet locū, quando minus continetur in maiori, veluti pars in toto, vel species in genere; & ita Sanchez *de matrim. lib 8 disput. 2 num. 15.* & alij; & in isto casu validum est argumentū de maiori ad minus; vndè habens facultatem dispensandi in voto castitatis, potest etiam dispensare in voto non nubendi; cùm tale votum contineatur sub voto castitatis, sicuti pars in toto, &c. Habens facultatem dispensandi in voto, non potest relaxare iuramētum: Ratio, quia cùm talis relaxatio specie differat à dispensatione voti, non continetur sub ea, sicut pars in toto, nec sicut species in genere; tùm etiam, quia facultas non est extendenda vltrà verborum proprietatem, cùm aliud sit relaxare iuramentum, & aliud dispensare in voto.

2 Cui licet, quod est plus, licet etiam quod est minus, quando maius, & minus sunt in eodem genere, quia tunc dispēsatio in maiori extenditur ad minus, ita Felinus *in cap. Postulastis num. 13.* Sanchez *lib 8. disput. 1. num. 37.* & alij. Vndè Episcopus, & Monachus, cui Pontifex concessit facultatem testandi; potest etiam codicillū facere, aut causa mortis donare, quia hæ sunt partes vltimæ voluntatis, quæ concesso testamento conceduntur.

REGVLA LIII.

Qui prior est tempore, potior est iure.

Desumitur hæc Regula *ex l. quibalneum, & ex l. qui potior ff. qui potiores in pignore habeantur, l. si fundum, Cod. eod. tit. l. distractis, Cod. de pignorib.* De ista agunt Mascard *de probat conclus 1228.* Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 94. num 15.* Seraphin *decis 18. num. 17.* & alii.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo & in quibus procedat hæc regula.*
2 *Posterior, in quibus casibus præferatur priori.*
3 *In quibus etiam fallat hæc regula.*

1 HÆc regula procedit regularitèr, præcipuè verò in creditoribus hypothecarijs, inter quos præferendi sunt, qui priores sunt tempore; vndè tacita hypotheca prior præfertur expressæ posteriori, & generalis hypotheca prior, speciali posteriori. Fallit tamen hæc regula inter creditores psonales, & Chirographarios carentes hypotheca, vel alio iure prælationis, quibus nullus ordo seruandus est in solutione, sed solum pro rata omnibus satisfaciendum, ita Syluest. *verbo. Restit. quæst. 5.* Lessius *lib. 2 cap 15 dub. 6 num. 44.* Reginaldus *lib. 10 nu. 248.* & alij: Ratio, quia creditores personales habent æquale ius, consequentèr fieret illis iniuria, si vnus alteri præferretur.

2 Sunt plures casus, in quibus posterior tempore præfertur priori habenti hypothecam: Primus est mutuantis ad refectionem nauis, vel ad conseruationem alicuius rei: Secundus, mutuantis pro re custodienda: Tertius, hypothecæ dotalis: Quartus, empti pecunia pupilli: Quintus, mutui ad aliquod emendum: Sextus, contrahentis cum fisco: Septimus, credentis pecuniam ad militiam.

3 Præsens regula, *Qui prior est tempore, &c.* fallit etiam in testamentis, & huiusmodi, quia posteriora reuocant priora, vt notat Glos. *in cap. Qui prior, &c.*

REGVLA LIV.

Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contrà.

Colligitur hæc Regula *ex l. secundùm naturam ff hoc tit. §. 1. institut. de legib. pacto tit.* De hac loquuntur Alexand. *cons 46* Menoch. *cons. 38 nu. 9.* Tusc. *practicar conclus tom. 5. lib 6 conclus. 144.* Thomas de Thomasetis *in floribus legum, regula 16.*

SVMMARIVM.

1 *In quo locum habeat hæc regula.*

 Hæc

1 HÆc regula non modò habet locum in eo, qui onus sentit, sed etiam in eo, qui per aliquem onus sustinet, quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur; vnde Episcopus, qui per alium sustinet onera iurisdictionis, potest habere emolumenta iurisdictionis; vnde Glos. *in l. continuus § si ab eo ff. de verbor. obligat.* dicit, quod si doctor habens in feudum Castrum pro allegationibus, quas Domino facere debebat, moriatur relicto filio nō Doctore, filius tamen succedit in feudum, si per alium deseruiat; vnde ferendus non est, qui lucrum amplectitur; onus autem sustinere recusat, quia incōmoda eum sequi oportet, quem commoda, & vtilitas sequuntur. Roman. *consil. 477. in casu num.* 19. quia à quo remouetur officium oneris, debet remoueri officij præmium.

REGVLA LV.

In re communi, potior est conditio prohibentis.

Desumitur hæc Regula *ex l. Sabinus ff cōmuni diuid. l. in concedendo ff. de aqua pluuiæ*, & ex aliis iuribus. De hac loquuntur plures Iuris-periti, &c.

SVMMARIVM.

1 *Consensus quid.*
2 *Consensus quandoque perfectus; quandoque imperfectus.*

1 COnsensus est actus voluntatis liber, quo ipsa sibi complacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè iudicauerit, qui triplex est; Vnus formalis, vel directus, cum quis actu formali, & positiuo voluntatis sibi cōplacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè iudicat: Virtualis consensus duplex est, alter, qui ex natura sua includitur virtute in aliquo consensu formali: Alter est ipsemet cōsensus formalis præteritus, quatenus remanet virtute, & ius ipsius durat quousque per contrarium consensum, vel dissensum tollatur: Interpretatiuus consensus est, cum quis circà illud, quod offertur, dissensum elicere tenetur, neque elicit, sed cohibet se tàm à dissensu, quàm à consensu, & tunc censetur interpretatiuè consentire. Valentia *tom. 2. disput. 2. quæst. 10. par.* 1. Bonacina *tom. 2. disp. 2. quæst. 2. punct. 3.* Less. *lib. 4. cap. 3. dub. 15. nu. 116.* & alij.

2 Consensus voluntatis aliquando perfectus est, vt quando adest perfectum iudicium, & perfecta aduertentia, aliquando imperfectus, vt dùm ex parte vsus rationis impeditur, vt in semi-dormientibus, &c. In negotijs tangentibus plures, vt singulos, requiritur omnium consensus; in tangentibus verò plures, vt vniuersos, sufficit maior pars, iuxtà regulam, quod maior pars, &c. Quando requiritur consensus omnium, consentientes, si sint causa damni, omnes sunt obligati ad restitutionem: quando verò consensus maioris partis est sufficiens ad inferendum damnum, posteriores non tenentur ad restitutionem ferendo suffragium, quia damnum sufficienter censetur latum absque suffragio posteriorum; quare posteriores consentientes, peccant quidem mortaliter consentiendo in damnum iniustum, sed non tenentur ad restitutionē; cùm ille consensus nō sit causa efficax dāni; hoc tamen intelligendum est, modo non speraretur, fore vt cæteri reuocassent suffragia posterioribus non consentientibus; ità Rebellus *lib. 2. quæst. 14. sect. 5. nu. 30.* Salon. *2. 2. quæst. 62. art. 2.* Molina *disp. 730. nu. 2.* & alij.

REGVLA LVI.

Contrà eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda.

Hæc Regula desumitur *ex l. in contrahenda vendit ff. hoc tit.* lex enim id noluisse præsumitur, cùm facilè id exprimere potuisset, neque expressit. Menoch. *cons. 30. nu.* 8. Gonzales *ad reg. octauæ Cancell. glos. 9. § 1. num* 33. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Verba dubia contrà proferentem interpretanda.*

1 VErba dubia contrà proferentem sunt interpretanda, vt probat Textus *in l. veteribus* 40. Item verbum ambiguum rectiùs contrà proferentem interpretari debet. Surdus *decis. 26. nu. 10.* Farinac. *in praxi crimin. par. 2. quæst. 60. num. 60.* Regulariter verò verba propriè sunt interpretanda, & secūdùm populi intelligentiam: Item in benigniorem partem.

REGVLA LVII.

Non est obligatorium contrà bonos mores præstitum iuramentum.

Desumitur hæc Regula *ex cap. Si diligenti, de foro compet.* quo apparet, Clericum cum iuramento non posse renunciare priuilegio fori, cùm sit concessū statui Clericali. De ista loquuntur Gutier. *de iuram. confirmat par. 1. cap. 40. nu.* 4. Tusc. *practic. concl. tom 4. litt. I. concl.* 511. *num.* 29. Molina *de iustit. tract. 2. disp.* 151. Azor. *par. 1. lib. 11. cap. 6.* Rebell. *par. 2. lib. 1. quæst. 9. num.* 1. et alij.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum contrà bonos mores non obligat.*
2 *Item nec iuramentū contrà iuramentum prius emissū.*

3 *Gesta*

3 *Gesta contrà obligationem iuramenti, an valida.*

1 Iuramentum factum contrà bonos mores naturales, non obligat, cùm sit de re illicita: quando verò iuramentum est cõtrà leges ciuiles respicientes bonum priuatum, obligat, modò non vergat in præiudicium tertij: Ratio, quia cum hæc lex feratur in fauorem priuatæ personæ, & quælibet possit cedere iuri suo; idcircò si cedat iuri suo cum iuramento, validum erit iuramentum, & obligatorium: secus verò dicendum est, si iuramentum sit contrà bonos mores ciuiles in ordine ad bonum publicum: Ratio est, quia lex, quę immediatè dirigitur ad bonum publicum, obligat ad culpam; iuramentum autem non obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum, quod sit culpabile, & peccaminosum; materia enim iuramenti non est peccatum, & iuramentum non est vinculum iniquitatis.

2 Iuramentum contrà prius iuramentum emissum non obligat, sicut non obligat iuramentum contrà votum emissum: Ratio, quia posterius iuramentum, siuè iuramentum cõtrà votũ emissum cēsetur de re illicita, & quę sine peccato seruari nõ potest.

3 Gesta contrà obligationem iuramenti valida sunt, nisi aliundè sint licita; ideò reuocatio testamenti facta contrà iuramentum de non reuocando testamentum, valida est: Item venditio facta contrà promissionem iuratam de non vendendo, valida est. Matrimonium contractum contrà votum simplex castitatis, aut contrà spõsalia iurata cum alia, validum est, *l. traditionibus Cod. de pactis, l. quoties Cod. de rei vendicat.* Ratio, quia iuramentum non reddit iurãtem inhabilem ad faciendum actum contrarium ex se validum, ergò gesta contrà iuramentum emissum sunt valida.

REGVLA LVIII.

Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eundem.

Desumitur hæc Regula ex *l. in condemnatione § dolo facit ff. hoc tit.* De qua loquuntur Mascard. *de probat. concl.* 531. *num.* 1. Cardosa *in praxi Iudicum, & Aduocat. verb. dolus num.* 8. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Dolus quid.*

1 Dolus est machinatio, seù deceptio, qua quis decipit alterum dicto, vel facto, vel commissione eius, qui dicere, vel facere tenebatur. Quando dat causam contractui, si est adhibitus ab altero contrahentium, iure positiuo, & in foro conscientiæ talis contractus est irritus, excepto tamen matrimonio: quando verò dolus est incidens solùm in cõtractu, cõtractus est validus, iuxtà à nobis alibi dicta.

REGVLA LIX.

Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

Desumitur hæc Regula ex *l. nulla intelligitur ff. hoc tit.* Ratio, quia mora dici non potest, quę inculpata inuenitur, *l. pecuniæ fænebris 9. § fin. de vsur.* & sic in mora non constituitur debitor, qui iustam causam habuit ignorandi se debere, *l. qui sine dolo, l. si quis 24. l. paratum 47 ff. de vsur.*

SVMMARIVM.

1 *Iusta dilatio excusat à mora debitorem.*

1 Iusta dilatio habet aliquam excusationem, & liberat debitorē à mora: Item mora modici temporis, quia talis mora non consideratur in iure, *l. si debitore ff. de in dic.* Quando verò aliquis interpellatur à die, vel ab homine, & habuit possibilitatem dandi, tũnc censetur esse in mora, & si res debita perijt, suo periculo perijt, licèt casu fortuito perijsset.

REGVLA LX.

Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

Desumitur hæc Regula ex *l. nulla iuris ratio 24. de legibus, & ex l. fauore C. de legib. cap. quod ob gratiam.* De ista agunt Thomas de Thomasettis *in floribus legum reg* 275. Surdus *decis.* 195. *num* 5. Mantica *de tacitis, & ambiguis. convent. lib.* 2. *tit.* 12. *num.* 27. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula quomodo intelligenda.*
2 *Dilationes aliæ iudiciales; aliæ extra-iudiciales.*

1 Hæc Regula intelligenda est nisi sua culpa retorqueatur, quia tùnc succedit Regula, *Damnum, quod quis sua culpa patitur, sibi non alijs imputare debet, cap. damnum de regul. iur. in 6.* & propterea quamuis termini, ac dilationes introductæ sint in fauorem, & cõmodum Rei, retorquētur ad eius læsionem, & faciunt, vt præsumatur contrà illum, quando multis dilationibus iudicium subterfugere contenditur, *glos. & Doctores extrà de præsumpt.*

2 Dilationes, seù prorogationes aliç sunt iudiciales, quæ ad actum iudicialem spectant; aliæ sunt extra-iudiciales, quæ ob actum extra-iudicialem expediēdum dantur: priores vel sunt legales, hoc est certo iure constitutæ; vel arbitrariæ, id est ad arbitrio Iudicis pendentes, & conceduntur

ceduntur ad testes producendos, *cap. licet causam 19. de probat.*

REGVLA LXI.

Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non sit, obligatur.

Hæc Regula colligitur *ex l. consilij 48. ff. hoc tit. l. quod si cum scires ff. de dolo.* Et de ista agunt Doctores, Iurisperiti, & Theologi.

SVMMARIVM.

1 *Consilium nullam inducit obligationem.*
2 *Consulens an teneatur ad damna ex suo consilio secuta.*

1 Consilium non inducit necessitatem, nec cogit illum, cui datur, sed magis, vt deliberet; & ità liberum est ei acceptare, vel non: vndè non tenetur quis ex consilio, nisi sit fraudulentum, *glos. hic.* sùmetiam, quia cùm consilium procedat à ratione, & iudicio intellectus circa ea, quę agenda sunt; ex D. Thoma *1. 2. quæst. 14. artic. 1.* sua natura non habet consensum, sine quo obligatio non constituitur, quia nulla obligatio contrahi potest absq; consensu, & complacentia voluntatis vera, vel interpretatiua, per quam quis applicat appetitum motum, & cōsulens dicitur consentire; tamen natura consilij est, vt quamuis excitet ad deliberandum, non tamen obligat ad sequendum, *l. cum pater 77. §. mandato.* Couar. *in cap. quāuis pactum part. 2. §. 2. n. 6. & 7.* Menoch. *de præsumpt. lib. 6. n. 35.*

2 Licèt consulens non obligetur ei, cui consilium datum est; nisi consilium fuerit fraudulentum, obligatur tamen ad restitutionem damnorum alijs secutorum ex suo consilio; dummodò illud consilium fuerit vera, & efficax causa damni. Rebell. *lib. 2. quæst. 12 sect. 4.* Reginald. *lib. 10. num. 109.* Lessius *lib. 2. cap. 13. dub. 3.* & alij.

REGVLA LXII.

Exceptionem obijciens, non videtur de intentione aduersarij confiteri.

De ista Regula agunt Couar. *lib. 1. cap. 1. nu. 2.* Cacheran. Pedemont. *decis. 178. num 9.* Petr. Greg. *syntagm. iuris lib. 21. cap 17. num. 3.* Surd. *decis. 24. num. 5.* Cardosa *in praxi Iudicum verb. exceptio nu. 26.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Excipere quid significet.*

1 Excipere significat excludere, seù eximere aliquid à Regula, vsus tamen est, vt omnis defensio exceptio dicatur: propriè tamen solùm hoc nomine notatur, quod ad excludendam actionem Reus obijcit; qui verò simpliciter negat non dicitur excipere.

REGVLA LXIII.

Quæ contrà ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.

Desumitur hæc Regula *ex cap. Imperiali 25. & ex cap. vides, distinct. 10.* De ista agunt Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 16. quæst. 17.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Non fieri, & illegitimè fieri, æquiparantur.*

1 In iure paria sunt aliquid non fieri, vel illegitimè fieri, *l. quoties C. si quis satisdare.* nisi illud quod illegitimè fit, ex consuetudine iusta, & rationabili subsistat: Actus enim corruit omissa forma legis, quia forma est illa, quæ dat esse rei, & à qua actus denominatur, *l. Iulianus §. si quis ff. ad exhib.* & ideò omissio eius vitiat actū quāuis pium; quod intelligendum est de forma substantiali, sine qua actus nō potest subsistere, non autem de forma accidentali, sine qua actus subsistere potest; & ideò *in l. non dubium C. de legibus,* habetur, ea, quæ lege fieri prohibētur, si fuerunt facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licèt legislator fieri prohibuerit tantùm, non specialitèr dixerit inutilitèr esse debere, quod factum est.

REGVLA LXIV.

In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.

Desumitur hæc Regula in quantum agit de delicto *ex l. compar. delictum ff. hoc tit.* in quantum agit de causa, *ex l. in pari causa.* De qua Sanchez *in præcepta Decalogi tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 10.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc Regula in quibus intelligenda.*

1 Hæc Regula non modò intelligenda est in materia iniusta, sed etiam in materia aliarum virtutum. Suarez *tom. 5. de censur. disput. 40. sect. 5. num. 15.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 41. num 32.* & alij. Vndè, qui rem alienam bona fide accepit, & posteà dubitare incępit alienam esse, posita sufficienti diligentia, potest eam sibi retinere, vel alienare, si non comperijt, alienam esse: & ità communitèr Doctores: Ratio, quia in dubijs melior est conditio possidentis: qui verò rem mala fide accepit, tenetur

vti

vti diligentia ad assequendam rei veritatem, & si facta requisitione, veritatem inuenire non potest, tenetur eam diuidere inter eos, quorum dubitat, ad ratam dubij: ità Sanchez *in summa lib. 2. cap. 23. nu. 181.* & alij.

REGVLA LXV.

Cùm non stat per eum ad quem, pertinet, quo minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si esset impleta.

Desumitur hæc Regula *ex l. in iure Ciuili 24. ff. hoc tit.* Et de hac loquuntur Angel. *cons. 301.* Puteus *decis. 19. lib. 1.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Quando debeat intelligi hæc Regula.*

1 INtelligitur hæc Regula quando non remanet per eum, qui commodum sentit, sed stat per eum, qui onus sentire debet. Thomas de Thomasettis *in reg. 80.* vbi si promisisti decem, si capitolium ascendero, & tu promissor impedis me ascendere, pro impleta habetur conditio: secùs si per casum fortuitum adimpleri non possit, quia tùnc pro impleta non habetur.

REGVLA LXVI.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

Desumitur hæc Regula *ex cap. quod alicui de reg. iur. in 6. ex cap. sicut distinct. 46.* De qua agunt Menoch. *de arbit. casu 459.* Thomas de Thomasettis *reg. 284.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *In quibus procedat hæc Regula.*

2 *Clericus non potest esse Locum-tenens Principis in causis sanguinis.*

1 HÆc Regula procedit in maleficijs, vt in *cap. sicut*; vbi talia sunt verba; sicut nomine suo non potest Clericus exercere vsuras; ità nec alieno nomine debet; indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere; secùs autem est in alijs casibus, vt *in cap. 1. de procurat. in 6.* vbi Laicus, qui nomine proprio non potest causam spiritualem tractare, tamen alieno nomine tractare potest, vt notat Glos. *in cap. quod alicui.*

2 Clericus cùm non possit esse Iudex in causis Criminalibus, nec etiam potest esse Locum-tenens Principis in eisdem causis, iudicium sanguinis, exercēdo, & dictādo sententiam sanguinis, nec litteras dictare, aut scribere pro pœna sanguinis, cùm hæc sint illis prohibita; ideò nec nomine alieno possunt ea facere, quia nihil commune habent cum publicis actibus, vel ad curiam pertinentibus, *l. placet C. de Episcopis, & Clericis cap. quàntum dist. 10.*

REGVLA LXVII.

Potest quis per alium, quod potest per seipsum.

Desumitur hæc Regula *ex l. 1. §. de rescis. §. de vi, & vi armata, l. ità §. quod si quis, de administ. tutor. l. si per alium §. nequis eum, l. is damnum dat.* De hac loquuntur plures Iurisperiti, &c.

SVMMARIVM.

1 *De quibus intelligatur hæc Regula.*

2 *Vt gesta per Mandatariū valeant, quid requiratur.*

1 HÆc Regula primò intelligitur de delictis, quando aliquid prohibetur ratione delicti, *l. neque per se C. de red. milit.* in alijs verò rebus; si onus sit personale; tùnc, qui per alium facit, per seipsum facere non videtur, cùm onus personale in alium transferre non possit; & ità D. Thomas *quodlib. 6. quæst. 5.* Syluest. *verb. Ora §. 3.* & omnes communitèr.

2 Vt autem sint valida gesta per Procuratorem, siuè Mandatarium, requiritur: Primò, vt seruet formam mandati, quia quæ Mandatarius facit contrà, vel præter formā mandati, sunt inualida, quia aliud agere videtur, quàm quod sibi mandatū est: Secundò, quod mandatum non fuerit reuocatum, quia inualida sunt gesta per Procuratorem post reuocationem mandati, quoties reuocatio innotuit Mandatario; secùs verò si reuocatio non innotuit Mandatario, *l. mandati ff. mandati.* Excipitur tamen matrimonium, quod non validè celebratur post reuocationem mandati, vt patet *ex cap. procurator, de Procuratore in 6.* & ità Doctores.

REGVLA LXVIII.

In malis promissis, fidem non expedit obseruare.

Desumitur hæc Regula *ex cap. in malis promissis, cap. non est obligatoriū de reg. iur. in 6.* De ista loquuntur Canonistæ, Doctores, Iurisperiti, & Theologi Morales in tractatu de contrahentibus.

SVMMARIVM.

1 *Pactum de re illicita facienda, an obliget, &c.*

2 *Pro opere illicito faciendo, an possit quidquam ante factum accipi.*

3 Accepta

3 *Accepta ob turpem causam ante factum, restituenda.*
4 *Turpiter accepta etiā post factum, quādo restituēda.*
5 *Turpitudo quotupliciter essẽ possit actibus humanis.*

1 Contractus, vel pactio de re illicita facienda, nullam inducit obligationem ad rem illicitam faciendam: Ratio, quia quilibet tenetur iure naturæ se retrahere à peccato, & per consequens contractus, seu pactio de re illicita faciēda iure naturæ non tenent, & sic habetur in Institut. *de inutilibus, stipulat. capit. vlt. de pact. & leg. 26 generaliter de verb. obligat.* Molina *disput.* 94. Rebell. 2. *part. lib.* 17. *quæst.* 1. *num.* 18. Vasquez *cap.* 7. *de restit. dub.* 1. *num.* 104. & alij.

2 Pro opere illicito patrando, nihil dari, aut accipi potest ante factum: Ratio constat ex supradictis. Pro opere illicito patrato nihil pro ipso accipi potest; verùm ob circunstantiam cōcomitantem ipsum actum illicitum, aliquid accipi potest: Ratio primæ partis est, quia qui dat, & qui accipit, facit contrà iustitiam: Ratio secundæ partis est, quia illa circunstantia, quæ concomitatur actum illicitum, est appretiabilis pecunia.

3 Acceptum ob turpem causam ante factum, in foro conscientiæ retineri non potest, sed debet restitui danti, quamuis illi non detur actio repetendi in Iudicio.

4 Turpiter accepta, etiam ex voluntate libera dantis, restituenda sunt, non solùm ante factum, sed etiam secuto effectu, quādo lex positiua, vel facit dantem inhabilem ad dandum, vel recipientem incapacem ad recipiendum: Ratio est, quia res aliena est restituenda, sed quando lex efficit acquirentem incapacem dominij, vel inhabilem ad rem acquirendam, remanet aliena, & per consequens est restituenda; vnde acquisitam per Simoniam sunt restituenda, etiamsi voluntariè sint tradita: Ratio, quia simoniacus est incapax ad acquirendum, vt ità Nauar. *cap.* 23. *num.* 30. Reginald. *lib.* 10. *num.* 183. Vasquez *cap.* 7. *dub.* 4. & 6. Petrus Nauar. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 92. Molina *disput.* 94. & alij.

5 Iniustitia, seu turpitudo tripliciter potest esse in actibus humanis; Prima, ex parte dantis, vt cùm quis dat pretium pro beneficio: Secunda, ex parte recipientis, vt cùm quis recipit pretium pro opere, quod tenetur ex iustitia facere: Tertia, ex parte vtriusque, vt cùm quis recipit pretium pro homicidio patrando, vel ferenda sententia iniusta.

REGVLA LXIX.

In alternatiuis, debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.

Prima pars huius Regulę *colligitur ex l. plerumq.* 8 *ff. de iure dot. l. si in empt. §. si emptio, l. si quis, l. de cōdit. indeb.* & de hac loquuntur Antonius Gomez *var. tom.* 2. *cap.* 11. *num.* 38. Surdus *decis.* 318. *num.* 3. Cardosa *in praxi Iudicum, & Aduocat. verbo Debitor num.* 62.

SVMMARIVM.

1 *Facultas eligendi in alternatiuis, cui competat.*

1 Facultas eligendi in alternatiuis non solùm debitori competit, sed etiam ad ipsius hæredes transit; si milites ad hæredes legatarij, vel similium, vbi ad illos electio spectauerit, vt ex Text. *in l. si stipulatus fuerim* 78. *de verbor. obligat.* quamuis enim facultas eligendi competens nomine alieno, vel in vtilitatem alterius, vel in fideicommisso, aut alijs bonis relictis vni ex certis personis, quam hæres elegerit, personalissima sit, neque ad hæredes transitoria, vt in terminis Text. *in l. vnum ex familia* 67. *§. rogo §. de legat.* 2. tamen quando electio venit in consequētiam alicuius iuris preambulij iure proprio competentis, seu in proprium commodum, & vtilitatem, tunc in hæredes transmittitur, iuxtà Text. *in l. si ità.*

REGVLA LXX.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

Colligitur hæc Regula *ex l. iniustus, §. cui damus, & ex l.* 1. *§. qui superficiem ff. de superficiebus.* De hac loquuntur Surdus *cons.* 377. *nu.* 45. Federicus de Senis *cōs.* 90. *nu.* 3. Alex. *cons.* 62. Tusc. *practicar. concl. tom.* 3 *litt. E concl.* 374. & alij; vnde qui habet actionem, vt aliquid consequatur, multò magis habet exceptionem, vt liberetur. Fulgos. *cōs.* 186. Alex. *cons.* 47. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio quid.*

1 Exceptio est defensio ex iusta, & legitima causa competēs aduersus id, quod ab aduersario intenditur, *l. eius non dum.* ex quibus quędā dilatorię sūt, quæ rē, & iudicium non tollunt, quæ vel declinatorię sunt iudicij, vel dilatorię solutioni priores, vel ipsum Iudicem concernunt, vel litigan-

tigantes, vel modum actionis instituendæ; quædam verò sunt peremptoriç, de quibus omnibus dictum fuit.

REGVLA LXXII.

Qui facit per aliud, est perindè, ac si faciat per se-ipsum.

Colligitur hæc Regula *ex l quod iussu alterius hoc tit.* De qua loquuntur Menoc. *remed 1. recuper. possess num. 417.* Surdus *cons 360 num. 19.* Fusc. *practicar. concl. litt. F. concl. 7.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Actio per Procuratores, censentur facta per nos-metipsos.*

1 IN actionibus realibus, quod facimus per nostros Procuratores, per nos-metipsos facere videmur. Roman. *consil. 94.* Tuschus *conclus. 7. num. 3.* Quando verò onus est personale, ve est onus dicendi Diuinum Officium, &c. per alium solui non potest, vt colligitur ex D. Thoma *quodlibet 6.* & ex Syluestro *verbo Hora*, §. 3. & alij.

REGVLA LXXIII.

Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.

Desumitur hæc Regula *ex l. quoniam, C. de Episc. & Cleric.* quia quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad cōsequentiam sunt trahenda, *cap. quæ à iure de reg. iuris in 6.* & de ista Doctores agunt.

SVMMARIVM.

1 *De quibus intelligatur hæc regula.*

1 INtelligitur hæc regula de priuilegio gratiosè concesso à Principe ob aliquā cautam particularem: Ratio, quia priuilegia concessa, præmissa cognitione causæ, ius singulare constituunt, *l. ius singulare ff. de legib.* ideò superior, qui causę cognitionem præmisit, voluit in eo solo ius singulare constituere, & consequenter deficit omninò voluntas illius quoad casus similes, eādem, vel maiorem rationem habentes: secùs autem si aliquid esset concessum à iure communi, quia ius vni concessum extenditur ad alias, vt notat Glos. *in cap. Hinc est etiam 16. quæst. 1.* Item procedit in priuilegio; priuilegiū enim concessū vni nō extenditur ad aliū, quia solū censetur cōcessū ijs personis, quæ sunt in priuilegio expressę, vel quæ in eo comprehenduntur propter significationem vocis, aut propter materiæ, aut actionis connexionem, vel propter iuris dispositionem: Fallit autem in iure; enim ius vni concessum, ad alios extenditur, vt notat Glos. *in cap. Hinc est etiam 16. quæst. 1.*

REGVLA LXXIV.

Frustrà sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem à se præstandam seruare recusat.

Desumitur hæc Regula *ex l. si conuenerit ff. pro socio, l. cùm proponas, C. de actis, & ex alijs iuribus.* De hac Panormit. *cons. 61 lib 2.* Roman, *cons. 204.* Barbat *cons. 36.* & alij, quia fidem non seruatur ei, qui fidem frangit, *l. eum qui ... ff de inoff testam l quæro 56. §. inter locatorē ff. locati, l qui fidem ff. de tran. act. l. cùm proponas 21. cum alijs, &c.* nisi quis ex iusta causa fidem frangere compulsus sit argumento, *l. vnı ff de offic. consul* vel etiam procedit, data paritate terminorum; nam varietas personarum varium ius quoque facit, *l. penult. C. de temp. integrum restit.*

REGVLA LXXV.

Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, & de lictum patris filijs nocere non debet.

Desumitur hęc Regula *ex l. adoptiuum ff. de in ius vocando, l sancimus C de pœn. & excep. & ex alijs iuribus.* De ista tractant omnes Doctores.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus an possit depositum sine Superioris licentia accipere.*

2 *Delictum patris an possit nocere filio.*

1 REligiosus non potest sine licentia sui Superioris depositum suscipere, & ideò Ecclesia, & Monasterium non tenetur, si res deposita, etiā dolo beneficiati perijt, aut Religiosi, vel absumpta fuit, nisi in vtilitatem Ecclesiæ, vel Monasterij aliquid versum fuerit: quando autem Ecclesiam, seù Monasterium depositum suscipit cum consensu Capituli, tunc obligabitur, sicut & cæteri Molina *de iustit. tract. 2. disput. 525.* Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 27. dub. 3. num. 12.* & alij: & idem dicendum est, si depositū sit apud Abbatem, quia neque ex delicto peculiaris Abbatis tenetur Monasterium: & ità Sanchez *in præcept. decal. tom. 2. lib. 2. cap. 14. nu. 29.* & alij.

2 De-

3 Delictum Patris non potest nocere filio in acquisitis; secùs verò in acquirendis, vel nisi lex in pœnam patrum, filios aliquando puniat, magis enim puniuntur patres in filijs, quàm in se-ipsis; cùm etiam eos plus ament., *l. illi quidem ff. quod metus*, & Sacerdotum filij non admittuntur ad sacros Ordines, &c. ob detestationem criminis paterni, *l. quisquis C. ad legem Iuliam maiest.*

REGVLA LXXVI.

Rationi congruit, vt succedat in onere, qui substituitur in honore.

Colligitur ex Regula *ex l. ab eo, C. de fideicommissis*, & de hac agunt Molina *de primogenijs lib. 1. cap. 1. nu. 8. & lib. 4. cap. 4. n. 15.* Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib. 8 tit. 1. num. 33.* Menoch. *consil. 707.* Surd. *de alim tit. 8. priuileg. 14. num. 1.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc regula*, Rationi, &c. *quomodo debeat intelligi.*

1 HÆc regula intelligenda est, iuxtà illud vulgatum, *Commoda, qui sentis, iungas onus emolumentis*, licèt aliquando ex causa contrarium à iure disponatur, vt quando apud vnum est hæreditas, & apud alium tutela, aut quando qui emolumentum habet, per alium onus sustinet.

REGVLA LXXVII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

Hæc Regula colligitur *ex regula*, *Quæ propter necessitatem ff. hoc tit.* & de hac agunt Doctores.

SVMMARIVM.

1 *Cessante necessitate, cessant quæ propter illam fuere concessa.*

1 COncessa necessitatis causa, ipsa cessante, cessant, quæ fuerunt concessa. Tiraquel. *cessante causa par. 1. nu. 184. & 185.* & hæc regula procedit circà facta, & non circà facienda. Tiraquel. *loco citato, limit. 52. num. 3.* quia necessitas nulli legi subiecta est, *l. vni, ff. de offic. cōsul.* necessitate enim vrgete, multa licent, quæ aliàs non licerent, *cap. Discipulis, de consecrat. dist. 5.* Item necessitas non habet legem, *l. aliquando ff. de offic. pro consul.* dummodò necessitas sit grauis, vel ineuitabilis, quia secùs si leuis, &c.

REGVLA LXXVIII.

Non potest plus iuris trāsferri in alium, quàm sibi competere dignoscatur.

Desumitur hęc Regula *ex l. nemo plus hoc tit.* & de hac agunt Surdus *consil. 126. nu. 31.* Thomas de Thomasetis *in floribus legum reg. 205.* Molina *de ritu nuptiarum lib. 3. quæst. 10. n. 19.* Tuschus *practicarum concl. tom. 2. litt. D. quæst. 10. n. 19.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Dominium rei alienæ vendita, an validè transferatur in emptorem.*
2 *Venditio rei alienæ quomodo valida.*
3 *An quis possit in alium plus iuris transferre, quàm ipse habeat.*
4 *Rei venditor tenetur ad euictionem: & quid euictio.*

1 EX ipsa regula, venditio rei alienę inualida est, quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem; ità Molina *tract. 2. disput. 340. num. 3.* Azotius *3. par. lib. 8. cap. 5.* Sanchez *in summa lib. 2. cap. 23. num. 25.* Lessius *lib. 2. cap. 20. num. 162.* & alij; ob rationem allatam in regula, vndè vsurarius nō potest vendere res per vsuras, quia non potest transferre dominium illarum rerū in aliū, cùm nō possit trāsferre id, quod nō habet: secùs verò si res accepta functionē acciperet, vel per commixtionē cum proprijs, acquisitum fuisset dominium: ità etiā dicendum de rebus furtiuis à latrone vēditis, non transferri dominium in emptorem, sed semper Dominum posse eas sibi vendicare, apud quemcumque rem ablatam reperetit.

2 Licèt venditio rei alienæ non sit valida quòad transferendum dominium rei venditæ in emptorem; est tamen valida quòad transferendum dominium pretij in venditorem: Ratio, quia emptor est Dominus pecuniæ, & potest illius dominium transferre in venditorem: Ratio desumitur *ex l. rem alienam ff. de contrah. empt.* tùm etiā quia pecunia accipit functionē, & vēditio rei alienæ accipiētis functionē, est valida.

3 Quamuis nemo plus iuris in alium trāsferre possit, quàm ipse habeat, tamen authoritate legis, id potest, vt patet in Iudice, qui dominium in alium per sententiam transfert, quod tamen ipse non habet, *l. 2. ff. si noxa causa agatur.*

4 Vendens rem, obligatur de euictione: est autem euictio, ablatio rei, emptione, vel alio contractu habita, interposito Iudicis decreto; vndè euincere est auferre rem emptam de manu emptoris, propterea quod alius probat, rem esse suam, & ad se pertinere, non autem ad venditorem; vndè quando dicitur, venditorem teneri de euictione, est vēditorem teneri ad procurandum, quantùm in se est, vt emptor legitimè habeat rem per contractum traditam, & ad seruandum illum indemnem

si ab aliquo tamquàm sua euincatur in iudicio: hinc est, vt emptor habeat actionē contrà venditorem ad recuperādum pretium cum omnibus impēsis, & omni, quod emptori interest, *l. euicta ff. de euictionibus, l. ignatur ff de act. empt.* Et non solùm euictio habet locum in contractu venditionis, sed etiam in omnibus contractibus onerosis: in contractibus verò lucratiuis, secluso pacto, non habet locum euictio.

REGVLA LXXIX.

In toto partem non est dubium contineri.

Colligitur hęc Regla *ex l. in eo, quod plus* III. & *ex l. in toto* 114. & de ista agunt Couar. *lib. 1. var. cap. 2. num.* 5. Antonius Gomez *variar. tom. 2. cap. 9. nūm.* 4. Menoch. *de arbitr. casu* 47. *num.* 6. Tuschus *practicar. concl. tom. 8. litt. T. concl.* 336.

SVMMARIVM.

1 *Arguere à toto ad partem, an, & quando valeat.*

1 EX ista regula valet argumētum de toto ad partē, nisi totius, & partis sit ratio diuersa, quia vbi est diuersa ratio, & diuersum ius esse debet, *l. interpositas C. de transact.* vel aliud reperiatur dispositum à iure in parte, & aliud in toto, vel etiam intelligitur regulariter, quod valcat argumentum de toto ad partem, quia fallit in indiuiduis, & in falsa demonstratione legato adiecta, quia si in totum sit falsa, non vitiat legatum; si verò in parte sit falsa, vitiat legatum, *l. falsa demonstratio ff. de condit. & demonstr.*

REGVLA LXXX.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimilitèr specie concessurus.

De ista Regula agunt Surdus *cons.* 73. *nu.* 17. Tuschus *practicar. concl. tom. 3. lit. G. concl.* 31. *nu.* 2. quia nunquam quis intendit velle comprehendere sub generali dispositione illud, de quo specialitèr disponere noluisset. Tuschus *loco citato num.* 16.

SVMMARIVM.

1 *Obtinens facultatem dispensandi à casibus Papa reseruatis, an possit absoluere etiam à contentis in Bulla Cœnæ.*

1 OBtinens à Summo Pontifice absoluendi potestatem generalē ab omnibus casibus Sūmo Pontifici reseruatis, nō potest absoluere à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ, quādo non fuit facta mentio ipsius, Bullę ob regulam supradictam, quia in generali concessione non veniunt ea, &c. Quia cùm casus Bullæ specialitèr reseruentur, indigent etiam speciali expressione: Item habens facultatem absoluendi à supradictis casibus non potest absoluere ab excommunicatione contracta ob hæresim; ità Henriquez *lib. 8. cap. 16 num.* 3. Auila 2. *par. cap. 2. disput. 1. dub.* 7. Sanchez *in summa lib. 2. cap.* 12. Suarez *disput. 21. sect. 3. num.* 3. & alij.

REGVLA LXXXI.

Qui contrà iura mercatur bonam-fidem præsumitur non habere.

SVMMARIVM.

1 *Contrahens sine solennitatibus requisitis, est in dolo, & mala fide.*

1 DE ista regula agunt Doctores, vt ostendant, quod contrahens sine solennitatibus à iure requisitis, est in dolo præsumpto, & mala fide. Menoch. *remed.* 15. *recup. possess. & de præsumpt.* 130. *num.* 33. Farinac. *in praxi crimin. par. 3. quæst. 89. num* 83. & ideò solennitates necessariæ, & essentiales in contractibus prætermittendæ non sunt *in cap. Causam, quæ,* secùs verò si solennitates necessariæ, & essentiales non sint, aut necessitas alitèr suadeat.

REGVLA LXXXII.

Bona fides non paritur, vt semel exactum iterùm exigatur.

Desumitur hæc Regula *ex l. bona fides ff. hoc tit.* & de ista agunt Tiraquel. *de retract. lign. §. 19. glos. 4. num.* 13. Afflict. *decis.* 150. 19. & 20. & alij.

SVMMARIVM.

1 *Hæc regula, an, & quando fallat.*

1 HÆc regula in pœnalibus aliquando fallit, vt § *vlt. instit. si quadrup. paup. fec.* vbi habetur, si quadrupes non mansueta nocumentum in hominem fecerit, Dominus ipsius arbitrio Iudicis condemnari debet, sed si in rebus intulerit damnum, in duplum condemnabitur: Item fallit, vbi à contrahentibus actum, vel conuetum est, vt toties pœna exigatur, quoties contrà actum fuerit, vt notat Glos. *in cap. Bona fides.*

D. Caroli Maletti Op. 2. Tom. 2. R RE-

REGVLA LXXXIII.

Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

Desumitur hæc Regula *ex l. quod dictum ff. de pactis, l. cùm ij, §. si cum i;s ff. de transact. l. Athletas §. ait Prætor ff de infamibus, l. si quis §. minor. ff. qui, & à quibus*, de hac agunt Surdus *cons. 301. num. 75.* Menoch *cons. 285. num. 41.* quia prohibitum vna via non censetur alia promissum.

SVMMARIVM.

1 *Prohiberi aliquid dupliciter potest, directè, & indirectè.*

1 Dupliciter aliquid potest prohiberi, directè, & indirectè, vt Ecclesia, & Ecclesiastici prohibentur directè, & indirectè grauari tributis, & e Grauantur directè; quãdo pro bonis ipsorũ imponuntur collectæ, & tributa, &c. grauantur indirectè, quando grauantur coloni, &c. eisdem tributis, & collectis, &c. ea enim, quæ prohibentur directè fieri; prohibentur etiam per indirectum, *l. scire oportet, §. si mater ff. de tutor. cap. Cùm quid.*

REGVLA LXXXIV.

Contractus ex conuentione legem accipere dignoscuntur.

Desumitur hæc Regula *ex l. contractus ff. hoc tit.* & *ex l. 1 §. si conuenerit, ff. depositi*, & de ista tractant Castr. *cons. 472* Menoch. *cons. 52 nu 58* Surdus *cons. 383 nu. 6.* Seraphin. *decis. 787. num. 2.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *De quibus intelligenda sit hæc regula.*

1 Hæc regula intelligenda est de contractibus legitimè factis, *l. iuris gentium §. Prætor ait ff. de pact.* quia secus si pacta, & conuentiones sint contrà leges, & substantialia contractus, *l. pacta, quæ contra Cod. de pact.* vndè si sponsalia contrahantur per verba de præsenti, & intentio contrahentium sit solùm contrahendi sponsalia; contractus per verba de præsenti non erit matrimonium, sed sponsalia, ob regulam supradictam.

REGVLA LXXXV.

Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare.

Colligitur hæc Regula *ex l. quod quis sua culpa ff hoc tit.* & de ista agunt DD. &c.

SVMMARIVM.

1 *Venditor, an, & quando non teneatur ad euictionem emptori.*

1 EX ista regula, ex culpa emptoris, non tenetur venditor de euictione in sequentibus casibus: Primus, quãdo emptor non denunciauit, litem esse motam: Secũdus, quando mala fide emit: Tertius, quando emptor citatus contumaciter abfuit: Quartus, quando emptor, venditore absente, non appellauit de sententia: Quintus, quando emptor voluntariè compromittit, &c. Quia tunc sua culpa sibi debet imputare damnum.

REGVLA LXXXVI.

Infamibus portæ non pateant ad dignitatem.

Desumitur hæc Regula *ex l. infames, & l. decurio, Cod. ex quibus causis infamia irrogatur, cap. Inter dilectos de excess. Prælat.* De hac loquuntur Couar. *in cap. Quãuis pactum par. 1. §. 7.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Infames à dignitatibus repellendi.*
2 *Accusatus, &c. an, & quando repellatur à dignitatibus.*
3 *Infamis infamia iuris, &c. an possit eligere.*
4 *Infames qui dicantur.*

1 Dignitates non conceduntur infamibus, imò infames repelluntur à dignitate; ità de infamia iuris Cou *prædicat. cap. 19. num. 5.* Nicol. Garz. *de benefic. par. 7. cap. 8. nu. 33.* Tiraquel. *de nobilit. cap. 8. num. 7.* Sanchez *in præcep. Decal. tom. 1. lib. 2. cap 28. num. 27.* Infamia facti licèt repellat à dignitatibus habendis, non tamen repellit ab obtentis. Henriq. *in sum. lib. 13. cap 38. §. 3.* Campanil *in diuers. iur. can rubr. 18. cap 28.* Garz *loco cit. nu. 35. & 36.* Si infamis infamia meri facti sit emendatus, potest promoueri, quia propriè nõ censetur irregularis, sed secundùm quid, quatenus prohibetur promoueri, stante tali infamia; vndè ista prohibitio cessat, cessante infamia per emendationem.

2 Accusatus, denunciatus, vel inquisitus de aliquo crimine non potest promoueri, quando per talem accusationem persona est infamata apud graues, & viros probos; secùs si à vilibus, & infamibus personis, siuè à maleuolis, vel inimicis ortum ducat huiusmodi infamia, vel aliquis rumor sit sparsus, & etiam creditus apud aliquos:

3 Infamis infamia iuris, vel facti legalis, hoc est, quod fouetur à lege, non potest eligere, quia infamibus sunt interdicti actus legitimi, sed eligere est actus legitimus: infamis tamen infamia meri facti potest eligere. Suar. *tom. 5. disp. 40. sect. 3. nu. 2.* & alij: Ratio, quia cùm pendeat ex humana, & sæpè ex mundana prudentia, ideò nulla talis opinio hominum existimatur

vera

vera infamia in ordine ad aliquos actus, & ministeria Reipublicæ, nisi aliqua lege comprobata fit.

4 Infames dicuntur, qui aliqua culpa notatur infami, aut qui Christianę legis normam abijciunt, sacrilegi, & omnes capitalibus criminibus irretiti, sepulchrorum violatores, & Apostolorum, atque successorum, reliquorumque Patrum violantes statuta, incæstuosi, periuri, malefici, venefici, adulteri, Ecclesiæ facultates iniustè abstrahentes, anathematizati, vel pro missis sceleribus ab Ecclesia pulsi: Item plures dicuntur infames, & raptores puellarum, *cap. Infames*, & *cap. De puellis 36. quæst. 2.* Concil. Trid. *sess. 24. de reform. matrim.* Item histriones, & ioculatores à legibus pronunciantur infames, *cap. Pro dilectione de consecrat. dist. 2.* qui omnes non possunt promoueri ad Clericatum, *cap. Maritum 33. dist. cap. Pro dilectione, &c.*

REGVLA LXXXVII.
ET VLTIMA.

Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis complectens, contrà legis nititur voluntatem.

Desumitur hæc Regula *ex l. Non dubiū. C. de legib.* & de ista agunt plures Doctores: Ratio est, quia mens magis debet attendi, quàm verba, *l. 3. C. de liber. præter l quoniam indignum, C. de testam. cap. Quanto 26. de priuileg.* Sanchez *de matrim. lib 8. disp. 1. num. 11.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Verba legis ambiguum sensum habentia, quomodo interpretanda*

2 *In dubijs quomodo agnosci possit voluntas Legislatoris.*

1 Verba legis, quæ duplicem habent sensum, vnum proprium, & alterum improprium, nec constat, quo sensu Legislator legem protulerit, accipi debent iuxtà propriam significationem, *l. Non aliter ff. de legat.* etiamsi Legislator extrà legem dicat, se aliter intellexisse, nec ideò censetur iuxtà regulam supradictam peccare in legem, qui contrà legem complectens, non seruat voluntatem Legislatoris, quam priuatim Legislator exprimit; peccat verò, si non seruet voluntatem, quam Legislator creditur habuisse, dùm legem conderet: & quando in regula dicitur, quod mens Legislatoris sit seruanda, loquitur de mente, & intentione intrinseca, non autem de extrinseca. Mens Legislatoris seruatur, quoties adimpletur id, quod intendit Legislator, & præcipit. Mens extrinseca seruatur, quoties adimpletur res præcepta, eo fine, & animo, quem habuit Legislator in condenda lege: quādo verò plures habet sensus proprios, interpretatio facienda est iuxtà sensum, qui magis potest conuenire rei, de qua agitur: si verò vterque sensus æquè conueniat, nec constet de intentione Legislatoris, si Legislator possit adhiberi, adeundus est, vt declaret mentem suam: secùs verò in pœnis benignior interpretatio est facienda, iuxtà regulam iuris, Odia restringi, fauores conuenit ampliari.

2 In dubijs, intentio, seu voluntas Legislatoris potest cognosci: Primò, ex incommodis, quæ ex verbis legis alio sensu acceptis sequentur: Secundò, si ex verbis legis vno sensu acceptis sequitur contrarietas ad alias leges, quæ non sequitur ex verbis alio sensu acceptis, credendum est Legislatorem eum sensum intendisse, qui non repugnat alijs legibus: Tertiò, ex ratione legis, quia voluntas Legislatoris debet esse conformis rationi: Quartò, ex ijs, quæ continētur in proemio. Guttier. *lib. 3. quæst. practicar. quæst. 17. num. 40.* Suarez *lib. 6. cap. 1. nu. 11.* & alij.



DE HIERARCHIA ET IVRE *ECCLESIÆ MILITANTIS*,

TOMI SECVNDI LIBER OCTAVVS.

De Priuilegijs Ecclesiasticis.

TITVLVS I.
Quid sit Priuilegium.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium quid.*
2 *Priuilegium aliud gratiosum, aliud conuentionale, &c.*

1 PRiuilegium est priuata lex in alicuius fauorem data, quod duplex est, Reale, & Personale: Reale est, quod conceditur alicui respectu loci, muneris, ac dignitatis: Personale, quod immediatè conceditur personæ, ratione sui: est autem hoc discrimen inter Priuilegiū Reale, & Personale, quod Priuilegium personale personam sequitur, & cum ea extinguitur; Priuilegium verò Reale cohęret rei, & cum eadem expirata. Suarez *de legib. lib.*8.*cap.*1. Layman.*lib.*1.*tract.*4.*cap.*23. Azor. 1.*part.lib.*5.*cap.*22. & alij.

2 Priuilegium aliud dicitur gratiosum, quod scilicet gratis conceditur; aliud est conuentionale, quod conceditur interueniente pacto: aliud etiam est purum, quod absolutè conceditur; aliud est ob bonum commune; aliud immediatè ob bonum priuatum: aliud est purè fauorabile, quod confert fauorem, & commodum, nulliq; affert incommodum, & pręiudicium; aliud est odiosum, quod vni confert fauorem, & alteri præiudicium: Item priuilegium est, quod motu proprio Principis conceditur; aliud verò in gratiam petentis; aliud Priuilegium est insertum in corpore iuris; aliud verò extrà corpus iuris.

TITVLVS II.
Quis possit concedere Priuilegia.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium quis possit concedere.*
2 *Priuilegia spiritualia solus Papa concedit.*

1 ILle solus potest concedere Priuilegiū, qui potest legem ferre, & potest dispēsare in Sacris Canonibus, &c. Ratio est, quia ad illum solùm spectat exceptionem facere, ac limites ponere in ipsa lege, aut præter eam operandi facultatem concedere. Azorius 1.*part.lib.*5.*cap.*2. Sanchez *lib.* 8.*cap.*9.*&* 10. Salas *disput.*17.*sect.*3.*nu.*27.

3 Solus Papa potest Priuilegia spiritualia concedere: Ratio, quia ille solus potest dispensare in lege, qui solus potest condere legem nouam vniuersalem in Ecclesia, & quia solus Papa hoc potest, vt expressè definitur à Gregorio VII. his verbis, *Illi soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere,* ergò, &c. Deindè, ille solus potest Priuilegia concedere, qui solus potest omnia iura condere, confirmare, & relaxare, &c. Et quia solus Papa habet talem facultatē; ideircò solus Papa potest concedere Priuilegia.

TITVLVS III.
De requisitis ad obtinendum Priuilegium.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium potest concedi, inscio priuilegiato.*
2 *Dispensatio quando inualida.*
3 *Subreptio irritum reddit rescriptum.*

1 Pri-

1 Priuilegium, vel dispensatio valet, & potest obtineri absque scientia illius, in cuius fauorem conceditur; vnde valet dispensatio obtenta à Titio ad contrahendum cum affine, vel consanguinea, quamuis ipsa non sit conscia dispensationis. Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 26.* Henriquez *lib. 11. cap. 3. num. 6.* Salas *de legib. disput. 20. sect. 4. num. 13.*

2 Quoties in precibus ad obtinendam dispensationem, vel priuilegiū tacetur aliquid, quo cognito Superior non dispensasset, inualida est dispensatio: Ratio, quia in concessione talis dispēsationis, seu priuilegij non censetur adesse consensus dispensantis: quod si aliquid taceatur, vel narretur, quo cognito Superior etiam dispensasset, valida est concessio dispensationis, quia in isto casu sufficienter præsumitur adesse consensus dispensantis: quę Regula intelligenda est quoad limitationē, vt aliquid taceatur, quod necessariam habeat connexionem cum materia dispēsationis, quia secus si non habeat necessariam connexionem cum materia dispensationis.

3 Si subreptio contingat solùm in vna parte rescripti, irritum reddit rescriptum quoad eam partem, non autem quoad reliquas: Ratio est, quia vt dictum fuit, vtile per inutile non vitiatur.

TITVLVS IV.

Quando Priuilegium incipiat habere suam vim.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium non habet vim, quamdiu non acceptatur.*
2 *Priuilegiatus, cognita à fide dignis priuilegij concessione, vti illo potest.*
3 *Priuilegium duplex, &c.*

1 Priuilegium non habet vim quoad vsque acceptetur ab eo cui conceditur, vel ab eius mandatario, qui vicem ipsius gerit: Ratio est, quia Priuilegiū censetur cōcessū sub hac tacita cōditione, *si priuilegiatus acceptet*, Priuilegiū .n. est veluti quędam donatio: Donatio autem acceptari debet à donatario, & ideò Priuilegiū potest reuocari à concedente antequàm acceptetur à priuilegiato: Ratio, quia priuilegiato non censetur ius acquisitum ante acceptationem.

2 Priuilegiatus, cognita à fide dignis priuilegij cōcessione, &c. licitè potest vti priuilegio, seu dispensatione obtenta, quamuis hoc cognoscat ab alio, quàm à Procuratore, &c. ipsiusmet obtinentis priuilegium, nam valida fuit priuilegij concessio, cùm fuerit acceptata à Procuratore, &c. obtinentis.

3 Cùm duplex sit priuilegium, aliud quod ex mera concedentis liberalitate confertur; aliud quod ex parte illius cui conceditur, est meræ liberalitatis, ex parte verò concedentis non est meræ liberalitatis, sed cuiusdam necessitatis, ex officio, & mandato; priuilegium primi generis reuocari potest à concedente antequàm acceptetur à priuilegiato; priuilegium verò secundi generis non potest reuocari; Ità *ex cap. Si tibi absenti, de prebend. in 6.*

TITVLVS V.

De Materia Priuilegij, & effectu eiusdem.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegij materia qualis esse debeat.*
2 *Priuilegij effectus in quo consistat.*

1 Materia priuilegij debet esse honesta, rationabilis, fauorabilis, & debet consistere in aliqua facultate ad agendū aliquid, vel non agendum, ad recipiendum, vel non recipiendum.

2 Effectus priuilegij respectu priuilegiati, consistit in facultate aliqua faciendi, vel omittendi. Vt validi sint actus facti virtute priuilegij, requiritur, vt seruetur forma substantialis contenta in priuilegio, quia actus sine forma substantiali, celebratus non est validus. Verùm sciendum est priuilegium duobus modis concedi posse: Primò absolutè, nullo alio opere iniuncto ad fructum priuilegij consequendum. Secundò, iniuncto aliquo opere ad fructum priuilegij consequendum, & hoc opus duobus modis iniungi potest, nimirū sub conditione, vel sub modo: si iniungatur sub conditione, præstandum est opus iniunctum, vt fructus priuilegij obtineatur: Ratio est, quia conditio videtur importare formam substantialem; sine autē forma substantiali, esse non potest, *lege qui heredem §. vlt. ff. de condit. & demonstr.* Si verò iniungatur opus sub modo, priuilegiū valet, etiamsi opus, seu modus iniunctus non adimpleatur, nam concedens priuilegium intendit illud absolutè concedere, & non suspendere effectum priuilegij, licèt modus non adimpleatur; & ità Bonacina *de legib. disput. 1. quæst. 3. punct. 4. §. 2.*

TITVLVS VI.

Vbi priuilegiatus possit vti priuilegio.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegio sine determinatione loci concesso, vbique vti quis potest.*

1 Quando priuilegium fuit absolutè concessum absque determinatione loci, priuilegiatus potest vti priuilegio in quolibet loco territorij concedentis, quia vbi ius non distinguit, nec limitat, nec nos distinguere, aut limitare debemus, nisi aliter constet de mente concedentis: Quādo verò priuilegium est personale, potest priuilegiarius vti tali priuilegio, etiā extrà territorium concedentis modò ibi nō extet specialis aliqua prohibitiò, & non adsit scandalum. Suarez *lib. 8. cap. 26. num 4.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 31. nu. 17.* & alij.

TITVLVS VII.
Quomodo explicandum sit priuilegiū.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium strictè interpretandum.*
2 *Priuilegium non aduersans iuri communi, latè interpretandum.*
3 *Item Priuilegium contentum in corpore Iuris.*
4 *Priuilegium ad instar, quodnam sit.*
5 *Priuilegiū ab homine concesiū, est extensiuè potētius consuetudine.*

1 Priuilegium regulariter strictissimè est interpretandum. Syluest. *verb. Priuileg.* Ratio, quia cùm priuilegium aliquid contrà Ius detrahat, & plerumque ius alterius diminuat, quo fit, vt illud interpretari debeamus ità strictè, vt quàm minimè possibile est, derogetur iuri communi, neque ius alterius diminuatur, *ex cap. Cum dilectus §. fin. de consuetudine.*

2 Priuilegium, quod non est contrà ius commune, sed tantùm contrà legem priuatam, siuè scriptam, siuè non scriptam, interpretandum est latè, *cap. olim. de verb. signif.* Item non sunt strictè interpretanda priuilegia, quando ex stricta operatione nihil operantur. Priuilegium, quod sapit beneficium, est latissimè interpretandum, *ex l. benef. ff. de constit.* Priuilegium fauorabile est latè interpretandum; odiosum verò strictè, iuxta *Regulam iuris in 7.* Odia restringi, fauores conuenit ampliari.

3 Priuilegium contentum in corpore iuris, non est strictè interpretādum. Couar. *4. decret. 2. part. cap.8. §.8.* Priuilegium verò quod non cōtinetur in corpore iuris, strictè est interpretandum. Azorius *lib. 5. cap. 23. quæsito 2.* & alij.

4 Priuilegium, quod dicitur, *ad instar*, est illud, quod alicui datur per similitudinem ad aliud concessum alteri, & tale priuilegium ita explicandum est, vt per ipsum. censeatur concessus omnis fauor, & gratia cum eadem extensione, & limitatione, quæ continetur in alio. *ad instar*, cuius priuilegium est concessum. Suarez *de legibus lib. 8. cap. 15.*

5 Priuilegium, quod est ab homine, est potentius consuetudine extensiuè, idest in ordine ad pluralitatem effectuum: Consuetudo verò est potentior priuilegio intensiuè in ordine ad eosdem effectus: Ratio primæ partis est, quia per priuilegium potest concedi aliqua potestas, quæ per consuetudinem etiam immemorialem acquiri non potest; ità Panormit. *cap. quanto, de consuetudine:* Ratio posterioris partis est, quia faciliùs perditur priuilegium, quā cōsuetudo cū magna sit vis cōsuetudinis.

TITVLVS VIII.
Quibus personis censeatur concessum Priuilegium.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium quibus censeatur concessum.*
2 *Filius an gaudeat priuilegijs Patris.*
3 *Filij, mortuo Patre, an, & quando gaudeant priuilegio immunitatis.*
4 *Priuilegium fratris habentis 12. liberos, an participetur ab alio fratre, &c.*
5 *Priuilegium Communitati concessum, an extendatur ad personas seorsim sumptas.*
6 *Priuilegium Monachis concessum, an comprehendat Abbatem.*
7 *Communicatio priuilegiorum quot modis fieri possit.*
8 *In communicatione priuilegij generalis, quænam etiam priuilegia includantur.*
9 *Quænam non comprehendantur.*
10 *In communicatione priuilegij conferatur ius vtendi illo.*
11 *Per communicationem priuilegiorum simpliciter factam, an veniant etiam priuilegia consuetudine acquisita.*

1 Priuilegium censetur solummodò cōcessum personis, quæ sunt in priuilegio expressę, vel quæ in eo comprehenduntur ex significatione verborum priuilegij, aut propter materiam, & actionis cōnexionem, aut propter iuris dispositionem, &c. Vnde priuilegium concessum Religiosis extenditur etiam ad Moniales: Itē priuilegium concessum filijs, extenditur etiam ad filias, & priuilegium concessum fratribus, extenditur etiam ad sorores: Item priuilegium cōcessum bonis mariti, extenditur etiam ad bona vxoris communia cum bonis mariti: Item priuilegium concessum Sacerdoti, vt possit celebrare tempore interdicti, extenditur etiam ad alium, qui inseruiat Sacerdoti. Vxor gaudet priuilegio nobilitatis objento à marito: Item priuilegium audiendi Diuina Officia tempore interdicti, extenditur etiam ad familiares, & domesticos.

2 Filius non gaudet priuilegijs Patris, excepta nobilitate, aut alia concessione à iure facta. Priuilegium immunitatis concessum Patri ob numerum duodecim filiorum, extēditur etiā ad Matrē pro bonis patrimonialibus: nec obstat quod iura loquātur tantùm de Patre, & non de Matre; nam iura adaptantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, non autem ad ea, quæ rarò, *l. nam ad ea ff. de legib.* at verò accidit rarò, vxores habere bona propria, & patrimonialia, quorum administrationem independenter à marito habeant; ideò iura illa Matris non meminerūt, sed tantùm Patris. Vincent de Franchis *decis. 289. num. 13.* & tale priuilegium non cessat, vno ex filijs mortuo. Ripa *l. ex facto nu. 13.* Ratio est, quia liberorum numerus duodenarij tātum ad acquisitionem priuilegij necessarius est; non autē ad illius conseruationē. Ripa *loco citato num. 13.* Quod tamen intelligendum est quoad onera, quæ imponuntur post mortem eorum. Ripa *loco citato.* Tiraquel. *tract. cessante causa 1. part. limit. 4. nu. 13.* Filius verò existens in vtero Matris non prodest Patri ad hanc immunitatem consequendam: Ratio, quia filius existens in vtero Matris non videtur suppositum distinctū à Matre, ac proindè nō potest propriè numerū duodenariū filiorū cōplere ità

ità Roland. *conf. 53. num. 6. vol. 1.* & cum eo plures citati. Thes. *decis. Pedmont. 263. num. 8.*

3 Filij, mortuo Patre, gaudent priuilegio immunitatis, dummodò vnitè viuant. Menoch. *conf. 486.* Nepotes ex filio mortuo, prosunt Auo ad obtinendum immunitatis priuilegium. Roland. *locis citatis num. 5.*

4 Priuilegiũ immunitatis quod habet frater duodecim liberos habens, non habet alius frater cum eo habitans. Natta *consil. 280. num. 3.*

5 Priuilegium concessum Communitati, non statim extenditur ad personas eiusdẽ sigillatim sumptas. Mendoza *in tract. de priuileg. ad instar glos. 7. n. 9.* nisi priuilegiũ eius generis esset, quod nonnisi per singulares personas exerceri possit, vt si priuilegium versaretur circa confessiones, &c. indulgentiarum acquisitionem, quorum exercitium ad singulares personas spectat, nõ autem ad vniuersitatem.

6 Priuilegiũ Monachis concessum comprehendit Abbatem in materia fauorabili, nisi aliud ex verbis priuilegij conijciatur de mente concedentis; ità colligitur *ex cap. fin. de simon.* vbi Canonistæ: secus verò dicendum in materia odiosa, vel non proportionata.

7 Communicatio priuilegiorum dupliciter potest fieri, perfectè, & imperfectè: quãdo priuilegium communicatur perfectè eius communicatio dicitur *ad instar*, vt si dicat Pontifex, *Concedo*, v. g. Ordini Cisterciensi priuilegium ad-instar, idest ad similitudinem priuilegij Cassinensium, hæc communicatio dicitur *ad-instar*: Quando verò priuilegium communicatur imperfectè, idest non cum omni fauore, & gratia, &c. eius communicatio non dicitur *ad-instar*.

8 In generali communicatione priuilegiorum factà alteri, includuntur etiam priuilegia consuetudine acquisita; comprehenduntur etiam Indulgentiæ. Mendoza *tractat. de priuileg. ad instar glos. 9.* Porrella *verb. Priuileg. communicatio num. 10.* & alij: Ratio, quia ex lata significatione, Indulgentiæ comprehendi possunt sub nomine priuilegij.

9 In generali communicatione priuilegiorum non comprehenduntur priuilegia exorbitantia, quæ scilicet non sunt solita concedi: Secundò, priuilegia, quæ fuerunt priori Religioni ex aliqua ratione speciali concessa, quæ non reperitur in alijs: Tertiò, excipiuntur priuilegia, quæ sunt præiudicialia, vt sunt priuilegia de non soluendis decimis, &c. vt censuit Rota *in vna Vallis Toletan. quarta feriali 19. Aprilis 1606.* Quartò, exceptio est de priuilegijs concedentibus ea, de quibus in iure reperitur statutum, vt in generali concessione non veniant, nisi in specie exprimãtur.

10 In communicatione priuilegiorum non communicatur vsus, vel non vsus, sed ius vtendi priuilegio, & sic licèt vnus non vtatur priuilegio multis concesso, non præiudicat alijs vtentibus illo: Item priuilegia concessa vni Monasterio vnius Ordinis, censentur etiam concessa omnibus Monasterijs eiusdem Ordinis. Priuilegiũ tamen concessum vni Religioso tantùm, non conceditur alijs Religiosis eiusdem Ordinis; hic enim militat diuersa ratio; quæ enim vni Religioso congruunt, alteri Religioso erunt indecentia, quod non contingit in priuilegio concesso vni Monasterio respectu aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis.

11 Quando fit communicatio omnium priuilegiorum simpliciter, absque particula, *Per Romanos Pontifices concessis*, censentur etiã communicata priuilegia consuetudine comparata, quia hæc appellatione priuilegij veniũt in materia fauorabili. Quando concessio fuit facta cum illa particula, *in omnibus, & per omnia*, huiusmodi priuilegia censentur etiam communicata: quando verò fit communicatio priuilegiorum per Romanum Pontificem mendicantibus concessorum, etiam priuilegia consuetudine acquisita cẽsentur communicata; ità Merola *disput. 6 de priuileg. cap. 4. dub. 4. nu. 44* quod intelligendum est in materia fauorabili.

P A R A G. I.

S V M M A R I V M.

1 *Priuilegium celebrandi Missam in aliquo Oratorio, an extendatur de loco ad locum.*

2 *Quando solùm liceat celebrare coram sola familia.*

3 *Audiens Missam, die festo, in Oratorio priuato alienum, an satisfaciat præcepto.*

4 *Priuilegium pro aliquo, eiusque posteris concessum, an transeat etiam ad filias.*

5 *Priuilegium pro aliquo, eiusque domo, tota familia censetur concessum.*

6 *Priuilegium exemptionis Ecclesiis concessum, an extendatur ad Emphyteotas.*

7 *Conductores bonorum Ecclesiasticorum, an gaudeant priuilegio eorundem.*

1 Priuilegium faciendi celebrare Missã in aliquo Oratorio priuato, non extenditur de loco ad locum, etiam ex identitate, & maioritate rationis: Ratio est, quia virtus, & efficacia priuilegij non est posita in ratione, sed in voluntate concedentis, qui voluit concedere priuilegium tali personæ, vt in tali loco, & non in altero possit facere sibi celebrare Missam, & per consequens parum refert, quod in alio loco eadem, vel maior ratio versetur, si ad illum voluntas concedentis non extenditur, dùm non exprimitur; ergò priuilegium tale non est extendendum, cùm non exprimatur, præcipuè cum sit exorbitans.

2 Quando in Breui concessionis licentiæ celebrandi Missam in Oratorio priuato, dicitur, *in tua, ac tua familia præsentia*, licet rem sacram facere in præsentia solius familiæ: Ratio, quia particula, *&*, in isto casu non censetur copulatiua, sed disiunctiua, sicùt etiam quando dicitur, *necnon in filiorum tuorum, genitricis, &c. præsentia celebrari liberè, ac licitè possit*, cùm verba con-

concessionis gratiæ sint absoluta, & alia ab alijs independentia, & non correlatiua; tùm etiam, quia beneficium Principis est latissimè interpretandum, præsertim cùm nulli sit præiudiciale, quale est hoc, præcipuè cùm eadem ratio côcessionis gratiæ, quæ est vtilitas animæ, &c. militet in Domino, & in familia, & secundò casu æquè matrem, & filium principaliter comprehendat; & ità Pelizarius *in man. regul. tom. 1. tract. 8. cap. 2. sect. 2. num. 149.* Diana *part. 9. tract. 7. de Orator. priuat. resol. 2.* & alij ab ipso citati.

3 Satisfacit præcepto, qui die festiuo, in Oratorio alicuius Magnatis audit Missã ob aliquam rationabilem causam: Ratio, quia iste verè, & materialiter, & formaliter adimplet præceptum; ergò satisfacit obligationi: quod materialiter adimpleuerit præceptum, patet, quia assistit Missæ quod verò formaliter, patet etiam, supponendo, quod ipsam attentè audierit: est autem præceptum audiendi Missam non obliget sub alia ratione, sequitur, ipsum adimplere præceptum, & per consequens satisfecisse, cùm materialiter, & formaliter ipsam audierit; ità Pelizar. *in man. regul tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 8. num. 181.* licèt alij, aliter sentiant.

4 Priuilegium concessum pro se, & suis posteris, ac descendentibus, extenditur ad filias descendentes, *l. cum acutissimi C. de fideicommiss. l. iuris-consultus §. parentes ff. de grad. affinit.* & priuilegium concessum pro se, & suis descendentibus masculis, & fœminis, comprehendit etiam natos ex fœminis? Ratio, quia appellatione descendentium, comprehenduntur tàm fœminæ ex masculis natæ, quàm masculi ex fœminis nati; ità Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 92. num. 14.* & alij.

5 Priuilegium concessum pro se, & sua domo, intelligitur concessum toti familiæ cùm appellatione domus, familia comprehendi soleat: Item priuilegium concessum Patri, si sit fauorabile, extenditur ad nepotes, quia in fauorabilibus nomine filiorum, veniunt etiam nepotes; tùm etiam, quia beneficia Principis latissimè sunt interpretanda, *cap. cùm dilectis, de donat.* Molina *de primogeneis part. 1. lib. 1. cap. 6. num. 28.* & alij.

6 Priuilegium exemptionis concessum Ecclesijs non extenditur ad emphyteotas pro dominio vtili, seu pro fructibus separatis à solo: Ratio, quia vtile dominium, & fructus separati à solo, non sunt Ecclesiastici, sed laicales: Item coloni partiarij, pro fructibus separatis à solo, non gaudent priuilegio exemptionis: Ratio est, nam eo ipso, quod fructus sunt à solo separati, pars competens colonis non est amplius Ecclesiæ, sed transit in dominium colonorum, qui sunt Laici, & per consequens, cùm Laici non sint exempti; ideò tenentur soluere collectas, si aliqua imponatur pro fructibus separatis à solo; dummodò talis impositio non vergat in præiudiciũ Ecclesiæ; ità Federic. de Sen. *consil. 111. num. 10.* Gemin. *in cap. quamquam, de censib. lib. 6.* Innocen. *in cap. Sanctæ Mariæ n. 59.* Syluest. *verb. excommunicatio 9. num. 48.* Surd. *consil. 301. num. 89. lib. 3.* & alij.

7 Conductores bonorum Ecclesiasticorum non gaudent priuilegijs eorundem Ecclesiasticorum, quò ad immunitatem à gabellis, &c. pro fructibus perceptis ex dictis bonis; & ità plures apud Bellet. *disquis. Clerical. tit. de exempt. Cleric. &c.* Ratio, quia tributum, &c. soluitur ratione fructuum; fructus autem ipsi percepti sunt propriè conductorum, aliamque sumunt naturam, ac cùm essent solo coniuncti: Bald. *consil. 31.* si tamen pro fructibus soluere conductor partem illorum fructuum, tùnc gaudebit priuilegio Clericorum ratione dictorum fructuum: verùm si gabella esset ità excessiua, vt magna cum difficultate inuenirent Clerici conductores, aut cogerentur minoris locare, tùnc cõductores gaudebunt eodem priuilegio; Felin. *in cap. Ecclesiæ S. Mariæ num. 99.* & alij.

PARAG. II.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium nobilitatis Patri concessum, extenditur ad Posteros, &c.*

2 *Non ità concessum matri.*

3 *Filij legitimati per subsequens, gaudent paternis priuilegijs.*

4 *Quot modis possit haberi nobilitas.*

5 *Priuilegium nobilitatis quando amittatur.*

1 Priuilegium nobilitatis concessum Patri, extenditur etiam ad posteros, & priuilegium nobilitatis concessum mariti, extenditur etiam ad vxorem, vndè mulier ignobilis, si nubat nobili, efficitur nobilis, *l. fœminæ, l. mulieres, C. de dignit. lib. 12.* Item Vidua gaudet nobilitate mortui viri, & alijs priuilegijs, dũmodò castè viuat, alias perdit omnia priuilegia, honores, & commoda pristini matrimonij. Salicetus *C. de reuocat. donat.* Felinus *in cap. Pastoralis, &c.*

2 Priuilegium nobilitatis concessum matri non extenditur ad filios, quare filij nati ex patre ignobili, & matre nobili, sunt ignobiles: Ratio est, quia mulier nobilis nubens ignobili amittit nobilitatem.

3 Filij legitimati per subsequẽs matrimonium gaudent in omnibus nobilitate parentum, & per consequens fruuntur omnibus priuilegijs nobilibus concessis: Ratio, quia in omnibus æquiparantur filijs legitimè natis, & æquè succedunt Patri cum alijs filijs legitimè natis, *l. cùm quis, C. de natur. liber.*

4 Pluribus modis potest aliquis habere nobilitatem: Primò, ratione originis, vt quia natus est ex parentibus nobilibus: Secundò, ex priuilegio sibi immediatè concesso: Tertiò, per acquisitionem alicuius feudi cũ iurisdictione in Vassallos: Quartò, præscriptione immemorabili. Couar. *var. cap. 16. nu. 10.* & alij communiter.

5 Priuilegium nobilitatis amittitur per exercitium artium mecanicharum, seu vilium. Tiraquel. *de nobilit. cap. 37. num. 1.* Dummodò

modò talem artem per se, & immediatè exerceat, & perseueret in tali exercitio, quia si nobilis tale exercitium deserat, statim primariam nobilitatem recuperat. Tiraquel. *cap. 27. num. 5.* Filius non amittit nobilitatem sanguinis ob crimen læsæ Maiestatis Diuinæ, vel humanæ parentum: Ratio est, quia hanc nobilitatem non habent a Patre suo, sed ab antiquis progenitoribus. Tiraquel. *de nobilit. cap 30. num. 4.* Simancas *de catholica instit. tit. 29. num. 181.* Sanchez *lib. 2. summa cap. 29. num. 2.* & alij: Si verò nobilitas sit ex priuilegio Principis ipsi Patri concessa; tunc filij, ac tota ipsius posteritas, &c. nobilitate priuantur propter dicta delicta paterna. Tiraquel. *loco citato nu. 4.* Sanchez *loco citato num. 6.* Ratio, quia eo priuilegio gaudent filij, & tota posteritas, ratione ipsius parentis: At verò parens supradictorum criminum Reus amittit nobilitatem, quia eo ipso est infamis, & per consequens eamdem amittunt posteri. Simancas *de cathol. instit. lib. 9. num. 18.* Menoch. *cons. 805. num. 8. volum. 4.* Sanchez *loco citato*, & alij.

TITVLVS IX.

Quot modis amittatur priuilegium.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis amittatur priuilegium.*
2 *Reuocatio priuilegij quotuplex.*
3 *Tacita reuocatio quomodo fiat.*
4 *Quod priuilegium per solam priuilegiati renunciationem amittatur.*
5 *Priuilegium habens tractum successiuum, &c. quomodo amittatur.*
6 *Priuilegium personale, per mortem personæ cessat.*
7 *Priuilegium ritè obtentum, an cesset morte concedentis.*

1 PRiuilegium multis modis amittitur, primo per reuocationem, & ideò priuilegium gratiosum extinguitur per reuocationem concedentis, vel successoris, vel eius Superioris, priuilegium verò remuneratorium non potest reuocari: Ratio, quia pacta, & conuentiones ab omnibus seruari debent; ità Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 4. num. 35.* Salas *de legib. disput. 17. sect. 4. num. 60.* Idem dicendum est de priuilegio gratioso concesso non subdito, & acceptato, reuocari non posse, nisi tanta rerum mutatio superueniat, vt priuilegiū censeatur grauitèr perniciosum Reipublicæ, &c. quia in isto casu reuocari potest.

2 Reuocatio priuilegij est duplex, vna expressa, & altera tacita: Reuocatio expressa vel fit in specie, vel per clausulam generalem, *non obstantibus quibuscumque priuilegijs*, per quam clausulam non censentur reuocata priuilegia contenta in corpore iuris communis, nisi quoque eorum clausula derogatoria exprimatur: Item talis reuocatio non extenditur ad priuilegia concessa per modum contractus, nisi exprimatur. Azor. *1. par. lib. 5. cap. 22. quæst. 12.* & alij.

3 Tacita reuocatio fit per actum contrarium, qui non possit subsistere absque derogatione priuilegij. Vt reuocatio priuilegij habeat vim legis, requiritur publicatio reuocationis: verò publicatione facta, priuilegiū remanet reuocatum; ità vt acta nō valeāt, etiāsi ignoranter, & absque culpa fiant: Eximūtur tamen actus publici facti cum errore communi, & titulo colorato, nam isti validi sunt.

4 Priuilegium, quod in solius fauorem priuilegiati concessum est, amittitur per ipsius voluntariam reuocationem factam à priuilegiato, & acceptatam à concedente: Item amittitur priuilegium, per finem temporis præscripti, siuè cessatione conditionis, sub qua concessum est, quia priuilegium non durat vltrà intentionem cōcedentis: Item amittitur etiam priuilegiū per vsum materialitèr, & formalitèr contrarium priuilegio: vsus autem materialitèr solum contrarius priuilegio ipsum nō tollit, requiritur etiam, vt actus fiat ab eo, qui potest priuilegio explicitè renunciare.

5 Priuilegium, quod habet tractum successiuum, præcisa protestatione amittitur secūdùm quid in vtroque foro per quemlibet actum materialitèr, & formalitèr contrarium priuilegio; modò fiat ab eo, qui potest priuilegio cedere, vel de ipsius consensu, & voluntate: secùs dicendum de priuilegio, quod respicit vnum actum, hoc enim simplicitèr tollitur per vnum actum contrarium, præcisa protestatione. Bonacina *tom. 2. disput. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 6. num. 14.* Suar. *lib. 8. cap. 35. nu. 17.* Tamburin. *tom. 1. disp. 16. quæst. 14. nu. 10.* & alij.

6 Priuilegium personale, per mortem illius, cui concessum est, extinguitur, quia censetur inhærere personæ, & per consequēs, corrupta persona, extinguitur etiam priuilegium: Priuilegium verò reale non extinguitur morte illius, cui concessum est, sequitur enim rem ipsam, & successiuè transmittitur ad illos, qui rem ipsam acquirunt; vndè quando committitur facultas, expresso solo nomine dignitatis, priuilegium censetur solùm concessum dignitati, consequentèr non extinguitur morte illius, qui tale priuilegium executioni mādandum accepit, sed transmittitur ad successorem in dignitate, siuè res non sit integra, siuè sit integra: Quando verò facultas alicui committitur, expresso nomine dignitatis, & personæ, priuilegium censetur personale, nisi alitèr colligatur ex circumstantijs, & hæc est subiecta materia.

7 Gratia iam facta, seù priuilegium ritè obtentum non cessat morte concedentis, modò sine conditione sit concessum: verùm si priuilegium sit concessum ad beneplacitum, cessat morte concedentis: Ratio est, quia tunc censetur cessare voluntas, & beneplacitum ipsius: gratia verò facienda extinguitur morte concedentis, ità Sanch. *disput. 28. num. 64.* Suárez *lib. 8. cap. 31.* Filliuc. *tract. 10. cap. 10. quæst. 10.* & alij; & tunc censetur gratia facienda, quādo nondùm à Superiore

periore obtenta fuit, aut quando fuit data facultas alicui ad gratiam faciēdam. Gratia facienda est, quando ipsimet petenti gratias, seu priuilegium concessum est, & hæc non expirat morte concedentis, etiāsi res non sit integra: tunc dicitur non integra, quando incœpta fuit executioni mādari, vt in iudicijs, quando Iudex præcepit partes citari, &c.

PARAG. I.

SVMMARIVM.

1 *Cessante causa priuilegij, cessat & priuilegium.*
2 *Priuilegium concedens facultatem grauandi, &c. quomodo amittatur.*
3 *Priuilegium in priuatam vtilitatem concessum, quis possit renunciare.*

1 Finitur etiam priuilegium, cessante causa, ob quam fuit concessum: modò priuilegium nondùm mandatum sit executioni. Sanchez *lib.8. de matrim. disp.30. num. 16.* Azorius *lib.5. cap.22. quæst.14.* Bonacina *punct.8.§.2.* & alij. Amittitur etiam priuilegium per abusum, cum quis ex priuilegio sumit occasionem peccandi. Suarez *de legib. lib.8 cap.36. num.1. & 7.* Salas *disput.17. sect. 3. n.67.* Layman. *lib.1. tract.4. cap.23. n.14.* & alij.

2 Priuilegium affirmatiuum, quo conceditur alicui facultas aliquid faciendi in grauamen aliorum, amittitur per nō vsum spatio 10. annorum inter præsentes, 20. autem inter absentes, idest illorum, in quorū grauamen cedit priuilegium: Ratio, quia omnes obligationes tam reales, quàm personales sic extinguuntur. Priuilegium cōcessum Ecclesiæ cessat per non vsum 40. annorum, & contrà Ecclesiam Romanam est necessaria præscriptio, seu non vsus 100. annorum: contrà Monasteria, loca pia, personas, vel bona Religiosorum, nō currit præscriptio, & non vsus, nisi post 60. annos, &c. & vt currat præscriptio, requiritur notitia priuilegij, & voluntas non vtendi illo.

3 Priuilegio concesso in vtilitatem priuatam is potest renunciare, in cuius fauorem concessum est, sed quando priuilegium concessum est intuitu boni communis, non potest persona priuata illi renunciare; etiamsi redundet in bonum illius personæ priuatæ, modò bonum priuatum non sit separabile à communi; vndè nullus Clericus potest renunciare priuilegio canonis, aut fori: & ità communiter Doctores.

TITVLVS X.
De priuilegijs Monachorum.

SVMMARIVM.

1 *Monachi possunt ad quamlibet dignitatem promoueri.*
2 *An, & ad quas dignitates sæculares nequeant promoueri.*
3 *Possunt exercere munus Vicarij generalis Episcopalis.*
4 *Monachus pensionum super beneficijs est incapax.*
5 *Beneficia Nouitiorum, an cessent anno eorum probationis.*
6 *Monachi S. Basilij quibus priuilegijs insigniti.*
7 *Item Monachi S. Benedicti.*
8 *Item Cistercienses.*
9 *Item Carthusiani.*

1 Monachi possunt ad quamcumque dignitatem supremam promoueri, siuè illa dignitas sit Episcopalis. Graffius *in decis. par.2. lib.3. cap. 20. num.1.* cum licentia tamen sui Superioris, *ex cap. Religiosis elect. in 6.* quia Monachus non habet, nec velle, aut nolle: sinè illa dignitas sit Papalis. Graff. *loco cit.* & in isto casu non requiritur licentia Superioris. Syluest. *in sum. verbo Votum 2.* Rosella *verbo Votum 2.* & alij.

2 Non possunt promoueri ad dignitates sæculares, quæ non sunt curatæ, vt Decanatus, &c. ità *ex cap. Quod Dei timorem, de statu Monach.* Possunt etiam in aliquibus casibus promoueri ad regimen Hospitalium: Primò, quando Hospitale spectat ad Religionem, quę fundatur in hospitalitate: Secundò, quando est annexum Ecclesiæ curatæ; ità vt Rector illius sit Rector alterius, *cap. Quod Dei, de statu Monach.* Tertiò, quando Hospitale est annexum Religioni: Quartò, quando Hospitale est collegiatum ipsorū Religiosorum. Graff. *in decis. par.2. lib.3. cap.2. num.13.*

3 Possunt Monachi exercere munus Vicarij generalis Episcopalis, cùm nullibi id interdicatur. Azorius *tom.2. lib.3. cap.43. quæstio 10.* Item possunt constitui Coadiutores Episcoporum cum sola Abbatis licentia Azorius *tom.2. lib.3. cap.2. quæst.8.* & alij. Item de iure communi possunt Monachi promoueri ad beneficia curata sæcularia, vt patet *ex cap. Quod Dei timorem, de statu Monach.* At verò hodiè nullus Regularis est capax beneficij curati absque Pontificis dispensatione: potest tamen Monachus curæ sæculari præfici, de Abbatis sui licentia, supposita dispēsatione Summi Pontificis. Beneficiorum simplicium, sicut & Canonicatus, Monachus est incapax iure communi: Ratio, quia in Ecclesia sæculari, vbi sæculares sunt, beneficiati non debent esse Monachi, qui sunt disparis professionis.

4 Incapax est etiam Monachus pensionis obtinendæ super beneficio sæculari, siuè simplicissimè curato, absque Romani Pontificis dispensatione: Ratio est, quia sicut Monachus est incapax beneficij sæcularis absque Pontificis dispensatione, ità etiam est incapax pēsionis illius super illo: quod etiam dicendum est de pensione super beneficio curato: Ratio, quia licèt illud concedatur Monacho à iure communi in fauorem curæ animarum, hæc ratio nō procedit in pensione, & per consequens non est capax illius.

5 Beneficia Nouitiorum Monachorum, quæ anteà in sæculo habebant, & quorum Monachi sunt capaces, vt est beneficium curatum, nō vacat probationis anno, quia nec Monachi, nec Nouitij anno probationis

nis sunt incapaces illorum; tùm quia sic decernitur *in cap. beneficium de regular. in 6.* Imò nec beneficia, quorum Monachi incapaces sunt, vt Canonicatus, &c. non vacant probationis anno: Imò tempore Nouitiatus sunt capaces beneficiorum, quæ sæcularibus concedi solent, cùm sint sui iuris, ac proinde sæculares: non tamen debent ista concedi, nè detur ansa deferendi habitum ad fruendum beneficijs. Angelus *verbo Nouitijs num 23.* Tab. *eodem verbo quæst. vlt.* Per professionem vacant quæcumque beneficia, & pensiones; ità *in cap. Beneficio 21.* Ratio, quia per professionem Religiosus moritur mundo.

6 Monachi S. Basilij à Gregorio II. in Bulla *Benedictus Dominus tom. 1. pom. Bullar. Laertij* in vnam Congregationem, & sub regimine vnius Abbatis redacti, &c. multis priuilegijs ab ipso decorati sunt, videlicet Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti exemptione à iurisdictione Ordinariorum, & Commendatariorum, ac sub protectione S. Petri immediatè constituti, & alia plura priuilegia fuerunt illis cõcessa.

7 Monachis S. Benedicti quàmplurima priuilegia fuerunt concessa: Primò, ab Vrbano II. cauenti Monasterio, quod liberum esset, tam sæcularis, quàm Ecclesiasticæ personæ iugo. Greg. IX. in Bul. *Apostolicæ Sedis benignitas*, Abbati S. Facundi concessit, quod ipse, & eius successores indumenta Sacerdotalia Monasterij benedicere, ac Monachos, & Clericos sæculares Monasterio ipsi pleno iure subiectos vsque ad Acolytatum Ordinem promouere posset. Nicolaus III. eidem Abbati S. Facundi concessit, vt possessiones, & alia bona mobilia, & immobilia, quæ essent Religiosorum, antequàm professi essent, feudalibus dumtaxat exceptis, possint petere, recipere, & retinere. Celestinus eidem Abbati concessit, vt non liceret alicui personæ, præter Romanum Pontificem, aut Legatum, Cardinalem, eos excommunicare, aut interdicere, & quod tempore interdicti generalis eis liceret in Ecclesijs suis, exclusis excõmunicatis, & interdictis, clausis ianuis, & non pulsatis campanis, suppressa voce, Clericis, & familiæ ipsorum Diuina Officia celebrare, & debita peragere sepulturæ, & quod liberi essent à decimis certis soluendis, nec aliquis ædificaret intrà Parochiam Ecclesiarum ad ipsum Monasterium pertinentium absque Abbatis consensu. Martinus V. in Bulla *in decore Conuentus* 1. S. Benedicti Vallis-olitanę concessit exemptionem à cognitione, siue executione quorumcumque negotiorum, seù commissionum; dummodò ad fidem catholicam non pertinerent. Eugenius IV. eidem Monasterio magna priuilegia concessit circa absolutionem: Monachorum verò, quia fuerunt concessa, viuæ vocis oraculo, idcircò nunc vacant; ità in Bulla dispositione Diuinæ Congregationi Sanctæ Iustinæ facultatem tribuit, recipiendi quascumque donationes, seù legata. Calixtus III. eidem Conuentui Vallis-olitanę in Bulla *Specialigratia* indulta dedit circà contributiones de bonis ipsius. Alexander VI. Monasterio Montis-Serrati in Bulla *Sanè merita* concessit, vt in dicto Monasterio immediatè post duas horas, post mediam noctem Missam celebrare posset, licèt hoc priuilegium vacet ob declarationem Sacræ Congregationis. Clemens VII. Cõgregationis Vallis-Olitanę in Bulla *Deuotionis augmentum*; priuilegia indulsit circà contributiones, & partitiones decimarum ipsis Monachis non auditis non faciendas. Paulus III. in Bulla *Exponi nobis*, concessit priuilegium absolutionis, & dispensationem faciendam eum subditis prima die Lunæ Quadragesimæ. Pius V. in Bulla *Dotes ex benigno*, facultatem concessit Congregationi Cassinensi alienandi eius bona, quod tamen priuilegium hoc tempore est reuocatum. Sixtus V. in Bulla *Iniunctum nobis*, amplam communicationem priuilegiorum Congregationis Cassinensis; & Vallis-Olitanæ Ordinum S. Hieronymi Cisterc. Congregationi S. Benedicti in Lusitania concessit: sunt etiã plura alia priuilegia concessa.

8 Monachis Cisterciensibus Innocentius IV. in Bulla *Cum à nobis petitur*, concessit nè quisquam in familiares seruientes, ac benefactores Ordinis illius, seù in eos, qui nolunt in molendinis Monachorum, vel in eos, qui coquunt in furnis illorum, &c. excommunicationis sententiam promulgaret, & si talis excommunicatio feratur, irrita sit, & innanis: loquitur autem Pontifex de his, qui in fraudem priuilegiorum dicti Ordinis à Sede Apostolica concessorum id faciunt: Item idem Pontifex. Innocentius IV. in Bulla *Cum nuper duxerimus*, declarat, decretalem ab ipso editam de exẽptis, ratione delicti, seù cõtractus, aut rei, de qua cõtrà ipsos agitur, ritè posse coram Ordinarijs, conueniri intelligendam esse sine præiudicio libertatum, & immunitatum Ordinis Cisterciensis: Item idem Põtifex concessit Cisterciensibus, quod postea confirmauit Pius II. vt possessiones, & alia bona mobilia, exceptis feudalibus, quę personas Fratrum professionem facientium, si remansissent in sæculo, ratione successionis, vel quocumque alio iusto titulo contigissent, petere, ac retinere, liberè valerent. Alexander IV. in Bulla *Deuotionis nostra*, Cisterciẽsibus concessit, quod in Grangijs, & locis, quæ distant à Parochialibus Ecclesijs, quod ad eas audiendis Diuinis Officijs non possit habere commodum recursum, liceret illis, dummodò Parochiani earumdem Ecclesiarum nõ interessent, Diuina celebrare sine præiudicio iuris alieni: Item idem Pontifex in Bulla *Preclare Religionis*, vt nullus ipsorum possit alij alterius Religionis, vel Presbytero sæculari confiteri absque sui Abbatis licentia: Item idem Pontifex concessit Cisterciensibus in Bulla *Cũ à sacris*, ne tenerentur cuiuscumque Nuncijs, Archiepiscopis, vel Episcopis quascumque pecuniarias procurationes soluere. & In Bulla *Virtutum meritis*, prohibuit

buit appellationem extrà Ordinem. Vrbanus IV. in Bulla *Deuotionis augmentum*, Cistercien sibus concessit, quod tempore Interdicti, exclusis excommunicatis, & interdictis, possint Diuina Officia, etiam alta voce, apertis ianuis, & pulsatis campanis, in Monasterijs, quę à sęcularium habitationibus remota sunt, celebrare. Gregorius X. anno 1275. in Bulla *Inuestitu deaurato*, liberat Ordinem Cisterciensem à decimarum extraordinariarum, & exactionũ onere. Nicolaus III. in Bulla *Honestis desiderijs*, concessit, vt possint audire confessiones pauperum infirmorum, qui ad Hospitalia intrà septa Monasterij deputata cõfluunt, & ijs Sacramenta ministrare. Bonifacius VIII. in Bulla *Series oblata*, prohibuit, nè Prælati cùm ipsis in Ecclesijs Monasteriorum solennia celebrare contigisset, nè possent oblationes tempore celebrationis factas asportare, sed eas sibi dimittere: Itẽ in Bulla *Ad augmentum*, concessit, vt Prælati ipsorum possent ad correctionem Monialium procedere, apicibus iure postpositis, appellatione interdicta, & in Bulla *In Ecclesiæ fundamento*, eos à decimis, & primitijs soluẽdis exemit. Clemens VI. in Bulla *Militanti Ecclesia*, tres Abbates Iudices conseruatores deputauit pro defensione rerum mobilium, & immobilium, & possessionum eorumdem Cisterciensium. Vrbanus V. in Bulla *Sacra vestra*, illis indulsit, quod in Castris, & fortalitijs, atque belli tempore recurrẽti, in locis tamen congruis, & honestis erigere possint Altare portatile, & ibi Missas, & Diuina Officia celebrare: Item Martinus V. in Bulla *Militanti Ecclesiæ*, concessit amplum priuilegium circa exemptionem à decimis soluendis. Ioannes XXIII. in Bulla *Et si quibuslibet*, confirmauit priuilegia à prædecessoribus Pontificibus concessa. Eugenius IV. in Bulla *Iniunctum nobis*, reformatori Ordinis Toleti magnã facultatem concessit circà absolutionem, & dispensationem dandam Religiosis. Sixtus IV. in Bulla *Sacrosancta*, idem priuilegiũ concessit Cisterciensibus circà absolutionem eorum in mortis articulo. Gregorius XIII. plurima etiam priuilegia concessit in Bulla *Superna dispositione*, & Gregorius XIV in Bulla *Romanus Pontifex* amplissimam executionem priuilegiorum aliarum Congregationum Congregationi S. Bernardi Hispaniarum. Item Sixtus V. Clemens VIII. Paulus V. plura priuilegia concessa Monacis Fulientibus ex Ordine Cisterciensi, &c. vt patet in compendio priuilegiorum.

9 Carthusiani ab Alexandro III. approbati sunt in Bulla *Cùm vos*, sub protectione Sedis Apostolicæ suscepti, & in possessionibus, quas habebant confirmati. Honorius III. in Bulla *Cùm dilecti*, nè ab aliquibus temerè molestarentur ad calumniæ iuramentum, vel ferendum testimonium præcepit. Vrbanus V. in Bulla *Sincera*, facultatem tribuit vtendi Altari portatili pro celebratione Missarum in locis ad Ordinem spectantibus. Gregorius IX. in Bulla *Quoties à nobis oblatis*, Carthusiani Ordinis eius sub protectione S. Petri suscepit, & eisdem libertatibus, & immunitatibus, quibus ipsi gaudent, gaudere præcepit. Bonifacius IX. in Bulla *Sacrosancta*, ipsos exemit à iurisdictione, visitatione, & correctione Episcoporum, & aliorum omnium. Martinus V. in Bulla *Fons paruulus*, illos à solutione decimarum, & primitiarum exemit. Gregorius XI. cõcessit eisdẽ, vt omnia priuilegia domui Carthusiæ Gratianopolitanæ, & alijs domibus concessa, ad alias domos in posterùm ædificandas extenderentur, quam etiam extensionem, & expressionem concessit Pius II. Alia verò priuilegia aliarum Congregationum Monachorum non referuntur, quia ferè sunt similia supradictis concessis Basilianis, Cassinensibus, Cisterciensibus, & Carthusianis.

TITVLVS XI.
De Priuilegijs Mendicantium.

SVMMARIVM.

1 *Mendicantes qui dicantur.*
2 *Minores de obseruantia quem vsum habeant bonorum, quæ possident.*
3 *Moniales ordinum mendicantium an possint bona possidere.*
4 *Priuilegium Pij V. mendicantibus concessum.*
5 *Mendicantes gaudent communicatione priuilegiorum.*
6 *Priuilegia vni priuatæ personæ concessa, an censeantur etiam alijs concessa.*
7 *Communicatio priuilegiorum quomodo intelligenda.*
8 *Priuilegia quæ sunt propria personæ, an communicatur, ac communicantis.*
9 *Mendicantes gaudent etiam priuilegijs aliorum non Mendicantium.*
10 *Facere Processiones, &c. Mendicantibus non prohibitum.*

1 MEndicantes dicuntur ij Religiosi, qui ex Regula, & Constitutionibus, stabilia bona in communi habere nequeunt, vt sunt Dominicani, Franciscani, Augustiniani, & Carmelitæ, licèt Concilium Tridentinum cùm Mendicantibus dispẽsauerit habere bona stabilia in communi, exceptis domibus S. Francisci Capuccinorum, & eorum de Obseruantia: Ità enim decernitur in Concilio *sess. 25. cap. 4.* his verbis: *Concedit S. Synodus omnibus Monasterijs, & Domibus, tàm virorum, quàm mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrũ S. Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minores de Obseruantia, vocantur etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis liceat possidere.* Possunt tamen, siuè prędicta bona habeant, siuè non, viuere ex mendicitate, quando illis desunt necessaria ad vitam.

2 Minores de Obseruantia, & Capuccini, cùm nec in particulari, nec in communi sit ijs licitum bona possidere, & bonorũ, quæ possident, dominium pertineat ad Papam, ideò solùm eorum, quę possident, habent vsum facti, non dominium, aut vsum

juris

iuris. Azor *lib.12.cap.24.* Possunt tamen recipere legata rerum mobilium. Domus professæ Societatis Iesu bona immobilia etiam in communi possidere non possunt, quamuis à Concilio Tridentino non excipiantur: Ratio est, quia ipsa Societas in secunda Congregatione generali an.1565. cessit iuri suo prouenienti ex dicta concessione Concilij.

3 Moniales Ordinum Mendicantium bona mobilia in communi possidere possūt, etiamsi sint Moniales primæ Regulæ Sanctæ Claræ *ex Concil. Trident. citato*; & ità Rodriquez *tom.3.quæst.regular.quæst.29. art. 14.*

4 Pius V. in Bulla, *Et si Mendicantium Ordines* an. 1567. concessit Mendicantibus, vt approbati à Generalibus, vel à suis Ministris Prouincialibus, quod in suis Ecclesijs licitè, & quando eis placuerit, & absque vllo impedimento, vel cōtradictione etiā Episcopi, nisi ipsi præiudicauerint, prædicare possint: Item concedit, quod illæ, qui semel in vna Diœcesi venit admissus ad confessiones, habeatur semper pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta Diœcesi debeat: Confessores verò Monialium Regularium ab Episcopo examinari non debent, & Monialium Monasteria, quæ pleno iure Ordinarijs non subsunt, ab ijs visitari, & corrigi non possunt, cùm sint exemptæ à iurisdictione Ordinariorum: examen verò puellarum Deo dicandarum per Episcopum, vel eius Vicarium fieri debet. In Domibus virorum, ac mulierum, quibus animarum personarum sæcularium cura imminet, nulli etiam ad nutum amouibiles ibi deputentur, nisi per Ordinarij consensu, & præuio examine præcedente: Quartam funeralium nequaquam soluere tenentur Monasteria, quę à 40. annis citrà fundata existunt, cùm Concilium solùm loquatur de Monasterijs ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt: Item Monasteria Mendicantium pro eorum bonis, &c. non tenentur soluere contributionem Seminario, &c. Verùm per Constitutionem Gregorij XII. *In tanta*, ea censentur reuocata, quæ contrariantur Decretis Concilij Tridentini, non ramen ea, quę nō sunt cōtraria ipsius Decretis; ità Rodriquez *tom.1 quæst.regul. quæst. 8 artic.9. & quæst. 43. artic. 7.* Nec etiam sunt reuocata ea, quæ dictus Pontifex in dicta Constitutione dixerat, non aliquid de nouo concedere, sed explicare Concil. Trid. ità Miranda *2 tom.quæst.48.artic.8.* & ideò facultas concessa Mendicantibus prædicandi in Ecclesijs suorum Ordinum, etiā contradicente Episcopo, limitanda est, vt non requiratur ad hoc licentia Episcopi, benè tamen eius benedictio; Deindè facultas concessa Mendicantibus, sola licentia Generalis, vel Prouincialis audiendi confessiones sæcularium, non subsistit; & ideò limitanda est iuxtà Concil. Trident. sicuti etiam alia priuilegia limitanda sunt, vt non contrarientur Concil. Trident.

5 Gaudent Mendicantes communicatio-

ne priuilegiorum; ità vt priuilegia vni ipsorum Religioni concessa, etiam alijs cōmunia sint; & ità Leo X. in Constitutione, quæ incipit, *Dudum per nos* an.1519 edita; & Pius V. in Bulla *Romanus* anno 1567. non tamen communicant in pœnis, & censuris, quia odia restringuntur.

6 Priuilegia concessa vni Religioso, vt personæ priuatæ, nullo modo alijs communicantur: verùm priuilegia vni priuato Religioso ratione officij, v. g. Generalatus, &c. in ordine ad subditos, videntur communicari alijs, in quibus eadem, vel similis ratio procedit. Portell. *in dub. regul. verb. priuilegij communicatio num 20. & 21.* Quando autem priuilegium vni Fratri concessum inutile esset, si non alijs communicaretur; tùnc tale priuilegium censetur cōmunicabile, vt est priuilegium dicendi Missam tempore interdicti, quam dicere non potest sine Ministro.

7 Communicatio priuilegiorum intelligenda est respectiuè ad Religionem, cui communicantur; ità scilicet, vt quæ conceduntur pro Generalibus, Prouincialibus, &c. intelligantur communicata illis, qui etsi non eodem nomine, eodem tamen munere fruuntur: similitèr priuilegia concessa festiuitatibus Sanctorum vnius Ordinis, censentur etiam concessa festiuitatibus Sanctorum alterius Ordinis. Rodriquez *tom 1 quæst regularium quæst.55 artic 10.*

8 Priuilegia communicata ad inuicem ità fiunt propria illius Religionis, cui communicantur, ac illius, cui primo erant cōcessa. Priuilegia concessa censentur derogata, quoties aliquid decernitur cum derogatione, saltem generali priuilegiorū, quia secùs quando aliquid decernitur sine derogatione priuilegiorum.

9 Gaudent etiam Mendicantes priuilegijs aliorum Ordinum, etiam non mendicantium: ità Minoribus concessit Clemens VII. & Carmelitis, vt refert Medina *tom.2. man.quæst.46. artic.1.* & Sixtus V. pro Minoribus; & Alexander VI. pro Augustinianis: Vndè hac communicatione priuilegiorum quarumcunque aliarum Religionum, gaudent non solùm Mendicantes, sed etiam quicunque alij, quibus Mendicantium priuilegia communicata sunt. Rodriquez *tom.1 quæst.regular. quæst.55. art 17.* quę communicatio non modò extenditur ad priuilegia concessa, sed etiam concedenda. Medina *tom 2.quæst.46.artic.5.*

10 Nullo iure prohibitum est Mendicantibus facere processiones, seu instituere in suis Ecclesijs circà spatium, per quod fieri debēt processiones; & declaratū dicitur à Sacra Congregatione. Regularibus habentibus Claustra nō licet facere processiones extrà illa; Claustra verò non habētibus, nonnisi intrà ambitum, hoc est propè muros Ecclesiarum; extrà autem ambitum Ecclesiarum, nonnisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochiali. Barb. *in collect. Bull. verb. processio.* Gauant. *in man. Episc. verb. processio num. 46. 47. & 48.* Seclusis tamen particularibus priuilegijs, qualia

qualia Dominicanis processionibus Sanctissimi Sacramenti, & Rosarij in aliquibus locis dicuntur concessa. Barb. *de offic. & potest. Parochi cap. 22. num. 14.*

TITVLVS XII.

De priuilegijs Canonicorum Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Canonici Regulares, quibus gaudeant priuilegijs.*
2 *Canonicis Regularibus quænam prohibita.*

1 ORdo Canonicorum Regularium gaudet pluribus priuilegijs. Sixtus IV. in Bulla *Dum ad vniuersos*, confirmauit omnia priuilegia à Summis Pontificibus prædecessoribus, Imperatoribus, Regibus, & Principibus concessa, & approbauit alijs etiam de nouo concessis de exceptione à iurisdictione quorumcumque, subsidij, & exactionum præstatione, & alijs immunitatibus: specialiter eisdem concessit, vt cōtrà bona ipsorum præscribi non possit, nisi spatio sexaginta annorū. Gregorius XV. Canonicis Lateranensibus in Bulla *Iniunctis nobis*, confirmauit omnia priuilegia à prædecessoribus illis concessa, & communionem gratiarum, & priuilegiorum Cōgregationis Cassinensis, & Congregationis Canonicorum Regularium. Ioannes XXII. in Bulla *In Apostolica*, eximit Canonicos Præmonstratenses à solutione decimarum: Gregorius XIII. in Bulla *Romanus Pontifex*, confirmauit illis priuilegia, & concessit communionem priuilegiorum Ordinis Cisterciensis: Gregorius XII. in Bulla *Excitat nostræ*, priuilegijs Heremitarum Sancti Augustini, & Canonicorum Regularium eos decorauit. A Iulio II. plura priuilegia obtinuerunt, quibus demùm à Sacra Congregatione concessum est posse vti biretto nigro loco albi. Barb. *in collect. Bull. verb. Canonici Regulares Sancti Saluatoris*. Canonici Regulares S. Crucis Conimbricensis, præter alia priuilegia, id specialiter habent, vt veniant appellatione eorum, qui in stricta clausura viuunt, ad effectum nè ad publicas processiones accedere cogantur. Barbos. *loco citato verb. Canonici Conimbricenses.*

2 Prohibentur Canonici Medicinam, vel Leges audire, exercere munus Aduocati; dummodò non adsit preceptum Superioris, & vtilitas Monasterij: iubentur in vna domo habitare, & ad communem mensā edere: Possūt habere, sicut de facto habēt, beneficia regularia à suis Prælatis concessa: possunt etiam assumi ad beneficia Curata cum sola licentia suorum Superiorū; & Sacra Congregatio declarauit, Canonicum Regularem non prohiberi obtinere beneficia Curata sæcularia, nisi fuerint ex iis translatis, de quibus *in cap. 11. sess. 14.* Concilij Tridentini: Possunt etiam extrà Ordinem promoueri ad eas dignitates, ad quas, & Monachi. Syluest. *verb. Religio 7. quæst. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 98.*

TITVLVS XIII.

De Priuilegijs Clericorum Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Clericorum Regularium nomine, qui intelligantur.*
2 *Vota Clericorum Regularium.*
3 *Theatini quibus priuilegijs insigniti.*
4 *Item PP. Societatis Iesu.*
5 *Item Clerici Regulares S. Pauli.*
6 *Clerici item Regulares de Somascha.*
7 *Clerici Regulares ministrantes infirmis; à quo approbati, eorumque priuilegia.*
8 *Clerici Regulares minores quibus gaudeant priuilegijs.*
9 *Clerici Regulares Congregationis Matris Dei à quo approbati.*
10 *Institutum Clericorum Regularium scholarum piarum.*

1 CLericorum Regularium nomine, intelliguntur ij, quorum institutum est Diuinis Ministerijs vacare, non solùm in communi viuendo, sed etiam tria vota essentialia Religionis emittendo, sub habitu tamen Clericali. Suarez *tom. 4. de Religione tract. 9. lib. 1. cap. 7.* Et quia tria vota essentialia emittunt; idcircò verè, & propriè sunt Religiosi, & sub Regula, vel sub Constitutionibus approbatis, quorum institutum est, vacare Diuinis Officijs, & ministerijs.

2 Aliqui eorum vltrà tria vota essentialia spiritualibus votis obligantur; etenim professi Societatis Iesu sex alia vota emittunt, videlicet obedientiæ specialis ergà Summum Pontificem, non permittēdæ relaxationis paupertatis, non prætendendi directè, vel indirectè dignitatem, vel prælationem in Societate, non procurādi dignitatem extra Societatem, denunciandi ambientes, & audiēdi consiliū Generalis, vel alterius ad id deputati, siue Episcopis, vel Præsides alicuius Prouinciæ eligātur. Clerici Regulares ministrantes infirmis, emittūt etiam votū de perenni ministerio ægrotantibus exhibendo. Sunt etiam alij Clerici, qui in professione alia emittunt vota specialia.

3 Habent ab Ecclesia plura priuilegia Theatini approbati sunt à Clemente VII. in Bulla *Exponi nobis* an. 1524. cum facultate Præpositum eligendi, &c. & donati exemptionibus, & priuilegijs Canonicorum Lateranensium: Item idem Pontifex in alia Bulla, *Dudum pro parte*, alia priuilegia eisdem concessit, & inter alia, etiam omnia priuilegia Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium concessa, & concedenda; & Pius V. in Bulla *Ad inaccessibilem* an. 1567. plura ipsorum priuilegia confirmauit, & alia concessit, & inter ea, quod ad Processiones cogi non possint, instar aliorum, qui in strictiori clausura viuunt. In breui fundationis dictæ Congregationis Clemens Papa VII. dato Romæ ann. 1524. eidem in perpetuum concessit omnia, &

& singula priuilegia, exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias, concessiones, & gratias tàm spirituales, quàm temporales concessas, & in futurum concedendas Canonicis Regularibus Lateranensis Congregationis, personis, & locis eorum ex certa scientia, & Apostolicę potestatis plenitudine cum omnibus clausulis expressiuis concessionis talium priuilegiorum.

Idemmet Pontifex per aliud Breue amplius priuilegium concessit eidem in perpetuū, & est, vt possit, & valeat omnibus priuilegijs, gratijs, &c. quorumuis etiam Cistercienlium, & Cluniacensium Monachis, & aliorum etiam Mendicantium Ordinū Fratribus tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus concessis, aut à Sede Apostolica concedendis, vti, potiri, & gaudere, ac si, &c.

Paulus IV. eidem concessit omnia priuilegia, &c. concessa, aut in posterum concedenda Societati Iesu Almæ Vrbis, & tàm in vita, quàm in articulo mortis, etiam circà peccatorum remissiones, relaxationes, & Ecclesiæ administrationem, quæ omnia etiam ampliauit, & extendit per aliud Breue.

Gregorius XIV. eidem concessit præter priuilegia, & alia nostræ congregationi, & Clericis Regularibus concessa, omnia, & singula priuilegia, facultates, indulgentias, exemptiones, exceptis tantummodò eorum laudabili instituto aduersantibus, &c. quibusuis Religionibus, Congregationibus, & Ordinibus quocunque nomine nuncupentur, etiam Mendicantium, ac tàm virorum, quàm mulierum, eorumque Monasterijs, Domibus, & alijs pijs locis per quoscunque Romanos Pontifices, eiusque prædecessores, dictamque Sedem hactenus quomodolibet concessa priuilegia, ac in perpetuum concedenda, nō solùm ad eorum instar, sed æquè principaliter, ac pariformitèr in omnibus, & per omnia, ac si eidem Congregationi, & Clericis specialitèr, & expressè concessa forent. Anno Domini 1591. die 5. Aprilis.

Priuilegia Clemētis VII. fuerunt confirmata à Paulo III. motu proprio, & ex certa scientia à Iulio item III. à Paulo IV. à Pio V. & à Gregorio XIV. Cætera autem à Paulo V. & à Gregorio XV. vt videri potest apud Peregrinum *in Compendio Priuilegiorum Clericorum Regularium*, in quo omnia, quæ dicta sunt, clarè signantur.

4 Clerici Societatis Iesu, seu Patres Iesuitæ approbati fuerunt à Paulo III. in Constit. *Regimini* an. 1540. Deindè à Iulio III. in Constit. *Exposcit debitum*. Amplissimis priuilegijs decorati sunt à Paulo III. ann. 1545. in Bulla *Cum inter cunctas*, circà facultatem concionandi in cuiusuis Ecclesijs, Plateis, &c. circà facultatem absoluendi ab omnibus casibus, exceptis Bullæ Cœnæ: Verùm hæc facultas moderata est, ità circà facultatem commutandi vota, circà facultatem dicendi Missas ante diē, circà tamen diurnam lucem, & infrà horam post meridiem. Pius V. in Bulla *Dum indefessa* an. 1571. declarauit Societatem Iesu vnum ex Mendicantibus Ordinem, eorumque gratijs, & priuilegijs concessis, & concedendis perfrui. Gregorius XIII. in Bulla *Quacumque* ann. 1576. ipsos exemit ab onere accedendi ad processiones, & in Bull. *Saluatoris* eodem anno, vbique Ecclesias, & Domos fabricare permisit, non obstante priuilegio alijs Ordinibus concesso, & concedendo quod propè eorum loca, noua Monasteria construi nequeāt; & in Bull. *Pastoralis officio* eos exemit à solutione decimarum, licèt Barbosa *part. in collect. Bull. verb. Regul. Societ. Iesu* dicat, Leonem X. modificasse hanc Concessionem circà decimas, prout de iure; & Gregorius XV. reduxisse ad terminos Constitutionis Gregorij XIII. & Vrbanus VIII. Constitutionē Leonis seruare voluisse, nisi quatenus de iure, vel consuetudine exempti reperirentur; Gregorius XIII. in Constitutione *Æquum reputamus*, amplissimam facultatem illis concessit circà Iudices, Conseruatores, & in Bulla *Unigenitus*, facultatem illis tribuit medendi citrà adustionem, & incisionem per se ipsos faciendam de suorum Superiorum licentia, quādo Medici sæculares commodè haberi nō possunt: Item in Bulla *Apostolicæ Sedis*, facultatē eisdem concessit alienandi bona ipsorum, sed hæc facultas videtur reuocata per Decreta Sacræ Congregationis sub Vrbano VIII. Item in Bull. *Exponi nobis*, facultatē aperiendi litteras Sacræ Pœnitentiariæ concessit: & in alia *Exponi nobis*, circa transitum ipsorum ad alias Religiones qualitèr, vel quando permissum disponiè Pontifex, & in Bull. *Pium, & vtile*, facultatem eisdem concessit suscipiendi Ordines Sacros etiam extrà tempora, non seruatis interstitijs, nec quibusdam alijs; quod priuilegium alijs non communicatur: habent etiam plura alia priuilegia à Summis Pōtificibus concessa.

5 Clerici Regulares S. Pauli decollati, approbati fuerunt à Clemente VII. in Bull. *Vota*, & Paulus III. concessit illis priuilegia Canonicorum Lateranensium, & facultatem etiam administrandi Sacramenta, ac eorum Superiori, vt possit dispensare in Officij recitatione cum socijs infirmitate grauatis, aut cura infirmorum, curatione impeditis: à Gregorio XIII. præscriptus est illis modus transeundi ad aliā Religionem, Paulus V. in Constit. *Ecclesia Militantis*, facultatem illis concessit vbique noua Monasteria recipiendi, seruatis Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini Decretis de sola licentia Ordinariorum, nullo aliarum personarum requisito consensu: vacat tamen hęc concessio his temporibus. Barbosa *in collect. Bullary verb. Clerici Regulares Sancti Pauli*.

6 Clerici Regulares de Somascha nuncupati sub Paulo III. sub nomine Societatis ad erigenda Hospitalia pro subuentione pauperum Orphanorum, & mulierum conuertitarum, approbati, & sub Pio V.

S 2 facul-

facultatem emittendi tria vota, & bona etiam stabilia recipiendi, & possidendi habuerunt Sixtus V. in Bulla *Æquum reputabimus*, litteris Gregorij XIII. quæ ob eius obitum expeditæ non fuerant, cofirmatis, eis plura priuilegia concessit, videlicet exemptionem ab omni iurisdictione quorūcumque Iudicum Ecclesiasticorum, & sæcularium, facultatem celebrandi, & audiendi confessiones fidelium, & quod die professionis emissæ absolui possent ab aliquo prædictæ Congregationis Presbytero ab omnibus peccatis, & censuris etiam reseruatis in Bulla Cœnæ Domini: Prohibuit, etiam illis Pontifex transire ad aliū Ordinem, etiam arctiorem, Capuccinorum, & Carthusianorū Ordinibus exceptis. Clemens VIII. in Bulla *Decet ex benignitate*, priuilegia illis prædecessoribus concessa confirmauit, & vlterius concessit Præposito generali huius Cōgregationis, vt cum voto Consiliariorum à Capitulo generali deputatorum posset dispensare super defectu natalium cum subditis ad Ordines, & officia. Paulus V. in Bulla *Ex quo Diuina*, communicationem priuilegiorum Mendicantium illis tribuit, cum certis tamen limitationibus: & in alia Bulla *Ex iniuncto nobis*, Congregationem Clericorū Doctrinæ Christianæ in Ciuitate Auenionis institutam ipsis vniuit.

7 Clerici Regulares ministrantes infirmis approbati sunt à Sixto V. in Constit. *Ex omnibus*, vbi etiam licentiam illis concessit eleemosynam colligendi. Gregorius XIV. in Constitutione *Illius* ann. 1591. approbauit Regulam, sub protectione Sedis Apostolicæ eos suscepit, priuilegia aliorum Ordinum ipsis communicatis cum ampla facultate circa absolutionem subditorum Superioribus concessa; Clemens VIII. in Bulla *Superna*, edita anno 1600. Regulā illorum reformauit iuxtà formam ab ipsis stabilitam; & Paulus V. in Bulla an. 1606. ipsis prohibuit transitum ad alias Religiones, etiam Carthusiensium, sine Sedis Apostolicæ licentia; Vrbanus VIII. in Bulla *Sacrosanctæ*, circà illos statuit, quod professi ad Sacerdotium destinati in Domibus Nouitiatuum, vel alijs distinctis, ex illarum perpetuis redditibus viuere possint; & in alia Bulla *Romanus Pontifex* anno 1628. modum illis præscripsit circà electionem Præfecti generalis, Cōsultorum, & Arbitri Congregationis, Barbosa *in collect. Bull. verb. Clerici Regulares ministrantes infirmis*.

8 Clerici Regulares Minores gaudent priuilegijs Clericorum Regulariū Theatinorum, ex Gregorij XIV. concessione in Constit. *Romanus* an. 1591. & ex Sixto V. in Bulla *Sacræ Religionis* an. 1588. obtinuerūt non solùm approbationem Religionis, sed etiam facultatem condendi statuta pro eius regimine; tria vota emittendi, alios ad Religionem recipiendi; Officium Romanum recitandi; Sacramenta ministrandi, & Domos constituendi. Barbosa *in collect. Bull. verb. Clerici Regul. Minores*.

9 Clerici Regulares Congregationis Matris Dei Lucæ, sub Gregorio XV. de consilio Sacræ Congregationis Cardinalium in Religiosos approbati fuerunt: varijs etiam gratijs, & priuilegijs à Clemente VII. decorati sunt. Barbosa *in collect. Bullar. verbo Clerici Congregationis Matris Dei Lucæ*, & à Gregorio XV. in Bulla *Ad vberes*, sub die 4. Ianuarij 1613. habent omnes gratias, priuilegia, indulta, immunitates, exceptiones concessas alijs Congregationibus Clericorum Regular. Mendicantium, non tamen Societatis Iesu.

10 Clerici Regulares scholarum piarū nuncupati, quorum Institutum est, vt colligitur ex Paulo V. in Bulla *Ad ea*, ann. 1617. gratis, & nullo stipendio, mercede, salario, &c. pueros in primis elementis, grammatica, computo, &c. ac præcipuè in fidei Catholicæ rudimentis erudire, bonis, atq; pijs operibus imbuere, ac Christiano more educare, à Gregorio XV. in Bulla *Ad vberes fructus*, ann. 1622. priuilegijs Mendicantium decorati fuerunt, & posteà ab Vrbano VIII. exempti à Processionibus, &c. Barbosa *in collect. Bull. verbo Clerici pauperes Matris Dei scholarum piarum*.

TITVLVS XIV.
De Priuilegijs Hospitalariorum Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Regulares Hospitalarij, qui.*
2 *Quibus gaudeant priuilegijs.*
3 *Item Fratres S. Antonij Viennensis.*
4 *Item Fratres S. Spiritus de Saxia.*
5 *Item Fratres B. Ioannis de Deo.*

1 Regulares Hospitalarij hi sunt, quorū Ordines super hospitalitatem fundati sunt, vel saltem Hospitalia habent, & in eis curam infirmorum, vel peregrinorum exercēt, eos charitatiuè medicādo, vel suscipiendo, quales sunt Cruciferi Fratres S. Antonij Viennēsis, Sācti Spiritus in Saxia, Beati Ioannis de Deo, qui emittentes tria vota essentialia, sunt verè Religiosi, cùm emissio trium votorum faciat hominem Religiosum.

2 Gaudent varijs priuilegijs à Sede Apostolica illis concessis. Cruciferi ab Vrbano III. anno 1187. in Bulla *Cum antecessor*, exemptionem à certis, decimis facultatem recipiendi ad Religionem, & fabricandi Cœmeteria, & Oratoria habuerunt. Gregorius XIV. in Bulla *Romanus Pontifex*, priuilegia aliàs illis concessa confirmauit, ac omnia, & singula priuilegia Mendicantiū, & non Mendicantium Ordinum illis concessit.

3 Fratribus S. Antonij Viēnensis ab Vrbano VIII. anno 1624. omnium Regularium Mendicantium, & nō Mendicantium priuilegiorum communicatio concessa est. Barbosa *in collect. Bullar. verbo S. Antonij Viennensis*.

4 Fratres S. Spiritus de Saxia à Sixto IV. in

in Bulla *Religionis zelus, anno* 1483. sub protectione Apostolica suscepti, ab omni Ordinariorum iurisdictione exempti, & priuilegijs Monachorum S. Iustinæ decorati sũt.

5 Fratres B. Ioannis de Deo exempti sunt ab Ordinariorum iurisdictione per Paulũ V. constit. *Romanus Pontifex* 1609. Barbosa *in collect. Bullar. verbo Fratres B. Ioannis Dei.*

TITVLVS XV.

De Priuilegijs Tertiariorum Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Tertiariorum priuilegia, quæ.*
2 *Tertiarij Dominicanorum, &c. qui.*
3 *Tertiarij proprium habent profitendi modum.*
4 *Tertiarij simul non viuentes, nec vota emittentes, an Religiosi.*
5 *Vt possint frui priuilegijs, quid requiratur.*

1 Tertiarij in Religione viuentes, & sua vota essentialia emittentes, sunt verè, & propriè Religiosi; vndè exempti sunt ab oĩ iurisdictione sæculari, & Ecclesiastica Episcoporũ, & gaudẽt priuilegio canonis, & loci, & habent multa priuilegia, quæ Clemẽs VIII. in Bul. *Ratio Pastoralis anno* 1597. cõcessit: Habent facultatẽ admittendi, seu recipiendi huiusmodi Tertiarios Ordines Mendicantes; & primò Minores, nam S. Franciscus huius Ordinis Patriarcha instituit Fratres, & Sorores tertij Ordinis, eisque Regulam præscripsit.

2 Patres Dominicanorũ tertiarios vtriusque sexus, & Sorores de Pœnitentia nuncupatos habent, ac facultatem eos recipiendi; imò vt dicitur, S. Dominicus ipsorũ Patriarcha, etiã tertiũ Ordinẽ Tertiariorũ instituit; quos & hẽt Augustiniani, & Carmelitæ, vt colligitur ex Bulla Pauli II. in Bull. *Exposcit vestræ*: Itẽ & Minimi hẽt Tertiarios, vt cõstat ex Iulio II. in Bulla *Dudũ*, Obseruant regulã approbatã, & ferũt habitum Ordinũ, quorum sunt Tertiarij, nõ quidem eumdem omninò, sed similem.

3 Proprium etiam modum profitendi habent: regularitèr emittunt vota simplicia, & possunt emittere tria vota Religionis, si placuerit Superiori, cùm professio facienda sit in manibus alicuius Superioris eorum habentis ordinem, vel auctoritatem ab aliquo Superiore: Præcedere etiã debet professionem Tertiariorum aliquod tẽpus probationis per modũ Nouitiatus.

4 Tertiarij, qui non collegialitèr viunt in communi sub obedientia, & non emittunt tria vota essentialia, non sunt personæ Ecclesiasticæ, sed sæculares: habent tamen plura priuilegia; Nam Sixtus IV. Tertiarijs Carmelitis concessit, vt gaudere possint omnibus priuilegijs, &c. Ordini cõcessis, quæ tamẽ moderata fuerunt à Leone X. in Concilio Lateranensi, & à Sacra Congreg. Concil. anno 1608. & à S. Congregat. Episcoporum, & Regular. 1616.

5 Item vt possint frui Tertiarij priuilegijs, &c. Ordini concessis, debent collegialitèr viuere, aut cum claustralibus habitent, quia si separatim, seorsim, aut singulatim viuant, non possunt prædictis priuilegijs frui; ità clarè decernitur in Bulla Leonis X. & decretis Sacrarum Cõgregationum; vbi vxorati, aut fœminæ maritatæ, à prædictis priuilegijs Ordinum, quorum sunt Tertiarij, excluduntur; eò, quòd solùm admittantur ad illa collegialitèr viuentes, aut cum claustralibus, qui vt manifestum est, vxores habere non possunt, dùm talitèr seruiunt.

PARAG. I.

Textus Sacrorum Canonum De Priuilegijs.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi nonnisi Ciuitatibus concedendi.*
2 *Priuilegijs Laicorum ab Ecclesia non derogatur.*
3 *Religiosi an possint à Laicis decimas, &c. recipere, sine consensu Episcopi.*
4 *Priuilegio Sedis Apost. nõ seruans, suis priuãdus est.*
5 *Priuilegiati nequeunt excommunicatos ad sepulturam admittere.*

1 Episcopalis dignitas non debet concedi, vel residere, nisi in Ciuitatibus numerosis, & insignibus, nè vilescat numerositate sui, *cap. Episcopalia s. de priuileg.* & ideò in Villis, Castellis, vel modicis Ciuitatib. nõ debet cõcedi Sedes Episcopalis. Villa, vel Oppidũ, vbi erigenda est, priùs Ciuitatis honore decorat. Tex. *in extrauag. Saluator.*

2 Ecclesia in iudicijs vt nõ vult perturbare priuilegia Laicorum; ità non vult, quod ipsi Laici debeant aliquod præiudicium ei inferre; quod si fecerint, auctoritate Apostolica multa eis resistere, & dùm tales Laicos, quo eis, & non est agere contrà legem, sed est legi ferre subsidium, *ex cap. Sicut in iudicijs* 2. Vndè Ecclesia põt Laicos violentiam, vel etiam præiudicium rebus Ecclesiasticis inferentes, coercere. Fusc. *de visit. lib. 2. cap. 21. n. 28.* Decian. *in tract. crim. lib. 8. cap. 36.* Fusc. *tom. 4 litt. I. cõcl 445 n. 19.* & alij.

3 Religiosi, etiam exempti, Ecclesias, & decimas non debent recipere de manu Laicorum, sine consensu Episcopi, nec debent excedere priuilegia illis concessa agendo contrà auctoritatem Episcoporum cum scandalo, *ex cap. Cùm & plantare* 3. Vndè plãtare Religionem spectat ad Papam, seu etiam approbare. Dec. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ*, Henriquez *in summa lib. 12. cap. 5. §. 4.* Azor. *par. 1. lib. 11. cap. 23. quæst.* 5. Miranda *in man. Prælat. tom. 1. qu. 3. art. 6.* & alij: Itẽ Religiosi etiam exempti non debent admittere ad Diuina excommunicatos, vel interdictos quoscũque, *ex cap. citato*, quia excommunicatus, & interdictus in vna Ecclesia, est excommunicatus, & interdictus in qualibet Ecclesia, & tamquàm excommunicatus vitari debet etiam ab exemptis: & ratio est, quia iure Ecclesiastico, ex Apostolica traditione, excommunicatio habet hanc vim, vt excommunicatus priuetur omnibus suffragijs Ecclesiæ, & ab vno Episcopo excommunicatus, ab omnibus alijs vbique vitari debeat in Diuinis, & huma-

nis: Item Religiosi in Ecclesijs, quæ ad ipsos non spectant, pleno iure, cũ vacant, institutio, &c. pertinet ad Episcopum, nec valet consuetudo in contrarium, *ex cap. citato* Pleno iure spectant, quando spectant in spiritualibus, & temporalibus. Rebuffus *in concordatis tit. forma mandat. verb. Plenum*, Marta *de clausulis, clausula 85. num. 6.* Tuscus *tom. 6. litt. P. conclus. 364. num. 3.* & alij: Item Templarij, & Hospitalarij in Ecclesia interdicta solùm semel in anno admitti debent ad Diuina Officia, nec tunc ibi sepeliedi sunt corpora defunctorũ, *ex cap. cit.* Item oblati Religiosorũ non gaudent priuilegijs illarum Religionum, nisi ex toto sint translati, sed si remanẽt in suis proprietatibus, sunt subditi Episcopo, vt cæteri Laici, *ex cap. citato*, quia non censentur Ecclesiasticæ personæ, nec Ecclesiastici fori priuilegio gaudent, vt gaudent illi, qui se, & sua in totum Religioni tradiderunt. Nauar. *consil. 49. de regular.* Decian *in tract. crimin. lib. 4. cap. 9. num. 28.* Rodriquez *quæst. regul. quæst. 21.* Flores de Menna *var. lib. 2. qu. 21 nu. 154.* & alij.

4 Qui priuilegia Sedis Apostolicæ nõ seruat, suis priuandus est, *ex cap. Dilecti 4.* Vndè qui alienis priuilegijs derogat, priuetur proprijs, vt in eodẽ genere, in quo deliquit, ipse puniatur, iuxtà *cap. Litteras de temp. ordin.*

5 Priuilegiati non possunt admittere excommunicatos ad sepulturam, & si admiserint, debent eos abijcere, & si non fecerint, Episcopus supplebit, *ex cap. Ad hæc 5.* Quod intelligendum est, quando ossa excõmunicati possunt ab alijs discerni: quod si non possint discerni, non debent exhumari; ità *cap. Ex litteris*, nè fortè contingat, vt cum excommunicatorum ossibus ossa fidelium extumulentur; ità Textus *in cap. Sacris*, & licèt plures teneant sententiam dicentium, quod in parte Cœmeterij aucta sine auctoritate Episcopi, & item in clanstro, quod de nouo additum est claustro Religiosorum, non possit excommunicatus sepeliri, cùm idem ius sit de re aucta, ac principali; tamen dicendum est, posse excommunicatum in ea parte sepeliri: Ratio est, quia augmentum illud, quod sequitur naturam sui principalis, procedit, quando in vtroque est eadem ratio; non ità si diuersa detur inter vtrumque, quę in hoc manifestissima apparet; nam vt Cœmeterium sit, & sepultura Ecclesiastica dicatur, necesse est, quod locus auctoritate Episcopi destinatus sit ad mortuorum sepulturam cum speciali benedictione, quæ solenniter deficit in hac parte Cœmeterij, ità Vgolin. *tabula 2. de censur. cap. 9.* & alij.

PARAG. II.
Continuatio Textus.

SVMMARIVM.

1 *Contrà Ecclesiæ priuilegium, quanto tempore præsumatur.*
2 *De priuilegijs quomodo iudicandum.*
3 *Solutione census, &c. an probetur exemptio à iurisdictione, &c.*
4 *Priuilegium vni concessum, ad alium non extenditur.*
5 *Campana in priuatis Oratorijs an retineri possint.*
6 *Pœna Fratrum Hierosolymitanorum mittentium ad eleemosynas colligendas.*
7 *Priuilegium perditum an possit innouari.*

1 Contrà priuilegium Ecclesiæ præsumitur spatio 40. annorum, quia videtur in tanto tempore renunciare suo iuri; ità *ex cap. Si de terra 6.* quia nunc temporis priuilegium nõn amittitur per modum præscriptionis, nisi spatio 40. annorum, licèt antiquitùs satis esset spatium 30. annorum.

2 De priuilegijs non est iudicandum, nisi eorum tenore inspecto, & secundùm continentiam eorum, ab omnibus sunt seruãda, *ex cap. Porrò 7.* Tenor autem priuilegij inspiciendus est, non modò quoad verba, sed etiam quoad mentem, vt si de illa appareat, à mente recedamus, vt quod sensérit concedẽs, potiùs sequamur; & ità Textus *in cap. Quanto 26.* Quomodo autem priuilegia sint applicanda, dictum fuit.

3 Per solutionem Census, quę fit Romanæ Ecclesiæ, non probatur exemptio à iurisdictione Episcoporum; quare inspicienda sunt priuilegia, & eorum tenor diligentèr considerandus, & an ad indicium perceptæ libertatis annuatim census soluatur, Ecclesia illa libera est, & exempta: si verò ad iudicium perceptæ protectionis census persoluitur, Ecclesia illa à protectione Episcopi non est subtracta, *ex cap. Recepimus 8.*

4 Priuilegium vni concessum non debet ad alium extendi propter identitatem rationis, *ex cap. Sanè 9.* Quia priuilegium est ius singulare, & sequitur personam priuilegiatam, & eum ea extinguitur, & non trãsit ad alias; ità vt filij nõ possint gaudere priuilegio concesso patri, nec vxor priuilegio concesso marito: Excipiuntur tamen priuilegia, quæ conceduntur ob merita, quæ cùm sint realia, transeunt in cõtractum; idcircò extenduntur ad filios, & hæredes, &c. & ità communitèr Doctores *in l. si sic. de verbor. obligat.* Item non procedit in priuilegio, quod personæ conceditur, si causa proxima concedendi non sit ipsa persona, sed aliqua conditio, seù causa existens in persona, quia tunc etiam priuilegium extenditur ad hæredes; ità Text. *in l. non omnia, & in l. quod si minor, §. non semper ff. de minorib.*

5 Campanas in Oratorijs priuatis, id est domi existentibus, tenere non possunt, et ità exempti: Imò compellendi sunt, vt suo iure sint ità cõtenti, quod iustitiam aliorum nõ impediant, *ex cap. Patentibus 10.* Ratio est, quia cùm huiusmodi Oratoria non sint loca publica; idcircò publicè campanas habere non possunt, nam vbi est campana, signum est, ea loca esse publica, & Episcopo subiecta; & ideò hæc Oratoria priuata non gaudent priuilegio Ecclesiarum.

6 Fratres Hierosolymitani, si ad eleemosynas colligendas mittãt, non Religiosos, sed alios falsò cruce signatos, sunt priuandi

di officio prædicationis, & missi, si sunt Laici, excommunicandi; si Clerici, suspendendi ab officio, & beneficio, non obstante priuilegio, vel appellatione: Item qui celebrat in Ecclesia interdicta, est suspendendus: Item suspensus ab Ordinario, si celebrat, suspenditur: Item priuilegiati non possunt alios priuilegiare, *ex cap. Tuarum 11.* Qui falsò portat Crucem, aut Religionis habitum, puniendi sunt per Iudices Ecclesiasticos: Ratio est, quia falsò portantes habitum abutuntur insignibus Religionis, & Religioni iniuriam inferunt, & consequenter de foro Ecclesiæ efficiuntur; ità *in cap. Cum sit generale, de foro compet.*

7 Priuilegium perditum, de cuius veritate, tenore, & perditione constat per testes, potest innouari: Item quando Papa excommunicatum admittit ad osculum scienter, & re cognita, præsumitur iam non esse excommunicatus, *ex cap. Cum olim 12.* Vndè ad innouationem priuilegij amissi, tria sunt necessaria probanda, actum scilicet gestũ, amissum instrumentum, & ipsius tenorem. Mascard. *conf. 908. num. 15.* Menoch. *de præsump. lib. 5. præsumpt. 66.* Surdus *cons. 109. num. 53.* & alij; & oportet, quod testes deponant, non solum se vidisse instrumẽtũ, sed etiam omni vitio caruisse, & quod instrumentum habebat omnia ad ipsius substantiam, seu validitatem necessariam: deindè debent deponere de plena, & perfecta litterarum notitia, de die, quo fuit scriptum instrumentum. Couar. *practicar. cap. 11. num. 3.* Mascard. *conclus. 711.* Quod si testes solùm amissum esse instrumentum deponant, non verò de eo, quod continebat, nihil est actum, neque testes concludenter probant, vt scriptura posita, aut debeat innouari; ità Bart. *in l. sicuti num. 1. C. de fide instrument.* vndè debent testes deponentes de amissione instrumenti, deponere de eo, quod in eo continebatur. Molina *de primog. lib. 2. cap. 6. nu. 34.*

PARAG. III.

Continuatio eiusdem materiæ.

SVMMARIVM.

1 *Innouatio priuilegij an nouum ius tribuat.*
2 *Contrà Ecclesiæ priuilegia, quanto tempore præscribatur.*
3 *Exemptus respectu vnius loci, an censeatur & respectu alterius.*
4 *Recepti sub protectionem Papæ, an censeantur ab Episcopo exempti.*
5 *Facultas Religiosorũ conuertẽdi, &c. à quibus petẽda.*
6 *Interdictum à quibus seruandum.*
7 *Priuilegium, ne Monachi possint excommunicari, de quibus intelligendum.*

1 INnouatio priuilegij nouum ius non tribuit, sed antiquum confertat, *ex cap. Ex parte 5. 53.* Ecclesia se defendens duplici priuilegio exemptionis, licèt succumbat in vno, põt tñ ex alio se tuitare, nec tenetur exemptus promittere obedientiã Diœcesano; vigore tñ exẽptionis nõ põt sine licẽtia Diœcesani Ecclesiam construere in loco non exempto, & si de facto in eo construit Ecclesiam, cedit iuri Episcopi, *ex cap. Cum olim 2. 14.*

2 Contrà priuilegia Ecclesiæ non præscribitur minori spatio 40. annorum, *ex cap. Accedentibus 15.* Vndè si vnus locus Ecclesiasticus soluat decimas alteri loco Ecclesiastico, intelligitur præscriptum contrà ipsius priuilegia, si illud habebit non soluendi decimas.

3 Exemptus respectu vnius loci, non censetur exemptus respectu alterius; ità *ex cap. Cum Capella 16.* Per exemptionem concessam Monasterio, Capellæ sibi subiectæ non cẽsentur exemptæ; & sic Abbas, ratione mẽbrorum non exemptorum, debet subesse Episcopo, exhibendo illi reuerentiam, & tenetur ire ad Synodum Episcopalem: Itẽ ex eo, quod aliquis habet locum in Synodo Episcopi, intelligitur ad illam accedere, & ipsius statuta seruare; ità *cap. Ex ore 57.* Abbas verò tenere debet primum locũ inter Prælatos citrà Episcopum, cui ratione Religionis, & dignitatis, primus deferendus est. Episcopus in Capellis non exemptis, retinet omnia iura Episcopalia, vt patet *ex cap. Conquerente de offic. Ordin.*

4 Non intelliguntur exempti ab Episcopo, qui recipiuntur sub protectionẽ Papæ cum rebus suis; ità *cap. Ex parte 2. 18.* etiamsi Papa recipiat eos in filios, quia filij denominatio non exemptionem, sed magis honoris titulum, & speciale amoris pignus denotat.

5 Religiosi, quibus à Papa concessum est conuertendi in proprios vsus Ecclesias sibi subiectas, non auctoritate propria, sed à Diœcesano loci possessionem illarum recipere debent, nisi in priuilegio aliud exprimatur, quia Papa non derogat iuri Episcopatus regulariter, *ex cap. Pastoralis 19.* & ideò Religiosi non possunt propria auctoritate Ecclesias sibi subiectas in proprios vsus conuertere, sed debent in illis Ecclesijs instituere Rectorem, non autem redditus capere, & in eorum vtilitatem conuertere, & idem in alijs priuatis habentibus Ecclesias sibi subiectas, vt *in cap. Ad aures de excess. Prælat.*

6 Si ijs, propter cuius delictum positum est Interdictum, illud non seruat, alij nihilominus illud seruare debent; secus si ille nõ seruat, in cuius fauorem latum fuit, quia tunc nec alij tenentur, *ex cap. Petisti 20.*

7 Priuilegium concessum Monasterio, vt eius Monachi excommunicari nõ possint, intelligitur de Monachis manentibus in Monasterio, vel in Ecclesijs sibi pleno iure subiectis, *ex cap. Quoniam 21.* Pluribus autem modis potest Monasterium habere iurisdictionẽ pleno iure in Ecclesias sibi subiectas: primò, auctoritate Papæ, *ex cap. Cum nõ liceat*: Secundò, de consensu Episcopi, & Capituli, iuxtà regulam. Textus *in cap. Si except. 53. quæst. 2. & in cap. Nulli,* Couar. *lib. 2. variar. cap. 17.* Molina *de iustitia tract. 2. disput. 465. & 468.* & alij: Tertiò, per præscriptionem potest etiam Ecclesia vtroque iure à potestate Episcopi eximi, & ad Religiosos trans-

transferri, vt probat Textus *in cap. Cum olim, & in cap. Auditis, & in cap. Cum persone.*

P A R A G. IV.

Continuatio Textus eiusdem materiæ.

S V M M A R I V M.

1 *Remissio decimarum de quibus intelligenda.*
2 *Post Romanam Ecclesiam, prima est Byzantina.*
3 *Priuilegium sepeliendi Confratres tempore Interdicti, de quibus intelligatur.*
4 *Episcopis an, & quomodo tempore Interdicti, conceda tur facultas celebrandi.*
5 *Priuilegia nullo modo violanda.*
6 *Incedentes sine Tonsura, &c. an gaudeant priuilegio, &c.*
7 *Monitio trina à quo Iudice facienda.*

1 EPiscopus remittens indefinitè decimas alicui Ecclesiæ, intelligitur nõ solùm de præteritis, sed etiam de futuris, quia beneficia sunt plenissimè interpretanda, præcipuè verò cùm nihil exciperet, cùm potuerit excipere contrà tale priuilegium, *ex cap. Quia circa* 22. Episcopus autem, iusta causa v.g. necessitatis, & euidentis vtilitatis, potest remittere decimas, interueniente tamen consensu Capituli; & ità Rebuff. *in compendio alienationum à num.* 66. Moneta *tract. de decimis cap.* 5. *num.* 131. Propositio indefinita æquiualet vniuersali *lex pluribus ff. leg.* 2.

2 Post Ecclesiam Romanam primum locum habet Constantinopolitana: secundum, Alexandrina: tertium, Antiochena: quartũ, Hierosolymitana, quę à Romano Pontifice recipiũt Pallium, cui fidelitatẽ, & obedientiam promittũt. Habẽt tria priuilegia: primũ, ꝙ possunt dare Pallium suis Suffraganeis: Secundum, quod ante se faciunt sibi deferri Crucem, præterquàm in Vrbe Romana, vel vbi est Papa, vel eius Legatus vtens insignijs dignitatis: Tertiũ, quod in Prouincijs sibi subiectis potest appellari ad ipsos, salua appellatione, quę fit ad Papam, cui ab omnibus humilitèr deferendum, *ex cap. Antiqua* 23.

3 Priuilegium Religionis concessum, vt possint sepelire Confratres, tempore Interdicti, intelligitur de his, qui licèt maneant in sæculo, tamen obtulerunt se Religioni habitu; vel de illis, qui omnia sua bona dederunt Religioni, irreuocabilitèr reseruato sibi vsufructu, & non de alijs: Item priuilegium concessum Religiosis, quod eis venientibus ad locum interdictũ semel in anno aperiantur Ecclesiæ, vt celebrentur in eis Diuina, intelligitur de vna Ecclesia sola aperienda in vna Ciuitate, exclusis excommunicatis: si secùs fiat, puniantur; & qui abutitur potestate, meretur perdere priuilegium, *ex cap. Priuilegia* 24. Ratio primæ partis est, quia persona deputata, & perpetuò donata Ecclesiæ, siuè sæculari, siuè regulari, saltem si defert habitum ex aliqua parte Religiosum; licèt non emittat tria substantialia vota, censetur Ecclesiastica persona, & gaudet priuilegio Ecclesiastico Canonis, & Fori. Nauar. *in tract. de redditib. Eccles. monit.* 53. Coll. *in cap. Alma mater par.* 2. §. 2. *n.* 8. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 123. *art.* 1. & alij.

4 Episcopis etiam conceditur, vt tempore Interdicti possint Diuina celebrare, ianuis clausis, voce suppressa, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis, & interdictis; dummodò non dederint causam interdicto, nec præstiterint fauorem illis, propter quos fuit latum Interdictum, *ex cap. Quod nonnullis* 25.

5 Priuilegia nec indirectè sunt violanda, vt si ex priuilegio Religionis non sunt excommunicandi, nec debent excommunicari illi, qui cum ipsis tractant, vel cum eis communicant vendendo, emendo, &c. quia non valens excommunicari ex priuilegio, non potest etiam indirectè excommunicari.

6 Incedentes sine tonsura, & habitu, & miscentes se in enormitatibus, & diù in illis perseuerantes, & deprehensi, si habebãtur omninò tãquã Laici licèt post delictũ reassumant habitum, & tonsuram; tamen non gaudent priuilegio, & sine pœna excommunicationis, à Iudice Laico puniri possunt, *cap. Ex parte* 3. 27. Verùm nunc temporis non deferentes habitum, & tõsuram, vt priuentur priuilegio Clericali, trina monitio requiritur, nec sufficit, quod sine habitu, & tonsura in crimine deprehendantur, vt probat Textus expressus *in cap. In audientia* 25. & *in cap. Contingit* 45. *de sent. excom.* & ità apud Bellet. *disquisit. Cleric. tit. de fauor. Cleric. personal. num.* 1. Clerici verò beneficiati non gestantes habitum, & tonsuram, præter alias pœnas contrà eos inflictas, quibuscumque beneficijs, & pensionibus sunt priuati, ac sine vlla alia monitione, citatione, Iudicis decreto, aut ministerio, ipso facto declarati, & eorum beneficia dispositionis Sedis Apostolicæ reseruata per constitutionem Sixti V. quæ incipit *Cum sacrosancta*, quod idẽ cẽsuit Sacra Congregatio Cardinaliũ Conc. Trid. interpretum *super cap.* 6. *sess* 23. *de reformat. in cap. Clericus in minoribus*, §. *alicui Ecclesia*, & §. *cui reseruata.*

7 Trina monitio debet fieri à Iudice Ecclesiastico, & non sæculari, *cap. In audientia*, & *cap. Contingit*, & non solùm debet esse trina, sed specialis nominatim, & in personã facta; nec sufficit generalis vnica Clem. 1. nisi huiusmodi monitio esset facta in Synodo, sub expressa cõminatione, & pœna, quia tũc illa vnica monitio sufficere, quia cõstitutio facta in Synodo habet vim cõstitutionis, & vbi fit constitutio, non requiritur trina monitio, *cap.* 2. *De constitutionibus in* 6.

P A R A G. V.

Continuatio eiusdem materiæ.

S V M M A R I V M.

1 *Ius ciuile, quibus in legis cogi non debeat.*
2 *Innouatio priuilegij an nouum ius inducat.*
3 *Habentes facultatem celebrandi in Altari portatili,*

an

ad eo vti possint sine consensu Episcopi.

4 *Priuilegium de decimis nouualium non soluendis, an extendatur ad decimas in lite controuersas, &c.*

5 *Confratres priuilegiatorum an teneantur ad iura Episcopalia.*

6 *Terra inculta, ad culturam per Religiosos reddita, an immunis.*

1 PArisijs, & in locis vicinis ius ciuile legi non debet, quia ibi non sunt in vsu Imperatorū leges, &c. *cap. Super specula* 28. Publicè leges audire prohibitū est Monachis, Sacerdotibus, Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Præpositis, Cantoribus, & alijs personatum habentibus, vt *in cap. Non magnoperè, & in cap. vlt. nè Clerici, vel Monachi*: si verò de istorum numero non sint minimè Clericis huiusmodi studium est prohibitum, etiamsi in sacris sint constituti, vel etiamsi Parochiale habeant beneficium, vt probat Textus *in cap. 1. nec Clerici, nec Monachi in 6.* Si verò ad maiorē perfectionem, & intelligentiam Canonum hoc faciant; tunc licitum est scholas ingredi, & ius ciuile publicè audire. Abbas *in cap. Non magnoperè num.* 8. Gomez *in regula de non tollendo iure quæsito quæst.* 3. Zerola *in praxi Episcoporum, verbo Studium* §. 5.

2 Innouatio priuilegij nouum ius non inducit, nec antiquum tollit, sed solùm conseruat, *ex cap. Quia intentionis* 29. Innouatio priuilegij dupliciter potest fieri, quia priuilegium aliquando accipitur pro charta, seù instrumento, in quo gratia, & concessio Principis continetur, aliquando pro cōcessione ipsa, seù gratia, & pro eo, quod in charta, seù in instrumento continetur. Tuscus *tom. 4 litt. I. concl.* 236. & quando agitur de innouatione solius chartæ, seù Instrumenti, vel quia est deperditum, vel nimia vetustate corruptum; certum est, quod talis innouatio nihil iuris de nouo tribuit, & in his terminis loquitur Textus in præsenti.

3 Habentes priuilegiū celebrandi in Altari portatili, possunt illo vti sine consensu Episcopi, dummodò non tangant ea, quæ sunt iuris Parochialis, quia in his, quæ cognoscuntur spectare ad cultum Diuinum, semper benignior interpretatio est facienda, *ex cap. In his* 30. Episcopus potest celebrare in Altare portatili, cùm tale priuilegiū habeat à iure in transitu: Alij non possunt celebrare, nisi licentiam habeant à Papa, vel ab Episcopo, quia Episcopus potest cōcedere, vt in sua Diœcesi extrà locum sacrum in Altari portatili quis celebrare valeat. Tusc. *tom. 1. litt. A. concl.* 31. & alij.

4 Priuilegium de decimis noualium non soluendis, in quo non fit mentio de lite mota à parte contraria, non extenditur ad decimas, de quibus erat lis, vel quæ erant solitæ solui, *ex cap. Dudum* 31. quia priuilegium de non soluendis decimis non comprehendit decimas, tempore priuilegij impetrati, possessas ab alijs, nisi de possessione fiat mētio in priuilegio, & priuilegium non faciens mentionem de possessione alterius, non præiudicat possessori, quod intelligendum est, quando impetratur circà decimas noualium, quia secùs vbi priuilegium est impetratum simpliciter, nè decimas quis soluat, quia tūc valet, etiamsi nō fiat mentio de possessione alterius: Ratio diuersitatis est, nam decimæ, ab aliquo possidentur, & concedendo Papa priuilegium, voluit derogare possessoribus, quia tacitè facit mentionem de possessione: secùs in decimis noualium, quia priuilegium potest intelligi de terris, quæ non sunt redactæ ad culturam, & proindè nullus possidet decimas illorum.

5 Confratres priuilegiatorum, quamdiù in proprijs domibus morantur, tenentur ad iura Episcopalia, *ex cap. Quidam* 32. Ratio, quia Ecclesiasticæ personæ non sunt, nisi ad Monasteriū se transferant, & in eo inseruiant. Paulus de Castro *cons. 69. par. 1.* Tusc. *tom. 5. litt. O. concl. 26. nu.* 15. & alij ab eo citati; nec obstat Textus *in cap. Vt priuilegia*, vbi decidit, vt Confratres gaudeant Religionis priuilegio, quod manentes in sæculo, ordini sunt oblati, mutato habitu seculari, vel quod bona sua dent Religioni inter viuos, retento sibi vsufructu, quod procedit solùm, vt gaudeant priuilegio Ecclesiasticæ sepulturæ, Interdicti tempore; quo ad fori verò, & Ecclesiasticæ exemptionis, & à foro sæculari, & tributis, priuilegia, non item, & ità apud Henriqu. *in sum. lib. 13. cap. 48.* §. 3.

6 Terra, de qua non est memoria, quod fuerit culta, si redigatur ad culturam per Religiosos, perpetuò erit immunis à soluendis decimis, *ex cap. Consultationi* 33. quia quod semel nouale est, semper remanet nouale. Glos. *vlt. in cap Ex parte 10. de decimis, & in cap. 1. de verbor. signific.* & licèt quoad decimas soluendas terra noualis semper sit noualis; tamen quòad immunitatem aliorum tributorum, non; vt patet ex particula *Quòad*, quæ restringit dispositionem ad hunc specialem casum; ità Tusc. *tom. 2. litt D. concl.* 364. & alij apud ipsum.

Decreta Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis.
De Priuilegijs.

PRiuilegia quibuscumque Prælatis, & alijs concessa celebrandi Missas, vespertino tempore, reuocauit Pius V. *constitut. 4. incip. Sanctissimus, de anno* 1566.

Priuilegia liberandi homicidas Confraternitatibus concessa, reuocauit Pius IV. *constit. 29. incip. Cùm ad solitam 19. Kalendas Ianuarij* 1564.

Et doctorandi alijs, quàm Aduocatis cōsistorialibus concessa, reuocauit Pius V. *constitut. 60. incip. Quamuis à Sede Kalendas Iunij* 1568.

Et locis pijs circà facultatem dispensandi super irregularitatibus, & impedimentis matrimonialibus, irritauit Pius IV. *constit. 64. incip. Decens, de anno* 1562.

Priuilegium concessum Canonicis vacandi æstiuo, vel alio certo tempore ab Ecclesia,

iuxtà

INDEX
RERVM, ET VERBORVM,
Quæ in toto Opere continentur.

Abba-

Appel-

 sumere

B

con-

C

Cle-

Conci-

Con-

Confra-

Consen-

Conte-

D

Damnati

Deus

Dubitans

E

Ele-

Epi-

Epi-

Episcopus

Excep-

F

Fœmina

G

Ha-

H

I

Im-

In-

Instru-

Iura-

L

Laici

Legatus

M

Mala-

Matrimo-

clau-

N

No-

O

P

Patriar-

Prælati

Pręscriptio

Princeps

Priuile-

Probatio-

Q

Quæsto-

Regulares

Religiosi

S

ctum

Sen-

Seruus

Spon-

Visitator

F I N I S.



Hoc Opus folijs 209. totum absoluitur.